PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM *QUÆ* EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ ; OCTINGENTIS ET *MILLE* TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — HÆRE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR ; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CLXXXI.

VEN. HERVEUS BURGIDOLENSIS MONACH. HILDEBRANDUS JUNIOR. AIMO ABB. S. PETRI DIV. ET PETRUS MONACH. GUIDO CARILOCI ABBAS. HERIBERTUS MONACH. BARTHOLOMÆUS CATAL. EPISC. BERNARDUS CARTHUSIÆ PORTARUM PRIOR I. S. BERNARDUS ABB. CISTERC. V. HUGO MATISCONENSIS ANTISS. EPISC.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,

IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

Digitized by Google

~~19½.49~~
C550.1

574
H3-147
1-22

Digitized by Google

SÆCULUM XII

VEN. HERVEI

BURGIDOLENSIS MONACHI

OPERA OMNIA

DEMUM RESTITUTA ET NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA

ACCEDUNT

HUGONIS MATISCONENSIS ANTISSIODORENSIS EPISCOPI, BARTHOLOMÆI CATALAUNENSIS EPISCOPI, BERNARDI CARTHUSIÆ PORTARUM PRIORIS I S. RAINARDI ABBATIS CISTERCIENSIS V, AIMONIS ABBATIS S. PETRI DIVENSIS ET PETRI MONACHI, GUIDONIS CARILOCI ABBATIS, HERIBERTI MONACHI, HILDEBRANDI JUNIORIS

OPUSCULA, DIPLOMATA, EPISTOLÆ

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 9 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1854

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXXI CONTINENTUR.

VEN. HERVEUS BURGIDOLENSIS MONACHUS.

Commentaria in Isaiam. col. 18
— in Epistolas divi Pau... 591

HILDEBRANDUS JUNIOR.

Libellus de contemolatione. 1691

AIMO ABBAS S. PETRI DIVENSIS ET PETRUS MONACHUS.

Aimonis Epistola ad fratres. 1707
Petri monachi Divensis Gesta septem abbatum Beccensium. 1709

GUIDO CARILOCI ABBAS.

Tractatus de correctione cantus ord. Cisterc 1719

HERIBERTUS MONACHUS.

Epistola de hæreticis Petragoricis. 1721

BARTHOLOMÆUS CATALAUNENSIS EPISCOPUS

Epistola ad Sugerium abbatem. 1721

BERNARDUS CARTHUSIÆ PORTARUM PRIOR I.

Epistolæ tres. 1723

S. RAINARDUS ABBAS CISTERCIENSIS V.

Instituta capituli generalis ordinis Cisterciensis. 1725

HUGO MASTICONENSIS EPISCOPUS ANTISSIODORENSIS.

Epistolæ II ad Sugerium. 1741
Charta. 1743

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCL

VEN. HERVEUS
BURGIDOLENSIS MONACHUS

NOTITIA

(R. P. Bernardus Pezius, Dissertatio isagogica in tom. III *Thesauri Anecdot.*, p. IV).

Herveus, quem Joannes Mabillonius Annalium Benedictinorum tomo III, pag. 357, sub finem sæculi undecimi, Casimirus Oudinus in Supplemento Bellarm. De Script. eccles., pag. 394, anno circiter 1130 floruisse scribunt, illustre monasterii Dolensis seu Burgidolensis in diœcesi Bituricensi decus et ornamentum fuit. Porro hujus monasterii fata non sine gemitu paucis exponunt Lucas Acherius in observationibus præviis ad tomum II Spicilegii, et laudatus Mabillonius pag. 358, ubi memorat id anno 1623 destructum esse, petente serenissimo principe Condæo Henrico Borbonio, qui ejus et monasterii S. Salvatoris loco, duo canonicorum collegia (egregia scilicet reformatione) instituit, unum intra palatium Castri-Radulfi, alterum Dolis. Cæterum ad uberiorem vitæ, ab Herveo hic loci exactæ, historiam quod attinet, eam nobis egregia et ampla Dolensium monachorum encyclica de illius obitu epistola præbet, ex ms. cod. abbatiæ Clarævallensis ab Acherio in supra citato Spicilegii tomo, pag. 515, publicata, quæ quia ob Acheriani operis in his regnis raritatem paucissimis visa est, hic totidem verbis reddenda visa est. En igitur eam :

« Cum propheta dicit : *Dominus virtutem operum suorum annuntiabit populo suo*, si ipse non pro sua, « sed pro auditorum salute proprias enarrat laudes, quomodo nos, quorum tota salus in laudibus ejus « est, tacere audebimus magnalia ipsius, quæ nostris temporibus ostendere nobis dignatus est? Noverit « itaque quisquis hæc auditurus est vel lecturus, nos nequaquam vanis vel falsis laudibus velle mortuos « extollere, sed ad laudem et gloriam Christi salutemque audientium pro amore veritatis de veritatis « ipsius amatore veraci stylo pauca describere.

« Fuit igitur vir tam vita quam doctrina venerabilis, Herveus nomine, Dolensis cœnobii monachus, « degens ibi circiter quinquaginta annis in prædicanda morum probitate, patriæ autem Cenomanensis « indigena, multa apud nos suæ fidei et sapientiæ, nec non et innocentiæ monimenta relinquens. Jam « namque juvenis et a puero Scholarum dogmatibus multipliciter imbutus, cum prædictum Monasterium « ingressus fuisset, totum se studio sanctarum Scripturarum dedit, atque catholicos tractatores, Augusti- « num videlicet, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, ac reliquos frequentare cœpit, jugiterque die « bus ac noctibus eorum lectioni incumbere, meditationi inservire non destitit, nec quolibet impedi- « mento ab inquisitione veritatis avelli potuit. Cumque singularis ingenii atque inæstimabilis memoriæ « esset, cœpit in vasculo cordis sui multa profutura recondere, et columbæ more meliora grana eligere, « sibique memoria retinere scriptoque commendare.

« Fecit ergo primum *Expositionem mirabilem super librum B. Dionysii De hierarchiis angelorum.*

« Deinde *exposuit totum librum Isaiæ prophetæ, et Lamentationes Jeremiæ, extremamque partem Eze-* « *chielis*, ibi incipiens, ubi sanctus Gregorius papa dimiserat, et ad finem usque perducens.

« Simul etiam *Deuteronomium Moysi et Ecclesiastem Salomonis*, nec non quoque *librum Judicum, et li-* « *bellum Ruth, librumque Tobiæ*, omnia, quæ in illis minus intelligentibus solam litteram sonare viden- « tur, in convincibili ratione ostendens, Christi et Ecclesiæ contestari et prædicare mysteria.

Digitized by Google

« Præterea *Apostoli et Pauli Epistolas* cum tanta sapientiæ affluentia *exposuit*, ut qui eas legerunt, asse-
« rant nunquam se illis comparabiles cognovisse, et vix aut nunquam tanta expositas diligentia posse
« alicubi reperire.

« Ad ultimum cum fama doctrinæ ejus circumquaque spargeretur, et jam nullus ei, sicut attestantur,
« qui eum veraciter cognoverunt, canonicarum Scripturarum scientia primus haberetur, *Librum duodecim*
« *Prophetarum et librum Genesis* ex integro tam mirabili sensu *exposuit*, ut expositionem super illos nec-
« dum potuerimus invenire, quæ suæ æquiparari possit.

« Inter hæc quippe fecit plurimas *Expositiones de lectionibus sanctorum Evangeliorum, Canticorum* etiam,
« quæ in Ecclesia leguntur.

« *Libellum* quoque *de connexione quarumdam lectionum*, ostendens aliter in quibusdam Ecclesiis legi
« quam in sacra historia continentur : de quibus unum quod subditur exemplum, [illegible]at. Legitur in Qua-
« dragesima lectio quædam de libro Esther, et ita in quibusdam Lectionariis incipit lectio libri Esther :
« *oravit Esther ad Dominum dicens : Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.* Quam
« orationem ipse illic ex auctore sacræ historiæ probat non fecisse Esther, sed fecisse Mardochæum, et
« ideo non esse legendum : *oravit Esther*, sed legendum esse : *oravit Mardochæus.* Et multa similia ibidem
« asserit.

« *Librum* etiam non minimum fecit *de miraculis S. Mariæ Dei Genitricis*, quæ eadem inviolata Virgo
« temporibus ejus gessit in Dolensi templo, quæ ipse mox postquam gesta erant, sicut audiebat ab ipsis, in
« quibus fiebant, et a monacho custode monasterii, sine aliqua dilatione scribebat.

« Demum, quamvis propinquum finis sui terminum paulatim vigore deficiente sensisset, tamen sine
« consueto scribendi opere esse non poterat, et rogatus a nonnullis, ut, qui omnes Scripturas super cun-
« ctos memoriter retinebat, *de Cœna S. Cypriani Cæcilii Carthaginensis episcopi* fere de omnibus libris
« canonicis aggregata, quæ, quid intimaret, eatenus apud nos incognitum erat, edoceret, ipse, quid de ea
« sentiret, acquievit rogantibus dicens, dum scriberet, se fortassis cum ista præsentem vitam finire. Et
« quia prior liber Expositionum suarum de dictis SS. Patrum, Dionysii videlicet Areopagitæ, exstiterat,
« de eorumdem SS. Patrum dictis iste posterior esset. Sicque contigit. Namque cum eamdem Cœnam
« usque ad illum locum exposuisset, quo dicitur : *confundebatur Elisabeth, stupebat Maria, videbat de facto*
« *Sara :* quo loco videlicet apud nos terminabatur, arbitraretur autem de ea non nimiam abesse partem,
« tam ipse quam domnus abbas Girbertus, qui hoc ei tanquam monacho et filio suo mandaverat, eamque,
« quæ deerat, partem ab abbate S. Savini, qui se eam habere dicebat et mittendam eis promiserat, exspe-
« ctabant. Multa siquidem in ea vel dempturus fortasse vel additurus illam, sicut erat, in abolitione reli-
« quit.

« Et cum tempus Quadragesimæ in maxima mentis, et majore corporis, quam nuper fuerat, virtute, in
« multa abstinentia multisque quotidianis virgarum verberibus, devotis atque assiduis orationibus, et in
« quotidiana sacrosancti sacramenti corporis et sanguinis Domini reverenda celebratione, cum alacritate
« et gaudio sancti Spiritus consummasset, in die sanctæ Cœnæ Domini nos dulcifluo Verbi Dei pane in ca-
« pitulo refecisset, in die sanctæ Paschæ missæ hebdomadarius fuit, et sermonem in capitulo fecit. Se-
« cunda feria missam in conventu cantavit, et postmodum debilitate correptus, quarta feria inunctus est,
« sed tunc communicari non potuit, quod ipse postea aliquantulum convalescens divina providentia acci-
« disse asseruit dicens, non Dominum ad se, sed se ad Dominum venire debere, et sic sequenti, quam
« præcedenti die non audierat, ipsiusque diei missam audivit, et confessus prius sacrosancta mysteria
« corporis et sanguinis Domini in tutelam exituræ in proximum animæ devotissime accepit, sicque per
« totam hebdomadam, cum missam quotidie audisset, quam nullo modo omittere volebat, et domnum
« abbatem, qui tunc forte deerat, antequam recederet, multum videre vellet, postquam venit, ab eo visi-
« tatus atque absolutus, inter manus ipsius, cui se accusabat, cœpit acri quidem sed brevissimo dolore
« fatigari usque ad mortem, Dominica in Octavis Paschæ transiens ex hac vita, et scandens, ut credimus,
« ad siderea regna.

« Ne vero longius protrahatur epistola, de omni tempore vitæ ejus breviter dixerimus, in diebus no-
« stris majoris abstinentiæ, pudicitiæ mundioris, sanioris consilii, humilitatis altioris, taciturnitatis ma-
« gis assiduæ, locutionis plus circumspectæ prorsusque a vanitate alienæ, purioris vel amplius Catholicæ
« doctrinæ, inque universa morum honestate præclariorem nullum nos cognovisse. Hæc scribimus vobis,
« quoniam frater erat, ut de tanto fratre gaudeatis, et quod ei promiseratis, devote persolvatis, in regno
« Dei ad quod eum evolasse confidimus, ei consociari sperantes. Valete. »

Hactenus epistola funebris monachorum Dolensium de vita, moribus et doctrina Hervei. Juvat nunc in catalogum operum, ab iisdem, ut vidimus, contextum, nonnulla observare. Porro ex omnibus hic recensitis Hervei operibus nullum adhuc prelo subjectum fuit, nisi commentarius in Epistolas Pauli, quem

Digitized by Google

tanquam γνήσιον S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, sanctissimi pariter ac eruditissimi viri opus *venerandus et generosus dominus Renatus Castenus a situ et squalore vindicavit* et primus in folio edidit Coloniæ ex officina Eucharii Cervicorni, anno 1533, cum præfatione Godefridi Hittorpii Coloniensis civis. Eumdem deinde diligentius et auctius in lucem dedit sub ejusdem S. Anselmi nomine Joannes Picardus, canonicus regularis Sancti Victoris Parisiensis, tomo II Operum S. Anselmi, quæ Coloniæ ex officina Cholin. anno 1612, in folio, emerserunt. Sed eum non Anselmi, sed Hervei Dolensis genuinum esse fetum nunc viri eruditi omnes agnoscunt. Vide de hoc plura apud Labbeum tom. I Dissert. ad Script. eccles.; Bellar., Casimirum Oudinum in Supplem., pag. 395; Guillielmum Cave in Hist. litter. ad annum 1130, aliosque recentiores bibliothecarios passim. Atque hæc ipsa causa est quod hi Commentarii in novissima et accuratissima Operum S. Anselmi editione, quam eruditissimus Gabriel Gerberon e congregatione S. Mauri Lutetiæ Parisiorum anno 1675 procuravit, prætermissa, et ne quidem inter spuria Cantuariensis archiepiscopi opera recusa fuerint.

Alterum opus Hervei, quod deinceps editis accensebitur, est amplissimus *Commentarius in Isaiam*, in *libros octo* divisus, qui totam primam hujus nostri voluminis partem absumit. Ad eum accurate ac emendate edendum duobus codicibus mss. membraneis in folio bonæ notæ usi sumus. Primum nobis suppeditavit bibliotheca celeberrimi Austriæ monasterii S. Crucis ord. Cisterc., studia nostra strenue ibidem curante A. R. et cl. Danielc, viro præstante, cui etiam brevi plura debebunt eruditi. Is codex sexcentorum annorum est. Alterum nobis e bibliotheca inclyti monasterii Garstensis prope Stiram, nobilem *superioris* Austriæ urbem, ordinis nostri, misit A. R. P. Petrus Oberhueber, ibidem subprior, amicus, et nostrorum studiorum fautor acerrimus. Nec hic ætate multum Sancto Crucensi cedit. Ex utroque textum restituimus, variantibus lectionibus, etsi perpaucis, in marginem conjectis. Exstat et tertium quoddam manu exaratum hujus operis exemplum in bibliothecæ Campililiensis codice membraneo in folio, quingentorum annorum, quod sine dubio illud ipsum est quod in catalogo quodam a quadringentis annis Campililii confecto sub nomine *Curveii super Isaiam* laudatur. Postremo ideo Hervei opus *ad Joannem abbatem Dolensem* in bibliotheca Claromontana Parisiis ms. asservari ex Labbeo fidem facit Caveus, cui addendus Oudinus, qui id etiam in Bibliotheca Longipontis ord. Cisterciensis in episcopatu Suessionensi haberi affirmat. Cæterum luculenti et Hervei charactere ac ingenio, quod Dolenses monachi supra depinxerunt, plenissimi hujus commentarii editionem respublica litteraria acceptam referat R. P. Godefrido Depischio, sodali et contubernali nostro, qui pertinaci sane ac improbo labore id integrum ex laudatis codicibus exscripsit et singulari quadam industria et diligentia prelo paravit. Nec is defugeret laborem etiam reliqua Herveana opera eruendi, modo codices quibus ea contineri viri docti scribunt, ad nos mitterentur.

Oudinus in Supplem., pag. 395, testatur vidisse se Hervei *Postillas breves in Deuteronomium ms.* apud S. Germanum Parisiensem. Clarissimus S. Edmundus Martene in Itinere suo Litterario, Gallice edito, part. I, pag. 57, scribit, in Monasterio S. Mariani Antissiodorensis, ord. Præmonstratensis, reperisse se *Commentaria Hervei in minores prophetas*. Sed ab his locis majori intervallo disjuncti sumus, quam ut inde quidquam exspectemus. Cætera autem Hervei opera, an et ubi hodieque supersint, hactenus ne fama quidem comperimus.

NOTITIA ALTERA.

(*Histoire littéraire de la France par des religieux bénédictins*, t. XII, p. 344).

Hervé naquit au Mans, et non en Bretagne (1), comme l'a cru Genébrard (2); ni dans le Limousin, comme l'assure le P. le Long (3). Un esprit vif, pénétrant, et un grand amour pour l'étude furent les premiers traits qui se développèrent en lui, et ceux qui le caractérisèrent durant tout le cours de sa vie. Après d'heureux essais de ses talents, il entra dans l'abbaye du Bourg-Dieu, ou Bourg-Déols, en Berry, vers l'an 1100. Cette époque a pour garant la lettre circulaire sur sa mort, où il est dit qu'il finit ses jours dans sa cinquantième année de religion, sous l'abbé Gilbert; ce qui revient, selon le P. Pagi, à l'an 1149 (n. 4), ou selon les auteurs du nouveau *Gallia Christiana* (t. II, p. 151), à l'an 1150. Depuis son entrée dans le cloître, Hervé n'étudia plus que les livres saints, et ce qui pouvait lui en faciliter l'intelligence, c'est-à-dire les interprètes sacrés, surtout saint Ambroise, saint Jérôme, saint Augustin et saint Grégoire. Il passait tout

(1) Fabr. *Bibl.*, t. III.
(2) Ad. an. 1110.
(3) *Bibl. Sacr.*, t. II, p. 773.

Digitized by Google

l'intervalle des exercices réguliers dans cette occupation, sans que rien fût capable de l'en distraire : *Nec quolibet impedimento ab inquisitione veritatis avelli potuit.* Le riche fonds de savoir qu'il acquit par là le mit en état d'entreprendre des ouvrages considérables sur l'Ecriture, qui lui firent une grande réputation. Ses travaux littéraires étaient ennoblis par les motifs les plus purs du christianisme, et la piété allait de pair chez lui avec l'érudition. C'est le témoignage que lui rendent les auteurs de la lettre circulaire déjà citée. Sa mort arriva le dimanche de l'octave de Pâques, à la suite d'un redoublement de jeûnes, de veilles et d'autres austérités dans lesquelles il avait passé le carême pour se préparer à ce moment terrible, dont, il y a lieu de croire, qu'il avait quelque pressentiment. Le jeudi saint précédent, il avait prêché dans le chapitre, et, le jour de Pâques, il avait encore eu la force de célébrer la grand'messe, et de faire une exhortation à la communauté.

La lettre circulaire des religieux du Bourg-Dieu fait honneur à Hervé des ouvrages suivants : une explication du livre de la *Hiérarchie céleste*, attribué à saint Denys; des commentaires sur toute la prophétie d'Isaïe, sur les Lamentations de Jérémie, sur la dernière partie du prophète Ezéchiel, c'est-à-dire, sur tout ce qui n'avait pas été expliqué par saint Grégoire le Grand; d'autres commentaires sur le Deutéronome, sur l'Ecclésiaste, sur les livres des Juges, de Ruth et de Tobie; une exposition des Epîtres de saint Paul, qui fut regardée comme son chef-d'œuvre, et lui mérita la réputation du premier homme de son siècle pour l'intelligence des livres saints; des commentaires sur les douze petits prophètes, avec plusieurs explications des leçons des saints Evangiles et des cantiques qui se chantent à l'église.

Hervé fit encore une espèce de concorde, ou plutôt une critique des différences qui se rencontrent dans plusieurs passages de l'Ecriture, dont les leçons variaient en diverses églises, où quelquefois on avait altéré le texte sacré. Par exemple, il faisait voir qu'au lieu de lire : *Oravit Esther ad Dominum, dicens : Domine Deus Rex omnipotens*, comme portaient certains Lectionnaires, il fallait lire : *Oravit Mardochæus.* Ce Livre avait pour titre : *De connexione quarumdam lectionum.* Mais ce titre ne serait-il pas lui-même corrompu, et ne faudrait-il pas plutôt lire, *de correctione?*

Il composa de plus un recueil de miracles que Dieu opérait de son temps dans l'église du Bourg-Dieu par l'intercession de la sainte Vierge.

Enfin, touchant au terme de sa carrière, il fut engagé, par son abbé Gilbert, et par quelques-uns de ses confrères, à commenter un ouvrage sur la Cène, attribué à saint Cyprien. Mais la mort ne lui permit pas d'achever cette tâche.

Tels sont les écrits d'Hervé, que nous plaçons dans le rang que les auteurs de la lettre circulaire leur ont donné. Il est à présumer qu'ils ont suivi l'ordre chronologique.

On peut regarder comme perdu le commentaire sur les livres attribués à saint Denys.

Son commentaire sur Isaïe a vu le jour par les soins de dom Bernard Pez, qui lui a donné place dans le III[e] volume de ses Anecdotes (p. 776 et seqq.); mais il y manque l'épître dédicatoire qui se trouve, suivant dom Liron, dans les manuscrits de France (4). Il est partagé en huit livres, ornés d'une préface adressée à Jean, son abbé. Nous n'examinerons point si c'est Jean I[er] qui gouverna depuis 1103 jusqu'en 1138, ou Jean II, son successeur; cette question, non moins obscure que frivole, ne mérite pas qu'on se mette en frais pour l'éclaircir. On remarque dans ce commentaire une grande lecture des Pères dont l'auteur a, pour ainsi dire, exprimé le suc dans ses explications. Il parle de la grâce en vrai disciple de saint Augustin, et de l'Eglise comme un homme fort attaché à son unité. Souvent son zèle éclate en plaintes contre les pasteurs de son temps, qu'il peint sous des couleurs qui ne relèvent ni leur savoir ni leur vertu. A l'occasion des derniers temps, il dit qu'Elie viendra pour réformer les abus qu'on voit se multiplier, chaque jour, parmi les Chrétiens; que comme l'Eglise a eu les apôtres dans sa naissance, elle aura, vers sa fin, Elie, Enoch et d'autres excellents docteurs qui ne seront point inférieurs aux hommes apostoliques. Hervé regarde comme un point de foi que la persécution de l'Antechrist ne durera que trois ans et demi; mais il ne pense pas que sa mort doive être immédiatement suivie du jugement dernier.

Le moine Alberic fait un grand éloge de cet ouvrage (5); mais il se trompe sur le nom de l'auteur. *Magister Henricus*, dit-il (il devait dire *Herveus*) *degens in Bituria, de nigro ordine monachus, nobile opus in Isaiam et multa alia edidit.*

Le commmentaire d'Hervé sur les Epîtres de saint Paul fut livré au public, mais sous le nom de saint Anselme, par René de Chataigner, à Paris, l'an 1533, en un volume in-folio, chez Poncet le Preux. La même erreur d'attribution a été copiée dans les deux nouvelles éditions qui en furent faites, l'une à Venise, in 4°, l'an 1547; l'autre à Paris, in-folio, l'an 1549, chez les frères Marnefs; et enfin dans plusieurs recueils des Œuvres de saint Anselme, où cette production se trouve, à commencer par celui que publia Melchior Hittorpius à Cologne, l'an 1533, chez Euchaire Cervicorne. Sixte de Sienne (6) observa le premier que les anciens exemplaires manuscrits de ce commentaire portaient le nom du moine Hervé. D'après cette remarque, Francois Ribera, jésuite, commença à douter, au rapport de Corneille la Pierre, qu'il fût émané de l'archevêque de Cantorbéri. Bellarmin (7) ensuite a décidé nettement qu'il ne lui appartenait point. Mais, pour n'avoir pas consulté les anciens manuscrits, il est tombé dans une autre méprise en adjugeant cette production à Hervé Nedellec, général des Dominicains, mort en 1323. Son autorité a fait illusion sur ce point à d'autres critiques. Enfin le P. Labbe ayant découvert la source de l'erreur, tous les savants se sont réunis à lui pour restituer ce commentaire à notre auteur.

Les explications de quelques évangiles de l'année ont eu longtemps la même destinée que le Commentaire sur saint Paul, c'est-à-dire, qu'elles ont passé pour être de saint Anselme. On les voit parmi les Œuvres véritables dans toutes les anciennes éditions, sans excepter celle du P. Théophile Raynaud (8), avec ce titre : *Divi Anselmi in aliquot Evangelia enarrationes.*

Les autres écrits d'Hervé sont demeurés dans l'obscurité. Plusieurs bibliothèques en conservent des exemplaires. Dom Rivet avait vu dans celle de Clairvaux l'explication de la dernière vision d'Ezéchiel,

(4) *Singularités historiques*, t. III, p. 40.
(5) *Chron.* ad an. 1156, p. 328.
(6) *Bibl.* l. IV, p. 223.
(7) *Script.*, p. 289.
(8) Exstant etiam in editione Gerberonii quam Patrologiæ tomo CLVIII recudimus, sed sub titulo : *Homiliæ et exhortationes.* Vide Censuram Operum S. Anselmi Cantuariensis eidem tomo præfixam, col. 26.

Digitized by Google

dans un beau manuscrit in-fol. du XIIe siècle avec ce titre : *Liber quem Herveus composuit super ultimam visionem Ezechielis prophetæ.* Il y avait pareillement vu le commentaire sur le Deutéronome, qui commence en cette sorte : *Addabarim, id est Deuteronomium liber iste vocatur.* Le même ouvrage se rencontre à Saint-Germain des Prés, sous le titre de *Courtes postilles sur le Deutéronome.*

Les notes d'Hervé sur le livre des Juges, sur celui de Ruth, sur les douze petits prophètes, sur les Lamentations de Jérémie et sur l'Ecclésiastique, font partie des manuscrits de l'abbaye de Vauluisant au diocèse de Sens. Il s'en trouve aussi des portions dans celle de Pontigni.

A la cathédrale de Tours, un manuscrit de cinq cents ans renferme, à la suite des lettres de saint Cyprien, le commentaire d'Hervé sur le sermon de la Cène attribué à ce Père (9). C'est le dernier fruit, mais non pas le meilleur, de la plume de notre auteur : ce commentaire se ressent et des défauts du texte, et de l'état de langueur où Hervé le composa. La mort, comme on l'a dit, le surprit dans ce travail, et ne lui permit pas d'y mettre la dernière main. Le même ouvrage est encore à Clairvaux, précédé des notes de notre auteur sur les cantiques d'Anne et d'Habacuc.

A ces productions littéraires d'Hervé, détaillées dans la lettre circulaire dont on a parlé, dom Gerberon (10) ajoute un commentaire sur saint Matthieu, un autre sur le Cantique des cantiques, et un troisième sur l'Apocalypse. Ce savant homme s'était même proposé de les donner au public avec tous les autres écrits d'Hervé sur les livres saints. Nous ignorons sur quel fondement il attribue ces trois derniers à notre auteur. Pour nous, il nous paraît certain qu'ils appartiennent à Anselme de Laon, et nous en avons donné la preuve dans le dixième volume de cette Histoire (11).

Enfin, pour ne rien omettre de ce qui concerne les écrits de notre auteur, nous observerons que la lettre circulaire qui doit servir de règle pour les discerner a été imprimée trois fois, savoir, dans le deuxième tome du Spicilége, dans le deuxième volume des Anecdotes de D. Pez, et dans le sixième volume des Annales Bénédictines.

(9) « On peut remarquer à cette occasion, dit dom Liron (*Sing. Hist.*, t. III, p. 38), le peu de critique de ce temps-là; car c'est un ouvrage pitoyable que ce sermon attribué à saint Cyprien. Il était déjà ancien du temps d'Hervé; car j'apprends qu'un certain Maur (copiste) l'a dédié autrefois à Lothaire, roi de France, mort l'an 986. »

(10) Ansel. Opp. præf.

(11) Vide Patrologiæ tom. CLXII in Anselmo Laudunensi.

VEN. HERVEI

BURGIDOLENSIS MONACHI

COMMENTARIORUM IN ISAIAM

LIBRI OCTO.

(Ruit ex ms. cod. inclyti monasterii S. Crucis ord. Cisterc. in Austria, collato cum cod. inclyti monasterii Garstensis prope Styram ord. S. Bened., R. P. Godefridus Depisch Benenedictinus Mellicensis; edidit R. P. Bernardus Pezius, *Thesauri Anecdot.* t. III, parte I, p. 2. Augustæ Vindelicorum et Græcii, sumptibus fratrum Veith, anno 1721, fol.)

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

VERS 1. — « Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam et Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda. »

Subintelligitur in primis *Hæc est*, ut ita integer sit sensus : Hæc est visio Isaiæ filii Amos. Usus vero propheticæ locutionis est, ut prius personam, regnum vel urbem ac tempus describat, et postmodum dicere mysteria prophetiæ incipiat, quatenus ad veritatem solidius ostendendam, ante historiæ radicem figat, et post fructus Spiritus per signa et allegorias proferat. Isaias igitur primo personam suam declarat dicens : *Visio Isaiæ.* Qui ut bene personam indicet, etiam genus narrat, cum subjicit : A *Filii Amos.* Regnum quippe, de quo principaliter est locuturus, urbemque denuntiat, dicens : *Quam vidit super Judam et Jerusalem.* Tempus etiam describit, adjungens : *In diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda.*

Nec movere nos debet quod non ait : visio mea, sed *visio Isaiæ.* Mos enim sacræ Scripturæ est, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur ostendentes quia non ipsi loquuntur, sed Spiritus sanctus. Hinc est enim quod Moyses ait : « Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra (*Num.* XII, 3). » Qui enim non ait : Eram, sed *erat*, profecto aperte indicat quia is qui per illum de illo loquebatur, alius erat.

Digitized by Google

Hinc et Joannes ait : « Discipulus ille, quem diligebat Jesus (*Joan.* XIII, 23). » Scriptores igitur sacri eloquii, quia impulsu sancti Spiritus aguntur, sic de se in illo testimonium tanquam de aliis proferunt. Sanctus ergo Spiritus per Moysen locutus est de Moyse; Spiritus sanctus per Joannem locutus est de Joanne; Spiritus sanctus per Isaiam locutus est de Isaia. Bene itaque vir Deo plenus ait : *Visio Isaiæ*, et non visio mea; quia per hoc quod repletus Spiritu sancto super se trahitur, quasi extra semetipsum fit, et de se quasi de alio sententiam profert, etiam in hoc devitans ne jactanter loqui videatur. *Qui visionem hanc vidit super Judam et Jerusalem.* Quia, licet de duodecim tribubus prophetaverit, specialiter tamen de tribu Juda et urbe regali, in qua templum erat, vaticinatus est.

Sed quærendum nobis est cur exorsus sit, dicens : *Visio Isaiæ, filii Amos*, nec subjungere videatur quid viderit, aut indicare quæ sit ista visio.

Ad quod respondendum, quia triâ sunt genera visionum, id est corporale, spiritale atque intellectuale. Ecce enim in hoc uno præcepto cum legitur : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Matth.* V, 43), » tria occurrunt genera visionum : unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur, alterum per spiritum hominis, quo proximus et absens cogitatur, tertium per contuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur. In his tribus generibus illud primum manifestum est hominibus. In hoc enim videtur cœlum et terra, et omnia quæ in eis conspicua sunt oculis nostris.

Nec illud alterum, quo absentia corpora cogitantur, insinuare difficile est. Ipsum enim cœlum et terram, et quæ in eis videre possumus, etiam in eis constituti cogitamus, ubi nihil videntes oculis corporeis, animo tamen corporales imagines intuemur seu veras, sicut ipsa corpora vidimus, et memoria retinemus, seu fictas, sicut cogitatio formare potuerit. Aliter enim cogitat quis Romam, quam vidit, aliter Jerusalem, quam non vidit.

Tertium vero illud, quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non imagines habent sui similes, quæ non sunt, quod ipsæ. Nam homo quidem vel arbor, aut sol, aut quæcunque alia corporea sive cœlestia sive terrestria et præsentia videntur in suis formis, et absentia cogitantur imaginibus animo impressis, et faciunt duo genera visionum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur. Dilectio autem nunquid aliter videtur præsens in specie, qua est, et aliter absens in aliqua imagine sibi simili? Non utique. Sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur. Si autem aliquid imaginis corporalis cogitatur, non ipsa dilectio cernitur. Neque enim imaginaliter, sed proprie videtur, et non per corpus, sed in mente ab omni vitiorum labe mundata, ejus denique dilectionis gratia repleta.

Hæc sunt tria genera visionum. Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur et corporis sensibus exhibetur. Secundum autem spiritale. Quidquid enim corpus non est, sed tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur. Et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus, quo cernitur. Tertium vero intellectuale ab intellectu dicimus. Præstantior est autem visio spiritalis, qua similitudines corporum spiritu non mente cernuntur, quam corporalis, qua per oculos corporis ipsa corpora videntur. Et rursum ambabus præstantior intellectualis, quia mente pura videntur divina non per aliquam spiritaliter vel corporaliter figuratam significationem, sed puro et acuto intellectu mentis.

Ex his itaque tribus visionum generibus secundum et tertium in visione Isaiæ invenitur. Est enim intellectualis visio ejus, et nonnunquam etiam spiritalis. In spiritu quippe formatis imaginibus vidit « Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, » atque « seraphim » stantes in circuitu ejus (*Isa.* VI, 1); sed mentis acumine, quæ viderat, intellexit quod prophetarum mentibus est proprium. Nam signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrantur in spiritu; sed accedit mentis officium, ut etiam intelligantur. Spiritus enim hominis vocatur vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines imprimuntur, sed vivacitate mentis non intelliguntur. Quod autem non imaginaliter sed proprie videtur, et non per corpus, hoc sola mente cernitur sicut justitia, veritas et sapientia et hujusmodi cætera. Itaque visio Isaiæ est intellectualis, et aliquoties fortasse spiritalis simul et intellectualis. Nam, ea quæ in hoc volumine descripta sunt, *visionem* suam appellat. Patet igitur causa, cur præmittat, dicens : *Visio Isaiæ, filii Amos*, et nihil de corporea visione subjungat; quoniam cœlestis oraculi sententiæ quas explicat, ipsa est visio intellectualis quam narrat. Nam propter hujusmodi visiones prophetæ vocabantur videntes, id est intelligentes. Visionem ergo suam narrare inchoans ait :

VERS. 2. — « Audite cœli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est : Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. »

Omnes, qui prædicationis officium in Synagoga tenuerunt, *cœli* recte vocati sunt, quia nimirum sapere superna credebantur. *Terra* vero plebs Judæorum appellata est. Unde et Moyses cum sacerdotes et populum ad verba suæ admonitionis excitaret, dixit : « Audite, cœli, quæ loquor (*Deut.* XXXII, 1), » etc. Cœlos videlicet ordines præpositorum appellans, terram vero subditam plebem : eadem ratione cœlos et terram nunc Isaias affatur. Sed cœlos jubet audire, terram vero auribus percipere. Auditus enim in Scripturis sanctis non est iste, qui in aure sonat, sed qui corde percipitur. Unde Dominus : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XI, 15). » Audit enim, qui verba veritatis in aure cordis intel-

Digitized by Google

ligendo suscipit; auribus vero percipit, qui sonum verborum auribus corporeis audiens interiorem sensum eorum minime capit. Et quia sacerdotum atque doctorum est intelligere mystica, populi vero nudam historiæ superficiem auditu corporis haurire, ideo cœli jubentur audire et auribus terra percipere. Et hoc in omnibus Scripturis notandum quoties hæc duo verba junguntur. Audire ergo cœli monentur et auribus terræ percipere, quia Deus conquestus sit, dicens : *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et quos nunc appellat *filios* nisi Judæos de quibus ait Moyses : « Vidit Dominus, et ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui et filiæ (*Deut.* XXXII, 19), » quos enutrivit manna pascens in deserto quadraginta annis, et exaltavit eos in terra, quam patribus eorum promiserat, sicut et Paulus ait : « Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit ? (*Act.* XIII, 17) » *ipsi autem spreverunt* eum, quia legem ejus projecerunt atque dæmonibus immolaverunt et novissime filium ejus unicum dehonestaverunt. Unde et subditur :

VERS. 3. — « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit, populus meus non intellexit. »

Quis enim *bos* nisi Judaicus populus exstitit, cujus cervicem jugum legis attrivit ? Et quis *asinus* nisi gentilitas fuit, quam quilibet seductor, qui reperit, quasi brutum animal et nulla ratione renitens, quo voluit, errore substravit? *Bos possessorem, et asinus præsepe domini cognovit;* quia et Hebraicus populus Deum, quem colebat, sed ignorabat, reperit; et gentilitas legis pabulum, quod non habebat, accepit. *Præsepe* enim hoc loco sacra Scriptura non inconvenienter intelligitur, in qua verbi pabulo animalia sancta satiantur, de quibus per Psalmistam dicitur : « Animalia tua habitabunt in ea (*Psal.* LXVII, 11). »

Hinc etiam natus Dominus a pastoribus in præsepi repertus est (*Luc.* II, 16); quia ejus incarnatio in ea, qua nos reficiunt prophetæ, Scriptura recognoscitur. Bos itaque idem Hebræorum populus jugo legis edomitus cognovit possessorum suum, id est Christum in carne præsentem, et asinus, id est gentilis populus, qui voluptatibus deditus erat, et (12) gravius brutus agnovit præsepe Domini sui, id est Scripturam Dei, in qua pabulum vitæ perciperet. *Israel autem,* id est pars illa Judaici populi, quæ in infidelitate maluit persistere, *non cognovit* eumdem possessorem suum. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Et qui peculiaris *populus* Dei erat, *non intellexit* majestatem in carne latentem. Debuisset enim præ omnibus eum intelligere, quia cæteris eum agnoscentibus iste solus amisso cordis lumine non intellexit occultum Dei adventum.

Nec prætereundum, quia ejusdem Salvatoris adventum magnus Isaias non solum voce et persona, sed et nomine suo prophetat. *Isaias* quippe *salus Domini* Christus est, de quo idem Dominus promiserat : « Juxta est salus mea, ut veniat (*Isa.* LVI, 1). » Pater autem Isaiæ vocatus est Amos. Amos vero *robustus* vel *potens* dicitur. Et quis robustus et potens nisi Pater Domini nostri Jesu Christi ? Rursus Amos interpretatur *populum avellens.* Et Deus Pater populum Judæorum avulsit de terra sua propter necem Salvatoris, captivumque per omnes gentes dispersit. *Isaias* itaque *filius Amos* Unigenitum summi Patris designat. Sed Isaias *visionem vidit super Judam et Jerusalem.* Et super nos Christus visionem vidit, id est nostram salutem prævidit, et gratiæ suæ illustratione respexit, cum pro discipulis orans subjungeret : « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me (*Joan.* XVII, 20). » Judas namque *confitens* vel *confessio* interpretatur. Et Dominus super Judam visionem videbat, cum diceret : « Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur eum coram angelis Dei (*Luc.* XII, 8). » Jerusalem vero dicitur *visio pacis.* Et Dominus visionem super Jerusalem intuebatur, quando dicebat : Quia « multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11). » Et : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Ibi namque erit perfecta, ac perpetua pacis visio, cum ipsum pacis fontem sine fine viderimus.

Vidit autem hanc visionem *in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ, regum Juda.* Nam hi quatuor reges quatuor evangelistas non incongrue designant, de quibus Joannes ait : « Animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti (*Apoc.* IV, 7). » Ozias enim qui *robustus Domini* dicitur, intelligi mystice potest animal simile leoni. Joathan vero, qui *consummatus* interpretatur, animal simile vitulo; quia vitulus consummari solebat in Dei sacrificio. Achaz autem, qui in lingua nostra *continentem* sonat, animal habens faciem quasi hominis; quia hominis est, ut sit continens et castus. Ezechias vero, qui dicitur *apprehendens Dominum,* animal simile aquilæ volanti; quia quartus evangelista quasi apprehendit Dominum, dum incomprehensibilis divinitatis ejus arcana profundius rimatur, sicut et aquila sublimius cæteris omnibus avibus volare consuevit, et in reverberatis obtutibus radios solis respicere. Quæ scilicet animalia, id est sancti evangelistæ non immerito reges Juda vocantur, quia per eos usque in finem mundi sancta Ecclesia regitur.

In quorum diebus Isaias, id est Salvator noster, visionem super Judam et Jerusalem, ut dictum est, videt; quia in terris corporaliter conversans oculos misericordiæ suæ super omnes qui erant credituri,

(12) Ita diserte ambo codices.

Digitized by Google

levavit. Cujus visio panditur in hoc prophetæ libro, quia quidquid ipse fidelibus Novi Testamenti facere disposuit, iste liber satis prædixit. Omnia enim evangelicæ gratiæ mysteria in hoc volumine prænuntiata (13) leguntur. Isaias autem sicut persona et nomine suo typum Salvatoris gessit, ita prædicatione sua eum præfiguravit. Unde mox idem Salvator per eum aperire visionem suam incipiens subdit: « Audite, cœli, quæ loquar, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. »

Visionem quippe narrat, dum ea, quæ apud Patrem vidit vel audivit, loquitur. Et quia de cœlestibus ad ima pro nobis descendit, descensionem hanc in primordio suæ locutionis ostendit. Qui enim ab initio docet in excelsis angelos, ipse nunc in terram homines docere venit: et ideo pulchre cœpit: « Audite, cœli, et auribus percipe terra. » Quid enim cœlorum nomine, nisi ii qui in cœlestibus sunt conditi, spiritus angelici designantur? Et quid appellatione terræ nisi humana natura exprimitur, quæ de terra est? Unde et in oratione nostra dicere voce ejusdem Salvatoris instruimur: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra (*Matth.* VI, 10); » ut nimirum voluntas Dei sicut a superiore natura agitur, ita in hominibus, et ab humana infirmitate servetur.

Possunt etiam mentes electorum nominum per cœlos exprimi a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ, quæ quamvis corpore degant in infimis, tamen jam corde inhærent supremis, veraciter dicentes: « Quoniam conversatio nostra in cœlis est (*Philip.* III, 20). Per terram vero peccatores designari possunt, quia peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). » Vel certe non peccatores et reprobi, sed ii qui terrenis actibus occupati, eleemosynarum et lacrymarum ope ad æternam vitam perveniunt. Itaque vel angelica (14) et humana natura, vel justi et peccatores, vel contemplativi et activi per cœlum et terram exprimuntur. Et hi omnes audire querimoniam jubentur, quam super ingratis filiis Deus facit, ut omnis rationalis creatura testis existat pravitatis eorum. Ait enim: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Et quos appellat filios, nisi quos per aquam et Spiritum Ecclesia gignit? Quos ipse enutrit in fide atque doctrina cœlesti, et exaltat, ut, « quæ sursum sunt » quærant, « non quæ super terram (*Coloss.* III. 1). » — « Conresuscitavit enim, et consedere facit nos in cœlestibus in Christo Jesu (*Ephes.* II, 6). » Sed nos post tanta beneficia, proh dolor! spernimus eum, quia prædicatorum ejus verba contemnimus, quibus ait unigenitus ejus: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui me misit (*Luc.* X, 16). » Ergo carnales isti, qui nomine Christiano censentur, sed prælatos Ecclesiæ magis dehonestare quærunt, quam eis obedire, ipsi sunt ingrati filii, de quibus conquestus est Dominus, quod ab eis spretus sit. De quibus et hoc, quod subditur, apte potest intelligi.

Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem non cognovit me, populus meus non intellexit; quia quem Hebraicus et gentilis populus Deum cito cognovit, et ad ejus gratiam a pristino ritu facile convolavit, hunc populus iste falsorum Christianorum, qui cum lacte carnis ab uberibus sanctæ Ecclesiæ nutritus est et ex parentibus Christianis ortus, cognoscere non valuit. Nam « qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (*I Joan.* II, 4). » Et: « Qui non diligit, non novit Deum: quia Deus charitas est (*I Joan.* IV, 8). » Hæc igitur hominum multitudo, quæ fidem sine charitate et bonis operibus habet, nequaquam Deum videt (15), sed tamen vocatur Israel, id est *videns Deum;* quia quem dilectione et bonis operibus nescit, hunc fide in aliquo cernit. Ubi et apte seu prophetica seu Dominica voce subjungitur:

VERS. 4. — « Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. »

Væ perpetuum dolorem et gemitum (16) designat et amaritudinem æterni supplicii. Quamvis autem inter peccatum et iniquitatem nihil distare perhibeat dicens: « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et iniquitas peccatum est (*I Joan.* III, 4), » ipso tamen usu loquendi plus iniquitas quam peccatum sonat, et omnis homo se libere fatetur peccatorem; iniquum autem dicere nonnunquam erubescit. Nequitia vero dicitur ab eo quod est nequicquam, quia per eam quisque tendit ad non esse. Scelus autem et pondus peccati transit, quia sceleratos vocare solemus homicidas et hujusmodi criminosos. Et quolibet quidem peccato Deum quisque offendit, cui peccatum omne displicet; iniquitate autem, ut magni ponderis arcina gravatur. Nequitia vero deficit, atque a vero Dei esse longe fit, atque ab æterno amore tepescens, in appetitu temporalium exardescit; scelere autem exercet crudelitatem. Talibus ergo culpis implicato Judæorum vel Christianorum populo debitum *væ* perpetui cruciatus et amaritudinis æternæ promittitur. Unde et subditur:

« Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. » *Dereliquerunt Dominum* Judæi, sicut per Jeremiam dictum est eis: « Omnes dereliquistis me, dicit Dominus (*Jerem.* II, 29). » Sanctus Israel Christus est, cui canebatur a turbis: « Hosanna! benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel! (*Joan.* XII, 13). » Ipse enim Sanctus sanctorum naturaliter est, « quem Pater sanctificavit et misit in mundum

(13) Cod. Cruc., *pronuntiata.*
(14) Cod. Cruc., *itaque angelica et human.*
(15) Codic. Garst., *nequaquam Dominum cognovit.*
(16) Codic. Garst., *vel gemitum.*

Digitized by Google

(*Joan.* x, 36). » Quem Judæi *blasphemaverunt* dicentes: « Dæmonium habet, et insanit (*ibid.*). » Nam blasphemia est, per quam de ipso Deo falsa dicuntur. Qui et *abalienati sunt* a Deo *retrorsum*, sicut ei tandem pœnitentes dicunt: « Facti sumus sicut in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur (17) nomen tuum super nos (*Isa.* LXIII, 19). »

Sed et multi, qui Christiana professione censentur, derelinquunt Dominum, qui relictis cœlestibus terrena quærunt. Deserto enim Creatoris amore creaturam *diligunt*, desertis supernis gaudiis in *infirmis rebus gaudent*, et omissis cœlestibus, terrenum est omne quod sitiunt. De iis ergo vere dici poterit, quia *dereliquerunt Dominum*. Qui et *blasphemaverunt Sanctum Israel;* quia de Deo multa loquuntur inepta, et frequenter judicia ejus audent reprehendere, et multa dicunt non bene ordinata ab eo *non recte fieri*. Atque retrorsum abalienantur; *quoniam* ad pristinas iniquitates suas revertuntur, et a Deo sunt alieni (18), quibus esset « melius non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato (*II Petr.* II, 21), » quos increpat, cum subjungit:

VERS. 5. — « Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem? »

Super quo, id est de quo peccato, jam *ultra percutiam vos*, inquit, id est de qua culpa vos emendare verberibus tentabo, qui non de verbere proficitis, sed culpas amplius multiplicatis, et prævaricationes prævaricationibus additis? Prævaricationes quippe *addit quisquis*, dum de culpa sua corripitur, murmurat, vel qui mala, quæ pro correctione sustinet, non deserit vel vitia, pro quibus correptus est, sed magis impatientiæ se facibus inflammat. Unde et sequitur:

« Omne caput languidum, et omne cor mœrens. » *Caput* namque interioris hominis mens est. Differt autem mens a corde; quia quædam superior vis animæ vocatur mens, ubi ratio consistit, et veritas cernitur. *Cor* autem quodammodo carnale est; quia ibi proprie humana voluntas et affectio locum habet. *Caput* ergo prævaricatorum *languidum* est; quia mens eorum, qui illicita voluntarie committunt, infirmatur languore peccati. Et ubi caput languidum est, efficitur *cor mœrens;* quia, si mens sanitatem amiserit et ab intentione cœlestium desiderium per desidiam et acediam languere cœperit, confestim cor ex his, quæ pro sua correptione patitur, fit mœrens ac triste, et contra flagella murmurans. Neque enim cor in adversis mœrere potest, nisi mens languida fuerit, sed magis cum Paulo gloriabitur in tribulationibus. Sed horum, de quibus sermo est, infirmato capite universos artus languor invasit; quia mente eorum morbo peccati debilitata omnia actionum membra infirmantur eodem spirituali morbo. Nam sequitur:

VERS. 6. — « A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. »

Et quid per *plantam* nisi extrema quæque, et minima actio designatur? Quid vero per *verticem*, nisi fidei sublimitas exprimitur? Unde et per Jeremiam tali animæ dicitur: « Filii quoque Mempheos et Thaneos [*al.*, Taphnes] constupraverunt te usque ad verticem (*Jerem.* II, 16). » Usque ad verticem quippe constuprari est post malæ operationis usum jam in ipsa etiam fidei sublimitate corrumpi. Cum enim nequissimi spiritus uniuscujusque animam in pravis operibus involvunt, sed integritatem fidei vitiare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluunt, sed ad verticem non pertingunt. Quisquis autem in fide corrumpitur, jam usque ad verticem constupratur. Malignus enim spiritus quasi ab inferioribus membris usque ad summum pertingit, quando activam vitam polluens, castam celsitudinem fidei diffidentiæ morbo corrumpit. Apte igitur de unoquoque talium dicitur, quoniam a *planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. Quia peccati languor omnia occupavit ab extrema ejus actione usque ad summam fidei celsitudinem. His enim, qui moribus insequuntur, quod credulitate venerantur, divino judicio sæpe contingit, ut per hoc, quod nequiter vivunt, et illud perdant, quod salubriter credunt. Incessanter namque se pravis actionibus inquinant, et super hoc vindictam judicii retribui posse diffidunt. Et sæpe, dum bene vivere intelligunt, etiam nullo persequente usque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum judicium non credunt, qui inulte se peccare suspicantur, quo pacto vel esse vel dici fideles possunt? Fidem quippe perdidisse est, incorrectis malis operibus digna supplicia reddi posse non credere. Sed et Judæorum populus, dum digna fidei opera facere contemneret, fidem perdidit, quia cæcatus malitia sua Redemptorem, quem venturum crediderat, venisse non credidit. Itaque vel de Judæorum vel de pseudo-Christianorum populo, sive de unoquoque eorum convenienter accipitur dictum: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*. Nam serpens antiquus lethale virus suum per omnes artus actionum ejus diffundit, a minimis ejus inchoans, et usque ad summa paulatim perveniens. Sed tantus languor ex eo irremediabiliter convalescit, quod ei non est adhibita medicina. Sequitur enim:

« Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. » Aut hiant, inquit, vulneribus corpora, aut livent verberibus, aut tument plagis. Quid autem nomine vulneris intelligi debet nisi plaga luxuriæ, de qua scriptum est: « Convulneravit lumbos meos? (*Job* XVI, 14.) »—« Multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique dejecti sunt ab ea, » sicut Salomon

(17) Codic. Garst., *ne invoc.*

(18) Codic. Garst., *fiunt alieni.*

Digitized by Google

ait (*Prov.* VII, 26.) Quid vero livoris appellatione designatur nisi invidia, quæ mentem facit lividam, dum de alienis bonis torquetur intrinsecus? Et quæ est *plaga tumens* nisi ægritudo superbiæ, quæ mentem sauciam reddit et turgidam? referamus singula singulis, ut dicamus, quia *vulnus non est* circumligatum, neque livor *curatus* medicamine, nec plaga tumens fota oleo.

Vulnus autem circumligatur, cum luxuria, quæ et conscientiam, et carnem vulnerat, per continentiam coarctatur, sicut præcepit Dominus : « Sint lumbi vestri præcincti (*Luc.* XII, 35). » Quo contra iste propheta ei qui castitatem amisit, improperat : « Non est cingulum ultra tibi (*Isa.* XXIII, 10). » Livor vero tabescentis invidiæ curatur medicamento benevolentiæ, cum Paulus dicit : « Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia; estote autem in vicem benigni, misericordes (*Eph.* IV, 31, 32). » Atque *tumens plaga* superbiæ fovetur oleo, ut sanitatem recipiat, id est suavi blandimento sacræ admonitionis, cum Dominus demulcet dicens : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* I, 29). » Sed Judæorum vel multitudinis hujus carnalium Christianorum *vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo*, quia nullus in Synagoga, et rarissimus valde jam in Ecclesia præpositus invenitur, qui salutem animarum gregis sibi commissi quærat, et vulneribus mentium adhibere spiritalia medicamina studeat. Sacerdotes enim ut spiritales medici deberent subjectis suis undique prohibendo et constringendo circumligare vulnus fornicationis ac medicamine Scripturarum curare livorem invidiæ, et eos, qui inflati sensu carnis suæ tumentem superbiæ, vel inanis gloriæ plagam sub pectore portant, fovere oleo, id est dulci et gratiosa monitione, quæ demulcet mentem et ungit, non quia superbus, cum opportunum fuerit, dura increpatione feriendus non sit, sed quia elatus ille, qui aliter tangi non potest, blanditiis sacræ admonitionis quasi quibusdam præcantationibus sit mitigandus, ut humilitatis mansuetudine sanetur.

Quod si verba singula, quemadmodum ostensum est, reddita singulis non fuerint, et aliquis fortasse quid aliud nomine vulneris et livoris ac plagæ tumentis intellexerit, quodlibet peccati vulnus primo circumligatum est inhibendo atque coercendo; deinde curandum acri medicamento pœnitentiæ, et, cum se in pœnitentia peccator afflixerit, fovendus est, ne desperet, oleo piæ consolationis. Unde et Samaritanus, id est Dominus Jesus saucium curaturus, id est genus humanum, « alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum (*Luc.* X, 35). » Alligavit enim vulnera prohibendo peccata; infudit vinum mordacitatis terrendo de pœna futuræ damnationis peccantium. Adhuc autem pravorum mala describuntur, cum subditur :

A

B

C

D

VERS. 7. — « Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni. »

Et quid per terram nisi caro designatur, quæ de terra facta est? Unde et in psalmo canitur, quia « Veritas de terra orta est (*Psal.* LXXXIV, 12), » id est Christus de virgine natus est. Terra vero corporis nostri sacrarum disciplinarum exercitio debet excoli, ut fructum bonorum operum proferat, omniaque ejus membra divinis actibus mancipari debent, et conditoris imperio deservire. Quod si hæc nobis defuerint, tunc et nobis dici poterit : *Terra vestra deserta.* Eorum quippe terra est deserta, quorum disciplinis et actionibus sacris caro non est occupata.

Quid autem per hujus terræ civitates nisi sensus corporis exprimuntur, id est visus, auditus, gustus, odoratus et tactus? Unde et fideli servo Dominus ait : « Tu esto supra quinque civitates (*Luc.* XIX, 19). » Civitates ergo succenduntur igni, quando flamma vitiorum exurit quinque sensus corporis, quando mulierum formas oculi libenter contemplantur et aures libidinosa verba delectabiliter audiunt, os gustus illicitos avide sumit, nares odoribus pascuntur illicitis, manus ea tangere delectantur, quæ ad peccatum pertinent. Quorum enim sensus ita sunt concupiscentiarum ardore inflammati, horum profecto civitates succensæ sunt igni. Quibus adhuc deteriora monstrantur accidere, cum subjungitur :

« Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. » Quid enim regionis nomine nisi latitudo conversationis eorum exprimitur, de cujusmodi regionibus dictum est apostolis : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albæ sunt jam ad messem, et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam? (*Joan.* IV, 35, 36) » Alieni vero sunt maligni spiritus ab electorum sorte in perpetuum alienati. Horum ergo regionem coram eis alieni devorant; quia maligni spiritus conversationem eorum jam ex integro diripiunt, non jam latenter insidiando nescientibus. Vim quippe nonnullis scientibus faciunt, quia sæpe sic bona opera tollunt, ut hæc se amittere ipse, qui vim patitur, dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, et tamen delectationibus carnis superatus, bona quæ fecerat, amans perdit; ea, quæ sustinet damna, considerat et tamen violentiæ dæmonum bona sua diripientium resistere non valet. Aliis vero, non necesse est, ut vim inferant, quia paratos ad obsequium voluntatis suæ semper eos inveniunt. Itaque regionem istorum coram eis alieni devorant, quia immundi spiritus omnia bona conversationis eorum videntibus ipsis comedunt.

Et desolabitur ipsa regio conversationis eorum sicut in vastitate hostili; quia super eam hostis antiquus cum omni exercitu vitiorum irruit, ut quidquid in ea superest viride aut fertile, quidquid pulchrum aut utile, quidquid justum et bonum, barbarica crudelitate destruat et dissipet. Sequitur :

VERS. 8. — « Et derelinquetur filia Sion ut um-

Digitized by Google

braculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur. »

Quia Sion *speculatio* dicitur, *filia Sion* est anima, quæ solebat in alto residere velut in specula, et adventus tentationum sollicita circumspectione prævidens refellere. Sic enim vigilabat, ac sibi prævidebat, dum Christum habitatorem haberet, qui eas mentes, quas inhabitat, vigilare facit, et ad suimet custodiam sollicitas esse. Nunc vero relinquenda dicitur *ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario*. In umbraculo quippe vineæ custos manet, qui eam diu noctuque custodiat, et eo recedente umbraculum remanet vacuum. Similiter et hæc filia Sion custodem in se Deum habuit habitatorem, dum actiones ejus, quæ per vineam intelligi possunt, bonis fructibus abundarent. Sed quia nunc regionem conversationis ejus alieni devorant, et fructum justitiæ jam in actionibus suis habere desistit, relinquitur a Deo, sicut umbraculum vineæ deseritur a custode. « Spiritus sanctus enim disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate (*Sap.* I, 5). » Et *relinquetur sicut tugurium in cucumerario*; quia quemadmodum custos deserit mane tugurium, ubi cucumeres ex hortulo defecerint; ita Deus istam relinquet, quia jam in ejus vita et moribus dulcedines spiritualium fructuum velut cucumeres deficiunt.

Relinquetur etiam *ut civitas, quæ vastatur*. Quia sicut ex urbe, quam hostes capiunt, habitatores ejus, qui possunt evadere, fugiunt, et eam inimicis sine contradictione delendam relinquunt; ita Pater et Filius, et Spiritus sanctus exeunt de hac anima, *quam hostis* antiquus ingreditur, et ipsam dæmonibus prædandam atque delendam relinquunt. Talia sustinet unaquæque anima, quæ per socordiam suam a malignis spiritibus invaditur, et a Christo deseritur. Ubi et vox eorum, qui talia passi sunt, protinus subditur dicens:

VERS. 9.— « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus (19). »

Omnes enim Sodomitæ et Gomorrhæi « peccatores et pessimi erant nimis (*Gen.* XIII, 13), » unde et perire pariter meruerunt. Si igitur essent in hac carnalium multitudine soli peccatores reprobi, quos gehennæ devoraturum est incendium, tunc plebs ista foret *quasi Sodoma, et Gomorrha*. Sed ne Sodomæ et Gomorrhæ ex toto similis fiat, relinquitur ei semen; quia ex multitudine malorum nascuntur aliqui boni, qui ad præbendum sanctitatis exemplum reserventur. Ne ergo tota simul religio in hac plebe sicut apud Sodomitas pereat, et sola regnet iniquitas, relinquitur semen, quod salvetur; quia licet multitudo reproborum semper in hoc sæculo nimis abundet, et maxime circa mundi finem (20), nequaquam tamen electi omnes ita subtrahuntur, ut sollummodo perversi remaneant sicut in Sodomis, sed omni tempore justi relinquuntur, qui cæteris exempla bonitatis ostendant.

Deum vero *Dominum exercituum* appellat; quia ipse judicium omne per angelos exercet in homines, et ejus imperio non solum bonorum angelorum exercitus, qui intueantur electos, ac subliment, famulantur, sed etiam malorum, qui impœnitentes, ac reprobos decipiant et aggravent. Hæc autem de nequitiis eorum, qui cœlestia quærere desistentes a bonis operibus deficiunt, et propter vitam præsentem sola, quæ mundi sunt, sectantes innumeris peccatis implicantur, propheta disseruit. Multa enim in prioribus voluminis hujus partibus de illis, qui posteriora respiciunt, et retro convertuntur, dicit.

Historialiter autem ab eo quod dictum est: *Terra vestra deserta*, usque ad illud quod dicit: *Sicut civitas quæ vastatur*, prænuntiatum est excidium patriæ Judæorum, quod Romani perpetraverunt, quando facta est per Vespasianum *terra* eorum *deserta, urbesque succensæ, et regio tota coram eis ab exercitu alienigenarum devorata*, quando obsidente et capiente filio ejus Tito Jerusalem, relicta est *sicut tugurium in cucumerario, et sicut urbs, quæ vastatur*. Et *nisi Dominus exercituum reliquisset eis semen, quasi Sodoma vel Gomorrha fuissent*; quia nisi Christus apostolos, et qui per verbum eorum crediderunt, ibi reliquisset a Passione ejus, illic solummodo reprobi sicut in Sodomis remansissent. Sed quia perversitas eorum adeo crevit, ut de finibus suis omnes credentes expellerent, subjungens propheta sic eos alloquitur:

VERS. 10. — « Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. »

Merito enim sacerdotes atque pharisæi et scribæ *principes Sodomorum* vocati sunt, atque Synagoga *populus Gomorrhæ*. Quia sicut Sodomitæ « vallaverunt domum sancti Lot a puero usque ad senem omnis populus simul (*Gen.* XIX, 4), » et ut ipsi delerentur de terra, Lot justus cum uxore et filiabus de medio eorum eductus est; sic et omnes isti primitivam Ecclesiam unanimi conspiratione invaserunt, et ut ipsi qui perirent, soli remanerent, Christum a se cum suis omnibus migrare fecerunt. Et quia se ista quasi zelo legis facere cæci putabant, recte ad audiendam legem invitantur. De Christo enim dixerat legislator: « Quoniam prophetam » vobis « suscitabit Dominus Deus vester de fratribus » vestris, « tanquam meipsum, audietis juxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis (*Deut.* XVIII, 15). » Et iste, quem legislator in omnibus audiendum præceperat ait: « Lex et prophetæ usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizatur (*Luc.* XVI, 16). » Bene igitur audire verbum Domini, et legem auribus percipere jubentur, ac de lege quasi transgressores arguuntur, qui legem adhuc carnaliter

(19) Cod. G., *semen, quasi Sodoma et Gomorrha fuissemus.*

(20) Cod. G., *mundi terminum.*

Digitized by Google

observare volebant; quam Ille terminatam esse docet, quem Moyses audiendum esse docet, juxta omnia, quæcunque locutus fuerit. Unde mox universa, quæ secundum legem offerri celebrari solebant, Dominus respuens subdit :

Vers. 11. — « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum, » etc.

Quo defertis, inquit, *mihi multitudinem* carnalium *victimarum vestrarum?* Non indigeo vestris muneribus, quia *plenus sum* bonis omnibus. Reliqua vero, quæ nunc de reprobatione talium oblationum et solemnitatum subjiciuntur, quia sunt manifesta, secundum litteram exponere superfluum ducimus. Fuerunt enim hæc sacrificia tempore suo quondam necessaria propter rationem propheticorum sacramentorum, quæ continebant. Sed ex quo Lex et Prophetæ prophetare desierunt, et quæ prophetata fuerant, apparuerunt; nihil jam utilitatis conferunt, sed magis Deum ad iracundiam provocant, et idcirco respuuntur, quia veniente sole effugatur umbra. His igitur omissis ad spiritalem intelligentiam revertamur. Ait enim :

Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Et quos nunc principes Sodomorum et populum Gomorrhæ nominet, manifestum est ex superioribus; eos nimirum, de quibus supra dixit : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* Et : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas,* et cætera, quæ ibi locutus est. Jure enim, qui tales sunt, tam abhorrendo censentur vocabulo; quia omnem amiserunt sanctitatem, et omnibus nequitiis sunt repleti, atque suis iniquitatibus privatim et publice dediti. Sed audire verbum Domini et auribus percipere legem ejus præcipiuntur, ut ibi se cum omnibus, quæ agunt, damnatos noverint. Non enim ad illos ista dicuntur, qui Deum penitus ignorant, sed ad eos potius, qui « confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati; et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi (*Tit.* I, 16). »

Fit tamen plerumque, ut hujusmodi homines jejuniis vacent, et pluribus modis seipsos affligant. Sed quoniam inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia, nihilque simplici corde faciunt, omnes abstinentiæ vel afflictiones eorum, et opera Deo placere nequeunt. Unde per increpationem subditur : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Plenus sum.* Multitudinem victimarum mactant, qui carnem multipliciter edomant. Sed ubi in corde crimina regnant, vel etiam aliquoties in actibus, non potest exteriorem honestatem approbare internus Judex mentium, et inspector occultorum actuum. Non enim externæ conversationis munera suscipit, quando corda reprobat, nec opera, quæ foris ostentantur, laudat, quando ea, quæ in absconditis fuerint, damnat; et qui bonis suis plenus est, exteriori datione non pascitur. Qui et subjungit :

« Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui. » Holocaustum in lingua nostra *totum incensum* sonat; Holon quippe *totum* dicitur, caustis *incensio;* inde compositis partibus holocaustum dicitur, id est *totum incensum.* Holocaustum igitur offert, qui se totum igne compunctionis in oratione succendit. Sed *holocausta arietum* Deus noluit. Arietes quippe gregibus principantur. Et quid nunc per arietes nisi illi figurantur, qui inter innocentes, ac simplices velut inter oves positi se ipsos meliores æstimant eis, ac præferunt, et quasi dominationem inter eos vindicare sibi cupiunt? Quorum nimis perversus est conatus; quia dum se cæteris meliores ostendere, vel præferre quærunt, illum imitantur, qui socialem angelorum vitam despiciens, cunctis sublimior fieri per superbiam voluit dicens : « Super astra Dei exaltabo solium meum (*Isa.* XIV, 13). » id est super angelos.

Respuuntur itaque *holocausta arietum;* quia non suscipiuntur orationes superborum, quando se totos aliquoties igne compunctionis ad horam incendunt. Nam ut oratio divinitus suscipiatur, necesse est, ipsam ex humilitatis radice consurgere, et cor in humilitate deinceps perseverare. Possunt autem et principes hæreticorum per arietes intelligi, qui, si ista, quæ diximus, holocausta obtulerint, non suscipiuntur. Neque enim solummodo de malis catholicis nunc agitur, sed etiam de nonnullis hæreticis.

Quid vero per *adipem pinguium* nisi lacrymæ exprimuntur orantium? Qui enim in precibus suis non flet, macram victimam offert; qui autem in oratione lacrymis infunditur, victimam pinguem immolat. Et sunt apud hæreticos nonnulli velut religiosiores, qui precibus et lacrymis occupari videntur. Sed eorum fletus et supplicationes Dominus se nequaquam approbare designat, dum *adipem pinguium* se noluisse testatur. Qui et *sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum* noluit. Solebat autem sanguis victimarum semper offerri Domino; nam carnes earum comedebantur. Et cum per *sanguinem* peccatum intelligi soleat, quid per effusionem sanguinis, qui offerebatur, nisi peccati confessio designatur? In *vitulis* autem superbos sæculi potentes, humilium oppressores, et noxia libertate dimissos sibi accipere possumus, quia Chaldæis Jeremias ait : « Exsultatis, et magna loquimini diripientes hæreditatem meam, quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, et mugitis [mugistis] sicut tauri (*Jer.* L, 11). » In *agnis* vero lascivos; quia Salomon de meretrice locutus subjecit de libidinoso dicens : « Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens (*Prov.* VII, 22). » In *hircis* autem quoslibet peccatores; quia Judex « statuet oves quidem a dextris tuis, hædos autem a sinistris (*Matth.* XXIX, 33). » Sanguinem igitur vitulorum, et agnorum, et

Digitized by Google

hircorum notuit Deus; quia confessio eorum nunquam illi placuit, qui noxia libertate dissoluti sunt ut vituli depascentes aliorum bona, et qui lasciviam sequuntur ut agni, cæterorumque peccantium, qui per hircos significantur. Quoniam sic peccata sua confiteri solent, ut non penitus ea relinquere velint, sed ad tempus intermittere, et post repetere, aut etiam quædam adhuc in corde suo retineant, et quædam confiteantur, vel aliquo errore mens eorum captiva tenetur. Unde cum ad Ecclesiam hæc et hujusmodi sacrificia detulerint, sicut subjungitur, dicit eis Dominus :

VERS. 12. — « Cum veniretis ante conspectum *meum, quis* quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis? »

Dictum est enim superius de hoc populo, quia *a planta pedis usque ad verticem*, id est a minima et extrema actione usque ad fidei celsitudinem *non est in eo sanitas ;* et ideo ista nunc convenienter intelliguntur ad eos dici, qui infirmas actiones faciunt, et sanam fidem non habent, id est ad sectatores hæreseos Simonis, qui ordinationes, et ecclesias, cæteraque sacra vendunt vel emunt, aut mercatoribus hujusmodi consentiunt. Nam, cum in Ecclesiam emptitiam convenerint, et oblationes suas obtulerint, dicit eis, ut præmissum est, Dominus : *Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?* Neque enim Deus ista de manibus eorum quærit unquam, aut suscipit. « Sine fide enim impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI, 6). » Unde et subdit :

VERS. 13. — « Ne afferatis ultra sacrificium (21) frustra. »

Ultra, id est postquam per simoniacam hæresim locum hunc cepistis, nolite jam in eo sacrificium offerre, quia profanatus est. Vel *ultra*, id est postquam infecti estis venenis Simonis, *ne afferatis sacrificium*, quia non suscipiam illud de manibus vestris amplius, quoniam reprobi sacerdotio semper habemini. Sequitur :

« Incensum abominatio est mihi. » Incensum, quod a talibus offertur in hujusmodi loco detestatur Dominus. Similiter et omnes solemnitates eorum se exsecrari demonstrat, subjungens : « Neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. »

VERS. 14. — « Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. »

Quid enim per *Neomeniam*, et *Sabbatum*, et *Kalendas* ac *solemnitates* exprimitur, nisi omne quo ab istis festive celebratur? Faciant ergo Simoniaci vel alii hæretici quamlibet magnas et frequentes solemnitates (22), Deo absque dubio nimis sunt odibiles. *Iniqui sunt* enim *cœtus* eorum in festivitatibus suis congregatorum, quia omnes infecti sunt veneno hæreticæ impietatis, et ideo quidquid faciunt, abominatur Dominus.

Possumus autem hæc ad malos catholicos referre. Incensi enim nomine virtus orationis exprimitur, dicente Psalmista : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL, 2). » Orationem ergo iniquorum repellens Dominus ait : *incensum abominatio est mihi.* Nam juxta Salomonem : « Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). »

Neomenia vero Græcum est vocabulum; et νέον *Neon* quidem dicitur *novum*, μήνη *meni* autem *luna*. Inde composito nomine vocatur *Neomenia*, festivitas *novæ Lunæ*, quam Hebræi (23) celebrant in exordio mensium. *Neomenia* itaque *nova Luna* interpretatur. Et quid est nova luna, nisi nova vita? Et sunt nonnulli, qui ad vocem prædicationis quasi ex conversatione compuncti habitum, non animum mutant, ita ut religiosam vestem sumant, sed ante acta vitia non calcent, de ostensis quibusdam bonis ante humanos oculos superbiunt, præsentis mundi lucra inhianter quærentes, et de solo exterius habitu, quem sumpserunt, sanctitatis fiduciam habentes. Horum ergo neomenia, id est fictio novæ conversationis onerosa est Deo.

Per *Sabbatum* autem quid intelligi debet nisi cessatio malorum operum? (*Exod.* XXXI, 15.) In Sabbato enim ab exteriori actione jussum est cessari. Sed qui foris a perverso opere quiescit, et intus pravis desideriis laborat, hujus Sabbatum grave est Deo. *Festivitatem* quoque agit, qui corde exsultante Deum laudat. Sed festivitas laudationis ejus, de quo scriptum est : « Confitebitur tibi, cum benefeceris ei (*Psal.* XLVIII, 19), » grata Deo non est; quia in prosperis laudat, et in adversis murmurat, et magis eum ob præsentia bona quam ob futura diligit. Bene itaque his, qui sub ostentatione justitiæ vitiis suis deserviunt, « habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (*II Tim.* III, 5). » Dominus dicit. Quia *neomeniam et Sabbatum, et festivitates alias non feram, kalendas quoque et solemnitates eorum odivit anima ejus*, id est voluntas illius. Vel, cum sit Deus cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior, ea ipsa vis ejus, qua omnia penetrat, omnia disponit, anima illius appellatur.

Hoc autem inter kalendas et neomeniam distingui potest, ut neomenia sit nova conversatio, kalendæ vero exordium est. Sed cum dicit : « Kalendas vestras odivit anima mea, » exsecratur eorum exordia, qui sic ad fidem convertuntur ut Simon ille Magus (*Act.* VIII), vel sic ad cœnobialem vitam convertuntur ut Ananias et uxor ejus, qui de pretio agri sui fraudem fecerunt (*Act.* V). Eorum detestatur exordia, qui Monachiam vel canoniam (24) sive ordinationem mercantur. Eorum damnat exordia, qui non intentione Deo placendi, sed ob aliud

(21) Cod. G., *sacrificia*.
(22) Codd., *solemnitates, quia Deo*, etc.
(23) Cod. G., *Judæi*.
(24) Cod. G., *canonicam*.

Digitized by Google

aliquid veniunt ad monasticum ordinem. Omnes denique redarguit, qui bonum opus non bona intentione inchoant. Horum igitur omnium atque similium exsecratur mala initia, cum se kalendas eorum odisse denuntiat.

Nec solum talium kalendas eorum exordiorum abominatur, sed et solemnitates sequentium cogitationum, quibus se taliter incœpisse lætantur, vel illud quod ita cœperunt, gaudent retinere, et in eodem malo perseverare. Quo contra de pœnitente dicitur ei : « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt tibi (25) (*Psalm.* LXXV, 11). » Prima igitur cogitatio pœnitentis est, quæ damnat vitam priorem, et incipit confiteri ; reliquiæ vero cogitationis sunt, quæ et solemnia Deo celebrant, ut, qui liberatus est, a peccatis, liberatori semper gratias agat, memor malorum, a quibus liberatus est. Sicut ergo prima cogitatio confitentis Deo grata est, et reliquiæ cogitationis solemnia gratiarum pro sua ereptione celebrantis ; ita kalendæ mali exordii istorum et solemnitates sequentium in eadem intentione cogitationum odibiles ei sunt.

Qui et se laborasse denuntiat, quia duras istorum pravitates jam tempore multo portavit. In se quidem quietus semper et incommutabilis permanet ; sed tamen se, sicut dictum est, laborasse dicit quoniam duras iniquitates eorum diu jam cum tædio sustinuit. Qui etiam prolixas orationes nonnunquam faciunt, sed a pravitatibus suis non corriguntur. Unde subditur :

VERS. 15. — « Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis ; et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. »

Consuetudo namque orantibus est, ut in altum manus extendant. Sed Deus extensionem manuum iniquorum non dignatur aspicere, orationem quoque eorum, licet multiplicatam exaudire recusat. Non enim propter prolixitatem, sed propter puram devotionem exaudit orationem. Unde suis in Evangelio præcipit : « Orantes, nolite multum loqui sicut ethnici ; putant enim quod in multiloquio suo exaudiuntur. Nolite ergo eis assimilari (*Matth.* VI, 7). » Frustra igitur oratio multiplicatur a pravis hominibus ; quia non sermo oris, sed affectus cordis pensatur a Domino, et vita eorum obsistit, ne preces exaudiantur. Nam *manus* eorum *plenæ sunt sanguine*, opera eorum preces a Domino respuuntur, et manus actionum eorum plenæ sunt sanguine mortis animarum, quas interficiunt. Quibus hucusque in ira sua Deus locutus est, sed hinc secundum misericordiam loqui inchoat, dicens :

VERS. 16. — « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. »

Lavamini per pœnitentiam ; *mundi estote* per continuam observationem munditiæ. Nam lavatur et mundus est, qui et præterita peccata plangit, et plangenda non admittit ; lavatur autem, et non est mundus, qui plangit, quod gessit, nec deserit, et post lacrymas hæc, quæ fleverat, repetit. Post lavacrum namque mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur itaque, et nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursum flenda committunt.

Malum quoque perversarum *cogitationum* auferri debet *ab oculis ejus*, ut non solum in actione, sed in corde purissimus sit in conspectu ejus. « Occultas, inquit Gregorius (*Moral.* lib. XXV, c. 5), mentis nostræ vias nullus hominum videt ; et tamen ante Dei oculos tot gressus ponimus, quot affectus movemus. Toties ante illum labimur, quoties a recto itinere infirmæ cogitationis pede claudicamus. Nisi enim in conspectu ejus iste assiduus nostrarum mentium lapsus increscceret, minime clamaret : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Hæc nimirum dicens vim coopertæ malitiæ nostræ quasi ferre se non posse testatur, quæ operta illi esse non potest, quia videlicet importune conspectui ejus ingeritur, quidquid a nobis illicitum occulte cogitatur. » Adhuc vero quid agendum sit, Dominus insinuat subdendo : « Quiescite agere perverse. »

VERS. 17. — « Discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. »

VERS. 18. — « Et venite, et arguite me, dicit Dominus. »

Quiescite jam, inquit, a perversis actibus, et ex doctrina veritatis *discite benefacere*. *Quærite judicium* a sapientibus, ne, si judicium inter dissidentes factum non fuerit, prævaleat iniquus adversus justum. Et misericorditer *subvenite oppresso*, ac *judicate pupillo*, id est causam ejus in judicio defendite. *Et* cum hæc feceritis, *venite et arguite me*. Quem arguimus, rationis auctoritate contraimus. Et quid est, quod Dominus agere sancta nos jubet, adjungens (26) : *Venite et arguite me*, nisi quod aperte insinuat, quantam bonis actibus fiduciam præstat? Ac si aperte dicat : Recte agite, et animadversionis meæ motibus non jam per deprecationis gemitum, sed per fiduciam auctoritatis obviate. Hinc etenim Joannes dicit : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (*I Joan.* III, 21). » Hinc est quod arguentem se Dominus habuisse conqueritur, cum per prophetam dicit : « Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, propterea [*Vulg.*, pro terra] ne dissiparem eam et non inveni (*Ezech.* XXII, 30). » Deum itaque arguere est iræ ejus fiducialiter obviare, et impetum animadversionis ejus retinere. Qui adhuc indicat, quid illi

(25) Alias, *diem festum agent tibi*.

(26) Cod. G., *admonens subjungit*.

Digitized by Google

per misericordiam consequantur, qui prædicta pietatis opera fecerint, dicens ad illos :

« Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra, quasi vermiculus, quasi lana alba erunt. » Idem vero *coccinum* est sive coccus, quod *vermiculus*. David autem, cum de perpetratione incestus et homicidii pœnitentiam ageret, dixit : « Libera me de sanguinibus (*Psal.* L, 16). » Et quemadmodum apud David appellatione sanguinum ingentia peccata signantur, ita nunc apud Isaiam sanguineo colore vermiculi et coccini. *Nix* autem et *alba lana* purgationem peccatorum et candorem justitiæ insinuat. Quia et prædictus Psalmista *tunc ait* : « Lavabis me, et super nivem *dealbabor (ibid.*, 9). » Cum itaque rubra peccata promittit dealbanda, sine dubio ingentes culpas in candorem justitiæ convertendas pollicetur. Sequitur :

VERS. 19. — « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comeditis. »

Si bonam, inquit, voluntatem habueritis *et me* obtemperanter *audieritis*, *bona terræ* illius *comedetis*, de qua dictum est : « Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI, 13). » Cum enim omnia elementa in motu sint, terra vero sola immobilis maneat, et solida, congrue per *terram* designatur soliditas æternæ quietis. Hujus *terræ bona* sunt amœna jucunditas patriæ cœlestis, societas angelorum, præsentia divinæ visionis, et cætera quæ nec « oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis » excogitare potuit, quæ tunc animæ justorum comedunt, cum in his omnibus sine fine delectantur. Deinde subditur contrarium :

VERS. 20. — « Quod si nolueritis, et *me ad iracundiam provocaveritis* gladius devorabit vos. »

Si nolueritis, inquit, bona facere, et non addidit : et iram meam merueritis, sed : *me ad iracundiam provocaveritis*. Iram quippe Dei mereri est etiam nesciendo peccare ; eum vero ad iracundiam provocare est mandatis illius sciendo contraire ; scire bonum, sed despicere, facere posse nec velle. *Gladius* autem vel sententiam judicis, vel cruciatum perpetuæ mortis designat. Nomine enim gladii quidquid occidit, quidquid cruciat, quidquid punit, et quidquid urit, intelligitur. *Gladius* ergo *devorabit* eos, qui Deum ad iracundiam provocant, cum audierint ab illo : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Tunc enim, ut *scriptum est*, « introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii (*Psal.* LXII, X). » Quæ, quia sanctus vir non a semetipso dixit, sed a Deo audivit, congrue subjungit : « Quia os Domini locutum est. » Os enim *Domini* superna inspiratio est, quæ in mente prophetæ sine verborum sono formavit omnia, quæ foris ipse narravit. Sequitur :

VERS. 21. — « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. »

(27) Alias, *Dominus Deus exerc.*

Jerusalem *civitas fidelis* fuit, dum Christum regem suum in carne venturum fideliter exspectaret. Fuit et *plena judicii*, dum in ea rectum frequentaretur judicium. Sed tunc *facta est meretrix*, quando Regem et Sponsum, quem venturum exspectaverat, venientem suscipere noluit, sed antiquum corruptorem animæ admisit. Respuit enim legitimum virum, et suscepit adulterum.

Justitia quondam *habitavit in ea ; nunc autem homicidæ*, qui et ipsum Salvatorem interfecerunt. Hoc enim de eo temporis spatio dictum est, quod a Passione Domini usque ad destructionem Jerusalem fluxit, ad quam subjungitur :

VERS. 22. — « Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. »

Purgamenta sordesque metallorum vocantur *scoria*, quæ et rubigo potest appellari. *Argentum* vero nitor sacri eloquii est, quoniam « eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* XI, 7). » Et : « Argentum electum lingua justi (*Prov.* X, 20) ; » *scoria* autem traditiones Pharisæorum designat ; *Argentum* ergo Jerusalem *versum est in scoriam ;* quoniam sordida interpretatione Scribarum et Pharisæorum obfuscata sunt apud Judæos eloquia sacra. *Vinum* quoque spiritalis sensus divinæ Scripturæ est, quo mentes audientium inebriantur : *aqua* vero carnalis intelligentia ejusdem Scripturæ, sicut Evangelista designat, ubi Dominum aquam in vinum convertisse refert. (*Joan.* II). *Vinum* ergo Jerusalem *mistum est aqua*, quia sensus Scripturarum apud Judæos emollitus est admistione carnalis intelligentiæ. Sequitur :

VERS. 23. — « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant causa viduæ non ingreditur ad eos. »

Principes tui infideles, quoniam nec Deo nec homini fidem servant. *Socii furum*, quia et consocii sunt et participes furtorum. *Omnes diligunt munera*, quia pleni sunt avaritia. *Sequuntur retributiones*, quia vicem ab eis recipere quærunt, quibus aliquid boni tribuunt. *Pupillo non judicant*, id est partem illius in judicio non sustentant. Et *causa viduæ non ingreditur ad eos*, quia non dignantur eam audire, vel ab injuriis defendere, quoniam non habet munera quæ porrigat. Tales erant principes Synagogæ, quando Salvator in terris corporaliter conversabatur. Sequitur :

VERS. 24. — « Propter hoc ait Dominus (27) exercituum fortis Israel : Heu ! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis. »

Vindicavit se Dominus *de inimicis* suis Judæis per Romanos. Unde et *Dominum exercituum* se dicit, quoniam exercitus Romanorum licet nescientes ei servierunt, dum Judæos ob necem ipsius perimerent et exterminarent. Vindicavit se de eis et postquam occisi sunt, quia pœnis gehennalibus eos tradidit. Et in hac ultione famulati sunt ei exer-

Digitized by Google

citus angelorum. *Fortem* quoque cum senserunt, quem in passione putaverunt infirmum. In quorum ultione se *consolandum* asseruit, quia malis actibus eorum contristabatur. Sed cum dicit : *Heu! consolabor*, ostendit talem se noluisse consolationem. Unde et alibi loquitur : « Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non magis ut convertatur a viis suis et vivat? » (*Ezech.* XVIII, 23.) Invitus enim facit, quando peccatores justo judicio compellit, « qui omnes homines vult salvos fieri (*I Tim.* II, 4). » Deinde quod ad Jerusalem dicit, ad eam solummodo partem Israeliticæ gentis, quæ per novam prædicationem creditura erat, pertinet.

VERS. 25. — « Et convertam, » inquit, « manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. »

VERS. 26. — « Et restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus. Post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis. »

Manum suam quippe convertit ad electam partem, quia relictis infidelibus signa et miracula potenter per eos qui crediderunt, operatus est ad illuminationem cæterorum. « Illi autem profecti prædicaverunt ubique Deo cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI, 20). »

Et excoxit ad purum scoriam eorum, quoniam ablata rubigine veteris intelligentiæ « aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45). » Et abstulit omne stannum eorum, quia ritum judaizandi paulatim ab eis removit. Stannum quippe, quod argenti colorem habet, sed vile metallum est, doctrinam Pharisæorum designat, quæ divinis eloquiis videbatur similis. Stannum erat doctrina eorum, de quibus scriptum est : « Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant dicentes : Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi (*Act.* XV, 5). » Sed hoc stannum abstulit Dominus dicente Petro : « Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? (*Ibid.* 10.) »

Et restituit judices Ecclesiæ, sicut fuerant prius; quia, quæ patriarchas et judices prophetas antiquitus habuerat, nunc vice eorum apostolos et prophetas atque doctores accepit. Unde et alias dictum est ei : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram (*Psal.* XLVI, 17). » Post hæc non jam Synagoga Judæorum, sed civitas justi vocata est, id est Ecclesia Christi, de quo canitur, quia « justus Dominus in omnibus verbis (28) suis (*Psal.* CXLIV, 17). » Qui et fidelis est, quia fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Vel urbs ejus est fidelis, quia fidem integram regio suo servat. Sequitur :

VERS. 27. — « Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia. »

Sion quæ dicitur specula, plebs Judæorum (29) est, quæ Christi præstolabatur adventum. Hanc enim Christus ipse veniens suo sanguine redemit in illo judicio discretionis, de quo dictum est : « Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII, 1). » Vel : « Nunc judicium est mundi, et nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31). » Et postquam redempta est, reduxerunt eam apostoli ad gratiam Redemptoris. Et hoc fecerunt *in justitia*; quia justum erat, ut ea filiis implerentur, quæ fuerant promissa patribus. In hac justitia Petrus eam reducere satagebat, cum diceret : « Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham : Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ : vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque a nequitia sua (*Act.* III, 25, 26). » De illis vero, qui converti noluerunt, subjunctum est :

VERS. 28. — « Et conteret scelestos, et peccatores simul. »

Scelesti namque, id est illi qui Dominum occiderunt, et cæteri peccatores illius populi in obsidione Jerusalem simul contriti sunt pestilentia et fame et gladiis. *Scelestos* enim vocat homicidas. De illis quoque qui relicto quondam templo Domini conversi sunt ad idola, sequitur : « Et qui dereliquerunt Dominum consumentur. »

VERS. 29. — « Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt. »

Nam et hi consumpti sunt gladio Babyloniorum et Assyriorum; et confusi sunt ab idolis suis, cum in tempore necessitatis juvari nequiverunt ab eis. Ad quos versa locutione subditur : « Et erubescetis super hortis, quos elegeratis. »

VERS. 30. — « Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. » Hortos elegerant, ut in eorum amœnitate sacrificarent idolis. Sed super eis tunc erubuerunt, quando facti sunt ut quercus, de qua decidunt folia, et ut hortus, qui non irrigatur aqua. Quercus enim, cum folia deponit, jam nec fructum habet, nec foliorum viriditatem; et hortus sine aqua nihil viride gignit, sed quidquid in eo virebat, marcescit. Sic et isti per Assyrios et Chaldæos omnem venustatem pristini decoris et florem gloriæ, viroremque virtutis atque fructum bonorum suorum perdiderunt, nec ad integrum postea recuperaverunt. Sequitur :

VERS. 31. — « Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat. »

Pugnantibus Chaldæis et obsidentibus Jerusalem, *fortitudo* Judæorum contrita et arida fuit *ut favilla*

(28) Cod. G., *in omnibus viis suis.*

(29) Cod. G. *Hebræorum.*

Digitized by Google

stuparum ; *et opus* rebellionis eorum *sicut* scintilla genuit ignem, quo ipsi cremarentur. Nam si colla sua jugo Chaldæorum subjecissent, non perimerentur. Unde Jeremias : « Qui habitaverit in urbe hac, » inquit, « morietur gladio et fame, et peste : qui autem egressus fuerit, et transfugerit ad Chaldæos, qui obsederunt vos, vivet, et erit ei anima sua quasi spolium (*Jerem.* XXI, 9). » Opus igitur eorum instar scintillæ effecit ignem, qui sicut stupam incenderet fortitudinem eorum ; quia, dum permanerent in Jerusalem, ut se defenderent, sic offenderunt Chaldæos, ut nullam mererentur clementiam. Et in illa tribulatione *succensum est* utrumque simul ; et *fortitudo, et opus* eorum, *nec fuit qui exstingueret* ignem tribulationis illius, sed diutissime permissi sunt in eo decoqui. Adhuc autem ista, quæ discussimus, retractare libet.

« Quomodo, » inquit, « facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. » Civitas fidelis est Ecclesia, quæ *Christo* regi fidem suam servat. Et ipsa est vel fuit plena judicii, omnia recte dijudicans et æqua lance quæque pensans. « Spiritalis enim judicat omnia (*I Cor.* II, 15). » Quæ scilicet Ecclesia non tota quidem facta est, aut fiet unquam meretrix ; sed, quia propinquante mundi termino tanta jam reproborum abundat multitudine, ut vix in ea quisquam justorum appareat, miratur propheta, quomodo tantæ multitudinis sensus corrumpi, et castitatem, quæ in Christo est, amittere potuerit, atque in vocem doloris et admirationis erumpit, dicens : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii?* Meretrix enim facta est multitudo maxima populi hujus, qui *Christianitatis* vocabulum portat ; quia legitimum *virum*, *id* est Christum deserens, fornicatur cum suis amatoribus, dum divinam voluntatem facere respuit, et immundorum spirituum desideriis sese in voluptatibus et peccatis molliter prostituit. Nam et propheta, cur eam dixerit factam meretricem, consequenter insinuat, quoniam *justitia* quondam *habitavit in ea*, dum mandatorum cœlestium observatione plena esset. Nunc autem redundat homicidis, qui alios vel gladio feriunt, vel odio habent. Nam « et omnis qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15), » et omnis homicida sine charitate est. Plebs ergo, quæ justitiam a se expulit, et homicidis plena est, merito dicitur esse facta meretrix ; quia charitatem sponsi, qui Christus est, deseruit, et adulteris, qui sunt dæmones, ardenter adhæsit. Sed et nonnulli sacerdotes, qui ejus mores corrigere deberent, jam simili perversitate sunt depravati, ut et ipsi vitia subjectorum nutriant. Unde sequitur :

« Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. » Plerumque enim doctor qui docere audet, quod negligit agere, cum desierit bona loqui, quæ operari contempsit, docere incipit A subjectos prava quæ agit, ut justo Dei judicio jam non linguam bonam habeat, qui habere bonam actionem recusat, quatenus cum terrenarum rerum amori intenditur, de terrenis rebus semper loquatur, et locum regiminis quasi ad fructum voluptatis teneat, non ad usum laboris. Argentum ergo prædicationis hujus versum est in scoriam sordidæ locutionis ; quia pro cœlestibus terrena, pro spiritalibus carnalia, pro bonis mala loquitur.

Vinum quoque ejus, quo cæteros inebriare posset, *mistum est aqua* ; quia spiritalem sensum Scripturæ sacræ suo sensu emollit, ut delectet potius audientes quam corrigat, nec eos igne charitatis inflammet, sed in suæ sensualitatis (30) frigore torpentes remanere sinat.

B Vel potius plebi dicitur : *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua ;* quia jam raro quisque eloquia divina populo Dei sine admistione loquitur mendaciorum, et eorum quæ ad ædificationem non pertinent. Neque enim student observare moderni prædicatores hoc quod ait Petrus : « Si quis loquitur quasi sermones Dei (*I Petr.* IV, 11). » Et argentum plebis hujus dicitur argentum sacri eloquii, quod ipsa percipit a doctoribus. Hoc quoque quod subditur, evidenter depingit mores eorum, quos nunc potentia sæculari præditos videmus.

« Principes tui infideles, » et cætera. Infideles enim sunt sæculares isti principes ; quia jam fere C nemini fidem servant, sed erga omnes fraudulenter agunt. Sunt et *socii furum*, quos tuentur, et cum eis dividunt, quod illi furantur. « Omnes » non solum accipiunt, sed et « diligunt munera ; quia non amore justitiæ, sed cupiditate pecuniæ consulunt subjectis aut opitulantur. Nam « sequuntur retributiones ; » quia solummodo illis bona faciunt, a quibus retributionem sperant, quod electi transcendere jubentur beneficiis, cum audiunt : « Si bene feceritis iis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia ? Nam et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis iis, a quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia ? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia (*Luc.* VI, 33, 34). » Hoc est sequi retributiones.

D Prædicti vero principes « pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos ; » quia, dum pro muneribus cuncta faciunt, innocentiam pauperum defendere negligunt, in quibus terrena lucra non sperant acquirere. « Propter hoc, ait Dominus exercituum fortis Israel : Heu ! consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis ! » Qui nunc malis actibus istorum irritatur, vindictam sumet de illis, quando de eis vindicabitur. Unde et *Dominus exercituum* appellatur ; quia vindictam per angelos exercet. *Fortis* quoque *Israel* dicitur, quia fortis potentia salvabit humiles, qui nunc affliguntur et damnabit potentes qui (31) eis non auxiliantur.

(30) Cod. G., *insensibilitatis.*

(31) C. Cruc., *potestates, qui.*

Digitized by Google

« Exiguo » enim, ut scriptum est, « concedetur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio (*Sap.* VI, 7, 9). » Hostes et inimici ejus sunt præfati principes propter mala quæ descripsit eos facere, quibus judicium damnationis, ut scriptum est, imminet. Sed hæc mala, quæ depinxit hactenus, et quæ in hoc Christiano populo multiplicari quotidie cernimus, per Eliam corrigentur, ut credimus, quia Salvator in Evangelio dicit : « Elias venturus est, et restituet omnia (*Matth.* XVIII). » Unde et hic subjungit :

« Et convertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriam tuam, » etc. Avertisse enim videtur ab hac plebe, quæ nunc tot mala operatur, manum sanctæ operationis (32) suæ. Sed cum venerit Elias, et restituerit omnia, convertet ad eam rursus manum suam, ut sancta, sicut olim, mirabiliter operetur. Et per Eliam, inquit, *excoquam ad purum scoriam tuam*, id est purgabo rubiginem sæcularis intelligentiæ de Scripturis. Et *auferam omne stagnum tuum*, id est quidquid falsi dogmatis habueris ; *Elias* enim *restituet omnia*.

« Et restituam judices tuos, ut fuerunt prius; et consiliarios tuos sicut antiquitus, » ut quæ in principio apostolos habuisti, in fine similes habeas apostolis Eliam et Henoch, aliosque doctores egregios non inferiores iis qui fuerunt post apostolos. *Post hæc*, id est postquam hos tibi dedero, *vocaberis civitas justi, et urbs fidelis*, quæ nunc autem accusaris facta esse meretrix. Facta est meretrix, sicut diximus, ingens multitudo populi hujus, quia se ipsam diabolo prostituit in voluptatibus. Sed postquam Elias, qui restituet omnia, reduxerit eam ad castum amorem legitimi viri, non jam meretrix vocabitur, sed civitas justi, id est plebs Dei. Et quia deinde veniet dies judicii, congrue subditur :

« Sion in judicio redimetur, » etc. Sion namque, id est Ecclesia justorum redimetur ab iis miseriis in illo judicio, de qua redemptione dicit ipse Salvator? « Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquavit redemptio vestra (*Luc.* XXI, 28). » Et reducent eam angeli in justitia, quoniam « mittet Filius hominis angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis (*Matth.* XXIV, 31), » et tunc conteret simul scelestos, id est interfectores sanctorum et alios peccatores; et qui, ab Antichristo seducti, dereliquerunt Dominum, consumentur æternalibus suppliciis. *Confundentur* enim *ab idolis, quibus sacrificaverunt*. Idolis sacrificasse dicuntur, quia juxta fidem apocalypsis Joannis « adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam et imaginem ejus (*Apoc.* XIII, 4 *et seqq.*) ; » aut habuerunt characterem ejus in dextera manu, et in frontibus suis, aut nomen ejus, aut numerum nominis ejus (*Apoc.* XIV, 9). Talibus idolis sacrificaverunt nequissimas actiones suas, sed ab his confundentur in adventu judicis. Sequitur :

« Erubescetis super hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, et velut hortus absque aqua. » Hortos eligit, quisquis se ex integro transitoriis voluptatibus tradit. Hortos elegerunt, qui sui similibus in libro Sapientiæ dicunt : « Venite, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter, vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis ; coronemus nos rosis, antequam marcescant ; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra ; nemo sit exsors luxuriæ nostræ : ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra (*Sap.* II, 6 *et seqq.*) » Ecce quomodo elegerunt amœnitates hortorum, et quid est hortos eligere? Super his graviter erubescent, quando confusione pleni stabunt ante tribunal æterni Judicis. Tunc namque erunt ut quercus, ex qua defluunt folia ; quia nullum jam præteritæ delectationis fructum habebunt, et omnem prorsus decorem amittentes, nudi remanebunt et aridi, atque ad comburendum idonei.

Erunt et sicut *hortus absque aqua ;* quoniam sol justitiæ, apparens in judicio, terrebit illos, et omnem humorem ac viriditatem eorum exsiccabit ; unde Jacobus : « Exortus est sol, inquit, cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit (*Jacob.* I, 11). » Et addidit : « Ita et dives in itineribus suis marcescit (*ibid.*). » Sequitur :

« Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla, et succendetur utrumque simul, et non erit qui exstinguat. » Iniquorum fortitudo, qui confidunt in virtute sua, et pro vitæ hujus concupiscentiis tot labores fortiter tolerant, erit in resurrectione contrita et arida, et ad concremandum apta ut favilla stupæ. Unde et alias dictum est : « Stupa collecta Synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis (*Eccli.* XXI, 10). » Et opus illorum quasi scintilla erit, quando incipiet eos incendere recordatio malorum, quæ fecerunt, quoniam scriptum est : « Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum (*Sap.* IV, 20). » Nam sicut scintilla nutritur in stupis et incendit eas, sic peccatorum suorum memoria fiet istis inchoatio perpetuæ concremationis ; et postquam audierint : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41), » *succendetur utrumque simul* in gehenna, et ipsi scilicet et opus eorum. « Etenim quod factum est, cum illo qui fecit tormenta, patietur (*Sap.* XIV, 10) ; » sicut vir sapiens loquitur : *Et non erit qui exstinguat :* quoniam « vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Isa.* LXVI, 24). »

(32) Cod. G., *actionis*

Digitized by Google

CAPUT II.

VERS. 1. — « Verbum, quod vidit Isaias, filius Amos, super Judam et Jerusalem. »

Novum orsurus sermonem præmittit novum titulum, ut ea, quæ sequuntur, distinguat a superioribus. Qui se verbum nequaquam audisse dicit, sed vidisse; quia, quando non per subjectam creaturam, sed per semetipsum Dominus loquitur, de verbo ejus sive verbis ac syllabis cor audientis docetur. Deo enim quasi quædam verba nobis dicere est occulta vi ea, quæ agenda sunt, intimare, et cor hominis ignarum non adhibito strepitu æternitatis sermone *doctum* repente de absconditis reddere. *Nam quia* auditus ea, quæ fiunt ad se, non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui et causas per verba, et particulatim verba, per syllabas percipit? visus autem in eo, quo se dirigit, totum subito et simul apprehendit; Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur potius quam auditur; quia *dum* semetipsam sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostræ ignorantiæ tenebras illustrat. Bene itaque propheta, verbum se vidisse, testatus est; quoniam in secreto visionum cœlestium lucidissimo mentis intuitu simul totum cognovit, quod non simul totum foras loqui potuit. *Vidit* autem *super Judam et Jerusalem*; quia, quæ vel Synagogæ vel Ecclesiæ ventura erant, divinitus agnovit. Judas namque primo Judæorum, ac deinde Christianorum populus intelligitur: et Jerusalem primo Synagogam, deinde Ecclesiam significat. Propheta vero, quod viderat narrare incipiens subdit:

VERS. 2. — « Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et *elevabitur* super colles. »

Sed quærendum est, cur incipiat dicens: *Et erit*, et non potius, Erit. *Et* namque est copulativa conjunctio; et scimus, quia non conjungitur sermo subsequens nisi sermoni præcedenti. Hoc autem quod nunc in exordio narrationis hujus loquitur, continuari superioribus dictis non potest, quia prætitulationis interpositione sequestratur ab eis. Quare ergo inchoat, dicens: *Et erit*, cum non sit sermo, cui iste subjungatur? Sed hac in re sciendum, quia sicut nos corporalia, sic prophetarum sensus spiritalia aspiciunt, eisque et illa sunt præsentia, quæ nostræ ignorantiæ absentia videntur. Unde fit, ut in mente prophetarum ita conjuncta sint exterioribus interiora, quatenus simul utraque videant, simulque in eis fiat et intus verbum, quod audiunt, et foris, quod dicunt. Patet igitur causa, cur inchoavit, dicens: *Et erit;* quia illi verbum, quod foris protulit, illi verbo, quod intus audierat, conjunxit. Continuavit itaque verba, quæ foris protulit visioni intimæ, idcirco incœpit, dicens: *Et erit in novissimis diebus*. Subjungit enim hoc, quod exterius loqui inchoat, ac si et illud foris sit, quod intus videt. Dies autem novissimos appellat tempus evangelicæ prædicationis. Nos enim sumus, « In quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). »

A « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. » *Domus Domini* Israeliticus populus fuit. *Mons* ergo *domus Domini* ille appellatus est, qui ex Israelitico populo incarnari dignatus est. Fuerunt autem in eodem populo sancti viri, qui montes jure vocarentur, quia per vitæ meritum ad cœlestia propinquabant. Sed incarnatus Unigenitus istis montibus æqualis non fuit, quia merita omnium ex sua divinitate transcendit. Unde et recte mons super verticem montium dicitur, quia ex divinitate sua inventus est etiam super cacumina Sanctorum, ut qui multum in Deo perfecerunt, ejus vestigia vix potuissent tangere ex vertice cogitationis. Itaque *præparatus est in vertice montium;* quia inter homines apparuit super omnem prophe-
B tarum et apostolorum celsitudinem; et elevatus super colles, quia designavit et alios septuaginta duos (*Luc.* x, 1) discipulos, qui sublimes quidem fuerunt, sed tamen apostolis inferiores, ut montibus colles. Ipse enim super eos, qui fidem susceperunt, elevatur. Omnes quoque excellentes sancti, qui apostolos secuti sunt, in comparatione eorum *colles* vocari possunt. Sequitur: « Et fluent ad eum omnes gentes. »

VERS. 3. — « Et ibunt populi multi et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus. »

Quia per prædictos montes et colles totus orbis
C ad Christum erat convertendus, recte subjunctum est: *Et fluent ad eum gentes, et ibunt populi multi.* Quia vero plurimi eorum, qui convertebantur, sese vicissim ad conversionem exhortabantur, congrue dicturi esse memorati sunt: *Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob*, id est ad Christum et ad Ecclesiam. *Et docebit nos vias suas.* Via autem ejus pax, via ejus humilitas, via ejus patientia est. Nam in mundum ad opprobria et ad contumelias, et ad passionem venit, et adversa æquanimiter pertulit, prospera fortiter vitavit, et ad æternæ vitæ præmia invitavit. Has vias ergo suas docuit eos, qui post ad fidem venerunt, ut sequerentur vestigia ejus. « Qui enim dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare
D (*I Joan.* II, 6). » Sed unde sensus iste gentibus esset futurus, ut ad Christum confluerent, subjunctum est:

« Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Lex enim Moysi et verbum prædicationis evangelicæ ab Jerusalem per apostolos in universum orbem exivit, et omnes gentes vias suas docuit. Sequitur:

VERS. 4. — « Et judicabit gentes, et arguet populos multos. »

Judicavit *gentes* sermo Domini, quia malitiam eorum, ut ad bonum converterentur, damnavit, atque *populos* infidelitatis eorum arguit, ut resipiscerent. Vel ideo gentes dicit judicandas, quia creditura erant. « Qui enim non credit, jam judicatus est

Digitized by Google

(*Joan.* III, 18). » Populos autem, id est Judæos non judicandos, sed arguendos, quod ad se missum Filium Dei non receperunt. Sequitur :

« Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. » Hoc in eis cernimus impleri, qui pro Christo arma deserunt, et religiosam vitam ducentes excolunt terram, ut ex justo labore sibi victum acquirant. Sequitur :

« Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. » Unitas fidei et charitatis omnes gentes in Christo pacificavit, ut nunquam gens contra gentem gladium arripiat. Nam justorum Ecclesia, quæ per omnes gentes est, gladium adversus quemquam levare prohibetur, cum audit a Domino : « Qui te percutit in unam maxillam, præbe ei et alteram; et ab eo, qui aufert tibi vestimentum etiam tunicam noli prohibere; omni autem petenti te tribue, et qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas (*Luc.* VI, 29, 30). » Gens ergo contra gentem non levat gladium? quia sanctorum Ecclesia in cunctis gentibus hæc præcepta custodit. Ista quippe sententia de electis solummodo prolata est, qui « digne » ambulant « vocatione, qua vocati » sunt, « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes se invicem cum charitate, solliciti servare unitatem Spiritus cum vinculo pacis (*Ephes.* IV, 1-4). » Nam perversis, qui nomen Christianitatis habere videntur, et pro temporalibus discordias et pugnas faciunt, improperat Jacobus : « Concupiscitis et non habetis, occiditis et zelatis, et non habetis (33) adipisci, litigatis et belligeratis (*Jac.* IV, 2). » Electorum autem Ecclesia, quæ de gentibus universis congregata est, pugnare nescit ad invicem, pro quibus oravit Salvator, dicens : « Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti (*Joan.* XVII, 21). » De quibus et Psalmista dicit : « Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII, 165). » Bene itaque vocatis ad Christum gentibus dictum est, quia *non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Post hæc Judaicam plebem ad hujus gratiæ novitatem invitat subdendo :

VERS. 5. — « Domus Jacob venite, ambulemus in lumine Domini. »

Id est, gressus bonorum operum ponamus in luce Evangelii. Videns autem eos obstinatis animis in vetustate perseverare, subito conversus ad Dominum, cur eos ad lumen venire monuerit indicat, dicens :

VERS. 6. — « Projecisti enim populum tuum, domum (34) Jacob. »

Id est, gentem Judæorum ob perfidiam expulisti. Et causas projectionis eorum adjungit, dicens : « Quia repleti sunt ut olim, et augures habuerunt ut Philisthim, et pueris alienis adhæserunt. » *Repleti sunt* nunc opibus *ut olim* patres eorum. Vel iniquitatibus et idololatriæ sordibus *repleti sunt ut olim* ante legem. *Et augures habuerunt*, ut gens Philistinorum habere consueverat; quia magos et ariolos consulebant sicut et gentes, quæ notitiam Dei non acceperant. *Et pueris alienis adhæserunt*, quia etiam alienigenas pueros quærebant ad committendum illud abominabile flagitium. Qui divitiis intelliguntur repleti, nunc exponitur quomodo *repleti sunt ut olim*, cum subditur :

VERS. 7. — « Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus. »

VERS. 8. — « Et repleta est terra aquis et innumerabiles quadrigæ ejus. »

Non est finis thesaurorum ejus; quia semper avarus eget, non quo thesauri finem non habeant, sed quo possidentium animus non impleatur. *Et innumerabiles quadrigæ ejus.* Quia dignum numero non est, quod contra Dei imperium possidetur. Lex enim prohibuit regibus Israel equos et currus multiplicare (*I Reg.* VIII, 11). Sed quemadmodum iniquitatibus et idololatria repleti sunt ut olim, ostendit sermo subjunctus, quo dicitur : « Et repleta est terra idolis; opus manuum suarum adoraverunt quod fecerunt digiti eorum. »

VERS. 9. — « Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir. »

Nam, sicut olim in Ægypto serviebant idolis, ita et nunc fecerunt, atque coram simulacris se incurvaverunt; quod tamen non ad adventum Domini, sed ad superiora tempora referendum est. Quia quando Salvator in carne apparuit, non colebant idola, sed antiquis temporibus ea coluerant, sicut et cætera, quæ scripta sunt, perpetraverunt. Nam cum eos propheta dixisset a Deo projectos, cœpit ostendere mala quæ jam ipsi fecerant, et opera quibus dediti erant, quando projecti sunt, ut ob meritum nimiæ perversitatis suæ illos declararet esse projectos. Unde et post descriptionem tantarum iniquitatum subjungit, dicens Domino, cui hactenus locutus est :

« Ne ergo dimittas eis. » Nam sic populus ille offendit, ut jam remissionem peccatorum obtinere non possit, quoniam Christum, qui solus a peccatis liberat, suscipere noluit. « Impossibile est enim sanguine hircorum et taurorum peccata auferri (*Hebr.* X, 4). » Unde eis et ipse Dominus ait : « Dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non crediderit is, quia ego sum, moriemini in peccato vestro (*Joan.* VIII, 24). »

Possumus autem domum Jacob intelligere plebem fidelium, quia de Christo dictum est : « Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 32). » In qua scilicet domo mali cum bonis permisti sunt, et omnes eodem Christianitatis vocabulo communiter appellantur. Quod autem nunc de domo Jacob dicitur,

(33) Alias, *non potestis.*

(34) Cod. G., *domus.*

Digitized by Google

non de justis, sed de hac multitudine peccantium, quæ Christi nomen adhuc confitetur, debet intelligi. Quibus recte dicitur: *Domus Jacob venite et ambulemus in lumine Domini;* « quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Omnis enim qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta (*Joan.* III, 10 *et seqq.*). »

Dicit ergo peccantibus: *Venite et ambulemus in lumine Domini.* Ac si dicat: « Abjiciamus opera tenebrarum (*Rom.* XIII, 12), » et « ut filii lucis ambulemus. Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate (*Ephes.* V, 8). » *Ambulemus*, dicit, quia Catholicis loquitur, et idcirco secum eos ad bene agendum hortatur. Sed quia illi, monitionem ejus sequi contemnentes, pertinaciter in tenebris operum malorum perseverant, deserit eos, et ad Dominum conversus, terribilem mox sententiam de ipsis profert: *Projecisti populum tuum domum Jacob, quia repleti sunt ut olim.* Repleti sunt divitiis, quas avide congregaverunt, et retinent sicut olim, antequam ad Christum advenissent, et ideo projecti sunt ab illo. Ipse enim, projiciens eos, dicit: « Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33). »

Subduntur et aliæ causæ, propter quas projecit illos. *Quoniam augures habuerunt ut Philisthiim*, id est mathematicos et divinos, consuluerunt sicut ethnici. *Et pueris alienis adhæserunt*, id est immundis spiritibus in perpetratione malorum velut in fornicatione delectabiliter conjuncti sunt. Unde ad Ezechielem Dominus ait: « Fornicata est Oolla super me, et insanivit in amatores suos, in Assyrios, propinquantes principes et magistratus, juvenes cupidinis omnes (*Ezech.* XXIII, 5). » Oollam quippe vocat Samariam. Et quid per Samariam nisi multitudo ista peccantium exprimitur? Quid per amatores ejus Assyrios nisi maligni spiritus? Assyrii namque *coarguentes* sive *convincentes* interpretantur; et dæmones vocantur Assyrii, quoniam quos nunc in malitia sibi sociant, in futuro judicio accusant et convincunt. Fornicata est igitur Oolla super virum suum, et insanivit concupiscentia in amatores suos; quoniam plebs ista, quæ Christo desponsata fuerat, mandata Christi contemnit, et desideria malignorum spirituum libentissime facit. Qui sunt principes et magistratus adversariæ partis, quia « non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum (*Ephes.* VI, 12). »

Qui et *juvenes cupidinis* appellantur, quoniam ad animarum corruptionem fervent, et dum pravas delectationes suggerunt, seipsos velut speciosos interioribus oculis deceptæ mentis ostendunt. « Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis (*II Cor.* XI; 14). » Itaque malignos Spiritus, quos Ezechiel Assyrios, juvenes cupidinis appellat nunc Isaias *pueros alienos* vocat; et quod ibi dicitur: *insanivit in amatores suos*, hoc est, quod hic dicit: *Et pueris alienis adhæserunt.* Quod autem dixerat: *Repleti sunt ut olim*, consequenter aperit, dicens: *Repleta est terra argento et auro, et non est finis thesaurorum ejus. Et repleta est terra ejus equis, et innumerabiles quadrigæ ejus.* Et manifestum est quia populus, qui talia sectatur, non quærit cœlestia. « Non enim potestis Deo servire et mammonæ (*Matth.* VI, 24), » id est divitiis. Ubi et mystice subditur:

Et repleta est terra idolis. Nam quid idolorum nomine designetur, ostendit Apostolus: « et avaritiam, » inquit, « quæ est idolorum servitus (*Coloss.* III, 5). » Quia ergo populus iste prædictas opes per avaritiam congregat, recte dicitur, quoniam *repleta est terra ejus idolis.* Sequitur: *Opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.* Opus manuum suarum adoraverunt; quia malum, quod quisque specialiter operatur, hoc quasi proprium Deum colit, sicut edaces, « quorum Deus venter est (*Philip.* III, 19). » Sequitur:

« Et incurvavit se homo, et humiliatus est vir. » Ad supernam lucem intuendam homo conditus fuerat; sed, peccatis exigentibus, foras missus mentis suæ tenebras portat, superna non appetit, infimis intendit, cœlestia non desiderat, terrena semper in animo versat. *Incurvavit* igitur *se homo, et humiliatus est vir.* Omnis enim peccator, terrena cogitans cœlestia non requirens, sponte incurvatus est; quia dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ rectitudine inclinatur. Terram quippe semper intuetur, qui incurvus est, et quo pretio sit redemptus, non meminit, quia ima quærit. Propter quæ omnia subditur: « Ne ergo dimittas eis. » Damnabilia enim sunt universa hæc, et iis, qui talia faciunt, repente superveniet dies ultionis æternæ. Unde et sequitur:

VERS. 10. — « Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus. »

Petra vero duritiam cordis nostri designat, petram quippe ingredimur, cum cordis nostri duritiam penetramus: atque *a facie timoris Domini in fossa humo abscondimur*, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti Judicis, in humilitate mentis nostræ celamur. Quo enim terra plus feriendo projicitur, eo pavimentum semper inferius demonstratur. Unde et nos si a nobis studiosius terrenas cogitationes ejicimus, quo apud nos abscondamur, humilius invenimus. Ecce enim quia divini judicii dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet; tanto magis necesse est, ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum? Quo enim quis latere eum poterit, qui ubique est? Sed ecce petram ingredi, ac fossa humo occultari præcipimur, ut cordis nostri duritiam dirumpentes, eo iram invisibilem declinemus, quo ab amore visibilium apud nos in corde

Digitized by Google

subtrahimur, ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud se ipsam tanto tutius, quanto et humilius abscondatur. Postquam autem propheta consilium præmisit, quomodo quis ab ira diei illius occultari posset; de illis jam, qui sic ab ea seipsos abscondere negligunt, subjungit:

VERS. 11. — « Oculi sublimis (35) hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum; exaltabitur autem Dominus solus in die illa. »

Adhuc futurum exspectatur judicium, et jam quasi de præterito dicitur: *Oculi sublimis hominis humiliati sunt.* Sed apud Deum jam factum est judicium. « Qui enim non credit, jam judicatus est (*Joan.* III, 18). » Licet ergo terrena potestate sublimis adhuc foris appareat quilibet impetus, jam tamen intus ante Dei oculos humiliatus est, atque dejectus. Vel quod ait: *Oculi sublimis hominis humiliati sunt*, potest intelligi dixisse pro eo quod est, humiliabuntur. Et iste sublimis homo specialiter ille « filius perditionis » potest accipi, qui « adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 4). »

« Et incurvabitur altitudo virorum. » Quia « omnis, qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11). » *Exaltabitur autem Dominus solus in die illa.* Quia tunc perfecte complebitur quod dictum est: « Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei (*Heb.* II, 8). » Propheta vero, qui dixerat, quod incurvabitur altitudo virorum, per partes enumerando probat, adjungens:

VERS. 12. — « Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. »

VERS. 13. — « Et super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan. »

VERS. 14. — « Et super omnes montes excelsos, et super omnes colles elevatos. »

VERS. 15. — « Et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum. »

VERS. 16. — « Et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est. »

Dies, inquit, vindictæ *Domini super omnem superbum* mente, *et excelsum* potentia, id est super omnem qui de excellentia potestatis intumescit, et super omnem qui jactantiam arrogantiæ sectatur. Cedri vero tantæ sunt altitudinis, ut omnem arborum reliquarum altitudinem sua proceritate transcendant. Libanus autem *candidatio* dicitur. Et quid per Libanum nisi gloria hujus sæculi exprimitur? Quid vero per *cedros Libani sublimes et erectas* nisi illi figurantur qui, in excellentissimis sæculi dignitatibus positi, cervicem mentis in superbiam erigunt? Unde scriptum est: « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani (*Psal.* XXXVI, 35). »

Quercus autem ingentes et robustæ sunt arbores. *Basan* vero *bruchus* sive *pinguedo* dicitur. Et quid per bruchum, qui pene totus est venter, nisi edacitas et ventris ingluvies intelligi potest; sed et pinguedo ex assidua ciborum abundantia nascitur. Quid ergo *quercus Basan*, nisi eos designant, qui ob potentiam sæcularem et ob firmatam cordis elationem grandes et rigidi sunt, atque per ventris ingluviem saginant carnem? Jure igitur veniet *dies* ultionis *super omnes cedros Libani sublimes et erectas, et super omnes quercus Basan.* Sed et per *montes excelsos* intelligi possunt reges et imperatores superbi, atque per *colles elevatos* consules cæteri et principes elati, quibus ultio debita superveniet.

Quid vero per *turrim excelsam*, nisi quælibet anima superbiens exprimitur, quæ cæteris in hoc mundo forti potentia supereminet? Et quid per *murum munitum*, nisi divites, qui muniuntur suis opibus, et alios male agentes muniunt et protegunt? Et super hos igitur ventura est dies Domini. Multis vero appellationibus designavit superbas potestates sæculi, quia multæ sunt in hoc mundo dignitates, per quas multi perditionem sibi acquirunt.

Tharsis autem *mare* dicitur. Et quid est mare, nisi sæculum istud? Quæ sunt ergo *naves Tharsis*, nisi mentes hominum, quæ per amarum pelagus sæculi hujus variis desideriis ducuntur? Rursus Tharsis interpretatur *exploratio gaudii.* Et quæ sunt *naves explorationis gaudii*, nisi humanæ mentes, quæ in hoc mundo gaudia præsentium voluptatum experiuntur, satisfaciendo concupiscentiis suis? Quid autem *visu pulchrum est*, nisi omne quod in mundo concupiscitur, dum falsa seu vana pulchritudine fallit oculos intuentium? Veniet itaque *dies Domini super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est.* Ubi et præmissa replicatur sententia, cum subditur:

VERS. 17. — « Et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa. »

Tunc incurvabuntur, qui nunc superbe eriguntur; et *Dominus* tunc *elevabitur*, cujus nunc humilitas ab eis despicitur. Sequitur:

VERS. 18. — « Et idola penitus conterentur. »

Idola tunc *conterentur*, quia peccatum avaritiæ tormentis æternalibus punietur. Nam, sicut vir sapiens ait: « Conteretur cum delinquente delictum (*Eccl.* XXVII, 3). » Vel ita: *Dominus elevabitur, et homo inclinabitur, et idola conterentur.* Tandiu enim videtur humanus sermo habere rationem, quandiu divinæ scientiæ non fuerit comparatus. Cum autem mendacium veritati quasi stipula igni propinquaverit, cito voratur et deficit, et omnia dogmata falsitatis, quæ nunc idola nominantur, eo

(35) Alias, *sublimes.*

Digitized by Google

quod simulata sunt atque conficta, *penitus conterentur*; cumque pavore Domini quis fuerit perterritus, primum in speluncæ pectoris sui, et in voraginibus terræ abscondet hæc idola, non audens proferre quod male finxerat. Sic Deus enim perfectus est, ut hæc prius celata projiciat, et in se esse non patiatur. Sequitur :

Vers. 19. — « Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. »

Hoc et in Apocalypsi Joannis ita legitur : « Reges terræ et *principes* et tribuni, et divites et fortes, et *omnis servus* et liber absconderunt se in speluncis et petris montium, et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam veniet dies iræ ipsorum, et quis poterit stare? » (*Apoc.* VI, 15-17.) Imminente igitur vicino adventu districti Judicis, quando frequenter apparebunt signa magna et horribilia « arescentibus hominibus præ timore et exspectatione eorum, quæ supervenient universo orbi (*Luc.* XXI, 26), » intrabunt in speluncas et in voragines terræ, volentes se abscondere a facie supervenientium malorum. Adventum ergo Judicis vocat surrectionem ejus, sicut et beatus Job, cum dicit : « Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicium Deus? » (*Job* XXXI, 14.) Nam modo sedet ad dexteram majestatis in excelsis; sed tunc surget percutere terram, quando veniet judicare sæculum.

Hæc tamen et de excidio gentis Judæorum, quod per Romanos factum est, possunt accipi. Ait enim, quia *dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum*, etc. Nam superbi et arrogantes per *cedros Libani et quercus Basan*; per *montes et colles* intelligi possunt tam Pharisæi quam omnes qui, in illo populo, primatum gerebant; per turres et muros, civitates et præsidia eorum; per *naves Tharsis*, illi qui contra Romanos tunc in aquis pugnaverunt sicut in mari Galilææ; per *omne quod visu pulchrum est*, generaliter quidquid in eis formosum aut honestum videbatur. Nam super hæc omnia venit tunc ira Dei.

Elevatus est autem *Dominus solus in die illa*, id est in tempore illo; quia « Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philip.* II, 9). » Et gentibus ad fidem venientibus idola penitus contrita sunt. Judæi autem introierunt *in speluncas petrarum, et in voragines terræ a facie formidinis Domini*, quando surrexit per Romanos *percutere terram* eorum; quia, captis urbibus, abscondebantur in antris et subterraneis, ut et ipse Josephus cum sociis suis. Et quia tunc gentilis quisque, cognita veritate, conversus est ad pœnitentiam, recte subjunctum est :

Vers. 20. — « In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones. »

Vers. 21. — « Et ingredietur fissuras (36) petrarum, et cavernas saxorum a facie formidinis Domini, et gloria majestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. »

Dies namque pro eo tempore, quo lux veritatis mundum per apostolos irradiavit, posita est. *Homo* autem vocari solet, qui bestialem sensum ratione transcendit. *Homo* igitur, id est unusquisque rationabiliter cogitans, in illo tempore projecit *idola*. Adorabat namque in eis *talpas* et *vespertiliones*. Talpæ enim cæcæ sunt, et sub terra manentes interiora terræ fodiunt atque foras expellunt. Et quid per *talpas* nisi dæmones figurantur, qui luce visionis intimæ carentes, corda carnalium velut terram suggestionibus illicitis fodiunt, et quod male suggerunt, in locutionem et in opus erumpere faciunt? *Vespertiliones* vero incumbentibus tenebris et noctu volant, ac plerumque per terram gradiuntur. Sic et amatores tenebrarum maligni spiritus, quoniam de naturæ subtilitate superbiunt, volant; quia vero de supernis projecti ad spem cœlestium nulla jam respiratione se erigunt, per terram repunt.

Sed et mentibus hominum, quibus interna lux deficit, per hæc duo vitia maxime illudunt; quoniam alios per superbiam, et alios per luxuriam decipiunt. In eis quippe, quos in fastu superbiæ quasi alta sapientes elevant, volant; in eis autem, quos per luxuriam prosternunt, per terram repunt. Has itaque talpas et vespertiliones adorabant in idolis suis gentiles; et ideo quisque rationabiliter cogitans projecit ea, ex quo prædicationem veritatis audivit, et ingressus est *fissuras petrarum et cavernas saxorum a facie formidinis Domini*. Et Moysi dictum est in Exodo : « Ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea (*Exod.* XXXIII, 22). » — « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 1), » foramen petræ plaga lateris Christi est, in quo tutissime protegitur quisquis ad illud fideliter confugit.

Sicut ergo Christus ibi per petram, ita in hoc loco per petras et saxa intelliguntur sancti; et sicut per foramen vulnus Dominici lateris, ita per *fissuras petrarum et cavernas saxorum* vulnera sanctorum martyrum. Ingreditur itaque *fissuras petrarum et cavernas saxorum a facie formidinis Domini et a gloria majestatis ejus*, quæ revelabitur, *cum surrexerit percutere terram*, quisquis peccatorum conscius et futuræ discussionis, timidus, eorum quos pro Christo passos novit, patrocinia fideliter et humiliter requirit, et ipsorum meritis et interventionibus ab ira ventura protegi deposcit. Vel tunc surrexit Dominus *percutere terram*, quando corda gentilium concussit ad pœnitentiam. Et quotidie percutit ipse terram, quoties mentem peccatoris con-

(36) Alias, scissuras.

Digitized by Google

turbat, ut convertatur; et tunc *homo*, id est rationabiliter sapiens, ingreditur prædictas *fissuras petrarum*.

Vel argentum et aurum sermone et sensu potest accipi, unde fiunt idola perversorum dogmatum; quæ qui projecerit, ingreditur *fissuras petrarum et cavernas saxorum*, et non in terræ pulvere et vili luto, sed ut firma ratione versetur et inveniat sibi diversa virtutum foramina, per quæ ad veritatem pervenire valeat. Propheta vero multa paulo superius de excidio Judæorum locutus est. Unde nunc considerans, quia propter necem Salvatoris hæc omnia passuri erant, admonet illos ab ejus insectatione desistere, dicens :

Vers. 22. — « Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse. »

Quid autem *in naribus* nisi præscientia, et quid in spiritu nisi scientia designatur? Sæpe enim id quod non videmus, odore comprehendimus, ita ut nonnullæ res etiam cum longe jaceant, flagrantia nobis qualitatis suæ innotescant; dumque per nares spiritum ducimus, plerumque aliqua et invisa præscimus. Redemptoris ergo nostri *spiritus* esse *in ejus naribus* dicitur, ut videlicet scientia illius esse in præscientia designetur; quia, quæcunque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante sæcula ex divinitate præscivit. Qui unde spiritum in naribus habuerit, mox propheta subjungit, dicens : *Quia excelsus reputatus est ipse.* Ac si diceret : Inferius ventura desuper præscivit, qui ad ima de cœlestibus venit. *Quiescite*, inquit, *ab* hoc *homine*. Nam propter malum quod infertis ei, audite quid sequatur.

CAPUT III.

Vers. 1. — « Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur panis, et omne robur aquæ. »

Vers. 2. — « Fortem et virum bellatorem, et judicem et prophetam, et ariolum et senem. »

Vers. 3. — « Principem super quinquaginta, et honorabilem vultu, et consiliarium, sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici. »

Hæc omnia post passionem Domini contigerunt populo Judæorum. Nam per Romanos abstulit Dominus a Jerusalem et a plebe Judaica *validum et fortem, et omne robur panis, et omne robur aquæ, et fortem et virum bellatorem*, ita ut fame ac siti morerentur in illa obsidione, et ab hostibus suis tandem capti perimerentur, ac reliqui servitute misera ubique deprimerentur. Qui ex eo tempore *judicem* nullum habent, quia per orbem dispersi nullo rectore proprio gubernantur.

Et prophetam abstulit eis Dominus; quia verbum, quod in propheticis loqui solet, subtraxit. Jam quippe apud eos ultra non est, qui dicat : « Hæc dicit Dominus (*Exod.* v, 1). » Omnes enim conticuerunt, quia sermo Domini recessit ab eis. Nam neque vel *ariolum* habent ullum, id est talem prophetam, qualis erat Balaam (*Num.* xxii, 5). Ipse enim fuit ariolus, et tamen ei loquebatur Dominus, et ostendebat pleraque secreta sua. Nam sæpe etiam per alienigenas futura dicebantur, sicut ab isto Balaam legimus, et de divinis Philisthinorum. Et ariolus ergo, id est qui interdum vera, et interdum falsa nuntiat, ablatus est a Judæis, quoniam et vera et falsa pariter amiserunt. Senex etiam id est maturis moribus non est in eis. Qui neque *principem* saltem *super quinquaginta* jam ullum habent, eo quod Dominum Sabaoth, id est Christum occiderunt. Nec *honorabilem vultu;* eo quod speciosus forma præ filiis hominum non sit visus eis habere speciem neque decorem. Neque *consiliarium;* quia sapientia deseruit eos, quæ dicit : « Meum est consilium, et æquitas (*Prov.* viii, 14). » Recessit enim ab illis angelus magni consilii. Jam non est apud eos, qui possit dicere : « Quasi sapiens architectus fundamentum posui (*I Cor.* iii, 10). » Migraverunt ab eis architecti, venerunt ad Ecclesiam, posuerunt fundamentum Jesum Christum. Quibus et *prudentem eloquii mystici* Dominus abstulit, quia nullus doctor est eis relictus. Cessavit autem apud eos legis et prophetarum interpretatio : legunt, et non intelligunt. Ubi et voce Dominica subjunctum est :

Vers. 4. — « Et dabo pueros principes eorum, effeminati dominabuntur eis. »

Habuerunt enim post Domini ascensionem *principes pueros*, id est puerilia sapientes atque pueriliter agentes. Et dominati sunt eorum effeminati, id est qui muliebriter prostituebantur. Quid autem vulgus egerit, audiamus.

Vers. 5. — « Et irruit populus, vir ad virum, unusquisque ad proximum suum; tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. »

Antequam Titus obsideret Jerusalem, pugnabat intrinsecus *populus* civitatis ad invicem, et irruebat *vir ad virum*, atque perimebat *unusquisque proximum suum*, et *puer* non deferebat honorem seni, sed litigabat contra eum, *et ignobilis* dehonestabat *nobilem*. Capta vero Jerusalem, cum paucæ eorum reliquiæ in perniciem suam denuo rebellare tentarent, audiamus quid fecerint.

Vers. 6. — « Apprehendet enim, inquit, vir fratrem suum, domesticum patris sui : vestimentum tibi est, princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tua. »

Tales enim meruerunt habere principes, qui de Christo, sicut legitur, dixerunt : « Nolumus hunc regnare super nos. (*Luc.* xix, 14.) » Judicabant enim, dignum principem eum, qui saltem vestem habere poterat. Et non ob probitatem, sed ob consanguinitatem eum præferebant. Quod ait : *ruina hæc sub manu tua*, hunc sensum habet. Miseria et calamitas tuo sustentetur et protegatur auxilio. Sed quilibet talis, quem sic eligebant, quam invalidus esset, manifestatur etiam verbis ipsius. Nam protinus additum est :

Vers. 7. — « Respondebit in die illa, dicens : Non

Digitized by Google

sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere principem populi. »

Non sum, inquit, *medicus*, id est nescio mederi vestræ infirmitati, ut pristinam sanitatem per me recuperetis, quatenus resistere vestris hostibus, ut quondam, valeatis. Ubi et propheta subjungit :

Vers. 8. — « Ruit enim Jerusalem, et Juda concidit; quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. »

Ruit Jerusalem, quia destructa est ab exercitu Romanorum; *et Juda concidit*, quia populus Judæorum *illis miserabiliter* succubuit. Et hoc idcirco factum est : *Quia lingua eorum* fuerat *contra Dominum*, cum dicerent : « Reus est mortis (*Matth.* xxvi, 66). » — « Crucifige eum (*Marc.* xv, 13). » Et *adinventiones*, quando dixerunt : « Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manufactum, et post triduum aliud non manufactum ædificabo (*Marc.* xiv, 58). »

Sed nunc repetentes videamus, utrum et de aliis quam de Judæis intelligi possint. « Quiescite, inquit, ab homine, cujus spiritus in naribus ejus. » — « Eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt bonum Dei verbum (37) virtutemque sæculi venturi, et prolapsi sunt, » dicit Apostolus : « Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, et ostentui habentes (*Hebr.* vi, 4-6). » Et hi ergo necdum quieverunt ab homine, *cujus spiritus in naribus ejus*. Qui jam instante adventu Antichristi usque adeo multiplicati sunt, et cæteros pestilentiæ odore suo infecerunt, ut raro nunc Christianus verus inveniatur. Unde et ex parte magna jam completum esse dolentes accipiamus. Ac magis implendum adhuc esse non dubitamus, quod subditur :

« Ecce dominator Dominus exercituum, auferet a Jerusalem et a Juda validum et fortem, omne robur aquæ, » etc. Nam *Jerusalem et Juda* plebs ista fidelium est, quæ jam sic infirmata est, ut difficile sit quemquam in ea reperire *validum et fortem* ad opus spiritale. *Panis* autem est corpus Redemptoris, quod in mysterio sumitur : aqua vero scientia sacra. Sed *robur panis* aufertur; quia sacramenti virtus ab eis, qui indigne illud percipiunt, tollitur. Similiter et *robur aquæ*, id est virtus scientiæ aufertur indignis; quia si spiritus defuerit, scientia non habet virtutem, nec tribuere facultatem valet, ut bona, quæ nosti, facias.

Virum quoque *bellatorem* spiritualibus armis fideliter decertantem raro est jam invenire. Judex etiam ecclesiasticus, qui juste judicet, difficile reperitur in lege Dei habens scientiam judicandi; sed jam fere omnia vana, et caduca, et errore plena. Sed et propheta, id est doctor quilibet futura justorum gaudia, malorumque supplicia prænuntians, jam rarescit nimis. Vix enim quis verbum prædicationis huic populo jam erogat nisi occasione acquirendi pecuniam vel aliud quid transitorium. Et unusquisque talis prædicator per *ariolum* fortassis exprimitur. Quia, sicut Balaam ariolus superstitione avaritiæ suæ deseruit sermonem Domini, bonis, quæ voce prædicat, vivendo repugnat. Nam et Samuel ait : « Quoniam tanquam peccatum ariolandi est repugnare (*I Reg.* xv, 23), » id est nolle obedire, sed obsistere. Sed quisquis talis est ariolus, flatu novissimæ persecutionis subito rapietur.

Senem vero, id est qui morum grandævitate maturus sit, in hoc populo difficillimum est invenire. Quinquagenarius autem numerus pœnitentiam et remissionem peccatorum designare solet. Unde David pœnitens in quinquagesimo psalmo remissionem accepit. Pœnitens igitur in quinquagenario numero continetur. Quis est ergo *Princeps super quinquaginta*, id est super pœnitentes, nisi quicunque præbet exemplum pœnitentiæ, et annuntiat pœnitentiam, atque convertit ad eam cæteros? Hujusmodi princeps erat Joannes, qui vestimentum de pilis cameli habens, locustas et mel sylvestre edebat, et aliis, ut « dignos pœnitentiæ fructus facerent (*Luc.* iii, 8), » præcipiebat. Imo et Christus princeps pœnitentiæ est, et caput eorum qui salvantur per pœnitentiam. Unde et Judæi nolentes eum esse principem quinquagenarium, dixerunt ei : « Quinquaginta annos nondum habes (*Joan.* viii, 57). » Sed ille sciens se esse non solum pœnitentium principem, sed et justorum, respondit : « Antequam Abraham fieret, ego sum (*ibid.*, 58). »

Honorabilis est *vultu*, cujus interna maturitas apparet in vultu ejus. Consiliarius est, qui dat consilium, quomodo superentur astutiæ dæmonum, et rectitudo custodiatur. Architectus est, qui prædicando ædificat Ecclesiam. Prudens *eloquii mystici*, qui mysticum eloquium Scripturæ prudenter intelligit, vel quicunque sapiens mystice loquitur. Prudens eloquii mystici videtur mihi vir eruditus et exercitatus tam in lege et prophetis quam in Evangelio et apostolis. Sed hujusmodi personæ magis magisque quotidie, dum tempus Antichristi vicinius imminet, subtrahuntur, et malitia remanentium multiplicius excrescit. Nam Antichristo regnante, si qui tales viri superfuerint, vel seducentur ab eo, vel perimentur. Unde Ecclesia per Jeremiam de tempore illo queritur, dicens : « Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei : vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos (*Thren.* i, 15). » Recte itaque dictum est, quoniam Dominus *auferet a Jerusalem, et a Juda validum et fortem, atque omne robur panis, et omne robur aquæ, fortem, et virum bellatorem, et judicem et prophetam, et ariolum et senem, principem super quinquaginta, et honorabilem vultu; et consiliarium sapientem de architectis, et prudentem eloquii mystici.* Isti quidem auferuntur, sed loco eorum inutiles dantur.

(37) Cod. G., *gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti; gustaverunt bonum Dei verbum*, etc.

Digitized by Google

Dabo, inquit, *pueros*, id est lascivos et indomabiles, ac dissolutos et pueriliter agentes, *principes eorum*, id est sacerdotes ac prælatos, *et effeminati*, id est transitoriæ laudis amatores *dominabuntur eis*. *Effeminati* enim sunt arrogantes præpositi; quia, dum humanis laudibus mollia corda prostituunt, quasi a suis amatoribus corrumpuntur. Effeminati sunt, quia laudis luxuria corrupti. Si enim viriliter viverent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Qui, quoniam non Dei gloriam quærunt, sed suam, magis dominari subjectis volunt quam prodesse, et eis non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Quibus per alium prophetam dicitur: « Vos autem cum austeritate imperabatis, et cum potentia (*Ezech.* XXXIV, 4). » Cum austeritate enim et cum potentia imperant; quia subditos suos non tranquille ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant. Et tales nunc sacerdotes ac præpositi in Ecclesia multipliciter abundant propter peccata populi. Nam quod hujusmodi prælatos habere populus subjectorum meruerit, sequentia indicant: *Irruet*, inquit, *populus vir ad virum, unusquisque ad proximum suum*, id est pugnabit alter adversus alterum, vel lædet eum, aut nocebit. Et quia mali bonos dehonestare satagunt, *tumultuabitur*, inquit, *puer contra senem*, id est lascivos et pueriles actus habens litigabit adversus eum qui morum gravitate senuit. *Et ignobilis contra nobilem*, id est peccator contra justum. Quemadmodum autem populus iste pueros principes sortiatur, ostendit sermo subjunctus.

« Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui: vestimentum tibi est, etc. » Nam quid per virum nisi quælibet persona designatur? Et quid per *fratrem* vel *domesticum* nisi quilibet carnalis propinquus vel amicus accipitur? Apprehendit ergo vir fratrem suum, ut in principem constituat eum; quia jam, decrescente religione, frequenter accidit, ut ad ecclesiasticum regimen non sanctiores eum, qui dignus fuerit, eligant, sed potens quilibet eum, quem carnaliter diligit, præponat. Ob hoc itaque pueros principes habet Ecclesia; quoniam, non tam propter vitæ meritum, quam propter carnalem dilectionem eliguntur a potentibus. Et dicitur ei, qui sic eligitur: *Vestimentum tibi est, princeps esto noster*. Vestimentum hic intelligitur honestas quædam conversationis, qua nonnulli se palliant, ut irreprehensibiles videantur hominibus, licet intus nihil veræ aut perfectæ virtutis habeant. Tales enim facile ab imperitis eliguntur.

« Princeps, inquit, esto noster; ruina autem hæc sub manu tua. » *Ruina hæc* interioris hominis est, ruina hæc mors est. *Ruina hæc sub manu tua*. Non ait: Releva ruinam hanc, quia non curat eligere talem, qui corruentes relevet, sed tantummodo qui super cæteros appareat. Sed ille, qui eligitur, excusat se, dicens: « Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi. » Quisquis ad pastoralem curam eligitur, debet esse spiritalis *medicus*, ut diligenter mederi sciat interioris hominis languoribus; et *in domo* conscientiæ suæ debet habere panem spiritualis doctrinæ, ut constitutus super familiam Domini sui « det illis cibum in tempore (*Matth.* XXV, 25). »

Vestimentum quoque necesse est ut habeat in domo sua, quatenus vestimento virtutum vestitus sit intrinsecus. Necessarias ergo causas excusationis opponens, ait: « Non sum medicus, et in domo mea non est panis neque vestimentum, » cui dictum fuerat: « vestimentum tibi est, » quod ad exteriorem conversationem retulimus. Ille autem de interiori veste cordis respondet: « quia in domo mea vestimentum non est, » ac si dicat: Etsi vobis honestate quadam conversationis vestitus appareo, in oculis tamen interni inspectoris nudus sum. Ecce iste et eligitur, et se excusat, nec tamen laude dignus est. Quid ergo de illis æstimabimus, qui quærunt ad hujusmodi prælationes eligi, ut per has magnificentur apud homines? Quanti enim panem non habentes et vestimentum, cum ipsi esuriant, et nudi sint nec habeant spiritalem cibum neque Christi tunicam integram servaverint, aliis et alimoniam, et vestimenta promittunt, et pleni vulneribus medicos se esse jactant! Post hæc autem prophetica voce subditur:

« Ruit Jerusalem et Juda concidit; quia lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus. Jerusalem, » id est Ecclesia, *ruit;* quia murus fidei et disciplinæ circa finem sæculi dissipatus est, atque turres arduarum virtutum delapsæ sunt. *Et Juda*, id est fidelium populus *concidit;* quia fere tota hæc plebs statum rectitudinis amisit. *Quia lingua eorum contra Dominum*, quoties ea quæ Deo contraria sunt, loquuntur; *et adinventiones eorum*, quoties novos male agendi modos inveniunt. Unde provocant *oculos majestatis ejus;* quia in suis adinventionibus ex deliberatione peccant. Omne enim peccatum aut per infirmitatem, aut per ignorantiam, aut per studium deliberationis committitur. Et pejus quidem est ex infirmitate scienter peccare quam ex ignorantia; sed multo gravius ex deliberatione quam ex infirmitate. Et ideo ii, qui malorum adinventionibus ex studio deliberationis prava committunt, non peccare in conspectu Domini, sed, quod est gravius, provocare dicuntur *oculos majestatis ejus*. Sequitur:

VERS. 9. — « Agnitio vultus eorum respondebit eis. »

Mens libidinosa et indisciplinata solet in oculis et in vultu dignosci; oculorum autem nutus et indicia vultus sequitur nequitiæ perpetratio. Unde nunc apte dicitur: *Agnitio vultus eorum respondebit eis;* ac si diceretur: Culpa cordis, quæ per signa vultus se prodere cœperat, per carnis luxuriam in operis perpetratione respondebit eis, ut quales interius sint, ostendat foris turpitudo immundi operis. Hi vero,

Digitized by Google

postquam tale opus in consuetudinem vertunt, omnem verecundiam amittunt. Unde subditur :

« Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec abscouderunt. » *Peccatum* quippe *suum* sicut *Sodoma* prædicant, qui opus confusionis, quod ipsi faciunt, aliis impudenter sive glorianter detegunt, ut eos ad simile opus (38) alliciant. Sed dum in talibus gloriantur, subitaneus illis supervenit interitus; ideoque velut de præterito subditur :

« Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt illis mala. » Pro malis, quæ temporaliter fecerunt (39), perpetua mala recipit anima eorum. Unde nos ad laudem justi Judicis hortatur propheta, subjiciens :

Vers. 10. — « Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. »

Quis enim justus iste est, nisi cui canitur : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum? (*Psal.* cxviii, 137.) » Cui debemus omnes dicere, *quoniam bene* egit, exterminans eos, qui peccatum suum, *quasi Sodoma* prædicabant, et adinventionibus studebant. Comedent enim *fructum adinventionum suarum;* quia pro culpis suis æternaliter punientur. « Peccatum quippe, cum consummatum fuerit, generat mortem (*Jacob.* I, 15). » Iste est fructus peccati. Quia vero omnis, qui adhuc similia facit, similem postmodum sententiam accipiet, nisi citius per pœnitentiam opera sua correxerit, recte subjungitur :

Vers. 11. — « Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei. »

Nam, quanto se beatiorem putat impius, dum ei ad votum cuncta proveniunt, tanto est infelicior. Quia, quo magis iniquitates multiplicat, eo amplius damnationem suam accumulat. *Retributio enim manuum ejus fiet ei*, quia secundum omnia quæ nunc facit recipiet.

Sed et Judæis convenit, quod dictum est : « Væ, animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala, » etc. Nam *mala*, quæ in Christum exercuerant, receperunt a Romanis; et comedent in pœnis æternalibus *fructum adinventionum suarum*, quibus Dominum mendaciter accusaverunt. Sed et quicunque adhuc in eadem impietate Judaica perdurat, *væ* illi, quia *retributio manuum ejus fiet ei*. Sequitur :

Vers. 12. — « Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. »

Exactores vocantur, qui tributa exigunt atque cætera hujusmodi. Et antiquum Dei populum ii, qui censum exigebant, dum reddere forsitan nequirent, spoliabant servientes avaritiæ principum atque uxores potentium superba dominatione opprimebant eum. Similiter et nunc in hoc populo fieri sæpe cernimus et ab exactoribus, et ab uxoribus principum. Et hæc itaque sententia de illis, qui fideles spoliant ac gravant, prolata est. De adulatoribus vero, qui eos immoderatis favoribus extollunt, subditur :

« Populo meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. » Adulator enim decipit eum, quem dicit *beatum;* quia mendacio fallit eum, et in vanam gloriam extollit; atque *viam gressuum* operationis ejus dissipat; quia dum ille beatum se credit, sufficere sibi credit bona quæ fecit, et viam suæ rectitudinis jam, ut consueverat, tenere negligit. Sic enim multi perierunt, dum circa finem remissius agerent, vel in culpas declinarent. Sed ne decipiamur humanis favoribus, illud terribile judicium Dei, quod adhuc nobis restat, semper cogitare debemus. Nam sequitur :

Vers. 13. — « Stat ad judicandum Dominus, et ad judicandum populos. »

Non ait : sedet, sed *stat ad judicandum Dominus;* quia nondum realiter exerit ipsum judicium, quod in sessione Judicis designatur, ut jam peccatores condemnet; sed adhuc *stat*, id est in stadio vitæ hujus currentes sive pugnantes aspicit et adjuvat, atque præmia illis præparata servat. Et e diverso male agentes considerat, ut eis secundum opera ipsorum in fine retribuat. Nam qui modo *stat ad judicandum*, aliquando sedebit, id est ipsum actualiter faciet judicium. Sequitur :

Vers. 14. — « Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et cum principibus ejus. »

Qui sunt autem isti senes, nisi qui sapientia et moribus maturi sunt, id est omnes perfecti? « Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV, 8 et 9). » Et qui sunt hi principes, nisi prophetæ et apostoli, atque boni rectores Ecclesiarum? *Cum* his ergo *senibus et principibus veniet Dominus ad judicium;* quia promisit eis, dicens : Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me (*Matth.* XII, 29), » etc. Qui idcirco maxime tunc veniet, ut raptores atque fidelium oppressores puniat. Unde protinus causam eorum subjiciens ait :

« Vos enim depasti estis vineam meam. » *Vinea* Domini plebs ejus est, quam depascitur quisquis bona fidelium diripit. Unde et evidentius addit : « Rapina pauperis in domo vestra, » et increpando subjungit :

Vers. 15. — « Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? dicit Dominus exercituum. »

Atterunt namque *populum* Dei, qui servos ejus tribulant et affligunt; *et facies pauperum* commoliunt vel attenuant, id est macie afficiunt, qui victum eorum auferunt. Hi ergo contra se iram Dei vehementer accendunt. Sequitur :

Vers. 16. — « Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant, et in pedibus suis composito gressu (40) incedebant. »

(38) Cod. G., *ad similem nequitiam.*
(39) Ibid., *egerunt.*
(40) Alias, *gradu.*

Digitized by Google

Vers. 17. — « Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. »

Historialiter quidem possunt hæc ad Judaicas mulieres, quæ sic ob superbiam et lasciviam agebant, referri, et in tempore obsidionis Jerusalem, quæ subito facta est, decalvatæ sunt ac deturpatæ. Sed quia Sion interpretatur *specula*, possumus subtiliori intellectu filias Sion accipere fideles animas, quæ velut in specula positæ venientes tentationes ab arce mentis solent circumspectione cauta prævidere. Sed plerumque tales animæ in superbiam elevantur, et omnem religiosam conversationem suam dissipant.

Nam quia etiam in vultu et in gestu corporis apparere solet mentis elatio, postquam hæ *filiæ Sion elevatæ sunt, ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum*. Quo contra sanctus David, quia nec in corde nec in vultu superbiam habebat, profitebatur : « Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei (*Psal.* cxxx, 1). » *Ibant* etiam *filiæ Sion*, id est deambulabant, *et nutibus plaudebant* dissolutionis, lasciviæ et inanis lætitiæ, atque *composito gradu incedebant*, quia disciplinam cordis omnem abjecerant, et idcirco foris taliter agebant. Quia ergo *filiæ Sion*, id est animæ Christianæ, talia facere non timuerunt, *decalvabit Dominus verticem* earum, et *nudabit crinem* ipsarum.

Quid autem in decalvatione figuratur nisi nudatio verecundiæ? Frons enim, quæ in decalvatione detegitur, sedes est verecundiæ. Decalvat ergo Dominus *verticem earum*, cum illud in illis detegit, unde superba mens earum gravius erubescat, dum ab omnibus aspiciatur ludibriosa. Sed *et crinem* capitis *earum Dominus* nudat, quando perversam cogitationem cordis ipsarum manifestat. Et, quamvis etiam in hac vita plerumque ista decalvatio atque nudatio fiat, plenarie tamen non fiet « quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* iv, 5). » Sequitur :

Vers. 18. — « In die illa auferet Dominus omne (41) ornamentum calceamentorum et lunulas. »

Vers. 19. — « Et torques, et monilia et armillas et mitras. »

Vers. 20. — « Et discriminalia et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures. »

Vers. 21. — « Et annulos et gemmas in fronte pendentes. »

Vers 22. — « Et mutatoria et pallia (42), et linteamina, et acus. »

Vers. 23. — « Et specula, et sindones, et vittas, et theristra. »

His muliebribus ornamentis spiritalia mentium ornamenta congrue figurantur. Calceamenta enim, quæ ex pellibus mortuorum animalium fiunt, et pedes muniunt, exempla sanctorum Patrum designare possunt, quæ nostri operis gressus in via Dei muniunt. Lunula, quæ est bulla instar lunæ facta, et a collo dependens in pectore, alicujus insigne virtutis in nocte præsentis vitæ lucentis, et ab operatione ad intelligentiam quasi a collo ad pectus pervenientis secundum illud : « A mandatis tuis intellexi (*Psal.* cxviii, 104). » *Torques* undique perfectum atque decorum bonæ operationis ornamentum, de quo Salomon ait : « Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo (*Prov.* i, 9). » Monile, quo sponsæ pectus signatur et ornatur, spiritalis conjugii castæque dilectionis signaculum. Armillæ, quæ lacertos stringunt, validam operantium operationem. Mitra fluctuantium cogitationum velut capillorum cohibitionem. Discriminale, quo crines dividuntur, acumen discretionis, quæ bonas malasque cogitationes subtiliter discernit.

Periscelidæ vero sunt apud feminas crurium ornamenta, quibus earum gressus decorantur, id est torques ex auro similes armillis, et circa talos ponuntur. Quid igitur in periscelidis figuratur nisi virtutis ornatus circa extremum actionis? Vel quia juxta sententiam Genesis antiquus serpens insidiatur *calcaneo* mulieris (*Gen.* iii, 15), id est labenti actioni animæ, ibi circumpositum munimen virtutis vel ornamentum religiosæ operationis sub periscelidarum appellatione figuratur, ubi serpens morsum infigere quærit.

Murenula autem est quædam ordinis flexuosi catena, quæ auro in virgulas lentescente contexitur in similitudinem serpentis, et ad collum ornandum aptatur. Quid ergo per murenulam intelligi debet nisi veritatis aurea doctrina, quæ in multiplices sensus ordinate flectitur, et in innumeras sententias velut in virgulas ita spargitur, ut eas in indice unius piæ intentionis connectat, serpentinam habens cautelam, et sancti operis laborem velut collum astringens, et adornans? Unde et in Canticis ad Sponsam dicitur : « Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento (*Cant.* i, 10). » Aureas dicunt, et argento vermiculatas, id est variatas ; quia interdum auri et argenti virgulis texuntur, ut ibi sapientia et facundia permiste significentur. Auro quippe sapientia, argento autem nitor eloquentiæ designari solet.

Olfactoriola vero, quæ sunt vascula, in quibus habentur odoramenta, possunt exprimere corda bonorum, ex quibus odor virtutum suavissimus spirat. *Inaures* auditum obedientium; annuli signaculum secretorum, aut certe fidem, qua sponsatur anima Christo. Gemmæ *pendentes in fronte* pretiosum gloriosæ crucis signaculum, quod in fronte gestamus. *Mutatoria* alternationem religiosæ conversationis, ut in illis virtutibus quis exerceatur, et modo contemplativam, modo activam vitam ducat. *Pallia* exteriorem habitum bonæ operationis. *Linteamina* mundum et candidum mentis ornamentum. *Acus* compunctionem. Acubus enim ornata crinium compago retinetur, ne laxius fluant et sparsi dissipentur.

(41) Alias deest, *omne*.

(42) Alias *palliola*

Digitized by Google

Sic et compunctionis virtus cogitationes inaniter fluitare non sinit, sed eas decenter et ordinate stringit.

Speculum sanctæ lectionis est studium, in cujus consideratione deprehendimus, quid deformitatis, quidve pulchritudinis interior homo noster habeat. *Sindones* subtile vestimentum justitiæ eorum, qui dicere possunt : « Exspoliavi me tunica mea (*Cant.* v, 3), » id est veteri conversatione.

Vittæ quæ capita mulierum decenter occultant, et ornant, honestam mentis verecundiam exprimere possunt.

Theristrum vero quasi æstivale dicitur indumentum ; *quia Theri* græce vocatur æstas. Fit enim hoc vestimentum de optimo lino valde subtile, et utuntur eo in æstate mulieres Mesopotamiæ, et Arabiæ atque Hispaniæ. Quid est ergo Theristrum animæ nisi subtilissimus atque mundissimus castæ mentis habitus interior, non sinens eam carnalium vitiorum æstu calefieri, sed optimum ei præstans refrigerium in ardore tentationum ?

Et hæc quidem tot et tanta bona, priusquam delerentur, habuerunt *filiæ Sion*, id est fideles animæ. Sed quia post religiosam conversationem elevatæ in superbiam et lasciviam dissolvuntur, in die, qua *Dominus verticem earum decalvabit*, auferet eis hæc omnia, id est partim in hoc sæculo, et prorsus in die judicii, sicque amissionis tantorum bonorum operum causa et initium erit superbia. Nihil enim bonorum operum remanere ibi poterit, ubi dominatur superbia. Quia sicut ventus pulverem, sic superbia omnes virtutes rapit. Unde et apte subjungitur.

Vers. 24. — « Et erit pro suavi odore fetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. »

Nam suavis odor opinio virtutum est, de qua dicit Apostolus : « Christi bonus odor sumus Deo (*II Cor.* II, 15). » Fetor vero mala opinio est et infamia. Ubi ergo virtutes auferuntur, et vitia succedunt, ibi *pro suavi odore est fetor.*

Zona autem cingulum castitatis significat ; *funiculus* vero peccatum luxuriæ. Unde et de Domino alias scriptum est : « Balteum regum dissolvit et præcingit fune renes eorum (*Job* XII, 18). » Reges enim sunt, qui membrorum suorum motus bene regere sciunt. Sed cum de ipsa continentia elatione mens tangitur, plerumque Deus, superbiam ejus deserens, hanc immunditia operis cadere permittit. *Regum* vero *balteum dissolvit*, quando in his, qui bene regere membra sua videbantur, propter elationis culpam, castitatis cingulum destruit. Et *præcingit fune renes eorum*, quatenus, dissoluto pudicitiæ cingulo, membris eorum peccati delectatio dominetur, ut quos in occulto superbia inquinat, quam sint detestabiles, etiam in publico ostendat. Hoc est itaque quod nunc de elatis filiabus Sion dicitur : *Quoniam erit eis pro zona funiculus.*

Sed et *pro crispanti crine calvitium erit.* Si caput intelligitur mens juxta Scripturarum consuetudinem, qui sunt crines hujus capitis nisi sensus et cogitationes ? Crines ergo crispantur, quando sensus et cogitationes pulchris ordinibus disponuntur. Sed *et pro crispanti crine* datur *calvitium*, quando pro sensu formosis rationabilium cogitationum gradibus dispositio pudenda et ridiculosa mentis exhibetur in perversi operis ostensione nudatio.

Fascia vero pectoralis est divina dilectio, quæ vagarum cogitationum motus per amoris intimi vincula restringit. In cilicio autem peccati asperitas et punctio designari solet. *Pro pectorali* igitur *fascia cilicium* est, quando pro charitate et cordis disciplina, quæ mentem in cogitatione Deum diligendi stringere consueverat, peccatorum asperitas et odiorum stimuli, malarum cogitationum (43) punctione mentem lacerant. Sequitur :

Vers. 25. — « Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in prælio. »

Pulcherrimi viri Ecclesiæ sunt, qui in spiritali bello fortiter dimicant, viriliter agunt, et honestissime conversantur in religione divina. Et *fortes* ejus sunt, qui in spiritali bello fortiter dimicant. Sed nonnunquam etiam tales viri, dum de sua pulchritudine gloriantur, cadunt a statu suæ rectitudinis, *gladio* nequissimæ delectationis transfossi ; et qui *fortes* videbantur, plerumque *in prælio* carnalium delectationum (44) victi succumbunt. Unde et Jeremias ait : « Juvenes eorum confodiantur gladio in prælio (*Jerem.* XVIII, 21). » Juvenes quippe gladio confodiuntur in prælio, cum ii, qui in novitate vitæ fortiter ambulant et alacriter, in articulo tentationis transfiguntur mucrone delectationis.

Quod si de animæ statu intelligimus, quæ post virtutes peccaverit, pulcherrimos ejus viros accipimus bona opera, quæ hostili *gladio* cadunt. Et *fortes* ejus virtutes, quæ in spiritali *prælio* pereunt. Ubi post tanta virtutum detrimenta, post tam multiplicem animarum ruinam, congrue subjungitur de Ecclesia :

Vers. 26. — « Et mœrebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit. »

Portæ enim Ecclesiæ sunt sancti doctores et præpositi, per quorum ministerium Ecclesiam quisque ingreditur. Qui inter hæc virtutum damna præcipue mœrent et lugent ; quia sicut lucrum animarum sollicite quærunt, sic detrimentum earum affectuose plangunt. Qui quotidie magis magisque vident, quæ gravius defleant ; quia venerunt dies et veniunt, de quibus ait Apostolus : quod novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites,

(43) Cod. G. *malorum cogitatuum.*

(44) Cod. G. *tentationum.*

Digitized by Google

sine benignitate, protervi, tumidi, proditores, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (*II Tim.* III, 2-5). Nam hæc omnia mala redundare cernimus in hujus temporis hominibus. Unde et postmodum malis amplius excrescentibus, et Antichristo regnante, sancta Ecclesia desolata *sedebit in terra*, id est in humilitate et tristitia perdurabit lugens, nec ab homine consolabitur in tantis malis. Quod et Jeremias intuens, ait : « Quomodo sedet sola civitas plena populo? Facta est quasi vidua domina gentium (*Thren.* I, 1).

Moraliter autem, quicunque locum dederit diabolo, et non omni custodia servaverit cor suum, lugent *portæ ejus*, et absente sponso, semper in luctu est, ac de excelsis corruens in terræ pulvere sedet. Itaque detrimenta eorum, qui post religiosam conversationem, diabolo insidiante, virtutes et bona quæ fecerunt amittunt, descripsit hactenus propheta multipliciter. Hinc ad illud tempus, quo septiformis Ecclesia venit ad Christum, reducit verba dicens : « Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa. » Sed historialiter, ut superius dicere cœpimus, tempore obsidionis Jerusalem, decalvavit Dominus verticem filiarum Sion, et abstulit eis ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques et cætera, quæ describuntur. Unde cum ad crucem duceretur, ait : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros : quoniam venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : cadite super nos, et collibus : operite nos (*Luc.* XXIII, 28-30). » Quis enim pensare valeat afflictionem et tædium vitæ quod patiebantur, atque angustias, dum dicerent montibus : *Cadite super nos?* Omnia ergo, quæ nunc describuntur, completa sunt ibi. Nam et pulcherrimi Judæorum ceciderunt gladio Romanorum, et luxerunt portæ Jerusalem obsessæ, cum nemo posset egredi, vel ingredi, et desolata sedit in terra, quia dejecta est in illa tribulatione non habens consolatorem, et ad ultimum destructa. Et quia, quando vetus illa Jerusalem cecidit, nova surrexit, apte subjungitur :

CAPUT IV.

VERS. .— « Et apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. »

Nam quæ sunt istæ *septem mulieres*, nisi septem Ecclesiæ, quæ unam faciunt catholicam? Quis est vir nisi Christus? *Apprehendent* ergo *septem mulieres virum unum in die illa;* quia tempore, quo vetus Jerusalem destructa est, et gratia novæ prædicationis illuxit mundo, septem Ecclesiæ adhæserunt Christo, dicentes : *Panem nostrum comedemus*, id est refectionem spiritalis gratiæ, de qua genus humanum de paradiso expulsum, ait : « Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum (*Psal.* CI, 5). »

Et vestimentis nostris operiemur, id est bonorum operum indumentis, de quibus scriptum est : « Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus (*Apoc.* XVI, 15). » Nam anima quæcunque panem hunc internæ refectionis invisibiliter comedere, et his religiosarum actionum vestibus indui negligit, non potest huic singulari viro placere, qui speciosarum Sponsus est animarum. Et hæc, inquiunt, faciemus, *tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, ut tu vir noster voceris, et nos tuæ conjuges, vel ut a Christo Christianæ dicamur, et in nomine Christi cuncta faciamus. *Aufer opprobrium nostrum*, ut omnem peccatorum nostrorum memoriam deleas, ne postquam tibi legitime spiritaliter sociatæ fuerimus, improperetur nobis, quia priusquam ad te veniremus, fornicatæ simus. Sequitur :

VERS. 2. — « In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel. »

Germen Domini in magnificentia et gloria fuit, cum sempiternus Dei Filius, in carne temporaliter apparens magnitudine virtutum et doctrinæ, mundo clarus effulsit. *Fructus* quoque *terræ sublimis* effectus est, quando carnem, quam de natura nostra quæ de terra est, mortalem Deus susceperat, in virtute resurrectionis immortalem jam redditam ad cœlos sublevavit. Et tunc *exsultatio fuit his qui salvati erant de Israel*, id est, discipulis ejus ; quia sic certificati sunt de gloria resurrectionis ejus, ut eo cœlos petente ipsi non solum nulla tristitia afficerentur, sed etiam gaudio magno replerentur. Nam sicut scriptum est : « Recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum (*Luc.* XXIV, 51, 53). » Et eamdem lætitiam habuit multitudo reliquorum fidelium Hebræorum, quorum erat cor unum et anima una. De quibus et subditur :

VERS. 3. — « Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. »

VERS. 4. — « Si abluerit Dominus sordem (45) filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus spiritu (46) judicii, et spiritu ardoris. »

Omnis, inquit, *qui relictus fuerit in Sion* temporibus apostolorum, *et residuus in Jerusalem* terrena illa civitate Judæorum, *sanctus vocabitur*, sumpto nomine suo a Sancto sanctorum, ac si dicat : christianus appellabitur. Ergo Caiphas vocabitur sanctus? Annas vocabitur Sanctus? Pharisæi et Scribæ vocabuntur sancti? Non. Sed *omnis qui scriptus est*

(45) Alias, *sordes.*

(46) Alias, *in spiritu*, etc.

Digitized by Google

in vita in Jerusalem, id est illi omnes, quibus dicitur : « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Matth.* v, 12). Jerusalem nunc intellige illam supernam, de qua scriptum est : « Non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem (*Psal.* CXXIV, 1). » Omnis ergo, qui tempore apostolorum relictus est in Sion, sanctus est vocatus, qui inscribi meruerit in libro vitæ, sicut et Apostolus ait : « In hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Omnis itaque qui relictus fuerit vocabitur sanctus (*Rom.* XI, 5). »

Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, id est si deleverit peccata Israelitici populi, *et sanguinem Jerusalem, id est* reatum effusionis Dominici sanguinis *laverit in spiritu judicii, et spiritu ardoris*, sicut ait Petrus jam corde compunctis consilium quærentibus, quia Salvatorem se crucifixisse intellexerant : « Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum sancti Spiritus (*Act.* II, 38). » Nam de *spiritu judicii* dicit : *pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum;* de *spiritu* vegnini *ardoris* addidit : *et accipietis donum sancti Spiritus ;* vel quia idem Spiritus, per quem fit remissio peccatorum, primum quidem discipulis datus est *Spiritus judicii*, deinde *Spiritus ardoris :* spiritus *judicii*, quando audierunt : « Accipite Spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX, 22) ; » Spiritus *ardoris*, quando « apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto (*Act.* II, 3). »

Cum autem dicitur : *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion*, dubitative dici videtur, non quia hoc incertum esset apud Dominum, sed quia vix inventi sunt vel pauci inter plurimos, qui mererentur ablui. Per hoc enim quod dicitur : *Si abluerit Dominus*, quia ex magna multitudine pauci forent abluendi, monstratur. Sequitur :

VERS. 5. — « Et creavit (47) Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. »

Appellatione *montis Sion* designatur Ecclesia, sicut scriptum est : « Qui confidunt in Domino sicut mons Sion (*Psal.* CXXIV, 1). » Nubes vero divinam protectionem significat, sicut scriptum est : « Expandit nubem in protectionem eorum (*Psal.* CIV, 39). » Dies autem prosperitatem designat, et nox adversitatem, sicut angelica voce canitur : « Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte (*Apoc.* XII, 10). » Hostis enim antiquus prosperis nos male uti studet accusare, et in adversis patientiam non habere. Itaque *super omnem locum montis Sion*, id est in quocunque loco est Ecclesia, *et ubi invocatus est Dominus*, id est ubicunque vel unus fidelium invocat eum, *creavit nubem* protectionis et umbraculi spiritalis *per diem* prosperitatis. Nam quia in prosperis solet mentem gravius urere calor tentationis, ibi divina nubes necessaria est, quæ ardorem carnalium desideriorum semper amoveat, et mentis præstet refrigerium.

In nocte autem adversitatis creavit *fumum et splendorem ignis*. Quis est iste ignis, nisi de quo dicit : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? » (*Luc.* XII, 49.) Hic ergo ignis aliis fumum, et aliis splendorem habere videtur, juxta quod Apostolus ait : « Aliis quidem sumus odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ ad vitam (*II Cor.* II, 16). » Dum enim unum idemque miraculum cernitur a pluribus, et alii quidem blasphemant, alii autem convertuntur, vel prædicationis verbum alii impugnant, alii recipiunt, procul dubio ignis iste aliis fumum, quo cæci fiant, et aliis splendorem, quo illuminentur, habet. Sed adhuc eadem sententia repetitur, cum subditur : « Super omnem enim gloriam protectio. »

VERS. 6. — « Et tabernaculum erunt (48) in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine et a pluvia. »

Omnis namque electus quid est nisi *gloria Dei?* Ait enim : « Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum (*Isa.* XLIII, 7). » *Super omnem* itaque *gloriam*, id est super unumquemque electum *protectio et tabernaculum est in umbraculum diei* prosperitatis *ab æstu* vitiorum, ut, quando prosperitas arridet et æstus vitiorum torrere (49) mentem appetit, divina protectio nobis obumbret, ac spirituale præbeat refrigerium. Et eadem protectio nobis fit *in securitatem a turbine* tribulationum, et tabernaculum illud *in absconsionem a pluvia* blandimentorum, ut sub Dei protectione securi simus non timentes adversitatum turbines, et in tabernaculo obumbrationis ejus absconsa mens nostra non tangatur pluviis blanditiarum, et mollium sermonum, dicens : « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die mala : protexit me in abscondito tabernaculi sui (*Psal.* XXVI, 5). » Hucusque verba secundæ visionis divinus vates protulit : hinc ad alia transitum facit

CAPUT V.

VERS. 1. — « Cantabo, inquit, dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. »

Canticum lætitiæ Moyses, transito mari Rubro, cecinit (*Exod.* XV), Debboraque, cum Barach peracta victoria (*Jud.* V), et David liberatus ab omnibus inimicis suis (*II Reg.* XXII); Jeremias vero canticum lamentabile cecinit, dicens : « Quomodo sedet sola civitas plena populo (*Thren.* I, 1), » etc. Novissimum quoque Moysi canticum tristitiæ magis est quam gaudii, quia ibi prædicitur infidelitas populi. Ita et nunc Isaias canticum mœroris cantaturus est : *Can-*

(47) Alias, *creabit.*
(48) Alias, *erit.*
(49) Cod. G., *errore.*

Digitized by Google

tabo, inquit, *dilecto meo*, id est Deo Patri, *canticum patruelis mei*, id est Domini Jesu, qui mihi futurus est consanguineus assumptione carnis, *canticum* dico habitum *vineæ suæ*, id est plebi suæ. *Patruelis* est filius patrui, patruus vero est frater patris, sicut avunculus frater matris. Patruelem ergo suum appellat propheta Christum, propter generis propinquitatem, quia ex illa plebe sumpturus erat humanitatem.

Vel Christus est dilectus, cui Pater ait : « Tu es Filius meus dilectus (*Marc.* I, 2). » Et ille dilectus carmen fecit lugubre vineæ suæ, quod ego *cantabo dilecto* populo meo. Canticum vero sic incipit : « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. » Et in sequentibus dicitur : « Vinea enim Domini Sabbaoth domus Israel est. » Quid autem *cornu* nisi fortitudinem regni designat? *Facta est* ergo *vinea dilecto meo in cornu*, quando antiquus Dei populus in regnum profecit. *Facta est in cornu filio olei*, quia virtus regni ejus fuit ex gratia Dei. Sequitur :

VERS. 2. — « Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam. »

Sepivit vel sepit *eam* angelorum custodiis. *Et lapides elegit ex illa*, quia reliquias Amorrhæorum abstulit, et adversarios expulit. *Et plantavit eam electam*, quia *elegit* eos sibi « in peculium ex cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt (*Exod.* XIX, 5). » Sequitur :

« Et ædificavit turrim in medio ejus, » id est templum. « Et exstruxit torcular (50), » id est altare, in quo sanguis hostiarum effundebatur, sicut exprimitur uva in prelo. Post hæc omnia beneficia subditur :

« Et exspectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas. » *Exspectavit*, ut vinea sua secundum naturæ suæ dulcedinem *faceret uvas*, id est, ut populus Dei jucundos ac dulces bonorum operum fructus redderet; sed e contrario *fecit labruscas*, id est amara, et agrestia paganitatis opera. Labrusca quippe racemus agrestis est, et vocatur labrusca; quia in labris terræ nascitur, id est juxta vias in sepibus, significans opera gentium, quæ erant in circuitu eorum. *Fecit labruscas vinea Domini*, quia Judæa, degenerans a fructu patriarcharum, non justitiæ fructum, sed paganitatis opera fecit. Deinde vox ipsius patrisfamilias infertur, dicentis :

VERS. 3. — « Nunc ergo, habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, » etc.

Hoc loco tacetur quid habitatores Jerusalem censentes responderint. Sed in Evangelio declaratur. Dixerunt enim : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis (*Matth.* XXI, 41). Cumque se proprio condemnassent judicio, subjecit exponendo Dominus : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*ibid.*). » Simili modo et hic loquitur : *Judicate*, inquit, *inter me et inter vineam meam.*

VERS. 4. — « Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas? »

Subaudi : facere non debui? Nunquid enim mea culpa est, quia fecit labruscas, dum exspectarem ut faceret uvas?

VERS. 5. — « Nunc (51), inquit, ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. »

Et quod in Evangelio dicit : « Auferetur vobis regnum Dei (*Matth.* XXI, 43), » hoc loco subjungit : « Auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. »

VERS. 6. — « Et ponam eam desertam, » etc.

Auferam sepem ejus, id est custodiam angelorum, et munimen defensionis meæ, *et erit in direptionem* exercitui Romano. *Diruam maceriam ejus*, id est murum Jerusalem, obsidente Tito, *et erit in conculcationem* cunctis transeuntibus; quia « cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*Luc.* XXI, 24). » *Et ponam eam desertam* adeo et incultam, ut nullum jam domestici operis fructum proferat, sed agrestia semper opera faciat.

« Non putabitur et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ. » *Non putabitur;* quia rami vitiorum ab ea non abscindentur, sed in peccatis suis morientur, et ligone prædicationis *non fodietur*, ut fructificet. *Et ascendent super eam vepres et spinæ*, id est punctiones peccatorum et criminum.

« Et nubibus, inquit, mandabo, ne pluant super eam imbrem. » Hoc et apostoli dicunt huic vineæ : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lumen gentibus (*Act.* XIII, 46 et 47). » Ipsi enim sunt nubes, quia de eis dicitur : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant (*Isai.* LX, 8). » His ergo jussum est, *ne* prædicationis *imbrem*, super infructuosam vineam *pluant*, quia missi sunt ad gentes, ubi fructum inveniant. Hactenus mystice locutus, jam evidenter, quæ sit hæc vinea declarat, subjungens :

VERS. 7. — « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen delectabile ejus. »

Domus Israel decem tribus significat, et *vir Juda* domum Juda, de qua ortus est Dominus. Propter generis propinquitatem vir omnis Juda *germen delectabile* est; reliquæ vero tribus tantummodo *vinea* ejus, id est populus ejus.

« Et exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor. » Inter me et Barrabbam debuit facere judicium (*Matth* XXVII, 21); sed fecit iniquitatem, id est legis transgressionem,

(50) Alias, *torcular in ea.*

(51) Alias. *Et nunc.*

Digitized by Google

homicidam, quem lex damnat (*Num.* XXXVIII), liberans; νόμος, nomos quippe Græco eloquio vocatur *lex*, et inde *anomia* dicitur iniquitas, quidquid sine lege vel contra legem est. Et *justitiam exspectavi*, ut faceret condemnans impium, *et ecce clamor* adversum me dicentium : « Crucifige, crucifige eum (*Luc.* XXIII, 21). »

Nunc videamus si hæc de illis intelligi possint qui nomine Christiano censentur. « Vinea, inquit, facta est dilecto meo in cornu filio olei. » Ecclesia est *vinea* Dei, quæ quot sanctos profert, quasi tot palmites mittit, quibus ipse loquitur : « Ego sum vitis, vos palmites (*Joan.* XV, 5). » Per *cornu* vero, id est *per angulum* agri designatur egregia et optima pars terræ, et per hanc electa pars humani generis. *Facta est* igitur *in cornu vinea*, quoniam in electa parte hominum plantata est Ecclesia : Per *oleum* autem sancti Spiritus unctio figuratur. Ait ergo : « Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. » Filius quippe olei populus fidelis est, qui ad fidem Dei interna sancti Spiritus unctione generatur. De quo rursus oleo dicitur : « Computrescet jugum a facie olei (*Isa.* X, 27). » Jugum quippe a facie olei computrescit, quia dum gratia sancti Spiritus ungimur, a captivitatis nostræ servitute liberamur, dumque maligni spiritus dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. *Vinea* ergo *facta est dilecto meo in cornu filio olei*, quoniam Ecclesia facta est Christo in electis et spiritalibus viris, qui ex cœlesti gratia nati sunt.

« Et sepsit eam et elegit lapides ex illa, et plantavit eam electam. » *Sepsit eam*, sicut scriptum est : « Salvator ponetur in ea murus (*Isa.* XXVI, 1). » Et *in* Zacharia : « Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis *in* circuitu (*Zach.* II, 5). » Vel munitio disciplinæ sepis nomine designari potest. *Sepsit* ergo *eam*, quia munimen disciplinæ dedit ei. Quid vero per *lapides* vineæ noxios nisi duritia figuratur eorum, qui in incredulitate permanserunt, dum fidem mundus susciperet? *Elegit* igitur *lapides ex illa;* quoniam reliquias infidelium diligenter abstulit de medio habitationis fidelium, et omnia, quæ Dei cultum impedire potuerunt.

« Et plantavit eam electam. » Quia, sicut alibi dicitur : « Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Bonum igitur semen, hi sunt filii regni (*Matth.* XIII, 37, 38). » Licet igitur zizania superseminaverit inimicus, tamen pater familias non nisi bonum semen in agro suo seminavit, et *vineam* suam *plantavit electam*.

« Et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea. » *Ædificavit* in ea *turrim;* quia dedit ei præpositos, quorum conversatio velut turris excelsa superemineret, ac provideret ei, custodiretque illam, de quibus dicitur : « Et abundantia in turribus tuis (*Psal.* CXXI, 7). »

Quid autem per *torcular* nisi pressura tribulationis et districtio disciplinæ figuratur, quæ purgat electos A a sordibus vitiorum, et separat a reprobis, sicut eliquatur uva in prelo, et oleum ab amurca dividitur? Unde et nonnulli psalmi *pro torcularibus* intitulantur. Itaque tot et tantis Dei beneficiis acceptis videamus, quid homo reddiderit. Sequitur :

« Et exspectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas; » quia postquam Deus ei tot bona tribuit, et reliquias infidelium quasi lapides ejecit, pacem illi ubique largiens, mox crescente carnalium multitudine vitiis adhæsit, et in plerisque, qui Christiani dicuntur, gentiliter vivit. Non solum Ecclesiam, sed et unumquemque nostrum diu superna pietas ad bene agendum exspectat. Unde et pollicetur dicens : « Si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia, venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi (*Luc.* B XII, 38). »

Et fecit, inquit, *labruscas*, quia, proh dolor! nec exspectati erubescimus carnaliter vivere et perversorum exempla sectari, atque infidelium opera facere.

« Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. » *Habitatores Jerusalem* ii sunt qui habitant in Ecclesia. Hæc enim civitas magni Regis, hæc est visio pacis. Pax quippe in nobis, si tamen filii pacis sumus, multiplicatur. Sed et *viri Juda* nos sumus propter Christum, qui ex Juda natus est. Ipsum quoque nomen Juda refertur ad Christum, sicut scriptum est : « Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui (*Gen.* XLIX, C 8). » Nunc itaque sermo est ad habitatores Jerusalem, id est ad eos qui sunt in Ecclesia, et ad viros Juda, haud dubium quin ad Christianos. Et hoc eis dictum intelligere possumus, qui sedebunt « super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). » Nam et modo judicatur per eos vinea Domini : « quia tempus est, ut incipiat judicium de domo Domini (*I Petr.* IV, 17), » quæ et vinea ejus est.

« Et nunc, inquit, ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. » *Auferam sepem* munitionis et defensionis ejus; quia ego murus eram in circuitu ejus. *Et erit in direptionem* avidis prædonibus, id est malignis spiritibus, qui virtutum bona diripient. D *Diruam maceriam ejus*, id est munimen disciplinæ ejus destruam, ac religionem ipsius. *Et erit in conculcationem;* quia in cœno vitiorum conculcabitur ab immundis spiritibus. Unde et alias dicitur : « Aperite, ut exeant, qui conculcent eam (*Jerem.* L, 26). » *Et ponam eam desertam*, ut jam nullum boni operis fructum proferat.

« Non putabitur, et non fodietur, et ascendent super eam vepres et spinæ. » Putatio est æstimatio, Quando enim vitem quis ad purgandum sumit, putat, id est considerat et æstimat quid abscindere debeat, et quid dimittere. Ita et Deus opera fidelium suorum considerat, et bona quidem conservat, mala vero resecat; qui vero malis actibus assidue sunt dediti, et obstinato animo præcepta conculcant, non

Digitized by Google

facile eorum recidit vitia, sed terribili judicio derelinquit eos in malitia sua. Et hoc est quod nunc minatur, quia *non putabitur*, neque proscindetur, nec de malis, quæ facit, increpabitur, sed in horrore iniquitatum suarum inculta deseretur.

« Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. » Nubes sunt sancti prædicatores, qui arentem humani pectoris terram cœlestis intelligentiæ fluentis rigant. Sed jubentur continere pluviam, cum indigna fuerit auditoris anima imbre (52) cœlesti, sicut per Salomonem dicitur : « In auribus insipientium ne loquaris, quia despiciunt doctrinam eloquii tui (*Prov.* XXIII, 9). » Nam propter nimias subjectorum culpas sermo prædicationis aufertur doctoribus. Unde Ezechieli Dominus dicit : « Linguam tuam adhærescere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est (*Ezech.* III, 26). » Hinc et Amos ait : « Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est (*Amos* V, 19). » Hoc est ergo quod dicitur ; quia *nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*, quod nostris diebus nimium compleri gemimus, quia vix jam verbum Dei populo ejus quisquam loquitur.

« Vinea enim Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen delectabile ejus. *Domus Israel* est, cui per Apostolum dicitur : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ filii estis, secundum promissionem hæredes (*Galat.* III, 22). » *Domus Israel* Ecclesia est, quæ fidem patriarcharum sequitur ; et Ecclesia *vinea* Dei est. *Vir Juda* Christianus quilibet est, sicut supra monstravimus, et ideo *vir Juda germen delectabile ejus* est ; quia [in iis filiis delectatur Deus « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I, 19). »

« Exspectavi, ut faceret judicium, et ecce iniquitas ; et justitiam, et ecce clamor. » Facere judicium et justitiam Dei est, ut in omnibus operibus, quæ cogitas facere, primo cogites Deum ; et si secundum Deum est quod cogitas, diligenter examines ; et si est rectum coram Domino, perficias illud. Si vero adversum fuerit repertum, amputes illud ab anima tua. Sed qui levitatem suæ voluntatis sequuntur, dum *exspectantur, ut faciant judicium et justitiam*, erumpit *iniquitas et clamor*. Qui enim minora peccata committit, quasi loquitur prava in auribus Dei ; qui vero gravia mala perpetrat, jam ad aures Omnipotentis *clamat*. Unde scriptum est : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est (*Gen.* XVIII, 20). » Talis ergo clamor ad Deum quotidie ab iniquis ascendit. Sequitur :

VERS. 8. — « Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ; nunquid habitatis (53) soli vos in medio terræ ? »

Nunc de perditis moribus populi sui manifeste Propheta loquitur interpretando, quod superius allegorice dixerat, vineam Domini fecisse labruscas, increpans avaros et sectatores ebrietatis, et eos, qui iniquitates protrahunt, et qui malum laudant, bonumque blasphemant, vel qui sibi sapientiam arroganter vindicant, aut qui multum se bibere vinum gloriantur, et singulis istis *væ* perpetuæ amaritudinis minatur. Sed sicut hucusque ea quæ de populo Judæorum dicta sunt, ostendimus et de Christianorum populo dici : ita et nunc ad illos pariter, qui Christiano censentur vocabulo, et talia faciunt, comminationes propheticas intelligamus dirigi. Quicunque ergo aliena rapere contendunt, cum multiplicare largæ habitationis spatia, vel agrorum fines extendere cupiunt, audiant quod dicitur : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ; nunquid habitatis soli vos in medio terræ ?* Ac si dicatur : Quousque vos extenditis, quasi habere in communi mundi habitatione consortes minime possitis ? Sequitur :

VERS. 9. — « In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. »

Talia opera, sicut et supra dictum est, ad aures superni Judicis clamant. Qui iratus adjungit : « Nisi domus multæ desertæ fuerint. » Defectio dictionis est signum vehementer, et quod minatur, maxime confirmantis. Unde cum Pharisæi signum de cœlo quærerent ab illo tentantes illum, « ingemiscens spiritu ait : Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum (*Marc.* VIII, 12). » Et alibi : « Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam (*Psal.* LIV, 11). » Iratus ergo, eis qui conjungunt domum ad domum dicit : *Nisi domus multæ desertæ fuerint ;* quia dum avari multiplicandis possessionibus insistunt, inopinata morte rapiuntur. Unde dives, qui dicebat : « Destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare (*Luc.* XII, 18, 19), » divinitus audivit : « Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te ; quæ autem præparasti, cujus erunt ? » (*Ibid.* XX.) Hoc itaque minatur dicens : *Nisi domus multæ desertæ fuerint.* Et ad hoc quod dixerat : *agrum agro copulatis*, subjungit :

VERS. 10. — « Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. »

Nam quia agros copulant agris, ut exinde frugum abundantiam colligant, justo Dei judicio fiunt vineæ et agri eorum steriles, ut *decem jugera vinearum vix lagunculam* musti reddant, et latitudo agrorum ubi *triginta modii sementis* jacti sunt, vix *tres modios* reddat. Sæpe enim propter avarorum iniquitatem accidit terræ sterilitas. Unde et Aggæus dicit : « Respexistis ad amplius, et ecce factum est minus. »

(52) Cod. Cruc., *rore*.

(53) Recentiores editiones, *habitabitis*.

Digitized by Google

(*Agg.* I, 9). » Post hæc Isaias ebriorum luxuriam increpat dicens :

VERS. 11. — « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. »

VERS. 12. — « Cithara et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. »

Hæc et sine expositione manifesta sunt. Talibus enim delectationibus corrumpuntur, qui futuræ vitæ gaudia non quærunt. Et dum musicis sonis, ac vino resolvuntur, *opus Domini non* respiciunt, id est quid eis *Dominus* agendum præcipiat, non cogitant. *Nec opera manuum ejus*, quæ per ipsum in carne gessit, considerant. Unde et maligni spiritus in omnem vitiorum servitutem eos sibi subjugant. Nam sequitur :

VERS. 13. — « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. »

Dum enim conviviis et potationibus vacant, spirituali fame et siti moriuntur. Sed Judæorum populus idcirco per omnes gentes a Romanis ductus est captivus, *quia non habuit scientiam* Scripturarum, ut Christum, quem sibi Moyses et prophetæ promiserant, cognoscens susciperet. Scriptura vero sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus ; quia exponendo quasi cibus frangitur, et mandendo glutitur. Potus vero est in locis apertioribus, quia ita sorbetur, sicut invenitur. Quasi cibum enim ac potum vidit propheta huic populo defuisse dicens :

« Nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit. » Paucorum quippe est forlia et occulta cognoscere ; multorum vero historiæ aperta sentire. Et idcirco Judææ nobiles non siti, sed *fame* interiisse asserit ; quia, ii qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent, non habebant ; quia vero sublimioribus ab interno intellectu cadentibus parvulorum intelligentia et in exterioribus exsiccatur, recte adjungitur : *Multitudo ejus siti exaruit ;* ac si aperte diceret : Dum vulgus vitæ suæ studium deserit, jam nec fluenta historiæ exquirit. Sequitur :

VERS. 14. — « Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum, absque ullo termino ; et descendent fortes ejus et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. »

Quisquis ab inferno rapitur, in immensum devoratur. Immensam namque ejus latitudinem explicare volens propheta ait : *Dilatavit infernus animam suam*, id est interiora sua. *Et aperuit os suum absque ullo termino*, subaudi, ut infinitam peccantium multitudinem devoret. Sine termino quippe dilatatus et apertus dicitur, quia ad se innumerabiles trahit, et quos in se suscipit, quasi in quadam abysso suæ immensitatis absorbet. Sed et beatus papa Gregorius scribit (*Dialog.*, lib. IV, c. 35), quia « præ cæteris locis in Siciliæ insulis eructante igne tormentorum ollæ patuerunt ; quæ, ut solent narrare, qui noverunt, laxatis quotidie sinibus excrescunt, ut mundi termino propinquante quando certum est illuc amplius exurendos colligi, tanto et eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri. Quod omnipotens Deus ad correctionem viventium in hoc mundo voluit ostendi, ut infideles, qui inferni tormenta esse non credunt, tormentorum loca videant, quæ audita credere recusant. » Bene itaque dicitur, quia, excrescente malorum multitudine, *dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino.* « Et descendent, inquit, fortes ejus et populus ejus, et sublimes gloriosique ejus ad eum. » Hoc de Judæis tunc maxime completum est, quando Romanis obsidentibus urbem Jerusalem, tam nimia multitudo infidelis illius populi fame et peste et gladiis interiit. De quibus et additur :

VERS. 15. — « Et incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et oculi sublimium deprimentur. »

VERS. 16. — « Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, et Deus sanctus sanctificabitur in justitia. »

Nam qui se contra Romanos, imo contra Deum erigebant, capta Jerusalem incurvati sunt catenis Romanorum, et in captivitate depressi. *Et* exaltatus est *Dominus* Jesus conculcans eos, qui se hactenus conculcaverant, qui in se *sanctus* est *in justitia*, et in conspectu hominum juste condemnans hostes suos et Romanis tradens, quibus deletis vel exterminatis Ecclesiæ prædicatio vires obtinuit. Nam sequitur :

VERS. 17. — « Et pascentur agni juxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa, advenæ comedent ea. »

Agnos dicit pascendos, de quibus audivit Petrus : « Pasce agnos meos (*Joan.* XXI, 16). » Et quibus per Jeremiam dicit Dominus : « Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina (*Jerem.* III, 15). » Et horum singuli *pascentur juxta ordinem suum ;* quia, cum sint in Ecclesia diversi ordines, sancti doctores noverunt qualiter unumquemque debeant instruere. *Deserta* autem vocantur Scripturæ sacræ, quæ apud Judæos incultæ erant, dum spiritalis earum sensus non frequentaretur (54). Sed hæc *deserta in ubertatem versa* spiritalis intelligentiæ *comedent* nunc *advenæ*, id est gentiles.

Populus quoque Christianus spiritaliter captivus ducitur (55), quia Scripturarum scientiam habere negligit, dum litteras minime discit. *Et nobiles ejus*, id est sacerdotes *interierunt fame* verbi Dei : quia

(54) Cod. G., *spiritales e. s. n. frequenturentur.*

(55) Cod. Cruc., *dicitur.*

Digitized by Google

nec ipsi Scripturas intelligunt terrenis actibus dediti. *Et multitudo ejus*, id est simplices, scientiæ sitim patitur. *Propterea dilatat infernus animam suam*; quia propter eos amplificantur loca tormentorum. *Et descendent fortes ejus ad eum*; quia « potentes potenter tormenta patientur (*Sap.* VI, 7). » *Et populus ejus*; quia sicut Osee dicit : « Populus non intelligens vapulabit (*Ose.* XL, 14). » *Et incurvabitur homo* ad pœnam, qui nunc erigitur in superbiam. *Et oculi sublimium* humiliabuntur. Sed hæc intelligenda relinquentes ad alia transeamus. Sequitur :

VERS. 18. — « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. »

VERS. 19. — « Qui dicitis : Festinet, et cito veniat opus ejus, ut videamus, et appropiet, et veniat consilium sancti Israel, et sciemus illud ! »

Iniquitas *in funiculis* trahitur *vanitatis*, cum per augmentum culpa protelatur. *Funiculus* enim *vanitatis* peccatum est, qui et peccatorem constringit et tamen in seipso nihil est, quia substantiam non habet. Unde per Psalmistam dicitur : « Funes peccatorum circumplexi sunt me (*Psal.* CXVI, 61). » Quia enim funis addendo torquetur, ut crescat, non immerito peccatum in fune figuratur, quod perverso corde semper dum defenditur, multiplicatur.

Vinculum autem *plaustri* corrigia est, quæ bovem ligat, ut jugum portet et plaustrum oneratum trahat. *Et quasi vinculum plaustri peccatum* trahitur, quando diaboli jugum cum ingenti iniquitatum onere portatur. Sed ita protrahunt nequitiam, qui malis operibus digna quandoque supplicia pati non credunt. Unde et irridentes, dicunt : *Festinet, et cito veniat opus ejus*, quod facturus est in die judicii. *Et veniat consilium Sancti Israel*, quod ipse cogitavit de præmiis justorum et retributione malorum, *et sciemus illud*. Hæc ideo sic loquuntur, quia se puniendos non æstimant. Sequitur :

VERS. 20. — « Væ qui dicitis bonum malum (56), et malum bonum ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. »

Culpa, cui *væ* nunc indicitur, vix ab ullo vivente potest evitari. Sæpe enim *malum*, quod nobis placet, *bonum* dicimus; *et bonum*, quod nolumus, *malum* appellamus. Sæpe *tenebras* erroris nostri lumen scientiæ jactamus, *et lumen* consilii alicujus fratrum *tenebras* imperitiæ vocamus. Sed et amaritudines quibus replemur, dum concupiscentiis nostris servire volumus, dulces æstimamus, quia præsens sæculum diligimus; et dulcedinem spiritalis conversationis amaram judicamus. Et ejusdem criminis est bonum lucemque et dulce contrariis vocare nominibus, cujus *malum*, *tenebras*, *et amarum*, vocabulis appellare virtutis. Hoc contra eos, qui peccatum non putant, si bono detrahant, et non æstimant delictum, si laudent malum. Judæi quoque tunc præcipue *malum bonum* vocaverunt, *et bonum malum*, quando dixerunt Domino : « Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? » (*Joan.* VIII, 48.) Posuerunt *tenebras lucem*, *et lucem tenebras*, dicentes cæco : « Tu discipulus ejus sis; nos autem Moysi discipuli sumus (*Joan.* IX, 28). » Posuerunt amarum in dulce, et dulce in amarum, quando in Passione Salvatoris clamaverunt : « Tolle hunc, et dimitte nobis Barrabam (*Luc.* XXIII, 18). » Potest et aliter atque aliter adhuc hæc sententia intelligi. Sed ad alia festinamus. Sequitur :

VERS. 21. — « Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. »

Superbus semper sibi sapiens videtur, et se prudenter æstimat agere. Si quis fratrum consilium ei dederit, et dixerit ei : Frater non sic debes agere, non dignatur audire, quia sapientiorem se putat quam illum. Unde bene per Apostolum dicitur, quia « qui se putat aliquid scire, nondum novit, quomodo oporteat eum scire (*I Cor.* VIII, 9). » Providendum est enim, ne accepta sapientia, cum ignorantiæ tenebras illuminat, humilitatis lumen tollat, et sapientia jam esse nequeat, quæ etsi virtute locutionis exterius fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat. Qui enim sibi sapiens arroganter videtur, tanto longe est a luce veræ sapientiæ, quanto apud se humilis non est. Tales erant Scribæ et Pharisæi, qui se sapientes jactabant, et sapientiam Dei, quæ est Christus, persequebantur. Sequitur :

VERS. 22. — « Væ qui potentes estis ad bibendum vinum et viri fortes ad miscendam ebrietatem ! »

VERS. 23. — « Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi auferetis ab eo. »

« Modico » quidem « vino » Timotheus sanctus « propter stomachum et frequentes suas infirmitates uti (*I Tim.* V, 23) » jussus est. Sed quod justus parce sumit necessitate coactus, hoc perversi immoderate capiunt delectatione illecti, et in eo gloriantur, quod multum vinum bibere possunt, quo ingurgitati statum mentis amittunt, et in judicio propter pecuniam justificant reum, et justum, quia munera non porrigit, damnant. Talia enim sunt opera ebrietatis et avaritiæ. Ea vero, quæ hactenus propheta moraliter est locutus, tam ad Judaicum populum quam ad Christianum referuntur; quæ autem his subjungit, de Judæis intelligamus. Nam quia hæc operati sunt, quæ hucusque redarguit, videamus quid subinferat :

VERS. 24. — « Propter hoc sicut devorat stipulam lingua ignis et calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum quasi pulvis ascendet. »

Hoc de die judicii dicitur, de quo Malachias ait : « Ecce dies veniet succensa quasi caminus, et erunt

(56) Alias, *malum bonum, bonum malum*, etc.

Digitized by Google

omnes superbi et omnes facientes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem et germen (*Malach.* IV, 1).» Sicut ergo stipula devoratur ab igne; sic radix eorum quasi favilla erit. Stipula enim, quæ comburitur, in favillam redigitur.

Radix eorum favillæ fiet similis, quia et a societate justorum evelletur et concremabitur. *Et germen eorum*, quod non apparet viride, *ut pulvis ascendet*, quando Judex ventilabro purgabit aream suam. Erunt enim quasi paleæ ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit. Et quare?

«*Abjecerunt* enim legem Domini (57),» quæ per Moysen data fuerat, ac deinde «eloquium sancti Israel,» id est prædicationem Christi, «blasphemaverunt.» Nam si legem Domini non abjecissent prædicationem sancti Israel non blasphemarent, qui ait: «Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit: Si enim litteris illius non creditis, quomodo verbis meis credetis? (*Joan.* V, 46, 47.) Sequitur:

VERS. 25. — «Ideo iratus est furor Domini in populo, et extendit manum suam super eum, et percussit eum, et conturbati sunt montes, et facta sunt morticinia eorum quasi stercus in medio platearum.»

Furor est vehementissima commoti animi adversus delinquentem inflammatio. Deus autem furorem in se habere non potest; quia, cum sit immutabilis, non mente movetur irascens, sed quod justum est, tranquillus operatur. Sed quia peccatorem percutit, quasi furore commotus in eum videtur.

Iratus est furor Domini in populo Judæorum, et extendens in *eum manum suam*, percutiens eum per Vespasianum et filium ejus Titum. *Et conturbati sunt montes*, id est elati Judæorum optimates. *Et facta sunt morticinia eorum quasi stercus in medio platearum*; quia in obsidione Jerusalem tanta multitudo eorum mortua est fame et pestilentia, ut nemo sufficeret eos sepelire. Sequitur:

«In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.» Usque hodie ira Dei super reliquias Judæorum juste perseverat. Ira enim ejus non est ut hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla dispositio simpliciter constituta. Nam quia ipsi permanent adhuc in malitia, ideo cœlestis ira adhuc super eos permanet. *Adhuc manus ejus extenta* super eos est; quoniam adhuc eos affligit. Sequitur:

VERS. 26. — «Et elevabit signum in nationibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ, et ecce festinus velociter veniet.»

Signum victoriæ suæ signum crucis Rex noster in gentibus levavit, ut inde sibi milites aggregaret. *Et* sibilavit *ad eum*, id est ad crucis signum more pastoris pecora sua sibilo congregantis; et eos *de finibus terræ* congregavit, quia per prædicationem apostolorum etiam ultimos orbis recessus ad fidem suam convocavit. Unde et in Zacharia dicit: «Sibilabo eis, et congregabo illos, quia redemi eos (*Zach.* X, 8).» Et congregatis ad fidem gentibus *ecce festinus velociter veniet* ad judicium, ut reddat illis mercedem; quia juxta dies Domini, juxta et velox nimis (*Sophon.* I, 14).» Cito enim transvolat hujus vitæ brevitas, et mox Christus venit æterna justis laborum præmia reddere. Qui fideliter hæc cogitant, alacriter omnia nunc tolerant, et non deficiunt. Unde subditur:

VERS. 27. — «Non est deficiens, neque laborans.»

Non est deficiens in eo; quia «Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit (*Matth.* XXIV, 19).» Non est ergo in Salvatore nostro quicunque in adversis deficit, quia salutem non habet, neque Christi membrum est. *Neque laborans* in eo est, quia delectabile sanctis est, quidquid pro eo patiuntur. Sequitur:

«Non dormitabit, neque dormiet.» Divinum somnum dicimus remotum Dei, et incommutabile a provisis. Qui rursum vigilat, dum providet eis doctrina aut salute deprecantibus succursum. Electis ergo magnis, de quibus nunc sermo est, nequaquam dormit; quia semper utilia eis providet, et adjuvat eos. Sed neque dormitat; quia nec in modico suos oculos ab eorum providentia claudit. Dormire enim nonnunquam eis fortasse creditur, quia injustorum crudelitatibus hic sine vindicta lacerantur. Sed famulis suis tunc magis vigilat, cum injuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim, quid hic humiliter tolerent, nimirum prævidet quid illic eis misericorditer recompenset. Sequitur:

«Neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus.» Ut infra legimus: «Fides est cinctorium renum ejus (*Isa.* XI, 5).» *Non* ergo *solvetur cingulum renum ejus;* quia non auferetur fides a nobis. Sæpe enim conati sunt persecutores fidem ejus exstinguere, et de mundo tollere. Calceamentum vero prædicationem evangelicam designat, dicente Apostolo: «Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 15).» *Non* itaque *rumpetur corrigia calceamenti ejus;* quia non dissipabitur ligatum calceamentum evangelicæ prædicationis. Ligata est enim doctrina cœlestis in cordibus prædicantium, sicut scriptum est: «Liga testimonium, et signa legem in discipulis meis (*Isa.* VIII, 16).» Nunquam rumpitur corrigia, quæ calceamentum hoc evangelicum ligat in nobis. Sequitur:

VERS. 28. — «Sagittæ ejus acutæ, et omnes arcus ejus extenti.»

Quid in arcubus nisi divinæ Scripturæ figurantur, de quibus sententiæ quasi sagittæ prosiliunt, ut adversariorum corda feriantur? *Acutæ* ergo sunt *sagittæ* ejus; quia ad eos quos per terrorem corrigit, acute ferientes et penetrantes verborum sententias emittit. *Et omnes arcus ejus extenti;* quia omnes

(57) Alias, *Domini exercituum.*

Digitized by Google

divinæ Scripturæ cunctis peccatoribus minas intendunt. Sequitur :

« Ungulæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis. » Solet in equi ungula laboris fortitudo cognosci. Qui sunt autem equi Dei nisi prædicatores sancti, in quibus sedens suos impetit adversarios? Quid per ungulas *equorum* nisi virtutum perfectio, id est recti cursus fortitudo signatur? *Ungulæ* igitur *equorum ejus ut silex;* quia virtus velocis incessus evangelistarum, quo ad prædicandum currunt, robustissima est. Quid autem in rotis nisi volubilitas prædicationis (58) exprimitur? Unde Ezechiel vidit « rotam in medio rotæ (*Ezech.* I, 16); » quia Novum Testamentum intra vetus est. *Rotæ* itaque *ejus quasi impetus tempestatis* feruntur; quia prædicationes ejus valida virtute feriunt et conturbant mentem peccatoris. Sequitur :

VERS. 29. — « Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum, et frendet, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit, qui eruat. »

VERS. 30. — « Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. »

Rugitus ejus ut leonis fuit; quia terribiliter clamavit, dicens : « Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? » (*Matth.* XXIII, 33.) Et : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). Rugiit *ut catuli leonum;* quia terrorem ejusdem judicii per apostolos, qui sunt filii prophetarum quasi catuli leonum, in deserto sæculi hujus clamavit.

« Et frendet, inquit, et tenebit prædam, et amplexabitur, et non erit, qui eruat. » Frenduit, quando persecutoribus respondit : « Ego sum (*Joan.* XVIII, 5). » Mox quippe « abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram (*ibid.* 6). » Tenuit *prædam*, quam rapuerat, id est discipulos quos elegerat, subjungens : « Si ergo me quæritis, sinite hos abire (*ibid.* 8). » Ubi subjecit Evangelista : « Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit : quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quemquam (*ibid.* 9). » Tenuit igitur et amplexatus est *prædam* quasi leo confidens in virtute sua; quia et hostes suos uno sermone prostravit et ex discipulis electis nullum perdidit. Tenuit *prædam*, cum de suis ovibus diceret : « Non rapiet eas quisquam de manu mea (*Joan.* X, 28). »

« Et non erit, inquit, qui eruat, et sonabit super eum. » Quis sonabit? Qui prædam ei frustra conabitur eripere, id est populus Judæorum. *Sonabit super eum sicut sonitus maris*, id est tumultuosa et confusa multitudine clamans : « Reus est mortis, crucifige, crucifige eum (*Joan.* XIX, 6). » Sic autem sonuerunt super eum, qui prædam ei tollere nitebantur, quia idcirco eum occiderunt, ut multitudines fidelium ab eo separarent. Unde et alias scriptum est : « Quia cogitaverunt intra se dicentes : Hic est hæres, occidamus eum, ut nostra fiat hæreditas (*Matth.* XXI, 28). » Quia vero nullus ex eis deinceps ad gaudia Patriæ cœlestis mentem erexit, et desolatio Jerusalem atque captivitas ejusdem populi per manus Romanorum secuta est, voce eorum subjungitur :

« Aspiciemus in terram, et ecce tenebræ tribulationis, et lux obtenebrata est in caligine ejus. » *Aspiciemus*, inquiunt, *in terram*, qui ad cœlum solebamus aspicere, id est jam de terrenis solummodo cogitabimus. *Et ecce tenebræ tribulationis*, erumpent; quoniam tota subito patria per Vespasianum et Titum delebitur. *Et lux* mentis nostræ *obtenebrata est in caligine ejus;* quia fugit a nobis consilium atque sapientia et intellectus præ confusione ac nimietate tribulationis. Hucusque ea, quæ sibi sub Ozia rege divinitus ostensa sunt, Isaias est locutus, amodo, quæ sub rege Joathan viderit vel audierit, locuturus.

CAPUT VI.

VERS. 1. — In anno quo mortuus est rex Osias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant implebant templum. »

VERS. 2. — « Seraphim stabant super illud. »

Quandiu regnum Ozias tenuit, Isaias Dominum Sabaoth videre non potuit. Ozias enim adversus voluntatem divinæ legis ingressus est templum quasi pontifex, et ob hoc lepra percussus est in fronte ita ut extra civitatem ejectus inter immundos computaretur (*II Paral.* XXVI). Quia ergo per nefas ingressus est sanctuarium, merito jam, dum ille viveret, arcanum divinæ visionis non patuit. Grandis enim offensio male reserantis sanctuarium fuit. Et idcirco dignum fuit, ut divinæ habitationis palatium in diebus ejus clausum permaneret. Eo itaque mortuo superna patent palatia, et divinæ majestatis gloria cernitur.

« Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. » Sedere regnantis est, quia « sedebit Dominus rex in æternum (*Psal.* XXVIII, 10). » Dominatus vero est non subditorum excellentia tantum, sed omnis bonorum et optimorum perfectissima et omnimoda possessio, et vera et immutabilis firmitas. Et idcirco solus ille summus imperator jure vocatur *Dominus*. *Solium* ejus specialis ordo spirituum est angelicorum, qui proprie thronus appellatur, *excelsum* in natura sua *et elevatum* contemplatione divina.

« Et ea quæ sub ipso erant replebant templum. » *Templi* nomine superna cœlorum habitatio designatur, Joanne attestante qui ait : « Vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo (*Apoc.* XV, 5). » Atque post pauca : « Et nemo poterat introire in templum, donec consumerentur septem plagæ septem angelorum (*ibid.* 8). » *Ea* ergo, *quæ sub ipso erant implebant templum;* quia

(58) Cod. G., *prædicationum.*

Digitized by Google

superna illa cœlorum habitatio plena est innumerabili frequentia multorum millium angelorum.

Seraphin vocatur ordo qui primus est et summus omnium, qui *stabant super templum;* quia etiam loci positione super omnes reliquos sunt, ita ut inter hos et Deum nulli alii spiritus intersint. Unde et in alia translatione dicitur, quia « Seraphin stabant in circuitu ejus. » Et ob hoc *Seraphin*, id est *ardentes* vel *incendentes* vocantur; quia tanto magis in amore conditoris ardent, quanto hunc vicinius vident. Sequitur :

« Sex alæ uni, et sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. » Quia iste beatorum spirituum ordo charitate pro cæteris ardet, quæ in duobus præceptis distinguitur, et inter duos præcipue cognoscitur, idcirco dicuntur duo *Seraphin*, cum sint innumerabiles. Et quod dicitur : *Sex alæ uni, et sex alæ alteri*, non numerum indicare credamus, sed quia prima, et media, et extrema intellectualium virtutum eorum absolute et libere in Deum volant. Unde circa facies, et medium, et pedes, habere geminas alas describuntur, ut universaliter volabile eorum insinuetur largissime sursum in divina tendens.

Sed per faciem Dei potest accipi fortasse Divinitas, et per *pedes ejus* humanitas. Velant ergo *faciem;* quia et ipsis ea, quæ sunt de Deo, incomprehensibilia sunt. Velant *pedes ejus*, quia sicut Dionysius Areopagita asserit, secundum nos « Jesu divina formatio et arcana est rationi omni, et incognita intellectui omni, et ipsi præstanti honorabilissimorum angelorum. »

Aut certe per faciem et pedes ejus altiora et profundiora divinarum intelligentiarum | accipiamus. Altum quippe Dei est : quia ipse nihil existentium est, neque aliquid alicui existentium cognitum, et neque verbum ejus neque nomen, neque scientia est, sed exaltatur in obscurum super omnia. Profundum quoque ejus est omnibus existentibus incomprehensibilis obscuritas et ignorantia. Dum ergo faciem ejus et pedes tegere dicuntur, et solis mediis alis volare, intelligendum est, quia tam sublimis præcellentissimorum ordo spirituum beatorum timidus est circa divinarum, intelligentiarum sublimiora et profundiora, et mediis alis in commensuratione ad Dei visionem et intelligentiam exaltatur. Faciem quippe ejus et pedes velantes incomprehensibilium illis notitiam quadam venerationis obumbratione sibi ipsis pie occultant, sicque nobis exemplum cautæ formidinis dant, ne quando præsumamus discutere Deum, sed semper laudemus, quoniam ipsi nunquam discutiunt, sed assidue laudant. Itaque faciem et pedes ejus velant, atque mediis alis volant; quoniam sublimia et profunda divinorum ultra modum non perscrutantur, sed in Dei scientia mediocriter et temperate volant. Mediarum quippe volatus alarum incessabile actionum Deum imitantium in mensura est, et altivolum assiduæ motionis eorum. Sequitur :

Vers. 3. — « Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. »

Dum clamare dicuntur *alter ad alterum*, animadvertamus, quia divinas suas intelligentias sibi invicem copiose tradunt. Unde et *seraphim* vocantur, quod interpretatur *principium oris eorum*. Qui enim primi laudes et scientias divinas loquuntur, ac deinde cæteris angelorum subjectis ordinibus loquendas tradunt, merito et *Seraphin*, id est *principium oris eorum* dicuntur.

Clamabant igitur alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum. » Tertio *Sanctus* clamant, nec adjungunt Domini dii, sed *Dominus Deus*, insinuantes quia Pater et Filius, et Spiritus sanctus non tres Domini nec Dii sunt, sed unus Dominus Deus. Qui *exercituum Dominus* appellatur, quia omnis militia cœlorum nutui ejus deservit. In hoc autem hymno diligenter animadvertendum, quia primus iste beatorum ordo angelorum ab ipso Deo theologicam scientiam edoctus est, per quam seipsum velut magistrum demum reliquis tradidit clamando illis : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus. »

Et quia ipse trinus in personis, et unus in substantia Dominus Deus, a supercœlestibus essentiis usquo ad novissima terræ extendit in omnia, quæ sunt, providentiam et bonitatem suam, utpote benignus omnium Conditor, et omnia regit et continet. « Attingit enim sapientia ejus a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). » Unde et ipse cœlestium *exercituum Dominus* dicitur, et *omnis terra gloria ejus plena* esse canitur. Sic enim in cœlo et in terra ubique dominatur. Nam et « omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra (*Psal.* CXIII, 3). » Qui juxta Augustinum in supernis spiritibus summa pace atque amicitia copulatis, et in una voluntate quodam spiritali igne charitatis conflatis tanquam in excelsa et secreta sede residens velut in domo sua et in templo suo, inde se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus primo spiritalibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit, et utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ sive incorporeis, sive corporeis rebus, sive rationabilibus, sive irrationabilibus spiritibus, sive bonis per ejus gratiam, sive malis per propriam voluntatem

Sed quemadmodum corpora crassiora et inferiora per subtiliora, et potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, et Spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator per spiritum vitæ rationalem pium, et justum, et ille per ipsum Deum, ac sic universa creatura per Creatorem suum, ex quo, et per quem, et in quo etiam condita atque constituta est. Ac per hoc voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum. Nihil enim fit visibiliter et sensibiliter, quod non de interiore invisibili, atque intelligibili aula summa imperatoris

Digitized by Google

aut jubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensaque republica. Sic ergo intellige hoc quod canitur : « Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. » Sequitur :

VERS. 4. — « Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis. »

Quod est templi sive domus hujus ostium, nisi janua regni cœlorum? Et qui sunt cardines hujus ostii, nisi illi Spiritus angelici, quorum ministerio patriæ cœlestis ingressus aperitur nobis, vel claudditur? « Ejecit enim Dominus Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* III, 24). » Et ascendente Christo clamatum est : « Tollite portas, principes, vestras (*Psal.* XXIII, 7). » Ipsis ergo commissa est janua vitæ, ut eam vel claudant, vel aperiant. Et ideo cardines accipimus eos, quia in ipsis velut in cardinibus ostium illud vertitur. Sed quæ sunt *superliminaria cardinum* istorum, nisi mentes angelorum? *Commota* ergo *sunt superliminaria cardinum a voce clamantis;* quia dum majores cantant : *Plena est omnis terra gloria ejus*, mentes minorum flectuntur ab obstinatione discordiæ, quam ob peccatum protoparentis habebant adversus eos, qui in terra degunt.

« Et domus, inquit, impleta est fumo. » Subaudi a voce clamantis. Hoc et Joannes sic ait : « Et templum impletum est fumo a majestate Dei, et virtute ejus (*Apoc.* XV, 8). » *Domus* quippe vel templum *impletur fumo a majestate Dei*; quia et ipsi spiritus angelici, qui semper eum in cœlis vident, potentiam majestatis ejus ad integrum comprehendere nequeunt. Nam « nubes et caligo in circuitu ejus (*Psal.* XCVI, 2). » Et « Posuit tenebras latibulum suum (*Psal.* XVII, 12). » Hanc caliginem Moyses ingressus est, ut ibi gloriam Dei videret (*Exod.* XX, 21). Hæc enim caligo vel fumus iste lux illa inaccessibilis est, in qua Deus inhabitare dicitur. Fumus ergo *a majestate Dei domum implet*; quia omnis creatura in ejus cognitione caligat. Sequitur :

VERS. 5. — « Et dixi : Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et regem Dominum exercituum vidi ego oculis meis! »

Reprehendit se de silentio, et labiorum pollutione; quia et nonnulla bona, quæ loqui debuisset, tacuit, et aliqua locutus est inutilia. Tenendus est enim discretionis modus, ut et bona, prout opportunum fuerit, loquamur, et inania verba semper loqui vel audire caveamus. Multum quippe deorsum ducimur, dum locutione continua sæcularibus admiscemur. Quod bene in semetipso reprehendit nunc propheta dicens : « Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum! » Qui cur polluta labia haberet, aperuit, cum subjungit :

« In medio populi polluta labia habentis ego habito. » Pollutionem namque labiorum se habere doluit; sed unde hanc contraxerit, indicavit, cum *in medio populi polluta labia habentis* se habitare perhibuit. Unde enim difficile est, ut lingua sæcularium mentem non inquinet quam tangit. Quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti hanc ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, ut ex ea jam redire non libeat, ad quam vel ex condescensione ducti venimus inviti; sicque fit, ut ab otiosis ad noxia, a levibus ad graviora verba veniamus. Sed propheta sanctus unde se pollutum labiis cognoverit, insinuat subjungens : *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Ex divina enim visione illuminatus est, ut ea cognosceret in semetipso, quæ prius non advertebat. Sequitur :

VERS. 6. — « Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. »

VERS. 7. — « Et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. »

Valida traditione Patrum antiquorum, et qui auditores apostolorum fuerant, affirmatum tenemus, primas virtutes angelicas, quæ sunt in circuitu Dei, nequaquam huc descendere. Cur ergo Seraphim, dicitur ad Isaiam venisse? Sed in hac propheta (59) sententia vult intelligi, quia ii spiritus, qui mittuntur, eorum vocabulum percipiunt, quorum officium gerunt. Quia enim ut peccata locutionis incendat, de altari angelus carbonem portat, *Seraphim* vocatur, quod *incendium* dicitur. Ex minoribus ergo fuit angelus, qui missus est; quoniam summæ illæ potestates in ministerium foras nequaquam venire creduntur. Qui et carbonem cœlestis ardoris in *forcipe* geminæ dilectionis attulit, sive calculum, qui est lapis durissimus atque rotundus et ex omni parte lenissimus, virtutem saneti Spiritus in eo designans, quod virum fortem atque perfectum et integrum, ac mansuetum reddit. Altare vero, quod est in conspectu Dei cumulatum his carbonibus, quid sentire debemus nisi supernarum corda virtutum, ubi sancti Spiritus ignis semper abundat? Unde ad prophetam carbo missus est, id est portio quædam illius ignis, quæ sufficeret sermonis peccata purgare. Sed his per anagogen dictis lectionem a capite revolvamus, sensum in ea mysticum indagantes.

Vidit enim Isaias *Dominum* non quidem sicuti est, sed modo quodam significativo, sicut prophetæ visio fuerat informanda. Quandiu enim in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso jam incircumscripti luminis radio mentis oculos infigat; neque omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illo speculatur anima, unde refota profi-

(59) Codd., *prophetæ*.

Digitized by Google

ciat, ut post ad visionis ejus gloriam pertingat. Cum enim Dominum se vidisse propheta fatetur, dicens : « In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, » protinus subjungit : « Et ea, quæ sub ipso erant, implebant templum. » Quando Ozias rex superbus ac præsumptor moritur, Dominus videtur; quia, mundi hujus elatio a desiderio mentis absciditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contemplatur.

Et notandum, quod Dominus *super solium excelsum et elevatum* sedet. Quid namque est *solium* ejus nisi creatura angelica vel humana, cui per intellectum, quem dedit, præsidet; quod videlicet solium *excelsum et elevatum* dicit; quia natura humana ad cœlestem gloriam elevata proficit, et creatura angelica, dum multis spiritibus cadentibus in cœlo solidata est, ne cadat, inde elevata est, unde confirmata. *Templum* vero ejus hoc est, quod *solium;* quia Æternus rex ibi habitat, ubi præsidet. Nos ergo templum illius sumus, in quorum mentibus habitare dignatur.

Sed *ea quæ sub ipso erant replebant templum;* quia, quidquid nunc de illo conspicitur, adhuc non est ipse, sed sub ipso est. Sic Jacob angelum vidit, et vidisse se Dominum fatetur (*Gen.* XXXII, 30); quia cum et mysteria ejus conspicimus, jam multum est, quod super nosmetipsos levamur. Notandum vero quod dicitur : *implebat templum.* Quoniam et si angelus apparet, infirmæ tamen mentis desiderio satisfacit, ut si adhuc majus non potest, jam tamen minus quod videt, admiretur. Ea ergo, quæ sub ipso sunt, *implent templum;* quia, sicut dictum est, cum mens in contemplatione profecerit, non jam quod est ipse, sed quod sub ipso est, contemplatur. Sequitur :

« Seraphim stabant super illud. » Hoc est quod apud Moysen, duo Cherubim, stant super arcam Testamenti (*Exod.* XXV, 18). Nam per templum vel arcam Ecclesia; per duos seraphin, vel duos cherubin, duo Testamenta figurantur. Quæ super Ecclesiam *stant*, quia nos protegunt, et omnem intellectum nostrum superant. Seraphim, namque, sicut jam diximus, *incendium* dicitur; quia testamenta Dei corda audientium igne charitatis inflammant. Unde Jeremias : « Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, ait Dominus? » (*Jerem.* XXIII, 29.) Et Moyses : « In dextera ejus lignea lex (*Deut.* XXXIII, 2). » Et Psalmista : « Ignitum eloquium tuum vehementer (*Psal.* CXVIII, 140). » Sequitur :

« Sex alæ uni, et sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. » Quid per *faciem pedesque* Dei signatur, nisi hoc quod ante sæcula fuit, et quod post finem sæculi futurum est? *Duabus*, inquit, *velabant faciem ejus.* Quis enim ejus potest scire principium? quid antequam conderet istum mundum, in rerum fuerit æternitate? quando thronos ac dominationes et angelos, totum ministerium cœleste, condiderit? *Et duabus velabant pedes ejus.* Nam extrema quoque ejus quis scire potest? quid post consummationem sæculi sit futurum? Quid postquam humanum genus fuerit judicatum? Quæ sequatur vita, an rursus alia futura sit terra, et post transitionem alia rursus elementa, vel alius mundus solque condendus sit? In Deo etiam maxime, qui nec principium, nec finem habet, omnis ab hac cognitione principii ejus et finis excluditur visus. Ne quæras principium ejus, vel finis ejus arcana, quæ non sunt. Habes præsens esse ejus; sed laudato, non discute.

« Et duabus, inquit, volabant. » Media tantum cognoscimus, quæ nobis ex Scripturarum lectione panduntur, quando plasmatus homo, quando diluvium, quando data lex sit, qualiter ex uno homine universa spatia terrarum completa sint, et extremo tempore Dei Filius carnem sumpserit. Cætera vero, quæ diximus, isti duo seraphim in facie pedibusque texerunt. Nam quia Testamentum Vetus in lege et in prophetis occultat ea, quæ fuerunt ante mundi principium, unus seraphim, duabus alis faciem Dei velabat. Et dum in Evangelio et apostolorum doctrina Testamentum Novum itidem abscondit ea quæ fuerunt ante sæculi creationem, alius seraphim, duabus alis velat ejus faciem. Eodem modo dum ipsa duo Testamenta in lege et prophetis atque in Evangelio et apostolis occultant ea quæ futura sunt post sæculi terminum, uterque seraphim, geminis alis pedes ejus velat; et duabus mediis uterque volat, dum per legem et prophetas, dum per evangelicam et apostolicam doctrinam ea quæ fiunt ab initio sæculi usque in finem, nobis panduntur. Sicque *sex alæ uni sunt, et sex alæ alteri.* Sequitur :

« Et clamabant alter ad alterum. » Pulchre positum est : *alter ad alterum.* Quidquid enim in Veteri Testamento legimus, hoc idem et in Novo reperimus; et quod in Novo fuerit lectitatum, hoc ex Veteris auctoritate deducitur : nihil in eis dissonum, nil diversum. « Et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum. » In ambobus testamentis prædicatur Trinitas. « Plena est omnis terra gloria ejus. » Hoc de tempore evangelicæ prædicationis dicitur. Ubique enim sunt Ecclesiæ beatorum, quæ sunt gloria ejus. In omnibus quippe, qui conversatione sua glorificant Deum, gloria ejus est, atque ita *omnis terra plena est gloria* Dei. Olim non omnis terra plena erat ejus gloria, sed unus angulus terræ, quando dicebatur : « Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (*Psal.* LXXV, 1), » nunc vero totus orbis gloria ejus est plenus.

Sed quid tibi prodest, si omnis terra plena sit gloria, tu autem non sis particeps plenitudinis gloriæ Dei? Si enim ea quæ facis, si ea quæ loqueris, in gloriam Dei fiant, si sermo tuus, si tactus, si processus et ingressus tuus, si cibus ac potus, et omnes actiones tuæ in gloriam Dei fiant, et parti-

Digitized by Google

ceps dicti hujus est : « Plena est omnis terra gloria ejus. » Sequitur :

« Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis. » In alia translatione dicitur : « Et ablatum est superliminare a voce, qua clamabant. » Moysi et Aaron ad ostium tabernaculi semper loquebatur Dominus (*Exod.* XXIX, 4 *et seq.*) quasi designans ante Evangelium, quia necdum eos in sancta sanctorum introduxerit (60), sicut Ecclesia post introducta est, dicens : « Introduxit me Rex in cubiculum suum (*Cant.* I, 3). » Quando ergo Dominus descendit ad terram, *superliminare* illud, id est, qua i quodlam obstaculum intrare cupientibus est ablatum. Vel quando Christus inferni portas confregit et sanctorum animas secum educens ad superna victor r meavit, et regna cœlorum aperuit, tunc *ablatum est superliminare.*

In eo autem quod nova editio habet : « Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, » sic illam admonitionem intelligamus, ut fidelibus aperiri possit superni templi janua, et infidelibus clausa permaneat. Nam « a diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur (*Matth.* XI, 12). » Possumus ergo vim inferre huic januæ, et nobis eam aperire, si volumus ; quia *commota sunt superliminaria* ejus, quæ prius eam immobiliter clausam tenebant.

Et bene dicitur : *A voce clamantis*, et non : a voce clamantium ; quia per gratiam solius evangelicæ prædicationis aperitur porta regni cœlestis. Neque enim Moysi dictum est, quod Petrus audire meruit : « Quia tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI, 19). » Sequitur :

« Et domus impleta est fumo. » — « Deus » noster « ignis consumens est (*Deut.* IV, 24). » Ex hoc igitur igne, quia totam substantiam capere non possumus, levior quædam in universam Ecclesiam, et, ut ita dicam, rarior fumi natura dispergitur. Quam nos capientes dicamus : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus (*I Cor.* XIII, 9). » Et : « Videmus nunc per speculum in ænigmate (*ibid.*, XII). »

« Et volavit, inquit, ad me unus de seraphim, » etc. Quia per duos seraphim duo Testamenta intelligimus, Novum Testamentum missum ad prophetam dicimus, quod habens in se utraque mandata, id est et sua, et Veteris Instrumenti, ignitum sermonem Dei duplici præceptorum acie comprehendit, et tactis labiis, quidquid fuerit ignorantiæ (hoc enim labia nunc interpretari possumus immunda) purgationis suæ repulit veritate. Vere enim carbo, qui linguam puram faciat a peccato, sermo divinus. Sed quia in Hebræo pro carbone *calculus* legitur, videtur mihi sermo divinus ex calculi appellatione signari. Sicut enim calculus genus est lapidis durissimi, et rotundi, et omni parte lenissimi, ita sermo Dei, qui nec hæreticorum nec omnium adversariorum potest contradictionibus cedere, *calculus* dicitur. Videntur autem mihi, et LXX Interpretes in eo, quod *anthraca* transtulerunt, idem sensisse. *Anthrax* quippe, quem nos *carbunculum* interpretamur, genus est lapidis fulgidi atque lucentis, quem et in duodecim lapidibus invenimus (*Exod.* XXVIII, 18). Sive igitur calculum sive carbunculum lapidem accipimus, et in calculo quidem divini sermonis veritas et rigor, in carbunculo autem doctrina lucens et manifesta monstratur.

Quod autem seraphim volasse dicitur, intellige velocem divini sermonis adventum super prophetam, ac Novi Testamenti repentinam cognitionem. Quia ubi Deus magister est, nulla mora fit in discendo. « Et in manu ejus calculus. » *Calculus in manu* sermo est in operatione. Novum enim Testamentum per gratiam facit operibus impleri, quod Vetus nequivit per austeritatem facere. « Quem tulerat de altari. » Quia evangelicum sermonem prædicationis de ara Dominicæ crucis accepit. Et dixit : « Ecce tetigit hoc labia tua, » etc. Tactu calculi, id est divini sermonis, purgatum peccatum, sicut discipulis Dominus ait : « Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis (*Joan.* XV, 3). » Purgatus itaque prophetes, et igne cœlitus succensus subjungit :

VERS. 8. — « Et audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam, et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me. »

Et hic declaratur unus Deus in pluralitate personarum. Sicut enim in Genesi dicitur : « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram (*Gen.* I, 2); » ita et hic puto dictum : *Quis ibit nobis? Nobis* enim quibus aliis æstimandum est nisi Patri et Filio et Spiritui sancto, quibus vadit, quicunque eorum obsequitur voluntati. Et in eo, quod unius loquentis persona præponitur divinitatis est unitas; in eo vero, quod dicitur *nobis*, personarum diversitas indicatur.

« Et dixi, inquit, Ecce ego, mitte me, Deus, qui vocat ea quæ non sunt quasi sint (*Rom.* IV, 17), » et qui dixit : « Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14). » Quoscunque vocaverit, statim facit subsistere; quoniam omnia, quæ absque eo sunt non sunt. Unde et propheta purgatus a vitiis ausus est dicere : *Ecce ego sum.* Notandum autem, quomodo ad id quod dixerat Dominus : « Quem mittam, et quis ibit nobis; » propheta ex parte responderit : « Ecce ego sum, mitte me, » et de sequenti tacuerit, intelligens nullum dignum esse hominum, qui Deo pergeret, et omne iter suum ejus faceret esse, qui mitteret, qui cum diceret : *Mitte me*, per activam vitam prodesse proximis cupiens officium prædicationis appetit. Hla est enim vera charitas, quæ sic ad Deum festinat, ut proximum non deserat. Purgatus ergo per altaris calculum et charitate fervens ultro se, ut mittatur,

(60) Cod. G., *induxerit.*

Digitized by Google

offert, quatenus gratiæ, quam acceperat, alios faceret participes. Sed qui præsentibus pio amore prodesse volebat, mala, quæ futuris erant ventura, primo prophetare visus est, ac deinde audivit eorum bona. Nam sequitur :

VERS. 9. — « Et dixit : Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, » etc.

Locus enim iste ad illud tempus pertinet, quo Dominus in terris conversatus est nova docens et mira faciens, qui de Judæis tunc ait : « Ideo in parabolis eis loquor, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt, ut impleatur in eis prophetia Isaiæ dicens : Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos (*Matth.* XIII, 13-15). » Quia ergo parabolas Judæis non intelligentibus loquebatur Dominus, et signa coram eis faciebat, nec intelligebant, quia totum carnaliter sapiebant, merito divina eis sententia per increpationem prophetiæ dixerat : *Audite*, subaudi verba Salvatoris et nolite cognoscere, quid ea significent.

VERS. 10. — « Excæca, inquit, cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videant (61) oculis suis, et auribus suis audiant (62), et corde suo intelligant (63), et convertantur (64), et sanentur (65). »

Quis nunc in Isaia figuratur, qui populum Judæorum excæcare præcipitur, nisi persona prophetarum et ipsius legislatoris? Isaiæ ergo dicitur : « Excæca cor populi hujus. » Quia sicut Apostolus ait : « Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem ad ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet revelatum, quoniam in Christo evacuatur. Sed usque in hodiernum diem cum legitur : Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversi fuerint ad Dominum, auferetur velamen (*II Cor.* III, 13-16). » Itaque quoniam Scriptura legis et prophetarum velamine litteræ obumbratur, et carnalis Judæorum populus solam litteræ superficiem sequitur, Isaias scriptorum Testamenti Veteris personam gerens cor ejus excæcare dicitur :

Cum autem dicit : *Ne forte videant oculis suis*, sciendum, quia Deus in sua cæcitate reliquit eos deserendo et non adjuvando; quod non iniquo, sed occulto judicio fecit. Sive enim quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non adjuvat, juste facit; quia omnia non temeritate sed judicio.

A Nam quia non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt, ipso suo tumore cæcati offenderunt in lapidem offensionis. In eo autem quod addidit : *Et convertantur et sanentur*, aut ea superioribus subaudiendum est, ut dicatur : non convertantur, et non sanentur; aut de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam perversæ et superbæ voluntatis erant, et justitiam suam constituere volebant, ad hoc in sua cæcitate deserentur, ut offenderent in lapidem offensionis, et implerentur facies eorum ignominia, et humiliati quærerent nomen Domini, et non suam, qua inflatur superbus, sed Dei justitiam, qua justificatur impius. Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti in Christum postea crediderunt. *Aures* B autem, quæ nunc aggravantur, *et oculos*, qui clauduntur, non exterioris hominis esse putes, sed potius interioris. Propheta vero, postquam ei dictum est : « Excæca cor populi hujus, » subjecit :

VERS. 11. — « Et dixi : Usquequo Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquatur deserta. »

VERS. 12. — « Et longe faciet Dominus homines. »

Tam diu enim perduraverunt in cæcitate cordis, *donec* per Vespasianum et Titum *civitates* eorum desolarentur, ut non remaneret in eis habitator, *et terra* eorum relinqueretur *deserta*, *et longe* fierent *homines* Judaici generis, ab ea captivi per omnes gen- C tes ducti. Sed quia reliquiæ hujus plebis circa finem sæculi convertentur, videamus quid subjungat : « Et multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ. »

VERS. 13. — « Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus, quæ expandit ramos suos, semen sanctum erit, id quod steterit in ea. »

Medium terræ Jerusalem est, sicut per Ezechielem dicit Dominus : « Ista est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terras (*Ezech.* v, 5). » In hoc *medio terræ dereliquit* Dominus plebem Judæorum dicens : « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me D videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXIII, 38). » Sed plebs ista, quam Dominus, dum adhuc habitaret in Judæa, reliquit, et quæ postmodum per totum orbem dispersa est, appropinquante sæculi termino *multiplicabitur*, et ad fidem veniet, sicut scriptum est : « Si fuerit populus tuus quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo (*Isa.* X, 22). »

Decimatio significat impletionem legis propter Decalogum ejus. *Adhuc* ergo erit *in ea decimatio;* quia futurum est, ut legem suam implcat, et convertetur ad prædicationem Eliæ. *Et erit in ostensio-*

(61) Alias, *videat.*
(62) Alias, *audiat.*
(63) Alias, *intelligat.*
(64) Alias, *convertatur.*
(65) Alias, *sanem eum.*

Digitized by Google

nem sicut terebinthus et quercus; quia longe lateque A sparget exempla sublimis conversationis suæ, et magnæ sanctitatis. Terebinthus enim et quercus nimis magnæ sunt arbores. *Semen sanctum erit id quod tunc in ea steterit;* sicut de illa gente dicit Apostolus : « Si radix sancta est, et rami (*Rom.* XI, 16). » Sicut enim radix sancta est in patriarchis ; sic sancti erunt rami in his filiis. Hæc, regnante Joathan, vidit Isaias, vel prophetavit.

CAPUT VII.

VERS. 1. — « Et factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ et Phacee filius Romeliæ rex Israel in Jerusalem ad præliandum contra eam, et non potuerunt debellare eam. »

VERS. 2. — « Et nuntiaverunt domui David dicentes : Requievit Syria super Ephraim, et commotum est cor ejus, et cor populi ejus sicut moventur ligna silvarum a facie venti. »

Hæc secundum Historiam veraciter credimus facta. Sed quoniam « hæc omnia in figura contingebant illis (*I Cor.* X, 11), » requiramus, quid in istis præfiguratum sit. Quia enim *Achaz* interpretatur *apprehendens*, quid per Achaz nisi typus apostolorum, ac temporis illius reliquorum fidelium, qui Christum in carne apparentem fideliter apprehenderunt (unde et Simeon « accepit eum in ulnas suas (*Luc.* II, 28), » et quid per *Joathan*, qui interpretatur *cujus et frater eorum*, nisi prophetæ signantur, qui satis declaraverunt, *cujus* sit Christus, populi C Judaici an Christiani, qui secundum carnem *frater est* Judæorum ? Dicitur quoque *Joathan Domini perfectio;* quia a Domino data est prophetis perfectio, quam habuerunt. Quid vero per Oziam, qui *robustus* dicitur, nisi virilis patriarcharum cuneus? Achaz ergo nascitur ex Joathan, et Joathan ex Ozia ; quoniam apostoli sunt prophetarum filii et prophetæ filii patriarcharum. *Achaz* vero *rex Juda* est, quoniam apostoli sunt rectores Ecclesiæ.

Quid autem per Syriam, quæ *sublimis* dicitur, nisi superba gentilitas exprimitur ? Quid per *Rasin*, qui interpretatur *placentia* sive *complicatio*, nisi principes gentium erroribus implicati ? Quid per *Israel* nisi perfidus Judæorum populus ? Quid per *Phacee* regem Israel, qui dicitur *aperiens*, nisi doc- D tores Judæorum, qui Scripturas aperire deberent interpretando ? Romelia vero dicitur *Excelsus Domini*, et *Phacee filius Romeliæ* est ; quia isti carnales et perfidi Judæorum magistri ab antiquis patribus descenderunt, qui vita sublimes ante Deum fuerunt.

Itaque *rex Syriæ et rex Israel in diebus Achaz ad præliandum contra Jerusalem venerunt;* quia principes gentium atque Judæorum temporibus apostolorum cœperunt mox impugnare Ecclesiam. *Et non potuerunt debellare eam:* quia « portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Marc.* XVI, 18). » *Et nuntiaverunt domui David*, id est rectoribus Ecclesiæ. *Requievit Syria super Ephraim :* id est gentilitas Judaico populo concordat in persecutione fidelium. Sic enim legitur in Actibus apostolorum : « Qui vero increduli fuerant Judæi, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas gentium adversus fratres (*Act.* XIV). » Et post paululum : « Cum autem factus esset impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis in apostolos, ut contumeliis afficerent eos, et lapidarent (*ibid.*, 5), » id est Paulum et Barnabam, « intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ (*ibid.*, 6). » Itaque *rex Syriæ et rex Israel ascenderunt contra Jerusalem*, dum fieret impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis in apostolos. Itaque *requievit Syria super Ephraim*, dum Judæi gentilium B animos inflammassent adversus fratres. *Et commotum est cor ejus, et cor populi ejus*, quia et præpositi et subjecti metu passionis titubaverunt. Contra quam fluctuationem venit Salvator noster roborare, et consolari eos. Nam sequitur :

VERS. 3. — « Et dixit Dominus ad Isaiam : Egredere in occursum Achaz tu, et qui derelictus est Jasub filius tuus ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis. »

VERS. 4. — « Et dices ad eum : Vide, ut sileas, noli timere et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in ira furoris Rasin regis Syriæ, et filii Romeliæ. »

VERS. 5. — « Eo quod consilium inierit contra te Syria malum (66), Ephraim et filius Romeliæ dicentes : »

VERS. 6. — « Ascendamus ad Judam, et suscitemus eum ad nos (67), et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel. »

VERS. 7. — « Hæc dicit Dominus Deus : Non stabit, et non erit istud. »

VERS. 8. — « Sed caput Syriæ Damascus, et caput Damasci Rasin. »

Isaias enim, qui dicitur *salus Domini*, *egreditur in occursum Achaz;* quia in angustia tribulationis nostræ occurrit menti nostræ, quomodo Filius Dei missus ad passionem in mundo fuit. Unde Apostolus : « Recogitate, inquit, eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes (*Hebr.* XII, 3). » Egressio enim Isaiæ commemoratio Dominici Adventus est nobis. *Jasub* vero *filius ejus* derelictus quid significat nisi eos, de quibus dictum est : « Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem sanctus vocabitur? » (*Isa.* IV, 3.) Unde *Jasub* interpretatur *revertens* ; quia illi, qui de circumcisione crediderunt, prædicantibus apostolis reversi sunt ad eum.

Quid autem per *piscinam superiorem* nisi Evangelium exprimitur legi superpositum ? Quid per *aquæductum* nisi Vetus Testamentum, unde procedit Novum? *Egressus est* igitur *Isaias ad extremum*

(66) Alias, *in malum.*

(67) Alias, *et avellamus eum ad nos.*

Digitized by Google

aquæductus piscinæ superioris; quia Christus in fine legis natus est, et adhuc inde nobis apparet. Quid vero per agrum *fullonis*, ubi sordes et maculæ vestium purgabantur, nisi Ecclesia Salvatoris figuratur, in qua nos, qui Christi vestes sumus, remissionem peccatorum consequimur? Quid per viam *agri* nisi actio Ecclesiæ? Isaias itaque exiit *in via agri fullonis;* quia Christus in actione, quam Ecclesia servat, apparet, et ait: *Vide, ut sileas;* id est ut vocem querelæ non proferas. *Noli timere*, subaudi, « eos, qui occidunt corpus (*Matth.* x, 28). »

Duas caudas *titionum fumigantium* iram gentilium et Judæorum vocat. Quia in prima parte comburuntur igne suæ malitiæ, et in ultima comburendi sunt igne gehennæ, qui per iram ardent adversus Ecclesiam, et per erroris nebulam fumant, et *Judam*, id est Christianum populum ab Ecclesia quærunt avellere ad se, et suis erroribus involvere. Sic enim Judæi Galatas avellere cœperant, cum eos per Epistolam Paulus ad Ecclesiam revocaret. Sic gentiles avulserunt omnes, qui Christum in persecutionibus negaverunt.

Tabeel autem *bonus Deus* interpretatur. Et gentiles atque Judæi bonitatem Redemptoris nostri negantes meliora putant ea quæ ipsi colunt. Quærunt igitur Judam avellere, ut regem in medio ejus ponant *filium Tabeel*, id est *boni Dei*, qui sui erroris cultores cuperent in nobis præpositos et doctores constituere.

Sed *non erit, et non stabit istud. Sed caput Syriæ Damascus*, qui dicitur *sanguinis poculum;* quia principes gentium sanguinem fidelium sitient (68). *Et caput Damasci*, id est ipsius crudelitatis gentilium *Rasin*, id est *cursus* · quia veloci cursu transibit eorum tyrannica dominatio. Vel *complicatio* erroris caput sævitiæ ipsorum erit. *Rasin* quippe *cursus* vel *complicatio*, sive *placentia* dicitur. Sequitur :

Vers. 9.— « Et adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. »

« Et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis. »

A Nativitate Domini usque ad rebellionem Judæorum adversus Romanos *sexaginta et quinque anni* fuerunt. Nam sexagesimo sexto anno rebellaverunt sub Fullo præside (69). Cujus rebellionis pertinacia succedente post tempore in tantum convaluit, ut et ipsi delerentur, et urbes eorum, et captivi ducerentur in omnes gentes. Bene ergo dicitur : « Adhuc sexaginta et quinque anni, et desinet Ephraim esse populus. » Fortasse et aliud temporis spatium per omnes *sexaginta quinque annos* mystice designatur. Nam sexies decem sexaginta sunt. Et quia sex diebus licet operari secundum legem, senarius operationem designat; denarius legem propter Decalogum quinarius quinque sensus corporis. Quid ergo per sexaginta et quinque annos exprimitur nisi tempus omne, quo perfidus iste Judæorum populus carnalem legis actionem tenet, et quinque sensibus corporeis servit? Post cujus spatium Elia prædicante deficiet incredulus Judæorum populus, ut multiplicetur credentium numerus. « Nam cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* xi, 25, 26). » Sic ergo quasi post sexaginta et quinquæ annos apostata *Ephraim desinet esse populus*, nullo jam fere remanente incredulo ex ejus multitudine; quia postquam plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet. Unde et subditur :

« Et caput Ephraim Samaria, et caput Samariæ filius Romeliæ. » *Samaria* quippe *custodia* dicitur, et *Romelia, excessus Domini.* Custodia ergo caput illorum erit; quia tunc observantiæ præceptorum Dei veraciter se subjicient. Et *caput* hujus custodiæ erit *filius excelsi Domini.* Quia principes religionis habebunt, qui patriarchæ Abraham filii non solum carne sed fide erunt ac moribus. Ut autem hæc omnia mystice dicta esse declaret, exponendo subjungit ad hos, qui contra Ecclesiam pugnant, dicens : *Si non credideritis*, scilicet in Christum, *non permanebitis*, sed cito peribitis ab orbe terrarum, Ecclesia crescente : « Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea; impii vero de terra perdentur, et qui inique agunt, auferentur ex ea (*Prov.* ii, 21). »

Si quis autem hos sexaginta quinque annos historialiter ad captivitatem decem tribuum referre voluerit, videat quod tres reges Juda in hac narratione propheta posuerit, sub quibus et prophetavit. « Et factum est, inquit, in diebus Achaz filii Joathan filii Oziæ. » Et ideo computet, ut Hebræi volunt, a vicesimo quinto anno regni Oziæ usque ad sextum annum regni Ezechiæ, in quo Salmanasar cepit Samariam, et transtulit Israel in Assyrios. Quando enim Ozias, sub quo et iste prophetare cœpit, ingressus in templum adolere voluit incensum, et percussus est lepra, volunt Hebræi fuisse annum regni ejus vicesimum quintum, cujus reliqui anni fiunt viginti septem. Omnes enim anni, quibus regnavit, quinquaginta duo anni fuerunt. Post quem regnavit Joathan filius ejus annis sexdecim, et hujus filius Achaz sexdecim aliis. Et post hunc regnavit Ezechias, cujus sexto imperii anno Samaria capta est; atque ita simul fiunt anni sexaginta quinque. Sequitur :

Vers. 10. — « Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens : »

Vers. 11. — « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, » etc.

Vers. 12. — « Et dixit Achas : Non petam, et non tentabo Dominum. »

Vers. 13.— « Et dixit : Audite ergo, domus David : Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? »

Vers. 14. — « Propter hoc dabit Dominus ipse vo-

(68) Cod. Cruc., *sitiunt.*

(69) Cod. G. *Follo.*

Digitized by Google

bis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. »

VERS 15. « Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. »

Etsi hic non posset intelligi, tamen ex Matthæi volumine nobis innotesceret, a Domino dictum : « Ecce Virgo concipiet, et pariet filium (*Matth.* I, 23). » Et Dominus, qui hoc dicit præmittit, dicens : « Nunquid parum vobis est molestos esse homini, quia molesti estis et Deo meo? » Quis est ergo Dominus, qui dicit : *Molesti estis et Deo meo* nisi qui alias loquitur : « Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum? » (*Joan.* XX, 17.) Ipse enim propter mysterium futuræ incarnationis jam Deum suum dicit Deum Patrem, et sic de se incarnando quasi de alio loquitur :

« Pete, inquit, tibi signum in profundum inferni, sive in excelsum supra. » *Signum* quippe *in profundum et in excelsum* descensio Christi ad inferos et ascensio ad cœlos. Annon mirabile signum fuit, quando infernum confregit et spoliavit, atque regna cœlorum ascendens aperuit? Quod jubetur *signum* petere *Achaz* non simpliciter sed sibi; quia Christus non propter se, sed propter nos usque ad inferni profunda descendit, et usque ad solium paternæ majestatis ascendit. Sed Achaz utpote peccator ignorans mysteria Dei : « Non petam, inquit, et non tentabo Dominum. » Putabat enim hoc tentationem fore, si tale signum peteret. Et Dominus totam incredulorum progeniem increpans, ait :

Audite ergo, domus David, quæ signum ereptionis vestræ et salvationis petere non vultis : « Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus quia molesti estis et Deo meo? » *Molesti* erant *hominibus*, id est ratione utentibus, qui, quod humanæ salutis exigebat ratio, postulare nolebant. Neque enim genus humanum salvari poterat, nisi confringeretur infernus, qui cunctorum animas suscipiens retinebat, et aperiretur cœlum populo sanctorum. Sed et *Deo molesti* erant; quia, quod Deus dare volebat, ipsi nolebant petere. Deo quippe salutem humanam quærenti molestus est, quisquis se saluti subtrahit, nec talem exhibet, qui facile salvare possit. Propter hoc, inquit, quod non solum *hominibus*, sed *et Deo molesti estis* nolentes petere signum triumphi Christi, per quod salvi sitis, *dabit ipse Dominus vobis* non postulatus *signum* nativitatis suæ.

« Dabit Dominus vobis signum. » Et quod signum? « Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium. » Recte conceptio et partus Virginis vocatur *signum*, quæ sic mater effecta est, ut virginitatis non amitteret sigillum. Signum quippe sigillum appellari solet; et ipsa propter hoc perpetuæ virginitatis intactum signaculum vocatur in Canticis canticorum : « Hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* IV, 12). » Vel *signum*, id est miraculum vocatur conceptus et partus ejus; quia totus orbis lætus admiratur, quoniam virgo conceperit, et pepererit et in æternum virgo permanserit. *Et* vocabitis, o domus David, *nomen ejus Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*. *Nobiscum Deus* vocatur; quia cum sit Unigenitus Dei, super terram in carne visus est, « et cum hominibus conversatus est (*Baruc.* III, 38), » et corporaliter ascensurus in cœlum promisit nobis : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Domus enim David, quæ *nomen ejus Emmanuel* vocat, primo Maria et Joseph « de domo et familia David sunt (*Luc.* I, 27), » ac universa deinde Ecclesia.

« Butyrum et mel comedet. » *Butyrum* ex lacte est, et lac ex carne; *mel* autem cadit ex aere. Quid ergo per *butyrum* nisi scientia humanitatis ejus exprimitur? Et quid per *mel* nisi dulcedo divinæ sapientiæ ejus? Comedit itaque *butyrum et mel*, quia humanam et divinam sapientiam habuit. Et propterea scivit *reprobare malum et eligere bonum;* quia per prudentiam humani et divini sensus omne, quod malum est, sapienter respuit, et omne bonum elegit. Hinc enim factum est, ut ipse peccatum nullum committeret, omnemque justitiam adimpleret, atque in fine sæculi genus humanum judicet.

Sed ut mysticam intelligentiam in his prosequamur, jubetur Achaz *signum* petere *in profundum, et in excelsum*, et respondet : *Non petam*, ac si diceretur apostolis, ut mortem Salvatoris et ascensionem optarent, et illi magis eam expavescerent. Scriptum est enim, quoniam « cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus increpabat eum dicens : Absit a te, Domine; non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro : Vade retro me Satanas, scandalum es mihi (*Matth.* XVI, 21-23). » Nam quod Dominus mortem suam et resurrectionem prænuntiat discipulis, et Petrus ait : « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc, » hoc est juxta mysterium quod Achaz præcipitur signum inferius et superius petere, et dicit : « Non petam, et non tentabo Dominum. » Et quod Petrus audit : « Scandalum es mihi, » hoc est quod domui David quasi discipulis Christi dicitur : « Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? » Molesti erant apostoli non solum sanctis hominibus, id est prophetis, sed etiam Deo, quia nolebant ut moreretur Christus et resurgeret, sicut prophetæ prædixerant, et Deus disposuerat.

« Propter hoc, inquit, dabit vobis signum ipse Dominus; » quia *ecce virgo* Ecclesia *concipiet, et pariet filium*, id est, masculinæ virtutis populum electorum, et vocabitis *nomen ejus Emmanuel*, id est Christianum. Nam et in participatione sui nominis est Christus nobiscum, dum ab illo Christiani vocamur. « Butyrum et mel comedet. » *Butyrum* spiritalis gratiæ pinguedinem designat, dicente Salomone : « Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum (*Prov.* XXX, 33). » Ubera quippe fortiter premimus, cum ubera sacri eloquii subtili intellectu pensamus. Qua pressione dum lac quærimus

Digitized by Google

butyrum invenimus ; quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, ubertate internæ pinguedinis ungimur. *Mel* vero dulcedinem cœlestis doctrinæ designat, ut prædictus Salomon ait : « Comede, fili, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo; sic et doctrina sapientiæ tuæ (*Prov.* XXIV, 13). » Tali itaque butyro et melle pascitur electorum populus, quem gignit Ecclesia, et per hoc scit *reprobare malum, et eligere bonum.* Non enim sufficit nobis eruditio Scripturarum, nisi et unctio Dei doceat nos de omnibus. Sequitur :

VERS. 16. — « Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum. »

Qui sunt isti *duo reges*, superius dictum est, scilicet rex Syriæ et rex Israel pugnantes contra populum Dei. Et *antequam puer* Jesus per humanitatis sensum discernere sciret inter bonum et malum, derelicta est *terra*, quam Achaz, id est princeps ecclesiasticus detestatur, conversis ad eum magis atque pastoribus. Syria quippe ab Oriente est ; et magi venerunt ab Oriente Jerosolymam, dicentes : « Ubi est, qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus, » etc. « Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur abeis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt : In Bethlehem Judæ (*Matth.* II, 2 etc.). » Dum dicitur : Herodes iratus et omnis Jerosolyma cum illo, patet, quia jam tunc Syria cœpit requiescere super Ephraim contra Judam. Nam ex duobus his regibus alium hoc loco possumus Herodem accipere qui gentilis erat, et alium principes sacerdotum et Scribas populi. A facie quorum dereliquerunt terram eorum magi, « qui cum audissent regem, abierunt, et invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum (*Matth.* II, 9 et 10). » Pastores quoque deseruerunt terram detestabilem, et « venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in præsepio (*Luc.* II, 16). » Quamvis autem utrique loca mutaverint ad Christum venientes, tamen detestabilis terra, quam reliquerunt, magis intelligenda est perfidia Judæorum, et infidelitas gentium. Sequitur :

VERS. 17. — « Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda cum rege Assyriorum. »

Juxta quod hucusque tractavimus, Achaz apostolorum gerit formam atque summorum Ecclesiæ sacerdotum. Ait ergo : *Adducet Dominus super te et super populum tuum* ecclesiasticum, *et super domum patris tui*, id est super ordinem sacerdotum, *dies* bonos, quales *non venerunt*, ex quo separatus est *Ephraim a Juda*, id est populus Judaicus a populo fidelium, et sociatus *cum rege Assyriorum* id est cum principe dæmonum diabolo. Assyrii quippe A *convincentes* interpretantur vel *coarguentes;* quia maligni spiritus eos ante tribunal æterni Judicis convincunt et coarguunt, qui nunc eis iniquitatem persuadentibus consentiunt. Cur autem dies promiserit optabiles, subdendo manifestat.

VERS. 18. — « Et erit in die illa : sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, et api, quæ est in terra Assur. »

VERS. 19. — « Et venient et requiescent omnes in torrentibus vallium, et cavernis petrarum, et in omnibus frutetis, et universis foraminibus. »

Quid enim in sibilo nisi vel sonus divinæ prædicationis præfiguratur, vel interna aspiratio? Musca vero nimis insolens, et inquietum animal est atque immundum et nigrum. In qua quid aliud quam superbus quisque et inquietus peccator exprimitur? B Et quæ sunt *Ægypti* flumina nisi defluentia carnis vitia? Differt autem esse in fluminibus Ægypti, *et* esse *in extremo fluminum Ægypti.* Est enim in fluminibus Ægypti, qui moratur in vitiis et excitate cordis; et *est in extremo fluminum Ægypti*, qui ad pessimam flagitiorum omnium pervenit nequitiam. Qui itaque per muscam extremi fluminum Ægypti designatur nisi vel gentilitas, vel quælibet anima omnibus peccatis et erroribus detenta?

Quid vero per apem, *quæ est in terra Assur*, nisi philosophi et poetæ gentilium ore dulcia ferentes, et in postremis latenter pungentes, et occultum virus infundentes, vel omnes qui verba sua primitus indulcant, et in fine acriter pungunt? Quæ est enim C *terra Assur* nisi infidelitas, vel impiorum mens et voluntas, ubi regnat hostis antiquus : hæc est enim longinqua regio, in qua minor filius dissipavit bona sua « vivendo luxuriose (*Luc.* XV, 13). » Et huic ergo muscæ vel api Dominus sibilum vocis suæ non denegat.

Vel per muscam designatur Judaicus populus, qui ad sacrificiorum sanguinem more muscarum concurrebat. Et hæc musca, quoniam in sordibus ultra modum sorduerat, *in extremo fluminum Ægypti*, exsulabat, quia, quantum plebs ista Deo exstiterat familiarior, tantum ultra illos, « qui in tenebris et in umbra mortis sedebant (*Luc.* I, 79), » per inobedientiam deterius effluebat

D Per apem vero, quæ mellifica naturaliter est, gentilitas exprimitur; quia, cum « gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (*Rom.* II, 14). » Naturaliter ergo gentes sine duce, sine doctore mellificare satagebant, cum sine lege, quæ legis erant, faciebant. Seu hæc apis erat in terra, de qua dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 10), » in terra infructuosa, *in terra Assur*, quod interpretatur *captivatio*, vel *elatio*, vel *devastatio*, ut a diabolo captivitas et elatas et devastatas gentilium animas usque ad adventum Domini intelligamus.

Quid vero per torrentes *vallium* nisi doctrinæ fi-

Digitized by Google

gurantur humilium? Et quid per cavernas *petrarum* nisi vulnera martyrum? Torrentes enim vocamus rivos, qui aquis hiemalibus colliguntur, et æstivo tempore siccantur. Jure ergo prædicationes sanctorum *torrentes vallium* appellantur; quia, dum in præsenti vita in nobis influunt, quasi in hieme colliguntur aquarum multitudines. Sed æstivo sole adveniente se subtrahunt; quia, cum æternæ patriæ lux emicuerit, doctores prædicare cessabunt. De cavernis autem petrarum supra diximus : Requiescunt ergo muscæ et apes *in torrentibus vallium et cavernis petrarum;* quia conversi peccatores et prædicationes doctorum delectabiliter bibunt, et martyrum patrocinia quærunt. Quid vero per fruteta nisi pungens asperitas disciplinæ signatur? Solent enim apes ex frutetis mella colligere. Quia, qui in disciplina conversantur, æternam ex ea dulcedinem percipient. Quid autem *in foraminibus* nisi mysticorum eloquiorum perforationes figurantur et apertiones? Nam, sicut lapis pretiosus diversis modis perforatur et sculpitur, ita mysticus sermo Dei diversis interpretationibus aperitur. Et in his ergo foraminibus requiescunt muscæ et apes; quia in spiritali intelligentia Scripturarum delectantur conversi peccatores. Sequitur :

Vers. 20. « In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput et pilos pedum, et barbam universam.

Quid per *caput* nisi summa sacerdotii designatur? Quid per rasos capillos nisi sacramentorum subtilitas ablata? Quid per *pilos pedum* nisi sacramenta levitarum? Quid per *barbam* nisi virtus regni? Rasit ergo Dominus *in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput;* quia sacramentis præceptorum suorum nudavit sacerdotium Judæorum, qui per baptismum nolentes transire ad Christum in diaboli regno permanent. *Rasit et pilos pedum;* quoniam a levitarum ministerio spiritalia sacramenta abstulit. *Rasit et barbam;* quia regnum Israeliticum deserens decorem virtutis ejus amputavit. Rasit hæc *in novacula conducta;* quoniam gladio Romani exercitus abstulit eis regnum, abstulit et templum, in quo sacerdotum et levitarum complebantur officia. Sequitur :

Vers. 21. — « Et erit in die illa : Nutriet homo vaccam boum, et duas oves. »

Vers. 22. — « Et præ ubertate lactis comedet butyrum. »

Quis est iste *homo* nisi mediator Dei et hominum homo Christus Jesus? Et quæ est hæc vacca *boum*, quam nutrit, nisi Ecclesia apostolorum atque doctorum quasi boum filia? Hanc enim *vaccam* et in Abrahæ sacrificio legimus (*Gen.* xv, 19). Quæ sunt oves duæ nisi simplices ac mansueti de utroque populo fideles, de quibus ait : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xii, 12). » Et : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili (*Joan.* x, 16). » Lac vero introductorius sermo est, quo imbuuntur minus capaces, sicut ait Apostolus : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam (*I Cor.* iii, 2). » Sed ex vacca et duabus ovibus *præ ubertate lactis comedet homo butyrum;* quia Dominus ab Ecclesia, ubi circumcisio et præputium est, præ ubertate boni sermonis pinguedine pascitur, dum membra ejus pascuntur. Sequitur :

« Butyrum enim et mel comedet (70) omnis, qui relictus fuerit in medio terræ. » Medium *terræ* Judæa et Jerusalem est. *Relictus in medio terræ* ille est, de quo superius ait : « Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, Sanctus vocabitur. » Mel vero desuper cadit; butyrum autem ex animalium lacte colligitur. Mel igitur ex aere; butyrum vero ex carne est. Summi autem Patris Unigenitus, cum sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia. Qui cum nos dulcedine divinitatis suæ, et mysterio incarnationis replet, melle nos pariter et butyro satiat. Quia ergo Spiritus Christi mentes fidelium Hebræorum, quas replevit, et divinitatis ejus dulcedine et incarnationis fide lætificavit, recte dictum est, quia « butyrum et mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ. » Sequitur :

Vers. 23. — « Et erit in die illa : Omnis locus ubi fuerint mille vites, et mille argentei (71) et in spinas, et in vepres erunt. »

Vers. 24. — « Cum sagittis et arcu ingredientur illuc. »

Quid per *vites* nisi sancti designantur botros operum bonorum ferentes, quibus ait Dominus : « Ego sum vitis, vos palmites? » (*Joan.* xv, 5.) Quid per argenteos nisi sermones boni figurantur? Nam « argentum electum lingua justi (*Prov.* x, 20) est. » Quid per millenarium nisi plenitudo numeri? Ubicunque fuerint *mille vites*, erunt et *mille argentei;* quia ubi fuerit copia virorum spiritalium, ibi et erit prædicationis copia. Nam sub Veteri Testamento vix inveniebatur, qui scientiam prædicationis haberet. Sed in tempore revelatæ gratiæ, de quo nunc sermo est, redundant ora fidelium ubique verbo veritatis. *Et in spinas et in vepres erunt;* quoniam contra peccata et vitia gentilitatis directi sunt. Quid enim per *spinas et vepres* nisi punctiones peccatorum insinuat, quibus velut desertum plena erat gentilitas? *Cum sagittis et arcu ingredientur illuc;* quia nimirum sancti apostoli ad feriendam gentilium vitæ duritiam cum districtis verborum spiculis venerunt. Scriptura enim sacra *arcus* est, de qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Sequitur : « Vepres enim et spinæ erunt in universa terra. »

Vers. 25. — « Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum et ve-

(70) Alias *manducabit.*

(71) Alias, *mille vites mille argenteis, et in*, etc.

Digitized by Google

prium, et erit in pascua bovis, et in conculcationem pecoris. »

Vepres et spinæ vel peccata vel peccatores designant; *montes* vero sanctos conversatione sublimes. *Sarculum* autem ferrum est fossorium bidens, verbum doctrinæ significans acutum ab utroque Testamento. *Montes* igitur, *qui in sarculo sarrientur*, id est fodientur, *non veniet* eis *terror spinarum et veprium*; quia, qui verbo doctrinæ purgabuntur, non timebunt peccata et vitia, quoniam noxias vitiorum herbas divini verbi *sarculo* eradicabunt, neque metuent « eos, qui occidunt corpus (*Matth.* x, 28). » *Et erit*, subaudi terra, *in pascua bovis*; quia sanctus quisque prædicator in tota mundi latitudine inveniet quos sibi incorporet. *Et in conculcationem pecoris*; quia cætera fidelium multitudo tantum conculcat terrena, nec conversione peccatorum pascitur ut prædicator: bos quippe doctor est, pecus vero plebs fidelium. Sequitur:

CAPUT VIII.

Vers. 1. — « Et dixit Dominus ad me: sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis; velociter spolia detrahe, cito prædare. »

Vers. 2. — « Et adhibui mihi testes fideles Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. »

Vers. 3. — « Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen ejus; accelera spolia detrahere, festina prædari.

Vers. 4. — « Quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. »

Quid nunc per Isaiam nisi Moyses et prophetæ signantur? Quid per *librum grandem*, nisi Scriptura Vetus? Quid per stylum *hominis* nisi scientia rationabilis animi? Quid per *Uriam sacerdotem* nisi qui sub lege functi sunt sacerdotio? Urias enim interpretatur *lux mea Dei*; quia lumen veritatis et justitiæ, quod in eis erat, donum esse Dei fatebantur. Quid per *Zachariam*, qui dicitur *memor Domini*, nisi doctores, qui, in lege Domini die ac nocte meditantes, divinam semper habebant memoriam? Barachia vero interpretatur *benedictio Domini*. Et Barachia pater Zachariæ est; quia sancti doctores filii sunt benedictionis Domini. Quid vero per *prophetissam* nisi Synagoga figuratur? Quid per *filium* ejus nisi Redemptor noster?

Isaias itaque librum sibi sumens, *stylo hominis* in eo scribit dicens puero Jesu: *Velociter spolia detrahe, cito prædare*; quia omnes Veteris Testamenti scriptores rationabili sententia in eo scripserunt, quod Dei Filius, in carne apparens, regnum diaboli festinanter invasurus erat, et ab eo captivos homines erepturus. Cujus rei testes adhibuit sibi prophetas Uriam et Zachariam; quia Moyses et ceteri, qui libros Testamenti Veteris scripserunt, arcana eorum mysteria sacerdotibus et doctoribus tradiderunt. Quibus in testimonium adhibitis, accessit Isaias ad prophetissam, ut imprægnaret eam; quia sancti prophetæ testibus sacerdotibus et magistris cordi Synagogæ fidem Dominicæ Incarnationis infuderunt. Synagoga enim Christum concepit, ex quo nasciturum hunc ex sua carne credere cœpit; quem et peperit, quando per partum Virginis eum nobis incarnatum edidit. Cujus nomen propheta vocavit: *Accelera spolia detrahere, festina prædari*; quia prævidit eum mox tempore nativitatis suæ pastores et magos ad se tracturum. Et alacribus desideriis eum hortabatur, ut hæc agere festinaret. Debellaturus enim in toto orbe regnum diaboli hæc prima puer illi spolia detraxit, ut a perfidia Judæorum pastores ad se converteret et magos ad se adorandum conversos a peste illius superstitionis averteret. Qui tunc ob infantilem ignorantiam nesciebat vocare patrem suum, id est nutritium suum Joseph, et matrem suam, Virginem, sicut et in Jeremia dicit: « Ecce nescio loqui, quia puer ego sum (*Jerem.* I, 6). » Sapientia enim Dei novit omnia; expers autem aguitionis infantia per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicerat, ignorabat; unde « proficiebat sapientia et ætate, et gratia (*Luc.* II, 52). » Nam in divinitate non habuit proficere. Sed tamen abstulit fortitudinem *Damasci et spolia Samariæ*.

Syriam quippe *gentilitatem* significare diximus; *Damascus* autem *sanguinis poculum* vel *sanguinem bibens* interpretatur. *Et caput Syriæ Damascus*; quia culturæ dæmonum subdita gentilitas animam suam velut proprium sanguinem diabolo in poculum libat. Quid itaque fortitudinem *Damasci* et idololatriæ et mortis animarum et crudelitatis putamus nisi magos? In arte enim magica totius erroris et prædicationis virtus convalescebat. Quid vero per Samariam nisi Judæorum perfidia signatur? Dum ergo magos atque pastores ad se Puer converteret, abstulit virtutem *Damasci et spolia Samariæ*. Et hoc factum est *coram rege Assyriorum*; quia cognovit diabolus magorum suorum damnum quod pertulit. Unde et Herodem inflammavit, ut, natum Regem exstinguere quærens, omnes pueros sibi coætaneos occideret (*Matth.* II). Sequitur:

Vers. 5. — « Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc dicens:

Vers. 6. — « Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliæ. »

Vers. 7. — « Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus, et fluet super omnes ripas ejus, »

Vers. 8. — « Et ibit per Judam inundans et transiens, et usque ad collum veniet, et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel. »

Quoniam *Siloa* missus interpretatur, per Siloam intelligimus Christum, qui missus est mundum re-

Digitized by Google

dimere, et per *aquas Siloe* prædicationem ejus. Per aquas enim doctrina designatur, sicut scriptum est : « Aqua sapientiæ salutaris potavit illum (*Eccli.* xv, 13). » *Quæ*, scilicet, aquæ *vadunt cum silentio*, id est mentem spiritali potentia leniter sine strepitu et clamore verborum ingrediuntur ; quia, sicut Salomon ait : « Verba sapientum audiuntur in silentio (*Eccli.* ix, 17) » Quid vero per *Rasin regem Syriæ* nisi Cæsarem intelligi voluit? Quid per *Phacee filium Romeliæ* nisi Pharisæos et legis doctores? *Abjecit* ergo populus Judæorum *aquas Siloe* quia prædicationem Domini respuit. Et elegit *Rasin*, id est regem gentium, dicens : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* xix, 15). » Unde *Rasin* interpretatur *Placentia* ; quia secundum placentiam et libitum voluntatis suæ dixerunt hoc, et assumpserunt potius *filium Romeliæ*, id est Pharisæos et scribas, qui a sanctis Patribus originem ducunt.

Propter hoc adduxit *Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas*, id est humani generis validos et copiosos populos, regem scilicet Assyriorum, id est Vespasianum ducem Romanorum. Quia enim Assyrii dicuntur *coarguentes*, merito Romani vocantur Assyrii, qui Judæorum iniquitatem arguentes ulciscebantur. Et quia populus Romani exercitus *aquas fluminis* appellavit, loquitur metaphorice de eo quasi de flumine nimium excrescente et cuncta replente. Vel per *aquas fluminis* impetum tribulationis illius, quam tunc Judæi pertulerunt, intelligamus. Aquæ enim vel populos vel tribulationes hic significant.

Et ascendet, inquit, super omnes rivos ejus, » etc. *Rivos ejus* singulas tribus ac familias fortasse nominat, *et ripas* terminos tribuum et familiarum. Sed iste fluvius tribulationum excedens omnes et tribus et limites tenuit, *et per Judam inundans et transiens usque ad collum* excrevit, ut submergeret omnes sicut flumen, cum usque ad collum venerit. Et *extensio alarum ejus exercitus* implevit *latitudinem terræ Emmanuel*, id est Judæam, et omnem Galilæam; deinde cernens propheta omnes Judæos in Jerusalem conventuros, atque per Titum Vespasiani filium superandos, ait :

Vers. 9. — « Congregamini populi, et vincemini (72), et audite universæ procul terræ : confortamini et vincemini, accingite vos et vincemini. »

Vers. 10. — « Inite consilium, et dissipabitur, loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus. »

Hæc enim tempore obsidionis et captivitatis illius completa sunt. Neque enim cum Judæis jam erat Deus, sed cum Christianis. Nam sequitur :

Vers. 11. — « Hæc enim ait Dominus ad me : Sicut in forti manu erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens : »

Vers. 12. — « Non dicatis : Conjuratio. Omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est. »

(72) Alias ubique, *vincimini*.
(73) Alias, *ejus*.

Nobiscum Deus est, id est Christus : *Ait* enim ipse Christus *Dominus ad me : Sicut in forti manu erudivit me* Deus Pater meus, id est sicut eum, cui validam virtutem dederat ; non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, *ne* per viam *populi hujus* incederem, infirmas actiones ejus imbecillo animo sequens, et inerudito corde per iter insipientium gradiens, sed ut directionis meæ viam fortiter et sapienter tenerem. Unde contra eum indignantes dixerunt apud se : « Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ illius, tanquam nugaces æstimati sumus ab illo; et abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis (*Sap.* ii, 15, 16). » Non ergo ivit *in via populi hujus*, sed qui eum valida manu confortavit et sapienter erudivit, *ne in via populi hujus* iret, ipse ei ac discipulis ejus dixit : *Ne dicatis : Conjuratio* fit adversus nos ; *omnia enim, quæ loquitur populus iste*, de nobis, *conjuratio est.* Conjuraverunt enim adversus Salvatorem, et « conspiraverunt, ut si quis illum confiteretur Christum, extra synagogam fieret (*Joan.* ix, 22), » et quasi conjurationem semper facientes nunquam cessaverunt mala contra eum machinari, donec interemerunt eum. Sic et in discipulos ejus quasi juratas semper habuere discordias, semper eis mala fabricantes. Unde et subditur : « Et timorem eorum (73) ne timeatis, neque paveatis. »

Vers. 13. — « Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse sit pavor vester, et ipse terror vester. »

Ac si diceretur : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* x, 28). » Sicut et Petrus ait : « Timorem eorum ne timueritis, ut non conturbemini ; Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris (*I Petr.* iii, 14). » Sequitur :

Vers. 14. — « Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem. »

Vers. 15. — « Et offendent ex eis (74) plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur. »

In sanctificationem fuit discipulis, quia Spiritus sui gratiam dedit eis. Sed *duabus domibus Israel*, id est Judæ et reliquis decem tribubus factus est *in lapidem offensionis, et in petram scandali.* Sperabant enim eum Judæi venturum. Sed quia venit humilis et occultus, contempserunt eum et offenderunt in illum. Nam, apud se superba sapientes, dedignati sunt in eum credere, quem cernebant humilem. Fuit ergo eis *lapis offensionis.* Quem, cum etiam mori cernerent, gravius in illum pertulere scandalum, ut nulla ratione jam Deum credere possent, quem mo-

(74) Cod. Cruc., *in eis*.

Digitized by Google

rientem viderant, sicque etiam petra *scandali* factus est. *Et* habitatoribus *Jerusalem* fuit *in laqueum et in ruinam;* quoniam in eo quod eum specialiter persecuti sunt, semetipsos laqueo suæ deceptionis involverunt, et ruinam sibi non solum animarum, sed et totius urbis acquisierunt, ut cum ipsis tota deleretur civitas.

« Et offenderunt, inquit, ex eis plurimi. » Non omnes offenderunt, sed *plurimi*; quia inter eos multi erant in Christum credentes. « Et cadent, inquit, et conterentur. » *Cadentes contriti sunt;* quia relictis cœlestibus terrena quæsierunt. Quis enim major casus, vel quæ potest esse major contritio quam, derelicto Creatore, creaturam quærere, desertis supernis gaudiis, infimis rebus inhiare? Casum igitur et contritionem passi sunt; quia, amissis cœlestibus desideriis, terrenum est omne, quod sciunt. Et *irretientur* peccatis suis, *et capientur* laqueo perpetuæ mortis. Vel in obsidione Jerusalem sunt irretiti, quando civitas capta est, et illi sunt capti. Quia ergo multitudo Judæorum offendens in lapidem offensionis confracta est, electio autem veram consecuta est justitiam, idcirco apte subjungitur :

VERS. 16. — « Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. »

VERS. 17. — « Et exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob; et præstolabor eum. »

Nam vox Christi nunc ad prophetam dirigitur. Propheta quippe *testimonium* Christi in nobis ligat; quia fidem ejus sermo propheticus menti valde tenacius agglutinat, cum certum nobis sit, ea quæ dixerunt prophetæ, nullatenus fingi potuisse. *Legem* quoque signat in nobis, quoniam præcepta ejus cordi nostro firmius includit. Libenter enim « Memores sumus mandatorum ejus ad facienda ea (*Psal.* CII, 18), » de cujus potentia et promissione dubitare nequimus. *Liga*, inquit, *testimonium* Veteris Testamenti, et trade illud *discipulis meis*, id est apostolis et fidelibus, qui Evangelium susceperunt, *et signa legem in eis.* Quia ergo fidem Salvatoris et legem discipuli tenuerunt, quam Judæi maxime tempore passionis ejus amiserunt. *Liga*, inquit, *testimonium, signa legem in discipulis meis;* Et *exspectabo Dominum*, ut me resuscitet; quia « caro mea requiescit in spe (*Psal.* XV, 9). » *Qui abscondit faciem suam a domo Jacob;* quia ex quo me negaverunt, et Patrem pariter amiserunt. « Omnis enim qui negat Filium, nec Patrem habet (*Joan.* II, 23). » Sequitur :

VERS. 18. — « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israelis a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. »

Pueri vocantur qui mandatis cœlestibus inserviunt, et puerorum nomine discipulos suos nunc exprimit, qui præcepta ejus specialiter servaverunt. *Ecce ego*, inquit, *et pueri mei, quos dedit Dominus in signum et in portentum Israelis*, id est ego et discipuli mei signa et portenta faciemus in populo Israel. Deum patrem dicit habitare *in monte Sion*, id est in cœlis, non quia ipse Filius cum Patre semper non maneret in cœlis, sed quia corporaliter conversabatur in terris. Mons namque Sion ille nunc intelligitur, de quo dicit Apostolus : « Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis (*Hebr.* XII, 22). » Sequitur :

VERS. 19. — « Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et divinis, qui stridunt incantationibus suis : Nunquid non populus a Deo suo requiret pro vivis ac mortuis? » (75)

VERS. 20. — « Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. »

Quid pythonica divinatio gerat artis in libro Regum invenimus (*I Regum* XXVIII), ubi, rogante Saul, pythonissa vel animam Samuelis, vel pro ea potius spiritum immundum evocavit ab inferis. Quod magicæ phantasiæ genus ab Apolline Pythio repertum, atque ab ejus cognomine sic dicunt esse vocatum. Sed et interpretatio nominis congruit, quia Python dicitur *os abyssi*. Videamus ergo sententiam :

« Ego, inquit, et pueri mei signa et prodigia facturi sumus in Israel; vos autem, qui hæc exspectatis, videte, ne mendacibus signis pseudoprophetarum decipiamini. Cum enim dixerint vobis quilibet seductores : *Quærite a pythonibus et divinis*, id est consulite magos, ut agnoscatis per eos *a mortuis* veritatem, respondete illis : *Nunquid populus non requiret a Deo suo pro vivis ac mortuis*, etc., pro omnibus (75*)? Omne enim quod inquiritur, aut pro vivis aut pro mortuis quæritur; aut forsitan pro utrisque. Cur ergo dæmones consuleremus, cum a Deo quærenda sunt omnia?

Ad legem magis et ad testimonium ejus attendamus. *Quod si* filii Israel *non dixerint juxta verbum* hoc, id est ut, repudiatis maleficis, ad legem Dei, quæ cuncta prohibet maleficia, ad testimonium legislatoris et prophetarum de adventu Salvatoris attendant, *non erit eis matutina lux*, id est exordium novæ gratiæ : « quia si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quia ex mortuis resurrexerit, credent ei (*Luc.* XVI, 31), » id est Redemptori nostro, qui ait : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi. De me enim ille scripsit. Si enim illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? » (*Joan.* V, 46.) Quoniam igitur ad legem et ad testimonium non attenderunt, non sunt illustrati luce matutina, prædicante Domino, qui vespertinam vix habituri sunt apparente Elia. Sequitur :

VERS. 21. — « Et transibit per eam, et corruet, et esuriet; et cum esurierit, irascetur, et maledicet regi suo et Deo suo.

(75) Alias, *req. visionem pro vivis a mortuis.*

(75*) C. Garst., *id est pro omnibus.*

Digitized by Google

Transibit Judaicus populus *per eam* lucem, id est per illius temporis spatia, quo Christus mira facturus est, et mira docturus, et offendens ut cæcus in lapidem offensionis *corruet* ab omni statu rectitudinis, *et esurict*, quia jam ultra non cibabitur pane vitæ et intellectus. Sicut enim fames carnis est subsidium corporis subtractum, ita fames mentis est silentium divinæ locutionis. Et quia, cum doctrina cœlestis humanam mentem deserit, contra eam tentatio convalescit hostis antiqui, postquam hic populus intelligentiam Scripturarum perdidit, et verba Salvatoris intelligere nequivit, aut noluit, mox contra eum, instigante diabolo, in iram exarsit, et maledixit ei. Hoc est enim quod nunc dicitur, quia *cum esurierit irascetur, et maledicet regi suo et Deo suo*. Christus namque et rex Israel est, et Deus Israel est. Qui cum diceret quia multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus, repleti sunt omnes ira in synagoga, hæc audientes, et ejecerunt eum extra civitatem et duxerunt eum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum (*Luc.* IV, 27-27). Et tempore passionis ejus atrocius irati sunt et maledixerunt ei, « qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur (*I Pet.* II, 23). » Post cujus passionem, quia Jerusalem obsidenda erat et capienda, recte subjungitur : « Et suspiciet sursum. »

VERS. 22. — « Et ad terram intuebitur, et ecce tribulatio et tenebræ, dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua. »

Suspiciet sursum Judaicus populus ad Dei cognitionem et auxilium, *et ecce tribulatio* adversitatis, *et tenebræ* ignorantiæ : quia Deus excæcavit corda eorum, nec liberavit eos. *Et ad terram*, id est ad ea quæ circa se in terra fient, *intuebitur, et ecce tribulatio*. « Et erit, inquit, pressura magna super terram, et ira populo huic, et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum (*Luc.* XXI, 23, 24). » Hoc enim et hic dicitur : « Dissolutio et angustia, et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua. » Similiter et apud Danielem legimus : « Post finem belli statuta desolatio (*Dan.* IX, 26). » Sequitur :

LIBER SECUNDUS.

CAPUT IX.

VERS. 1. — Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. »

VERS. 2. — « Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. »

Nunc de eo tempore sermo est, quo Dominus inter homines degens, Evangelium prædicare per se ipsum dignatus est. Nam post baptismum ad jejunium ejus scribit Matthæus, quia « secessit in Galilæam, et relicta civitate Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Et inde cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV, 12-17).

Itaque *primo tempore* Dominicæ prædicationis *alleviata est* onere peccatorum *terra Zabulon, et terra Nephthalim ;* quia ibi Salvator, antequam discipulos elegisset, prædicare cœpit remissionem peccatorum et ingressum regni cœlestis, promittens pœnitentibus. Qui et de *via maris*, id est de regione maritima, novissimo tempore prædicationis ejus *aggravata* pondere peccatorum, in sequentibus Evangelii ait : « Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ vobis factæ sunt, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio quam vobis. Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris (*Matth.* XI, 21-23). »

Via itaque *maris gentium Galilææ*, quæ erat *trans Jordanem, novissimo aggravata est* in suis iniquitatibus, quia prædicationem Dominicam obstinato animo contempsit. *Populus* autem gentium, *qui* prius *in tenebris* ignorantiæ constitutus, latam viam sæculi, quæ ducit ad perditionem, *ambulabat, vidit lucem magnam*, prædicante Domino, et miraculis coruscante. *Lucem vidit* non parvam, ut aliorum prophetarum, sed *magnam* ut ejus, qui dicit : « Ego sum lux mundi (*Joan.* VIII, 12). » Atque habitatoribus regionis *umbræ mortis*, id est peccatorum et infidelitatis nova *lux* justitiæ et fidei est exorta. Hoc enim inter mortem et umbram mortis distingui potest, quod mors eorum intelligatur esse, qui cum operibus mortuis ad inferos descenderunt, quoniam « anima, quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XVIII, 20); » umbra vero *mortis* eorum, qui, dum peccent, nec dum de vita egressi sunt; quia, si voluerint agere pœnitentiam, possunt. Hæc tamen et aliter possunt intelligi. Ait enim :

« Primo tempore alleviata est terra Zabulon, etc. Nempe Zabulon interpretatur *jusjurandum ejus.*

Digitized by Google

Nephthalim *discretio*. Et Judæorum populus juramentum Dei perceperat sicut per Zachariam dicitur : « Juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis (*Luc.* I, 73). » Qui et discretus erat, id est a cæteris omnibus populis sequestratus. *Primo* igitur *tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephthali;* quia Dominus in terra Judæorum docuit, quibus hoc olim juraverat, et quos ex omnibus populis, qui sub cœlo sunt, elegerat, ibique primo discipulos ad prædicandum misit. Sequitur :

« Et novissimo aggravata est via trans Jordanem Galilææ gentium. » Quid per viam nisi actio designatur? Et quid per mare nisi sæculum? quid vero per *Jordanem* nisi baptismus? Unde et Jordanis *descensio eorum* interpretatur; quia, qui baptizantur, ad ima humilitatis ab elatione sua descendunt. *Galilæa* vero, quæ dicitur, *transmigratio perpetrata*, transitus est de peccatis ad justitiam. Itaque *via maris*, id est actio sæcularis, quæ *trans Jordanem*, id est post baptismum est perpetratæ transmigrationis gentium, *novissimo* tempore *aggravata est* pondere peccatorum ; quia et nos, qui ex gentibus ad Christum vocati sumus, postquam per baptismi sacramenta transivimus, postquam ad virtutes a vitiis transmigravimus, nunc circa mundi terminum, quando tepuit charitas multorum, et abundavit iniquitas, rursum sæculi viam ingredimur, et sæcularibus negotiis implicamur, qui Deo militare debuimus, sicque peccatorum sarcina nimium gravamur, ut vix ad cœleste desiderium cor levare queamus.

Vel etiam ita possunt hæc exponi. Adveniente Christo, et prædicatione illius coruscante primo, *terra Zabulon et Nephthalim* a scribarum et Pharisæorum erroribus est liberata, et gravissimum Judaicarum traditionum jugum excussit de cervicibus suis; postea vero Evangelium apostoli Pauli, qui novissimus apostolorum omnium fuit (*I Cor.* IV, 9), ingravata est, id est multiplicata prædicatio, et in terminos gentium, et viam universi maris, id est sæculi, Evangelium Christi splenduit. Nam *populus* gentilis, qui ante *sedebat* vel *ambulabat in tenebris*, et idololatriæ ac mortis vinculis tenebatur, clarum Evangelii lumen aspexit. Unde et adjungitur :

« Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » Regio enim *umbræ mortis* terra gentium est, quoniam umbra mortis imitatio hostis antiqui intelligitur. Ipse enim, quia mortem intulit, mors vocatur, Joanne attestante qui ait : « Nomen illi mors (*Apoc.* VI, 8). » Per umbram igitur mortis ejus imitatio designatur, quia sicut umbra juxta corpus ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis ejus exprimuntur. Cernens itaque propheta gentiles populos in antiqui hostis imitatione defecisse, eosque ad veri solis ortum resurgere, quæ certe futura noverat, quasi ex præteritis narrat, dicens : « Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » Ac de eorumdem multitudine gentilium, qui nequaquam ejusdem lucis gaudia cognoverunt, subjungit :

VERS. 3. — « Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. »

Multiplicata enim fuerat gens per totius mundi latitudinem. Sed necdum magnificata fuerat lætitia, dum adhuc tantum in Judæa notus erat Deus : quia completum adhuc non fuerat : « Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo (*Luc.* II, 10). » Sed jam de ejus magnificatione sequitur :

« Lætabuntur coram te, sicut lætantur (76) in messe, » etc. Copiosam quippe messem generis humani collegerunt apostoli, quando non solum Judæos, sed etiam gentes congregaverunt ad fidem. Unde et dictum eis fuerat : « Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albæ sunt jam ad messem ; et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. Ego misi vos metere, quæ non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis (*Joan.* IV, 35 38). » In hac itaque *messe* lætati sunt *coram Domino* sancti prædicatores, dum de conversione gentium gauderent. Qui et accepto desuper Spiritu sancto antiquum hostem et universam ejus militiam superantes « omne enim, quod natum est ex Deo vincit mundum (*I Joan.* V, 4), » sicut *victores* exsultaverunt. Et exsultantes *spolia* diviserunt; quoniam eloquia sacra cunctis per orbem nationibus distribuerunt. Nam spoliorum nomine divina eloquia signantur, sicut scriptum est : « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa (*Psal.* CXVIII, 162). »

Vel *multiplicasti gentem* fidelium, o Christe, qui Ecclesiam tuam toto orbe dedicasti; sed *non magnificasti lætitiam;* quia de perfidia Judæorum reliquisti nobis tristitiam. Sed cum veneris, et Christianorum gens tota simul fuerit congregata, tunc *lætabuntur* apostoli *coram te* sicut messores; quia fructus humanæ messis congregatus erit in vitam æternam; et *sicut exsultant victores*, qui captam *dividunt* prædam; quia tunc perfecte victus erit diabolus, et homines dividentur in dextros et in sinistros. Sed cur isti victores in divisione spoliorum exsultaverint demonstratur, cum de gentili populo subjungitur :

VERS. 4. — « Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. »

Eripiens quippe gentilitatem Dominus superavit *jugum oneris ejus*, cum eam adventu suo ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute liberavit. Superavit *virgam humeri ejus*, cum persecutionem illius, qua ex perverso opere graviter deprimebat, ab humano genere Redemptor compescuit. Superavit *sceptrum exactoris ejus*, cum regnum diaboli, qui pestifera perpetratione vitiorum exigere consuevit debita pœ-

(76) Alias, *qui lætantur.*

Digitized by Google

narum, de fidelium corde destruxit. Sed quomodo hæc acta sint audiamus.

Sicut in die Madian, id est sicut sanctus Gedeon in trecentis viris innumeram multitudinem Madianitarum vicit. Libet hoc loco digressionem facere et quare triumphus Christi victoriæ Gedeonis assimiletur ostendere. Scriptum est enim in libro Judicum : « Omnis Madian, et Amalec, et orientales populi congregati sunt simul. Et transeuntes Jordanem castra metati in valle Jezrael. Spiritus autem Domini induit Gedeon. Qui clangens buccina convocavit domum Ablezer, ut se sequeretur. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum ; et alios in Afer et Zabulon et Nephthalim, qui occurrerunt ei. Dixitque Gedeon ad Dominum : Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam vellus hoc lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, scio quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore complevit, dixitque rursus ad Dominum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero signum quærens in vellere : oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. Fecitque Dominus nocte illa, sicut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra (*Judic.* VI, 33), etc. »

« Igitur Jerobaal, qui et Gedeon, de nocte consurgens, et omnis populus cum eo venit ad fontem qui vocatur Arrath (77). Erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi. Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus, ne glorietur contra me Israel, et dicat : Meis viribus liberatus sum. Loquere ad populum, et cunctis audientibus prædica : Qui formidolosus et timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, et reversa sunt de populo viginti duo millia virorum, et tantum decem millia remanserunt. Dixitque Dominus ad Gedeon : Adhuc populus multus est ; duc eos ad aquas, et ibi probabo illos, et de quo dixero tibi, ut tecum vadat, ipse pergat ; quem autem prohibuero, revertatur. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon : Qui lingua lambuerint aquas sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum ; qui autem, curvatis genibus, biberint in altera parte erunt. Fuit itaque numerus eorum qui, manu ad os projiciente aquas lambuerant, trecenti viri ; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon : In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, et tradam Madian in manu tua : omnis autem reliqua multitudo revertatur in domum suam.

« Sumptis itaque pro numero cibariis et tubis, omnem reliquam multitudinem abire fecit in tabernacula sua, et ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

A Eadem nocte dixit Dominus ad eum : Surge et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, et securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ. Madian autem et Amalec et omnes Orientales populi fusi jacebant in valle ut locustarum multitudo. Cameli quoque innumerabiles erant sicut arena quæ jacet in littore maris. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium proximo suo, et in hunc modum referebat quod viderat : Vidi somnium, et videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, et in Madian castra descendere. B Cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, et terræ funditus coæquavit. Respondit is cui loquebatur : Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis, filii Joas, viri Israelitæ. Tradidit Deus in manu ejus Madian, et omnia castra ejus.

« Cumque audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit et reversus est ad castra Israel, et ait : Surgite, tradidit enim Deus in manus vestras Madian, divisitque trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum, et dixit ad eos : Quod me fecere videritis, hoc facite. Ingrediar in partes castrorum, et quod fecero, sectamini. C Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per circuitum castrorum clangite, et conclamate : Domino et Gedeoni. Ingressusque est Gedeon et trecenti viri, qui erant cum eo, in partem castrorum incipientibus vigiliis noctis mediæ, et custodibus suscitatis cœperunt buccinis clangere et complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque : Gladius Domini et Gedeonis, stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt. Et nihilominus instabant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus ca- D stris, et mutua se cæde truncabant, fugientes usque Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tabbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthalim et Aser et omni Manasse persecuti sunt Madian. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens : Descendite in occursum Madian, et occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim, et præoccupavit aquas usque Bethbera, apprehensosque duos viros Madian Oreb, et Zeb interfecit, Oreb in Petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb, et persecuti sunt Madian, capita Oreb et Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis (*Judic.* VII, 1 *et seqq.*). » Hactenus Historiæ

(77) Alias, *Harrad*.

Digitized by Google

sacræ verba posuimus. Sed quid prodest verba posuisse, nisi et mysticam eorum intelligentiam saltem breviter attingamus.

Gedeon igitur, ad prœlium veniens, Redemptoris nostri signat adventum, de quo scriptum est : « Tollite portas, principes vestras, et introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prœlio (*Psal.* XXIII, 7). » Hunc Redemptorem nostrum non solum opere, sed etiam nomine prophetavit. *Gedeon* quippe interpretatur *circuiens in utero*. Dominus enim noster per majestatis potentiam omnia circumplectitur, et tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis venit. Quid enim *circuiens in utero* nisi omnipotens Deus sua nos dispensatione redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens, in quo utero incarnatus esset, et clausus non esset, quia et in utero fuit per infirmitatis substantiam, et extra uterum per divinitatis potentiam

Madian vero interpretatur *de judicio*. Ut enim hostes ejus repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed *de judicio* juste judicantis fuit. Et idcirco *de judicio* vocantur, quia alieni a gratia Redemptoris justæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt.

Amalec autem *populus lambens* interpretatur. Et quid per lambentem populum nisi mentes sæcularium designantur, quæ terrena cuncta ambiendo quasi lambunt, dum solis temporalibus delectantur ?

Orientales vero dicuntur : quia, sicut orti sunt, ita permanent neque circumcisi, neque baptizati. « Omnis ergo Madian et Amalec et orientales populi congregati transierunt Jordanem ; » quoniam isti omnes una conspiratione in eos, qui baptizati sunt, irruerunt. Nos quippe baptismum quasi Jordanem Jesu duce transivimus, et jam quasi repromissionis terram inhabitamus Ecclesiam. Dum igitur infideles adversus nos veniunt, quasi ad eorum devastationem, qui in terra trans Jordanem sunt, properant.

Et castrametati sunt in valle Jezrael ; quia in peregrinatione vitæ præsentis tyrannice depresserunt et conculcaverunt humilitatem fidelium. *Jezrael* quippe *semen Dei* dicitur ; et « qui seminat bonum semen, est filius hominis ; bonum vero semen sunt filii regni (*Matth.* XIII, 37). »

« Spiritus autem Domini induit Gedeon ; » quia, « Jesu baptizato et orante, descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum (*Luc.* III, 22). » « Qui clangens buccina convocavit domum Abiezer ; » quia cœpit Jesus prædicare, et eligit discipulos. *Abiezer* quippe *Pater meus adjutor* interpretatur. Quo nomine quid nisi prophetarum et antiquorum patrum persona designatur, cujus domus fuit discipulorum Domini collegium ?

« Misitque nuntios in universum Manassem, » id est apostolos, dicens : « In viam gentium ne abieritis, sed ite ad oves domus Israel (*Matth.* X, 5, 6). » « Manasses » enim, qui interpretatur *necessitas*, figura est illius populi, qui necessitate Deo servivit, id est timore. « Et alios in Aser, et Zabulon, et Nephthalim ; » quia Paulum et Barnabam misit ad gentilem populum, qui factus est in Christo beatus, et fortitudine plenus, et charitate dilatatus. Aser enim *beatus* dicitur, Zabulon *habitaculum fortitudinis*, Nephthalim *dilatatus* vel *dilatavit me*. *Ros in vellere*, et *siccitas in omni terra* fides est in omni populo Judæorum, et infidelitas in gentibus.

« De nocte consurgens, expresso vellere, conchamrore complevit ; » quia de morte Christus, ante lucem resurgens, fidei gratiam a Judæis abstulit, qua discipulorum mentem replevit. Item siccitas in vellere et ros in omni terra perfidia est in Judæis, et fides in toto orbe. Gedeon, id est Christus. *Jerobaal* (78), id est *judicem habens*, ad improperium scilicet diaboli, qui reprobos habens non tamen potest judicare, et vindicare destructionem idololatriæ. Qui *de nocte consurgens venit ad fontem* nomine *Harad ;* quoniam ante lucem de sepulcro resurgens, venit ad immortalem fontem in cœlum ascendens. *Harad* quippe *consurrectio descensionis* interpretatur. *Et omnis populus* credentium *cum eo* resurgens *venit ad* hunc *fontem ;* quia « Deus conresuscitavit, et consedere fecit nos in cœlestibus in Christo Jesu (*Ephes.* II, 6). »

Madian erant in valle, id est in profundo vitiorum, *ad septentrionalem plagam*, id est in sinistra et glaciali, tenebrosaque infidelitate. *Collis* excelsus Ecclesia est in latere Christi lancea patefacto consistens, qui est mons in vertice montium.

Mons *Galaad*, qui interpretatur *acervus testimonii*, præcelsum et multiplex testimonium est, quod in passionibus martyres reddiderunt. De quo monte reversa *sunt viginti duo millia* timidorum, id est multitudo transgressorum utriusque Testamenti et apostatarum. Nam viginti duo bis undecim sunt, et undenarius transgressionem designat, denarius observantiam præceptorum. Nam *decem millia remanserunt* cum Gedeone. Sed quia non omnes prædicare sufficiunt vel pati pro Christo, qui legem servare creduntur, *adhuc populus est multus*.

Ducti sunt igitur ad fluvium, ut aquas lamberent ; et qui aquas flexis genibus hauserunt, a bellica intentione remoti sunt. Aquis namque doctrina sapientiæ, stantibus autem genu recta operatio designatur. Qui vero dum aquas biberent, genu flexerunt, a bellorum certamine revocati sunt ; quia cum illis contra hostes fidei Christus pergit ad prœlium, qui cum doctrinæ fluenta hauriunt, rectitudinem operum non inflectunt, ut sapientiæ doctrina et operum virtute polleant. Nam, quia dissolutio operum in ipsa genuum incurvatione signatur, Paulus ait :

(78) Cod. G., *Jeroboam*.

Digitized by Google

« Remissas manus, et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris (*Hebr.* XII, 12). »

« Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente aquas lambuerant, trecenti viri. » Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid igitur in centenario ter ducto nisi perfecta cognitio Trinitatis intelligitur (79)? Cum his quippe Dominus adversarios fidei destruit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui sciunt de Trinitate, quæ Deus est, perfecta sentire.

Eadem nocte, qua cœnavit cum discipulis, *dixit Dominus ad eum : Surge* a cœna, *et descende in castra*, id est in locum quo venturus est Judas cum turba Judæorum. « Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus. » Hoc, nisi fallor, Marcus ita ait : « Assumpsit Petrum et Jacobum et Joannem secum, et cœpit pavere et tædere (*Marc.* XIV, 33). » *Phara* quippe, qui interpretatur *laguncula*, typus est apostolorum, qui nova gratia velut musto sunt repleti. « Descendit ergo ipse et Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ; » quia venit cum discipulis in hortum, quo se capiendum noverat a ministris Pharisæorum et cohorte militum. In camelis tortitudo vitiorum signatur, et in locustis instabilitas mentium. Qui *narrabat somnium* vel interpretabatur, divinos significare videtur et sapientes sæculi, nonnullos quoque vates gentium, quibus pleraque de Christo revelata sunt, sicut sybillæ et Nabuchodonosor.

Subcinericius panis ex hordeo Christum, qui peccantibus asper et acutus, pungensque est, designat. Quia sicut panis sub mole cineris coquitur, et Christus ignem passionis sustinuit sub multitudine Judæorum, et ad resurrectionis virtutem duruit. Qui volvitur linguis prædicantium, ut ad humana corda descendat. « Percussit tabernaculum, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit, » vel quando carnem persecutorum, in qua manebant animæ eorum, per mortem redegit in pulverem; vel quando vitia carnis eorum gladio prædicationis misericorditer feriens destruxit, et ipsos humiles reddidit. Vel potius Scriptura Veteris Testamenti potest in pane ex hordeo designari, cujus interior sensus tenacissimus litteræ paleis tegitur. Hoc enim et quinque panes hordeacei designant in Evangelio, ex quibus turbas pavit Dominus (*Joan.* VI). Qui scilicet panis est *subcinericius;* quia vetus Scriptura secundum carnalem sensum in pulvere terrenarum cogitationum jacet.

« Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filii Joas. » *Joas*, qui interpretatur *sperans*, antiquum Dei populum designat, qui Salvatorem ex se nasciturum sperabat. *Cumque* noster *Gedeon audisset*, id est suis audiri fecisset, *somnium et interpretationem ejus*, admodum membra sua gaudio replevit, et ad gratiarum actionem accendit. *Divisitque trecentos viros*, id est sanctos prædicatores in tres partes mundi, quæ sunt Asia, et Europa, et Africa. « Et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac Lampades in medio lagenarum. » In tubis designatur clamor prædicationum ; in lampadibus claritas miraculorum ; in lagenis fragilitas corporum.

« Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri cum eo in partem castrorum. » Quia cœpit Jesus in prædicatoribus suis partem infidelium aggredi, ut eos salubriter vincens, subjiceret sibi. *Incipientibus vigiliis noctis mediæ*, id est profundi erroris, *et custodibus suscitatis ;* quia sæculi principes cœperunt astutiores errorum veterum custodes ponere contra novam apostolorum prædicationem. *Cœperunt buccinis clangere*, id est cœperunt prædicare. *Et complodere inter se lagenas*, id est corpora sua in passione collidere. Nam sonuerunt tubis, cum prædicarent; confregerunt lagenas, dum solvenda in passione sua corpora hostilibus gladiis opponerent.

« Confractis vero lagenis, resplenduerunt lampades, » et post solutionem corporum miraculis coruscaverunt. Moxque hostes in fugam versi sunt; quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruscare conspiciunt, luce veritatis fracti, quod impugnaverant, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, ut lagenæ frangerentur ; lagenæ fractæ sunt ut lampades apparerent ; apparuerunt lampades, ut hostes in fugam verterentur, id est prædicaverunt martyres, donec eorum corpora solverentur; corpora eorum in morte soluta sunt, ut miraculis coruscarent ; coruscaverunt miraculis, ut hostes suos ex divina luce prosternerent, quatenus nequaquam Deo erecti resisterent, sed eum subditi formidarent.

Et notandum quod steterunt ante lagenas, fugerunt ante lampades; quia nimirum persecutores fidei prædicatoribus adhuc in corpore positis restiterunt, post solutionem vero corporum apparentibus miraculis in fugam versi sunt; quia pavore conterriti a persecutione fidelium cessaverunt. Prædicationem scilicet tubarum fractis lagenis corporum visis timuerunt lampadibus miraculorum.

« Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, » id est in Asia, Europa et Africa prædicarent, « et hydrias confregissent, tenuerunt in sinistris lampades, et in dextris sonantes tubas. » Pro dextro habere dicimus, quidquid pro magno pensamus ; pro sinistro autem, quod pro nihilo ducimus. Bene igitur *in dextra tubas*, et *in sinistra lagenas*, sive *lampades tenuerunt ;* quia Christi martyres pro magno habent prædicationis gratiam, et corporum utilitatem vel miraculorum gloriam pro nihilo (80).

« Immisitque Dominus » divini verbi « gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, » id

(79) Cod. G., *exprimitur.*

(80) Cod. G., *pro minimo.*

Digitized by Google

est conversationem pristinam ad invicem in se perimebant, « fugientes usque Bethsetta, et crepidinem Abelmeola in Thæbath. » Bethsetta *domus spinæ* dicitur : Abelmeola *luctus parturientis*; Thabbath *bona exceptio*. Et quæ est domus spinæ nisi mens quæ de peccatis suis compungitur? Quæ est ista parturiens nisi Ecclesia, quæ spirituales Deo filios parturire non cessat? Et quæ est crepido luctus parturientis hujus, nisi plaga lateris Christi? Inde enim causam sibi lugendi sumit Ecclesia. Fugerunt igitur *usque Bethsetta*, qui de sceleribus compuncti sunt agentes pœnitentiam. Et usque ad crepidinem luctus parturientis *fugerunt*, id est usque ad fidem Dominicæ passionis, unde luctus Ecclesiæ cœpit. Et fugerunt *in Thabbath*, id est in bonam exceptionem. *Conclamantes autem* voce prædicationis *viri Israel*, id est fideles, qui Deum oculis fidei vident *de Nephthalim*, id est *de latitudine* charitatis vel amplitudine mundi, *et de Aser*, id est de gente beatorum, *et de omni Manasse*, id est de iis qui ea quæ retro sunt, obliviscuntur, *persequebantur Madian* cœlestibus armis instructi. Nephthalim quippe *latitudo* dicitur ; Aser *beatus* ; Manasses *obliviosus* vel *oblitus*.

« Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, » qui dicitur *ubertas*, id est Christus prædicatores in universum mundum. *Descendite*, inquit, *in occursum Madian*, id est humilitatem assumite, ut hostium superbiæ resistatis. *Et occupate aquas* sapientiæ *usque Bethbara*, id est usque in Ecclesiam, ubi puteus aquarum viventium est. *Bethbera* quippe *domus* dicitur. *Et usque ad Jordanem*, id est ad descensionem et humiliationem eorum. Interpretatur enim Jordanis *descensio eorum*, vel Baptismus appellatione Jordanis intelligi poterit.

« Apprehensosque duos viros Madian Oreb et Zeb interfecit. » Oreb interpretatur *Corvus*, Zeb *lupus*. Uterque autem et corvus et lupus cadavere pascitur. Sed lupus quidem rapit et occidit animalia, et carnibus eorum vescitur ; corvus autem licet carnes comedat, occidere tamen non valet. Quid ergo per lupum nisi insatiabilis eorum rabies designatur, qui martyres interficiebant, et mortibus eorum pascebantur? Quid per corvum nisi illi, qui peccatis nigri morte quidem et cruciatibus justorum delectabantur, sed eos perimere non sufficiebant? Interpretatur etiam Oreb *foramen*. Et coluber ingredi foramen solet. Et quid per *foramen* nisi illi designantur, in quorum corde serpens antiquus ingredi et habitare consueverat.

Ephraim itaque *interfecit Oreb et Zeb ;* quia conversi gentiles vel ad fidem converterunt, vel patiendo superaverunt et eos, in quibus serpentina malitia latebat; ut de pœnis justorum gauderent et eos, qui martyres ipsos peremerunt. Et *Oreb* quidem, id est in duritia sua. *Zeb* vero, id est raptores et devoratores sanctorum ; *in torculari Zeb*, id est in pressura, qua justos affligebant. In eo enim, quod a sanctis usque ad mortem sunt tolerati, dum se justos occidere putarent, occisi sunt. Quorum *capita*, id est triumphum de illis martyres reportaverunt *ad Gedeon*, id est ad Christum, *trans fluenta Jordanis*, id est trans sacramenta baptismi, per quæ ad eum fit transitus. Bene itaque de gentilitate Deo dicitur ; quia « jugum oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus superasti sicut in die Madian. » Et quia jam superatum sit exactoris ejus sceptrum, probatur, cum subditur :

Vers. 5. — « Quia omnis violenta prædatio cum tumultu et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis. »

Violentam enim *cum tumultu* prædam agere consueverat exactor improbus iste ; quia semel humano generi nummum deceptionis contulerat, et ab hoc quotidie mortis debitum expetere non desistebat. Violentam *cum tumultu* prædationem agebat ; quia, cum impetu et clamore effrenato irruens tempore mortis, animas violenter rapiebat. Sed jam hæc *violenta prædatio*, id est antiqui hostis importuna crudelitas, *in* æternam *erit combustionem*.

Vestimentum vero corpus nostrum est, quo induta est anima ; sanguis autem peccata carnis sunt, de quibus dicitur : « Libera me de sanguinibus (*Psal.* L, 15). » *Vestimentum sanguine* miscetur, quando corpus desideriis carnalibus inquinatur. « Vestimentum ergo mistum sanguine erit cibus ignis ; » quia caro luxuriantium gehennalibus mancipabitur incendiis. Sed cur hæc violenta prædatio, et vestimentum sanguine pollutum in combustionem erit? Quia jam in carne apparuit rex pacis et justitiæ, qui cunctis in se credentibus non solum animæ, sed et carnis munditiam tribuat.

Vers. 6. — « Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus. »

Hic est enim *parvulus* ille, qui « minoratus est paulo minus ab angelis (*Hebr.* IX), » qui « non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX, 28). » Reges autem sæculi non in humeris sed in capite portant insigne regium. Sed solus Rex noster gloriam potestatis suæ in humeris extulit. Unde et Isaac cum ad immolandum a patre duceretur, ligna sibi ipse portavit (*Gen.* XXII, 6), eximiam ejus patientiam designans crucem passionis suæ gestantis. Itaque *principatus ejus est super humerum ejus* ; quia dum crucem propriis portaret humeris, vicit mundi principem, et in iis quos redemit principatum acquisivit. Sequitur :

« Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. » *Admirabilis consiliarius* est in omnibus, quæ per se ipsum in Evangelio docuisse legitur. *Deus fortis* in resurrectione cognitus est ; quia virtute divina hostem antiquum prostravit et suam carnem resuscitavit. Separatim quoque legi possunt hæc nomina *Admirabilis* et *Consiliarius*, nec non *Deus* atque *fortis*. *Admirabilis* est enim, quia ipse est

Digitized by Google

« speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3), » « in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I, 12). » *Consiliarius* est, quia dicit : « Ego sapientia habito in consilio, et mecum est consilium (*Prov.* VIII, 12). » *Deus* est, ex substantia Patris. *Fortis* est, quia ipse est Dei virtus. Et, sicut Adam pater est præsentis sæculi et princeps discordiæ, quæ fuit inter nos et Deum, ita et Christus est *Pater futuri sæculi, et Princeps* nostræ *pacis* ad Deum. Nam « primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis cœlestis, tales et cœlestes (*I Cor.* XV, 47 *et seqq.*). » Et : « sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ (*Rom.* V, 18). » Sequitur :

VERS. 7. — « Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicium et justitiam amodo et usque in sempiternum. »

Multiplicabitur ejus imperium, « ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philipp.* II, 10). » *Et pacis non erit finis,* quia nos in æternum pacificavit Deo per mortem suam. Et ubi fient hæc? *Super solium David, et super regnum ejus;* quia « dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis (*Luc.* I, 32). » *Solium* quippe *David* regia sedes est. *Regnum* vero juxta Dionysium est omnis finis, et ornatus legis, et ordinis distributio. Vel *solium David et regnum ejus* populus Dei est.

Ut confirmet, inquit, *illud et corroboret;* quia dum idem solium et regnum per evangelicam gratiam innovatum est, et de carnali factum spiritale, ita confirmatum est et corroboratum, ut sine fine perduret. Confirmabit autem illud *in judicio et justitia;* quia, sicut Salomon de eo dicit : « Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur (*Prov.* XXIX, 14). » Et : « Quoniam justitia firmatur solium (*Prov.* XVI, 12). » *Amodo,* id est ex quo *factus est principatus super humerum ejus et usque in sempiternum.* Sequitur :

« Zelus Domini exercituum faciet hoc. » Zelari dicitur, qui cum cruciatu mentis castitatem custodit uxoris. Deus igitur quomodo zelatur, vel zelum habet, qui in custodienda castitate nostra nullo cruciatu mentis tangitur? Sed tamen quia castitatem animæ uniuscujusque custodit, humano modo zelans vocatur, quamvis cruciatu mentis non tangatur. Dionysius vero Areopagita dicit : « Omnium causalis bonorum omnium amore per excellentiam amatoriæ bonitatis fit in existentia omnia providentis, et bonitate, et dilectione et amore fovetur. Propter quod et zelotem eum divina sapientes appellant veiut multum in existentia optimum amorem, et ut suscitatorem eam ostendentem, et concupita zelantem, et provisis existentibus eum per semetipsam zelantibus. » Talis ergo zelus Domini faciet hoc, quod de incarnatione Christi, et regno supra dictum est. Sequitur :

VERS. 8. — « Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel. »

Jacob quidem *supplantator*, Israel vero *vir videns Deum* dici perhibetur. Et quid per *Jacob* nisi Judaicus populus, quid per *Israel* nisi gentilitas designatur? Quia quem Judæa per carnis mortem supplantare studuit, hunc nimirum per oculos fidei gentilitas Deum vidit. *Verbum* igitur *ad Jacob* missum *in Israel cecidit;* quia eum, quem ad se venientem Judaicus populus respuit, hunc repente confitens gentilis populus invenit. Sequitur :

VERS. 9. — « Et sciet omnis populus Ephraim, et inhabitantes Samariam in superbia et magnitudine cordis, dicentes :

VERS. 10. — « Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. »

Ephraim vocabantur decem tribus, quæ derelicto templo Domini vitulos Jeroboam adorabant, et terra eorum dicebatur Samaria. Quid ergo per *Ephraim* et per *inhabitantes Samariam*, nisi gentilis populus designatur? *Sciet* itaque *populus omnis Ephraim, et inhabitantes Samariam,* id est universitas gentium, quia verbum quod in Jacob missum fuerat, cecidit in Israel. *Superbia* vero nonnunquam pro erectionis auctoritate ponitur, sicut Ecclesiæ Dominus ait : « Ponam te in superbiam sæculorum (*Isa.* LX, 15). » Et sapientia : « Mecum sunt, inquit, divitiæ et gloria, opes superbiæ et justitiæ (81) (*Prov.* VIII, 18). » Quia ergo populus gentilis, ad fidem conversus, non necessitate timoris adhuc astringendus erat ut olim Judaicus, sed gratia libertatis relaxandus, quæ ei auctoritatem erectionis daret, recte *in superbia* locuturus asseritur, et non in pusillanimitate sicut Judæi, sed *in magnitudine cordis.* Et quid loquetur?

« Lateres ceciderunt, » etc. Quid per *lateres* nisi luteus Judæorum populus exprimitur? Et quid per quadros lapides nisi sanctos accipimus quorum vita in prosperitate et adversitate novit fortiter stare? Lapis enim quadrus æque stat, in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo prosperitate non extollitur, adversitate non frangitur, suasionibus ad mala non trahitur, vituperationibus a bono opere non revocatur. Lapis quadrus est, et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet. Cernens itaque propheta Judæorum populum a fide periisse, et apostolos in Ecclesia surgere, per quos multi erant ex gentibus in fidei et vitæ fortitudine solidandi, in magna consolatione locutus est voce gentilitatis, dicens : « Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. »

(81) Alias, *aves superbæ et just.*

Digitized by Google

Videns quippe in Ecclesia apostolos, martyres et doctores surgere de laterum casu, id est Judæorum perditione, minus doluit, quia Dei ædificium, id est sanctam Ecclesiam de *quadris lapidibus* ædificari conspexit.

Sycomorus autem, quæ est arbor foliis moro similis, sed altitudine præstans, *ficus fatua* dicitur. Cedrus vero miri odoris est, ac natura imputribilis, miræque celsitudinis. Quid ergo per sycomoros nisi fatuitas carnalium Judæorum exprimitur? Quid per *cedros* nisi sublimis et bene redolens vita sanctorum, quæ nulla jam terreni amoris putredine corrumpi potest? *Sycomoros* itaque, id est carnales Judæos *succiderunt* maligni spiritus, et a fidei statu dejecerunt. Sed Ecclesia *cedros immutavit*, id est viros spiritales et odoriferos loco eorum substituit. Sequitur :

Vers. 11. — « Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, inimicos ejus in tumultum vertet. »

Ex libro Regum cognovimus (*I Reg.* XVI), quod Theglatphalasar, rex Assyriorum, pecuniis ac precibus Achaz acquiescens, Damascum venerit, et Rasin, regem Syriæ, peremerit. Sequitur :

Vers. 12. — « Syriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente » subaudi elevabit Dominus, « et devorabunt (82) Israel toto ore. »

Multum enim antiquitus hæ duæ gentes populum Israel affixerunt, et præcipue paulo ante tempus captivitatis decem tribuum, ut in diebus Achab et cæterorum tunc temporis, ac deinceps. Sequitur :

« In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Quia illi non sunt conversi ab iniquitatibus suis propter mala, quæ passi sunt hactenus, nec Dominus aversus est a furore suo, sed adhuc tribulationes eorum augebit tradens eos in captivitatem. Sic enim subjungitur :

Vers. 13. — « Et populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt. »

Vers. 14. — « Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem, et refrenantem die una. »

Id est quando captivi ducentur in Medos. Quid vero sit *caput* vel cauda, exponit ipse propheta subdendo :

Vers. 15. — « Longævus et honorabilis ipse est caput; et propheta docens mendacium ipse est cauda. »

Quid vero per *incurvantem* exprimitur nisi doctor subditos sub disciplina humilians? Et quid per *refrenantem* nisi doctor quilibet? De falsis autem prophetis adhuc subditur;

Vers. 16. — « Et erunt, qui beatificant populum istum seducentes, et qui beatificantur, præcipitati. »

Et quia omnes idcirco morti et captivitati sunt traditi, quoniam pseudoprophetis crediderunt, sequitur :

Vers. 17. — « Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus, et pupillorum ejus et viduarum non miserebitur; quia omnis hypocrita est et nequam, et universum os locutum est stultitiam. »

Hypocritæ erant, quia populum Dei se esse simulabant; et loquebantur *stultitiam*, quia laudabant idola et sanctos prophetas deridebant. Sequitur versus, qui sæpius interponitur :

« In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Sed sciendum est quia Deus in se ipso nec furorem, nec iram habet. Irasci enim dicitur, qui fervore animi contra puniendum vitium accenditur. Deus ergo quomodo irascitur, qui in ulciscendis vitiis nostris nulla perturbatione animi commovetur? Sed qui culpas percutit, modo humanæ locutionis dicitur irasci, vel furorem habere, quamvis nulla animi perturbatione moveatur. Ita enim Deus irasci non potest, sicut nec mutari, ullatenus potest. Cujus et *manus extenta* dicitur, ut habitus in eo fericntis describatur, licet ipse nullis membrorum lineamentis terminetur. Cur autem furor ejus non sit aversus ab eis, ostendit propheta subjungens :

Vers. 18. — « Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi. »

Impietas idololatriæ et crudelitatis *succensa est* in regibus Israel, *et vorabit veprem et spinam*, id est eos, de quibus in carmine David dicitur : « Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur (*II Reg.* XXIII, 6) » universi. *Et succendetur ignis* impietatis *in densitate saltus*, ut totum Israel devoret. Sed cum impietas vocetur ignis, quis est iste fumus de hoc igne procedens nisi doctrina impietatis? Et *superbia fumi* superbia perversæ doctrinæ est. Convolvitur igitur *in densitate saltus superbia fumi* dum in multitudine populi Israel arrogantia idololatriæ implicatur, ut jam ab ea populus ille expediri nequeat, in qua totus est involutus. Sequitur :

Vers. 19. — « In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis. »

Terra Israel conturbata est in ira Domini. Et quia impietas ignis est, *populus quasi esca ignis* efficitur; quoniam ab impietate malorum principum affligitur, et unusquisque proximum lædit. Nam sequitur : « Vir fratri suo non parcet. »

Vers. 20. — « Et declinabit ad dextram et esuriet, et comedet ad sinistram et non saturabitur. »

Declinabit ad dexteram, ut adversetur bonis; et *ad lævam*, ut noceat malis. Sequitur :

« Unusquisque carnem brachii sui vorabit. Quid per brachium nisi proximus quilibet necessarius, in quo fortitudinem quisque habeat, et per quem suas

(82) Cod. Cruc., *devorabit.*

Digitized by Google

actiones impleat (83), designatur? *Carnem* ergo *brachii sui* vorat, qui substantiam proximi et amici sui rapit. Quod quia non solum vir in virum sed etiam tribus in tribum agebat, sequitur ;

VERS. 21. — « Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen » subaudi vorabit : « simul ipsi contra Judam. »

Sic *conturbata est terra in ira Domini.* Post hæc de iis, qui leges iniquas in populo Israel promulgaverunt, agitur, et captivitas eis debita promittitur. « Væ, inquit, qui condunt leges iniquas, etc. (*Isa.* x, 1). » Demum multa de rege Assyriorum dicuntur, quæ nunc historialiter tractare omittimus. Sed quia Spiritus prophetiæ in eisdem verbis diversa complecti solet, videamus si juxta superiorem sensum hæc intelligi possint.

« Et levabit, inquit, Dominus hostes Rasin super eum. » Quia Rasin rex Syriæ fuit, et per Syriam intelligimus gentilitatem, quid per *Rasin* nisi principes reliquiarum gentilitatis, quæ credere noluerunt, designatur? Super quos elevantur hostes sui sicut Joannes ait : « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam (*Apoc.* XII, 12). » Sequitur :

« Syriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente, et devorabunt Israel toto ore. » Syria *sublimis* interpretatur ; Philistiim *ruina duplex* vel *ceciderunt duo.* Et quid per *Syriam* nisi sublimis angelorum natura figuratur in excelsis creata? Quid per *Philisthiim* nisi genus humanum, quod a paradisi felicitate depulsum est quasi in occidentem, id est in hanc vallem lacrymarum, ubi, deficiente luce, nox et abyssus interminabilis damnationis invenitur? Nam quod Philisthiim dicitur : *ceciderunt duo*, in ipsis apparet protoplastis, qui duo peccaverunt, et a paradisi amœnitate expulsi sunt (84), atque corporis et animæ ruinam perpessi sunt.

« Elevat ergo Dominus Syriam ab oriente, et Philisthiim ab occidente, ut devoret Israel toto ore ; » quia divino judicio et maligni spiritus ab origine in principio vitiati Judaicum populum superant, et homines de præsenti sæculo a passione et occasu Salvatoris persequuntur eum. Nec videatur absurdum, quod Rasin, et Israel atque Ephraim et cætera nomina sub diversis significationibus accipimus. Magna enim legentium discretio esse debet, ut in sacro eloquio, cum quilibet sermo unus dicitur, non semper unam eamdemque rem significare credatur sed varie pro locorum diversitate, prout oportuerit, accipiatur. Sequitur :

« In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Dum Vespasianus regiones Judææ vastaret, noluit Dominus propitiari, quia illi noluerunt converti. Nam sequitur : « Et populus non est reversus ad percutientem se, et Dominum exercituum non inquisierunt, » id est Christum.

A « Et disperdet Dominus ab Israel caput et caudam, incurvantem et refrenantem in die una, » id est Titus, quando Jerusalem ceperit. In ipsa autem obsidione, Joannes et Simon cæterique Judæorum principes populum suis adulationibus perniciose decipiebant, asserentes nihil esse Deo gratius quam pro libertate pugnare, de quibus additur : « Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes, et qui beatificantur, præcipitati. » Et quia omnis sexus, et omnis ætas deperiit, apte subjungitur :

Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus, et pupillorum illius, et viduarum non miserebitur. » Et causa eorum adhuc subditur : « Quia omnis hypocrita est et nequam, et universum os locutum est stultitiam. » Omnis populus erat
B hypocrita utpote corruptus « fermento Pharisæorum quod est hypocrisis (*Matth.* XVI, 6). » « Et universum os eorum locutum est stultitiam, » cum dicerent : « Tolle hunc, et dimitte nobis Barrabam (*Luc.* XXIII, 18). » Et « nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit (*Joan.* XIX, 7). » Et : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Sequitur : « In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Et cur ad feriendum adhuc *manus ejus extenta* sit subjungitur :

« Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit. » *Impietas* principum Judæorum *succensa est ut ignis* adversus apostolos resurrectionem Domini constanter prædicantes. *Veprem et*
C *spinam vorabit*, id est Judaicum populum eadem impietas inflammabit in apostolos. De qualibus spinis et vepribus dicitur : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias (*Cant.* II, 2). » — « Et succendetur, inquit, in densitate saltus, » id est in agresti populo gentilium eadem invidiæ flamma adversus Christianos exardescet. « Et convolvetur superbia fumi ; » quia omnes principes gentium in hoc conspiraverunt, ut veterem errorem idololatriæ defenderent, et novam doctrinæ Christianæ prædicationem unanimiter impugnarent. Et quia totus mundus contra Christianos est commotus, recte subjungitur :

« In ira Domini exercituum commota est terra, et
D erit populus quasi esca ignis. » Ignis enim persecutionis populum sanctorum vorabit. Unde eis Dominus ait : « Tunc tradent vos in tribulationem et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem, et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos (*Matth.* XXIV, 9-11). » Similiter et hic sequitur : « Vir fratri suo non parcet. Et declinabit ad dextram et esuriet : et comedet ad sinistram et non saturabitur, » etc. « Vir fratri suo non parcet. » — « Tradet enim frater fratrem in mortem (*Matth.* X, 21). » *Et declinabit ad dextram* adversus justos, *et esuriet* pœnam eorum ; *et*

(83) Cod. hic : *actiones habent.*

(84) Cod. G. *Amœnitate ceciderunt.*

Digitized by Google

comedet ad sinistram peccatores, *et non saturabitur* afflictione eorum. Per brachium vero jam intelleximus amicum necessarium, in quo quis fortitudinem habeat, et per quem actiones suas impleat. *Carnem* ergo *brachii sui* vorat, qui corpus amici perimit aut cruciat.

Quid vero per *Manassen*, qui dicitur *obliviosus*, nisi gentilis populus designatur, qui Creatorem suum oblitus creaturam adoravit? Et quid per *Ephraim*, qui interpretatur *ubertas*, et derelicto templo Dei serviebat idolis, nisi multitudo hæreticorum exprimitur? Et quid per *Judam* nisi Catholicorum *populus figuratur*? *Vorabit* igitur *Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen*; quia et gentiles persequebantur hæreticos æstimantes esse Christianos, et hæretici, quos poterant ex gentibus, ad suam sectam velut ad religionem convertebant; rursumque *simul ipsi*, id est gentiles et hæretici *contra Judam*, id est contra Ecclesiam sæviebant. Sed postquam hæc completa sunt, nondum persecutiones quieverunt, nam sequitur : « In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. » Nam de principibus impiis, qui tunc leges iniquas contra Christianos dederunt, subjungitur :

CAPUT X.

VERS. 1. — « Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt! »

VERS. 2. — « Ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent. »

Postquam enim martyres injusto judicio condemnaverant, aut peremerant, diripiebant bona eorum, nihil uxoribus ac filiis eorum relinquentes. Quos de die futuri examinis, in quo reddetur unicuique secundum opus suum, propheta terrere volens, subjicit :

VERS. 3. — « Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? »

Nam illa discussio sæpe in Scripturis appellatur *visitatio* : « Visitabo, inquit, super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum (*Isa.* XIII, 11); quia dies iræ dies illa, dies calamitatis et miseriæ (*Sophon.* I, 15). » Quæ calamitas *de longe* venire dicitur juxta illud : « Ecce nomen Domini venit de longinquo; ardens furor ejus et gravis ad portandum (*Isa.* XXX, 27). » De cujus adhuc diei districtione additur :

« Ad cujus fugietis auxilium, et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis? » Neque enim reges et tyranni tunc auxilium vel effugium invenient, sed sub vinculo perpetuæ mortis curvabuntur cum cæteris, quos Dominus interficiet spiritu oris sui, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » Sequitur :

VERS. 4. — « Super omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. »

Adhuc enim tribulationes manent, adhuc mala crebrescunt. Vel ab impiis non est aversus furor ejus, postquam eos gehennæ tradidit, sed adhuc manus ejus est super eos, ut absque ullo fine vel termino puniantur. Sequitur :

VERS. 5. — « Væ Assur! virga furoris mei et baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. »

Assur, qui *coarguens* vel *convincens* interpretatur, hostis antiquus est, qui eos in examine futuri judicii convincet et coarguet, qui nunc suggestionibus ejus consentiunt. Et iste Assur *virga* vel *baculus furoris* Dei est; quoniam ipso feriuntur hi, quibus irascitur Deus. Et ipse est in manu principum sæculi, qui per eum mala faciunt, et est idem indignatio Dei. Nam quia per se ipsum Satanas nihil agere potest, recte *virga Dei* vocatur, quem Dominus *in manu eorum* quodammodo ponit vel dimittit, qui per eum iram Dei faciunt. Sequitur :

VERS. 6. — « Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. »

VERS. 7. — « Ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ita æstimabit (85), sed ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum. »

Quid nunc *gentem fallacem* vel *populum furoris sui* nominat nisi plebem Judaicam? Ad quam misit hunc hostem; quia relaxavit eum adversus eam, ut auferret ab ea virtutum *spolia, et prædam* animarum diriperet, et poneret hunc populum *in conculcationem* ut *lutum platearum*, ut ex toto lutum fieret ut olim in Ægypto, et ab immundis spiritibus conculcaretur in operibus carnis late jacens. *Ipse autem* Satanas *non sic* arbitratus est, id est quod eum Dominus ad Judæos miserit, et a cæteris gentibus prohibuerit. *Sed ad conterendum* multos est adhuc *cor ejus*, et maligna cogitatio; quia non paucas gentes exstinguere adhuc nititur. Unde sequitur :

VERS. 8. — « Dicet enim : Nunquid non principes mei simul reges sunt? »

VERS. 9. — « Nunquid non ut Carcanus (86) sic Calano, et ut Arphad sic Emath? Nunquid non ut Damascus sic Samaria? »

VERS. 10. — « Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem et Samaria. »

VERS. 11. — « Nunquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam Jerusalem et simulacris ejus? »

Hoc post apostolorum tempora loquitur hostis antiquus. Dicit autem Paulus : Quia « non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (*Ephes.* VI, 12), » id est adversus ullum hominem, « sed adversus principes et potestates, adversus mundi

(85) Alias : *existimabit.*

(86) Alias : *Charcamis.*

Digitized by Google

rectores tenebrarum harum (*ibid.*), » id est malorum et infidelium hominum. Hos ergo *principes suos*, id est malignos spiritus Satan jactat esse *reges*, quia sunt rectores mundi tenebrarum harum.

Carcanus vero civitas est juxta Euphraten, ubi Nabuchodonosor percussit exercitum Pharaonis (*Jerem.* XLVI, 2). *Calano* autem interpretatur *omnes nos*. Præsumit igitur improbus hostis, quia sicut in Carcanus prævaluit rex Babylonis superans multitudinem Ægyptiorum, in typo ejusdem antiqui hostis multitudinem sæcularium superantis; sic prævalebit Calano, id est in omnibus nobis.

Arphad dicitur *sanatus*, et Emath *indignatio*. Et ille malesanus est, qui jam dicere negligit : « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum (*Psal.* VI, 3). » « In multa vero sapientia, multa est indignatio (*Eccle.* I, 18). » Dicit ergo impudens adversarius, quia sicut *Arphad*, id est negligens quisque, qui sanum se putat, *sic* erit et *Emath*, id est mens eorum, qui de transitoriis indignantes ad æterna festinant.

Damascus vero vel *sanguinem bibens*, vel *sanguinis populum* interpretatur, *Samaria* autem *custodia eorum*. Et cogitat hostis, quia, sicut sanguinis poculum, id est homicidii peccatum, sic erit custodia eorum, id est, quidquid illi secundum custodiam mandatorum Dei facere videntur, qui in reatu effusionis sanguinis non tenentur.

« Quomodo, inquit, invenit manus mea regna idoli, » id est omnes gentes : « sic et simulacra eorum de Jerusalem, » etc. *Jerusalem* intelligimus *Ecclesiam*. Et plerique nuncupantur Ecclesiæ filii, in quibus scimus esse avaritiam, « quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V, 5). » Hæc sunt *simulacra eorum de Jerusalem*, id est eorum de Ecclesia. Quid verò nunc *Samaria* nisi impiam hæreticorum Ecclesiam designat? Cujus *simulacra* sunt omnes hæreticorum adinventiones et doctrinæ. Præsumit itaque seductor antiquus, quia sicut gentes sibi subjecit, sic per avaritiam Catholicos superare possit, et per falsa dogmata hæreticos. Rursumque addit :

« Nunquid non sicut feci Samariæ, » id est dogmatibus ejus, *sic faciam Jerusalem*, id est Ecclesiæ, *et simulacris ejus*, id est avaritiæ et adinventionibus ejus falsis? Quia sicut hæreticos a Deo separavit, et suæ damnationi sociavit, sic et Christianos adhuc decipere se posse præsumit. Tales sunt hostis nostri cogitationes, contra quos oportet nos sollicite semper cogitare, quia nequaquam talia cogitare nisi et ex parte ea nonnunquam faceret. Sequitur :

VERS. 12. — « Et erit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion et in Jerusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, et super gloriam altitudinis oculorum ejus. »

Cuncta opera sua Dominus in monte Sion impleverat, cum in loco Calvariæ crucifixus diceret : « Consummatum est (*Joan* XIX, 30). » Et post cœnam Patri locutus est : « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam (*Joan.* XVII, 4). » Atque tunc visitavit *super fructum magnifici cordis regis Assur*, quia per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Magnificum cor ejus dicitur, quia talia facere cogitat. Fructus *cordis* ejus opus est quod ex hujusmodi cogitationibus procedit. Qui et *oculorum* habet *altitudinem*, quia cunctos velut in imo respicit, dum se super omnes superbe extollit. Vel *in monte Sion, et Jerusalem*, id est Ecclesia tunc impleta erunt cuncta opera Salvatoris, cum in fine sæculi completus fuerit omnis electorum numerus, et opera eorum consummata. Qui tunc visitabit *super fructum regis Assur*, quia malitiam ejus puniens præcipitabit eum, cunctis videntibus, in ignem æternum. Sed adhuc ante Redemptoris adventum, quid iste cogitaverit, subditur :

VERS. 13. — « Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci, et in sapientia mea intellexi, et abstuli terminos populorum, et principes eorum deprædatus sum, et detraxi quasi potens in sublime residentes. »

VERS. 14. — « Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt; sic universam terram ego congregavi; et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et gannire. «

Dixit hostis antiquus : *in fortitudine manus meæ* feci; quia nemo sibi resistere valebat, sed omnes ubique vincebat, postquam primum hominem sibi subjugaverat. Nemo quippe eum nisi per Christi gratiam superat. Et dum primos parentes decipere, male *sapiens* fuit; quia « serpens callidior erat cunctis animantibus terræ (*Genes.* III, 1). » Nam genus humanum callida fraude seduxit.

Quid vero *terminos populorum* nisi naturalem legem appellat; videamus hos terminos · « Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter (*Luc.* VI, 31). » Isti sunt termini, quos unicuique ratio naturaliter posuerat. Sed eos hostis antiquus *abstulit*; ut per omnes iniquitatis vias humanum genus passim incederet, *et principes eorum deprædatus est, ac residentes in sublimi* arce sanctitatis detraxit, ut Balaam et Salomonem et cæteros hujusmodi.

« Et manus ejus invenit quasi nidum fortitudinem populorum; » quoniam actio ejus requiem in illis invenerat, qui pro defensione idolorum vel errorum pugnabant. *Otis* autem *derelictis universam terram*, id est omnes habitatores terræ, comparat; quia Creator universas gentes ob iniquitates eorum deseruerat, et hostis ad se congregavit eas in unitionem suæ malitiæ. Nam velut aliena *ova* genus humanum diabolus, quod non creaverat, occupaverat, et quod non genuerat, mentito patris nomine possidebat, nec confovebat mi-

Digitized by Google

serandam sobolem, sed premebat, et sub pondere servitutis captivam tenebat.

« Et non erat qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret. » Quia nondum ille venerat, qui se similavit gallinæ, dicens ad Jerusalem : « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? » (*Matth.* XXIII, 37.) Nulla enim alia avis sic mater cognoscitur ut gallina, quæ sic in pullis suis infirmatur, ut sit alis submissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris demissa et abjecta, ut etiamsi ipsi pulli non sequantur, filios non videas, matrem tamen intelligas. Sic ergo pro nobis *infirmatus* est Jesus, ut nos velut ova seu pullos foveret et protegeret, ac nutriret. Qui protegens more pullorum infirmos adhuc discipulos quasi pennam movit, et aperuit os, et ganniit, dicens persecutoribus : « Ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire (*Joan.* XVIII, 15). » Ubi Evangelista subjecit : « Ut impleretur sermo quem *dixit* : quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quemquam (*ibid.* 9). » Bene itaque pullos protegens movit pennam, et aperuit os, et ganniit velut gallina contra raptorem ; quia ne quemquam ex ipsis perderet, solus teneri voluit. Movit ergo *pennam*, fideles suos quasi sub alis protegens ; aperuit *os*, contradicens antiquo prædoni ; ganniit, quia ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes portavit. Sed antequam ille venisset, communis adversarius ea quæ dicta sunt cogitans, gloriabatur. Unde contra stultitiam ejus propheta subjungit :

VERS. 15. — « Nunquid gloriabitur securis contra *eum, qui* secat in ea ? Aut (87) elevabitur serra *contra eum*, a quo trahitur ? Quomodo si elevetur virga *contra* elevantem se, et exaltetur baculus, qui utique lignum est. »

Sicut enim securis aut serra sive baculus per se nil secare aut ferire valet ; sic et diabolus per se nihil agere potest, sed est quasi virga vel securis in manu Dei ; et quod ipse contra Deum idcirco superbit, quoniam adversus multos prævalet, tale est ac si securis vel serra sive baculus aut virga contra eum, qui percutit, ex ea superbiat. Sequitur :

VERS. 16. — « Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, et subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. »

Propter hoc, quia contra Deum exaltatus est, quasi sine illo posset aliquid. Sed qui sunt pingues *ejus* nisi sacerdotes idolorum mundanis divitiis et honoribus redundantes, aut quilibet superbi divites ? In his ergo *pinguibus* inmittetur tenuitas ; quia sacerdotes idolorum ab omni jam sæculo contemnuntur ; et superbi nonnunquam amittunt divitias, ut humilientur :

« Et subtus gloriam ejus ardebit, quasi combustio ignis. » Quia consumetur intrinsecus igne malitiæ suæ, cum eos, quos possidebat, amiserit, licet extrinsecus glorietur, et se principem sæculi jactet, ut cum tentaret Dominum, dicens : « Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, et cui voluero, do illa (*Luc.* IV, 6). » Vel : « Subtus gloriam ejus quasi combustio ignis ardebit ; » quia, qui foris gloriatur Satanas, et angeli ejus ubicunque vel in aere volitent, vel in terris vel sub terris vagentur, sive detineantur, suarum semper secum ferunt tormenta flammarum instar febricitantis, qui, etsi in lectis eburneis et in locis ponatur apricis, fervorem tamen vel frigus insiti sui languoris evitare non potest. Sic ergo dæmones, etsi in templis colantur auratis et per æra discurrant, igne semper ardent gehennali, et ex ipsa pœna sua sunt commoniti : deceptis quoque hominibus fomitem vitiorum, unde et ipsi pereant, invidendo suggerunt.

VERS. 17. — « Et erit lumen Israel in igne, et Sanctus ejus in flamma, et succendetur, et devorabitur spina et vepres in die una. »

Sanctus Pater Ambrosius (lib. I *De Spiritu sanct.* cap. 14) : « Isaias, inquit, significat non solum lumen, sed etiam Spiritum sanctum ignem esse, dicens : Et erit lux Israel in igne. » Et addidit : « Itaque prophetat tum in igne ardenti, quia in istis tribus generibus propensius majestatem divinitatis advertimus, quoniam et sanctificare Divinitatis, et illuminare ignis et lucis est proprium, et in specie ignis exprimi vel videri divinæ est consuetudinis. Deus enim ignis consumens est, sicut Moyses dixit (*ibid.*). » Fuit ergo *lumen Israel in igne*, quia Spiritus in igneis linguis apparuit (*Act.* II, 3).

Et Sanctus ejus in flamma, quia Salvator passionem sustinuit. Vel, *erit in flamma*, quia veniet « in flamma ignis (*II Thes.* I, 8) » reddere singulis secundum opera eorum. Et *succendetur* ignis Spiritus sancti in cordibus humanis, *et devorabitur spina*, id est originale peccatum. *Et vepres*, id est vitiorum asperitates, *in die una*, id est in tempore gratiæ, vel in die passionis Christi. Sequitur :

VERS. 18. — « Et gloria saltus ejus et Carmeli ejus ab anima usque ad carnem consumetur, et erit terrore profugus. »

VERS. 19. — « Et reliquiæ ligni saltus ejus præ paucitate numerabuntur, et puer scribet eos. »

Quid per saltum nisi gentilitas designatur ? Et quid per Carmelum, qui dicitur *cognitio circumcisionis*, nisi populus Judæorum carnaliter circumcisus ? Et quid est *gloria* Satanæ in hoc saltu vel carmelo nisi peccatum ? Sed hæc *gloria consumitur ab anima usque ad carnem*, quia per Christi gratiam remittuntur tam animæ quam carnis peccata. Et primo quidem saltus, deinde Carmeli gloria consu-

(87) Alias *exaltabitur*.

Digitized by Google

mitur, quia gentilitas prius quam Judæa, gratiam percepit, sicut scriptum est : « Donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI, 25, 26); » hostis vero salutis humanæ in fugam convertitur.

Reliquiæ autem *ligni salutis ejus* sunt reliquiæ gentilitatis, quæ fidem recipere noluerunt. Sed jam *præ paucitate* numerari possunt, quia raro invenitur quis, qui Christianus non sit. Quis vero *puer* est, scribit *eos*, nisi de quo supradictum est : « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis? » Scribit enim in libro vitæ eos qui credunt, sicut locutus est eis : « Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* X, 20). »

VERS. 20. — « Et erit in die illa, non adjiciet residuum Israel, et hi, qui fugerunt de domo Jacob, inniti super eum qui percutit eos, sed innitetur super Dominum Sanctum Israel in veritate. »

Hoc de illis dictum est Judæis, qui crediderunt prædicantibus apostolis. Nam *residuum Israel* est, de quo Paulus ait : « In hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt (*Rom.* XI, 5). » Et illi *fugerunt de domo Jacob*, id est de Synagoga, qui tandem intelligentes hunc esse Christum, quem crucifixerunt, « compuncti sunt corde, et dixerunt ad apostolos : Quid faciemus, viri fratres? » (*Act.* II, 37.) Jam enim quærebant effugium. Nec inuisi sunt ultra super eum, qui percutiebat eos, id est super hostem antiquum, qui persequebatur illos et vulnerabat animas eorum; sed inuisi sunt super fundamentum, quod est Christus, perseverantes in doctrina apostolorum. Potest hoc etiam de illis intelligi qui, prædicante Elia crediturі sunt. Nam « cæcitas ex parte contingit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI, 15). » Sed sive de illis qui tempore apostolorum crediderunt, sive de illis qui in fine crediturі sunt accipiatur, evidens est quod subditur :

VERS. 21. — « In veritate reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem. »

VERS. 22. — « Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo. »

Et quia in Christo perfectam secuti sunt justitiam, qui in lege non poterant justificari, pulchre subjungitur : « Consummatio abbreviata inundabit justitiam. » — « Omnis enim lex, sicut Paulus ait, in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Galat.* IV, 14). » Sequitur :

VERS. 23. — « Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. »

Dominus, cum per se ipsum doceret in terra Judæorum, qui est *medium universæ terræ*, fecit *consummationem et abbreviationem*, dicens : « Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis : hæc est enim lex et prophetæ (*Matth.* VII, 12). » Rursumque cum dixisset : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum (*Matth.* XXII, 37), » subjecit : « In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ (*ibid.*). » Hæc est brevis consummatio, quæ justitiam affluenter inundat. Itaque prophetata conversione Israelitarum, consolationem interim subjungit. Nam sequitur :

VERS. 24. — « Propter hoc hæc dicit Dominus Deus exercituum : Noli timere, populus meus, habitator Sion, ab Assur. »

Id est, noli timere hostem antiquum, tu plebs Hebræa, quæ Salvatoris exspectas adventum. Sequitur : « In virga percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Ægypti. » Dum in *Sion*, id est in fide Dominici adventus, permanseris, non tanget te. Sed si cœperis in Ægyptum ire, id est in tenebras infidelitatis, mox *in virga percutiet te*, id est persecutionem tibi ex perverso opere movebit. Cur autem dixerit : *Noli timere ab Assur*, manifestat subdendo :

VERS. 25. — « Adhuc enim paululum modicumque, et consummabitur indignatio et furor meus super scelus eorum. »

Quia, sicut de tempore gratiæ per Jeremiam dicitur : « Propitius ero iniquitatibus eorum, et peccata eorum jam non memorabor (*Jerem.* XXXVI, 3). » Quod de illis specialiter accipitur, qui compuncti sunt ad prædicationem Petri, quorum maximum scelus fuerat mors Salvatoris. Sed et *super hoc scelus eorum consummata est indignatio* ejus, quia et hoc peccatum dimisit illis. Sequitur :

VERS. 26. — « Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian in petra Oreb, et virgam suam super mare, et levabit eam in via Ægypti. »

De plaga *Madian in petra Oreb*, quæ sub Gedeone facta est, non est necesse nunc dicere. Quomodo autem *super mare Dominus virgam suam* levaverit agnoscitur, ubi locutus est Moysi : « Eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur vos, et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus (*Exod.* XIV, 16). » Et item : « Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum (*ibid.* XXVI). » *Mare* autem baptismum significat; *virga* crucem Domini vel doctrinam ejus; *submersio* Ægyptiorum abolitionem peccatorum.

« Et levabit eam in via Ægypti. » Sicut olim quando Moyses ivit in Ægyptum « portans virgam Dei in manu sua (*Exod.* IV, 20); » sic etiam Christus per apostolos venit ad gentes, cui canitur : « Virga directionis virga regni tui (*Psal.* XLIV, 7). » Vel quia diabolus virgam suam et baculum levat adversum nos *in via Ægypti* sicut olim, ut virtutes feriat, Christus econtrario benignam extendit virgam disciplinæ in via Ægypti, ut vitia corrigat. Sequitur :

Digitized by Google

VERS. 27. — « Et erit in die illa : Auferetur onus ejus de humero tuo, et jugum ejus de collo tuo, et computrescet jugum a facie olei. »

Onus et jugum ejus a collo mentis nostræ Dominus abstulit, quia nos ab illa dæmoniacæ tyrannidis servitute, qua graviter deprimebamur, liberavit, dicens : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 28-30). » Nam contra jugum asperum inimici posuit in nobis jugum suave, et contra onus grave dedit nobis onus leve.

« Et computrescet, inquit, jugum a facie olei. » Sub jugo quippe, ut dictum est, tenebamur dæmoniacæ servitutis. Sed uncti sumus oleo Spiritus sancti. Et quia nos unxit gratia libertatis, dæmoniacæ damnationis *jugum* computruit, Paulo attestante, qui ait : Ubi Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III, 17). » Sequitur :

VERS. 28. — « Veniet in Aiath, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua. »

VERS. 29. — « Transierunt cursim, Gabea (88) sedes nostra · obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. »

VERS. 30. — « Hinni voce tua filia Gallin, attende Laisa, paupercula Anathoth. »

VERS. 31. — « Migravit medemena, habitatores Gabim confortamini. »

VERS. 32. — « Adhuc dies est ut in Nobe stetur, agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem. »

Aiath dicitur *condemnatio*, Magron *guttur*. *Veniet igitur in Aiath*, id est in condemnationem, quia « Princeps mundi hujus judicatus est (*Joan.* XVI, 11). » *Transibit in Magron*, id est in guttur, id est quia damnato ejus dominio cultores idolorum jam non audentes errorem publice prædicare, docebunt occulte superstitiones suas. *Machmas* autem *vile tributum* interpretatur. *Vasa* vero Satanæ sunt homines reprobi, de quibus ait Apostolus, quia « Deus sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum (*Rom.* IX, 22). »

Commendat ergo *vasa sua* apud vile tributum, quia semper iniqui manent in tributo flagitiosæ actionis, quod ei reddere non desistunt. Sed tamen eadem vasa ejus præcipua *transierunt cursim*, quoniam reliquias infidelium cursus vitæ temporalis per mortem citius abstulit. Quibus ablatis *Gabea*, id est *colles* facti sunt *sedes* nostra, illi scilicet colles, de quibus ait Jacob : « Donec veniret desiderium collium æternorum (*Gen.* XLIX, 26), » id est prophetarum et apostolorum. In sede vero auctoritas magisterii designatur. *Colles* igitur *sedes nostra* sunt, quia doctrinam apostolorum et prophetarum sancta Ecclesia cum auctoritate prædicat. Sed quia post persecutionem gentilium persecutio facta est hæreticorum, recte subjungitur :

» *Obstupuit Rama*, id est Ecclesia sanctorum, quæ dicit : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III, 20). » Rama quippe dicitur Ecclesia. Et Dominus hæreticorum ac sequacium Antichristi persecutionem prænuntians ait : « Exsurgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos (*Marc.* XIII, 22). Propter hæc obstupuisse dicitur Rama, id est Ecclesia, et propter impiam eorum doctrinam. Post hæc exspectamus Israelitarum conversionem. Unde sequitur :

« Gabaath Saulis fugit. » *Gabaath* namque *collis patruelis* dicitur ; Saul vero *expetitus*. Et quis est expetitus nisi Redemptor humani generis, quem expetebant prophetæ, dicentes : « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis? » (*Psal.* LXXXIV, 7.) Qui et filius David est dicente Matthæo : « Liber generationis Jesu Christi filii David (*Matth.* I, 1), » etc. Cæteros autem Judæos, qui fuerunt tempore David, fratres ejus accipimus, id est patruos Domini, quorum filii patrueles ejus sunt, id est nepotes David. Omnes vero de genere David post eversionem Jerusalem perimi jussit Domitianus, ut soli patrueles Domini remanerent peremptis ejus fratribus, id est filiis David. Cæsa igitur Judæorum prosapia, quæ descendit a fratribus David, id est ab antiquis Patribus, *collis patruelis Saulis*, id est Christi vocatur. Itaque *Gabaath Saulis fugit*, dum populus Israel Christo propinquus fugiens ab ira ventura fidem recipit. Ubi congrue subditur :

« Hinni voce tua filia Gallin, » id est filia *transmigrantium*. Tunc enim adventu Eliæ roborata hinniet, id est jubilabit et prædicabit exsultans Ecclesia, quæ tribulationibus pressa mœrens siluerat. Hinniet autem non voce prædicatorum Antichristi, non infidelium Judæorum, non hæreticorum, non gentilium, sed voce dulci, voce domestica, voce propria. *Gallin* vero, id est *transmigrantes*, sunt illi qui radicem cordis in amorem sæculi hujus non fixerunt, sed ad cœlestia festinant, dicentes : « Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr.* XIII, 14). » Quorum *filia* ex Ecclesia ex prædicatione eorum et imitatione generata. Ad cujus consolationem subjungitur de exterminatione Antichristi.

« Attende Laisa, paupercula Anathoth, migravit medemena. » Quod interpretatum sic dicitur : *Attende* leonem, *paupercula* obediens ; *migravit* a saltu ejus, attende leonem, considera Christum, quia moriens migravit a saltu ejus, id est a gentibus, in quibus regnans sæviebat ut leo in saltu, o paupercula obediens, id est humilis Ecclesia Christo serviens.

Deinde eos alloquitur, qui in ultimo fine sæculi

(88) Alias, *Gaba*.

Digitized by Google

hujus post mortem Antichristi pœnitentiam agent: A O, inquit, habitatores *Gabin*, id est fossarum, qui in profundis malitiæ latibulis hucusque mansistis, *confortamini* et pugnate contra Satan. *Adhuc* enim *dies est*, id est aliquantulum vitæ hujus spatiolum superest, *ut in Nobe stetur*, id est contra latratum suggestionum diaboli stetur. *Nobe* quippe *latratus* dicitur. Nam post mortem Antichristi supererunt quadraginta quinque dies, sicut ex libro Danielis colligitur, et tunc ad pœnitentiæ remedia multi confugient quos Antichristus seduxerat. Et quia in Jerusalem et in locis illis præcipue sæviet Antichristus, idcirco forsitan subditur:

« Agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Jerusalem. » Potest et de tentatione, qua cunctos impetit hostis antiquus, intelligi. Quid enim B per *manum* ejus nisi tentatio designatur? *Manum* ergo *suam super montem et super collem* agitat, quia fideles universos et majores et minores tentationibus vexat. Sequitur:

Vers. 33. — « Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. »

Vers. 34. — « Ei subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet. »

Confringet Dominus in terrore lagunculam, sicut olim in prælio Gedeonis factum est (*Judic.* VII, 20). In lagena quippe fragilitas corporis figuratur. Confregit ergo *Dominus in terrore lagunculam*; quia, moriente Christo, « tenebræ factæ sunt, et velum C templi scissum est, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt (*Matth.* XXVII, 45-52). » Centurio autem, et qui cum eo erant custodientes Jesum viso terræ motu, et his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: « Vere Dei Filius erat iste (*ibid.* 54). » Sic in terrore confracta est lagunculæ Dominici corporis.

Et post hæc *excelsi statura*, id est principes Judæorum alii succisi sunt a Romanis, id est perempti, et alii humiliati, id est in captivitatem ducti. *Condensa saltus* subversa sunt *ferro*, quia Jerusalem destructa est; *et Libanus cum excelsis* cecidit, quia templum est incensum, et sacerdotes ejus superbi dejecti. D

Vel excelsos *statura* reges et principes sæculi sive quoslibet in sublimitate constitutos, aut certe superbos possumus accipere, quos Christus Evangelio coruscante vel per mortem succidit, vel per pœnitentiam humiliavit. « Et subvertentur, inquit, condensa saltus ferro. »—« Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Libanus enim quid est nisi mundana gloria? *Libanus* enim *candidatio* dicitur, et qui dignitatem sæculi consequuntur, candidati sunt extrinsecus et ornati. Hic ergo Libanus cum excelsis cecidit, quia Christus jam mundi gloriam stravit, et elatos humiliavit. Sequitur:

CAPUT XI.

Vers. 1. — « Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. »

Jesse patriarcha regalis familiæ fuit. *Radix Jesse* familia regalis. *Virga* Maria, *flos* Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe virginali ex utero germinavit, sicut ipse dixit: « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II, 1). » Flos odorem suum et succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit. Ita et Dominus Jesus in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, et illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nescius, et mortuus æternæ vitæ munus exhalans. *Virga* etiam caro Domini potest forsitan accipi, quæ *de radice* terrena ad superna se subrigens odoriferos sacræ religionis fructus circumtulit mundo, mysterio divinæ revelationis gratiam cœlestibus altaribus superfundens. Potest et ipse Christus et *virga* et *flos* intelligi. *Virga* ei, qui suppliciis plectitur; *virga* ei, qui indiget increpatione; *virga* ei, qui necesse habet, ut arguatur. *Flos* vero ei, qui jam eruditus est; *flos* ei, qui valet a flore incipere, et ad perfectum fructum provehi. Sequitur:

Vers. 2. — « Et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intelligentiæ, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pie- C tatis. »

Vers. 3. — « Et replebit eum spiritus timoris Domini. »

Ideo super Christum tanta dona Spiritus prædicantur, quia in eo non ad mensuram Spiritus sanctus habitat (89-90) sicut in nobis, sed tota inest plenitudo divinitatis, et gratiarum. Qui quoniam de cœlis ad nos descendit, descendendo potius istos gradus propheta super eum numerat, id est sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem. Nam cum scriptum sit: « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 9), » constat, quod a timore ad sapientiam ascenditur, non a sapientia ad timorem reditur, quia perfectam habet sapientia charitatem, et « perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV, 18). » Propheta ergo quia de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis a sapientia, et descendit ad timorem. Sed nos, qui a terrenis ad cœlestia tendimus, ascendendo numeramus, ut a timore ad sapientiam perveniamus. In mente enim nostra primus ascensionis gradus est timor Domini, secundus pietas, tertius scientia, quartus fortitudo, quintus consilium, sextus intellectus, septimus sapientia. Est enim *timor Domini* in mente. Sed qualis est iste timor, si cum eo pietas non est? Qui enim proximo misereri nescit, qui compati ejus tribulationibus dissi-

(89-90) Cod. C., *cohabitat*.

Digitized by Google

mulat, hujus timor ante Dei oculos nullus est, quia non sublevatur ad pietatem.

Sed sæpe pietas per inordinatam misericordiam errare solet, si peccata, quæ feriri gehennæ ignibus possunt, disciplinæ verbere non corrigit. Ut ergo vera et ordinata sit pietas, ad gradum est alium sublevanda, id est ad scientiam, ut sciat vel quid per severitatem puniat, vel quid ex misericordia dimittat. Sed quid si sciat, quid agere debeat, virtutem vero agendi non habeat? Scientia ergo nostra crescat ad fortitudinem, ut, cum videt, quid agendum sit, hoc agere per mentis fortitudinem possit. Sed sæpe fortitudo si improvida fuerit, et minus *contra vitia* circumspecta, ipsa sui præsumptione in casum ruit. Ascendat ergo ad consilium, ut prævidendo præmuniat omne quod agere fortiter potest. Sed esse consilium non potest, si *intellectus* deest; quia, qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo potest bonum solidare quod adjuvat? Itaque ascendamus a consilio ad intellectum. Sed quid si intellectus magno quidem acumine vigilet, et moderari se nesciat per maturitatem? Ab intellectu ergo ascendatur ad sapientiam, ut hoc, quod acute intellectus invenit, sapientia mature disponat. Itaque per timorem surgimus ad pietatem, per pietatem ad scientiam ducimur, per scientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad consilium tendimus, per consilium ad intellectum proficimus, per intellectum in sapientiam maturescimus. Sed ut hanc ascendere scalam valeremus, ipse Creator ad nos usque descendere dignatus est, et ad nos eam afferre, ac in se ipso ostendere. Et de cæteris quidem gradibus perspicuum est. Sed de timore Dei fortasse quis ambigit, an in eo fuerit. Sed absque dubio replevit eum *spiritus timoris Domini*, qui, ut superbum hominem redimeret, contra superbiam nostram mentem humilem assumpsit, in qua timuit Deum. Sed iste, qui talis in primo adventu apparuit, ut nos ad imitationem suam informaret, quid in secundo facturus sit, audiamus. Sequitur : « Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet. »

Vers. 4. — « Sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. »

Qui conscientiarum testis est, non juxta visum exteriorem vel auditum judicabit ut sæculi judices, qui corda non agnoscunt et testibus indigent, sed secundum intentionem cordium judicabit opera. Pauperes vero sunt, de quibus ait : « *Beati pauperes* (*Matth.* v, 3). » Quos *in justitia judicabit*, quia per justum judicium eos liberabit, *et pro mansuetis terræ arguet* eos, qui afflixerant illos. Sequitur :

« Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. » Terra est peccatorum quisque, quia post transgressionem dictum est homini : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » *Virga oris* Domini sententia judicialis est. « Percutiet ergo terram virga oris sui, » quando dicet peccatoribus : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » — « Et spiritu labiorum suorum interficiet impium, » id est Antichristum, sicut Paulus ait : « Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui (*II Thess.* II, 8). » Et notandum quia his verbis evidenter declaratur Spiritus sanctus coæternus Filio, et sic ex eo procedere, ut semper in eo maneat; quia spiritus labiorum ejus est, et spiritus oris ejus. Deinde primum ejus adventum propheta respiciens subjungit :

Vers. 5. — « Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. »

In lumbis esse luxuria solet hominibus aliis; hic autem solus contra vitiorum nostrorum languores sanitatem in se ipso virtutum, quam nobis infunderet, attulit. Et ideo recte dicitur *justitia cingulum lumborum ejus*, quia ibi maxime, justitia circumdatus est, ubi cæteri homines justitiam magis amittere solent, et ad peccatum solvi. Quod si mysterium Incarnationis ejus in lumbis debet accipi, et justitiam, qua cingitur, nostram oportet intelligi, *justitia* nostra *cingulum* est *lumborum ejus*, dum Deo pro nobis incarnato bonis operibus inhæremus. In renibus designari potest idem Incarnationis mysterium. Fides ergo nostra *cinctorium renum ejus* est, dum firmissime credimus veritatem Incarnationis illius. Quem quia secuta est Ecclesia, recte subjicitur :

Vers. 6. — « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. »

Vers. 7. — « Vitulus et ursus pascentur simul, requiescent catuli eorum, et leo quasi bos paleas comedet. »

« Nos, inquit beatus Gregorius (lib. II *in Ezech.* homil. 4), qui religioso habitu induti videmur, ex diversa mundi qualitate convenimus, atque ex dissimilibus iniquitatibus in Sanctæ Ecclesiæ concordia congregati sumus, ut jam patenter factum esse videatur, quod de Sanctæ Ecclesiæ promissione dicitur : « Habitabit lupus cum agno, » etc. Nam per sanctæ charitatis viscera lupus cum agno habitat, quia ii, qui in sæculo raptores fuerant, cum mansuetis ac mitibus in pace quiescunt. Et pardus cum hædo accubat, quia is, qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit, et peccatorem fatetur, humiliari consentit.

« Vitulus et leo, et ovis simul morabuntur, quia et is, qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat; et alius qui tanquam leo ex crudelitate sæviebat : et alter, qui velut ovis in innocentiæ suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ convenerunt. »

« Et puer parvulus minabit eos. » Quis est iste *puer parvulus*, nisi de quo scriptum est : « Puer natus est nobis, filius datus est nobis? » Qui simul habitantes minat; quia, ne in terrenis rebus corda nostra inhæreant, hæc per internum desiderium quotidie inflammat. Et hoc ipsum ejus minare est, ad summum amorem incessanter accendere, ne,

Digitized by Google

cum nos vicissim diligimus, mente in hoc exsilio remancamus, ne quies hujus vitæ sic placeat, ut ad oblivionem patriæ perducat; ne delectata mens prosperis torpeat, dum Domini flagella sui pertimescit, sed nobis omne, quod nos in sæculo delectabat, amarescat, et illud incendium insurgat in animo, quod nos semper ad cœleste desiderium inquiete [*f.* in quiete], excitet, atque, ut ita dicam, delectabiliter mordeat, suaviterque cruciet, hilariter contristet. *Puer* ergo nos *parvulus* minat; quia is qui paulo minus quam angeli minoratus est, per charitatem, quam nobis tribuit, nos in hoc mundo mentem figere non permittit.

« Vitulus et ursus pascentur simul, » quia is, qui Deo sacrificium, et ille qui sævus et horridus fuerat, eadem doctrinæ sanctæ pabula percipiunt. « Et catuli eorum, » id est illi, qui de imitatione ipsorum nati fuerint, jam in eodem ovili requiescunt simul. Sed dum hæc de electis propheta loqueretur, cernens vitam peccantium ab antiquo et insatiabili hoste devorari, ait :

« Et leo quasi bos comedet paleas. » Quid enim palearum nomine nisi carnalium vita designatur? Sed cur iste *leo*, id est diabolus in comessatione palearum non equo sed bovi comparetur, agnoscimus, si utrisque animalibus, quæ sit nutrimentorum distantia, perpendamus. Equi namque fenum quodlibet sordidum comedunt; aquam vero non nisi mundam bibunt. Boves autem quamlibet aquam sordidam bibunt, sed feno vel paleis non nisi mundo vescuntur. Quid est ergo, quod bovi, qui mundo pabulo vescitur, leo iste comparatur nisi hoc quod de isto hoste antiqno per prophetam alium dicitur : « Esca ejus electa? » (*Habac.* I, 16.) Neque enim eos se rapere gaudet, quos pravis ac sordidis actionibus implicatos in imis secum respicit voluntarie jacere. *Paleas* ergo comedere sicut *bos* appetit, quia suggestionis suæ dente conterere mundam spiritualium vitam quærit.

Sed quomodo leo iste sicut bos paleas comedens vitam spiritualium consumere dicitur, si, ut supra dictum est, palearum nomine vita carnalium signatur? Esca quippe ejus electa jam non erit, si paleas comedens carnales rapit. Sed nonnulli hominum et apud Deum palea sunt, et apud homines sanctitatis nomine censentur, cum et ante oculos humanos aliud ostendit vita, et ante divina judicia aliud intendit conscientia. Nunc enim sermo de iis est, qui ficto corde religiosam conversationem inter vere religiosos ducunt. Hi itaque apud humana judicia electi sunt, sed apud subtile Dei examen paleæ. Quia ergo nonnulli mundam quidem vitam per studium ducunt, sed ex illa intus placere non appetunt, recte et esca ejus electa dicitur, et tamen paleas sicut bos comedere leo iste perhibetur. Quasi enim ante os ejus munda palea in terra atque in infimis jacet, cum et vita quasi innocens per mandatorum custodiam agitur, et tamen inter actionem, quæ bona ostenditur, cor ad appetenda sublimia non elevatur. Quid itaque utilitatis agit, qui in se munditiam vitæ custodit, si per intentionem infimam in ore leonis hujus inveniendum se in terra derelinquit? Sequitur :

VERS. 8. — « Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. »

VERS. 9. — « Non nocebit [*Vulg.*, nocebunt], et non occident in universo monte sancto meo. »

Quem nunc infantem *ab ubere*, vel eum, *qui ablactatus fuerit*, nisi Dominum appellat? Quid autem *foramine aspidis* vel cavernis *reguli* nisi corda signavit iniquorum? Quia hostis antiquus dum totum se in eorum consensu contulit, quasi in foramine proprio coluber tortuosus sinus astutiæ suæ colligendo glomeravit. Quem et *aspidis* appellat nomine occulte sævientem, et *reguli* aperte ferientem. *Manum* ergo *suam* Dominus *in foramine reguli atque aspidis* misit, quando iniquorum corda divina potentia tenuit, et comprehensum exinde regulum vel aspidem, id est captivum diabolum traxit, ut *in monte sancto* ejus, quod est Ecclesia, electis fidelibus *non* noceret ipse vel angeli ejus.

Tunc vero primum delectatus est *infans ab ubere super foramine aspidis*, quando jacens adhuc in crabulis orientales magos ad se convertit. Cur autem de cavernis suis serpens ejectus sit, ostendit propheta subdendo :

« Quia repleta est terra scientia Domini sicut aquæ maris operientes. » Jam enim Evangelium quasi pelagus totum orbem implevit, jam universum mundum *scientia* veritatis quasi diluvium quoddam *operuit*, et omnia falsitatis dogmata submersit. Et quomodo *aquæ maris* operiunt profunda maris, id est terram, quæ operta est fluctibus; sic omnis *terra completa est scientia Domini*. Et bene sacra scientia mari comparatur, quia navibus mare transimus, cum ad desideratas terras tendimus. Nobis autem quid est in desiderio nisi illa terra, de qua scriptum est : « Portio mea in terra viventium? » (*Psal.* CXLI, 6.) Ligno autem, ut dixi, evehitur, qui mare transit. Nobis ergo, qui ad patriam tendimus, scientia divinæ prædicationis mare est, quæ crucem annuntiat, quia nos ad terram viventium ligno portat. Sequitur :

VERS. 10. — « In die illa radix Jesse, quæ (91) stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum. »

Quomodo *radix Jesse*, id est Christus filius David stet *in signum populorum*, *ipsumque gentes* deprecentur, ipse exponit, dicens : « Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam (*Joan.* III, 14). » Sicut enim illi, qui fuerant percussi a serpentibus, cum aspicerent æneum serpentem, quem pro signo Moyses

(91) Alias, *qui*.

Digitized by Google

exaltaverat, a temporali morte liberabantur et salutem recuperabant (*Num.* xxi, 9); ita omnes, quibus maligni spiritus vulnera peccatorum inflixerunt; si Christum in cruce exaltatum fideliter aspexerint, ac deprecati fuerint, a periculo mortis æternæ liberantur et vitam sempiternam consequuntur. Sic enim *radix Jesse stat in signum populorum* exaltatus in cruce, ut *ipsum deprecentur* omnes, et per eum salvi fiant. Unde et per omnes basilicas imago sacra statuta est repræsentans eum in cruce suspensum. *Sepulcrum* vero *ejus gloriosum* est, quia præter illam reverentiam, quam ob illius sepulturam et resurrectionem habet, locus ille coruscans miraculis gloriæ suæ causa ad se omnem contrahit mundum. Sequitur:

Vers. 11. — « Et erit in die illa : Adjiciet [*Vulg.* adjiciat] Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phetros, et ab Æthiopia, et ab Ælam, et a Sennaar, et ab Emath, et ab insulis maris. »

Post Judæorum vocationem, quæ superius descripta est, cum diceretur : « Habitabit lupus cum agno, » etc. « adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, » sicut ipse ait : « Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (*Joan.* x, 16). » Quod *residuum populi* ejus *relinquitur ab Assyriis*, quia maligni spiritus gentilitatem, quam possederant, amittent. Assyrii namque *convincentes* interpretantur : et sicut frequenter diximus, et jugi memoria semper retinendum est, idcirco dæmones vocantur Assyrii, quia illos iniquitatis convincent ante *tribunal* judicis, qui nunc eis persuadentibus iniquitatem faciunt.

Ægyptus vero *tenebræ* dicitur, Phetros *dissolvens*. *Æthiopia caligo*, *Ælam oppositi* vel *abjecti*, Sennaar *fetor eorum*, Emath *indignatio*, insula autem sic appellatur, eo quod in salo, id est in mari sit posita. Gentilitas vero veniens ad Christum *relinquetur ab Ægypto*, id est a tenebris infidelitatis et ignorantiæ, *et a Phetros*, id est a dissolvente negligentia vel pigritia, et acedia, *et ab Æthiopia*, id est a caligine errorum, *et ab Ælam*, id est ab immundis spiritibus, qui a consortio beatorum abjecti sunt angelorum, et se inter nos et cœlum opponere nituntur, ne illud ascendamus, omnibusque bonis actibus nostris oppositi sunt et contrarii; *et a Sennaar*, id est a fetore pristinæ conversationis, quem de se sparserat; *et ab Emath*, id est ab indignatione Dei, quæ super eam manserat; *et ab insulis maris*, id est a remotis mundi excessibus procul in mari positis vel adversis gentibus, ut gentes per insulas accipiamus. Sequitur :

Vers. 12. — « Et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ. »

Signum crucis *levabit* Dominus ad gentes, et a quatuor orbis partibus in Ecclesia Catholica *congregabit* omnes electos, qui dispersi fuerant ubique exsules a paradiso, et tunc fugient ab ira ventura. Quid autem *Israel* designat, qui interpretatur *videns Deum*, nisi fidem, qua nunc videtur Deus? *Juda* vero dicitur *confessio*. Et bene Israel et Juda, id est fides et confessio fit ad salutem. Potest elevatio signi atque dispersorum congregatio et ad diem judicii forsitan referri, quia « tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum (*Matth.* xxiv, 30). » Sequitur :

Vers. 13. — « Et auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt. »

Et quid per Judam nisi Ecclesia Christum confitens? Quid per Ephraim nisi perfidus Judæorum populus exprimitur? Et in primis quidem magnum contra nos zelum populus Judæorum exercuit, sed succedente tempore zelus eorum, quo nostros persequebantur, tepuit. *Hostes* quoque *Juda*, id est adversarii catholicæ confessionis jam de mundo perierunt, et adhuc magis *peribunt*. Sequitur :

« Ephraim non æmulabitur Judam, et Judas non pugnabit contra Ephraim. » Ita nunc inter nos et Judæos videtur agi, quia nec ipsi nos æmulantur, ut servitutis suæ observationi nos subjicere conentur, nec nos frequentibus disputationibus cum eis pugnamus, quia cor eorum obcæcatum cernimus, et obduratum. Sequitur :

Vers. 14. — « Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabunt filios orientis. Idumæa et Moab præceptum manus eorum, et filii Ammon obedientes erunt. »

Philisthiim interpretantur *cadentes potione*. Casus vero nonnunquam in bona parte ponitur. Video enim Saulum bene cecidisse, ut iterum surgens diceret : « Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus (*Galat.* ii, 20). » Est autem quædam potio amara quidem, sed salutifera, quæ talibus propinari solet. Unde Dominus : « Potestis, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » (*Matth.* xx, 21.) Hac enim potione cadunt, cum martyrio corpus eorum in mortem prosternitur. Quid igitur hoc loco *Philisthiim*, id est *cadentes potione* nisi vel martyres accipere debemus, vel quoslibet in casu et erectione Saulo similes? Philisthiim itaque doctores sanctos hic accipimus. Volant ergo populi *in humeros Philisthiim* cum ad fidem certatim currentes sanctis doctoribus se portandos committunt. Et volant *per mare*, id est per fluctus sæculi. Mare enim fluctivagos tumultus, furoresque hujus mundi designat, ubi homines improbi quasi pisces avidissimi se invicem persequuntur, et devorant. Et inter hæc discrimina volant ad Christum, et *in humeros* sanctorum portandi insiliunt, qui portum salutis invenire cupiunt.

Quos autem *filios orientis* nuncupat nisi eos, qui, secundum quod ex Adam orti sunt, ita permanere solent, neque circumcisionem, neque baptismum

Digitized by Google

consecuti? Sed et istos *prædabuntur* et diabolo tollunt prædicatores sancti, et ad Christum ducunt. Quid vero per Idumæam, quæ est Esau regio, et interpretatur *terrena* vel *rubea*, nisi qui primitiva sua perdidit, terrenus Judæorum populus sanguine Christi cruentatus? Qui et per *Moab*, et *Ammon* designatur. Quia sicut filiæ Lot inebriaverunt eum, ut cum eo dormientes conciperent (*Gen.* XIX, 35); sic domus Israel, et domus Juda spiritalem legis sensum soporaverunt, ut carnales gignerent filios. Unde *Moab* dicitur *ex patre*, quia ex carnali intelligentia legis hic populus est genitus quasi ex patre ebrio ac dormiente. *Ammon* quoque *filius populi mei* interpretatur, quia de antiquo populo Dei nati sunt hi, quos infideles videmus, Judæi.

Itaque *Idumæa et Moab præceptum* est *manus*, id est operationes *eorum*, quia justum est apostolis, ut salutem populi hujus operarentur prædicando. Vel hic populus percepit *præceptum manus eorum*, id est exemplum actionis apostolorum, quia faciebant omnia, quæ præcepturi erant. *Et filii Ammon*, id est illi, qui nascentur ex hoc perfido Judæorum populo, *obedientes erunt* prædicationi Eliæ.

Notandum vero quia propheta raro servat ordinem. Nam et paulo superius de passione Salvatoris locutus, de Nativitate subjicit oraculum, dicens: « Egredietur virga de radice Jesse, » etc.; ac deinceps nunc gentium vocationem, nunc Judæorum hucusque multifarie vaticinatus est variato nonnunquam ordine. Et ita fere semper in libris Prophetarum agitur, ut, quod ordine primum est, sæpe sit in narratione postremum vel medium. Sequitur:

VERS. 15. — « Et desolabit linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritus sui: et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati. »

Lingua *maris* est scientia doctrinæ sæcularis. Bene autem mare Ægyptium dicitur, quia peccati obscuritate fuscatur. *Linguam* ergo *maris Ægypti*, Dominus desolat, id est exterminat, quia hujus mundi falsam sapientiam per carnem se ostendendo destruxit. Ubi est enim nunc academicorum error, qui certe conantur astruere certum nil esse, qui impudenti fronte assertionibus suis fidem ab auditoribus exigunt, cum vera esse nulla testantur? Ubi mathematicorum superstitio, qui, dum signorum cursus suspiciunt, vitas hominum in siderum momenta suspendunt, quorum aperte doctrinam sæpe geminorum nativitas dissipat, qui, cum uno eodemque momento horæ prodeant, non una conversationis qualitate perdurant? Ubi tot prædicamenta falsitatis, quæ enumerare longum nimis est?

Desolavit ergo Dominus *linguam maris Ægypti*, quia apparens in carne omnia errorum prædicamenta damnavit. Ejus quippe veritate cognita illæ falsitatis doctrinæ tacuerunt. Unde *et super flumen* præfatæ maris linguæ *manum suam* levare dicitur in *fortitudine sui Spiritus*, quia per evangelicæ gratiæ operationem et Spiritus sui virtutem stultam fecit sapientiam hujus mundi. *Et* percussit eumdem mundanæ doctrinæ fluvium *in septem rivis*, in quibus erat contrarius septem donis Spiritus sancti. Quo percusso, transierunt *per eum calceati*, quia prædicatoribus ibi via patuit, quibus dicitur: « Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis (*Ephes.* VI, 16). » Calceatos enim evangelistas hic accipimus, id est divini verbi ministros. *Calceati* ergo transierunt *per fluvium*, quia prædicationis ibi viam invenerunt, doctrinæ sæcularis fluenta copiosius emanare solebant. Deinde baptismi sacramentum evidenti prænuntiatur oraculo, cum subditur:

VERS. 16. — « Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis sicut fuit Israeli in die illa, qua ascendit de terra Ægypti. »

Sicut enim populus Israel ad promissam hæreditatem per mare Rubrum transiit; ita nunc populus acquisitionis ad cœlestia regna per sacramentum baptismi transit. Vel sicut Israel per medium maris, ita populus fidelium per diversum flumen doctrinæ sæcularis incedit. Unde et subditur:

CAPUT XII.

VERS. 1. — « Et dices in illa die: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me. »

VERS. 2. — « Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. »

Nam, sicut olim Hebræorum populus de Ægypto ascendens post maris Rubri transitum cecinit carmen Domino, sic nunc percussa lingua maris Ægypti, et flumine illius arefacto atque conciso Christianorum populus Deum glorificat, dicens: « Confitebor tibi, Domine, » etc. Confitetur enim et gratias agit Deo populus fidelium, eo quod linguam maris Ægypti desolaverit, et fluvium ejus percusserit. Nam sustinuit iram Dei, dum adhuc idem fluvius manaret, impediens viam ejus, sed siccato flumine *furor* Domini *conversus est* in misericordiam, et famulos suos *consolatus* est.

Vel confessio peccatorum fortassis intelligi potest. Quid enim confitetur iste populus nisi quia « conversati sumus in desideriis carnis nostræ facientes desiderium carnis nostræ et cogitationum? » (*Ephes.* II, 3.) Quid est, quod ait: *Iratus es mihi*, nisi quia « eramus natura filii iræ sicut et cæteri? » (*ibid.*) Sed « conversus furor tuus est, inquit, et consolatus es me, » quia « Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo (*ibid.*). »

Deinde: « Ecce, inquit, Deus Salvator meus. » — « Iratus olim Dominus contra Israel tradidit eos in manus Cusankasathaim regis Mesopotamiæ, servierunt quoque ei octo annis. Et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem, et liberavit eos,

Digitized by Google

Othoniel videlicet filium Cenez (92) fratrem Caleb minorem. Rursus addiderunt filii Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortavit adversus eos Eglon regem Moab, servieruntque ei decem et octo annis. Et postea clamaverunt ad Dominum : Qui suscitavit eis Salvatorem vocabulo Aboth (*Judic.* III, 8 *et seqq.*). » Multosque salvatores alios antiquitus habuisse legitur populus Israel, ut liberarentur per eos a calamitatibus suis. Ab illa vero captivitate, qua non hostis antiquus tenebat, eripi non valebamus, nisi nos eripere veniret ipse Deus. Unde nunc bene fidelium populus ab ea per eum solutus exsultat, dicens : « Ecce Deus Salvator meus. » Non enim prophela, non patriarcha, non angelus, non archangelus, sed Dei Unigenitus *salvator* nobis datus est.

Et quia per Apostolum nobis dicitur : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba pater (*Rom.* VIII, 15); » — « fiducialiter, inquit, agam, et non timebo. » Abstulit enim Salvator a nobis timorem servitutis antiquæ, et dedit gratiam novæ libertatis, ut bonum quod agimus, non ex timore faciamus, sed ex charitate.

« Quia fortitudo mea et laus (93) mea Dominus, ut dicam : « Omnia possum in eo, qui me confortat (*Philip.* IV, 13). » Et : « In Domino laudabitur anima mea (*Psal.* XXXIII, 3). » Ille enim fortitudinem suam esse Dominum non æstimat, qui se per se ipsum aliquid boni facere posse putat; et Dominum habere laudem negligit, qui de bonis, quæ operatur humanas laudes requirit. « Et factus est mihi in salutem. » Non quia ipse aliquid cœpit esse, quod non erat, sed quia ego salutem in eo, quam aversus non habueram, cœpi habere conversus. Sequitur :

VERS. 3. — « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. »

Fontes Salvatoris corda apostolorum Domini Jesu sunt, de quibus fluenta veritatis emanant. Ad eorum quippe doctrinam sitientes pergimus, et veritate plenas cordium nostrorum, lagunculas reportamus. Et bene antea fluvius linguæ maris percutitur, ac deinde fontes Salvatoris aperiuntur; quia, prius doctrina sæcularis contemnitur, et tunc apostolica prædicatio sitienter bibitur. Sequitur :

VERS. 4. — « Et dicetis in illa die : Confitemini Domino et invocate nomen ejus : notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. »

VERS. 5. — « Cantate Domino, quoniam magnifice fecit : annuntiate hoc in universa terra. »

« Confitemini, inquit, Domino, et invocate nomen ejus (*Psal.* CIV, 1). » Noli antequam confitearis, invocare. Confitere, et invoca. Illum enim, quem invocas, in te vocas. Quid est enim invocare nisi in te ipsum vocare? Si invocatur a te, id est si vocatur in te a te, ad quem accedit? Ad superbum non accedit. Confitere ergo et invoca. Confitendo enim mundas templum, quo veniat invocatus.

« Notas facite adinventiones ejus, » subaudi, quibus antiqui hostis fefellit astutias. Cum enim diabolus in illa nos parentis primi radice supplantatos sub captivitate sua teneret, amittere nos juste nequibat, nisi deleretur culpa, quæ nisi per sacrificium deleri non poterat. Sed per quod sacrificium ? Neque enim justum erat, ut pro homine brutorum animalium victimæ cæderentur. Homo namque pro hominibus offerri debuit, ut pro rationabili peccante rationabilis hostia mactaretur. Sed homo sine peccato inveniri non poterat, qui ex peccati commistione descenderet, et oblata pro nobis hostia, quando nos a peccato mundare potuisset, si et ipsa hostia peccati contagio non careret. Inquinata quippe inquinatos mundare non posset. Proinde venit propter nos in uterum virginis Dei Filius; ibi pro nobis factus est homo : sumpta est ab illa natura, non culpa, fecit pro nobis sacrificium corpus suum, exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ et humanitate mori, et justitia mundare potuisset. Namque quia per feminam mors in mundum introierat, congrua dispensatione fecit Salvator, ut et vita rediret per feminam, atque salutem nostram in ligno crucis constituit, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et hostis, qui in ligno prævaricationis vincebat, in ligno redemptionis vinceretur. Nam unde accepit exterius potestatem Dominicæ carnis occidendæ, inde interior potestas ejus, qua nos tenebat, occisa est. Ipse enim interius victus est, dum quasi vicit exterius, et qui nos jure debitores mortis tenuit, jure in nobis jus mortis amisit, quia per satellites suos ejus carnem perimendam appetiit, in quo nil ex culpæ debito invenit. Has itaque et hujuscemodi *adinventiones* Salvatoris præcipitur fidelibus, ut *notas faciant in* omnibus *populis*. Post quas et apte subditur :

« Mementote quoniam excelsum est nomen ejus, » quia « Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen (*Philip.* II, 9). » Et quia tunc ejus triumphos sancti prædicatores in toto orbe decantaverunt, pulchre subjunctum est : « Cantate Domino, quoniam magnifice fecit » Dominus Jesus mortem destruens et hostem religans atque hominem liberans, et de morte resurgens, qui, licet humanitate in cœlum ascenderit, divinitate tamen hic semper nobiscum manet. Unde et sequitur :

VERS. 6. — « Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. »

Nam *habitatio Sion* habitatio est Ecclesiæ in præsenti sæculo, quæ jubetur *exsultare et laudes* decantare, *quia Sanctus Israel*, id est Christus *magnus est in medio* ejus. Nam, ut dictum est, carne quidem *ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris*, sed tamen et hic est. Non enim recessit præsentia majestatis. Nam secundum majestatem, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum est : « Ecce ego

(92) Cod. C. *Enez.*

(93) Cod. Cruc., *quia sors mea et laus*, etc.

Digitized by Google

volliscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Per fidem quoque tenemus hic eum, per evangelistarum et apostolorum doctrinam, per crucis signaculum, per baptismi sacramentum, per altaris cibum et potum. Per hæc igitur omnia *Sanctus Israel* est *in medio* Ecclesiæ *magnificus* et gloriosus, omnesque suo spiritali gaudio replet, et ad laudandum accendit.

CAPUT XIII.

VERS. 1. — « Onus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos. »

Nunc novo rursus genere prophetare inchoat. Decem quippe describit onera illos deprimentia, qui per observantiam decem præceptorum leve onus Christi respuunt ferre, seu respuerunt. Nam, sicut olim Ægyptus percussa est decem plagis contra salutem, quam per decem mandata Dei acceptaturus erat populus Israel, ita nunc qui suave Christi jugum portare nolunt, quod eos sublevet, describuntur gravari decem oneribus. De cujusmodi fasciculis, et Apostolus ait : « Unusquisque onus suum portabit (*Gal.* VI, 5). » Et inter hæc onera primum ponitur *onus Babylonis*, quia principale est, et ejus angeli, qui primus peccavit, aliorumque malorum principum damnationem et pœnam habet (94). *Babylon* quippe, quæ *confusio* interpretatur, civitas illa magna iniquorum est, contraria nostræ Jerusalem, cujus cives sunt omnes apostatæ angeli, et universi homines reprobi, cujus onus propheta loqui incipiens ait :

VERS. 2. — « Super montem caligosum (95) levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces. »

Dicit autem beatus Gregorius (lib. XXXIII *Moral.* c. 1), quia per montem angelus apostata designatur, sicut sub regis Babylonis specie de antiquo hoste prædicatoribus dicitur : « Super montem caligosum levate signum. » — « Prædicatores quippe sancti super montem caligosum signum elevant, quando contra Satanæ superbiam, qui sæpe sub nebulis simulationis absconditur, virtutem crucis exaltant. » Qui et *vocem* prædicationis atque *manum* bonæ operationis *exaltare* contra eum jubentur, ut et dictis et actibus eum impugnent. *Portas* quoque Babylonis potenter ingrediuntur, et capiunt eam, quando virtute prædicationis suæ conscientias peccantium aperiunt, et in eis mansiones Christo parant. Sequitur :

VERS. 3. — « Ego mandavi sanctificatis meis et vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea. »

Sanctificati sunt, qui in Christo Jesu sanctitatis gratiam adepti sunt. Quibus ipse mandavit, quod præmissum est, videlicet : « Super montem caliginosum levare signum, et ingredi portas Babylonis. » *Fortes* autem sunt, quos nulla potest adversitas frangere. *Ira* vero ejus nunc ea dicitur, qua domatur hostis antiquus, et de manu ejus peccator eripitur. Unde et in Psalmo de hac ira dictum est : « Exsurge, Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum (*Psal.* VII, 6). » *In* hac ergo *ira* Dominus *fortes* suos vocavit, quia genus humanum de potestate inimici eripere volens prædicatores, quos nulla posset adversitas vincere, ad prædicandum ascivit. Qui exsultaverunt *in gloria ejus*, quia non suam sed Dei quæsierunt. Sequitur :

VERS. 4. — « Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum et gentium congregatarum. »

Montes sunt apostoli, in quibus *vox multitudinis* resonat, quando secundum doctrinam eorum fit Ecclesiæ confessio.

Reges vero *gentium* sunt rectores ecclesiarum. *Vox sonitus regum*, vox prædicationis doctorum est, quia « in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII, 4). » Gentes vero sunt congregatæ, quia de universis gentibus coadunata est Ecclesia. Sequitur : « Dominus exercituum præcepit militiæ (96-97) suæ. »

VERS. 5. — « Venientibus de terra procul, a summitate cœli : Dominus et vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram. »

Militia belli exercitus sanctorum est contra malignos spiritus in hoc sæculo pugnantium, de cujusmodi militia dicit Apostolus : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, IV). » Quibus *præcepit Dominus*, quia sicut bonus dux, qualiter in hac acie prælientur, disponit eis. Qui *de terra procul*, id est de gentilitate ad eum veniunt, *et a summitate cœli*, id est, ab oriente et occidente, et aquilone et austro. Cum hoc igitur exercitu Dominus contra Babylonem venit, quia zelo suo istos accendit, ut confusam peccantium vitam insequantur.

Possunt isti bellatores et angeli intelligi, qui in fine mundi mittentur, ut zinaniorum manipulos incendant. Omnis quoque terra disperditur, cum terrena opera subvertuntur. Quæ sunt autem *vasa furoris ejus* nisi maligni spiritus? Non solum quippe sanctos prædicatores adversus Babylonem adducit, qui peccatores ad pœnitentiam provocent, sed et apostatas angelos, qui corda inpœnitentium magis aggravent. Unde et supra dixit : « Væ Assur, virga furoris, et baculus ipse, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi. » Ipse ergo *vasa furoris* sui mittit, id est malignos spiritus relaxat, ut eos gravius possideant, qui in malis perseverare eligunt. Et cum omnibus his venit, « ut disperdat omnem terram ; » quia sic finem hujus sæculi adducit, ut alii quotidie per sanctos prædicatores a peccatis suis convertantur, et ad vitam transeant ; alii vero

(94) Cod. G., *et pœnam continet.*
(95) Alias, *caliginosum.*
(96-97) Alias, *militiæ belli* ; cod. G., *militiæ cœli.*

Digitized by Google

per iniquos angelos in malitia permanere cogantur, ut pereant. Unde mox de novissimo die, quo peccatores punientur, nos terret, et ad lamentum pœnitentiæ nos provocat, subjungens :

VERS. 6. — « Ululate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas a Domino veniet. »

« Prope est dies Domini, » *dies*, in quo judicabit mundum, vel unumquemque de hac vita egressum, et ostendet potentiam suam, quia sicut et alius propheta loquitur. « Juxta est dies Domini, juxta et velox nimis. » — « Quasi vastitas a Domino veniet (*Sophon.* I, 14), » quia tunc sic mundus iste vastabitur, ut in *terra nihil* relinquatur. Sequitur :

VERS. 7. — « Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis tabescet, et conteretur »

VERS. 8. — « Torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt. »

Metu futuri judicii *dissolventur manus*, quæ fortes erant in opere malo, et *cor hominis*, id est rationabiliter cogitantis, dolore pœnitentiæ *tabescet*, *et conteretur*. *Torsiones* ventris *tenebunt* eos, quia unusquisque torquebitur propria conscientia. Parturiens vero cum dolore ejicit, quod intus diu cum pondere gestavit. Pœnitentes ergo « quasi parturiens dolebunt, » quia peccata diu latentia et se intus gravantia per confessionem cum dolore ejicient. Sive cum *dies* judicii vel dormitionis advenerit, tunc omnes *manus dissolventur*, quia nullum opus dignum justitia Dei reperietur, *et omne cor tabescet*, conscientia peccati sui. Sequitur :

« Unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. » *Unusquisque stupebit ad proximum suum* præ magnitudine pavoris, et admirationis, ubi de illa nimis horrenda reproborum damnatione cogitare cœperit. Et *facies combustæ* erunt *vultus eorum*, quia igne timoris et squalore pœnitentiæ decor facierum illorum immutabitur. Vel facies habebunt combustas illo igne, quem sibi succenderunt. Et « unusquisque stupebit ad proximum suum » videns eum in iisdem esse tormentis, quibus ipse cruciatur. Cur autem sic stupeant atque tabescant, adhuc consequenter indicatur, cum dicitur :

VERS. 9. — « Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. »

Crudelis vero dicitur, qui districte feriendo non parcit. *Dies* vero veniens *crudelis* erit, quia non jam cum venia, sed cum districtione peccatores feriet. *Plenus* quoque *indignationis et iræ* ac *furoris* erit, quando reprobis dicetur : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV, 41 *et seqq.*), » etc. Atque *terram* ponet *in solitudinem*, *et peccatores ejus de terra* conteret, quia tunc universam terræ superficiem A ignis ille concremans omnia, quæ in mundo sunt, consumet, ei in barathrum perditionis impios rapiet. Sequitur :

VERS. 10. — « Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. »

Hoc et alibi ita dicit Dominus. « Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo (*Matth.* XXIV, 29). » Cum dies Domini crudelis advenerit, et furor ejus omnia vastaverit, tunc timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescent, et luminaria suum videbuntur negare fulgorem, et prementibus malis nil aliud sentient homines, nisi B quod omnis tribulatio videre compellet. Vel fulgore suo Christus obscurabit omnia sidera. Sequitur :

VERS. 11. — « Et visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum ; et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo. »

Visitabo super orbis mala, quia publicum examen faciet, et omnia reproborum peccata coram omnibus angelis et hominibus in lucem producet. Et tunc in faciem impiorum ostendet omnem *iniquitatem ipsorum*, ut confundantur, et pereant. Superbia quoque ipsorum quiescet jam, id est cessabit, quia sic humiliabuntur, ut ultra superbire non addant. Et notandum quam patenter hoc loco propheta se C loqui in hac visione demonstret non de ea Babylone, in qua populus Judæorum captivus fuit, sed de ea potius, quæ per totum orbem est usque in finem sæculi. Nam sicut Jerusalem, id est Ecclesia civitas est eorum, qui cœlestia diligunt, sic Babylon civitas illorum est, qui præsens amant sæculum. Quicumque temporalia intimo corde diligit, civis est Babylonis istius ; et quicunque æternorum amore pascitur, civis est nostræ Jerusalem. Sed quia inter multitudinem civium Babylonis, qui tunc pereunt, raro quisquam civis Jerusalem invenitur, qui de sorte eorum tollatur, ideo fortasse, cum de multis dictum sit reprobis, quia *visitabo super orbis mala*, quasi singulari numero de electis nunc subditur :

VERS. 12. — « Pretiosior erit vir auro, et homo D mundo obrizo. »

Vir namque vocari solet, qui viriliter et strenue agit, sicut scriptum est : « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino (*Psal.* XXX, 25). » *Homo* autem dicitur, qui rationali sensu a bestialibus moribus distinguitur, dicente Domino : « Vos autem greges pascuæ meæ homines estis (*Ezech.* XXXIV, 31). » Cujuslibet ergo talis viri vel hominis futuram gloriam prænuntians, ait : « Pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. » Nam ex quo Jesus reformaverit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, *vir* quisque strenuus, licet nunc vilis ac despectus appareat, *erit pretiosior auro*, quia corpus ejus incontaminatum et indeficientem largumque splendorem

Digitized by Google

habebit. Et omnis *homo*, qui nunc inter bestiales impiorum mores, rationabiliter vivit, erit tunc pretiosior *mundo obrizo*, id est purgato et recenti, novoque ac fulgenti auro. Quia sicut gloria resurrectionis ac demutationis innovabuntur sanctorum corpora, ut perpetuam fulgoris (98) claritatem retineant, nulloque jam senio veterascant.

Et hoc congrue ad *onus Babylonis* pertinet, quia et in eo valde gravatur multitudo reproborum in illo die, quod non solum de sua confusione dupliciter erubescit, sed et illorum gloriam, quos contempserat, priusquam in barathrum perditionis corruat, intuetur. Vel quando tanta fient ab Antichristo signa et portenta, ut in errorem ducantur, si potest fieri, etiam electi, tunc « pretiosior erit vir auro, et homo mundo obrizo. » *Pretiosior* autem intelligitur rarior. Omne enim, quod rarum est, dicitur et pretiosum. Rarus ergo tunc erit vir, quia, « cum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram? » (*Luc.* XVIII, 8.) Sequitur :

VERS. 13. — « Super hoc cœlum turbabo, et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris ejus. »

Super hoc, id est quia visitabo super orbis mala, *cœlum turbabo, et movebitur terra*, quia cœlum pariter et terra concutietur in adventu Judicis. Et inter impleri que (99) Babyloniorum, id est peccatorum severitatem animadversionis illius ad mentem sagaciter adducentes atque formidantes præcavent eam fugiendo ad pœnitentiæ remedium. Unde protinus de Babylone subditur :

VERS. 14. — « Et erit quasi damula fugiens, et quasi ovis, et non erit qui congreget. »

Damula quippe vel *ovis* timidum et mansuetum animal est. Babylon igitur sicut *damula fugiens*, et sicut *ovis erit*, quia peccatores conversi deposita ferocitate et superbia mansueti ac pavidi pœnitendo fugient iram Judicis. « Et non erit, qui congreget eos, » rursus ad cives Babylonis, quia deceptor antiquus non valebit illos jam per actionem iniquitatis adjungere peccantibus, sed per opera justitiæ sociabuntur civibus Jerusalem. Unde et sequitur :

« Unusquisque ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient. » Homines plurimi prædestinati in gloriam Dei, qui futuri sunt per adoptionem cohæredes Christi, nunc captivi tenentur in hac Babylone per peccatum. Incipiunt autem inde exire prius corde per confessionem iniquitatis et amorem justitiæ, deinde in fine sæculi etiam corpore inde separandi. Exeunt enim multi latenter de hac Babylone, quæ est *confusio*, et exeuntium pedes sunt cordis affectus. Qui primo confusi erant similibus cupiditatibus, incipiunt charitate distingui. Jam distincti non sunt confusi, et si adhuc corpore permisti sunt, desiderio tamen sancto separantur. Et propter commistionem corporalem nondum exierunt, sed propter affectum cordis cœperunt exire. Incipit enim exire, qui incipit amare. « Unusquisque ergo ad populum suum convertetur, et singuli ad terram suam fugient, » quia quicunque prædestinatus ad vitam, quicunque de populo sanctorum futurus, quicunque terram viventium hæreditaturus adhuc in Babylone per peccatum est, nequaquam ad subversionem ejus, id est usque ad mortem suam manebit in ea. Sequitur :

VERS. 15. — « Omnis, qui inventus fuerit, occidetur, et omnis, qui supervenerit, cadet in gladio. »

Invenitur in Babylone, et occiditur, qui præsentem vitam in peccatis finiens æternæ morti traditur. Supervenit autem in ea et *gladio* cadit, qui diu religiose, prout videbatur, vixerat, sed circa finem vitæ labitur in aliquod crimen, et ita demum sine pœnitentia moriens per sententiam animadversionis divinæ præcipitatur in tartarum.

Vel diabolus, et omne dogma contrarium veritati *fugiet quasi damula, nec erit, qui* discipulos ejus *congreget*. Quia liberati a magistris pessimis convertentur *ad populum* ecclesiasticum, unde abducti fuerant, *et ad terram suam*, quæ est Ecclesia, *fugient*, et unusquisque ipsorum in eo, in quo invenitur, occiditur, ut hæreticus esse desistat, et quicunque *supervenerit, cadet gladio* spiritali. Sequitur :

VERS. 16. — « Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, et uxores eorum violabuntur. »

Qui infantum appellatione nisi tenera (100) adhuc opera designantur? *Infantes* igitur Babyloniorum *alliduntur* (101) *in oculis eorum*, quia sæpe mens recta cernit, nec tamen audenter contra perversa se erigit, et renitens vincitur, dum hoc ipsum, quod agit, dijudicat et carnis suæ delectatione superatur. Nam sæpe et recta operatio exterius perditur, et tamen adhuc rationis lumen in corde retinetur, sicut Jeremias insinuat, qui, dum Sedechiæ captivitatem narrat, ordinem captivitatis internæ denuntiat, dicens : « Occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha in oculis ejus, et omnes nobiles Juda, oculos quoque Sedechiæ eruit (*Jerem.* LII, 10). » Rex quippe Babylonis est hostis antiquus, possessor intimæ confusionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia sæpe sic bona opera interficit, ut hæc se amittere ipse, qui captus est, dolens cernat. Nam gemit plerumque animus, et tamen carnis suæ delectationibus victus, bona, quæ gemit, amans perdit; ea, quæ patitur damna, considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonis levat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur. Unde Babylonis rex exstinctis prius filiis Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus subductis prius bonis operibus post hæc intelligentiæ lumen tollit. Quod recte Sedechias *in Reblatha* patitur. Reblatha quippe

(98) Cod. G., *perpetim fulg.*
(99) Cod G., *plurimique.*
(100) Cod. G., *terrena.*
(101) Ibid. *allidentur.*

Digitized by Google

multa hæc interpretatur. Ei enim quandoque et lumen rationis tollitur, qui pravo usu ex iniquitatis suæ multitudine gravatur. Bene itaque de Babyloniis hic dicitur : « Quia infantes eorum allidentur, in oculis eorum. »

Quid autem domos *eorum* appellat nisi mentes ipsorum? *Diripiuntur* ergo *domus eorum* dum a malignis spiritibus omnia mentium eorum bona devorantur. Nam, postquam filios suos in oculis allidi suis sinunt, ad hoc usque infelicitatis deinde deveniunt, ut omnium virtutum supellectilem, quæ in domibus cordium ipsorum erat, amittant.

Uxores vero intelligentias ipsorum accipe, cum *quibus rationalis* animus opera bona velut legitimos filios *gignit*. Unde et per quemdam de sapientia dictum est : « Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsivi mihi sponsam assumere, et amator factus sum formæ illius (*Sap.* VIII, 2). » *Uxores* ergo violantur, cum intelligentiæ corrumpuntur. Nam quod hic uxores Babyloniorum violari dicuntur, hoc ferme est quod apud Jeremiam Sedechias oculos amisisse refertur. Vel Medi intelliguntur magistri Ecclesiarum, qui allidunt *infantes* hæreticorum, eos videlicet, qui necdum ad perfectam venerunt ætatem erroris. Diripiunt *domos*, id est Ecclesias eorum. Violant *uxores*, id est pravam eorum sapientiam, doctrinamque perversam. Sequitur :

VERS. 17. — « Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærunt, nec aurum velint. »

VERS. 18. — « Sed sagittis parvulos interficient, et lactentibus uteri non miserebuntur, et super filios eorum non parcet oculus eorum. »

Medi interpretantur *mensurati*. Et quid per *Medos nisi dæmones* exprimuntur, qui nocere nequaquam valent nisi secundum mensuram, qua divinitus relaxantur, qui *nec argentum nec aurum*, sed internas divitias rapere quærunt? Quid autem parvulorum nomine nisi cogitatus designantur. Quid appellatione lactentium *uteri* nisi tenera opera, quæ adhuc velut lacte indigent admonitione blanda? Et quid per *filios* nisi viriles actus? Medi itaque *sagittis parvulos interficiunt*, quia et maligni spiritus spiculis tentationum bonos cogitatus allidunt. « Et lactentibus uteri non miserentur, » quia bona opera mox ut nata fuerint, et antequam roborentur, impie quærunt exstinguere. « Et super filios non parcit oculos eorum, » quia ubicunque vident robustos et viriles actus, non desistunt eos impugnare. Tanto enim quisque gravioribus urgeri plerumque solet dæmonum infestationibus, quanto ipse fortior est in bonis operibus. Vel nos utinam nec argentum nec aurum velimus eloquentiæ et sapientiæ sæcularis, sed filios hæreticorum et omnium, qui decepti sunt, interficiamus sagittis spiritalibus, id est Scripturarum testimoniis, et qui lacte nutriuntur erroris, absque ulla misericordia trucidentur, ut elementi crudelitate pereant, nulliusque misereamur infantiæ, ut illa beatitudine digni simus! « Beatus, qui A tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram (*Psal.* CXXX, 9). » Post filiorum autem, id est post bonorum operum amissionem subjungitur et ipsius civitatis æterna perditio. Nam sequitur :

VERS. 19. — « Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham. »

Babylon gloriosa est *in regnis*, quia confusa sæculi dignitas amatoribus mundi præclara videtur, et divitiæ, voluptatesque carnalibus æstimantur optimæ. Chaldæi vero interpretantur *captivantes*, vel *quasi dæmones*. Iniqui etenim, qui et ipsi iniquitatem perpetrant, et ad iniquitatem alios persuadendo trahunt, nimirum captivantes sunt. Qui recte quoque et *quasi dæmones* interpretantur, quia ii, B qui alios ad iniquitatem persuadendo pertrahunt, in semetipsis ministeria dæmonum ad iniquitatem suscipiunt, quamvis dæmones per naturam non sint.

In istorum ergo mente superba valde est Babylon *inclyta*, quoniam « lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II, 14). » Sed ista Babylon quandoque erit sicut Sodoma et Gomorrha, ut perpetuo subversa devoretur incendio. Sed interim quid patiatur, audiamus. Sequitur :

VERS. 20. — « Non habitabitur usque in finem, et non fundabitur ad generationem et generationem. »

Christus namque manere in Ecclesia se pollicitus est usque in finem sæculi. Quo contra Babylon « non habitabitur usque in finem, » quoniam « in malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* C I, 4), » quæ est Christus, « nec habitabit in corpore subdito peccatis (*ibid.*). » *Usque in finem* vero dicit eam non habitari, quia notum est omnibus, quod in ea mente Deus post finem vitæ præsentis nullatenus habitat, in qua prius, quam finiret temporalem vitam, nullatenus habitavit. *Et non fundabitur* in fundamento, quod est Christus, *usque ad generationem et generationem*, id est nec in generatione antiqui populi Dei, qui præcessit adventum ejus, nec in generatione novelli, qui vocatur Christianus. Sequitur :

« Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. » *Arabs* interpretatur *occidentalis* sive *campester*. Et occidentalis jure vocatur, qui per occasum veri solis, id est per mortem Christi mortuus D est peccato. *Campester* quoque est, qui charitate dilatatus copiosos boni operis fructus facit ut fertilis campus. Illic igitur Arabs in Babylone tentorium non ponit, quia mentem in ea non locat. *Nec pastores* animarum *requiescent ibi*, sed potius laborant, quia sermonem suum contemni vident. Urbs itaque confusionis subvertetur sicut Sodoma, ut nullum in eo maneat pristinæ mansionis vestigium, sed postquam fuerit cœlum novum, et terra nova, et præterierit figura hujus mundi, non habitabitur in perpetuum, nec eumdem statum recipiet. Non *ponet ibi tentoria Arabs*, qui dicitur occidentalis et vespertinus, eo quod præteritorum obliviscatur, et semper se extendat ad priora. *Nec requiescent ibi pastores*,

Digitized by Google

qui gregem Domini pascunt, vel angeli, qui præsunt humano generi. Nam in fine sæculi vel mortis uniuscujusque decidet omnis præsens gloria et superbia, nec iste mundi status erit ultra, sed peribit in æternum. Sequitur :

VERS. 21. — « Sed requiescent ibi bestiæ, et domus eorum replebuntur draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi. »

VERS. 22. — « Et respondebunt [*Vulg.* ibi] ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis. »

Bene iidem sævi dæmones semper *in Babylone*, quæ est confusio, requiescunt. *Domus* vero Babyloniorum mentes sunt sæcularium. Quid autem per dracones nisi malitia, et quid per struthiones nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe avis est, quæ pennas quidem habet, sed nequaquam volat. Sic et hypocrita pennas quidem bonæ operationis habere videtur, sed nunquam a terra per desiderium elevatur. « Domus *ergo* Babyloniorum replentur draconibus, et habitant ibi struthiones, » quia in confusis delictorum (102) mentibus in latens (103) malitia callide occultatur, et simulatio bonitatis foras ostenditur.

Quid vero pilosorum appellatione nisi quorumlibet peccatorum asperitas designatur? *Pilosi* enim ab humana effigie superius inchoant, sed ab extrema parte in bestias desinunt. Sic et peccatum licet quasi ab obtentu rationis plerumque incipiat, semper tamen ad irrationabilem finem perducit. *Pilosi* igitur in Babyloniorum domibus saltant, quia in confusis mentibus peccata dura atque aspera quasi grege facto concorditer ludunt.

Ululæ vero sunt aves a planctu et luctu nominatæ. Cum enim clamant, aut fletum imitantur, aut gemitum. *Sirenes* autem monstra sunt partim virgines et partim volucres, ut fertur, quæ cantu suo nimium delectabili navigantes ad periculosa loca pertrahunt. Quid igitur ululorum nomine nisi dæmones figurantur, qui sæculi tristitiam suggerunt, quæ mortem operatur? Quid autem per *sirenes* nisi deceptorum spiritus exprimuntur, qui vanam suadendo lætitiam ad periculum æternæ mortis incautos trahunt? Itaque in ædibus Babylonis sunt ululæ atque sirenes, quia in confusis mentibus nunc tristitiam nunc lætitiam faciunt nequissimi spiritus. Respondent igitur *ululæ in ædibus ejus*, dum in turbulentis mentibus tristitia tristitiæ occurrit, et planctus planctum adducit.

Et sirenes respondent sibi *in delubris voluptatis*, quia in illis, qui voluptatibus carnis deserviunt, lætitia fallax inani lætitiæ rependitur, et gaudium, quod ex alicujus delectationis opportunitate nascitur, occurrit gaudio, quod ex alicujus peccati perpetratione provenit. Tales sirenes, id est fallaces lætitiæ semper sunt in mari, id est in hoc sæculo, et navigantes, id est ad portum cœlestis patriæ tendentes submergere quærunt. Delubra vero *voluptatis* corpora sunt voluptuosorum, vel mentes eorum. Vel per omnes has bestias intelliguntur dæmones, quibus traditur Babylon ad puniendum. Sequitur :

CAPUT XIV.

VERS. 1. — « Prope est, ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. »

Id est *tempus et dies* Babylonis, quo pereat, jam imminet, sicut et Moyses cecinit : « Juxta est dies perditionis, et adesse festinant tempora (*Deut.* XXXII, 35). » Sequitur :

« Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, et requiescere eos faciet super humum suam. » — « Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel, » quia in veritate reliquiæ convertentur Elia prædicante, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem, id est ad Christum, quia « vocabitur nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis (*supra* IX, 6). » — « Et requiescere eos faciet super humum suam, » sicut per Ezechielem pollicetur, dicens : « Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris, populus meus, et inducam vos in terram Israel (*Ezech.* XXXVII, 12). »

Illud tamen, quod ait : « Prope est, ut veniat tempus ejus, » id est Babylonis, ut destruatur, potest ad adventum Salvatoris referri, in quo per totum orbem subversa est Babylon, id est, veterum errorum ac vitiorum confusio gentibus ad fidem conversis. « Miserebitur enim Dominus Jacob, id est, populo Judæorum, qui per mortem carnis eum supplantare studuit, cum in die Pentecostes ex ipsis tria millia Petro prædicante crediderunt. « Et eliget adhuc de Israel (*Act.* II, 41), » quia deinceps multa millia per doctrinam apostolorum conversa sunt. « Et requiescere eos faciet super humum suam, » id est in Ecclesia, dum sæculi cupiditatibus exuti omnia, quæ mundi sunt, reliquerunt, et apostolicæ doctrinæ adhærentes cor unum et animam unam omnes habuerunt. Sequitur : « Adjungetur advena ad eos, et adhærebit domui Jacob. »

VERS. 2. — « Et tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum : et possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos et ancillas, et erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos. »

Adjungetur advena, id est gentilis populus *ad eos*, qui de circumcisione crediderunt, ut ex utroque fiat unum ovile. *Et tenebunt eos populi* gentilium, quia prædicationem eorum avide suscipient. Prædicatores enim non tenet, qui doctrinam eorum abjicit. *Et adducent eos*, id est gentiles, *in locum suum*, id est in Ecclesiam. *Et possidebit eos domus Israel*, id est apostoli, *super terram Domini*, id est in Ecclesia, *in servos et ancillas*, quia obedientes erunt doctrinæ eorum. *Et erunt capientes eos, qui se ceperant*, id est convertent eos, qui se decipiebant. *Et*

(102) Codd., *dilectorum*.

(103) Cod. G., *latens*.

Digitized by Google

subjicient exactores suos, quia malignos spiritus vincent. Exactores enim sunt dæmones, qui malæ persuasionis nummum semel hominibus commendatum quotidie cum usuris exigere solent. Sequitur :

VERS. 3. — « Et erunt in die illa : cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, et a concussione tua, et a servitute dura, qua ante servisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis et dices :

VERS. 4. — « Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? »

VERS. 5. — « Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. »

VERS. 6. — « Cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. »

« Cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo, » id est universas tibi concupiscentias abstulerit, et sua gratia te foverit juxta illud : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati, etc. (*Matth.* XI, 28). » Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare? Aut quid hic quietius quam hujus sæculi nihil appetere? « Et requiem tibi dederit a concussione tua, » ut jam non sis parvulus fluctuans, et circumferaris omni vento doctrinæ, sed dicas ei : « Susceptor meus, non movebor in æternum (*Psal.* LXI, 3). » Est autem *dura* quædam servitus, de qua Dominus ait : « Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Et Petrus : « A quo enim quis superatus est, hujus et servus est (*II Petr.* II, 19). »

Sed ab hac servitute Dominus liberat, qui dicit : « Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36). »

« Sumes parabolam, inquit, contra regem Babylonis, id est contra diabolum, qui est rex confusionis. *Exactor* etiam est importunus iste persuasor, qui semel in paradiso humano generi pecuniam peccati commodavit, sed crescente iniquitate hanc multiplicato fenore quotidie exigit. *Tributum* quoque est, quod unusquisque ei, dum peccat, solvit. Sed per Christum « cessavit exactor, et quievit tributum, » quia, sicut Joannes ait : « Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum (*I Joan.* V, 18). » Unde et additur :

« Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. » Impii namque dominatores erant maligni spiritus in hoc mundo. Baculus et virga eorum potestas lædendi, quam habebant, potest intelligi. Sed hunc *baculum et virgam* Christus jam *contrivit*. Cædebat enim hæc virga *populos in indignatione plaga insanabili*, quia dæmones humanum genus graviter flagellabant, et ei mortiferas peccati plagas inferebant, atque *subjiciebant in furore gentes*, quia suæ tyrannidi violenter eas affligendo subdebant, et peccatis servire cogebant, et persequebantur eas *crudeliter* intus et foris, non solum animas ipsarum lædendo, sed etiam corpora vexando miserabiliter ac occidendo. Possunt hæc et de fine sæculi intelligi.

« Et erit, inquit, cum requiem dederit tibi Deus. » Requiem enim a labore tuo dabit tunc tibi Deus, sicut scriptum est : « Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV, 13). » *Et a concussione tua*, « quia justus in æternum non commovebitur (*Psal.* CXI, 6). » Et alibi scriptum est : « Non dabit in æternum fluctuationem justo (*Psal.* LIV, 23). » *Et a servitute dura*, de qua dicit Apostolus : « Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio (*Rom.* VII, 15). » Et post aliquanta : « Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati (*ibid.*, 25). » Ab hac servitute liberi erimus, quando jam morti insultantes dicemus : « Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus enim mortis peccatum est (*I Cor.* XV, 55). » *Exactor* vero nondum penitus cessavit a nobis, neque tributum quievit, quia dum hic vivimus, diabolus nos ad peccandum incitare nititur, et vitare peccatum ex toto non possumus, sed « in multis offendimus omnes. Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet (*Jac.* III, 2). » Sed postquam mortale hoc induerit immortalitatem, *exactor* jam cessabit, *et tributum* jam quiescet, quia nec diabolus ultra suadebit cuiquam, ut peccet, nec aliquis peccabit. Bene ergo tunc electorum populus in regno triumphans exsultat, dicens : « Quomodo cessavit exactor, quievit tributum? » Ibi enim vera libertas erit. Nam et hoc tunc vere complebitur, quod subjunctum est : « Contrivit Dominus baculum impiorum, » etc. Cum enim Christus diabolum et angelos ejus de hoc mundo expellens in infernum perpetualiter incluserit, tunc omnino conteret baculum et virgam eorum, ne jam nos deinceps percutere valeant, sed et ipsi persecutionibus æternalium tormentorum subjaceant. Sed ad superiorem sensum revertentes videamus sequentia. Nam ligato mundi principe et gentibus ad fidem conversis impletum est, quod nunc subjungitur :

VERS. 7. — « Conquievit et siluit omnis terra, gavisa est et exsultavit. »

VERS. 8. — « Abietes quoque lætatæ sunt super te, et cedri Libani. Ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos. »

VERS. 9. — « Infernus subter conturbatus est, in occursum adventus tui suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum. »

VERS. 10. — « Universi respondebunt et dicent tibi, et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es. »

Gentibus enim ad Christum conversis *conquierit omnis terra*, sicut ipse ait : « Tollite jugum meum super vos et discite a me, (*Matth.* XI, 29), etc. » *Et siluit* sedatis pravæ actionis tumultibus. Nam, sicut et supra diximus, omnis iniquitas habet apud secreta

Digitized by Google

judicia Dei voces clamoris. Unde scriptum est : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est (*Gen.* XVIII, 20). » *Siluit* igitur *omnis terra*, quia totus orbis Christi gratia repletus est, et a malitiæ tumultibus liberatus est in his, qui crediderunt. *Gavisa est et exsultavit*, sicut scriptum est : « Dominus regnavit, exsultet terra (*Psal.* XCVI, 1). »

Libanus autem *candidatio* dicitur. Et quid per Libanum nisi mundus iste signatur, qui amatoribus pulcher et candidus est? Quippe per *abietes* et cedros *Libani* nisi principes sæculi hujus figurantur? *Abietes* igitur *et cedri Libani lætatæ sunt* super Babylonis regem, quia et potentes ac nobiles hujus mundi gaudent super religatione hostis antiqui. Sed prius *terra siluit ac gavisa est*, ac deinde *abietes et cedri lætatæ sunt*, quia prius crediderunt populi, post etiam principes. Lætatæ sunt itaque cedri dicentes : *Ex quo dormisti*, id est ex quo sopita est sævitia tua, ex quo tibi potestas est ablata, ex quo religatus es in abysso per triumphum Christi crucis, *non* ascendit aliquis dæmonum de abysso, *qui succidat nos*, ut tu faciebas, id est qui supplantet nos, et a statu rectitudinis corruere faciat. Victo isto forti, et direptis vasis ejus etiam cæteri satellites cessaverunt.

« Non ascendit, qui succidat nos. » Quantos isti lignorum succisores suis securibus succiderunt et corruere fecerunt! Terra quidem conquievit et gavisa est, ex quo perdidisti potestatem lædendi. Sed *infernus subter conturbatus est* præ magnitudine stuporis et admirationis, cum tu captivus illuc deducereris, quem nunquam vinci posse putabat. Et *in occursum* tuum *suscitavit tibi gigantes*, id est robustos sæculi principes, quia jam illuc erant damnati insultantes ruinæ tuæ. Nam quos gigantes suscitaverit, subditur :

« Omnes, inquit, principes terræ surrexerunt de soliis suis, » etc. Quid enim hic soliorum, id est sedium nomine nisi loca pœnarum designantur, in quibus isti principes erant? *Surrexerunt* ergo *de soliis suis* in occursum Satanæ corruenti insultantes ei. Unde et Ezechiel ait : « Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus ejus descenderunt, et dormierunt incircumcisi interfecti gladio (*Ezech.* XXXII, 21). »

Omnes principes nationum de inferno respondebunt ei victo post diem judicii. Similiter responderunt post passionem Domini, dicentes : « Et tu vulneratus es sicut nos, nostri similis effectus es. » Ac si dicant : Nunc minus dolemus interfectos nos esse divinæ animadversionis gladio, cum et tu eodem vulneratus gladio corrueris, qui nos occidi fecisti. Licet enim dolor et tristitia eorum sit semper immensa, qui torquentur in illis suppliciis, et ex consortio Satanæ tunc credatur crescere; aliquod tamen solatium erit eis, dum hunc viderint eadem tormenta sustinere, quæ ipsi patiuntur per eum decepti. Nam et dives, qui ardebat apud inferos, cupiebat, ne quinque fratres sui, quos reliquerat, in eodem loco tormentorum descenderent (*Luc.* XVI, 30). Consequens ergo est, ut quo amicos venire nolebat, illuc inimicos optaret demergi. Non itaque dubium est eos, qui in inferno sunt, cupere diabolum, per quem seducti sunt, ibidem cruciari, ut vel sic vindicentur de eo, licet a pœnis non liberentur. Dicunt igitur insultantes ei : « Et tu vulneratus es sicut nos, nostri similis effectus es, » atque adjungunt :

VERS. 11. — « Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum : subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes. »

Qui se extollebat super omnia, *detractus est ad inferos*, ut sit infra omnia. *Cadaver* ejus, id est ipse dejectus a supernis sedibus. Cadaver enim a cadendo dicitur. Stetit autem hoc cadaver, dum Satanas in mundo regnaret. Sed *concidit cadaver* ejus, quando ipse præcipitatus est in abyssum.

Tinea vero vestimentorum vermis est dicta, quod teneat, et eo usque insideat, ut erodat. *Sternetur* ergo *tinea* sub antiquo hoste, quia sub ipso erunt tormenta mordacia, ubi perpetuo jacens corrodatur. Quid autem nomine vermium nisi inquietudo pœnarum designatur? Natura enim vermium est momentis singulis incessanter moveri. Satanæ igitur *operimentum erunt vermes*, quia super eum universa mordacissimarum pœnarum genera stipabuntur, quibus sine fine putrefactus incessabiliter agitabitur et lacerabitur. Hæc requies diaboli, hic lectus ejus est.

Putredo et tinea et operimentum vermium pœnæ sunt æternæ, quas propria gignit conscientia, vel suppliciorum materia, quæ ex propriis peccatis nascitur. Sicut enim quandiu cadaveris materia est, et aliquis humor in cadavere, vermes nascuntur ex putredine; sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. Sed inter hæc ad memoriam propheta revocat, quantæ dignitatis olim miser iste fuerit, et quot lapsuum gradibus inde corruerit. Nam subdit :

VERS. 12. — « Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? »

VERS. 13. — « Quid dicebas in corde tuo (104) : In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis. »

VERS. 14. — « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. »

VERS. 15. — « Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. »

Sicut Lucifer omnibus aliis sideribus est clarior, sic angelus iste omnibus reliquis angelis lucidior fuit, et splendidior. Qui et *mane* oriebatur, quia in exordio novæ lucis gloria conditionis clarus admirabili splendore radiabat. Sed tam felix creatura quo-

(104) Alias, *de corde tuo.*

Digitized by Google

modo tam infeliciter cadere potuerint, propheta miratur.

Primo enim *de cælo* cecidit, amissa beatitudine, et statu dignitatis angelicæ, et in mundo principatum iniquitatis super idololatras gentes habuit. Unde et « princeps mundi (*Joan.* XII, 31) » appellatus est. Sed prædicantibus apostolis corruit *in terram, qui* vulnerabat *gentes*, id est qui mucrone tentationis sauciabat mentes eorum, quia eos, quos per idololatriam possederat, amisit, et Judæos paucasque gentium reliquias infideles nunc tenet. De gentibus, quas vulnerabat in terram cecidit, id est de eorum mentibus, qui ad fidem venerunt, in corda illorum, qui *in incredulitate* permanserunt; non quia in eis et ante non esset, sed quia ab istis exclusus amplius illis dominari cœpit.

Ruinam vero ejus excepit terra, quoniam terrena sapientum mentes invasit totus, qui de supernis projectus præsumebat in corde suo, dicens: *In cælum conscendam*, id est super sanctos Dei præclaros *exaltabo solium meum*. Annon in cœlum Satanas conscendit, quando cor Salomonis intravit? Annon super astra Dei solium suum posuit, quando Saul et Salomonem et Judam et septimum diaconem sibi subjecit? Quod si in primordio superbiæ suæ ista cogitavit, antequam de cœlo projectus esset, cœli nomine electorum mentes designantur angelorum, quam ingredi superbus iste adversus Deum, et occupare voluit. Et astrorum vocabulo singulæ beatorum spirituum personæ, quas subjugare sibi tentavit, quando ex ipsis eos, qui nunc dæmones appellantur, in perniciem traxit.

Deinde « sedebo, inquit, in monte Testamenti in *lateribus aquilonis*. » Malignus enim Spiritus *montem Testamenti* tenuit, quia Judaicum populum, qui legem acceperat, sibi in perfidiam subjugavit. Quando enim corda doctorum tenet, *montem Testamenti* diabolus possidet. Qui etiam *in lateribus aquilonis* sedet, quia mentes hominum frigidas præsumendo inhabitat. Adhuc autem superbus iste præsumptor adjungebat, dicens:

« Ascendam super altitudinem nubium, » id est angelorum vel prædicatorum. « Et similis ero altissimo. » Et ut beatus Papa Gregorius loquitur (lib. XXIII *Mor.* c. 6): « Quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum imitatur, qui despecto bono societatis angelorum, sedem suam ad aquilonem ponens et Altissimi similitudinem superbe appetens per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere. » Ad cujus similitudinem ducitur, qui, singulare culmen appetens et socialem angelorum vitam despiciens, ait: « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. » Qui quoniam perverso ordine, id est per superbiam Deo similis fieri voluit, a contrario dissimilitudinem habere meruit. Nam ille ait: « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde (*Matth.* XI); » et iste « est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI, 25). » Ille, « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philip.* II, 6); » iste per rapinam usurpare similitudinem Dei, quam naturaliter non habuit, cupiens: « Similis, inquit, ero Altissimo. » Sicut ille est caput omnium justorum, et omnes justi membra ejus, sic et iste caput est omnium iniquorum, et omnes iniqui membra hujus. Sicut ille super omnia est Altissimus, sic et iste infra omnia dejectissimus, et omnibus modis omnino contrarii sunt Satanas et Altissimus.

Postquam præsumptionis hujus Satanæ cogitationes Spiritus sanctus per prophetam nobis indicavit: « Verumtamen, inquit, ad infernum detraheris; » licet in cœlum conscendere cogitares; « et in profundum laci » demergeris, qui ad Altissimi similitudinem exaltari optasti. *Infernus* vero dicitur *lacus*, quia hos, quos semel ceperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. In quem præcipitari adversarium hunc non sufficit, nisi et *in profundum* ejus novissimum demergatur, ut crucietur infra omnia, qui gloriari voluit super omnia. Quem quia electi in regno constituti semper visuri sunt perpetuæ ignominiæ mancipari, ut inde gaudium eorum crescat, recte subjungitur:

VERS. 16. — « Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient; nunquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna? »

VERS. 17. — « Qui posuit orbem desertum, et urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem? »

Qui te viderint in novissimo profundi laci barathro, *ad te inclinabuntur* velut ad aliquem in imo putei constitutum. *Teque prospicient*, quia longe eris, et te mirantes in pœnis dicent: « Nunquid iste est vir, qui conturbavit terram? » Diabolus enim parabolice *vir* appellatur, sicut et in Evangelio dicitur de illo: « Inimicus homo hoc fecit. Qui conturbavit et concussit regna (*Matth.* XIII, 28); » quia tribulationes et bella movet in mundo, et omnia mala reliqua.

« Qui posuit orbem desertum, quia veri Dei cultum gentibus abstulit. « Et urbes ejus destruxit, » quia veræ religionis ædificia de cordibus hominum subvertit. Vel *terram conturbavit*, id est eos, qui audiunt cum Adam: « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Et *regna* Ecclesiæ *concussit* tentando, non subvertit. *Et orbem* fecit esse *desertum*, ut nullam haberet virtutem, sed vitiis subjaceret, quibus plena est gentium solitudo. *Urbes* quoque *ejus destruxit*, ut de Ecclesiis Christi faceret Synagogas Satanæ hæretica peste corrumpens fidem earum.

Vinctis ejus, id est illis, qui peccatorum vinculis erant astricti, *non aperuit carcerem* cordis eorum, quia non dedit eis libertatem, ut egrederentur per confessionem. Omnis enim, qui male agit, conscientiam suam sibi carcerem facit, quia, dum vindi

Digitized by Google

cante (105) Deo in malitiæ suæ tenebris relinquitur, quasi inter semetipsum includitur, ne evasionis locum inveniat, quem invenire non meretur. Talibus ergo *vinctis* Satanas *carcerem non* aperit, quos in se ipsis semper inclusos tenere satagit. Sequitur:

VERS. 18. — « Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua. »

VERS. 19. — « Tu autem projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta laci quasi cadaver putridum. »

VERS. 20. — « Non habebis consortium neque cum eis in sepultura. Tu enim terram (106) disperdidisti, tu populum tuum occcidisti. »

Si nunc isti *reges* mystice sunt accipiendi, quos intelligere debemus nisi rectores Ecclesiarum, qui defuncti dormiunt *in gloria*, quoniam apud Deum requiescunt in honore? Et unusquisque *in domo sua*, id est in mansione sua, quia « in domo Patris mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2), » ubi quisque pro merito suo mansionem accipit.

« Tu autem projectus es de sepulcro tuo, » id est de corde gentilium, ubi velut in sepulcro putridus jacebas. Sepulcra enim mortuos tegunt. Et quis alius mortem pertulit, quam is, qui conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda per consensum malitiæ suscipiunt, ejus procul dubio sepulcra fiunt. Sed *de sepulcro suo projicitur*, cum per Dei gratiam de corde hominum expellitur.

Stirps autem, ut dictum reperi, proprie est, quod in radicibus arborum nascitur juxta stipitem, ideoque dicitur *inutilis*, quia virtutem aufert arbori poma ferenti, neque fructum gignit. Si enim inde abscinderetur, proficeret plurimum arbori ad recuperandam virtutem, et ad fructificandum. Ita et hostis antiquus in radice cordis humani juxta illud, quod in eo principale est, quasi *stirps* juxta stipitem arboris plerumque per immissionem malarum cogitationum velut nascitur, crescit ac roboratur et virtutem rationis auferens non sinit facere fructum boni operis. Sed exinde nonnunquam absciditur ferro verbi Dei, ut in ignem mittatur, et homo virtutem recuperat bene fructificandi.

Apte ergo Satanas *de sepulcro suo quasi stirps inutilis* dicitur esse *projectus*. Et projectus est *pollutus et obvolutus* velut *cadaver putridum*, quod nemo tangere, vel ejus fetorem teterrimum sufferre potest. Cadaver enim diaboli *putridum* ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatis esse fetidissimum ipso peccatore dicente: « Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices, etc. (*Psal.* XXXVII, 6). » Hinc e contrario virtus boni odoris est.

« Projectus est pollutus, » quia, qui pulcher in humana mente videbatur? dum adhuc ibi malitia ejus placeret, tandem ut ejiceretur, cognitum est quantæ sit turpitudinis et immunditiæ. « Et obvolutus, » quia cœlestium judiciorum potentia simul undique coarctatus est et circumobsitus. « Projectus est, inquam, cum iis, qui interfecti sunt gladio Dei, et descenderunt ad fundamenta laci; » quia cum cæteris peccatoribus in tartarum novissime præcipitatur.

Non habebit *in sepultura consortium* vel *cum eis*, qui interfecti sunt gladio judicis, quia alterius pœnæ est auctor delicti, et alterius, qui ab auctore compulsus est. Et illis quasi quædam requies erit, quod ad comparationem hujus utcunque tolerabilius cruciabantur. Ipse enim omnem *terram* disperdidit, quia humanum genus post se in perniciem traxit. Sequitur:

« Non vocabitur in æternum semen pessimorum, » quia nulla unquam erit apud Deum recordatio eorum, qui semel ob id apud inferos damnati sunt, quia dæmonum malitiam pessimorum quasi patrum vestigia sequebantur. Vel quia prope est, ut omnis impiorum generatio per adventum judicis exterminetur. Unde et subditur:

VERS. 21. — « Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum eorum (107). »

Tunc enim angeli præparabunt *occisioni filios* hujus Satanæ *in iniquitate* pessimorum *partum eorum*, quam imitati fuerant, id est, dæmonum vel perversorum hominum, quando « mittet Filius hominis angelos suos, et colliget de regno ejus omnia scandala, et eos qui facient iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis (*Matth.* XIII, 41). » Nam quod hic subjungit: « Non consurgent, nec hæreditabunt terram, nec implebunt faciem orbis civitatum. » Hoc est quod alibi de Antichristo legimus: « Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus (*Job* XVIII, 19). Hoc enim caput malorum cum omni corpore suo peribit in adventu judicis. Inde est quod sequitur:

VERS. 22. — « Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, et perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus. »

VERS. 23. « Et ponam eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum et scopabo eam in scopa terens, dicit Dominus exercituum. »

In die enim judicii, in die ultionis consurget Dominus *super eos ut* perdat *Babylonis nomen et reliquias*, ne vel memoria ejus remaneat, vel aliquis de progenie ejus. Qui facit peccatum, semen diaboli est. Cujus seminis filii, id est pessimæ cogitationes et actiones ejus, quæ ex dæmonibus natæ sunt, trucidandæ sunt, ne ultra consurgant, et possideant terram cordis nostri, et impleant urbibus vitiorum. Et quia non est hominis perfecta victoria, consurgit ipse Dominus adversum pessimos filios, et disperdit ex nobis nomen et reliquias confusionis, atque germen ejus.

(105) Cod. G., *judicante*.
(106) Alias, *terram tuam*.
(107) Alias, *suorum*.

Digitized by Google

« Et ponet eam in possessionem ericii, et in paludes aquarum. » Quis est iste ericius nisi antiquus hostis, cujus omne corpus aculeis et spinis est circumdatum? Ipse enim caput omnium malorum est, et omnis multitudo malorum corpus ejus, et unusquisque perversorum, qui infirmiores operarios iniquitatis obumbrat, et protegit, et quos tangit bonos, per malitiam pungit, in hoc corpore spina est. Tot namque spinas, quibus circumtegatur, et muniatur, hujus ericii corpus habet, quot defensores malorum. *Ponitur* ergo Babylon *in possessionem ericii*, quoniam asperrimo diabolo perpetualiter in tormentis possidenda traditur, cum audit : « *Ite*, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* xxv, 41). » *Paludes* vero *aquarum* tartareos lacus, quibus animæ suffocantur, et ardent velut in aquis ferventibus, intellige, de quibus infra scriptum est : « Quia convertentur torrentes ejus in picem (*Isa.* xxxiv, 9). »

« Et scopabo, inquit, eam in scopa terens. » Quia sicut contra scopam fortiter pressam nihil sordium stare valet, aut palearum, sic ante districtam judicis sententiam resistet nullus reproborum. Unde et Joannes de eo prævidens hanc scopam ait : « Cujus ventilabrum in manu ejus et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inexstinguibili (*Matth.* iii, 12). » Nam judicis sententiam, quæ hic appellatur *scopa*, ipse ventilabrum nominat.

Vel juxta sententiam Domini, qui curas hujus sæculi, et fallaciam divitiarum *spinas* appellavit (*Marc.* iv, 18), ericius intelligi potest, qui gaudet in incerto divitiarum, et punctionibus peccatorum armatur. Et tales habitatores habet Babylon deserta virtutibus, ubi non est ager, qui fructus afferat, sed *paludes* infertiles limosæ ac lutosæ, id est immundæ conscientiæ, in quibus sordidi spiritus quasi animalia cœno gaudentia reptant. Quamobrem clementissimus Dominus scopabit eam vehementissime terens, et quasi quodam everticulo ad purum usque mundabit, ut Babylonis semina perdat. Sequitur :

Vers. 24. — Juravit Dominus exercituum dicens : si non ut putavi, ita erit; et quomodo mente tractavi. »

Vers. 25. — « Sic eveniet, ut conteram Assyrium in terra mea, et in montibus meis conculcem eum, et auferetur ab eis jugum ejus, et onus illius ab humero eorum tolletur. »

De juramentis Dei nos instruens Apostolus ait : « Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum, in quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus, immobilitatemque consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem (*Hebr.* xiii, 6 et seqq.

Dum ergo Deus, qui nunquam mentitur, jurat, immobilitatem consilii sui firmissime constitutam insinuat, quam sine dubio completurus est, cum et homines, qui sæpe mentiuntur, juramenta custodiant, et nihil juramento firmius habeant. Defectus quoque dictionis indicium est validissimæ confirmationis, cum dicit : « Si non, ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet. » Non tamen nostro more Deus aliquid futurum æstimat, sed quodcunque vult, disponit, ut fiat, et qualiter ac quando fiat. Sed quid est, quod tam firmiter asserit futurum? Non enim pro modica re jurare Deus credendus est.

Ut conteram, inquit, *Assyrium*, id est diabolum *in terra mea*, id est in mente electorum meorum, vel in Ecclesia, sicut eidem Assyrio dictum est in Genesi : « Ipsa conteret caput tuum (*Gen.* iii, 15). » Caput quippe diaboli initium est pravæ suggestionis. Quod videlicet caput Ecclesia conterit, quia suggestiones diaboli in ipso mox initio ad nihilum redigit. Jurat ergo Dominus, quia *in terra* sua, id est in mente suorum conteret *Assyrium*, ut in corde nostro omnem ejus tentationem vincat. Quem et *in montibus suis*, id est, in apostolis et majoribus sanctis conculcat, sicut eis loquitur : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et nihil vobis nocebit (*Luc.* x, 19). » — « Et auferetur ab eis jugum ejus, » de quo dicit Apostolus : « Nolite jugum ducere cum infidelibus (*II Cor.* vi, 14). » Et onus illius, id est, tyrannica dominatio tolletur *ab humero* cordis *eorum*. Sequitur :

Vers 26. — « Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, et hæc est manus extenta super universas gentes. »

Cogitavit *hoc quod* supra dictum est, in toto orbe facere, ut in gentibus cunctis ad fidem venientibus ubique conterat Assyrium, et conculcet in electis suis, atque jugum servitutis, quo deprimebat eos, auferat. Rursumque hoc inevitabiliter esse futurum ostendit, subjungens .

Vers. 27. — « Dominus enim exercituum decrevit, et quis poterit infirmare? » Id est decretum ejus debilitare? « Et manus ejus extenta, et quis avertet eam? » *Manus ejus extenta est*, ut Assyrium feriens conterat, et nullus avertet eam, quia omnipotens est. Hactenus ea, quæ temporibus Achaz Isaias vidit, tractata sunt; cætera, quæ sequuntur usque ad finem Libri sub glorioso rege Ezechia prophetavit.

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

SEQUITUR CAPUT XIV.

VERS. 28. — « In anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud. »

VERS. 29. — « Ne læteris Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem. »

Binarius numerus significare solet opus immunditiæ, quoniam bina de singulis animalibus immundis ingressa sunt in arcam (*Gen.* VII, 2). Unde et nunc onus Philisthææ, quæ interpretatur *ceciderunt duo*, vel *ruina poculi*, in secundo gradu ponitur, ut advertamus, quia de immundis agitur. Nam in abominatione fornicationis est ruina duorum. Et poculo cadit, qui terrenis cupiditatibus debriatus statum rectitudinis amittit. Quid autem *rex* peccator *Achaz* nisi vel quemlibet Ecclesiæ præpositum, vel omnes malos Ecclesiæ rectores designat? Quid *Philisthæa* nisi carnalium multitudinem subjectorum? Quid mors Achaz nisi grave peccatum cujuslibet præpositi? Si vero prælatus aliquid turpe commiserit, mox indisciplinatorum turba subditorum quasi de morte Achaz Philisthæa gens lætatur. Sed « in anno quo mortuus est rex Achaz factum est onus istud, » quod sequitur : quia dum prælatus offendit et vulgus insultat, gravem sibi peccatorum sarcinam imponit. Quicunque enim disciplinam oderunt, valde lætari solent, si præpositus eorum ita corruat, ut eos libere corripere jam non audeat, sed eis dicitur :

« Ne læteris Philisthæa omnis tu, quia comminuta est virga percussoris tui. » Id est quia præpositus, qui te *virga* disciplinæ pro culpa solebat percutere, virgam justæ severitatis pro suarum pudore vel metu culparum amisit. Dum enim te disciplina gaudes exutam, Antichristi jugum in te suscipis.

« De radice enim colubri egredietur regulus. » Coluber quippe occulte mordet, et virus infundit. Sic et nunc diabolus humana corda latenter vulnerat, et veneno malitiæ suæ inficit. Sed *de* hujus *radice colubri*, id est de occultis Satanæ suggestionibus et latenti malitia *egredietur regulus*, id est pestifera Antichristi perversitas. *Regulus* enim non morsu perimit, sed flatu consumit. Sæpe quoque flatu aerem adscit, et quidquid vel longe positum contigerit, sola narium inspiratione tabefacit. Sic et Antichristus odore pestiferæ exhalationis totum orbem afficiens, humanis mentibus mortiferum virus immittet.

Regulus enim ipse est basiliscus. Et dicitur regulus eo quod rex serpentium sit, adeo ut eum videntes fugiant, quia flatu suo eos necat. Nam et homines, si vel inspiciat, interimit; siquidem ejus aspectum nec avis ulla volans illæsa transit, sed quamvis procul sit, ejus ore combusta devoretur. A mustelis tamen vincitur, quas illis homines cavernis inferunt, in quibus delitescit, et occiditur ab eis. Similiter et Antichristus, qui rex iniquorum est, flatu suo, id est doctrina sua corrumpet omnia, et aspectu suo rationabilia sapientes in anima perimet, et eos, qui in altum contemplationis volabant, devorabit; ab agilibus tamen et parvulis fidelibus, quos venena ejus inficere non poterunt, velut a mustelis superabitur. Quod autem propheta subjunxit :

« Et semen ejus absorbens volucrem, » potest intelligi *semen ejus*, id est colubri, ipse Antichristus, qui etiam contemplativos velut aves volantes absorbebit. Vel illud *ejus* non ad colubrum, sed ad regulum referamus dicentes : *Semen ejus*, id est reguli discipulos Antichristi, qui etiam spiritales contemplationi studentes in suam pernicium pertrahent. Hæc idcirco dicuntur iis, qui de sua impunitate dum delinquunt, et de præpositi sui ruina lætantur, quoniam vel colubri hujus veneno, vel reguli flatu perimuntur, vel seminis ejus ore trahuntur. Sed licet Achaz mortuus sit, id est pastor in culpam delapsus, flet tamen quod sequitur :

VERS. 30. — « Et pascentur primogeniti pauperum, et pauperes fiducialiter requiescent. »

Potens est enim Deus sensus et virtutes electorum suorum nutrire, etiam si prædicator defuerit. Qui sunt enim *pauperes* isti, nisi de quibus dicitur : « Beati pauperes spiritu? » (*Matth.* V, 3.) Et qui sunt *primogeniti* eorum nisi primi boni cogitatus, quos in eorum cordibus gratia præveniens generat, primusque ardor juste vivendi? Unde dictum est in lege : « Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi (*Exod.* XXII, 29). » Vel primogenitos eorum, quæcunque præcipua et optima sunt in operibus eorum, accipe; de quibus ait Dominus : « Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus (*Matth.* VI, 33). » Tales ergo primogeniti pascentur gratia Dei. Et licet Antichristi persecutio sæviat, pauperes tam *fiducialiter requiescent*, quia scriptum est : « Qui timet Deum nihil trepidabit et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus (*Eccli.* XXXIV, 16). » Sequitur :

« Et interire faciam in fame radicem tuam, et reliquias tuas interficiam. » De electis dixerat, quia *pascentur primogeniti pauperum*, licet Achaz mortuus esset, id est prædicator spiritualiter exstinctus. Et nunc e contrario dicitur Philisthææ, id est immundorum et indisciplinatorum multitudini, qui de morte ejus et impunitate sua lætantur, quia *interire faciam in fame* verbi Dei *radicem tuam*, id est cogitationem cordis tui, quoniam verba salutis ab homine tu non audies, et ego mentes electorum meorum intrinsecus pascam. « Et reliquias tuas interficiam, » id est si qua bona in te remanserant, exstinguam ea : quia penitus tollam a te gratiam meam. Unde et subjungitur :

Digitized by Google

VERS. 31. — « Ulula, porta; clama, civitas, prostrata est Philisthæa omnis. »

Porta enim ululare, id est fidelis vel prædicator sanctus quilibet lamentari jubetur, et *civitas clamare*, id est plangere, quia per Antichristum in perfidiam « prostrata est Philisthæa omnis, » id est religiosorum (108) multitudo universa. Quod autem jam factum prophetico more dixerat, futurum adhuc ostendit subdendo :

« Ab aquilone enim fumus veniet, et non est, qui effugiat agmen ejus. » Nam frigidus *aquilo* malignus spiritus est, cui dicitur in Cantico : *Surge, aquilo* (*Cant.* IV, 16), id est fuge, diabole ; fumus autem noxius est oculis (*Prov.* X, 26). Veniet igitur ab aquilone fumus, id est a diabolo per Antichristum tenebrosa errorum doctrina, quæ cæcabit oculos humanorum cordium. Nunc quoque multorum oculos excæcat jam fumus exaltationis ejus, et suggestionis illius. *Et non est, qui effugiat agmen* exercitus *ejus*, qui totum replebit orbem, et omnes ei subjiciet. Sed quia nunc populus electorum videbatur ab illo posse superari, quoniam dictum erat : « Non est, qui effugiat agmen ejus, » ideo subjungitur :

VERS. 32. — « Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. »

« Quid, inquit, respondebitur nuntiis gentis, » id est quid respondebunt fideles legatis Antichristi? Hoc scilicet respondebunt, *quia Dominus* supra firmam petram *fundavit Sion*, id est Ecclesiam. « Et in ipso sperabunt pauperes populi » sui, id est sancti humiles. Hæc enim erit electorum fiducia.

CAPUT XV.

VERS. 1. — « Onus Moab. Quia nocte vastata est, Ar Moab conticuit ; quia nocte vastatus est murus Moab, conticuit. »

Non multum ædificationis affert, si nunc historialiter de populo Moabitarum loquamur, et vastationem ejus, atque captivitatem, quæ primo per Assyrios, deinde per Chaldæos, sicut hic prædicitur, facta est, referamus. Videamus ergo, quid mystice per *Moab* accipiendum sit, et mystica prophetæ verba, reserante Deo, mystice discutiamus.

Moab quippe, qui interpretatur *de patre*, Judaicum populum designare solet. Quia sicut filia Lot inebriavit eum, et dormivit cum eo, atque concepit, et peperit filium, quem idcirco vocavit Moab, id est ex patre : sic et Synagoga spiritalem legis intellectum carnali traditione inebrians ac sopiens, genuit exinde carnalem hunc populum velut Moab ex patre nesciente.

Civitas autem metropolis Moabitarum vocabatur *Ar*, quod interpretatur *vigilia* vel *vigilans* sive *consurgens*. Et Judæorum populus quondam habuit *Ar*, id est *vigiliam*, et vigilantem sensum in electis suis, et ad superna consurgentem velut fortissimam civitatem, ubi tutus inhabitabat : quia Christum exspectans in fide vigilavit, et cor ad cœlestium amorem levavit. Sed quia venientem hunc agnoscere ac suscipere noluit, *in nocte* infidelitatis *vastata est Ar*, id est vigilia eorum, et omnes obdormierunt. Dormire enim animæ est oblivisci Deum suum.

Vastata est ergo *Ar*, id est vigilia fidei ; *conticuerunt* omnes a confessione Christi : « Conspiraverunt omnes, ut si quis illum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret (*Joan.* IX, 22). » Et quia fidei vel disciplinæ *murus in nocte* incredulitatis ac negligentiæ vastatus est a malignis spiritibus, *Moab* iste *conticuit*, a veritatis confessione. Sed quoniam populi hujus conversionem haud dubie præstolamur, sicut et per Jeremiam dicitur : « Convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, dicit Dominus (*Jer.* XLVIII, 47), » nunc de pœnitentia ejus subditur :

VERS. 2. — « Ascendit domus et Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, et Medaba Moab ululabit. »

Dibon quippe *intelligens satis* interpretatur, vel *sufficiens ad intellectum* sive *abundanter intelligens* ; Nabo *sessio*, Medaba *aquæ imminentes*. Et quid per *domum* nisi Synagoga figuratur? Et quid per *Dibon* nisi doctores legis designantur, qui sapientes erant in oculis suis? Quid per *Nabo* nisi auctoritas magisterii eorum? Solet enim magister sedens docere Quid per *Medaba* nisi aqua sapientiæ eorum, qua videtur eis esse excelsa? *Ascendit* ergo *domus*, id est Synagoga, et etiam *Dibon*, id est legisperiti *in planctum* pœnitentiæ *ad excelsa* fidei, et recognitæ veritatis, atque virtutum. *Super Nabo* plangent, id est super sessionem et magisterium Pharisæorum. Nam « super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi (*Matth.* XXIII, 2). » *Et super Medaba*, id est super eminentes aquas sapientiæ et doctrinas eorum. Sequitur : « In cunctis capitibus ejus calvitium, omnis barba radetur. »

VERS. 3. — « In triviis ejus accincti sunt sacco, super tecta ejus, et in plateis omnis ululatus descendet in fletum. »

Quid in *capitibus* nisi mentes exprimuntur? Quid in *calvitio* nisi verecunda detectio intentionis mentis. Quæ enim frons est mentis nisi intentio ejus, ubi et verecundia quasi in fronte habere sedem solet? Igitur *in cunctis capitibus ejus calvitium* erit, quia unusquisque conscientiam suam per humilem confessionem deteget, ac de peccatis suis erubescet. Et *omnis barba radetur*, quia omnem propriæ virtutis confidentiam a se rejicient. In barba quippe robur virile notatur. Et barba raditur, quando fiducia propriæ virtutis amputatur, ac propriæ infirmitatis fragilitas incipit aperte cognosci.

Trivia autem eorum in hoc sunt, quod omnes canonicas Scripturas in tres partes dividunt, in legem, in prophetas, in hagiographa. *In triviis* igitur *accincti sunt sacco*, quia pœnitentiam agent se in omnibus divinis Scripturis errasse, dum re-

(108) Cod. G., id est *irreligiosorum*.

Digitized by Google

»puerant Christum. Illi vero, qui ex eis in sanctitate videbantur excrevisse, erant quasi *super tecta* corporum ; reliquus autem populus *in plateis* latæ conversationis. *Ululatus* ergo desuper tectis et de plateis ascendet in fletum, quoniam et eminentiores, et populares ululatum planctus attollent, et in pœnitentiæ fletibus humiliabuntur. Sequitur :

Vers. 4. — « Clamavit Hesebon, et Eleale, usque Jasa audita est vox eorum. »

Hesebon *cognitio mœroris*, vel *cingulum mœroris* dicitur, aut etiam *cogitatio mœroris*. Eleale *ad ascensum*, Jasa *dimidia* vel *factum mandatum*. Clamavit ergo lugens *Hesebon*, id est cognitio mœroris, vel cingulum mœroris, et clamavit *Eleale*, id est *ad ascensum* arduæ viæ, quæ ducit ad vitam. *Usque Jasa*, id est usque ad dimidiam vel usque ad medietatem *audita est vox eorum*, quia solummodo de Veteri Testamento loqui noverant, ubi medietas est eloquiorum Dei, nec aliam medietatem, quæ in Novo est, recipiebant. Vel *usque Jasa*, id est usque ad factum mandatum *audita est vox eorum*. quia gloriantur quasi ex operibus. Sequitur :

« Super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi. » *Expediti* solent dici, qui uxores aut filios non habent et ad bella sunt idonei, quia exercitus vel equitatio dicitur expeditio. Igitur « expediti Moab ululabunt » super hoc, id est de hoc, quod « usque Jasa audita est vox eorum, » quia et hi, qui ad spiritale bellum expediti videbantur, ululatum doloris ex hoc pœnitentes dabunt, quod se quasi de operibus jactabant, et solam legis antiquæ doctrinam prædicabant. « Anima ejus ululabit sibi, » quia unusquisque se ipsum planget. Cujus dolori propheta compatiens subdit :

Vers. 5. — « Cor meum ad Moab clamabit. » Atque post adjungit : « vectes ejus usque ad Segor vitulam consternantem. »

Segor una de quinque civitatibus est, interpretatur *parva*. Et quia lex in quinario librorum numero continetur, atque eorum actio, qui sub lege sunt, parva est, et sæpius in peccatum consternitur, *vectes ejus usque ad Segor*, *vitulam* lascivam, seque *consternantem*. *Vectes* namquo *ejus* doctores Synagogæ sunt, qui nunc *usque ad Segor* captivi feruntur, quia carnalem legis observantiam, quæ similis est lascivienti vitulæ, miseri adhuc prædicant. Sequitur :

« Per ascensum enim Luith (109) flens ascendet, et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. »

Vers. 6. — « Aquæ enim Nemrim desertæ erunt quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit. »

Luith interpretamur *genas* vel *maxillas*. Et sanctos prædicatores genas Ecclesiæ vocat sponsus in Canticis dicens : « Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis (*Cant.* I, 10). » Rursus eosdem prædicatores maxillas Ecclesiæ Jeremias nuncupat sub Judææ spiritu dicens de ea : « Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus (*Thren.* I, 2), » quia in adversitate Ecclesiæ illi amplius plangunt, qui vitam carnalium confringere prædicando noverunt. Per ipsos quippe sancta Ecclesia iniquos a vitiis conterit, et quasi glutiens in sua membra convertit. *Per ascensum* ergo *Luith*, id est maxillarum *flens ascendet*, quia cum pœnitentiam egerit, per prædicatores ducetur ad alta virtutum, et in profectu justitiæ imitabitur quotidianum ascensum eorum.

Oronaim vero *foramen mœroris* dicitur. Et quod est foramen mœroris eorum nisi plaga Dominici lateris ? « Clamorem ergo contritionis levabunt in via Oronaim, » quia venientes ad fidem passionis Christi vehementer plangent. « Aquæ enim Nemrim, » id est doctrinæ apostatarum Pharisæorum, qui suorum maculis peccatorum varii sunt, « desertæ erunt, quia aruit herba, » id est virorem gratiæ spiritalis amisit actio, quam docent ; *defecit germen* bonæ cogitationis et justitiæ, vel fidei *viror omnis* de eis *interiit*. Nemrim quippe *pardorum* vel *apostatarum* interpretatur, sævitiam et varietatem apostatarum Pharisæorum atque Scribarum designans. Sequitur :

Vers. 7. — « Secundum magnitudinem operis et visitatio eorum. »

Quia sicut immaniter peccaverunt occidendo Auctorem vitæ ; sic et magno misericordiæ respectu visitabuntur, cum venerit Elias, qui, sicut Dominus ait : « Restituet omnia (*Matth.* XVII, 11). » Sed Antichristi prædicatores *ducent eos*, quos de illis seducere poterunt, *ad torrentem salicum*, id est ad decursum infructuosorum hujus sæculi amatorum. Sic enim sequitur : « Ad torrentem salicum ducent eos. »

Vers. 8. — « Quoniam circuiit clamor terminum Moab. »

Per *torrentem* quippe decursus generis humani exprimitur, per salices infructuosi homines. *Ad torrentem* igitur *salicum* captivus ducitur, quisquis ad defluxum carnalis conversationis sæcularium illicitur. « Quoniam circuiit clamor terminum Moab, » quia circumquaque audietur pœnitentia de Israel. Sequitur : « Usque ad Gallim ululatus ejus, et usque ad Puteum Elim clamor ejus. »

Vers. 9. — « Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. »

« Usque ad Gallim, » id est usque ad « transmigrantes, ululatus ejus. » Quia per pœnitentiæ luctum pertinget ad societatem eorum, qui de vitiis ad virtutes et de temporalibus ad æterna transmigrant. *Elim* vero, qui dicitur *Aries*, Christum designat. Et Puteus *Elim* profunditas est divinitatis Christi, et mysteriorum ejus. Igitur « usque ad Puteum Elim clamor ejus, » quia per hoc, quod se reum clamabit, dum pœnitentiam egerit, usque ad arcana Divinitatis penetrare merebitur ut inde potam vitæ hau-

(109) Cod. G., *Liuth*.

Digitized by Google

rist. « Quia aquæ Dibon, » id est doctrinæ scribarum et Pharisæorum, qui sibi videntur sapientes, « repletæ sunt sanguine, » id est mortibus animarum. Sequitur : « Ponam enim super Dibon additamenta his, qui fugerint de Moab leonem, » id est Antichristum. Et quibus hæc ponam? « His, qui fugerint de Moab, » id est qui de populo Judæorum Eliæ prædicationem effugerint nolentes converti. « Et reliquiis terræ, » id est aliis omnibus reprobis, qui in mundo fuerint. Antichristi enim persecutionem trium semis annorum futuram fides Ecclesiæ tenet ; sed ne hæc improvisa veniens omnes passim, quos imparatos invenerit, involvat, Henoch et Eliam ante hujus exortum venturos in mundum, qui Israeliticam plebem ad fidei gratiam convertant, et ad pressuram tanti turbinis in parte electorum insuperabilem reddant. Qui, cum in primos tres semis annos prædicaverint, tunc exardescens illa horrida persecutio ipsos in primis martyrii virtute coronet (110), deinde cæteros fideles corripiens vel martyres vel apostatas faciet. Bene ergo Judæis, qui fugerint Eliæ prædicationem *Leo* Antichristus *poni* dicitur, et cæteris gentium infidelibus. Sed interim propheta considerans, quia hic populus Christum venientem suscipere primo noluerit, rogat, ut de eo transeat ad Ecclesiam. Nam subjungit:

CAPUT XVI.

Vers. 1. — « Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. »

Eum quippe dicit « Agnum, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I, 29). » Quem et *terræ dominatorem* asserit juxta illud : « Et dominabitur a mari usque ad mare (*Psal.* LXXI, 8), » etc. « Emitte, inquit, o Domine, Agnum, » id est Christum tuum « de Petra deserti, » id est de duritia gentis hujus Judaicæ, quam ob infidelitatem suam deseruisti, « ad montem filiæ Sion, » id est ad celsitudinem novæ conversationis Ecclesiæ. Sequitur :

Vers. 2. — « Et erit sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. »

Sicut avis fœta *et pulli* ejus a *nido* avolant, et fugiunt, si venientem ad nidum suum viderint raptorem, sic doctores Judæorum, et illi quos fovebant, *de nido* veteri fugient, judicii diem cernentes imminere propinquum, et ad suam devorationem, si in nido vitæ veteris inventi fuerint, inhiare diabolum. « Sic enim erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. » *Arnon* quippe *maledictio eorum* interpretatur : Et maledictio eorum est, qui dixerunt de Christo : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Sed hanc maledictionem *transcendent*, cum ad Christum transierint. Sequitur :

Vers. 3. — « Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie, absconde fugientes, et vagos ne prodas. »

Vers. 4. — « Habitabunt apud te profugi mei : Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris. »

Ut præfatam, inquit, maledictionem transcendas, et hostem, qui te devorare venit, evadas, *ini consilium*, o plebs Judaica, et quid agendum tibi sit, diligenter tracta, et accepto simul consilio, ut prædicatores Christi accipias, *pone quasi noctem umbram tuam*, in qua celes eos ab infidelibus *in meridie*, id est in fervore persecutionis. Tunc enim quicunque inventi fuerint Christiani, trahentur ad supplicia. Sed *absconde fugientes* rabiem persecutionis, *et vagos ne prodas*, qui in uno consistere loco non audebunt, sed per diversa latitantes vastabuntur. Sequitur : « Finitus est enim pulvis, consummatus est miser, defecit, qui conculcabat terram. »

Vers. 5. — « Et præparabitur in misericordia solium, et sedebit super eum in veritate in tabernaculo David judicans et quærens judicium, et velociter reddens, quod justum est. »

Finitus est *pulvis*, id est mortuus est Antichristus, qui se pulverem esse non cognoscebat, sed extollebatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, et omnem *terram* sua tyrannide *conculcabat*. Percusso autem divinitus illo perditionis filio non mox dies judicii secuturus esse credendus est ; alioquin scire possent homines illius ævi tempus judicii, si post tres semis annos inchoatæ persecutionis Antichristi confestim sequeretur. Nunc autem, quia ante consummatum tempus persecutionis illius dies judicii non veniat, scire omnibus licet ; post quantum vero consummatæ ejusdem persecutionis venturus sit, nemini prorsus scire conceditur. Unde nunc bene, postquam de morte Antichristi dictum est : « Defecit, qui conculcabat terram, » adhuc venturus post aliquantulum dies judicii innuitur, cum de futuro subdidit :

« Et præparabitur in misericordia solium. » *Præparabitur* enim Christo *solium* judicii, ut sedeat super sedem majestatis suæ judicans orbem in æquitate. *In misericordia*, sicut et alio loco de timentibus Deum et cogitantibus nomen ejus dicitur : « Erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego facio, in peculium, et parcam eis sicut parcit vir filio suo servienti sibi (*Malach.* III, 17). » Sic electos in misericordia judicabit, et in servis suis miserebitur.

Et sedebit super eum in veritate » judicii, ut reddat unicuique secundum opus ejus. Et hoc fiet « in tabernaculo David, » id est in domo regali, quæ est Ecclesia, et velociter post mortem Antichristi. Vel hic dum vivimus præparatur *in misericordia solium* ejus, quia per misericordiam ipsius præparatur in cordibus nostris sessio et mansio ipsius, non enim nostris meritis præparari potest. Nunc quidem paratur misericordia, sed futuro sæculo sedebit super eum in veritate, quia « universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). » In misericor-

(110) Alios *coronabit*.

Digitized by Google

dia paratur, sed in veritate sedetur, sicut scriptum est : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* I). » Deinde vates ad descriptionem Judaicæ perversitatis revertitur dicens :

VERS. 6. — « Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus. » Et addit :

VERS. 7. — « Idcirco ululabit Moab ad Moab, ululabit universus. »

Audivimus, inquit, in spiritu nos prophetæ *superbiam Moab*, id est Judæorum apostatarum istorum. Superbus est valde, » quia de operibus legis singulariter glorians omne genus humanum despicit, et se solum Dei populum esse jactat. *Superbia ejus* est, quod « ignorantes justitiam Dei, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* x, III). » *Arrogantia* quoque *ejus*, quod de justis operibus arroganter se jactat. *Indignatio ejus* est quod peccatores dedignatur, et Christianis irascitur, et hæc *plus quam fortitudo ejus*, quia plus quam ipse justitiam operari valeat, superbit, et arrogat de justitiæ operibus; et plus indignatur aliis, quia justi non sint, quam ipse fieri justus possit, atque fidelibus plus optat malefacere, quam potest. *Idcirco ululabit* alter ad alterum, cum venerit tempus conversionis eorum. Sequitur :

« His, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas. »

VERS. 8. — Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vinea (111) Sabama, Domini gentium exciderunt flagella ejus, usque Jazar pervenerunt, erraverunt in deserto : propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare. »

Vos, inquit, o apostoli, *loquimini plagas suas his, qui lætantur super muros cocti lateris*, id est qui confidunt in carnali observantia legis. Per laterem quippe significatur opus carnale et terrenum; quia et hic populus in Ægypto Pharaoni lateres faciebant. Sed later coquitur, cum opus carnale fit ex timore. Murus autem præsidium est justæ operationis, in quo tutus quis ab invisibilibus adversariis manet. Lætatur itaque *super muros cocti lateris*, quisquis ex hoc gaudet, quod justificatus est, ut arbitratur, ex operibus legis, et munitus contra Satanam. Propheticus autem Spiritus, qui jussit prædicatoribus, ut his, qui lætantur super muro hujuscemodi loquerentur plagas suas, ipse jam eos loqui et annuntiare per se ipsum inchoat.

« Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, et vinea Sabama. » *Hesebon* namque dicitur *cingulum mœroris* sive *cogitatio mœroris*, et designat tristitiam pœnitentiæ. *Deserta sunt* igitur Judæis *suburbana Hesebon*, quia quidquid in eis extra pœnitentiam licet in proximo vel contiguo fuerit, Christus deservit. Nihil enim Deus ab eis nisi primo pœnitentiam suscipit. *A* quo « deserta est et vinea Sabama, » id est plebs ipsa Judæorum, quæ solebat excelsum laudibus extollere. « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est (*supra* v, 7), » et *Sabama* dicitur *extollens excelsum. Domini gentium*, id est Vespasianus et Titus *exciderunt flagella ejus*, id est occiderunt, et captivos duxerunt filios ejus.

Jazer interpretatur *auxilium* vel *fortitudo*. Et « usque ad Jazer, » id est usque ad auxilium et fortitudinem eorum, scilicet usque ad Jerusalem et templum, ubi confidentia virtutis, et auxilii eorum erat, « pervenerunt domini gentium, » ut fortitudinem eorum destruerent. Sed « erraverunt in deserto » paganitatis et ipsi domini gentium, quia Christum, qui dedit eis victoriam, non cognoverunt. « Propagines ejus relictæ sunt, » id est plantarium aliquod Judaicæ plebis post destructionem Jerusalem remansit, quod cresceret. Quæ propagines « transierunt mare, » quia transcenderunt malitiam sæculi vel gentilitatis. *Mare* enim sæculum vel gentilitatem designare solet. *Transierunt* ergo *mare* propagines istæ, quia reliquiæ hujus populi sceleratiores sunt quam gentiles, aliive sæculares. Sequitur :

VERS. 9. — « Super hoc plorabo in fletu Jazer, vineam Sabama : inebriabo te lacryma mea Hesebon et Eleale, quoniam super vindemiam tuam et super messem vox calcantium irruit. »

Condolens propheta miseriis et perditioni gentis suæ, *super hoc*, inquit, id est ex hoc quod supra dictum est, *plorabo vineam Sabama*, id est plebem Israeliticam, *in fletu Jazer*, id est auxilii et fortitudinis eorum, quia sic auxilio destituti sunt et fortitudine. « Inebriabo te lacryma mea, » id est continua te lacrymarum inundatione plangam, o *Hesebon et Eleale*, id est *cogitatio mœroris ad ascensum*, scilicet quod hic mœrore quis afficitur, ut ad superna gaudia conscendere debeat. « Quoniam super vindemiam tuam, et super messem tuam, » id est super obitum tuum, *vox calcantium*, id est clamor dæmonum, *irruit*. Vindemia quippe vel messis finis est uniuscujusque eorum, qui de sæculo migrant. Vox calcatorum hujus vindemiæ calumnia nunc malignorum spirituum est, qui animam rapere nituntur. Quia ergo Judæi cujuslibet morientis animam dæmones rapere veniunt, « super vindemiam et messem eorum vox calcantium irruit. » Unde et sequitur :

VERS. 10. — « Et auferetur lætitia et exsultatio de Carmelo, et in vineis non exsultabit, neque jubilabit, vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat, vocem calcantium abstuli. »

VERS. 11. — « Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, et viscera mea ad murum cocti lateris. »

Nam in obitu singulorum « auferetur lætitia de Carmelo, » id est de cognitione circumcisionis, quia Judæus quisque moriens non ad gaudium, sed

(111) Edit. rec. *vineam*.

Digitized by Google

ad pœnam ducitur. « Et in vineis non exsultabit, neque jubilabit, » quia in suis actionibus, cum mortuus fuerit, non gaudebit, nec in vocem erumpet Letitiæ.

« Vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat, » quia Judæorum animas de corpore exeuntes a Domini passione jam Christus aut bonus angelus non suscipit, ut ante consueverat. Torcular quippe pressura mortis vocatur, dicente Domino: « Torcular calcavi solus (*Isa.* LXIII, 3). » Anima quoque vini liquore significari potest, quia Job dixit: « Quomodo si recedant aquæ de mari, et fluvius vacuefactus arescat: sic homo, cum dormierit (*Job* XIV, 11). » Animam quippe comparat aquis maris et fluvio. Torcular itaque contritio et angustia mortis est; *vinum* autem anima. Sicut enim cum uvæ exprimuntur in torculari, vinum exit, et acinum remanet; sic per mortis angustiam elicitur anima de corpore. *Vinum* ergo calcat *in torculari*, qui animam in morte urget egredi de corpore, et egredientem suscipit.

Vocem calcantium abstulit, quia sancti angeli, qui justorum animas suscipiunt, pro defensione animarum Judæorum contra malignos Spiritus non loquentur, sed eis sine contradictione relinquent animas. Ubi mox propheta pius adjungit: *Super hoc*, id est ex hoc, quia si relictus est dæmonibus, « venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, » id est mens mea multiplices doloris modos in planctu Judaici populi formabit, et cogitanti de eo nil nisi flere libebit. « Et viscera mea sonabunt ad murum cocti lateris, » quia totis visceribus cordis et compassione charitatis dolebo super his, qui operibus legis sine gratia Christi putant se tutos a morte animæ, *et inimicis* invisibilibus. Sequitur:

VERS. 12. — « Et erit, cum apparuerit, quod laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua, ut obsecret, et non valebit. » Atque subjungitur:

VERS. 13. — « Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab extunc. »

VERS. 14. — « Et tunc locutus est Dominus dicens: In tribus annis quasi anni mercenarii auferetur gloria Moab super omni populo multo, et relinquetur in eo sicut racemus parvus et modicus, nequaquam multus. »

In fine sæculorum « cum apparuerit, quod laboravit « iste » Moab super excelsis suis, id est quod meruit pro labore carnalium operum legis, quæ putabat justa, et præexcelsa, « ingredietur ad sancta sua, ut obsecret, » id est revertetur ad cor suum, et cogitabit intentionem, qua fecit hæc carnalia legis opera, ut inde misericordiam a Judice postuleet, cujus legem se servare putavit: « Et non valebit » obsecrare, quia recognoscens se hæc opera non fide fecisse Christi, non audebit ab eo veniam petere, cujus fidem et gratiam in operibus suis habere noluit. Hucusque multipliciter exposuit plagas eorum qui « lætantur super muro cocti lateris. »

Deinde, « hoc est, » inquit, « verbum, quod locutus est Dominus ad Moab, » id est ad Judaicum populum, *extunc*, id est ex quo legem dedit eis, qui per Moysen prædixit eis omnes plagas has, et nunc quoque per me vel cæteros prophetas locutus est dicens: « In tribus annis, » etc. Tres anni tria tempora sunt: a Moyse usque ad David, a David usque ad captivitatem Babyloniæ, a captivitate usque ad Christum, in quibus Judæorum populus non ut filius, sed ut mercenarius Deo servivit, quia propter carnalem legis observantiam non æternam hæreditatem exspectavit, sed temporales mercedes quæsivit. Dum ergo propter suas impietates per hæc tria tempora frequenter ab hostibus captivaretur, ac perimeretur, ita ut pauci sæpe remanerent de pluribus, *in tribus annis* ablata est *gloria* ejus *super omni populo multo quasi gloria anni mercenarii*, et decursis his tribus annis post eversionem Jerusalem, relictus est in eo sicut post vindemiam racemus *parvus* et non multus, parvus quantitate, et non multus numero. Et hæc sunt plagæ eorum, « qui lætantur super muros cocti lateris. » Sed jam terminata hujus visionis explanatione addendum existimo, quod hoc onus in tertio loco post duo superiora positum est propter hos tres annos, vel propter hoc, quod supra dictum est: « In triviis ejus accincti sunt sacco (*supra* XV, 3), » vel propter aliud quodlibet latens sacramentum. Sequitur:

CAPUT XVII.

VERS. 1. — « Onus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. »

Damascus *sanguinis poculum* vel *sanguinem bibens* interpretatur, sive *sanguinem propinans*. Quid ergo per Damascum nisi persecutorum crudelitas exprimitur? Et bene persecutorum onus in quarto gradu positum est, quia quatuor genera persecutorum tolerat Ecclesia. Patitur enim persecutiones a Judæis, et a gentilibus et ab hæreticis, et a falsis fidelibus. Sed et in quatuor orbis partibus affligitur electorum populus ab his, qui divinæ religioni adversantur. Nam et Daniel omnes fidelium persecutores sub specie quatuor bestiarum comprehendit, dicens: « Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se, prima quasi leæna, secunda similis urso, tertia quasi pardus, quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis (*Dan.* VII, 3 *et seq.*). » Et Angelus in Apocalypsi: « Clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei in frontibus eorum (*Apoc.* VII, 2). » Bene in quarto loco est onus persecutorum, quia quatuor angeli, quorum officium est nocere, cohibentur a læsione, et apud Danielem quatuor bestiarum potestas aufertur. Unde et hic dicitur: « Ecce Damascus desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina. » Damascus enim *desinet esse civitas*, quia scelerati et homicidæ atque servorum Dei persecutores poten-

Digitized by Google

tiam et dignitatem ac regnum velociter amittentes ad nihilum redigentur. *Et* eversæ, *erit sicut acervus lapidum in ruina* civitatis cum corpora eorum per mortis sententiam redacta in terram fuerint.

Potest et gentium vocatio per Damascum intelligi, quæ prius crudelitate et sanguine pascebantur, sed postquam in Christum crediderint, pristinæ conversationis civitas esse desistent. « Et erit sicut acervus lapidum in ruina. » Quomodo enim acervi lapidum, qui in agris dispersi sunt, in unum tumulum comportantur; sic de universis nationibus acervus credentium congregandus est in ruina Judæorum, illis cadentibus, et nobis resurgentibus. Sequitur :

VERS. 2.— « Derelictæ civitates Aroer gregibus erunt, et requiescent ibi, et non erit, qui exterreat. »

Aroer dicimus *myricas*. Myricæ autem parvæ sunt arbores infructuosæ, et semper nimis virides et amarissimæ in desertis nascentes. Et quid per myricas nisi homines amari et infructuosi, et huic mundo per desiderium inhærentes figurantur? Greges vero nuncupat ovium Dei cœtus, de quibus per Zachariam dicitur, quia « visitavit Dominus gregem suum domum Juda (*Zach.* x, 3). » Et Ezechiel : « Multiplicabo, inquit, eos ut gregem hominum, ut gregem sanctum, ut gregem Jerusalem (*Ezech.* xxxvi, 37). » His ergo « gregibus derelictæ erunt civitates Aroer, » id est myricarum, quia ubi infructuosi et amari infideles habitaverunt, ibi populus fidelium manebit. « Et non erit, qui exterreat, » quia deficient persecutores sive per mortem subtracti, sive ad Deum conversi. Sequitur :

VERS. 3.— « Et cessabit adjutorium ab Ephraim, et regnum a Damasco : et reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israel erunt, dicit Dominus exercituum. »

« Cessabit adjutorium ab Ephraim, » id est a multitudine gentilium populorum. *Ephraim* quippe dicitur *ubertas*. « Et regnum a Damasco cessabit, » quia sanctorum persecutores omnem, quam habebant in mundo, potentiam amittent. Vel peccatum ultra non regnabit in eis, sed justitiæ servient, et cultores religionis obtinebunt regnum et gloriam in toto orbe. « Et reliquiæ Syriæ, » id est gentilitatis, quæ conversæ fuerint ad Deum, erunt « sicut gloria filiorum Israel, » quia pares erunt credentibus ex circumcisione.

Vel per Ephraim perfidus Judæorum populus designari potest, et per Damascum principatus, et caput gentilium. Damascus enim metropolis est Syriæ. « Cessabit igitur adjutorium ab Ephraim, » quia nemo Judæis auxiliabitur adversus Titum. « Et regnum a Damasco, » id est a paganis imperatoribus, quia omnes sæculi principes erunt Christiani, et hostes religionis exterminabuntur. « Et reliquiæ Syriæ, » id est, qui de gentibus in incredulitate perduraverunt, erunt « sicut gloria filiorum Israel, » id est, sicut ignominia Judæorum, quia ad summam pervenient ignominiam et abjectionem, qui non crediderint, tam gentiles quam Judæi. Gloriam enim ironice pro ignominia, et dedecore posuit. Sequitur.

VERS. 4.— « Et erit in die illa : attenuabitur gloria Jacob, et pingues carnes ejus emarcescent. »

VERS. 5.— « Et erit congregans sicut in messe, quod restiterit, et brachium ejus spicas leget, et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim. »

VERS. 6.— « Et relinquetur in eo sicut racemus, et sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus, dicit Dominus Deus Israel. »

In die illa, qua prædicabitur Evangelium, *attenuabitur* et exilis fiet *gloria Jacob*, id est Judaici populi, qui Christum per mortem supplantare voluit, quia ingloriosi erunt in universo orbe Judæi, *et pingues carnes* eorum tabescent non habentium prophetas, non signa atque virtutes, non templi dignitatem, sed omne corpus gentis eorum emarcescet, et redigetur ad nihilum.

Et quomodo paucæ spinæ et olivæ remanere solent in agro vel in arbore, sic relinquentur pauci in Israel. Et cum de gentium vocatione dicatur : « Messis quidem multa, operarii autem pauci (*Matth.* ix, 37), » illi pauperes messis reliquias, quæ per apostolos salvatæ sunt, et rarissimas spicas legent non in montibus, sed *in valle Raphaim*, id est *in valle gigantum*, qui sunt scribæ et Pharisæi, id est in vilitate litteræ. Raphaim enim *gigantes* sonat.

Plebs Judæorum audivit : « Olivam fructiferam vocavit te Dominus (*Jer.* xi, 16), » sed tamen Christus vix paucas, id est duas in ea reperit esuriens. Nam duæ et tres olivæ et *quatuor* et *quinque* duodecim apostoli possunt intelligi, id est duodecim, quos refert Evangelium atque Paulus et Barnabas. Vel duæ et tres olivæ Petrus et Joannes et Jacobus accipe, qui Dominum in monte transfiguratum viderunt, et ad filiam archisynagogi suscitandam cum eo intraverunt. *Quatuor* autem et *quinque* reliquos novem apostolos faciunt, qui utique pro diversitate gratiarum, quæ nobis ignota est, in quatuor et quinque olivas separati sunt, ut Evangeliorum numerum et legis in se volumina demonstrarent quasi prædicatores utriusque Testamenti.

Vel ita secundum historiam. « Et erit » iste Jacob « sicut congregans in messe, quod restiterit; » quia dum per Vespasianum perimetur, quæret et congregabit ad repugnandum adhuc eos, qui supererunt. « Et brachium ejus spicas leget, » quoniam ea virtute, qua poterit, singulos Judæorum colliget. « Et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim, » id est *gigantum*, quia capta per Titum Jerusalem quæret aliquas Judæorum reliquias in humiliatione superborum principum suorum, qui se quasi gigantes æstimabunt fortes. Sicut enim rarissimæ remanent spicæ post terga metentium, ita paucissimæ Judæorum reliquiæ post eversionem Jerusalem remanebunt.

« Et relinquetur in eo fructus ejus, » id est poste-

Digitized by Google

ritas ejus, « sicut racemus » unus post vindemiatores, vel « sicut excussio oleæ duarum aut trium olivarum in summitate rami ejus, seu quatuor aut quinque olivarum in *cacumine* ejus » remanentium. Quando enim olivæ excutiuntur ex olea, remanere solent in cacumine ejus, vel in summitate rami alicujus duæ vel tres, aut quatuor olivæ. Sic et Judæorum reliquiæ fuerunt paucæ post excidium Jerusalem. Post exterminium autem Judæorum subjungitur conversio gentium, cum dicitur :

Vers. 7.— « In die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient. »

Vers. 8.— « Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus. »

Hoc enim manifestum est. Sequitur : « Non respiciet lucos et delubra. » *Lucus* nemorosa dicuntur et opaca loca, in quibus propter amœnitatem ponebant idola sua, et omnem voluptatem ante eorum aras explebant. *Delubra* vero templa erant a *deluendo* vocata, vel quia ibi se putarent delui (112), id est mundari a peccatis suis per multitudinem sacrificiorum, vel quia non longe erant rivi, in quibus se deluebant et hostias lavabant. Rursus vero de Judaica plebe subditur :

Vers. 9.— « In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ, sicut aratra et segetes, quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israel. »

Nam, sicut olim ante filios Israel temporibus Josue Chananæi deseruerunt regiones suas, sic nunc Judæi civitates suas a facie Romanorum. Ubi et adjicitur : « Et erit deserta. »

Vers. 10. — « Quia oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata. »

Nam quia gens hæc Deum, qui se semper adjuvare potenti manu solebat, oblivioni tradidit, *deserta* est ab eo in manus Romanorum ; desertæ sunt et spiritales ejus virtutes in manus hostium internorum et invisibilium. Nam sequitur :

« Propterea plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis. » Plantatio quippe fidelis est, quando vineam quis plantat, et ejus ipse fructum colligit. Plantatio autem infidelis est, *et germen alienum*, quando, quod quis plantat aut seminat, non colligit, sed hostes diripiunt illud. Quod igitur ait : « Propterea plantabis plantationem fidelem, ironice dictum intelligatur. Quodque subjungit : « Et germen alienum seminabis, » affirmando legendum est. Quidquid enim virtutis plantat in agro cordis sui, et quidquid boni operis seminat iste populus, nullum ex eo fructum percipiet, sed maligni spiritus devorabunt illud.

Vel *plantationem fidelem plantabis*, unum Deum prædicans, *et germen alienum seminabis* non recipiens Filium, qui consubstantialis est Patri, sed blasphemiam contra eum seminans. Ideo non uva sed *labrusca* infidelitatis erit in plantatione tua. Et quamvis semen tuum inprimis sub specie religionis floruerit, non tamen fructum ex eo percipies in die hæreditatis. Sequitur :

Vers. 11. — « In die plantationis tuæ labrusca, et mane semen tuum florebit : ablata est messis in die hæreditatis, et dolebis graviter (113). »

Ille plantat, qui in se ipso vel in alio virtutes ædificat. Sed Judæa labruscam *in die plantationis* suæ perficit, quia dum plantare se virtutes æstimat, agrestia gentilitatis opera facit aut docet. Quid enim tam paganum, quam mactare hircum et immolare bovem ? Talia enim sunt idolorum sacrificia. Dum igitur actiones hujusmodi Judæa pro virtutum operibus docet aut facit, *in die plantationis* labruscam habet.

Semen quoque nostrum opus bonum quod nunc agimus, ut in futuro metamus fructum retributionis ejus. Sed *semen* Judæorum vel hypocritarum *mane* floret, quia de bonis, quæ faciunt, humanos favores, et transitorias retributiones quærunt, de quibus Judex dicit : « Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2). » Unde et hic additur : « Ablata est messis in die hæreditatis, » id est fructum non invenies in die retributionis, quia in flore nunc exinanescit nebula humanæ laudis et infimæ appetitionis.

« Et dolebis graviter, » quia alibi dicitur : « Cum intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium dicentes : Domine, Domine, aperi nobis, et respondens dicet vobis : Nescio vos, unde sitis, recedite a me operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium (*Luc.* XIII, 25). » Sic quinque fatuarum virginum *semen mane* floruit, *et in die hæreditatis ablata* messe doluerunt *graviter*, quæ, quia « oleum in vasis suis (*Matth.* XXV) » non servaverunt, veniente sponso, exstinctis lampadibus, foras remanserunt. Post Judæorum vero reprobationem et calamitatem subjungi reor de adventu Antichristi, quem exspectant exercitus ejus.

Ves. 12. — « Væ multitudini populorum multorum ut multitudo maris sonantis, et tumultus turbarum sicut sonitus aquarum multarum ! »

Vers. 13. — « Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium. »

Nam legimus in Daniele quia quasi tempestas « veniet rex aquilonis (*Dan.* XI, 15), » qui est Antichristus, « contra regem Austri (*ibid.*), » id est Ægypti, in curribus et in equitibus et in classe magna, et ingredietur terras, conteret, et pertransiet, de cujus exterminio subditur : « Et increpabit eum, et fugiet procul, et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. »

Vers. 14. — « In tempore vesperi et ecce turbatio : in matutino et non subsistet. »

Nam juxta Danielem « fiet tabernaculum suum super montem inclytum, et sanctum (ipse est mons

(112) Cod. G., *dilui*.

(113) Quæ hinc sequuntur ex cod. Crucensi, desiderantur omnia in cod. Garstensi usque ad capitis sequentis vers. 7.

Digitized by Google

Oliveti) et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei (*Dan.* XI, 45), » quem sicut Apostolus ait : « Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess.* II, 8). » Increpabit eum Judex veniens, sicut et sanctus Job significat dicens : « Quis arguet coram eo viam ejus, et quæ fecit, quis reddet illi? (*Job.* XXI, 31. » — « Et fugiet procul, » a facie Judicis atque « rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo eoram tempestate, » quando, sicut scriptum est, « expellet de luce in tenebras, et de orbe transferet eum (*Job.* XVIII, 18). » Nam « ignis in conspectu ejus, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 4). »

Hujus ergo turbine tempestatis rapietur iste filius perditionis, et in gehennam præcipitabitur. *In tempore vesperi*, id est finis sæculi tyrannidem adhuc exercere volet, et *ecce* super eum *turbatio* repentina veniet ; *in matutino*, id est in tempore resurrectionis omnium visitabitur, et *non subsistet*.

Vel de paganis, qui persecuti sunt Ecclesiam, potuit dici : « Væ multitudini, etc. » — « Sonabunt populi » in spectaculis theatralis luxuriæ, et amphitheatri crudelitate, et circi furoribus. « Sicut sonitus aquarum inundantium, » quando consona impietatis voce blasphemabunt, et ducent christianos ad leonem et cætera hujusmodi. Sed illis instar maris furentibus, increpabit Dominus auctorem seditionis eorum, et fugabit illum ab eis, et sicut pulvis motus in montibus quanto excelsior est, tanto fortius rapietur, et sicut turbo, qui de terra consurgit subita tempestate fertur in sublime, ita et ille raptus a credentium populo separabitur, *et fugiet*, ne in abysso religetur. Cumque dies consummationis advenerit, quod est vespera, tunc erit tribulatio sua peccata noscentis, et *in tempore matutino*, id est die resurrectionis *non subsistet*.

« Hæc pars eorum, qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. » Hanc sibi partem ac sortem vastatores Ecclesiæ acquirunt, ut tam horribili plectantur exterminio, præcipue tamen sequaces Antichristi, de quo rursum subditur :

CAPUT XVIII.

VERS. 1. — « Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ ! »

VERS. 2. — « Qui mittit in mare legatos, et in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, gentem exspectantem et conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus. »

Nam, sicut incarnata Veritas in prædicatione sua pauperes idiotas et simplices elegit, sic econtra ille condemnatus homo, quem in fine mundi apostata angelus assumet, ad prædicandam falsitatem astutos ac duplices atque hujus mundi sapientiam habentes electurus est. Unde nunc recte dicitur : « Væ terræ cymbalo alarum ! » etc. Terra quippe, cui Væ dicitur, ille principaliter damnatus homo est, qui *alarum* cymbalum vocatur quia hi, qui per superbiam in altitudine cogitationis evolant, eumdem perversum hominem prædicando sonant. Quæ scilicet terra recte « trans flumina Æthiopiæ » esse perhibetur. Æthiopia enim nigrum populum mittit. Et omnem hominem mundus iste, quia peccatorem profert, quasi Æthiopia nigrum populum parit. Sed terra, cui *væ* dicitur, *trans flumina Æthiopiæ* esse perhibetur, quia damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, ut omnium peccantium peccata transcendat. « Qui mittit in mare legatos, » quia prædicatores suos in sæculo spargit. De quibus recte subditur, qualiter mittantur, cum dicitur :

« In vasis papyri super aquas. » Ex papyro quippe charta est. Quid ergo per papyrum nisi sæcularis scientia designatur? Vasa ergo *papyri* sunt corda doctorum sæcularium· *In vasis* itaque *papyri super aquas legatos* mittere, est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere et defluentes ad culpam populos vocare. *Mittit* igitur *in mare legatos*, dicens : *Ite, angeli veloces*, id est nuntii mei, *ad gentem* Judæorum *convulsam* a solo proprio, *et dilaceratam* ab hostibus, *ad populum* olim *terribilem*, qui Dei utebatur imperio, *post quem non* fuit *alius*, id est ad cujus potentiam nullus alius comparandus erat, *gentem exspectantem* Salvatoris adventum, rursumque exspectantem Antichristum Salvatore negato, *et conculcatam* interim ab hostibus.

Flumina, quæ *diripuerunt terram ejus*, Titum et Vespasianum cum exercitibus suis possumus accipere, quia superius ait : « Aquas fluminis fortes et multas regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus (*supra* VIII, 7). »

Post hujus autem adversarii persecutionem dies judicii ventura est, sicut ait Dominus : « Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo (*Matth.* XXIV, 29). » Unde et hic sequitur :

VERS. 3. — « Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus. »

VER. 4. — « Videbitis, et clangorem tubæ audietis. »

Omnes enim *habitatores orbis* videbunt *signum* crucis, *et clangorem tubæ* audient, quia « virtutes cœlorum commovebuntur, et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent se omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis et a summo cœlorum usque ad terminos eorum (*ibid.*). » Elevabit ergo *signum in montibus*, id est in excelsis, quia apparebit inter agmina virtutum cœlestium in nubibus. Et clangor tubæ audietur « Canet enim tuba, et mortui resurgent (*I Cor.* XV, 52). » Sed quia Judex singulorum opera intuetur subjungit propheta :

« Quia hæc dicit Dominus ad me : Quiescam, et

Digitized by Google

considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis. » Quis vero est locus Dei nisi cor angelorum vel hominum electorum? « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17), » ait Apostolus. Qui cum incorrigibiles ad pœnitentiam provocat, laborare dici potest. Hinc namque ait : « Laboravi sustinens (*supra.* I, 14). » Sed cum peccantes in malitia sua derelinquens in solis electis residet, non jam suadens iniquis pœnitentiam, sed ad futurum eos judicium reservans, quasi post laborem invenit quietem. Proinde nunc dicit : « Quiescam in loco meo, » id est tantum in corde sanctorum, ubi requies mihi est, *habitabo, nec in* correptione perversorum ultra laborabo quia incassum fatigor in eis. Et ita quiescam, « sicut nubes roris est in die messis. » Quia, sicut messoribus fatigatis gratissima est nubes roris, sic mihi dulce erit refrigerium, quod in mentibus electorum invenio fatigatus ab iniquorum malitia, quorum mens terrenis exuritur desideriis. Nec immerito Dominus messori comparatur, quia velut ab agro segetes, quotidie ab hoc sæculo per mortis sententiam abscidit homines. « Et considerabo, » inquit, actiones uniuscujusque ita manifeste, « sicut meridiana lux clara est. » Nunc enim omnia quæ facimus Judex, qui latet, sine intermissione considerat, ut pro his quod justum fuerit quandoque retribuat. Sequitur :

VERS. 5. — « Ante messem enim totus effloruit, et immatura perfectio germinavit (114), et præcidentur ramusculi ejus falcibus, et quæ derelicta fuerint abscindentur et excutientur. »

VERS. 6. — « Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ, et erunt æstate perpetua super eum volucres, et omnes bestiæ terræ super illum hiemabunt. »

Sicut seges vel arbor, quæ citius quam debuerat florescit, opportunum fructum non facit; sic qui non propter exspectationem supernæ retributionis, sed propter mundanarum rerum cupiditatem operatur quæ facit, fructum boni operis facere nequit, quoniam ante tempus florens exinanescit. Flos enim futuri operis præcedens cogitatio est. Sed qui in opere, quod agendum esse proponit, non æternam retributionem appetit sed temporalem, *ante messem* floret, quia flos cogitationis ejus ad messem futuræ vitæ non germinat. Messis enim consummatio sæculi est. *Et immatura perfectio* illius germinat, qui ante diem novissimum sufficere sibi quæ fecit æstimat, quasi jam perfectus.

Appropinquante igitur orbis termino dicitur, quia totus « ante messem effloruit, et immatura perfectio germinavit, » quia tunc præcipue genus humanum præsentia diliget, et exspectare futura negliget. Ramusculus ejus, id est orbis vel humani generis, quasi alicujus arboris, singuli homines; falces vero sententiæ superni Judicis. *Et ramusculi* arboris hujus præciduntur *falcibus*, cum singulos homines ab hac vita sententiæ Judicis abscidunt. *Et quæ derelicta fuerint, abscidentur*, cum totus orbis pariter finietur. *Et* abscissa *excutientur*, quia in judicio discutientur et examinabuntur.

Et postquam isti, qui ante messem efflorverant, in judicio damnati fuerint, « relinquentur avibus montium, » id est malignis spiritibus in corde superborum habitantibus, « et bestiis terræ, id est sævis dæmonibus, qui peccatores vel terram conculcant. Aves enim dæmones esse Dominus insinuat dicens de seminibus : « Aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud (*Luc.* VIII, 5). » Et inferius exponens ait : « Quod autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum (*ibid.* 12). »

Bestiæ quoque sunt ipsi dæmones, qui ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violentia crudelitatis efferantur, contra quos dicitur : « Ne tradas bestiis animas confidentes tibi (*Psal.* LXXIII, 19). » Montes sunt superbi quique, quia « montes sicut cera fluent a facie Domini (*Psal.* XCVI, 5); » terra vero peccator est, qui audire meruit : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Aves itaque *montium et* bestiæ *terræ*, quibus excussi isti relinquuntur, maligni spiritus sunt; æstas vero *perpetua* regnum Dei post judicium est. Comparavit enim illud æstati dicens : « Videte ficulneas et omnes arbores, cum producunt jam ex se fructum, scitis, quoniam prope est æstas; ita et vos, cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum cœlorum (*Marc.* XXI, 29). »

Hiems autem damnatio reproborum quia « ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* VIII, 12). » Nam propter nimium frigus solent stridere dentes. Et Job dicit : « Ad calorem nimium transeat ab aquis nivium (*Job.* XXIV, 19). » Aquæ enim nivium frigidissimæ sunt. « Erunt igitur æstate perpetua super eum volucres, » quia quando justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum, tunc maligni spiritus fasciculos zizaniorum comburent.

« Et omnes bestiæ terræ super eum hiemabunt. » Quoniam omnes sævissimi dæmones, qui nullum omnino charitatis sentiunt calorem in frigore damnationis perpetuæ, super eos constricti torpebunt, atque contracti super eos in pœnis jacebunt, ac pariter punientur. Post hæc de conversione Israel, quæ sub Elia fiet, sequitur :

VERS. 7. — « In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso, et dilacerato, a populo terribili, post quem non est [*Vulg.*, fuit] alius, a gente exspectante et conculcata, cujus diripuerunt flumina terram ejus ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion. »

Id est ad Ecclesiam. Tunc enim gratum fidei munus operumque bonorum Hebraicus populus

(114) Vulg., *germinabit.*

Digitized by Google

Christo deferet ad Ecclesiam, ubi confessio nominis ejus habitat.

Vel ita : *ramusculi*, qui inutiles sunt, *præcidentur falcibus* dicente Domino : « Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum (*Joan.* xv, 1). » Et quæ præcisa sunt, *relinquentur avibus et bestiis terræ*, id est dæmonibus, ita ut, qui a Deo præcisus fuerit et delectus, et de corpore illius, quod est Ecclesia, separatus, tam in æstate quam in hieme, id est et in prosperis, et in adversis, volucrum et bestiarum fiat mansio. Ac sicut hi, qui infructuosi sunt in Ecclesia, amputantur et projiciuntur, ne fermentum modicum totam massam corrumpat; ita econtra potest fieri, ut, qui hæretico errore sunt decepti et avulsi a Deo, atque lacerati, et horribiles ob blasphemiam, frustraque mendacia præstolantes, et conculcati a dæmonibus et a fluviis in partes varias dissipati, veniant ad Ecclesiam.

CAPUT XIX.

Vers. 1. — « Onus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra a facie ejus, et cor Ægypti tabescet in medio ejus. »

Onus istud et in quinto gradu est, et in eodem ita dicitur, quia « quinque civitates erunt in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan (*infra*, v. 18), » ut advertamus, quia de illis nunc agitur, qui quinque sensibus corporis sunt dediti. Ægyptus enim, qui interpretatur *tribulatio* vel *tenebræ*, mundum significat tribulationibus et angustiis plenum, sive gentilitatem tenebris errorum coopertam. Hæc enim, quæ de Ægypto dicuntur, ad Salvatoris adventum et mundi reconciliationem, gentium conversionem referenda sunt.

« Ecce enim Dominus ascendet super nubem levem. » *Nubem levem* aut proprie corpus Domini accipe e debemus, quia leve fuit, id est nullo peccato prægravatum, aut certe matrem ejus Virginem nullo humano semine prægravatam. *Super nubem ergo levem Dominus* ascendit, et in Ægyptum venit quando, carnem humanitatis nostræ assumens, sine peccati gravedine in mundo apparuit.

Vel *nubem levem* apostolos ab omni terrena possessione exoneratos accipere possumus, de quibus dicitur : « Qui sunt isti, qui ut nubes volant ? » (*Isa.* lx, 8.) Super quos Dominus sedens ingressus est *Ægyptum*, quia per eos venit ad gentes. *Et* commota sunt *simulacra Ægypti a facie ejus*, quia veritate cognita fugati sunt errores, et idola destructa sunt, ubi Deus innotuit gentibus. Et *cor Ægypti*, id est tenebrosa mens eorum qui in infidelitate perduraverunt, nimio dolore contabuit, cum viderent idolorum evacuari culturam. Sequitur :

Vers. 2. — « Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. »

Hoc prædicatio Domini Jesu fecit in toto orbe, dum alii fidem susciperent, et alii eam penitus impugnare conarentur. Unde, et per se ipsum hoc idem prænuntiaverat dicens : « Nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram. Non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus (*Matth.* x, 34). » Sequitur :

Vers. 3. — « Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, et consilium ejus præcipitabo. »

Diruptus est *spiritus Ægypti*, qui prius erat integer in malitia, id est gentilium voluntas divisa est aliis credere volentibus, aliis recusantibus. *Et consilium* impiorum quo fidem impugnare sagaciter voluerunt persecutiones excitando præcipitatum est quia fides perseverat, et illi sunt exterminati. Sequitur :

« Et interrogabunt simulacra sua, et divinos suos et pythones, et ariolos. » Sollicite sciscitati sunt infideles et a diis, et a sapientibus suis, quare talia in mundo nunc essent exorta, ut genus humanum consuetudinem antiquam deserens novæ religionis cultum susciperet. Sequitur :

Vers. 4. — « Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. »

Crudelis dicitur, qui districte feriendo non parcit. Si ergo Ægyptus in eis, qui corripiuntur, hic accipitur, quid appellatione *dominorum crudelium* nisi pia severitas magistrorum Ecclesiæ designatur qui zelo Dei ferventes peccata subjectorum non deliniunt ? Aut hoc loco crudeles districte peccata ferientes intelligamus, et ulciscendis culpis non parcentes. Nam et ipsi Deo beatus Job in afflictione positus ait : « Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi (*Job.* xxx, 21). » Si ergo Deum vir sanctus crudelem dicere non timuit, quia sibi non parcebat, cur nos sanctæ Ecclesiæ præpositos benigne crudeles non dicamus qui culpas delinquentium misericordiæ severitate feriunt ? Talibus itaque Dominis crudelibus traditur *Ægyptus*, id est hic mundus, ut sub eorum disciplinis componatur.

Et rex fortis, id est Christus dominator eorum. Quod si in reprobis Ægyptum intellexerimus, *Ægyptus* datur *in manus dominorum crudelium;* quia, qui converti nolunt, traduntur acrius possidendi malignis spiritibus. Sed ne ipsi dæmones ultra modum sæviant, *rex fortis* Dominus Jesus dominatur *eorum*. Post hæc de doctrinis falsitatum, quomodo ad nihilum redigendæ erant, subjungit dicens :

Vers. 5. — « Et arescet aqua de mari, et fluvius desolabitur, atque siccabitur. »

Vers. 6. — « Et deficient flumina, attenuabuntur, et siccabuntur rivi aggerum. Calamus et juncus marcescet. »

Vers. 7. — « Nudabitur alveus rivi a fonte suo,

Digitized by Google

et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit. »

Quid est enim *aqua* maris nisi scientia doctrinæ sæcularis? Et quid est *fluvius* aquæ istius nisi exuberans fluxus carnalis sapientiæ? *Arescet* igitur *aqua de mari*, quia mundana doctrina deficiet de sæculo. *Et fluvius* humanæ sapientiæ *siccabitur*, quia stultam faciet Deus sapientiam hujus mundi.

Et deficient flumina diversarum doctrinarum, quæ per orbem defluebant. « Et siccabuntur rivi aggerum, » id est carnales scientiæ de cordibus humanis. Qui enim rivum per aggerem ducere nititur, terram excavat, ut aquam ducat illuc, quo naturaliter impetus eam non dirigebat. Similiter qui scientiæ sæ rivulum in cor alterius studet emanare, ipsum cor ejus in altum fodit, et cogitationes velut terram, quæ rivulum currere non sinebat, ejicit. Sic faciebant doctores gentilium, ut scientiam sui erroris sine obice ponerent in cordibus audientium. Sed jam per prædicationem evangelicam tales rivi aggerum attenuati sunt, atque siccati.

Quid autem per calamum, quo scriptura fiebat antiquitus, nisi peritia scribentium designatur? Quid per juncum nisi auditorum viriditas? *Marcescet* ergo *calamus et juncus*, id est doctor et discipulus terrenæ sapientiæ, cum fides Christi florere cœperit.

Nudabitur alveus rivi scientiæ sæcularis *a fonte suo*, id est a suggestione diaboli, quia ipse deceptor antiquus ultra non infundet eis aquam fallacis sapientiæ, cum per Christi gratiam siccata fuerit. Unde et per Jeremiam de Babylone vel ejus rege dictum est : « Desertum faciam mare ejus, et siccabo venam ejus (*Jer.* L, 36). » Semen autem irrigabatur, dum erroris doctrina suggestionibus diaboli humectaretur. Omne ergo « semen irriguum siccabitur, arescet, et non erit, » quia diaboli vena rigans obstruetur, et doctrina sæculi, quam irrigabat, deficiet. Sed inter hæc, quid hujuscemodi doctoribus acciderit, audiamus. Sequitur :

VERS. 8. — « Et mœrebunt piscatores, et lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, et expandentes rete super faciem aquæ, et emarcescent [*Vulg.* amarescent]. »

VERS. 9. — « Confundentur, qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia. »

VERS. 10. — « Et erunt irrigua ejus flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. »

Quid enim per *piscatores* nisi philosophi designantur, et cæteri tales quasi pisces in mari homines miseros in hoc sæculo decipientes; nam de captura, quæ per evangelicam prædicationem facienda erat, dictum est apostolis : « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum (*Matth.* IV, 19). » Sic et hoc loco piscatores hominum sed in malam partem accipimus. Quid vero per *flumen* designatur nisi genus humanum, quod ab ortu usque ad finem defluit, et quasi aquæ more usque ad competentem terminum ex carnis liquore percurrit. Quid autem per *hamum* nisi deceptoria philosophorum atque poetarum doctrina; in hamo quippe esca monstratur, et aculeus occultatur. Sic et in doctrina gentilium dulcedo verborum prætenditur, et venenum deceptionis absconditur. Mittebant igitur *in flumen hamum*, qui doctrinam deceptionis in humanum genus porrigebant. Quid vero per *rete* eorum nisi fallax prædicatio exprimitur? Quasi enim retia quædam sunt complexæ prædicantium dictiones, quæ eos, quos ceperint, non facile amittunt; unde et retia quasi retinentia dicuntur. Expandebant igitur retia *super faciem aquæ*, qui falsitatis prædicationem super cor populi spargebant. Aqua enim populus est. Hi itaque *piscatores*, qui ante gaudebant dum multos caperent, luxerunt, et doluerunt temporibus evangelicæ prædicationis, cum jam neminem capere possent.

Et *confundentur*, inquit, philosophi, qui *operabantur linum*, id est subtiliorem doctrinam. Nam de virtutibus et vitiis atque rerum secretioribus naturis et causis, interdum etiam de Deo, subtilia multa tractabant, et omnis doctrina eorum subtilior erat quam poetarum. Pectebant enim *subtilia*, cum dividerent, et minus subtilia velut stupas extraherent, et abjicerent sicut in dialecticis divisionibus agitur. Texebant *subtilia*, cum acutas ratiocinationes concluderent, sententiasque sententiis connecterent, et libros implerent. Sed omnes isti *confundentur*, cum Salvatoris doctrina gentibus illuxerit. *Et irrigua* fluminis hujus, id est corda hominum, quæ irrigabantur sæculari doctrina, *erunt flaccentia* et marcida, quia virorem amoris præsentium amittent, ut in amore futurorum virescant. « Lacunas faciebant ad capiendos pisces, » qui doctrinas errorum fodiebant, et construebant ad deceptionem hominum. Sequitur :

VERS. 11. — « Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens : quomodo dicetis Pharaoni : Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? »

VERS. 12. « Ubi sunt nunc sapientes tui. Annuntient tibi et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum. »

Tanis, quæ dicitur *mandans humilia* vel *mandatum humile*, doctrina sapientium sæculi est. Præceptores enim sæcularium litterarum nesciunt jubere nisi humilia et infima, quæ propter præsentem vitam observentur. At vero præcepta doctrinæ cœlestis alta et sublimia sunt, quia propter regna cœlorum data sunt. Sed *principes Taneos*, id est sæcularis scientiæ, *stulti* fuerunt, nescientes prævidere futura. Pharao autem diabolus est, sicut Ezechiel indicat dicens « Ecce ego ad te, Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum (*Ezech.* XXIX, 3). Unde Pharao interpretatur *nudavit eum* vel *dissipavit eum*, quia diabolus in primo homine genus humanum veste immortalitatis, et indumento justitiæ nudavit, et mentem ejus ab unitate cogitationis dissipavit, et per varia desideria sparsit.

Qui vero *consiliarii* hujus *Pharaonis* nisi dæmo-

Digitized by Google

nes ? Qui dant *consilium insipiens*, quando prava hominibus quasi rationabiliter consulendo suggerunt. Vel philosophos atque idolorum sacerdotes et hæreticos intelligamus consiliarios ejus, qui *dederunt* principibus hujus sæculi *consilium insipiens*, scilicet ut Ecclesiam persequerentur, et fidem Dei laborarent exstinguere. Vel ipsi Pharaoni *dederunt consilium*, quia sunt nonnulli homines tam prompti ad inveniendum malum, ut astutiam diaboli præcurrere videantur in adinventionibus suis. *Dederunt* ergo Zabulo *consilium*, ut errorum dogmatibus mundum repleret, quatenus omnes fortius irretitos teneret, quia tam veloces fuerunt in seminandis erroribus, ut ipsi magis suggerere talia videantur diabolo, quam hæc ab illo discere. Quando enim vel ipse diabolus ea posset excogitare, quæ adinvenit Arius? Quando ea finxisset, quæ cæteri repererunt inventores errorum? *Dederunt* itaque *consilium* Pharaoni, sed consilium eorum fuit *insipiens*, quia errores jam destructi sunt, et scientia veritatis jam illuminatus est mundus, et a jugo Pharaonis liberatus.

O, inquit, sapientes mundi, *quomodo dicetis* unusquisque vestrum *Pharaoni*, id est principi hujus sæculi prædicantibus apostolis : « Filius sapientium ego, et regum antiquorum, » id est philosophorum, id est quomodo vos in auxilio Satanæ patris jactabitis vos esse filios veterum sapientum, qui hæc errorum dogmata invenerunt, quæ vos adversus Evangelii prædicatores defendere non valetis? *Ubi sunt nunc*, o Pharao, *sapientes tui? Annuntient tibi*, si possunt *quid cogitaverit Dominus super Ægyptum*, id est super gentilem populum, scilicet errores universos destruere, et lumen veritatis omnibus notum facere, cunctosque mortales liberare.

Vel ita : *stulti* erunt *principes Taneos* quæ dicitur *mandatum humile*. Omnes enim hæretici contrariam altitudinem humiliati docent, et detrahunt ad inferos, et sunt principes humilis dejectique mandati. *Consiliarii* quoque *Pharaonis*, qui rex Ægypti est, et recte dissipator, et divisus, et in partes varias separat, *insipiens* arguentur dedisse *consilium*, quando disperdet Dominus sapientiam sapientium, et reprobabit. Solent autem hæretici huic regi suo, id est tumido sensui dicere : Filii sumus *sapientium*, qui ab initio doctrinam nobis apostolicam tradiderunt. Filii sumus *regum antiquorum*, qui appellantur reges philosophorum, et habemus scientiam Scripturarum junctam scientiæ sæculari. Quem regem interrogant, ubi sint sapientes ejus, qui contemnebant ecclesiasticam simplicitatem. Sequitur :

VERS. 13. — « Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum populorum (115). »

VERS. 14. — « Dominus miscuit in medio ejus Spiritum vertiginis : et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo sicut erat ebrius et vomens. »

VERS. 15. — « Et non erit Ægypto opus, quod faciebat, caput et caudam, incurvantem et refrenantem. »

Ex quo Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi, *stulti facti sunt* et *principes Taneos*, id est ejusdem mundanæ sapientiæ, quæ est mandans humilia et terrena : *et emarcuerunt principes Mempheos*, id est doctores vaniloquiorum. **Memphis enim interpretatur** *ab ore*. *Deceperunt Ægyptum*, id est sæculum, *angulum populorum*, id est dolosarum impurarumque mentium duplicitate plenum. Quid enim per *angulum* (duplices quippe semper sunt in angulo parietes) nisi impura corda signantur quæ, dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad semetipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur quibus aperte per Jacobum dicitur : « Purificate corda duplices animo? (*Jac.* IV, 8.) » Bene ergo mundum vel gentilitatem vocat *angulum populorum*, quia in omnibus populis et nationibus erat ista duplicitas, et iste dolositatis angulus.

« Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, » id est erroris, quia justo judicio lumen cognitionis suæ abscondens, spiritum erroris in eam permisit ingredi. *Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo* prædicti principes, id est magistri perversorum dogmatum. *Sicut errat ebrius et vomens*, quia rationem ei tollentes idololatriæ mancipaverunt eam. Qui enim ebrius est, et vomit, sic rationis sensu privatus est, et mente confusus aut alienatus, ut ea, quæ facit, aut patitur nesciat. Sed vertigine ducebatur, ut mala, quæ operabatur, non intelligeret, et nimiam ebrietatis suæ crapulam vomebat, id est spurcitiam erroris, qua repleta erat, ore proferebat, dum laudaret idola, atque aures audientium, et mentes quasi vicinas auras fœtidissimo odore polluebat.

Et cum prædicatores gratiæ venerint, *non erit Ægypto*, id est parti eorum, qui in infidelitate permanserunt, *opus quod faciebat*, ut eos inhibere possit : *caput et caudam*, id est primum et ultimum errare fecerunt supradicti principes, *incurvantem*, id est alios sub disciplina tenentem, *et refrenantem*, id est regentem subditos. Sequitur :

VERS. 16. — « In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam. »

VERS. 17. — « Et erit terra Juda Ægypto in festivitatem (116) omnis, qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam. »

Ægyptus, id est gentilitas erit pavida id est imbecilla *quasi mulieres*. *Et stupebunt* Ægyptii, id est gentiles, atque *timebunt* pro iniquitatibus *a facie commotionis manus Domini*, quia commovebit om-

(115) Alias, *populorum ejus*.

(116) Alias, *in pavorem*.

Digitized by Google

nium corda, et omnes terrendo, ac concutiendo ad pœnitentiam excitabit. Et post commotionem perturbationis ac pavoris ex malorum conscientia *erit terra Juda*, id est Ecclesia Catholica, extra quam confessio veritatis non est, *Ægypto*, id est gentilitati, *in festivitatem*, id est in lætitiam et veneration-em.

Omnis Ægyptius *qui recordatus fuerit illius*, id est Ecclesiæ, *pavebit a facie consilii Domini*, qui *cogitavit* gentes a simulacris vanis ad Deum vivum convertere, et eos, qui converti noluerint, acerbius damnare. Comparatione Christianorum omnes pagani *quasi mulieres* sunt infimas habentes sententias, et *quidquid* dixerint, vertitur in stultitiam, dum stupent tantæ gentis conversionem, atque mirantur, et intelligunt manum Domini. Et *quicunque* eorum *fuerit* nominis Christiani *recordatus*, imbecillitatem idololatriæ timore fatetur; si vero conversus fuerit, fit ei *terra Juda in festivitatem*, id est scientia Scripturarum : Lex et Prophetæ, Evangelium, et apostolorum Epistolæ, *omnisque qui* hujus terræ fuerit *recordatus*, *pavebit*, sed pavore (117), qui ducit ad vitam. « Principium enim sapientiæ timor Domini (*Prov.* I, 17). » Sequitur :

VERS. 18. — « In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum : civitas solis vocabitur una. »

Quid nunc per *quinque civitates* nisi quinque sensus corporis designantur? Nam ut hoc innueret propheta, addidit exponendo, quia *civitas solis vocabitur una* ex illis. Quæ est enim *civitas solis* in homine nisi visus, qui totum corpus illuminat sicut sol mundum? Chanaan vero *mutatus* dicitur. *Quinque ergo civitates in terra Ægypti lingua Chanaan*, id est lingua mutata loquuntur, dum quinque sensibus corporis in gentibus a peccato mutatis serviunt justitiæ. Qui enim hos quinque a pravis delectationibus non refrenat, loquitur adhuc lingua Ægyptia. Qui vero jam eos virtutum operibus occupat, *lingua Chanaan* loquitur in suis *quinque* civitatibus, quia de vitiis ad virtutes est mutatus. Deo enim non tam verbis loquimur quam operibus.

Nonnulli *quinque civitates* vel legem Domini, quæ in Alexandria primum interpretata est, vel Ecclesiæ ordines, episcopos, presbyteros, diacones, fideles, catechumenos senserunt, aut certe spiritalem legis intelligentiam, de qua et Apostolus ait : « Volo quinque verbis loqui in Ecclesia sensu meo, quam decem millibus in lingua (*I Cor.* XIV, 19). »

Et *una* quinque civitatum appellatur *civitas solis* justitiæ, quæ mihi videtur referri ad visum. Sicut enim civitas, ut videatur, sole et luna indiget; ita ut oculi nostri illuminentur, indigemus sole, qui est Christus. Lex ergo *lingua Chanaan*, id est lingua mutata loquitur, dum Græce interpretatur vel spiritaliter exponitur. Et jurat *per Dominum exercituum*, quia omnes sententias suas, in Christo confirmat. Quantum vero ad nos, quærendum est, cur non lingua Hebræa, sed Chananitide loquantur hæ civitates. Sed Hebræus *transitorem* sonat, qui de loco transit ad locum. Et nos licet sancti, quandiu in Ægypto sumus, id est dum in hujus mundi tenebris versamur, non possumus lingua Hebræa, id est lingua transeunte loqui, sed *lingua Chanaan*. Chanaan quippe interpretatur *quasi motio*, vel *quasi respondens*. Quando igitur ab Ægypto recedere volumus, et exire de potestate Pharaonis cupientes peccato prorsus carere, et in patria sanctorum, ubi justitia regnat, habitare, tunc movemur, et quasi respondemus Christo nos vocanti; et tamen, quia adhuc in præsenti sæculo detinemur, lingua Hebræa nec-dum loqui possumus, donec ab hac vita transeamus. Sequitur :

VERS. 19. — « In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus (118) juxta terminum ejus Domini. »

VERS. 20. — Et erit in signum, et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti. »

In Ægyto, id est in gentibus *erit altare Domini*, ut ab ortu solis usque in occasum in omni loco juxta Malachiam offeratur nomini ejus « oblatio munda (*Malach.* I, 1). » Sicut autem una est Ecclesia, sic et unum est altare in toto orbe, quia et unum sacrificium. *Titulus juxta altare* est Evangelium, et apostolorum doctrina.

Vel *altare* fides est, in qua offerimus hostias, de quibus ait Petrus : « Superædificamini domos spiritales, sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias (*I Petr.* II, 5). » *Titulus juxta altare* hoc bona operatio est, et Dominicæ passionis imitatio. *Et erit* illud *altare* vel *titulus in signum et in testimonium* resurrectionis *ejus*. Sequitur : « Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem ac propugnatorem, qui liberet eos. »

VERS. 21. — « Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. »

A facie hostis antiqui *tribulantis* eos in perversis operibus *clamabunt*, tandem *ad Dominum* sicut Cornelius, qui « erat deprecans Deum semper (*Act.* X, 2). » *Et mittet eis* per apostolos Christum *salvatorem, qui liberet eos*.

Vel martyres et cæteri fideles afflictionibus pressi, *clamabunt ad Dominum a facie* mundi *tribulantis* et impugnantis eos. Et spiritaliter *mittet eis salvatorem* suum, quia per Christi gratiam liberabit eos, et contra infideles pro eis pugnabit. Quoties enim a persecutoribus vel impugnatione dæmonum affligimur vel qualibet adversitate, et Dei auxilio liberamur, ac protegimur, Deus Filium suum ad nos quodammodo mittit salvatorem ac propugnatorem, qui nos liberat. Sic igitur fidelibus suis tunc misit

(117) Ambo Codd., *et pavore*.

(118) Alias, titulus Dominici juxta terminum ejus.

Digitized by Google

eum, dum post martyrum afflictionem pacem dedit.

« Et cognoscetur, inquit, Dominus ab Ægypto, » quia postquam persecutiones quieverunt, universus credidit orbis. « Et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis et muneribus » spiritalibus bonorum operum, *et vota* piæ conversationis ei *vovebunt et solvent*. Votum enim Domino offert, et solvit, qui est sanctus corpore et spiritu. Sequitur :

VERS. 22. — « Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam, et revertentur ad Dominum, et placabitur eis, et sanabit eos. »

Duobus modis vulnerat Deus, quos ad salutem reducere curat. Aliquando enim carnem percutit, et mentis duritiam suo pavore tabefacit. Vulnerando ergo ad salutem revocat, cum electos suos affligit exterius, ut interius vivant. Aliquando etiam, si flagella exterius cessare videantur, intus vulnera infligit, quia mentis nostræ duritiam suo desiderio percutit. Sed percutiendo sanat, quia terrore sui jaculo (119) transfixos ad sensum nos rectitudinis revocat. Corda enim nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi ne quolibet minimo affectu languescunt. Sed *plaga* percutientur, ut sanentur, quia amoris spiculis mentes Deus insensibiles transfigit, moxque has sensibiles per ardorem charitatis reddit. Unde dicit et sponsa in Canticis : « Vulnerata charitate ego sum (*Cant.* IV). » Male enim sana anima, atque hujus exsilii statu cæca, securitate prostrata nec videbat Deum, nec videre quærebat. Percussum autem cor charitatis ejus spiculis vulneratur, quia in intimis affectu pietatis ardet desiderio contemplationis, et miro modo vivificatur ex vulnere, quæ prius mortua jacebat in salute; æstuat, anhelat, et jam videre desiderat, quem fugiebat.

Percussione ergo ad salutem reducitur, quæ ad securitatem quietis intimæ amoris sui perturbatione revocatur. Pulchre itaque dictum est, quia « percutiet Dominus Ægyptum plaga, et sanabit eam. » *Et revertentur*, inquit, *ad Dominum* charitate stimulati a quo recesserant concupiscentiis illecti. *Et placabitur eis* pœnitentiam agentibus quibus iratus fuerat peccantibus. *Et sanabit eos* a languore peccati, atque torporis intimi. Vel Ægyptum, id est credentes ex gentibus percussit Dominus, quia tradidit martyres passioni. Sed rursum eos in resurrectione sanabit. « Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit (*Prov.* III, 12). » Sequitur :

VERS. 23. — « In die illa erit via de Ægypto in Assyrios et intrabit Assyrius in Ægyptum, et Ægyptus in Assyrios, et servient Ægyptii Assur. »

Via erit de Ægypto in Assyrios, id est de gentilitate in sanctorum Ecclesiam, qui se et alios bene dirigunt. Assyrii quippe *dirigentes* interpretantur, et Assur *dirigens*. *Et intrabit Assyrius*, id est prædicator *Ægyptum*, id est gentilitatem, *et Ægyptus in Assyrios*, id est gentilis in Ecclesiam. *Et servient Ægyptii Assur*, quia gentiles obedient Christo. Assur enim, ut dictum est, interpretatur *dirigens*. Et quis est iste *dirigens* nisi cui dicitur : « Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus? (*Psal.* XXIV, 5.) » Tunc autem primum via patuit de Ægypto in Assyrios, quando jussum est Cornelio ut ad Simonen Petrum mitteret (*Actor.* X). *Et intravit Assyrius Ægyptum*, quando Petrus est ingressus domum Cornelii. Ægyptus intravit in Assyrios, id est gentilis incorporatus est sanctorum Ecclesiæ, quando « cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, et jussit eos baptizari Petrus (*ibid.* XLIV). » Et servierunt *Ægyptii Assur*, quando Cornelius, et qui cum eo baptizati fuerant, custodierunt, quod a Petro audierant, quoniam « non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi (*ibid.* XXXIV). Sequitur :

VERS. 24. — « In die illa erit Israel tertius Ægyptio, et Assyrio : Benedictio in medio terræ. »

VERS. 25. — « Cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrio hæreditas autem mea Israel. »

Israel, id est *vir videns Deum*, *erit tertius Ægyptio*, id est gentili converso, *et Assyrio*, id est prædicatori. Vel Israel et Ægyptius circumcisio et præputium est Et cum prædicator est in gentibus, Israel, id est Hebræorum populus, additur eis *tertius*. *Benedictio in terra*, id est in Ecclesia. « Cui benedixit Dominus dicens : Benedictus populus meus Ægypti, » id est gentilitatis, *et opus manuum mearum* erit *Assyrio*, quia cooperabor prædicatoribus, sicut ait Marcus : « Prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* X). » Et Paulus : « Qui operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes (*Gal.* II, 8) » — « Hæreditas autem mea Israel, » quod interpretatur *vir videns Deum* sive *princeps cum Deo*, quia illi erunt hæreditas Dei, qui sine fine videbunt eum, et regnabunt cum eo. Hæc quidem ad electos : sequentia vero spectant ad reprobos, cum dicitur :

CAPUT XX.

VERS. 1. — « In anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cum misisset eum Sargon rex Assyriorum, et pugnasset contra Azotum, et cepisset eam. »

VERS. 2. — « In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens : Vade et solve saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de

(119) Ita uterque Cod. pro *terroris sui iaculo*

Digitized by Google

pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus et discalceatus. »

Vers. 3. — « Et dixit Dominus : Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum super Ægyptum erit, et super Æthiopiam. »

Vers. 4. — « Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, juvenem et senem, nudam et discalceatam discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti. »

Vers. 5. — « Et timebunt, et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua. »

Vers. 6. — « Et dicet habitator insulæ hujus in die illa : Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus *in* auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum, et quomodo effugere poterimus nos? »

Quid autem nunc de tempore, quo Tharthan cepit Azotum, ad captivitatem Ægypti et Æthiopiæ pertinet? Sed quanto minus congruere videtur sensus historicus, tanto competentior est spiritalis intelligentiæ ratio. Quid enim per *Azotum*, quæ dicitur *ignis generationis*, nisi genuinus libidinis ardor exprimitur? Quid per *Thartan*, qui *superfluus* vel *elongans* interpretatur, nisi superfluus et a Deo separans cogitatus designatur : « Perversæ enim cogitationes separant a Deo (*Sap.* I, 3). » Et ipse dicit : « Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me (*Ezech.* VI, 9). » Cor enim quod fornicationem diligit, a Deo recessit.

Quid per *Sargon*, qui dicitur *princeps horti*, id est voluptatis et luxuriæ, et est rex Assyriorum, nisi princeps dæmonum diabolus? mittit itaque Sargon rex Assyriorum Tharthan contra Azotum, ut expugnet eam, et capiat, quia hostis antiquus superfluas et *fornicarias* cogitationes in corde suggerit, quæ genuinum *ignem* libidinis exagitent, ut urbem castitatis expugnent. Et tempore quo Tharthan Azotum cepit (in qua comprehensione caro vel mens genuino ardore æstuans significata est per immissionem cogitationum a diabolo superata) « locutus est Dominus in manu Isaiæ, » quia ex ejus actione verba sua formavit. « Solve, inquit, saccum de lumbis tuis, » etc. Quid est autem, quod propheta solvit *saccum de lumbis suis*, et *calceamenta de pedibus* nisi hoc quod multi lumbos suos a cingulo castitatis erant solutari, quos antea pœnitentiæ vel disciplinæ cilicio vestitos constrinxerant, et operum gressus a munimine paternorum exemplorum nudaturi? Et forte quia plures, qui membra Christi putabantur, tam ignominiose captivantur in luxuriam et iniquitates a diabolo, Isaias, qui *salus Domini* dicitur, et Christum significare solet, soluto de lumbis cilicio *vadit nudus et discalceatus*. Idcirco enim per triduum nudus, ut intelligi datur, ambulavit, triennii captivitatem portendens, ut nonnullos ex eis sic captivari designaret, qui Trinitatis fidem confitentur. Nam dicente Domino : Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus, trium annorum signum et portentum super Ægyptum erit, et super Æthiopiam; sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, » intelligitur propheta tribus diebus nudus ambulasse, ut trium annorum captivitatem significaret trium dierum impudenda deambulatio. Solet enim nonnunquam in Scripturis dies annum significare, sicut Ezechieli dictum est : « Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi (*Ezech.* IV, 6). » Et sub Moyse reversis exploratoribus, ac terræ, quam inspexerant, detrahentibus, cum dolerent filii Israel de Ægypto se egressos, dicit Dominus : « Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras (*Num.* XIV, 34). » Sic et in hoc loco propheta, ut triennium figuraret, triduo nudus ambulavit, potuit etiam una deambulatio vel triennium vel quantum voluit Dominus, significare.

Quid igitur per hoc captivitatis triennium exprimitur nisi Christianorum tempus a Domini resurrectione usque ad mundi terminum, in quo sic captivantur, qui Domini gratiam transferunt in luxuriam? « Sic enim minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ, » et cætera. Ut jam diximus, rex Assyriorum diabolus est. Quid autem Ægyptus, quæ dicitur *tenebræ*, et Æthiopia, quæ *caligo* interpretatur, designat nisi obscuratas nonnullorum conscientias? Dæmones enim juxta Apostolum « rectores sunt mundi tenebrarum harum (*Ephes.* VI, 12). » Minat ergo *rex Assyriorum captivitatem Ægypti, et transmigrationem Æthiopiæ*, quoniam hostis antiquus eos secundum desiderium suum de vitio in vitium captivos ire facit, quorum mens scientia doctrinæ Dei non est illuminata, vel post illuminationem consensu peccati rursum est obscurata.

Minat *juvenem*, quia et eum, qui spiritali robore ac sanitate mentis floridus putabatur, captivat, *et senem*, quia et eum quoque, qui maturus moribus atque perfectus videbatur, in viam iniquitatis impellit. Sic minari nolebat, qui precabatur dicens : « Manus peccatoris non moveat me (*Psal.* XXXV, 12). » *Nudam* minat eam, id est indumento justitiæ spoliatam *et discalceatam* exemplis patrum. Pedes enim operum nostrorum a morsu serpentis antiqui muniuntur quasi mortuorum pellibus animalium, dum intra regulam vitæ patrum tenentur. Discalceatus ergo vadit, qui nullius præcedentium patrum in suis operibus imitatur exempla.

Ægyptus quoque *persequens* vel *tribulans* interpretatur, et Æthiopes *humiles* atque *dejecti*, quia « omnis qui se exaltat humiliabitur (*Luc.* XIV, 11). » Qui ducendi sunt in captivitatem, in quam ibunt juvenes et senes, quia malitia roborati sunt, et ad perfectæ ætatis vitia pervenerunt; nudi, ut omnia eorum scelera pateant. « Nihil enim occultum, quod non reveletur (*Luc.* VIII, 17). » Et discalceati, ne pascha Domini comedere valeant, sed a serpentibus mordeantur. Quid autem in *discoopertis natibus*, per quas stercora digeruntur, nisi turpium atque puden-

Digitized by Google

darum actionum detectio figuratur, unde fama fetentis odoris egreditur?

Et hæc ignominia *Ægypti*, id est eorum, qui ob sui cæcitatem cordis usque ad detestandas actiones perducti sunt. Nam propter has ignominiosi habentur et infames. Captivatis itaque tam miserabiliter nonnullis, qui sanctitate magni putabantur, minores, qui sequebantur eos, ante casum eorum *timebunt*, ne et ipsi similiter cadant, « et confundentur ab Æthiopia spe sua, et ab Ægypto gloria sua, » quia nunc ab his erubescent, in quibus salutis suæ spem magnam habebant, et in quibus gloriabantur, quia vere sanctos æstimabant eos. Hoc enim sæpe et nostris diebus contigit.

« Et dicet habitator hujus insulæ, » id est qui permanserit stabilis in hac religione. Ecce isti sunt, in quibus spem habebamus, et ad quorum consilium et adjutorium confugiebamus, *ut nos* instruendo atque orando *liberarent a facie regis Assyriorum*, id est ab impugnatione Satanæ, qui nunc semetipsos liberare non valuerunt! *Et quomodo nos* infirmi *poterimus* resistere vel *effugere*, cum isti fortes tam enerviter victi sint in certamine tentationum? Sequitur :

CAPUT XXI.

Vers. 1. — « Onus deserti maris. »

Sexto gradu positum est onus istud, quia eorum est, qui neque ad Sabbatum quietis animarum post mortem pertingunt, neque ad octavam beatæ resurrectionis, sed præsenti vitæ, quæ per sex dies laboriosos exprimitur, toti animaliter inserviunt. Est autem Babylonis et hoc onus, et illud generaliter omnium peccatorum, id est et reproborum et eorum qui ad pœnitentiam redeunt. Mare enim eos significat, de quibus iste propheta dicit : « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest (*Isa.* LVII, 20). » Corda quippe hominum terrena quærentium diversis cogitationum fluctibus intumescunt, qui elatione superbiæ concitati dum alterna intentione se impetunt, quasi adversanti se unda colliduntur. Mare ergo cor iniquorum est, quod videlicet mare desertum est, quia a Deo derelictum ac reprobatum. Sed videamus, quod onus hoc mare sustineat. Sequitur : « Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto venit, de terra horribili. »

Vers. 2. — « Visio dura nuntiata est mihi. »

Quid per desertum vel terram horribilem nisi mens reproborum designatur angelorum? Quid per Africum qui calidus est ventus, nisi Spiritus sancti flatus exprimitur? Unde Zacharias ait : « Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine austri (*Zach.* IX, 14). » Auster enim et Africus idem significant. Deus quippe in tuba canit, cum Christus vel per suos prædicatores, vel per seipsum prædicat. Et vadit in turbine austri, quia cum nostra mens divina formidine vehementer concutitur, Deus ad eam venit. Turbo enim austri timor est, quem divina gratia peccatori incutit, ut convertatur. Sed sicut in divinæ formidines ab Africo Spiritus sancti veniunt, quæ malum subruant ædificium; sic a *deserto* multitudinis dæmonum e contrario *venit* turbo tentationum statum mentis concutiens atque subvertens. Quod et aliter intelligi potest.

Quid enim per Africum, nisi calidus inimicarum suggestionum flatus designatur? Quid per desertum nisi destitutio boni? Vacua enim timore Dei pectora et ab irroratione gratiæ cœlestis arentia *deserto* squalentis eremi comparantur. In hoc deserto vidit Joannes « mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ (*Apoc.* XVII, 3). » Mulier enim Babylon, bestia diabolus. Sicut ergo *turbines*, id est vitiorum perturbationes, quæ cor evertunt, ab Africo, id est a calida suggestione veniunt inimici; ita et *de deserto*, id est de eo, qui bonum sponte deseruit, *venit* onus hujus deserti maris, quia juxta prophetam alium « ex semetipso judicium et onus ejus egredientur. (*Habac.* I, 7). »

Visio, inquit, dura *nuntiata est mihi* divinitus de terra horribili, dæmonum terribiliter amatoribus sæculi prævalentium. Unde et per Joannem dicitur. « Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam (*Apoc.* XII, 12). » Hæc est *visio dura*, quæ *nuntiata est* prophetæ; itaque visio vel pondus contra hujus sæculi mare ceruitur; et quantis tentationibus mundus iste plenus sit, propheta considerat. Hæc autem ipsa tentationum tempestas a *deserto venit*, in quo tentatus et Dominus est, atque Israelitæ serpentium morsibus exstincti. In his tentationibus et angustiis horribilis et *dura visio* auditur. Recte enim turbines atque tempestates de deserto veniunt, et de terra horribili, ubi non est habitator Deus, et ubi universa terrena sunt.

Et quicunque ineredulus est, agit rem congruam infidelitati suæ, et qui depopulator est, vastat. Nam hoc sequitur :

« Qui ineredulus est, infideliter agit, et qui depopulator est, vastat. » Quicunque sanctis prædicatoribus non credit, infidelitatis opera facit. *Et qui depopulator ac dissipator est*, *vastat* Ecclesiam ut Saulus (*Act.* VIII, 3). Vel hostis antiquus, qui depopulator bonorum est, vastat intrinsecus Babylonem, id est sæcularium cor. Sequitur

« Ascende Ælam, obside Mede : omnem gemitum ejus cessare feci. » Ælam interpretatur *sæculum* vel *ante fores*, vel *pro foribus*, aut *sæcularia;* Medus vero *mensuratus*, vel *mensurans*. Quid ergo per *Ælam* nisi omnia temporalia significantur ista, quæ nobis ante fores sunt, id est præ oculis; et quid per Medum nisi Satanas, qui nocere non potest nisi juxta mensuram, qua divinitus relaxatur. Ascendit itaque contra eum Ælam, cujus mentem sæcularia et visibilia per delectationem superare nituntur; et Medus obsidet cum diabolus undique mentem tentationibus diuturnis circumvallat et impugnat. Et inter hæc omnia, inquit, *gemitum ejus*, id est Babylonis, confusæ scilicet mentis, *cessare feci*,

Digitized by Google

quia sæculari gaudio debriata nequaquam sentire valet spiritualia damna, quæ patitur intus, et idcirco nescit, cur gemat. Sed propheta pius, quantum de tali anima doleat, atque miretur, ostendit subjungens :

Vers. 3. — « Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis : corrui cum audirem, conturbatus sum, cum viderem. »

Vers. 4. — « Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me. »

Angustia parturientis tenuit prophetam, quia cum nimio dolore proferebat, quod intus habebat, mœstam scilicet visionem, quæ sibi ostensa fuerat super Babylonem, quam audiens stare non potuit, sed dolore *emarcuit*, et elanguit [ad terram jacens, et tenebræ confusi cordis, oculorumque corporis *stupefecerunt* eum, ut immensa absorptus tristitia diu sine corporis visu, et animi sobrio intellectu stupefactus et languidus jaceret. Qui cur talia pertulerit, vix tandem dicere valens adjungit :

« Babylon, dilecta mea, posita est mihi in miraculum. » Affectu pietatis et compassionis vir sanctus Babylonem dilectam suam vocat, quia in omnibus hominibus naturam suam diligit, et omnium miseriis benigne compatitur. Quanta enim charitate putabis hunc plenum, qui et Babylonem sic diligit? Quæ est autem hæc Babylon nisi ea pars humani generis, quæ mundum hunc solum amat? Quæ *posita est* propheta *in miraculum*, quia vidit eam in puncto florentem, et mox exterminatam. Videtur vita præsens longa his qui de æterna non cogitant. Sed propheta cœlestibus et æternis intentus consideravit, quam cito gloria hæc temporalis finiatur, Qui et adjecit, dicens Babyloni :

Vers. 5. — « Pone mensam, contemplare in specula : comedentes et bibentes, surgite, principes, arripite clypeum. »

Pone, inquit, tibi *mensam*, id est sæcularem doctrinam, in qua variis carnalis scientiæ ferculis pascaris. Vel *mensam*, id est apparatum delectationum *pone* tibi. Sed dum ad hanc mensam sederis, *contemplare in specula*, id est ab alto mentis eminus, prospice quanta tibi pernicies immineat. Et vos, *principes* Babylonis, id est sapientes mundi, qui et obscuram et manifestam sæcularem scientiam comeditis, et bibitis, *surgite* ab hoc convivio, et *arripite clypeum* protectionis, quem diaboli jaculis opponatis, ut ab imminenti gladio mortis vos protegatis. « Baithasar enim rex Babylonis fecit grande convivium optimatibus suis, præcepitque jam, temulentus, afferri vasa quæ fuerant in templo Domini, et biberunt in eis rex et optimates ejus, uxoresque et concubinæ ejus ; bibebant in eis vinum, et laudabant deos suos, et eadem nocte interfectus est Balthasar (*Dan.* v, 1 *et seqq.*). »

Ita et sapientes hujus sæculi et hæretici familiares et subjectos suos Babylonio cibo pascunt et inebriant, id est doctrina confusionis, qua debriati, si quos ab Ecclesia possunt abducere, bibunt in eis vinum confusionis et amentiæ, suosque laudant errores. Sed in nocte ejusdem confusionis et temulentiæ perimuntur a diabolo quia sine cognitione veritatis moriuntur. « Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (*I Thes.* v, 7). »

In hac ergo nocte mentis et ebrietate et somno occiduntur ab hoste antiquo. Unde et diviti Dominus ait : « Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te (*Luc.* xii, 20). » Contra hanc ebrietatem, et somnum et mortem Petrus nos caute admonet, dicens : « Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8). » Hoc itaque convivium et imminentem nocte mortem propheta considerans ait : « Pone mensam, contemplare in specula, comedentes et bibentes surgite principes, arripite clypeum. » Scire enim debent hujusmodi convivæ, quia inimicus eorum Satanas improvisam eis necem præparat, et se munire contra eum non possunt.

Vel prophetæ præcipitur, ut vescens in mensa Domini, et illius saturatus cibo diligenter contempletur, quæ ventura sunt mundo, diciturque per eum ad omnes credentes, ut *comedentes et bibentes* corpus et sanguinem Domini vertantur in *principes* Ecclesiæ, et cum apostolis audiant : « Surgite (*Joan.* xiv, 31), » arripiantque clypeum fidei de armatura apostoli Pauli, in quo possint « ignita diaboli jacula exstinguere (*Ephes.* vi, 16). » Sequitur : « Hæc enim dixit mihi Dominus. »

Vers. 6. — « Vade et pone speculatorem, et quodcunque viderit, annuntiet. »

Vers. 7. — « Et vidit currum duorum equitum, ascensorem cameli, et contemplatus est diligenter multo intuitu. »

Vers. 8. — « Et clamavit leo : Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego stans (120) totis noctibus. »

Vers. 9. — « Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, et respondit et dixit : Cecidit Babylon, et omnia sculptilia ejus contrita sunt in terram. »

Pone, inquit, in corde tuo *speculatorem*, id est providam mentis vigilantiam, quæ ventura vitiorum ac dæmonum certamina ex alta consideratione prænoscat, et quæ in mundo futura sunt, prophetico spiritu prævideat. Prophetarum quippe sensus afflatibus intimis repletus ab imo levatur, et ad superna conscendit, atque inde quasi de quodam rerum vertice, quæ infra se ventura sunt, videt.

Speculator itaque, quem propheta posuit, sensus ejus non incongrue accipitur, Qui *super speculam* propheticæ considerationis positus vidit in hoc sæculo *currum duorum equitum*, id est superbam pom-

(120) Alias, *ego sum stans*, etc.

Digitized by Google

pam diaboli et Antichristi. *Vidit ascensorem asini*, A id est diabolum, et *ascensorem cameli*, id est Antichristum; asinus enim stultus et irrationabilis populus gentium est, qui ante Redemptoris adventum possessus a diabolo est; camelus vero tortuosa perversissimorum hominum multitudo, quæ Antichristum sequetur :

Et contemplatus est, inquit, astutias eorum *diligenter multo intuitu*. Et ne qualibet arte eorum decipercetur, *clamavit leo* confidenter dicens ac fortiter : « Super speculam Domini ego sum stans, » etc. *Stat* enim *super speculam Domini*, cujus mens in appetitione patriæ supernæ forti stabilitate figitur. A cunctis quippe externis motibus eamdem intentionem suam quasi quemdam secretissimum recessum petiit, ibique incommutabiliter inhærens, et mutabilia cuncta transcendens ipsa jam tranquillitate quietis suæ in mundo extra mundum est.

Stat *et super custodiam* suam, qui per solertiam disciplinæ terrenis desideriis non succumbit, sed supereminet, ut dum semper stantem appetit æternitatem, infra sit ei omne quod transit. Sanctorum namque provida discretio, dum sollicite circumquaque respicit in alto posita prius, quam veniat culpa, deprehendit, eamque, quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat.

Potest quoque specula *per diem* custodia virtutum accipi; custodia vero *in noctibus* cauta observatio adversus tentamenta vitiorum. Sed diei speculam Domino attribuit; custodiam noctium suam esse C testatur, quia virtutes, si quas habemus, ex Deo sunt, et non ex nobis ipsis sunt nobis. Et quocunque modo accipiatur hæc sententia, nox in ea nobis attribuitur, et Domino dies.

Quidam sic interpretatus est, ut *ascensorem asini* juxta evangelicam lectionem Christum diceret (*Matth.* XXI), et econtrario *ascensorem cameli* contrariam fortitudinem propter fœditatem tortuosi animantis. Alii vero duos ascensores litteræ et spiritus ad duo referunt testamenta.

Ecce, inquit, *ecce* speculator *venit iste vir*, id est Antichristus, qui homo, non angelicus spiritus erit, *ascensor bigæ equitum*, id est possessor gloriæ sæculi potentum. *Et respondit* speculator iniquitati ejus et dixit : « Cecidit, cecidit Babylon. » Tanta D enim perversitate consurget adversus Dominatorem cœli pestifer homo ille, ut propter ejus malitiam finiatur mundus, et ipse cum tota Babylone, id est iniquorum omnium congregatione præcipitetur in tartarum, qui extollebatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Unde nunc recte post ejus adventum dicitur : « Cecidit, cecidit, Babylon, » id est et anima et corpore missa est in tenebras exteriores. « Et omnia sculptilia deorum ejus, » id est universa figmenta falsorum dogmatum ejus contrita sunt in terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. Sicut autem speculator ista dicit apud Isaiam : similiter et Joanni visus est angelus dicens : « Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes (*Apoc.* XIV, 8). » Et alius angelus secutus est, dicens : « Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, hic bibet de vino iræ Dei (*ibid.* 9). » Hæc erunt tunc *sculptilia deorum Babylonis*, bestia scilicet, id est Antichristus et imago atque character ejus, et numerus nominis ejus. Sed hæc sculptilia conterentur Babylone cadente, quia pereuntibus impiis destruetur Antichristus, et idola ejus.

Alio sensu *vir ascensor bigæ equitum*, incarnatus Dominus intelligitur, sedens super bigam Ecclesiæ, in qua sunt equites prædicatores atque rectores. Qui ascensor bigæ desideranti propheiæ, et verba ejus audire volenti « respondit et dixit : Cecidit, ce- B cidit Babylon; » totius orbis confusio, et in adventu meo cecidit, et penitus corruet in fine sæculi, *et idola* ejus *contrita sunt*. Hucusque propheta retulit, quomodo Babylon posita sit ei in miraculum et in stuporem, et cur tanto mœrore affectus sit in hac visione. Et post hæc ad plebem fidelium conversus subjungit :

VERS. 10. — « Tritura mea, et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis. »

Id est ruinam infidelium subitaneam, dum in suis iniquitatibus extolluntur. *Tritura* vero est Ecclesia, quæ præsentibus malis atteritur, ut per hæc a paleis grana separentur, id est a reprobis justi cœlestibus horreis digni.

VERS. 11. — « Onus Duma. Ad me clamat ex Seir : Custos quid de nocte? custos quid de nocte? »

VERS. 12. — « Dixit custos : Venit mane et nox: si quæritis, quærite, convertimini, et venite. »

Onus istud Judæorum est prope finem sæculi credere velle inchoantium, et in septimo gradu propter Sabbatum est.

Duma quippe *silentium* vel *gaudium* interpretatur. Et a confessione Redemptoris siluerunt Judæi, ex quo « conspiraverunt, ut si quis illum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret (*Joan.* IX, 22). » Qui tunc jure gaudebunt, quando rursus eum confiteri incipient. Hoc ergo præsens silentium Judæorum, et quod adhuc futurum est gaudium ipsorum, portat onus istud, quod nunc propheta describit : *Ad me*, inquit Salvator, *clamat*, quisque *ex Seir*, id est ex spinoso populo Judæorum, quem designavit Seir, id est Esau, qui natus est totus in modum pellis hispidus (Seir namque *pilosus* dicitur sive *hircus*) « Custos quid de nocte? custos quid de nocte? » Subaudis venisti? *Custos* quippe noster *de nocte* venit, quia protector humani generis et manifestus in carne apparuit, et tamen hunc pressa perfidiæ suæ tenebris Judæa minime agnovit. Unde tamen resipiscere insipiens conqueritur, quare ipse *in nocte* venerit? Cui custos pervigil, qui custodit Israel dixit : *Venit mane* illuminationis gentium, *et nox* excæcationis Judæorum. Nam per ejus præscu-

Digitized by Google

tiam et nova lux mundo inclaruit, et tamen in corde infidelium vetus cæcitas remansit. Imo excæcati sunt quidam in adventus ejus. *Si* me, inquit, fide jam *quæritis*, *quærite* me et operibus, *convertimini* a vetustate, *et venite* ad novitatem. Hoc enim, ut præmisimus, eis dicitur, qui jam aliquatenus cœpe-runt credere.

Vel Ecclesia potest dicere, quod Dominus de Seir, id est de terrenis locis ad se vociferetur, seque provocet ad salutem, et ad ipsum loqui : O custos, qui de nocte consurgens versaris in tenebris, qui absque peccato in carne es peccatrice, qua causa voluisti humanum corpus assumere : respondet custos, id est Samaritanus, qui vulneratum jumento suo imposuit (*Luc.* x, 33 *et seqq.*) : *Venit mane et nox*, id est gentium multitudini ortus est Sol justitiæ, et Judæis venerunt tenebræ. Et gentibus dicit : *Si* me *quæritis*, studiosius *quærite*, *convertimini* ab erroribus *et venite* ad me.

Vers. 13. — « Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis in semitis Dodanim (121). »

Vers. 14. — « Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti. »

Vers. 15. — « A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii. »

Vers. 16. — « Quia hæc dicit Dominus Deus (122) : Adhuc in uno anno quasi in anno mercenarii, et auferetur omnis gloria Cedar. »

Vers. 17. — « Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar, imminuentur : Dominus enim Deus Israel locutus est.

Onus hoc, nisi fallor, pœnitentium est, ideoque in octavo positum est ordine propter metum scilicet futuri examinis. Nemo enim pœnitentiam agit nisi diem judicii metuens. Qui dies erit octavus, quia post temporalia sæcularia, quæ septem diebus peraguntur, veniet. *In Arabia* vero dicitur *onus* istud, quoniam ad eos spectat, qui de suis humiliantur peccatis, et vitæ suæ terminum propinquare credunt vel de eo cogitant.

Arabia quippe, quæ *humilis* interpretatur vel *occidentalis*, vel *vespertina* terminum hujus vitæ, aut senectutem designat. *In Arabia* ergo, id est in humili mente pœnitentis, et ad finem vitæ se propinquare considerantis est *onus* istud. Vos, inquit, o pœnitentes *dormietis*, id est a strepitu cupiditatum quiescetis, *in saltu*, id est in aspera et horrida conversione pœnitentiæ, *ad vesperam*, id est occumbente sole desideriorum carnalium, vel prope finem præsentis vitæ.

Vel *in saltu*, id est in remota et secreta conversatione *dormietis* a strepitu mundi, *in semitis Dodanim*, id est in viis Christi, qui nobis propinquus fieri dignatus est. *Dodanim* quippe *patruelis* dicitur, quod nobis specialiter, qui ex gentibus credimus, est Christus. Duo etenim fratres sunt populus Judæorum, et gentium. Et Christus quidem Judaici populi filius est; nos vero nati sumus ex gentili populo. Christus ergo *patruelis* est nobis, id est patrui nostri filius. *In semitis* itaque *Dodanim* dormit, qui turbulentis sæculi actionibus derelictis angustas Christi vias quieto corde sectatur. In his quippe semitis dormiebat Jacob quando scalam, cujus summitas cœlos tangebat, in somnis vidit (*Gen.* xxviii, 12 *et seqq.*).

Vel ita : Arabia dicitur *vespera*, quæ noctis tenebrarumque principium est; omnisque, qui habet initium peccatorum, versatur in vespera; qui autem venit ad summum, in media nocte consistit; et qui in malitia cœperunt esse, ac peccatorum viam ingrediuntur, non dormiunt, vel morantur in agris et segetibus, sed in infructuosis saltibus. Recteque, quia vespera principium malorum est, *in semitis Dodanim*, quæ interpretatur *judicia*, dicuntur habitare. Quot enim habent peccatorum genera, tot judiciorum merentur sententias. Potest etiam Dodanim *grande judicium* interpretari.

Jam vero spiritales admonet propheta, quod humanitatis offertorium impendant cuilibet pœnitenti. *Ferte*, inquit, *aquam*, spiritalis doctrinæ *sitienti* poculum divinæ prædicationis, vos *qui habitatis terram austri*, id est qui in Ecclesia spiritaliter vivitis; *cum panibus* sacri pabuli *occurrite* unicuique *fugienti* inquinationes mundi, atque supplicia futuræ damnationis. Aqua quippe scientiam sacræ Scripturæ significat, quia scriptum est : « Aqua sapientiæ salutaris potabit illum (*Eccli.* xv, 3). » Et : « Aqua profunda verbo ex ore viri (*Prov.* xviii, 4). » In terra vero *austri* habitant, qui in sancta Ecclesia positi sancti Spiritus aura perflantur.

In *panibus* quoque eruditio doctrinæ cœlestis designatur, sicut scriptum est : « Cibabit illum pane vitæ et intellectus (*Eccli.* xv, 3). » Fugit autem, qui hujus mundi mala evadere concupiscit. Qui ergo in terra austri habitat, fugientibus cum panibus occurrat, id est qui jam sancto Spiritu intra sanctam Ecclesiam plenus est, eum, qui mala sua evadere nititur, eruditionis alloquio consoletur. *Fugienti* quippe *cum panibus* occurrere est, metuenti æterna supplicia doctrinæ sacræ escas offerre, et modo timorem terrore comprimere, modo pavorem per exhortationem fovere.

Locus hic proprie adversus eos intelligi potest, qui tradentes se otio atque desidiæ propria salute contenti sunt, nec pœnitentibus atque conversis manum porrigunt. *Fugerunt enim*, inquit, pœnitentes, isti *a facie* gladiorum, quos sancti in judicio tenebunt, sicut scriptum est : « Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam (*Psal.* cxlix, 6). » *A facie gladii imminentis*, de quo dicit Job : « Fugite a facie gladii (*Job* xix, 29) » *imminentis*. De quo tantus (122*) gladius est? « Et scitote esse

(121) Alias *Dedanim*.

(122) Alias *Quoniam hæc dicit Dominus ad me*, etc.

(122*) Uterque col. *tantum*.

Digitized by Google

judicium (*ibid.*). » *A facie arcus extenti*, de quo dicitur : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX, 5). » Nam et gladius et arcus judicialem sententiam hoc loco designant. *A facie gravis prælii*, futuri scilicet examinis, de quo Dominus ait : « Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit adversus se? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt (*Luc.* XIV, 31). » Rex quippe est unusquisque qui seipsum bene regit. Qui est iturus committere bellum adversus alium regem, quia in fine a Domino judicandus est. Sed cum decem millibus occurrere non potest ei, qui cum viginti millibus venit adversus eum, quia cum perfectione operum respondere Judici non sufficit, quia non solum de operibus, sed etiam de cogitationibus rationem quæret. Mittat ergo precum et pœnitentiæ ad eum interim legationem, rogans ea quæ pacis sunt. Itaque futuram discussionem grave prælium nominat, quia nemo tam sanctus est, ut pondus illud districti examinis portare queat, si remota pietate discutiatur. Vel gladios hæreticorum fugerunt, doctrinam gentilium, blasphemias Judæorum. Et quia multos viderunt eorum jaculis interfectos, et cecidisse in prælio plurimos ipsi cupiunt vestro auxilio liberari.

Deinde quid in hac vita consequantur, qui toto corde pœnitentiam agunt, demonstrat : *Adhuc*, inquit, *in uno anno*, id est in residuo vitæ eorum spatio, *auferetur ab eis omnis gloria Cedar*, id est peccatum eorum, in quo principes tenebrarum dæmones gloriabantur. Cedar enim *tenebræ* dicitur. Sed annus iste erit *quasi* annus *mercenarii*, quia se judicabunt indignos appellari filios Dei solo mercenariorum nomine contenti. Unde et in persona eorum pœnitens ille dicit : « Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis (*Luc.* XV, 18). »

Vel quia mercedem supernæ remunerationis a Domino merebuntur, annus iste *quasi* annus *mercenarii* vocatur. Unde beatus Job de tali servo loquitur : « Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus (*Job* VII, 1). » In hoc itaque *mercenarii anno auferetur* ab eis *omnis gloria Cedar*, id est tenebrarum, ut audiant. « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 8). » Et : « Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? (*Rom.* VI, 21). » — « Et reliquiæ numeri sagittariorum de filiis Cedar imminuentur, a quia filii tenebrarum dæmones paulatim quotidie minus minusque tentationum jacula cordibus eorum audebunt immittere. Sequitur :

CAPUT XXII.

VERS. 1. — « Onus vallis visionis. »

In nono gradu positum est onus istud, ut insinuetur nobis, quia eorum est, qui intra fidei sacramentum in Ecclesia contineri videntur. Nam quia tertia sunt novem, recte novenarius numerus mysterio fidei optatur. Vel fidei transgressores potest locus iste vocare. Nam cum Ecclesia sit mons, cur modo *vallis* dicitur, nisi ut omnes perversorum dogmatum principes qui corruerunt de sublimitate sensus Scripturarum, et ad ima devoluti sunt, sciantur in valle versare visionis?

Vallis quoque *visionis* Ecclesia est, quæ in virtute humilitatis consistens oculos cordis illuminatos habere solet. Sed et hæc nimis grave portat *onus*, qui reproborum multitudine premitur, et tentationum pondere multipliciter gravatur, præcipue tamen circa finem sæculi. Unde nunc eis dicitur : « Quidnam tibi quoque est, quia ascendisti et tu omnis in tecta? »

VERS. 2. — « Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans? »

Ac si dicatur : De cæteris quos hucusque descripsi, mirum valde non est, si diversa malorum onera sustinent. Sed *tibi quoque quidnam* accidit, quia et *tu omnis ascendisti in tecta*, id est super culmina domorum, prospicere undique mortes filiorum tuorum, clamore lamentationis *plena*, quæ eras multitudine civium *frequens*, et in filiis tuis vel in prosperitate *exsultans?* Quid autem in tectis nisi terrena corpora signantur? Ascendunt igitur *in tecta*, qui corporis ita transcendunt desideriis, ut Apostolus ait : « Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis (*Rom.* VIII, 11). » Quibus et a Domino dicitur : « Quod in aure audistis, prædicate super tecta (*Matth.* X, 27). »

Itaque Ecclesia, quæ pacis quondam tempore mansit in tectis, irruente novissima tribulatione ascendet *omnis in tecta ;* quia quæ terrenis licite utebatur ad corporis commodum, omnia tunc mundana relinquens arcem mentis conscendet, et inimicorum tentationes undique sibi prævidendo refelleas de suorum civium spiritali morte lugebit. Nihil enim Christianus quisque in terra tunc possidere poterit scientibus Antichristi sequacibus. Sequitur :

« Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui tui in bello. » Hæc est vehementis causa doloris, qui non materiali gladio corporaliter occiduntur cives sanctæ Ecclesiæ, sed invisibili mucrone tentationum spiritaliter perfossi moriuntur. Et quid faciunt pastores, dum sic perimuntur oves? Sequitur :

VERS. 3. — « Cuncti principes tui fugerunt simul, dureque ligati sunt : omnes qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt. »

Huic loco consonat quod in Evangelio Dominus ait : « Mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit (*Joan.* X, 12). » Nunc enim de inutilibus Ecclesiæ principibus sermo est, qui videntes iniquitatem contradicere non audent, sed se sub silentio abscondunt. Fugiunt enim hujusmodi *principes* non mutando locum, sed subtrahendo solatium; fugiunt, quia injustitiam vident, et tacent. Quia igitur circa finem sæculi omnes fere qui videbantur

Digitized by Google

Ecclesiæ præpositi, sub silentio se abscondunt, dum resistere injustitiæ perversorum nequaquam præsumunt. *Cuncti*, inquit, *principes tui fugerunt simul*, non quia omnes, qui in toto orbe fuerint, tunc fugiant, sed quia omnes, qui in plerisque regionibus erunt, perculsi formidine cedent, dicque suorum vinculis peccatorum *duri* ligantur quibus data potestas fuerat, ut aliorum vincula solverent. « Omnes, qui inventi sunt, vineti sunt pariter, » quia universi, qui in nonnullis reperti fuerint provinciis, ab Antichristo vincentur, sicuti nunc quoque multi ab iniquitatibus variis superantur. *Procul*, inquit, *fugerunt : quia* longe a justitia, dum sibi metuerent, recesserunt.

Vel ita : « Quidnam tibi quoque est, » etc. Id est cum philosophi tumeant, et omnis sapientia sæcularis de sublimibus disputans simplicitatem contemnat Ecclesiæ : cur tu quoque excelsa sectaris ; « Clamoris plena, » etc. Doctrina hæreticorum non in sensu, sed in multiloquio et clamore versatur. Unde ob multitudinem deceptorum *frequens civitas* appellatur, et *exultans* propter superbiam. « Interfecti tui, » etc. Maxima pars absque ullo certamine et disceptatione hæreticorum deceptionibus supplantatur, nec vulneratur gladio, sed sponte sua transit ad hæreticos. Et omnes eorum principes ab Ecclesia migraverunt ad synagogam Satanæ, et transierunt simul discordes in perfidia, concordes in transcriptione, ideoque *duri facti sunt* in erroribus suis, et procul a Deo fugerunt. Sequitur :

Vers. 4. — « Propterea dixi : Recedite a me, amare flebo, nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. »

Solito more vir misericors visionem mœstam videns præ nimio dolore, ni fallor, cecidit, et accedentibus amicis, ut eum erigerent vel consolarentur : *Recedite a me*, inquit, *amare flebo*. Tanto enim mœrore ab intimis animi medullis erat affectus, ut nulla ratione consolationem recipere. Cumque protinus ad eum jacentem inclinarentur, qui mœstitiam ejus lenire volebant, adjecit : « Nolite incumbere, ut consolemini me. » Et cui consolationem reputat, ostendit adhuc, dicens :

Vers. 5. — « Dies enim interfectionis et conculcationis et fletuum a Domino Deo exercituum in valle visionis scrutans murum et magnificus super montes. »

Tempore enim extremæ persecutionis interficient opera justorum, et qui ad iniquitatem consenserint, conculcabuntur a dæmonibus in cœno vitiorum.

Vel animæ eorum interficientur, qui consensum Antichristo præbuerint ; cæteri vero conculcabuntur, et ab omnibus affligentur, et inter hæc pii quique flebunt. *Et ista dies a Domino*, quia divinitus est olim dispositum, ut tempus tribulationis illius veniat. *Scrutans murum*, quia tunc undique mentem pulsans, quantum uniuscujusque conscientia virtutibus sit munita, probabit. *At magnificus super montem Ecclesiæ*, quia sublimiores sanctos mirabilibus aggredietur tentationibus.

Vel dies judicii et interfectionis a Domino in valle visionis oritur, et ut singulorum opera demonstret, scrutatur *murum* hæreticorum, quem contra Ecclesiam quasi firmissimum propugnaculum construxerunt ; et magnificum gloriosumque, id est quemlibet doctorem eorum, qui se super Christo monte cohibere gloriatur. Sequitur :

Vers. 6. — « Et Ælam sumpsit pharetram, curruum hominis equitis, et parietem nudabit clypeus. »

Ælam interpretatur *sæculum* vel *ante fores* sive *pro foribus*, vel certe *sæcularia*, et significat hunc mundum, et omnia hæc visibilia, quæ nobis velut ante fores oculorum sunt. Rursus Ælam interpretatur *oppositi*, significans omnes qui nobis in via Dei sunt oppositi. Quid vero per *pharetram* nisi lædendi consilium accipitur ? Quid per *currum* nisi pomposa sæculi gloria ? Quid per hominem equitem, cujus est iste currus, nisi Antichristus, qui in sæculari gloria præ omnibus dominabitur ?

Ælam ergo vallem visionis obsidens sumit *pharetram*, quia vel hic mundus, vel hostis antiquus Dei famulos expugnare volens malignum tractat consilium, de quo mortifera subito jacula quasi de pharetra sagittas in eos mittat. Et quæ est hæc pharetra ? currus *hominis equitis*, id est gloria, quam Antichristus possidebit. Per hoc enim multos superabit, quod ille tunc perditionis filius omnem mundi gloriam obtinebit.

Vel sumet *pharetram* currus *hominis equitis ;* quia ut fidelium corda vulneret, temporalem eis gloriam, quam quisque potens in sæculo possidet, offeret. *Et parietem nudabit clypeus*, quia multi fideles, qui exterioribus Ecclesiæ ministeriis dediti erant velut parietes templi, fidem, qua repellere universa diaboli machinamenta poterant, abjicientes nudi remanebunt ante ejus pharetram currum gloriæ sæcularis amantes. Unde et Joanni dictum est : « Atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus (*Apoc.* xi, 2). » Quod enim apud Isaiam *paries*, hoc apud Joannem dicitur *atrium*, et quod paries clypeo nudatus describitur, hoc est quod « atrium foras ejectum et gentibus datum » ostenditur. Clypeus namque fides est, quia Paulus ait : « In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere (*Ephes.* vi, 16). » *Parietem* itaque *nudabit clypeus*, quia exterioribus occupationibus fidem amittent.

Vel Ælam, qui interpretatur *ascensus eorum*, sive Elamitæ, qui *contemptores* dicuntur, sumpserunt pharetram, « ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* x, 2), » qui sunt in curru et equites homines, ut parietem Sion et Ecclesiæ firmamentum suo clypeo et impugnatione denudent. *Erunt* autem *electæ valles* et humilia dogmata plena *quadrigarum* superbiæ, et per ecclesiasticos viros Deus revelabit

Digitized by Google

operimenta *Judæ*, et omnia secreta eorum qui in confessione fidei constituri sunt. Sequitur :

Vers. 7. — « Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, et equites ponent sedes suas in porta. »

Vers. 8. — « Et revelabitur operimentum Judæ, et videbitur in illa die armamentarium domus saltus. »

Electæ valles, id est illi qui propter humilitatem, quam ostendebant, æstimabantur electi, replebuntur in tempore illo quadrigis inanis gloriæ. Tanta enim tunc animarum erit pernicies, ut, qui jam in electorum sorte per nimiæ humilitatis gratiam computati videbantur, proh dolor! in superbiam elati divitias et honores sæculi Christo præferant.

Et equites, id est maligni spiritus, qui super cervices iniquorum equitant, *ponent sedes suas in porta fidei*, quia multis obstruent confessionis januam. « Ore enim confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). » Sed quia multi tunc erunt, qui præ timore se Christianos non confitebuntur, licet fidei veritatem in corde teneant : « *Equites sedes suas in porta* » illorum posituri dicuntur, quia fidei eorum dominabuntur.

« Et revelabitur operimentum Judæ, » quia conscientia eorum qui se Christianos tempore pacis confitebantur, patebit. Judas quippe *confessio* dicitur. *Armamentarium* vero locus est, ubi conservantur arma. Et quæ sunt arma fidelium nisi virtutes et verba sacri eloquii? Quod est *armamentarium* talium armorum nisi cor justorum? Quæ est enim *domus saltus* nisi perfectorum conscientia, quæ repulso strepitu desideriorum carnalium vacat, et videt, quoniam Dominus est Deus? « Videbitur ergo in illa die armamentarium domus saltus, » quoniam tribulatio tentationis mentem electorum, quæ erat mundanis remota tumultibus, et armis repleta cœlestibus, manifestabit. Post hæc manifestius hæreticorum perversitas describitur. Subjungit enim :

Vers. 9. — « Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt. »

Civitas quippe *David* Ecclesia Dei est, quam hæretici in reprobis per varias sectas scindere nituntur. Quibus congruit, et quod subditur : « Et congregastis aquas piscinæ inferioris. »

Vers. 10. — « Et domos Jerusalem numerastis, et destruxistis domos ad muniendum murum. »

Vers. 11. — « Et lacum fecistis inter duos muros, et aquam piscinæ veteris : et non suspexistis ad eum qui fecerat eam, et operatorem ejus de longe non vidistis. »

Quæ est enim piscina inferior nisi doctrina eorum tendens semper ad ima? Qui *et domos Jerusalem numerant*, quia non profectu sed copioso numero discipulorum gaudent. *Et* destruunt *domos*, id est subvertunt mentes fidelium, quos seducere possunt, ut *murum* suæ protectionis adversus Ecclesiam muniant. Dumque Vetus reprobant Instrumentum, nec Novum secuti sunt, quia Novum Veteris testimoniis roboratur. Propterea inter duos muros, veterem et novum fecerunt sibi novas aquas, quas interiores esse putant, et majora continere mysteria, quam in Testamento Veteri continentur, nec puteum, qui vitales et perpetuas haberet aquas, sed *lacum* cœnosum, qui continere non possit aquas, fecerunt *inter duos muros* Veteris et Novi Testamenti *et aquam piscinæ veteris*, id est antiquæ Legis umbram. *Et non* respexerunt Deum, qui Veteris Testamenti conditor est. Et *a longe* noluerunt eum videre, dum adhuc differt ad judicium venire. Sed ipse nollet eos perire sed respicere. Nam sequitur :

Vers. 12. — « Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum et ad calvitium et ad cingulum sacci. »

Quotidie enim Dominus hæreticos et peccatores vocat *ad fletum* pœnitentiæ, *et ad planctum* malorum, quæ fecerunt, *et ad calvitium*, ut frontem, quæ sedes est verecundiæ, detegant, et peccata de quibus erubescunt, vel erubescere habent, confitendo denudent, *et ad cingulum sacci*, ut asperitate pœnitentiæ accingantur. Sed illi econtra pro fletu et planctu habent, vel habuerunt gaudium et lætitiam, et quasi morte omnia finirentur, occidentes vitulos et arietes jugulantes, dum comederent carnes, et biberent vinum, locuti sunt verba blasphemantium. Dum in præsenti sæculo sumus, deliciis affluamus. Crastina enim dies, id est futurum tempus sine sensu erit.

Vel *in die* mortis *ad fletum et ad planctum* vocabitur, qui ante mortem noluit plangere mala, quæ fecit. In calvitio quoque et cingulo sacci habitus plangentium ostenditur. Quam videlicet diem bene Dominus in Evangelio super unumquemque hujusmodi prælatum ostendit venturam, dicens : « Si dixerit malus ille servus in corde suo; moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere conservos : manducet autem et bibat cum ebriis : veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora quæ ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium (*Matth.* xxiv, 48; *Luc.* xii, 45). » Qui enim superius tot mala fecisse describuntur quasi percutiendo conservos, et post hæc ad fletum vocandi dicuntur; nunc interim epulari et bibere cum ebriis declarantur, cum subditur

Vers. 13. — « Ecce gaudium et lætitiam occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.

Nam qui se morituros non ambigunt, dum adhuc potestatem habent, inanibus gaudiis et potationibus et luxuriis occupantur, ut nullo metu malorum, quæ futura sunt, mordeantur, sicut et alibi loquuntur : « Vino pretioso et unguento nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marescant; nullum pratum sit,

Digitized by Google

quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum sit exors luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ; quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra (*Sap.* II, 7).

Hoc itaque, quod in gaudio et lætitia dicuntur *comedere carnes, et bibere vinum* dicentes : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur, » manifeste declarat, quia alii reproborum idcirco præsentibus resolvuntur delectationibus, quoniam se in hac vita diu mansuros putant; alii, quia facultatem se citius amissuros æstimant, luxuriosius eisdem voluptatibus serviunt dicentes, ut præmisimus : « Quoniam hæc est pars nostra, et hæc sors nostra. » Adeo enim *præsentis* vitæ delectationes amant, ut nullam deinceps spem delectationis habeant. Sæpe etiam unus idemque homo et diu se hic vivere putat, et facultatem fruendi voluptatibus carnis per mortem amittere velociter metuit, ut et longitudinem vitæ simul et vicinitatem mortis sibi promittat, nec tamen ab iniquitatibus desistat. Sed de his propheta divinam annuntiat sententiam sequitur :

Vers. 14. — « Et revelata sunt in auribus meis Domini exercituum (123). »

Merito enim in iniquitatibus suis morituri asserantur, qui, quanto viciniorem suspicantur mortem, tanto magis augent iniquitatem dicentes : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. » Cum e contrario deberent dicere : « Jejunemus, et oremus, cras enim moriemur. » Non dimittetur eis hæc iniquitas, donec aut peccato moriantur et vitiis, aut cum delictis suis ad inferos pertrahantur. Dicente autem Domino : « Si dimittemur hæc iniquitas vobis, » defectus sermonis indicat affectum vehementer *indignantis* et comminationem confirmantis, quemadmodum et in Psalmo cum dicit : « Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV, 11). » Sequitur :

Vers. 15. — « Hæc dicit Dominus Deus exercituum : Vade et ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpositum templi, et dices ei : »

Vers. 16. — « Quid tu hic, aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriam diligenter in petra tabernaculum tibi. »

Tabernaculum vel *templum* Ecclesia præsens est, de qua dicitur : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus (*Apoc.* XXI, 3). » Et : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17). » Præpositus hujus templi quilibet superbus pontifex inutilis est, qui in Evangelio *mercenarius* appellatur (*Joan.* X, 12). Unde Sobnas interpretatur *revertens*, quia sacerdotes hujusmodi revertuntur ad ea quæ retro sunt : non extenduntur in ea, quæ ante sunt. Cum autem dixit Dominus : « Vade et ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, » ostendit, quia perfectus quilibet sanctus increpare debet secreto tales præpositos, sicut Samuel increpavit Heli principem sacerdotum.

Sed videamus, quid dicat tali prælato : « Quid, inquit, tu hic agis? Ac si dicat : Nihil hic subjectis proficis. « Aut quasi quis hic ? » Id est : Tu es hic *quasi quis*, quia locum tenes prælationis, et opus prælati non imples. « Quia excidisti tibi hic sepulcrum, » id est tu spiritualiter mortuus corda hominum corrupisti, ut te diligerent, et in mentibus tibi faventium quasi in sepulcro condereris. Inutilis enim sacerdos, cum favores hominum acquirit, cor eorum sibi sepulcrum, in quo spiritualiter jam mortuus quiescat, facit.

Excidisti in excelso memoriam tuam, quia quæsivisti etiam post mortem laudibus humanis in longum extolli, *diligenter in petra*, id est in dura mente sæcularium *excidisti tabernaculum tibi*, in quo te protegeres. Sequitur :

Vers. 17. — « Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. »

Vers. 18. — « Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, et spatiosam; ibi morieris, et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui. »

Vers. 19. — « Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. »

Gallus gallinaceus est eunuchizatus cui comparatur inutilis præpositus. Quia sicut iste gallus fecundare gallinas nequit, sic et hujusmodi præpositus, amissa virilitate mentis spiritale, semen in corda subjectorum mittere non valet. Sed sicut vulpes gallos, sic dolosius dæmon asportat hujus animam. *Et sicut amictum*, id est vestimentum prædo sublevat, ita corpus ejus in resurrectione tollet raptor antiquus; et cui corona vitæ promissa fuerat, si recte ageret, nunc perpetua tribulatione coronabitur, id est circumdabitur.

Pila vero globus est pilorum, quo juvenes ludunt. Tunc ergo mittetur iste *quasi pila in terram latam et spatiosam*, quia ludibrio dæmonum longe lateque jactabitur, et ab omnibus ferietur, et agitabitur, *ibique* æterna morte morietur. *Et ibi erit currus gloriæ* ejus, id est ad hoc redigetur pompa jactantiæ et elationis ejus. Qui videlicet *currus gloriæ* ejus *ignominia domus Domini* vocatur, quia sacerdotis pomposa elatio ignominia est totius Ecclesiæ : et idcirco talis plerumque etiam ante mortem expellitur *de statione* sua, ut in loco ejus melius substituatur. Unde et subditur :

Vers. 20. — « Et erit in die illa : vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ. »

Vers. 21. — « Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manus ejus, et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda. »

Vers. 22. — « Et dabo clavem domus David su-

(123) Alias, *revelata est in auribus meis vox Domini exercituum* . . . . . .

Digitized by Google

per humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat et claudet, et non erit qui aperiat. »

VERS. 23. — « Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris sui. »

VERS. 24. — « Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus, vasorum diversa genera, omne vas parvulum a vasis craterarum usque ad omne vas musicorum. »

VERS. 25.— « In die illa dicit Dominus Deus exercituum auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur et cadet, et peribit, quod pependerat in eo quia Dominus locutus est. »

Quid enim per *Eliacim* intelligendum est, qui interpretatur *Dei resurrectio* vel *Deus resuscitavit*, nisi divinæ gratiæ resuscitatio? Et sanctæ religionis ac piæ conversationis, quæ per bonos pastores divinitus excitatur, reformatio? Sæpe enim sub malis rectoribus sanctæ religionis ac sacri ordinis instituta labuntur. Sed postquam loco malorum boni pastores successerint, qui sunt filii Helciæ, qui interpretatur *pars Domini*, id est qui sunt filii dilectionis, omnia, quæ ceciderant, resuscitantur.

Deposito itaque Sobna succedit Eliacim filius Helciæ, qui sit *pater habitantibus Jerusalem;* quia plerumque morientibus vel ob culpam suam degradatis inutilibus Ecclesiæ pastoribus loco eorum dulces ac pii pastores subrogantur, qui paterno affectu cuncta provideant, et paternis visceribus singulis consolantur fidelibus.

Jerusalem et domus *Juda* catholica est Ecclesia. Et quamvis pastores sæpius deteriores melioribus succedant, quam meliores deterioribus, propheta tamen divinæ gratiæ prænuntiator illud, quod per gratiam Dei faciendum novit, proloquitur : *Et dabo*, inquit, *clavem domus David*, id est Ecclesiæ *super humerum ejus*, quia ipse portabit onus curæ pastoralis, et in operibus velut in humeris portabit discretionem ac potestatem aperiendi et claudendi, id est solvendi et ligandi, ut quæ solverit et ligaverit, operibus suis demonstret esse solvenda sive liganda, id est, faciat ea pro quibus alios solverit, et non faciat ea, pro quibus alios ligaverit.

« Et aperiet, et non erit, qui claudat, » quia « quodcunque solverit super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI, 19). » — « Et claudet, et non erit qui aperiat, » quia « quodcunque ligaverit super terram, erit ligatum et in cœlis. »

Vel ita : *clavem David* intellige discretionem et scientiam interpretandi Scripturas, quia aperiuntur ea quæ exponuntur et clauduntur, quæ nobis absconduntur. Quæ portatur in humero, ut doctor, quod intelligit, aut loquitur, faciat.

« Et figam illum paxillum in loco fideli, » id est in Ecclesia, ut omnium actio pendeat ex ejus magisterio et omnes erigat, atque sustineat ejus firma rectitudo. « Et erit in solium gloriæ domus patris sui, » quia requiescent et gloriabuntur in eo omnes electi. Pater enim ejus Helcias est, qui dicitur *pars Domini*. *Vasa* quæ suspenduntur in eo, homines sunt quos sursum tendere facit. *Vasa craterarum* illi sunt, qui mentes fidelium poculo sanctæ prædicationis inebriant. *Vasa musicorum*, qui divinis cantibus auditorum corda demulcent. Aut certe vas musicum est, quicunque veraciter dicit : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ (*Psal.* CXVIII, 54). » Omnes ergo isti et cæteri, qui describuntur, suspendentur in eo, quia in ejus exemplis ac sermonibus attendentes ima deserent, et ad superna erigentur.

« In die illa auferetur paxillus, qui fuerat fixus in loco fideli, et frangetur; » quia, sicut dictum est, succedente bono præpositus inutilis dejicitur.

Si autem nomine *vallis visionis* Ecclesiam signari generaliter intellexeris, id est ab initio sæculi usque in finem, poteris per *Sobnam* sacerdotes Instrumenti Veteris et doctrinam eorum accipere, et per *Eliacim* sacerdotium Christi, quod in Novo Testamento est, ac sacerdotes ejus prædicatores resurrectionis filius. Quis est enim, qui habitat in tabernaculo Judæorum et in domo quondam Dei nisi Judaicus sermo, et ratio, quæ in Veteris Instrumenti lectione versata est? Huic itaque traditioni dicitur atque doctrinæ : « Quid hic agis? » Cur tibi vis ædificare domum in occidente littera, et tabernaculum, quod non habet fundamentum in duritia ejusdem litteræ? Ob hoc autem dico tibi, quod in excisione sepulcri ubi mortuos recondas, vel ipse mortuus jaceas, laborare non debes, quia transferet Dominus sacerdotium tuum sicut transferri solet gallus effeminatus, qui nec generare valet, nec cantare.

Sobnas enim interpretatur *convertens* vel *conversio*. Dicitur ergo principi Judæorum, ut convertatur de lege ad Evangelium, et victimarum imaginibus derelictis transferat se ad spiritalis sacrificii veritatem. Eliacim vero, qui dicitur *Dei resurrectio*, vel *Deus resuscitavit*, interpretatione sui nominis designat Christum a mortuis resuscitatum. Qui et *filius Helciæ*, id est *patris Domini*, est. Hunc enim pater signavit Deus, et ait illi : « Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi (*Matth.* III, 17). » Deposito igitur in Sobna veteri sacerdotio surgit novum in Eliacim juxta ordinem Melchisedech. « Vocabo, inquit, servum meum Eliacim, et induam illum tunica tua, » etc. Christus sacerdotali tunica est indutus, id est propria carne vel sancta Ecclesia, et cingulo sacerdotali confortatus, quia « indutus est Dominus fortitudine, et præcinxit se virtute (*Psal.* XCII, 1). »

Vel sacerdotale cingulum est justitia, quia scriptum est : « Sacerdotes tui induantur justitia (*Psal.* CXXXI, 9). » Quo cingulo Dominus est confortatus, quia de illo prædictum fuerat : « Et erit justitia cingulum lumborum ejus (*Supra* XI, 5). » Cui data est *clavis domus David*, sicut ipse loquitur : « Hæc dicit Sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit. Scio opera tua (*Apoc.* III, 7). » Quam videlicet clavem habet *super humerum*, quia per crucem, quam

Digitized by Google

in humero gestavit, regni cœlorum nobis aperuit, et omnia Legis et Prophetarum arcana patefecit. Sed et primo pastori personam cæterorum gerenti dedit eam dicens : « Tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI, 19). »

« Et figam, inquit, illum paxillum in loco fideli, » quia ipse continet Ecclesiam suam, et firmat, ne portæ inferi prævaleant adversus eam. « Et erit in solium gloriæ domui patris ejus, » quoniam « dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jabob in æternum (*Luc.* I, 32), » — « ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II, 8). »

« Et suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus, » ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, « qui, cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia, sedet ad dexteram majestatis in excelsis (*Hebr.* I, 3). » Bene ergo super eum omnis gloria domus patris ejus suspendi asseritur, qui portans omnia dicitur, « in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I, 12), » et ipsi in eum suspensi. Neque enim, quisquam glorificatur in domo Patris ejus per eum : « Quia non est in alio aliquo salus (*Act.* IV, 12). »

Et *diversa vasorum*, id est hominum, *genera* suspenduntur in eo, sicut ipse ait : « Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Quomodo autem cæteris sacerdotibus hæc conveniant, facile ex superioribus intelligitur. *In die illo*, id est in tempore Antichristi, *auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur*, quia multi rectores de Ecclesia tollentur, et adversitatibus frangentur ac dejicientur, et fracto paxillo, id *est justo pastore cadet* a fide populus, qui *perpenderat in eo, et peribit*. Ut autem hæc omnia inevitabiliter sic ventura fore monstraret, in fine subjunxit : « Quia Dominus locutus. »

CAPUT XXIII.

VERS. 1. — « Onus Tyri. Ululate naves maris, quia vastata est domus, unde venire consueverant : de terra Cethim revelatum est eis. »

Onus istud in decimo gradu positum ad eos pertinet, qui præcepta Dei, quæ per denarium numerum designantur, speciali professione se custodituros promiserunt. Tyrus namque dicitur *angustia*, conversationem eorum significans, quibus dicitur : « Intrate per angustam portam, quia lata et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam! (*Matth.* VII, 13.) » Inde et Tyrus posita est in insula, sacrorum cœnobiorum figuram tenens, ubi degunt hi qui turbines et naufragia sæculi evaserunt, et ad stabilitatem solidæ conversationis pervenerunt. Quibus nonnulli ex ipsis, ut victui necessaria præparent, aliquas sæculi actiones sustinere compelluntur, et nunc velut *naves*, ut victum deferant, per sæculi pelagus incedunt, nunc ad monasterium velut ad quietum littoris refugiunt.

Quid igitur istos nisi *naves maris* dixerimus? Sed quia jam in plerisque monasteriis religio nimium defecit, *Ululate*, inquit, *naves maris*. Qui enim de religione monasterii sui gloriabantur et exsultabant, nunc de ejus irreligiositate erubescunt et contristantur. Et cur eos ululare et lamentari præceperit, addidit : « Quia vastata est domus, unde venire consueverant, » id est de monasterio eorum internas rapuere divitias hostes invisibiles, et destruxere virtutum munitiones.

« De terra Cethim revelatum est eis, » quia plerumque destructionem religionis suæ magis advertunt, dum bonam sæcularium vitam aspiciunt, aut loquuntur cum eis. Quid enim per terram Cethim, quæ et Græcia significatur, nisi conversatio sæcularium; nam, quia viri sæculares nonnunquam recte vivunt et futuram discussionem metuunt, Cethim interpretantur *signati et formidantes*. Signatus enim merito dicitur, in cujus conversatione videtur similitudo bonitatis divinæ; formidans vero est, de quo Salomon ait : « Beatus homo, qui semper pavidus (*Prov.* XXVIII, 14). » Jure igitur de terra talium revelatur eis vastitas domus suæ, quia ex consideratione religionis eorum cognoscunt suos amisisse religionem.

Vel omnis anima vitiis occupata, et pravis cogitationibus Tyrus, id est, *angustia* vocari potest. *Naves maris* sunt mentes deditæ sæculi desideriis et actibus, quæ jubentur ululare pœnitentiam agendo, quia « Mundus transit et concupiscentia ejus (*I Joan.* II, 17), » et cuncta sæcularia. Mare enim hoc ultra non poterit navigari, sed omnia congelascent. Jam enim torpet hoc sæculum, et quasi glaciali frigore constringitur, ita ut ejus actiones vix queant exerceri. Unde patet, quia ipse mundus prope finem est. Sequitur :

VERS. 2. — « Tacete, qui habitatis in insula : negotiatores Sidonis transfretantes mare repleverunt te : »

VERS. 3. — « In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : et facta est negotiatio gentium. »

Tacete, inquit, *tacete* vos, *qui habitatis in insula*, id est monasterio, quia præ confusione non audebitis aperire ultra os. Habitamus in insula, quandiu tentationibus hujus sæculi tundimur, et ex omni parte nostra insula atque navicula marinis feritur fluctibus. Cujus insulæ negotiatores de Sidone sunt, quæ interpretatur *venatrix*, et in qua venatores habitant, de quibus scriptum est : « Liberavit me de laqueo venantium (*Psal.* XC, 3). » Omnes autem negotiatores gentium segetibus comparantur, quæ cito arescunt, vel messibus *fluminis*, quæ de cœlo non habent pluviam, sed aquam de terra, et in eo cum gentibus sunt perituræ.

Sed ad priorem sensum redeamus. Sidon dicitur *venatio inutilis*. Quæ est igitur negotiatio venationis inutilis nisi actio quorumdam professorum religionis, qui toto corde terrena sectantes

Digitized by Google

mundanis actionibus et negotiis semper inservire satagunt? Qui *transfretantes mare*, id est euntes per mundum replent negotiationem istam *in aquis*, id est in populis *multis*, quia huc illucque discurrentes in diversis locis aggregant temporales divitias.

Semen Nili, id est quod seminatur juxta Nilum, et *fruges ejus*, id est Tyri, et *messis fluminis* ejusdem, id est quæ mundationibus Nili crevit, et *fruges ejus*. Quantum ad litteram terra Chananæorum, in qua Tyrus est, infecunda est; Ægyptus vero, quam Nilus irrigat, fertilissima est, ideoque negotiatores Tyri de Ægypto frumentum navibus afferebant. Et hoc est quod dicit, quia quod Ægyptii seminabant, Tyrii sumebant, et messis Ægyptiorum erat fruges Tyriorum. Sic et religionis sanctæ professores a sæcularibus viris, vel ab Ægyptiis ea, quæ ad victum pertinent, accipientes, spiritalia dona recompensare eis solent. Verum si talis negotiatio immoderate fiat, nocet plurimum religiosis. Et ideo nunc sub specie Tyri, quæ fruges Ægyptiorum percipit reprehenditur vita eorum, qui sæculo renuntiasse se dicunt, et nihil manibus suis operantes bona sæcularium virorum sumere semper omni aviditate quærunt.

Et facta est vita eorum *negotiatio gentium*, quia plurimi dantes eis carnalia accipiunt spiritalia. Quæ tamen negotiatio non secundum perversitatem Simonis agitur, sed secundum quod servi Dei pro suis benefactoribus orare consueverunt, eisque spiritalia reddere beneficia, et secundum Apostoli sententiam, qui de pauperibus sanctis, qui erant in Judæa loquens ait : « Si spiritalium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis (*Rom.* xv, 27). » Sequitur :

Vers. 4. — « Erubesce Sidon, ait mare, fortitudo maris dicens : Non parturivi et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. »

Sæculi hujus *mare*, in quo sunt animalia pusilla cum magnis, et draco, quem plasmavit Deus ad illudendum ei, videns a venatoribus Christi de omni monte et colle venatos et captos illos, qui prius a dæmonibus capti fuerant, loquitur ad contrariam fortitudinem venatorum, qui interpretatur Sidon, et dicit ei : « Erubesce Sidon, ait mare. » *Non* enim *parturivi nec peperi, nec* captos a te nutrivi *juvenes*, nec educavi *virgines*, quarum stultitia in Evangelio condemnetur. Mala enim parturitio, et partus, et nutrimentum, et educatio virginum apostolorum Christi parturitione deleta est, quorum unus loquebatur : « Filioli mei, quos iterum parturio (*Gal.* iv, 19). » Et : « Lac vobis potum dedi (*I Cor.* iii, 2). » Et : « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* xi, 2). »

Sanctus Papa Gregorius de beato Job loquens ait (In præf. ad lib. I *Moral.*) : « Homo gentilis, homo sine lege ad medium ducitur, ut eorum, qui sub lege sunt, pravitas confundatur. Quod bene per prophetam ac breviter dicitur : « Erubesce, Sidon, ait mare. » In Sidone quippe figuratur stabilitas in lege positorum ; in mari autem vita gentilium. Erubesce ergo, Sidon, ait mare, quia ex vita gentilium redarguitur vita sub lege positorum, atque ex actione sæcularium confunditur actio religiosorum, dum illi etiam promittendo non servant quæ in præceptis audiunt ; et isti vivendo ea custodiunt, in quibus mandatis nequaquam legalibus astringuntur. »

Item Gregorius in Pastorali (part. III, cap. 28). Plerumque, inquit, in actione sæcularium vita confunditur continentium cum et illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Unde bene per prophetam dicitur : « Erubesce, Sidon, ait mare. » Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium ejus, qui munitus et quasi stabilis videtur, vita reprobatur ; » fortitudo autem maris virtus bonæ actionis sæcularium est.

Quæ dicit : « Non parturivi et non peperi, » quia sæculares viri per prædicationem filios parere non student. Ubicunque autem hoc duo verba simul ponuntur, parturire est ante partum dolere, parere vero partum effundere. Et illi spiritaliter parturiunt, et pariunt, qui labores sanctæ conceptionis tolerant, et proferendos Deo filios intra uterum charitatis portant, ut eos in sancta conversatione pariant sicut viri religiosi, qui lucrandis animabus invigilant, qui Deo filios generant convertendo, et enutriunt bonis moribus informando. *Juvenes* autem et *virgines* fortasse propter utrumque sexum dicit, quia et sancti viri juvenes Deo nutriunt, et religiosæ feminæ. Sidon itaque verecundiam faciens, « ait mare et fortitudo maris : Non parturivi et non peperi, et non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines. » Ac si vita sæcularium exprobret ordini religiosorum, dicens : Tu, qui alios parere Deo spiritaliter, ac nutrire solebas, et bonis moribus usque ad perfectionem informare, non observans illud Apostoli : « Ne forte cum aliis prædicaverim. ipse reprobus efficiar (*I Cor.* ix, 27). » Quod prædicare cæteris consuevisti, ipse non agis, cum ego, quæ nunquam alios convertendo peperi, aut enutrivi, sancta faciem opera, de qua tam mirum non esset, si sæculariter viverem, quam de te, qui sæculo renuntiasti. Sequitur :

Vers. 5. — « Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cum audierint de Tyro. »

Quia boni sæculares dolent audientes casum religiosorum. Vel cum audierit Ægyptus, quæ interpretatur *tribulans* et *coarctans*, etiam ipsa terrebitur, se quoque intelligens eadem, quæ Ty-

Digitized by Google

rus passa est, esse passuram. Quod cum ad omnia vitia referatur, potest etiam in hæresium diversitate sentiri, quando alia capta hæresi alia pertimescit, et in alterius confusione alter capiendum esse se sentit. Sequitur :

VERS. 6. — « Transite, maria, ululate, qui habitatis in insula. »

Quid per *maria* nisi amari fluctus actionum sæcularium designantur? Religiosis ergo, qui mundanas actiones exercere cupiunt, per ferientem sententiam divinitus dicitur : ut *transeant maria*, quia sæcularium vitam in terrenis negotiis, et turbulentis actionibus superare permittuntur. *Tyrus* quippe transit maria, quando religiosus amaritudines terrenarum actionum magis quam sæculares viri sectatur. Sed his maria sic transeuntibus ululare jubentur, id est lapsum religionis eorum plangere illi, qui in monasterio habitant velut *in insula*, et ordinis adhuc rectitudinem servare, si fieri posset, vellent.

Vel *transito* animo *maria*, id est sæcularia, festinantes ad portum cœlestis patriæ, et lugete peccata vestra vos, *qui habitatis in insula*, qui ex omni parte expositi estis tentationum fluctibus. Sequitur :

VERS. 7. — « Nunquid non hæc vestra est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua? Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. »

Tyrus « gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua, » quia plerique monachi et religionum professores plus de longo tempore conversationis, quam de morum perfectione gloriari solent. Sed « ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum, » quia instigante occulto insidiatore nonnunquam tales *fugiunt* de monasterio.

Vel *pedes* ejus, id est affectiones cordis ejus *ducent eam longe* a justitia, et ad peregrinas actiones, id est ad iniquitates, quas non noverat.

Vel quæ in antiquis erroribus gloriabatur, nunc ab his longe recedet, et Evangelium devota suscipiet, ut peregrina sit et hospes super terram. Sequitur :

VERS. 8. — « Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ? »

VERS. 9. — Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. »

« Quis, inquit, cogitavit hoc super Tyrum? » Ac si dicat : Quis hoc æstimaret venturum super Ecclesiam religiosorum, ut sic caderet? Tyrum inquit *quondam coronatam*, id est discipulis ornatam. Corona enim doctorum discipuli eorum sunt. Unde Paulus his, quos Domino acquisiverat dixit : « Quæ enim est spes nostra, aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum Jesum estis in adventu ejus (*I Thess.* II, 19); » Itemque : « Gaudium meum, et corona mea sic state in Domino, charissimi (*Philip.* XIV). »

A Tyrus ergo *quondam* coronata erat, quia hi qui sæculo renuntiaverant, alios verbo et exemplo convertentes, frequentia discipulorum ornabantur. *Cujus negotiatores principes erant.* Prædicatores enim sunt negotiatores, quia talentum verbi erogant, et bona conversatione auditorum locupletantur. Unde eis paterfamilias dicit : « Negotiamini, dum venio (*Luc.* XIX, 13). »

Institor autem vocatur, qui semper negotiis insistit. Institor ergo spiritalis est, qui facit, quod Apostolus ait : « Prædica verbum, insta opportune (*II Tim.* IV, 2). Hi itaque *negotiatores et institores*) Tyri erant *principes et inclyti terræ*, quia præficiebantur ecclesiis, et habebantur ubique præclari. Sed, quia prosperis succedentibus superbire B cœpit hæc Tyrus et de sanctitate foris gloriari, divino judicio permissa est in culpas foris cadere, de quibus in conspectu hominum erubesceret, sicque per exteriorem confusionem humiliata rediret ad gratiam, a qua per elationem, dum laudes humanas quæreret, recesserat.

Nam *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret* ab ea *superbiam omnis gloriæ* ejus, *et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ*, id est ignominiosos ostenderet omnes, qui se sanctitate inclytos, dum adhuc super terram essent, jactabant, vel qui putabantur meritis inclyti. Vel *inclytos terræ* ejus, id est egregias virtutes mentis ejus propter elationem deduceret ad ignominiam et confusionem. Sequitur :

C VERS. 10. — « Transi terram tuam quasi flumen filia maris, non est cingulum ultra tibi. »

VERS. 11. — « Manum suam extendet super mare, conturbabit regna, Dominus mandavit adversum Chanaan, ut contereret fortes ejus. »

VERS. 12. — « Et dixit : Non adjicies ultra, ut glorieris calumniam sustinens virgo filia Sidonis : in Cethim consurgens trans freta, ibi quoque non erit requies tibi. »

Sicut fluvius, cum vehementer excreverit, aquam suam intra alveum cohibere non valet, sic plerumque prava anima eo usque cogitationum illicitarum fluctu repletur, ut exuberantem nequitiæ fluvium jam in secreto cordis continere nequeat, sed in D actionem foras erumpere sinat. Unde nunc apte per increpationem subditur : « Transi terram tuam quasi flumen filia maris. » Terram quippe corporis sui transit more fluminis ripas extendentis, qui malitiam in corde conceptam actu corporeo promit. Et recte non filia Jerusalem, sed *filia maris*, id est sæculi vocatur hæc anima, quia non ex amore superno, sed ex malitia præsentis sæculi nequam generata sunt in corde ejus hujusmodi desideria, et sæcularem intra se malitiam suscipiens effecta est filia sæculi.

Quia vero post immundas cogitationes deperit carnis integritas, « non est, inquit, cingulum ultra tibi. » In cingulo quippe restrictio luxuriæ designatur. Unde et Dominus ait : « Sint lumbi vestri

Digitized by Google

præcincti (*Luc.* XII, 35). Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Qui ergo carnem in luxuriam relaxat, recte cingulum jam non habere perhibetur. Sed quia in prosperitate sic cogitat anima perversa, et cingulum continentiæ deponit, justum est, ut adversitatibus feriatur, si forte vel in adversis resipiat.

Extendet ergo Dominus *manum suam super mare*, commovens tumultuosas sæculi tempestates adversus eam, *et conturbabit regna* mundi contra eam : quod enim quasi de una anima dicitur, de multis est intelligendum. Et *ideo mare*, id est sæculum consurgit adversus quamlibet talem animam, et regna conturbantur adversus eam, quia in omnibus regnis terrarum detestantur viri sæculares religiosos, et disponente Deo consurgunt in eos adversa sæculi.

Chanaan vero *motus eorum* interpretatur. Et motus eorum est, de quo per Psalmistam dicitur : « Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei (*Psal.* LXXII, 2). » Et de quo rursum dicit : « Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me (*Psal.* XXXV, 12). » Quia ergo vel blanda sæculi diligentes, vel de virtutibus superbientes impellente manu Satanæ moventur a statu perseverantiæ. « Dominus mandavit adversus Chanaan, » id est adversus motum eorum multimoda scandala movit, *ut* adversitatibus *conteret fortes ejus*, id est virtutes, de quibus superbire cœperant, et contritis fortibus, id est confractis virtutibus dixit :

Non adjicies ultra, ut de religiosa conversatione *glorieris filia Sidonis*, quondam *virgo*, sed nunc ignominiosæ actionis *calumniam* et opprobrium *sustinens*. Permittit enim Dominus virtutes conteri, de quibus mens elationem sumebat, ut ei vanæ præsumptionis gloriationem auferens humilitatis sensum infundat. Quæ *virgo* dicitur, non quia jam virgo sit, sed postquam statum salutis amisit, ad confusionis suæ cumulum appellatur, quod fuit. Et ob hoc etiam *filia Sidonis* vocatur, cum in Sidone stabilitas vitæ continentiam exprimatur. Deinde per increpationem ait :

« In Cethim consurgens trans freta. » Ac si dicat : Vade in sæculum, o religiose : « ibi quoque non erit requies tibi ; » quia et ibi graviora nimis adversa patieris. Omnis etiam anima, quæ in sæculi fluctibus posita est, et circumfertur omni vento doctrinæ, Chanaan appellanda est, quod interpretatur *quasi fluctuatio* sive *commotio*. Prodest igitur Tyro et ejus angustiis robur perire Chananæorum, ut dicatur ejus habitatoribus, quod ultra non valeant injurias facere, et opprimere iniquitate virginem filiam Sidonis. Quicunque a diabolo captus est in diversorum perturbatione vitiorum, et traditus in contumelias ignominiæ, ut polluat corpus suum voluptatibus et turpitudine, iste filius vel filia Sidonis est. Cethim vero dicitur *plaga consummata*. Et sæpe videmus in sæculo quosdam de alio proposita transire ad aliud, ut verbi gratia, qui militiam male experti sunt, fiant negotiatores, rursumque causidici arripiant arma ; tamen, qui salvandi sunt ex eis, dispensante Deo semper laborem et miserias inveniunt, ut discant non in sua industria sed in Deo confidere. Sequitur :

VERS. 13. — « Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit. Assur fundavit eam ; in captivitatem transduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt in ruinam. »

Chaldæi *quasi verba*, vel *quasi ferri* dicuntur. Et homines illi quasi verba sunt, de quibus Salomon ait : « Fili mi, si lactaverint te peccatores, ne acquiescas eis (*Prov.* I, 10). » Illi autem *quasi feri* sunt, id est ferarum more viventes, de quibus a Domino discipulis dictum est : « Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos (*Luc.* X, 3). Hos igitur Chaldæos intellige, qui Tyrum subverterunt. Homines namque perversi, vel etiam dæmones duobus modis nos decipere conantur, id est blandiendo et terrendo.

« Talis populus non fuit, » quia valde sunt ad decipiendum astuti. Quorum terram, id est gravidam eorum mentem « fundavit Assur, » id est diabolus, sicut et contrario Dominus fundavit Sion. Nam sicut Christus fundamentum congregationis est religiosorum ; ita diabolus fundamentum est congregationis reproborum. Et hujusmodi homines sive maligni spiritus *in captivitatem transduxerunt robustos Tyri*, quia vel blandis persuasionibus, vel asperis terroribus traxerunt in peccatum religiosos, qui mentis fortitudine robusti putabantur.

Domus vero, id est mentes eorum, suffodiuntur, quia deserente Deo corda eorum internum retributionis præmium non requirunt, et in eo suffodiuntur, quia falluntur, ut pro æterna gloria de temporali gratulentur. Suffodiuntur, quia dum futura cœlestis patriæ negligunt, in suis voluptatibus cadunt. Suffossis etiam domibus ponitur *in ruinam Tyrus*, quoniam ablato fundamento charitatis ruit Ecclesia religiosorum. Nam, si in charitate radicati et fundati firmiter persisterent, nullatenus a Chaldæis in ruinam poni valeret civitas eorum. Qua subversa sententiam in initio præmissam repetit propheta dicens :

VERS. 14. — « Ululate, naves maris, quia vastata est fortitudo vestra. »

Dissipata enim de monasteriis religione et elapso ordine robur amiserunt, qui foras ad utilitates necessarias egredi solebant.

Vel omnia bona sæculi hujus et universus mortalium labor incerto navium cursui comparantur, quod cito peritura sint, et cuncta navigantium fortitudo solvatur. Sequitur :

VERS. 15. — « Et erit in die illa : In oblivionem eris, o Tyre, septuaginta annis sicut dies regis unius. Post septuaginta autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis. »

Per Tyrum, ut sæpe dictum est, intelligitur vita

Digitized by Google

religiosorum, vel Ecclesia eorum, sive anima quælibet religiosa. Sed Tyrus in ruinam posita *erit in oblivionem*, quia quæ fama celebris ubique habebatur, dum sancte viveret, jam a statu suo lapsa in oblivionem data est omnibus, et vilis effecta, atque in nihilum tam Deo quam hominibus est deputata *septuaginta annis*, id est usque ad completionem septuaginta annorum, hoc est usque ad perfectionem bonorum operum. Anni enim septuaginta quibus et Israel servivit bonorum operum plenitudinem designant, quæ per sancti Spiritus gratiam datur secundum legis Decalogum. Nam septies decem septuaginta sunt, et septenarius ad septiformem gratiam pertinet : denarius ad numerum præceptorum Dei.

« In oblivionem, inquit, eris sicut dies regis unius, » id est sicut aliquo rege mortuo dies, quibus regnavit, oblivioni traduntur; ita dies, quibus in te justitia regnum habuit, erunt in oblivionem, quoniam justitia, quæ regnavit in te, mortua est, et loco ejus successit alius rex, id est peccatum; scriptum quippe est : « Etiamsi dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur (*Ezech.* XXXIII, 13). »

« Post septuaginta autem annos, » id est post tempus quo injustitiæ servivit, « erit Tyro quasi canticum meretricis, » id est malorum suorum recordatio, id est planctus pœnitentiæ. Meretrix enim, postquam fornicari desierit solet mœrens eorum recordari, quæ gessit, et cum lugubri cantico memorare ea. Similiter et anima, quæ immundorum spirituum suggestionibus velut corruptorum libidini subjecta diu consensit, tandem resipiscens confunditur super his, quæ fecit, et plangit ea quæ turpiter egit. Canticum enim non gaudii sed mœstitiæ ac lamentationis vocem nunc designat. Sequitur :

VERS. 16. — « Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita : bene canta, frequenta canticum, ut memoria tui sit. »

Quid in cithara nisi carnis castigatio figuratur? Cithara quippe ab inferiori parte sonum reddit, ita et corporis maceratio atque humilis pœnitentia ab imo canticum dulce sursum in aures superni inspectoris modulatur. *Sume* ergo, inquit, *citharam*, id est carnis mortificationem, in qua dulce melos coram Deo resones, et *circui civitatem* Ecclesiæ, id est esto inter pœnitentes, qui stare solent extra domum orationis, vel esto inter ultimos fidelium. Alii enim fidelium sunt in medio civitatis sanctæ hujus; alii in extremis ejus. Nam sanctissimi quique sunt in medio ejus, qui vero minimi sunt in corpore Christi, degunt in extremis ejus. Civitatem ergo circuit, qui inter istos humiliter se computans opera justitiæ sectatur.

Bene, inquit, *cane*, id est convenienter mala, quæ gessisti, plange, et universas chordas virtutum, quæ quondam fuerant relaxatæ, in laudes compone. *Frequenta canticum*, id est sæpe lamentare, ut apud Deum *memoria tui sit*, qui te oblivioni tradiderat, quia et tu præceptorum ejus oblita fueras. Sequitur :

VERS. 17.— « Et erit post septuaginta annos : visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas, et rursum fornicabitur cum universis regnis terræ super faciem terræ. »

VERS. 18.— « Et erunt negotiationes ejus, et mercedes ejus sanctificatæ Domino; non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent usque ad saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem. »

Post septuaginta annos, id est post actam pœnitentiam et operum bonorum plenitudinem *visitabit Dominus Tyrum*, priatinam ei gratiam reddens, et post hæc *reducet eam ad mercedes suas*, id est ad lucra sua, ut iterum bona temporalia sufficienter acquirat.

Et rursum, ut solebat, *fornicabitur*, id est negotiabitur. Fornicatio enim pro negotiatione vel divitiarum acquisitione ponitur. Nam quod ait : « Fornicabitur, et erunt mercedes ejus santificatæ Domino; quia his, qui habitaverint coram Dominc erit negotiatio ejus » ei sententiæ consonat, qua Dominus admonet : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XIX, 9). » Mammona quippe interpretantur *divitiæ*, quæ licet justo labore aquisitæ, tamen divitiæ *iniquitatis* appellantur, quia iniquum, id est ab æquitate discrepans est, ut alius divitiis abundet, alius egeat. Quarum appetitus dicitur fornicatio, quia ille solus amor castus est, quo Deus ac proximus diligitur; quidquid infra diligitur, præsertim ab his, qui sæculo renuntiaverunt, non casto amore diligitur : et ideo sicut dictum est, appetitus, et acquisitio bonorum temporalium appellatur fornicatio.

Sed ejus, qui sic fornicatur, *negotiationes ac mercedes sanctificatæ* sunt *Domino*, atque *his, qui* habitant *coram Domino*, fit *negotiatio ejus*, quando facit sibi amicos de mammona iniquitatis; quando divitias non ob aliud acquirit, nisi ut eas ministret servis Dei. Itaque *fornicabitur* iterum *cum regnis* universæ *terræ super faciem terræ*, quia in omnibus regnis et gentibus compelluntur hujus vitæ necessitatibus acquirere justi bona temporalia.

« Et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus, » quas in ipsis negotiationibus assequitur, *sanctificate Domino*, quia in usus eleemosynarum ac pietatum expendent eas. *Non* enim *condentur* avare, *neque reponentur* in proprios usus conservandæ. *His* enim, *qui habitaverint coram Domino*, id est qui in monasteriis manserint, serviet, *negotiatio ejus, ut manducent, et vestiantur* ex ea. *Manducent* in *saturitatem*, id est non ad luxuriam, sed ad satietatem

Digitized by Google

naturæ. Terminatis vero decem oneribus, atque tractatibus eorum jam præsentem libellum ter-

A minemus, ut aliis voluminibus explanemus sequentia.

Explicit liber tertius.

LIBER QUARTUS.

CAPUT XXIV.

VERS. 1. — « Ecce Deus dissipabit terram, et nudabit eam, et affliget faciem ejus, et disperdet habitatores ejus. »

VERS. 2. — « Et erit sicut populus sic sacerdos, et sicut servus sic dominus ejus, sicut ancilla sic domina ejus, sicut emens sic ille qui vendit, sicut

B fenerator sic qui mutuum accipit, sicut qui repetit sic ille qui debet. »

VERS. 3. — « Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur: »

Hæc et sequentia de Judæorum captivitate et excidio specialiter intelligi possunt, quia et per seipsum Dominus ipse prænuntiavit, dicens: « Cum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes, et qui in medio ejus, discedant, et qui in regionibus, non intrent in eam: quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura ma-

C gna super terram, et ira populo huic, et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*Luc.* XXI, 20). »

Itaque circa sensum, qui in his Domini verbis est, intelligi potest versari sermo propheticus ab eo loco, quo ait: « Ecce Dominus dissipabit terram, » usque ad eum, quo dicitur: « formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ. » Tunc enim per Vespasianum et Titum omnis terra Judæorum in vindictam Dominici sanguinis dissipata est et vastata, ab omnibus bonis nudata, et habitatores ejus in captivitatem sunt dispersi per omnes gentes, et populus ac sacerdotes, et servi ac liberi, atque divites et pauperes in eodem excidio pariter perierunt, aut in captivitatem ducti sunt, cætera

D vero, quæ sequuntur, juxta hunc modum intelligenda studiosis ob brevitatem relinquimus. Sed exordium sermonis repetentes ad diem judicii generaliter ista referamus.

Tunc enim « Dominus dissipabit terram, » quia montes æquabit vallibus, et omnia quæ in terra sunt igne consumet, « et nudabit eam » ab universis habitatoribus atque herbis et arboribus, et ab omni sorde. « Et affliget faciem ejus, » quia omnis superficies terræ ardebit. « Et disperdet habitatores ejus, » quia congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eas ab invicem sicut pastor separat oves ab hædis (*Matth.* XXV, 32). » Sed et ipsos reprobos in diversa disperdet, ut sint seorsum superbi cum superbis, avari cum avaris, homicidæ cum homicidis, fallaces cum fallacibus, et quique similes cum similibus. Quod autem sequitur:

« Et erit sicut populus sic sacerdos, » etc., usque: « Sicut qui repetit, sic qui debet, » juxta illud intelligendum est, quod ait Dominus: « In diebus Lot edebant et bibebant, et emebant, et vendebant, plantabant, et ædificabant; qua die autem exiit Lot de Sodomis pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit. Secundum hæc erit, qua die Filius hominis revelabitur (*Luc.* XVII, 28). » Itaque sicut in Sodomis omnes diversis mundi actionibus intenti simul perierunt, sic et in fine sæculi omnes pariter hi peribunt, de quibus nunc propheta loquitur, quia cum suis habitatoribus mundus terminabitur. Et tunc « dissipatione dissipabitur terra, » quoniam ab hac specie, quam nunc habet, tota immutabitur. « Et direptione prædabitur, » quia peccatores universi de ea rapientur. Sequitur: « Dominus enim locutus est verbum hoc. »

VERS 4. — « Luxit et defluxit terra, et infirmata est altitudo populi terræ. »

VERS. 5. — « Et terra interfecta [*Vulg.* infecta] est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. »

VERS. 6. — « Propter hoc maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus; ideoque insanient cultores ejus, et relinquentur homines pauci. »

Mala, quæ prope finem sæculi, id est temporibus nostris ventura erant, his verbis denuntiat Dominus? *Luxit*, inquit, *terra*. Sicut terra lætatur in virtutibus accolarum, sic luget in vitiis et iniquitatibus eorum. *Et defluxit* orbis, quia ubique exuberat nequitia. Nequitia enim, quæ dicitur ab eo, quod est nequidquam, defectio boni est, qua quisque tendit ad nihilum. Et ideo *terra* defluere dicitur, et infirmari, quia ejus habitatores nequitia defluunt, ac deficiunt, et mente infirmantur a bono. *Defluxit* orbis, quia in toto orbe non solum cordis, sed etiam corporis bona valde sunt immutata, et pene in nihilum redacta. « Infirmata est altitudo populi terræ, » quoniam elatio terrenorum hominum debilitata est. « Et terra interfecta est ab habitatoribus suis, » quæ solitam fertilitatem perdidit propter malitiam inhabitantium in ea.

Vel tropica locutione positum est terram interfectam, dum terreni homines dicantur malis operi-

Digitized by Google

bus interempti. Exposuit enim, quomodo interfectam dixerit terram, cum carnales ut insipientes actione pessima demersos ostenderit, *quia trangressi sunt leges Dei* sequendo concupiscentias suas, *mutaverunt jus* in injuriam, *dissipaverunt fœdus sempiternum* mutuæ societatis et amicitiæ. Jure enim fraterna dilectio et societatis fœdus sempiternum dicitur : « Quia charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8). »

Propter hoc, quia sic operati sunt, *maledictio vorabit terram*, quia propter malitiam humanam cœlestis maledictio terram absorbet, ut fructum non faciat. Unde primus homo post culpam audivit : « Maledicta terra in opere tuo (*Gen.* III, 17). » Divina enim pietas necdum maledicere vult homines, sed maledictionem, quam ipsi merentur, ad *terram* intorquet, ut ex ejus sterilitate afflicti resipiscant.

Sed proh dolor ! humana pravitas afflictionibus jam non corrigitur, sed pejor efficitur. Hoc est enim, quod dicit : « Maledictio vorabit terram, et peccabunt habitatores ejus. » Nam quanto magis fecunditatem terræ maledictio cœlestis adimit, tanto avidius peccant nonnulli habitatores ejus ; *ideoque* in suis iniquitatibus, irascente Domino, relaxati, *insanient* adhuc graviore malitia *cultores ejus*, ut amissa ratione, bestialiter invicem perimant. *Et relinquentur homines pauci*, cæteris fame et gladio et multimoda calamitate consumptis.

Vel in adventu judicis *insanient* præ timore tormentorum imminentium et confusione cordis et dolore. Quibus expulsis, *relinquentur homines pauci*, id est soli electi ; « multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX, 16). » Qui ad comparationem multitudinis reproborum pauci sunt, sed in suo numero multi. Sed iniquorum futura calamitas describitur multifarie, cum subditur :

VERS. 7. — « Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes qui lætabantur corde. »

VERS. 8. — « Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. »

VERS. 9. — « Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. »

VERS. 10. — « Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus, nullo introeunte. »

VERS. 11. — « Clamor erit super vino in plateis : deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. »

VERS. 12. — « Relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. »

Vindemia vero est, cum singuli homines de hoc mundo quasi de vinea botri colliguntur. Sed *vindemia luxit*, quia peccantium finis mœstus ac flebilis est. *Vitis* vero genus humanum, quia « vitis frondosa Israel (*Ose.* X, 1). » Sed *vitis infirmata est*, quia qui nunc ad perpetranda mala fortes sunt, in resurrectione erunt infirmi. Et tunc ingemiscent *omnes, qui lætabantur corde*. Justi enim, licet aliquoties lætari foris videantur, intus tamen eorum conscientia, dum hic peregrinantur, semper tristis est ; reprobi autem in prosperitatibus mundanis toto corde lætantur. Unde per Salomonem dicitur : « Cor stultorum ubi lætitia, et cor sapientium ubi tristitia (*Eccle.* VII, 5). » Qui ergo nunc *corde lætantur* in præsentibus, in fine gement. De quo et additur :

Quia « cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. » Omnia enim, in quibus perversi homines nunc lætantur, transacta tunc erunt, et Judex apparebit, qui reddat unicuique secundum opus ejus. Et peccatores *cum cantico* jam *non bibent vinum*, sed *amara erit* eis *potio* calicis iræ Dei. Audiant hoc, qui in conviviis non solum gula et ebrietate, sed et auribus luxuriant, ut omnis sensus, et animæ fortitudo mollescat, quibus omnis potio et ebrietas, quæ nunc eis dulcedinem mentitur, vertetur in amaritudinem.

« Attrita est civitas vanitatis, » id est civitas illa magna Babylon, cujus cives sunt omnes reprobi, in cujus figura civitatem prius ædificavit homicida Cain (*Gen.* IV, 17). Inde et illud est, quod per Osee Dominus ad Israel dicit : « Quoniam Deus ego et non homo in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem (*Ose.* XI, 9). » Sed hæc impia civitas, quam Deus non ingreditur, et cujus exordium a maledicto fratricida fuit, *civitas est vanitatis*. Omnia enim transeuntia vanitatis nomine censentur, dicente Scriptura : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas (*Eccli.* I, 1). » Hæc itaque civitas in fine conteretur. Quæ sunt autem *domus* civitatis hujus nisi reproborum singuli ? Unde pessimus dæmon loquitur : « Revertar in domum meam, unde exivi (*Luc.* XI, 24). » Nunc enim apertæ sunt domus istæ, quia perversorum mentes patent omnibus dæmonum suggestionibus, et libenter eas suscipiunt. Sed tunc *clausa* erit *omnis domus, nullo introeunte*, quia tunc sero reprobi claudent conscientias suas, ut malignorum spirituum voluntati jam non consentiant, cum puniri cœperint.

« Clamor erit super vino in plateis, » quia qui per spaciosam viam sæculi incedunt, et vino vel terrenis curis inebriantur, amare flebunt. Quid enim per vinum designatur nisi vel immoderatus potus, vel cura sæculi, vel quidquid mentem male debriat ? Et quid per plateas, quæ a latitudine dicuntur, nisi vita eorum exprimitur, qui latam viam, quæ ducit ad perditionem, ambulant ? πλάτος, platos enim græce *latitudo* vocatur apud nos, et inde platea nomen accepit. *Clamor* itaque *erit super vino*, id est, ex vino *in plateis* quia « tunc plangent se omnes tribus terræ (*Matth.* XXIV, 3). » Unde et additur, quia « deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ. » *Translatum* utique ad cœlum. Et quia, sicut dictum est : « Attrita est civitas vanitatis, » congrue sequitur, quia « relicta est in urbe solitudo, et calamitas opprimet portas. » Quæ est enim hæc urbs nisi Babylon ? Et quæ sunt portæ urbis illius

Digitized by Google

nisi doctores errorum, qui eos, quos ceperint, in confusionem ducunt velut in Babylonem? Sed *in hac urbe solitudo* relinquitur, quia Babylon, in tenebras exteriores missa, a nullo hominum deinceps visitabitur. « Et calamitas opprimet portas, » quia magistri errorum tormentis subjacebunt. Vel portæ sunt peccata, quæ tunc opprimentur calamitate, quia punientur æternaliter. Sequitur :

VERS. 13. — « Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. »

Hæc, quæ supra descripsit, *erunt in medio terræ*, quia Dominus, ut fertur, ad judicium veniet in aere super montem Oliveti. Vel quia illud quod est commune dicitur medium, hæc fient *in medio terræ;* quia communiter omnibus aderit Dominus, ut omnes rationem reddant, et absque personarum acceptione judicentur singuli. Dixerat autem superius, quia « relinquentur homines pauci, » id est electi soli, pereuntibus cæteris. Et nunc dat similitudinem quomodo sint relinquendi, subjungens :

« Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi, cum fuerit finita vindemia. » Quia sicut paucæ olivæ remanent in arbore post excussionem, et pauci in vinea racemi post vindemiam, ita pauci remanebunt electi in die judicii. Olea namque est arbor, oliva autem pomum, oleum vero jus, olivum autem liquor; sed invicem pro se poni solent. Expositus autem versus ita etiam pronuntiari potest : « Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum : quomodo si remanentes olivæ, quæ remanserunt, excutiantur de olea, et racemi, cum fuerit finita vindemia; » ita etiam fient hæc, quæ de electis subduntur; quomodo si remanentes olivæ vel racemi colligantur. Collecta enim multitudine reproborum, de quibus supra dixerat : « Quoniam luxit vindemia, » et in torculari vini furoris Dei calcata; pauci, qui superfuerint electi, ducentur ad gaudia de quibus subditur :

VERS. 14. — « Hi levabunt vocem suam atque laudabunt. »

Complebunt namque Scripturam, quæ dicit : « Beati, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). » Sequitur :

« Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari. » In die judicii secundum Apostoli sententiam. « Veniet Dominus glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt (*II Thess.* I, 3). » *Cum* ergo *fuerit glorificatus*, *hinnient de mari*, quia vocem exsultationis emittent sancti de hoc sæculo revertentes ad patriam. Tunc enim qui redempti sunt a Domino, « revertentur et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum (*Isa.* XXXV, 10). » Sequitur :

VERS. 15. — « Propter hoc in doctrinis glorificate A Dominum, in insulis maris nomen Dominum Dei Israel. »

Quia exterminabuntur impii, quia glorificabitur Dominus in sanctis suis, *propter hoc*, o vos prædicatores, *glorificate in doctrinis* vestris *Dominum*, et non solum in toto orbe sed etiam *in* remotis *insulis maris*, prædicate *nomen Domini Dei Israel;* qui in sola quondam Judæa notus fuit. Deinde vox prophetarum inducitur, dicens :

VERS. 16. — « A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. »

Prophetæ enim audierunt in spiritu resonare *laudes* Christi non solum ab orbe, sed etiam a finibus orbis. Unde et dicunt : « Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ (*Isa.* XLII, 10). » B Vel *fines terræ* intelligamus, ubi terrena desideria finiuntur. Laudes ergo veniunt *a finibus terræ*, quia, postquam in nobis finitæ fuerint terrenæ cupiditates tunc demum Deum laudare possumus. « Non est enim speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). » Ibi autem propheta gloriam Christi decantandam in tota mundi latitudine vidit, considerans, quod a populo Judæorum gloria hæc cognoscenda non esset, adjecit

« Secretum meum mihi, secretum meum mihi (124). » Ac si dicat : Quod ego novi, populus iste Judaicus nesciat, sed in meo fideliumque corde lateat. Rursumque cernens, quia zelo legis commoti Dominum Sabbatis infirmos curantem persecuti C sunt, et discipulos ejus nova prædicantes, cum e contrario legem inde potius violaverint, doluit super eorum cæcitate et nequitia, dicens :

« Væ mihi! prævaricatores prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum prævaricati sunt. » *Prævaricati sunt* legem, cum legem adversus Christum, et discipulos ejus defenderent. Vel post consideratam malorum damnationem, justorumque retributionem locutus est sibi ipsi propheta interno cordis affectu : Non possum cuncta narrare quæ cerno, hæret lingua mea faucibus meis, vox dolore concluditur. *Væ mihi!* quantas considero pœnas! et ob id maxime doleo, quia omnes prævaricati sunt legem Dei, et a justo Judice feriuntur. Sed ad priorem sensum redeamus. Nam quia persecutiones D exinde sunt secutæ, subjecit :

VERS. 17. — « Formido et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. »

VERS. 18. — « Et erit, qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicuerit a fovea, tenebitur laqueo. »

Temporibus enim persecutionum Christianus *habitator terræ*, id est, cujus conversatio in cœlis non erat, qui radicem cordis in amore terrenorum plantaverat, mala temporalia metuens dicebat apud seipsum : quia si nos urget hæc persecutio, negabo me Christianum verbis tantummodo, et agam postea pœnitentiam; aliter enim evadere nequeo. Et talia

(124) Alias, *Et dixi : Secretum*, etc.

Digitized by Google

cogitans dum fugeret *a voce formidinis*, id est minas persecutorum evadere quæreret, cadebat *in foveam* negationis; et dum se explicare vellet de fovea, id est pœnitentiam agere cogitaret, subito perimebatur a persecutoribus, vel quacunque morte præoccupabatur, et sic laqueo perpetuæ damnationis cum Satana ligatus tenebatur.

Potest et cupiditas intelligi *laqueus*, quo tenebatur ille, qui se explicabat de fovea, quia sæpe quilibet de talibus impediebatur agere pœnitentiam, dum ea, quæ in mundo possidebat, timeret amittere. Similiter et temporibus Antichristi fiet, post cujus persecutionis atrocitatem, quia dies judicii veniet, recte subjungitur :

« *Quia* cataractæ de excelsis apertæ sunt, et concutientur fundamenta terræ, » etc. Tunc enim *apertæ* erunt *cataractæ*, id est fenestræ *de excelsis*, quia cœli visibiliter patebunt, ut electos suscipiant, et reprobis unde sine fine contristentur ostendant. « Et concutientur fundamenta terræ, » quia tantus erit terræ motus, quantus nunquam fuit. Mystice vero terra peccator est, quia post culpam audivit homo : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III, 19). » Sed quid tunc passura sit hæc terra, id est unusquisque peccator, ostenditur, cum dicitur :

VERS. 19. — « Confractione confringetur terra, contritione concretur terra, commotione commovebitur terra. »

VERS. 20. — « Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat. »

Sic enim reprobus quisque tunc *conteretur*, *et agitabitur* ac sicut *tabernaculum*, in quo mansit una nocte præsentis vitæ, *auferetur* in mane, id est *in resurrectione*. *Et gravabit eam* pondus iniquitatis suæ, ut a terra levari nequeat, quando sancti rapientur « in nubibus obviam Christo in aera (*I Thess.* IV, 16). *Et corruet* in barathrum æternæ damnationis, *et non adjiciet ut resurgat*, quia nunquam ulterius exibit inde. Sequitur :

VERS. 21. — « Et erit in die illa : visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges : qui super terram sunt. »

Militiam cœli dæmones appellat, qui sunt in hoc aere. Aer quippe cœlum vocatur, sicut scriptum est : « Milvus in cœlo cognovit tempus suum (*Jer.* VIII, 7). » *Visitabit* ergo *Dominus super militiam cœli in die illa*, quia super aereas potestates vindicabit. *Et super reges* terræ, id est super principes sæculi, vel super dæmones, qui sunt rectores mundi tenebrarum harum. Sequitur :

VERS. 22. — « Et congregabuntur in congregationem unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcerem, et post multos dies visitabuntur. »

Cum de novissima die propheta dixisset, quia « in die illa visitabit Dominus super militiam cœli et terræ, » mox ad ea, quæ quotidie fiunt in morte reproborum, mentis oculum reduxit. Exeuntes enim de corporibus congregantur *in lacum* tartareum, et sicut illi, qui in vinea laborasse dicuntur, omnes denarium vitæ æternæ communiter acceperunt (*Matth.* XX, 10), » « licet in domo Patris mansiones multæ sint (*Joan.* XIV, 2), » et « stella a stella in claritate differat (*I Cor.* XV, 41) : » sic et omnes reprobi in congregationem *unius fascis* æternæ damnationis congregantur, licet per fasciculos et zizania comburantur. Quamvis vero varia sint genera pœnarum, omnes tamen colligati sunt in uno fasce. Nam, sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris : sic damnatos et una est gehenna quæ afficit, et tamen non una qualitate omnes comburit; quia quod hic agit valitudo corporum, hoc et illic exhibet dispar causa meritorum. Exeuntes itaque de hac vita *congregabuntur* singuli *in congregationem unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcerem*. Infernus vero, sicut præmissum est, dicitur *lacus*, quia omnes, quos semel ceperit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Carcer quoque vocatur, quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter retinentur. *Claudentur*, inquit, *in carcerem* de corporibus educti. *Et post dies multos*, id est in fine sæculi, *visitabuntur*, ut corpora resumere veniant, et deinceps puniantur dupliciter. Sequitur :

VERS. 23. — « Et erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

« Erubescet luna et sol confundetur, » quia « sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum (*Matth.* XXIV, 29). » Fertur tamen quia sol aut luna, vel stellæ lumen suum tunc non amittent, sed ad comparationem lucis, quæ Christus est, omnia luminaria videbuntur obscurari, sicut et cereus lumen non habet in radio solis.

Vel *erubescet luna, et confundetur sol*, cernens homines, qui suo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate fecisse, « qui solem suum oriri facit super bonos et malos (*Matth.* V, 45), » quomodo si dispensator et villicus, veniente Domino, cernat familiam variis subjici cruciatibus, et nequaquam sua implesse præcepta.

Mons Sion et Jerusalem Ecclesia est. « Illa enim quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra (*Gal.* IV, 26). » Senes morum senectute maturi sunt. « Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata (*Sap.* IV, 9). » Regnabit ergo *Dominus in monte Sion, et in Jerusalem*, id est Ecclesia, *et in conspectu senum suorum*, id est fidelium, qui maturi sunt moribus, glorificabitur.

Vel mons Sion altitudo contemplationis est, quia Sion dicitur *specula*, Jerusalem *visio pacis* est. Senes ejus sunt apostoli et patriarchæ, et principes religionis. In hoc igitur monte, et in hac Jerusalem manifestabit se Rex sæculorum, et coram his senibus gloriam suam aperiet. Itaque prophetata repro-

Digitized by Google

borum damnatione et justorum gloria, super his omnibus hymnum Deo propheta canit, subjungens :

CAPUT XXV.

VERS. 1. — « Domine, Deus meus es tu, et exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen. »

Confitebor, inquit, id est gratias ago nomini tuo, *quoniam fecisti mirabilia*, reddendo peccatoribus quæ minatus eras, et sanctis quæ promiseras. De quibus complesti *cogitationes antiquas*, dicens electis : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.* XXV, 34). » Et idem reprobis : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*ibid.*, 41). » Antiquitus enim cogitasti, quod a constitutione mundi præparasti. Et hæ cogitationes fuerunt *fideles*, quia fideliter adimplesti quæ cogitaveras, sicut in libro Josue prophetico sermone de futuro justorum regno quasi de præterito dicitur : « Non unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia (*Josue* XXI, 43). » Unde et additur *Amen*, quod interpretatur *vere* vel *fideliter*. Sed quæ mirabilia fecerit, vel quas cogitationes compleverit, et hic quoque declaratur, cum subditur :

VERS. 2. — « Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, et in sempiternum non ædificetur. »

Quæ est autem hæc *civitas* nisi de qua superius ait : « Attrita est civitas vanitatis ? » Cum autem civitas ex toto destruitur, in tumulo redigitur. Posuit ergo Dominus *civitatem in tumulum*, quia magnam illam Babylonem in judicio penitus subvertit. Quæ et domus *alienorum* est, id est eorum, qui sunt a consortio justorum alieni. Sed hæc jam ultra non erit *civitas*, nec *in sempiternum* ædificabitur, sicut supra dictum est : « Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclita in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham (*supra* XIII, 19). » Sequitur :

VERS. 3. — « Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te. »

VERS. 4. — « Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione, spes a turbine, et umbraculum ab æstu. »

Super hoc, id est ex hoc, quod posuisti civitatem in tumulum sempiternum, *laudabit populus fortis*, electorum concordans judiciis justitiæ tuæ, et *civitas gentium robustarum*, id est Ecclesia sanctorum de cunctis gentibus congregatorum *timebit te*.

Est enim « timor Domini castus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), » quo timore semper Ecclesia justorum et in illo beatitudinis regno timebit Deum, quia perfecte non diligeret, nisi et timeret Deum. Sed *populus* iste dicitur *fortis*, et hæc *civitas gentium robustarum*, quia sancti fortes sunt hic in spiritali pretio, et ibi virtute resurrectionis confortati. Cur autem laudare et timere debeant consequenter ostenditur.

« Quia factus es, inquit, fortitudo pauperi, » etc. Quis vero iste pauper est nisi ille, « qui pro nobis pauper factus est, cum esset dives, ut illius inopia ditaremur ? » (*II Cor.* VIII, 9.) Et quis egenus iste nisi Christus Dominus vel quilibet pauper spiritu ? *Factus* est ergo Dominus *fortitudo pauperi in tribulatione*, quia virtutem in passione Christo suo dedit, ut Judæorum sævitiam superaret patiendo. *Egeno* quoque *factus* est *in tribulatione fortitudo*, quia cuilibet pro se patienti adfuit. Et factus est ei *spes a turbine* tribulationum, quia speravit in eo inter adversa. Nam « tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem (*Rom.* V, 3). » *Et umbraculum ab æstu* passionum factus est ipsi egeno, ne mens ejus ureretur igne doloris immoderati. Sequitur :

« Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. » Sicut *turbo impellit parietem*, ut subruat, ita *Spiritus robustorum*, id est animositas fortium persecutorum impetit corpus nostrum, ut in mortem illud præcipitet. Sed in tanto turbine suos Dominus protegere non desistit. Vel quomodo si ventus impingat parietem atque pertranseat ; sic turbo blasphemantium ac sævientium Judæorum Christo nocere non potuit. Sequitur :

VERS. 5. — « Sicut æstus in sîti, tumultum alienorum humiliabis, et quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies. »

Sicut æstus humiliat tumultum hominum quando ipsi tumultuatores sitim patiuntur, quia vox eis deficit, sic *humiliabis tumultum* quo contra martyres latrant persecutores, qui sunt a sorte electorum alieni. Æstus enim tribulationum fatigabit eos, quando retribuet Deus tribulationem his, qui justos tribulant, et sitim patientur, quia nihil eorum quæ desideraverint habere poterunt.

Vel in æstu et siti humiliabuntur, quando cum igne devolventur in Tartarum a facie Judicis. Ac sicut marcescunt propagines vineæ, dum fortiter torrentur calore solis sub nube latentis, ita *propaginem fortium* persecutorum *marcescere facies*. Quid enim per solem *sub nube* latentem nisi judex, qui nondum apparet, figuratur ? Ipse est enim « Sol justitiæ (*Malach.* IV, 2). » Quid per calorem solis nisi sententia judicis ? Calor igitur occulti solis *propaginem* vitis siccat, quia latentis adhuc Judicis sententia vitam peccantium in morte facit *marcescere*. Sequitur :

VERS. 6. — « Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium medullatorum vindemiæ defæcatæ. »

Supra dixerat, quia « confundetur sol, cum regnaverit Dominus in monte Sion et in Jerusalem (*supra* XXIV, 23), » et nunc ad ea respiciens subjungit : Quia *faciet Dominus convivium in monte hoc*, videlicet in monte Sion, id est in regno cœlorum, quia « videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8). » *Convivium* autem intelligamus, de quo scriptum est : « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt

Digitized by Google

(*Apoc.* XIX, 9). » Et item: « Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 4). » Rursumque: « Secura mens quasi juge convivium (*Prov.* XV, 15). » Illud enim convivium satietas est internæ dulcedinis, qui ex visione conditoris percipient, ut in æternum vivant. Quod *omnibus populis in monte* Sion *faciet Dominus*, quia sicut Lucas dicit: « Venient ab oriente et occidente, et aquilone, et austro et accumbent in regno Dei (*Luc.* XIII, 29). »

Et hoc *convivium* erit *pinguium, et medullatorum*, quia internæ pinguedinis adipe saginati sunt, et medullis charitatis sunt pleni; sive quia pingues sunt in bono opere, et medullati in gratia rectæ intentionis, illuc congregantur. Erit et *vindemiæ defæcatæ*, quia finis humani generis est vindemia, et singuli homines sicut racemi. Sed electorum vindemia est defæcata, quia non moriuntur in fæcibus peccatorum suorum, sed ante mortem defæcari studeant. Erit ergo *convivium illud vindemiæ defæcatæ*, quoniam illi soli ad epulas illas introducentur qui vitam hanc immaculati finiunt. Sequitur:

VERS. 7. — « Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super universas nationes. »

VERS. 8. — « Præcipitabit mortem [*Vulg.* montem] in sempiternum. »

Quid appellatione *vinculi* nisi mortalitas hæc designatur? Unde scriptum est: « Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis (*Psal.* CXV, 16). » Et quid per *telam* nisi mortalitatis vita figuratur? *Dicit* enim Job: « Dies mei velociores transierunt, quam a texente tela succiditur (*Job* IX, 25). » Vinculum autem est *super omnes populos* colligatum, quia omnes homines astricti tenentur vinculis carnis. Facies *vinculi* facies est mortalitatis hujus, quæ cernitur in corporibus nostris.

Telam quoque *super universas nationes* Dominus *orditus est*, quia propter Adæ peccatum ablata vivendi æternitate temporalem interim vitam dedit humano generi, donec interveniente morte immortalitas ei per resurrectionem restituatur, cujus resurrectionis adveniente die « præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, » quia faciem mortalitatis, quæ paret in carne cunctorum, delebit a corporibus justorum, quando « mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* XV, 51). » Ob hoc namque in monte isto qui est Ecclesia, præcipitari dicitur facies vinculi hujus, quia in cæteris resurgentium, qui non mutabuntur, nequaquam facies mortalitatis abolebitur, quoniam adhuc passibiles erunt.

Similiter *et telam præcipitabit*, quia mortalem miseramque vitam hanc omnibus auferet, ut beatam immortalitatem dignis tribuat. Exponens autem propheta, quod dixerat *faciem vinculi telamque* generalem præcipitandam, « præcipitabit, inquit, mortem in sempiternum. » Neque enim ultra poterunt mori, sed æquales angelis erunt, qui digni habebuntur sæculo illo. Sequitur:

« Et auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra, quia Dominus locutus est. » Variis de causis nunc flent electi, quia nunc est tempus flendi. Alius idcirco plangit, quia malum fecit; alius, quia bonum non fecit; alius, quia vitiis impugnatur; alius quoniam a regno Dei peregrinatur. *Opprobrium* quoque patiuntur a pravis et infidelibus. Sed in die illa *Dominus auferet lacrymam ab omni facie* eorum, quia « gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus (*Isa.* XXXV, 10). » Et opprobrium eorum auferetur *de universa terra*, quia nusquam adversus eos quisquam audebit mutire, sed ab angelis honore magno congregabuntur a quatuor plagis terræ, et subvehentur in cœlum. Vel *opprobrium* eorum *auferet*, qui ad imaginem conditoris fuerant conditi, et tunc diaboli ac mortis evadent servitutem.

VERS. 9. — « Et dicent in illa die: Ecce Deus noster iste, exspectavimus eum, et salvabit nos iste Dominus: sustinuimus eum, exsultabimus et lætabimur in salutari ejus. »

VERS. 10. — « Quia requiescet manus Domini in monte isto. »

In monte Sion « dicent in die illa: Ecce Deus noster iste, » quia juxta Psalmistam: « Videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8). » — « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Nam « videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12). » Ita enim Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a nobis singulis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in cœlo novo et in terra nova, atque in omni, quæ tunc fuerit creatura, videatur, et per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritales oculi acie perveniente directi.

Ad hanc ergo visionem, post vitæ hujus tenebras, electi pervenientes exsultabunt ad invicem, dicentes: « Ecce Deus noster iste, exspectavimus et sustinuimus eum » inter adversa tentationum, sicut scriptum est: « Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum et sustine Dominum (*Psal.* XXVI, 14). » Et quoniam in hoc sæculo gaudere noluimus, exsultabimus, et lætabimur amodo *in salutari ejus*, id est in Jesu Filio ejus, *quia requiescet in monte isto manus*, id est operatio *Domini*. Licet enim in Genesi requievisse legatur Sabbato ab operibus suis (*Gen.* II, 2), tamen dicit Veritas ejus: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V, 17). » Postquam igitur ea quæ quotidie creat operari desierit in fine sæculi, *requiescet* ab operatione manus ejus in monte Ecclesiæ justorum, « ut ipsi requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV, 13). » Quid autem de reprobis tunc fiat subjungitur:

« Et triturabitur Moab sub eo sicut teruntur pa-

Digitized by Google

lcæ in plaustro. » Moab quippe, sicut Hieronymus ait, dicitur *ex patre*, id est recedens a Deo Patre. Quicunque igitur a Deo, qui Pater omnium est, peccando elongatur, est Moab. Nam et diabolum omnesque contrarias fortitudines sub appellatione Moab indicat humiliandas, et deducendas in Tartarum et instar pulveris conterendas. Sed iste *Moab triturabitur*, id est conculcando teretur, ut ab electis separetur, nihilque remaneat integrum. *Sicut teruntur paleæ plaustro*, ut separentur a granis. In nonnullis enim regionibus agricolæ, collectis in unum segetibus, plaustra cum rotis serratis superducunt, ut triticum excutiatur, et stramina comminuantur in paleas, ut animalibus pabulum fiant. Sic igitur, ut electi velut triticum soli remaneant, iste *Moab triturabitur* in illa tempestate, quæ fiet in adventu Judicis. Nam « ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 2). » Hac igitur tempestate triturabitur iste bonitatis refuga, id est Moab a Deo recedens. Sequitur :

VERS. 11. — « Et extendet manus suas sub eo sicut extendit natans ad natandum. »

Quando quis ad imum de superioribus labitur, extensis manibus ruit, sicut qui natat. Cum ergo præcipitabitur in barathrum iste Moab, id est populus reproborum, expansis manibus velut natans, ruet circumfluentibus tormentis fluctuans. Et sicut solet, qui natat, totum corpus extendere, sic et iste allidetur in terram, irruens sonitum faciet.

« Et humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus, » ut in novissimum laci depositus pro temporali gloria opprobrium sustineat sempiternum. *Et humiliabit* eum *cum allisione manuum ejus*, quibus iniquitates operabatur, quia sicut scriptum est : « Per quæ peccat quis, per hoc et torquetur (*Sap.* XI, 17). » Ad quem propheta conversus adjungit :

VERS. 12. — « Et munimenta sublimium murorum (125) ejus concident, et humiliabuntur, et detrahentur in terram usque ad pulverem. »

Sublimes muri Moab homines nequissimi sunt, atque superbi qui per potentiam sæculi tuentur alios minus fortes iniquos. Sed in die illa *concident munimenta murorum* istorum, quia tutatores malorum in pœnas tunc corruent, et per mortis sententiam *humiliabuntur* ac *detrahentur in terram usque ad pulverem*, quia caro eorum pulvis efficietur.

Possumus et aliter istam murorum ruinam intelligere, juxta hoc, quod Apostolus loquitur : « In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (*II Cor.* X, 3). » Dum igitur per apostolos ac reliquos prædicatores sanctos hæc fiunt, completur quod ait propheta : Quoniam munimenta sublimium murorum tuorum concident, » etc.

In terram quippe detrahitur, *usque ad pulverem*, qui, deposito superbiæ fastu, se terram et pulverem esse cognoscit. Potest et subversio Jerusalem, quæ per Romanos facta est, his verbis prænuntiari. Nam et populum Judæorum superius ostendimus mystice vocari Moab, Unde et quod ait quia *triturabitur Moab sub eo*, de illa Judæorum tribulatione potest intelligi. Sed et aliud, quod ait paulo superius, quia « posuisti civitatem in tumulum. » Vel, quia « relicta est in urbe solitudo (*supra* XXIV, 12), » ad eamdem destructionem Jerusalem referri potest, quod ob brevitatem præterivimus. Sequitur :

CAPUT XXVI.

VERS. 1. — « In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda : Urbs fortitudinis nostræ Sion ponetur in ea murus et antemurale. »

VERS. 2. — « Aperite portas et ingrediatur gens justa custodiens veritatem. »

VERS. 3. — « Vetus error abiit, servabis pacem : pacem, quia in te speravimus, » etc.

In die illa, qua concident munimenta murorum Moab, id est tempore quo prædicatores destruent omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, vel in die judicii, quo peribunt omnes malorum defensores, *cantabitur* hoc carmen exsultationis *in terra Juda*, id est in terra confessionis, quæ est Ecclesia. Juda quippe *confessio* dicitur sive *laudatio*. Confessores igitur et laudatores Christi decantant dicentes : « Urbs fortitudinis nostræ Sion, » etc. Sion interpretatur *specula*, et specula dicitur *urbs fortitudinis* justorum, quia pervigil eorum mens, dum sollicite circunquaque respicit in alto posita, priusquam veniat culpa, deprehendit, eamque quo sagaciter prævidet, et fortiter superat.

Vel Ecclesia est *urbs fortitudinis nostræ*, quia nullus extra eam resistere valet antiquo adversario. In cujus Ecclesiæ ædificio Salvator *murus* poni dicitur. Ipse enim vobis murus est, quia ad corda nostra pertingere malignorum spirituum cursum vetat. Qui nostræ quoque fidei *et antemurale* posuit, quia, priusquam se per carnem ostenderet prædicatores mysterii sui prophetas misit. Recte enim antemuralis nomine vocantur, qui, dum subsequentem prædicarent Dominum, quasi ante murum steterunt.

Vel divinitas ejus est nobis *murus*, et humanitas *antemurale*, post cujus adventum, quia universæ gentes ad fidem susceptæ sunt : *Aperite*, inquit *portas* Sion, o prædicatores, *et ingrediatur gens justa*, id est gentilitas sine legis operibus per fidem justificata, *custodiens* deinceps operando *veritatem* evangelicam. Nam *vetus error* idolorum *abiit*. Dicit autem Paulus : « Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Chri-

(125) Alias *tuorum*.

Digitized by Google

stum, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei (*Rom.* v, 1). » Similiter et hoc loco : « Servabis, inquit, pacem : pacem, quia in te speravimus. » Qui enim non in se sed in Domino confidunt et sperant, eis gratia divina pacem servat, ne aliqua offensione gratiam ejus amittant.

Vel angelis dici potest : *Aperite portas* regni cœlorum, *et ingrediatur gens justa* Christianorum *custodiens* operibus *veritatem* fidei. *Error* enim ignorantiæ veteris totus abiit, quoniam « non docebit ultra unusquisque proximum suum et fratrem suum, dicens : Cognosce Deum. Omnes enim, inquit, scient me a minore usque ad majorem eorum (*Jer.* XXXI, 34). » Doctor namque tunc cessabit, quia Deum, sicuti est, videbunt omnes, et dicent, quia *vetus error abiit* ignorantiæ prioris. Et quia certissime scient nunquam se gratiam ejus, quam semper, dum hic viverent quæsierunt, amissuros, vel adversitatis aliquid jam passuros, congratulabuntur, dicentes : « Servabis pacem : pacem, quia in te speravimus. » Forsitan propter animæ corporisque tranquillitatem ingeminat pacem, Quod aiunt? *Quia in te speravimus*, propheta confirmat et exponit, dicens :

VERS. 4. — « Sperastis in Domino in sæculis sempiternis, in Domino Deo forti in perpetuum. »

Sperant enim electi non in transitoriis sed *in sempiternis sæculis* a Domino mercedem accipere, qui fortis *in perpetuum* perpetua dare tormenta suis hostibus potest. Nam sequitur :

VERS. 5. — « Quia incurvabit habitatorem (126) in excelso, civitatem sublimem humiliabit : humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. »

VERS. 6. — « Conculcabit eam pes pauperis, gressus egenorum. »

Tempore mortis *incurvabit in excelso* habitantes, quia superbos humilians æternis mancipabit suppliciis, atque *civitatem* eorum *sublimem humiliabit usque ad terram, et detrahet usque ad pulverem*, quia elatam carnem eorum, in qua habitaverunt, in terram et pulverem reverti faciet.

Vel civitas hæc intelligatur illa magna Babylon. Aut certe Dominus incurvat habitantes *in excelso*, cum superbos ad humilitatis gratiam inclinat. *Et sublimem civitatem* humiliat *usque ad terram* et *pulverem*, quando elatam mentem sic humiliat, ut se terram et pulverem esse cognoscat. Quam et *pes pauperis* conculcat, et *gressus egenorum*, quia premitur exemplo Dominicæ humilitatis ejusque discipulorum. Eum namque pauperem hic accipimus, de quo Paulus ait : « Quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*II Cor.* VIII, 9).

Egeni quoque fuerunt, quibus ab eo dictum est : « Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam portetis (*Matth.* X, 9). » De quorum gressu dictum est ibi : « Ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes : quia appropinquavit regnum cœlorum (*ibid.*). » *Pes* igitur *pauperis* transitus est Dominicæ Incarnationis, qua de loco in locum ivit, atque *gressus egenorum* incessus prædicationis apostolorum. Eum itaque conculcat *pes pauperis*, et *gressus egenorum*, cujus elationem conterit humilitas et conversatio inter homines atque doctrina Salvatoris discipulorumque ejus.

Historialiter autem incurvavit habitantes in excelso, quia Judæos qui erant in arce Sion, subjecit Tito captivos. Et *civitatem* Jerusalem *humiliavit usque ad pulverem*, quia non est in ea relictus lapis super lapidem. Quam conculcaverat *pes pauperis, et gressus egenorum*, quia ibi Dominus ipse, et discipuli ejus prædicaverant, ac deambulaverant. De cujus conversatione subditur :

VERS. 7. — « Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum. »

Semita quippe vel *callis justi* actio est tritæ conversationis, quam Christus gessit, dum præsentis vitæ cursum incederet. Quæ *semita recta est ad ambulandum*, ut omnes, qui rectæ conversationis viam sequi cupiunt, per eam incedere post illum non dubitent. Ad quem prophetarum voce subjungitur :

VERS. 8. — « Et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. »

Prophetæ enim sustinuerunt Dominum, quia diutius exspectaverunt ejus adventum. Quæ est *semita judiciorum* ejus nisi rectitudo conversationis, quæ probatur in judiciis ejus? In hac enim sustinuerunt eum prophetæ sancti. Cujus *nomen et memoriale* erat *in desiderio animæ* eorum, quia ejus charitate vulnerata mens eorum multum delectabatur, si vel nomen aut mentionem ejus ab ore cujusquam audiret.

Potest et Scriptura sacra *memoriale* ejus dici, quia ibi memorantur opera ejus. Quæ est *in desiderio animæ*, quia sancta anima lectiones divinas audire desiderat. Nam et omnes, qui veraciter diligunt Salvatoris adventum, possunt ei versum istum decantare. Nam qui nomen Domini habet in corde, aliud non desiderat. Deinde propheta suum pandit desiderium, dicens.

VERS. 9. — « Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. »

Nox vero vita est præsens in qua, quandiu sumus, dum interna suspicimus, sub incerta imaginatione caligamus. Unde propheta nunc ad videndum Dominum, quadam se premi caligine sentiens, loquitur : « Anima mea desideravit te in nocte. »

(126) Alias *habitantes*.

Digitized by Google

Ac si dicat : In hac obscuritate vitæ præsentis videre te appeto, sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. Ille autem *in præcordiis* vigilat ad Dominum, qui torporis et negligentiæ tenebras a se repellens, mentis oculos ad aspectum veri luminis apertos tenet. *Mane* vero primæva ætas est. Vel *mane* fit in nobis, cum erroris nostri obscuritas veritatis illustratione irradiatur. Mane fit in nobis, cum corda nostra justitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ velut nox deprimebat. *De mane* ergo propheta vigilare se ad Deum *in præcordiis* suis asserit, quia vel a primæva ætate, vel ex quo luce cognitionis ejus est illustratus, semper ad eum intendens voluntati ejus obsequi studet. Atque de his, qui vigilare negligunt, sententiam subjungit, dicens :

« Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. »

Justitiam discent, id est vigilare incipient *habitatores orbis*, id est qui mente mundum inhabitant. Sed quando discent justitiam? « Cum feceris judicia tua in terra, » Te enim ad judicium veniente ad cor suum quisque reducitur, ut sancta jam, cum agere non valet, sentiat : et rectum, quod sequi debuit, ex tortitudinis suæ pœna cognoscat. Unde bene per Jeremiam dicitur : « Congrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctifica eos in die occisionis (*Jer.* XII, 3). » In die enim occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta, quæ debuerant agere sentiunt, cum digna pravitatis supplicia jam declinare non possunt. Sequitur :

VERS. 10. — « Misereamur impio, et non discet facere justitiam, in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. »

VERS. 11. — « Domine, exaltetur manus tua, et non videant : videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret. »

Vox est eorum, qui supra dicebant : « In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te. » *Misereamur*, aiunt, *impio* non statim condemnantes eum, sed adhuc exspectantes, et divinam misericordiam ei annuntiantes, si forte pœnitentiam egerit. Et nos quidem ei miserebimur, sed ille *discet facere justitiam*, id est juste vivere. Unde et sequens ejus actio perversa. Et postquam est misericordiam consecutus, additur, scilicet quia *in terra sanctorum iniqua gessit*, id est inter bonos male vixit ad iniquitatis augmentum. Nam sicut magna laus est inter malos bene vivere, sic grandis ignominia est inter sanctos inique agere. Et ideo qui sic induratus est iniquitate, ut et inter justos inique vivere non erubescat, *non videbit gloriam Domini*, quam soli videbunt electi, sed in æternum damnatus perpetuas sustinebit tenebras

Vel Dominus ait : *Misereamur impio*, id est misericordiam potius consequatur impius, et discat clementiam meam, dum etiam ipse salvetur. Cui ex persona humanæ impatientiæ propheta respondet : « Et non discet facere justitiam. » Et est sensus : Et quomodo poterit nosse tuam justitiam, si tantam clementiam fuerit expertus? Redditque causas, quare eum velit Dei justitiam discere : Quia « in terra sanctorum iniqua gessit, » et contra sanctos tuos jugiter dimicavit, debet sentire tormenta. Rursumque Dominus sententiam temperans : « Et non videbit, inquit, gloriam Domini, » id est sufficiet ei pro universa pœna, quod me cum sanctis meis non videbit in mea majestate regnantem. Sed qualiter omnes iniqui fallantur, adjungitur :

« Domine, exaltetur manus tua, et non videant : videant, et confundantur zelantes populi, » id est fidelibus invidentes. Intellectum quippe reproborum nunc merita obscurant, sed tunc cognitio reatus illuminat, ut et modo sequenda æterna non videant, et tunc ea, postquam amiserint, cernant. Nunc enim ea intelligere negligunt, vel appetere intellecta contemnunt; sed tunc ea intelligentes procul dubio desiderantesque conspiciunt, cum desiderata assequi nequaquam possunt. Et tunc *confunduntur*, cum eos in conspectu Judicis testis addicit [*f.* adducit]. Tunc enim Judex exterius cernitur, et accusator interius toleratur. Tunc enim omnis ante oculos culpa reducitur, et mens super gehennæ incendia suo igne gravius torquetur, ac demum gehennalibus flammis traditur. « Videant, inquit, et confundantur, et ignis hostes tuos devoret. » *Manus* enim divinæ operationis nescientibus reprobis exaltatur, quia dies judicii latenter appropinquat. Aliter tamen hæc intelligi possunt.

Quis enim est impius nisi Judæorum populus, qui Salvatorem impie peremit? Sed « Misereamur, inquit, impio, » quia post passionem Domini diutius est exspectatus ad pœnitentiam ille perfidus populus. « Et non discet facere justitiam, » quia nec exspectatus resipiscere voluit, ut crederet in eum qui justificat impium. « In terra sanctorum iniqua gessit, » quia replevit iniquitatibus Jerusalem et Judæam, in qua sancti patres habitaverant. « Et non videbit gloriam Domini, » sed videbunt in quem compunxerunt (*Zach.* XII, 10). » Neque enim gloriam divinitatis ejus videbunt, sed formam servi, quam crucifixerunt. Vel in primo adventu viderunt gloriam ejus sicut nos, quando « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus (*Joan.* I, 14). »

« Domine, inquit, exaltetur manus tua, et non videant, » etc. *Manus* enim Domini Christus est, quoniam « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3). »

Exaltata est ergo manus Domini, et non viderunt Judæi, quia Christus in cœlum ascendit non credentibus eis. Cum autem ad judicium venerit, videbunt et confundentur hi Judæorum populi, qui zelo legis persecuti sunt apostolos, et *ignis* gehennæ devorabit *hostes* ejus. Ubi voce electorum subditur :

VERS. 12. — « Domine, dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis. »

Tunc enim *pacem* dabit æternam illis qui, dum hic viverent, contra diabolum quotidie pugnaverunt. Quibus *omnia opera* eorum *operatus* est, quia

Digitized by Google

sicut Apostolus ait : « Divisiones ; operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus (*I Cor.* XII, 6). » Sed, licet omnia justorum opera Deus operetur in ipsis, ea tamen sic remunerat, ac si illa omnia hæc sine ipso fecerint. Et notandum, quod nihil pravi operis habeant, quibus omnia opera sua Deus operatus est. Deinde pœnitentes aiunt, quod ad reliquias Israel, quæ sub Elia credent, congrue potest referri.

VERS. 13. — « Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui. »

Hoc enim loquuntur, qui Domino servire debuerunt, sed ab immundorum spirituum dominio post hæc *in iniquitatibus* possessi sunt. Sed nunc recordari volunt nominis illius, ut semper ejus memores eum offendere jam caveant; et *tantum* in eo recordari quærunt nominis ejus, quia « nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). » Recordatur enim nominis ejus, sed non in eo *tantum*, qui et Deum cogitat, et ea, quæ sunt extra placitum ejus, aliquoties facit. Sequitur :

VERS. 14. — « Morientes non vivant, gigantes non resurgant : propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum. »

Gigantes vel apostatas angelos vel superbos quosque homines nil obstat intelligi, cum propheta dicit : « Morientes non vivant, gigantes non resurgant. » Quos namque alios mortuos nisi peccatores nominat? Et quos *gigantes*, nisi eos, qui de peccato etiam superbiunt, appellat? *Morientes* ergo *non vivunt*, quia peccando viam justitiæ perdiderunt. Gigantes etiam resurgere post mortem nequeunt, quia post culpam suam, inflati per superbiam, et ad pœnitentiæ remedia *non recurrunt*. « Propterea visitasti, et contrivisti eos, » id est absque dubio visitabis et conteres eos in die judicii. *Et perdidisti*, id est perdes *omnem memoriam eorum*, ne jam ultra sit vel ulla memoria eorum. Sequitur :

VERS. 15. — « Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti. Nunquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terræ. »

Genti Judæorum Dominus sæpe indulsit, id est peccata condonavit; sed non est ab ea *glorificatus*, imo valde exhonoratus. Et in tantum dilexit hanc gentem, ut eam eligeret solam, et *omnes terminos terræ*, id est universas de circuitu nationes elongaret a se, et alienas reputaret. Sed quia et istæ post resurrectionem ejus accesserunt pœnitentes ad eum, apte sequitur :

VERS. 16. — « Domine, in angustia sua requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. »

Omnes enim termini terræ, id est omnes orbis nationes requisierunt eum *in angustia* cordis afflicti. Et *doctrina* ejus *in tribulatione murmuris* fuit eis, dum, spiritu contribulato, præcepta ejus meditarentur. Murmur namque gemitum et orationem pœnitentium hic designat. Et quia ex ipsis gentibus multi per totum orbem facti sunt martyres, subjungitur vox eorum, dicens :

VERS. 17. — « Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus : sic facti sumus a facie tua, Domine. »

VERS. 18. — « Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis. »

Sicut enim mulier, quæ concipit, instante partu, *clamat in doloribus* suis; ita sancti martyres, verbum Dei corde concipientes, quasi parturierunt, id est angustia dolorum in tormentis afflicti sunt, atque pepererunt *spiritum*, id est reddiderunt animam. Ut enim jam diximus, parturire est ante partum dolere; parere vero, partum effundere. Parturierunt ergo beati martyres, dum in passione doloribus urgerentur, atque peperunt cum emitterent animas. Quorum fortassis adhuc voce subditur :

« Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ. »

Nam in cœlo, id est in corde electorum, *salutes* multimodas operati sunt martyres; sed *in terra*, id est in mente reproborum, salutes non fecerunt. Et *ideo non ceciderunt*, sed in superbiam adhuc eriguntur *habitatores terræ*, id est illi, qui præsens exsilium pro habitatione patriæ diligunt. Vel eorum vox est, qui tempore pacis post martyres fuerunt « Salutes in terra non fecimus. » Nam viri fortes Israel, cum ingentes hostium strages darent, salutes in populo suo fecisse dicebantur, sicut Samson, cum maxilla asini mille Philisthæos interfecisset, ait ad Dominum : « Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam (*Jud.* XV, 18). » Sed et Jonathan, filius Saul, Philisthæos percussit, atque dictum est : « Quia fecisti salutem magnam in Israel (*I Reg.* XIV, 45), » et ita dici solebat. Aiunt ergo : « Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores, » Ac si dicant : Prædicationis gladio gentem vitiorum potenter non exstinximus, pro populo virtutum pugnantes, et ideo prostrata non sunt vitia nostræ carnis, id est *habitatores terræ non ceciderunt*.

Vel amatores sæculi sunt *habitatores terræ*, quia mens eorum in terrenis habitat, qui *non ceciderunt* ab elatione sua. Quoniam *salutes non fecimus in terra*, id est gladio verbi Dei potenter eorum malitiam et internum languorem non interfecimus. Sequitur vox Ecclesiæ dicens de martyribus :

VERS. 19. — « Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. »

Patet enim hoc. Qui enim pro Christo mortem subierunt, vere victuri sunt. Sequitur :

« Exspergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam. »

« Exspergiscimini, qui habitatis in pulvere, » id est evigilate, qui dormitis in sepulcris, *quia ros tuus*, o Domine, quo irrigabuntur ut resurgant, *ros lucis*, id est gratia, quam eis infundes, illuminans est, ut, cordis nebulis effugatis, gloriam tuam jam

Digitized by Google

manifeste videant. Quomodo enim jactis in terram seminibus ros paulatim crescere facit herbas, et ad fruges sui generis pervenire; sic *tuus ros* in electis operabitur. « Et terram gigantum detrahes in ruinam, » id est carnem superborum demerges in infernum.

Vel ita : « Exspergiscimini, qui habitatis in pulvere, » id est torporem et negligentiam abjicite, qui terrena semper cogitatis. *In pulvere* enim habitant, quorum mens in terrenis cogitationibus moratur. Sed quomodo tales ad laudem Creatoris exspergisci possint, aperitur ; *quia ros tuus*, quo lavas ab hoc pulvere, *ros lucis* est, id est gratia tua, per quam cor a terrenis cogitationibus mundas, illuminatrix est. Pulvis namque cogitationum carnalium excæcat mentem, sed ros gratiæ supervenientis illuminat eam. « Et terram gigantum detrahes in ruinam, » quia mentem superborum gravabis, ut deterius corruant. Sequitur ;

Vers. 20. — « Vade, populo meus, intra cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. »

Vadimus, cum operamur; *cubicula* ingredimur, cum secreta nostræ mentis intramus, *ostia* claudimus, cum desideria illicita coercemus. Ostia quippe nostræ mentis desideria ejus sunt. Euntes ergo jubemur ingredi cubicula, ut operantes non remaneamus foris in favore laudantium, sed ad secretum cordis revertentes, ibi gloriam quæramus. Ostia quoque diligenter claudenda sunt, ne fiat in nobis, quod Jeremias plangit : « Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras (*Jerem.* IX, 21). » Mors enim per fenestras sive per ostia domus ingreditur, cum peccatum per auditum et visum, aut per desideria mentes nostras penetrat. Abscondi vero parumper *ad momentum* præcipimur, ut, dum in præsenti vita sumus, gloriam foris non quæramus de nostris operibus. Omne enim tempus vitæ humanæ ad comparationem æternitatis breve est ut momentum. Omnipotentis autem Dei indignatio in hoc quotidie vim suæ districtionis peragit, quod viventes indigne dignis suppliciis demergit. Quæ scilicet indignatio nunc quidem transit, sed in fine pertransit, quia modo agitur, sed in mundi termino consummatur. Quousque igitur *pertranseat*, id est usque in finem sæculi, jubetur Ecclesiæ populus abscondi, quia Dominus in nocte præsentis vitæ transit per terram Ægypti, id est per hunc mundum, percutiens primogenita Ægyptiorum, et omnes quos foras invenerit. Sequitur :

Vers. 21. — « Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum : et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos. »

Quis est Domini locus nisi supernum cœlorum habitaculum; unde scriptum est : « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? » (*Psal.* XXIII, 3.) *Egredietur* itaque *de loco sancto suo*, quia de cœlo veniet ad judicium. « Ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, » id est examinet pravitatem populi reproborum, qui mente mundum inhabitat, et adversans eam ulciscatur.

« Et revelabit terra sanguinem suum, » quem corporibus humanis fusum biberat, quia tunc omnis sanguis, qui effusus est, manifestabitur, et quare effusus sit declarabitur atque indicabitur. « Et non operiet amplius interfectos suos, » quia tunc omnes resurgent.

Vel *de loco suo Dominus* egreditur, quando misericors, et miserator, et clemens pater filios negligentes ferire compellitur, et quodammodo de sua sententia commutari. *Ut visitet*, et iram suam inducat super habitatores *terræ*. Quomodo enim, qui in carne sunt, Deo placere non possunt; sic qui in terra habitant. *Terra* vero nunc animam designat quæ carnaliter vivit. Quæ *revelabit sanguinem suum*, si quempiam scandilazavit et a vita dilectionis exstinxit. Vel *sanguinem* nostrum, quem susceperat, *revelabit*, nec *operiet* nos amplius, sed producet foras. Sequitur :

CAPUT XXVII.

Vers. 1. — « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est. »

Gladius Domini est sententia judicis, de quo Job dicit : « Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium (*Job* XIX, 29). » Qui gladius est durus, quia dure percutit, et grandis, quia tam grandi plaga percutit, ut æternam mortem inferat; et fortis, quia frangi vel flecti non potest a rigore suo, quo punit æternaliter impios.

Hoc igitur gladio *visitabit Dominus in die illa super Leviathan*, quia perpetuis diabolum tormentis tradet. Leviathan quippe dicitur *additamentum eorum*, id est, additamentum hominum. Nam serpens iste, quia hominibus, quos Deus creavit, peccatum addidit, vocatur Leviathan, id est *additamentum eorum*. Vel quia, dum se divinitatem eis additurum fallaciter polliceretur, immortalitem abstulit, per irrisionem dicitur *Leviathan*. Sed propheta, qui nunc *serpentem* dixerat, *tortuosumque* subjungit, interposuit *vectem*, quia in serpentis tortitudine fluxa mollities, in vecte autem est duritia rigiditatis. Ut ergo hunc et durum signaret, et mollem, etiam *vectem* nominat, et *serpentem*. Durus quippe est per malitiam, mollis per blandimenta. Vectis ergo dicitur, quia usque ad necem percutit; serpens autem, quia se per insidias molliter infundit.

Quid vero maris appellatione nisi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa figurantur? Quid autem ceti nomine nisi antiquus hostis exprimitur, qui dum mentes sæcularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubricis cogitationibus natat? Hunc ergo *cetum* interficiet *Dominus in die illa*,

Digitized by Google

quia perpetuis eum suppliciis mancipabit. Sequitur :

VERS. 2. — « In die illa vinea meri cantabit ei. »

Vinea meri plebs Israelitica est, quæ quondam in sanctis Patribus merum gratiæ spiritalis et bonorum operum habuit, sed in passione acetum pro mero dedit ei sitienti. Sed quando reliquiæ illius in fine convertentur, et dicent : « Benedictus, qui venit in nomine Domini, in die illa vinea meri cantabit ei (*Matth.* XXI, 9), » quam quia Dominus ipse quondam custodire semper solebat, et tamen per Romanos eam afflicturus erat, subjungit :

VERS. 3. — « Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei. »

Hoc de antiquis et novellis temporibus dicitur. *Servo eam* temporibus Ezechiæ, temporibus Zorobabel, temporibus Machabæorum, temporibus apostolorum. Sed nunc *repente propinabo ei* calicem iræ meæ per Vespasianum et Titum. Rursum de priori tempore dicit :

« Ne forte visitetur contra eam, nocte et die servo eam. » *Ne visitetur contra eam*, id est ne fiat ei malum ab aliquo. *Nocte et die*, in prosperis et adversis, vel assidue *servo eam*. Et pro malis quæ sub Novo Testamento fecit in eum, adjicit :

VERS. 4. — « Indignatio non est mihi. »

Jure enim indignatus est Dominus, quoniam « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11). » Et adjunxit :

« Quis dabit me spinam et veprem in prælio, » id est me faciet durum et asperum, ut per Romanos consurgam in prælium contra gentem hanc, qui semper mansuetus et misericors esse consuevi? Atque *subdit* :

« Gradiar super eam, succendam eam pariter. »

VERS. 5. — « An potius tenebo (127) fortitudinem meam? »

Gradiar super eam conculcans eam ; et *succendam pariter*, id est totam simul gentem igne iræ meæ consumam. *An potius tenebo fortitudinem meam* parcendo illi ? Utique parcam illi, quia sequitur ;

« Faciet pacem mihi, faciet pacem mihi. » Pacem sub apostolis, pacem sub Elia faciet.

VERS. 6. — Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit, et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine. »

Apostoli qui, « ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur (*Ezech.* I, 12), » *ingrediebantur impetu* vehementis spiritus *ad Jacob*, id est ad populum Judæorum, Evangelium illis prædicantes ; et tunc *Israel*, id est populus Hebraicus, floruit fide bonisque cogitationibus, et germinavit, sanctis operibus ; ac deinde ipsi prædicatores, qui ingrediebantur *impetu* spiritus *ad Jacob*, *impleverunt faciem totius orbis semine* prædicationis. Cum autem dicitur : « Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, » interponitur : « Florebit, et germinabit Israel ; » atque de illis qui ingrediebantur impetu ad Jacob, subditur : « Et implebunt faciem orbis semine. » Sequitur :

VERS. 7. — « Nunquid juxta plagam percutientis se percussit eum, aut sic cecidit (128) interfectos ejus sicut occisus est? »

Non ita percussit Dominus populum judaicum, quomodo ipse percussus est ab eo ; neque sic occidit eum, quomodo ille martyres ejus. Illi enim sine misericordia crucifixerunt eum, et prædicatores ejus interfecerunt ; ille autem per quadraginta annos spatium pœnitentiæ misericorditer eis concessit. Sed quid de hac plebe subditur nolente converti?

VERS. 8. — « In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam. »

« Cum abjecta fuerit, » id est ab apostolis derelicta nolens agere pœnitentiam, « judicabis eam in mensura contra mensuram, » ut qualia egit, talia recipiat. Occidit Salvatorem : occidatur a Romanis. Dispersit per mundum prædicatores expellendo a finibus suis : dispergatur a solo proprio per universum orbem. Sequitur : « Meditata est in spiritu suo duro per diem æstus. »

VERS. 9. — « Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus. »

Dies *æstus* est tempus tribulationis. Judæa ego *per diem æstus*, id est eo tempore quo Christum persequebatur, *meditata est in spiritu suo duro*, quia in corde suo adamantino se exercuit ad malum, et excogitavit adversa, quæ faceret Domino juxta illud : « Qui cogitaverunt iniquitatem in corde, tota die constituebant prœlia (*Psal.* CXXXIX, 3). » Semper enim studuerunt eum persequi. Idcirco, quia persecuti sunt eum usque ad mortem, *super hoc*, id est ex hoc quod ita meditati sunt contra eum, *dimittetur iniquitas domui Jacob*, id est illis qui post resurrectionem ejus per apostolos credent, quibus ipse dixit : « Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum (*Joan.* VIII, 28). » Et Petrus postea jam corde compunctis et consilium quærentibus, quia se Christum crucifixisse cognoverant : « Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II, 38). » Ait igitur quia *idcirco dimittetur iniquitas domui Jacob*, *et iste omnis fructus ejus* est : *ut* auferat *peccatum ejus*. Nam nisi offenderent in lapidem offensionis, ut implerentur facies eorum ignominia, non quærerent nomen Domini Jesu, per quod datur remissio peccatorum. Vel Dominus *in Spiritu suo duro* atque vehementi meditatus est contra Judæam in die *æstus*, id est in tempore persecutionis, quando ardentior indignationis dies est atque pœnarum. Sequitur :

(127) Alias *tenebit*.

(128) Alias, *occidit*.

Digitized by Google

« Cum posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci et delubra. »

Quod facturi erant Romani, Judæam dicit facturam, quia propter ejus rebellem pertinaciam factum est; Romani enim posuerunt *omnes lapides altaris* Dei *sicut lapides cineris allisos*, quia templum succenderunt, sicut et in Psalmo dictum fuerat: « Incenderunt igni sanctuarium tuum (*Psal.* LXXIII, 7). » Sed quando destructum est templum Jerusalem *non* steterunt *luci et delubra*, quia tunc prædicantibus apostolis in gentibus succisa sunt idolorum nemora, et subversa sunt fana, ut ibi ædificaretur Ecclesia. Nam de destructione Jerusalem adhuc subditur :

VERS. 10. — « Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, et dimittetur quasi desertum; ibi pascetur vitulus, et ibi accubabit, et consumet summitates ejus. »

Muris namque *munita* erat Jerusalem, et gloria sæculi *speciosa;* sed tandem, abscedentibus Romanis, dimissa est *quasi desertum*. Vitulum appellat Titum Vespasiani filium, quia et Jeremias Chaldæis ait : « Exsultatis, et magna loquimini diripientes hæreditatem meam, quia effusi estis sicut vituli super herbam, et mugistis ut tauri (*Jer.* L, 11). » Hic ergo *vitulus* pastus est *ibi, et* accubavit, quia ibi cuncta devoravit; et ibi obsedit, *et summitates ejus* consumpsit, qui turres illius destruxit. Sequitur :

VERS. 11. — « In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes et docentes eam. »

Quia « messis est consummatio sæculi (*Matth.* XIII, 39), sicut ait Dominus; messis populi hujus vocari potest mors, quam in illa obsidione pertulit, quia fere totus fame et peste, et gladiis est interemptus. Sed messis ista siccitatem habuit, quia sine gratia Dei et fide mortui sunt omnes hi. Quo contra de populo electorum dicit : « Ros morabitur in messione mea (*Job* XXIX, 19). » Ros enim, qui desuper cadit, gratia est, quæ de sursum descendit. Et ros moratur in messione justorum, quia præsentem vitam in gratia Dei finiunt.

In siccitate ergo *messes illius*, contritæ sunt *mulieres*, quia non solum virilis, sed et femineus sexus ibi consumptus est in peccato perfidiæ. « Mulieres, inquit, venientes et docentes eam. » Instante obsidione, forsan veniebant antea mulieres industres [*f.* illustres] in Jerusalem, et docebant viros, quemadmodum resisterent hostibus. Vel mulierum nomine signari possunt reliquæ civitates Judæorum, quæ Jerosolymitanis auxiliabantur. Sed quod mulieres viros docuerint credi potest, et ex eo quod sequitur :

« Non est enim populus sapiens. » Quia videlicet sapientiam Dei, quæ Christus est, ignoravit, ideoque et humanam industriam perdidit. Atque de ejus excidio subditur : « Propterea non miserebitur ejus, qui fecit eum; et qui formavit eum, non parcet ei. » Vel *sapiens non est*, quia Scripturarum scientiam perdidit, et propterea venientibus Romanis *non parcet ei* Dominus. Sequitur :

VERS. 12. — « Et erit in die illa, percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, et vos congregabimini unus et unus filii Israel. »

Percutiet atque vastabit *Dominus* terram Judæorum ab Euphrate sive a Jordane usque ad Nilum sive Ryconorum; et vastatis regionibus, pauci qui superfuerint Judæi, congregabuntur in diversis locis *unus et unus*, ut adhuc rebellare conentur. Sed his de Judæorum exterminio dictis, de gentilium vocatione subditur :

VERS. 13. — « Et erit in die illa, clangetur tuba magna, et venient, qui perditi fuerant de terra Assyriorum, et qui ejecti erant in terra Ægypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem. »

Tuba quippe *magna* vox apostolicæ prædicationis est. *Terra Assyriorum* gentilitas est. Assyrii namque sunt dæmones, qui convincent iniquitates, et coarguent in adventu Judicis peccatores. Sed et *terra Ægypti* gentilitas est, quoniam Ægyptus dicitur *tenebræ*, et appellatione tenebrarum exprimitur caligo mentium lumen veritatis ignorantium. Mons sanctus *in Jerusalem* Christus est in Ecclesia. Sequitur :

CAPUT XXVIII.

VERS. 1. — « Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim et flori decidenti gloriæ exsultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ errantes a vino! »

VERS. 2. — « Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, et emissarum super terram spatiosam. »

VERS. 3. — « Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim. »

VERS. 4. — « Et erit flos decidens gloriæ exsultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium quasi temporaneum ante maturitatem autumni; quod cum aspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit eum. »

VERS. 5. — « In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ : et sertum exsultationis residuo populi sui. »

VERS. 6. — « Et spiritus judicii sedenti super judicium, et fortitudo revertentibus de bello ad portam. »

VERS. 7. — « Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. »

VERS. 8. — « Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque, ita ut non esset ultra locus. »

Textum litteræ posuimus, ut ad ejus sensum verius attingamus. Decem tribus vocabantur *Ephraim*, vel ab Ephraim filio Joseph, cujus tribus copiosior erat et nobilior, vel a Jeroboam filio Nabath Ephrateo, qui primus super eas rex est constitutus.

Væ, inquit, *coronæ superbiæ!* id est multitudini superbiæ, scilicet *ebriis Ephraim*, id est errantibus

Digitized by Google

idololatris decem tribuum ! et væ *flori gloriæ ejus*, quia cito decidet. *Qui erant* temporibus David et Salomonis *in vertice vallis pinguissimæ*, id est in monte templi, qui est super vallem Gethsemani. Nam a parte vallis illius veniebant ad templum, ibique figebant tentoria.

Ecce validus et fortis Dominus, ut expugnet eos per manus Assyriorum, *sicut* vehemens *turbo confringens impetus grandinis*, et ædificia subvertens. Et *sicut impetus aquarum* fortiter *inundantium* per terram plenam omnia levia facile trahit, sic Dominus per impetum multitudinis Assyriorum rapiet decem tribus in captivitatem. Et tunc inimicorum *pedibus conculcabitur corona superbiæ* istorum, quia destruetur regnum eorum.

« Et erit flos gloriæ ejus quasi temporaneum ante maturitatem, quod mox devoratur. » Hoc est dicere : Quomodo si inveniatur racemus in vinea, vel in arbore fructus ante maturitatem autumni, et mox, ut eum aliquis aspexerit, concupiscentia ductus rapiat eum avide, et comedat, ita Sennacherib et exercitus ejus, videns gloriam decem tribuum, concupiscet eam, et auferet atque bona earum omnia.

In die illa, hoc est in tempore, quo decem tribus in captivitatem ductæ fuerint, *erit Dominus residuo populi sui*, id est Judæ et Benjamin, *corona gloriæ*, ut protegat eos et honorificet. Et ipse erit *spiritus judicii* Ezechiæ *sedenti super judicium*, id est in throno judiciali, quia inspirabit quomodo judicet. Et ipse erit « fortitudo revertentibus de bello (*IV Reg.* XIX, 35), » quo percussit Angelus Domini in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Ierunt enim Judæi colligere spolia eorum, et reversi sunt Jerusalem de cœlo habentes fortitudinem.

Verum hi quoque, id est duæ tribus *præ vino* erroris *nescierunt* liberatorum suum, *et præ ebrietate*, id est per idololatriam, et per Manassen *erraverunt*. Sacerdos *et propheta nescierunt præ ebrietate* errorum, quia sacerdos immolavit idolis, et propheta vaticinatus est in Baal. *Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque* quia in omnibus eorum mensis erant carnes, quæ fuerant idolis immolatæ, et cætera dæmonum sacrificia, ita ut nullus superesset locus ibi absque sordibus hujusmodi, ne Dominus in eis locum habitationis haberet.

Sed hæc intelligi et aliter possunt. Quid enim per decem tribus, quæ deserentes templum Domini coluerant idola nisi multitudo signatur hæreticorum; hi enim erroribus suis ebrii sunt, id est a sensu rationis alieni. Corona vero magistrorum discipuli sunt sicut ait Apostolus his, quos converterat : « Quæ est spes nostra aut gaudium, aut corona ? Nonne vos ante Dominum (*I Thess.* II, 19)? Similiter et hæretici eos, quos seduxerint, quasi coronam suam fore gloriantur. Sed *væ* huic *coronæ !* quia sicut beatus Job de quolibet hæretico dicit : « Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt (*Job* XXVII, 14). »

Quis autem sit *flos* hujus coronæ, docet iste propheta : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni (*Isa.* XL, 6). » Sed hic *flos* est *decidens*, quoniam « exsiccatum est fenum, et cecidit flos, quia Spiritus Dei sufflavit in eo (*ibid.* 7). » « Qui erant in vertice vallis pinguissimæ, » quia deprimebant Ecclesiam. Quasi enim supra verticem ei erant, quam sæculari potentia conculcabant. Vel quia non sequebantur tenuitatem mannæ, et humilitatem ecclesiasticam, sed in monte superbiæ pinguissimo versabantur ebrii erroribus.

« Ecce validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens, » quia secundum libri hujus sequentia, veniens ad judicium « allidet eos in turbine et in lapide grandinis (*Isa.* XXX, 30); » sicut impetus aquarum multarum inundantium, quia « Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, et ad perdendas gentes ad nihilum (*ibid.* 28). »

« Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim, » sicut justis per Malachiam dicitur : « Egrediemini et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, qua ego facio dicit Dominus (*Malach.* IV, 2). »

« Et erit flos decidens gloriæ ejus quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod mox, ut mane venerit, comedetur, » quoniam hæretici, eum de hac vita exierint, non exspectant ad tormenta diem judicii, quæ per maturitatem autumni potest intelligi, sed statim ab antiquo hoste devorantur in æternæ perditionis barathrum absorpti.

« In die illa erit Dominus corona gloriæ residuo populi sui, » id est his, qui in Ecclesia permanent, quia perfecti, cum de hoc sæculo exeunt, mox regni coronam percipiunt. *Et* ipse Dominus erit *Spiritus judicii sedenti super judicium*, quia intimabit Salvatori nostro, quemadmodum judicet, qui ait : « Non possum ego a me ipso facere quidquam, sed sicut audio, judico (*Joan.* V, 30). »

Et ipse Dominus erit *fortitudo revertentibus de bello*, id est de vitæ hujus certamine : *ad portam*, id est ingressum regni cœlorum. Solet enim hostis antiquus cum suis satellitibus ante regni januam gravia concitare prælia, ut fidelium animas de corporibus egressas cœlum intrare non sinat, et idcirco Dominus electis suis *ad portam fortitudo* est.

« Verum hi quoque præ vino nescierunt » quia et hi, qui sunt in Ecclesia, curis sæcularibus inebriantur, et variis desideriis. Multæ enim sunt ebrietates : inebriamur ira, tristitia, amore, concupiscentia et vana gloria, cæterisque vitiorum potionibus; et quidquid ita mentem debriat, appellatione vini potest designari. Nam, sicut videmus ebrii corpus moveri, vacillare pedes, caput et tempora prægravari, linguam ligari, ac hærentibus labiis verba præcidi : similiter est videre eos, qui mente sunt ebrii, quomodo moveantur, quomodo instabiles gressu sint, quomodo et debilitante mente et fluctuante cogitatu nihil firme teneant, sed perturba-

Digitized by Google

tionibus semper agantur incertis. Qui enim sensum deserit Deum jugiter cogitandi, cor hujus commotione, ac perturbatione, ac malitia repletur et amaritudine. Nam dura quidem ex præsentis vitæ amore tolerant homines, et tamen affectu nimiæ cupiditatis obligati laborem ejusmodi tolerantiæ voluptatem putant. Unde recte Jeremias totius in se humanæ conversationis speciem sumens, per lamentum queritur, dicens : « Inebriavit me absinthio (*Thren.* III, 15). » Ebrius enim, quod patitur, nescit. Qui vero absinthio debriatur, et hoc quod sumpsit, amarum est, et tamen non intelligit eamdem, qua repletur amaritudinem.

Humanum igitur genus recto Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum absinthio est ebrium, quia et amara sunt, quæ pro hujus vitæ amore tolerat, et tamen eamdem amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est quod bibit. Sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam præ ipsa ebrietate non sufficit. Quoniam igitur non solum gentiles et hæretici, sed etiam multi, qui se fideles esse fatentur, et insuper etiam plerique religionum professores hujusmodi ebrietatibus confusi sensum rationis amiserunt, recte nunc dicitur : « Verum hi quoque præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt. » Nam vino cupiditatum ebrii regulam veritatis ignorant. Sed adhuc gravius est, quod subditur, quia sacerdos *et propheta nescierunt præ ebrietate*. Quis enim *sacerdos* hic dicitur nisi qui officium quidem sacerdotale suscepit, sed opus officii non implet? Et quis hoc loco *propheta* vocatur nisi quilibet prædicator, qui ventura justorum gaudia malorumque tormenta prædicit : Sed et isti *præ ebrietate nescierunt*, quia dum mens eorum occupatur ad temporalia, providere subjectis nescit æterna; et dum exterioribus dediti sunt, interiorum scientiam amiserunt. Vix enim sacerdos jam invenitur aut prælatus Ecclesiæ, qui Scripturas Dei meditetur, sed « absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, » quia sæcularibus curis intenti, tanto sunt ab eisdem curis absorpti, quanto a divina contemplatione foras exierunt, et animus eorum usu temporalis curæ obduruit a cœlesti desiderio, atque per actionem sæculi ipso usu obduratus ad ea vix emolliri valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.

Et quia plerique eorum caute non cogitant, quod omnia, quæ nunc aguntur, Deus consideret, qui et de omnibus facturus est judicium, *nescierunt* omnia *videntem* Deum, *ignoraverunt judicium* ejus futurum.

« Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordibusque. » Quid mensarum nomine nisi Scripturæ sanctæ signantur, quæ spiritalibus epulis nos pascunt? Unde et Psalmista : « Parasti, inquit, in conspectu meo mensam (*Psal.* XXII, 5). Quid vero per sordes nisi peccata? Unde Jeremias de negligente anima : « Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui (*Thren.* I, 9). » Sordes namque in pedibus peccata sunt in operibus. Quid autem per vomitum nisi peccata per confessionem ejecta deincepsque resumpta figurantur? Nam « sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens iterat stultitiam suam (*Prov.* XXVI, 11). »

Quia igitur omnia Scripturarum præcepta sanctarum operuerunt isti vel semel actis vel iteratis culpis, *omnes mensæ* eorum dicuntur repletæ vomitu *sordibusque*, ita ut locus jam in eis non appareat, quem sordibus non inquinaverunt. Vel universa doctrina eorum, et cuncta mysteria vomitu plena sunt et sordibus, dum Scripturarum sanctarum non digerunt cibos, sed immaturos et fetentes egerunt, ita ut nullum in eis Deus reperiat locum.

Sed his ita discussis studioso lectori suggerimus, quia potest adhuc per Ephraim designari perfidus iste populus Judæorum, et per *residuum populi Dei* populus Christianorum; aut certe per Ephraim, qui *ubertas* interpretatur, multitudo carnalium, qui sunt in Ecclesia, et per residuum populi Dei sacrarum professores religionum. Sed juxta superiorem sensum videamus sequentia. Clamat enim propheta Judæis, dicens :

VERS. 9. — « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. »

VERS. 10. — « Quia manda, remanda, manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta : modicum ibi, modicum ibi. »

VERS. 11. — « In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum. »

VERS. 12. — « Cui dixit : Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est refrigerium meum, et noluerunt audire. »

VERS. 13. — « Et erit eis verbum Domini : Manda, remanda, manda, remanda, exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta ; modicum ibi, modicum ibi, ut vadant, et cadant retrorsum, et confundantur, et illaqueentur, et capiantur. »

Quem, inquit, ex Judæis *docebit* Dominus, ut, quod audierit, intelligat et operetur? Non docebit istos, qui lacte semper indigent, sed Christianos *ablactatos*, id est abstractos a lacte puerilis scientiæ, *et avulsos ab uberibus* infantilis doctrinæ. « Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est; perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali (*Hebr.* V, 13). » Non igitur istos pueriliter docebit ultra Dominus, sed alios, qui lacte jam non egeant, et sermonem justitiæ possint suscipere. Isti enim dicere consueverunt : « Manda, remanda, » etc. Cum enim per aliquem ex prophetis increparet eos Dominus, et ad pœnitentiam hortaretur, atque captivitates et mala minaretur eis, illi cernentes, quia mox captivitas et afflictio prædicta non veniebat, non credebant prophetæ, sed irridebant eum, dicen-

Digitized by Google

tes : « Manda, remanda; » ac si dicerent : Præcipe, præcipe quid facere debeamus, et minare nobis mala. Non enim veniet super nos quod minaris. Econtra vates respondebat : « Exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi, » id est in illa comminatione, quam per os meum audisti, quia post modicum veniet tibi malum quod locutus sum.

« In loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum, » id est præsens loquetur, et aliter loquetur, quia malum, quod locutus fuerit, adducet mox super eos non dans ultra pœnitentiæ locum.

« Hæc est, inquit, requies mea, reficite lassum, » id est quietem et epulas in vobis mihi præbeatis bene vivendo, quia diu sum fatigatus iniquitates vestras tolerando. Qui enim ad pœnitentiam conversus bonis operibus, insistit, reficit Dominum dicentem : « Manducemus et epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est (*Luc.* xv, 23). » Qui vero permanet in peccatis, laborare facit eum dicentem : « Præbuistis mihi laborem in iniquitatibus vestris (*Isa.* xliii, 24). » Sed hoc *audire noluerunt* Judæi, ut ei *refrigerium* in se ipsis darent.

« Et erit, inquit, eis verbum Domini : Manda, remanda. » Cum enim ad pœnitentiam eos, ut diximus, hortaretur aliquis propheta, et minaretur eis adversitates, illi se non corrigebant, sed insuper prophetæ verbum sumebant in derisionis canticum, dicentes : « Manda, remanda, manda, remanda ; exspecta, reexspecta, exspecta reexspecta ; modicum ibi, modicum ibi. » Ac si desiperent, dicentes : Præcipe atque præcipe quid agamus, et ut exspectemus captivitatem præstolantes, *modicum* jubeto frequentius. Ante enim ex hac vita migrabimus, quam hoc veniat quod prænuntias. Sic enim dicere consueverant et iniquitates augere, donec ab adversariis ducerentur captivi. Unde convenienter ait, quia « erit eis verbum Domini : Manda, remanda, etc., ut vadant, et cadant retrorsum, et confundantur, et illaqueentur, et capiantur. » Ibant enim in adinventionibus suis, ut caderent in manibus hostium, et illaquearentur ab eis, et confunderentur.

Sed hæc et ad eos, qui sunt in Ecclesia, referamus. Rejectis enim Judæis, *quem docebit* Christus pati pro nomine suo futuras tribulationes ? Eos utique qui ablactati sunt *a lacte*, id est apostolos et eorum sectatores. *Exspecta*, inquit, etc. Loquitur autem ad chorum apostolorum omniumque credentium, ut non ad unam, sed ad multas se paret tribulationes, ut cum tribulatus fuerit, atque pressus, speret, et super Deo spem habeat. Quod si paululum tardaverint quæ promissa sunt, non sit incredulus. *Modicum* enim parumque, et venient quæ promissa sunt. Sed impii *noluerunt audire* apostolos, quin potius gladiis ac blasphemiis sæviebant. Unde hoc, quod ad populum Dei dicebatur : Tribulationem sustine, *exspecta* spe, *exspecta* spe, adhuc *modicum*, adhuc *modicum ;* illis versum est in pœnam, *ut vadant, et corruant retrorsum*, et in periculum æternis mortis incidant, et absque ullo miserlarum fine *capiantur.*

Notandum vero, quod cæteri codices non *ablactatos habent*, sed ablactatum, neque *avulsos ab uberibus*, sed avulsum. Sic enim dicitur : « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatus a lacte, avulsus ab uberibus. » Unigenitus autem Dei pro nobis homo factus ubera matris sugere puer est dignatus, ut nos animarum lacte semper ut parvuli non egeremus ; et ætate proficiens avulsus est ab uberibus, ut nos ad solidum cibum æternæ vitæ proveheret. Sed vix invenitur, qui ista sic cogitans puerilem transcendat sensum, et infantiles maturo profectu deserat mores. Unde inter multitudines eorum, qui se Christianos fatentur, propheta clamat : « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatus a lacte, avulsus ab uberibus. » Raro enim docibilem se quisquam præbet, raro quisquam, qui sapientiæ percipiat intellectum ; sed fere omnibus convenit illud Apostoli : « Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus ; tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam : nondum enim poteratis, sed necdum quidem potestis : adhuc enim estis carnales (*I Cor.* iii, 1). » Unde et eorum voce, qui tales esse perseverant, subditur : « quia manda, remanda. » Nam cum obedientiam in initio pollicentur, dicunt prædicatori : *Manda*, id est jube quid agamus. Sed quoniam audiunt, ac deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, redeunt ad prædicatorem, dicentes : *Remanda* nobis adhuc quæ prius mandasti. Quia vero et postquam verbum retinuerint, implere illud opere non festinant, *exspecta*, inquiunt, sicut et illi qui in Aggæo dicebant : « Nondum est tempus ædificandi domum Domini (*Agg.* i, 2). » Et adhuc de die in diem differentes ac longa vitæ spatia sibi promittentes, aiunt : *Reexspecta* nos adhuc, quia satis superest temporis : et *modicum* est *ibi*, id est in exspectando, quia post modicum faciemus quæ præcipis. Itemque si de tarditate corripiantur, impudenti fronte respondent, *quia modicum* est *ibi* in ulla cunctatione, sicque semper innectendo moras usque ad finem vitæ, bona, quæ didicerunt, differunt facere, et subito rapiuntur ad tribunal æterni judicis, ut secundum sua opera recipiant.

« In loquela enim labii loquetur ad populum istum. » Sed quod vates ingeminat, « quia manda, remanda, manda, remanda ; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta ; modicum ibi, modicum ibi, » declarat nobis propheta, quod et ipse grandi tædio sit affectus in hujuscemodi verbis istorum, et nimis onerosa sit ei pertinacia pravitatis eorum. Qui quoniam verbis Dei, quæ per prædicatores audiunt, non obtemperant, loquitur ad eos *in loquela labii, et in lingua altera*. Nunc enim per Scripturarum paginas et doctorum linguas loquitur : cum autem ore proprio verba protulerit, apparens in judicio, tunc *in loquela* proprii *labii* loquitur, *et in altera lingua*, quia qui modo per Ecclesiæ præpositos, ipse tunc

Digitized by Google

per semetipsum loquetur, et dicet eis : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare, hospes fui, et non collegistis me (*Matth.* xxv, 42). » Idcirco enim pauper factus est, et labore fatigatus pro nobis, ut nos cum in pauperibus et lassis reficeremus, et diceret nobis : « Quandiu fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis (*ibid.*, 40). » Hoc quippe est quod hic loquitur : « Hæc est requies mea, reficere lassum, et hoc est refrigerium meum. » Sed hoc *audire nolunt* qui semper operari bona differunt. Et idcirco « erit eis verbum Domini : Manda, remanda, » ut semper obedientiam promittentes et nunquam obedientes, sed in longum agere sancta protelantes, *vadant* post concupiscentias suas, et in fine *cadant retrorsum*, id est in ignota præcipitentur supplicia, et tunc sero *confundantur* de malis suis, cum nihil eis jam profuerit, et in hora mortis *illaqueentur* a malignis spiritibus, ac deinde *capiantur* ab eis, ad tormenta ducendi.

In eo autem quod ait : *Et cadant retrorsum*, notandum est, quia boni semper in Scripturis sanctis dicuntur *in faciem suam* cadere, mali autem *retrorsum*. Et cur hoc nisi quia, qui in faciem cadit, ibi cadit ubi videt; qui vero retrorsum cadit, non videt quo cadit? Et electi hic sponte se humiliantes vident in quibus dejiciantur; reprobi autem, cum in morte nolentes humiliantur, nesciunt ubi corruant. Ad ignota enim rapiuntur supplicia. Jam vero videamus sequentia. Ait enim propheta principibus synagogæ dicentibus : « Manda, remanda, exspecta, reexspecta. »

Vers. 14. — « Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. »

Illusores enim erant qui prophetis illudebant, dicentes : *Manda, remanda*. Et adhuc causa eorum subditur gravior, cum dicitur :

Vers. 15. — « Dixistis enim : Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. »

Cogitabant enim, dicentes : Incassum laboravimus observantes legem Domini, quia descensuri sumus ad infernum sicut et cæteræ gentes. Levius enim et tolerabilius erit illis quam nobis, quia illæ quotidie placant hostiis et muneribus principes inferni. Melius ergo nobis est, ut ritum gentium imitantes, statuamus pactum cum diabolo et pœnarum principibus, et offeramus eis sacrificia. Sicque cogitantes aut etiam loquentes, immolabant dæmoniis. Hoc est itaque, quod dicunt : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. »

Et de præsenti vita subjiciunt, quia *flagellum inundans*, id est quælibet vagabunda tribulatio, veniens, « cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus, inquiunt, mendacium spem nostram. »

Sperat autem in mendacio contra flagellum veniens, qui se mendaciis excusare parat, et culpam suam defendere, ne flagellum correptionis sentiat, sicut et nunc plerique faciunt; et illi tunc faciebant, qui et *mendacio* protegebantur, quia sub obtentu religionis prædicabant avaritiam suam. Præceperat enim Deus, ut filii parentes suos honorarent subsidia victus illis ministrando; isti vero dicebant, melius esse, ut filii parentibus offerrent (129) quam in templo Domini, et illi sumebant oblationes populi. Unde et ab ipso Salvatore sic increpati sunt : « Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam. Vos autem dicitis : Quicunque dixerit patri vel matri suæ, munus quodcunque ex me tibi est, proderit, et non honorificaverit patrem suum et matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram (*Matth.* xv, 3-6). » Sic ergo mendacio se protegebant. Sequitur :

Vers. 16. — Idcirco hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet. »

Vers. 17. — « Et ponet (130) judicium in pondere, et justitiam in mensura : et subvertet grando spem mendacii, et protectionem aquæ inundabunt. »

Vers. 18. — « Et delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagellum inundans, cum transierit, eritis ei in conculcationem. »

« Quandocunque pertransierit, tollet vos, quoniam male diluculo pertransibit in die et in nocte, et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui. »

Quia dixistis, inquit, « Manda, remanda, » quia dixistis : « Percussimus fœdus cum morte, » quia dixistis : « Flagellum inundans non veniet super nos; idcirco dicit Dominus : Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem probatum, » etc. Nova enim Ecclesiæ fundatio jacienda est, quia vetus ædificium Synagogæ dirutum est. Hoc loco congruunt et Psalmistæ verba dicentis : « Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam (*Psal.* cxviii, 126). » Tunc enim Dominus corporaliter inter homines conversans fecit, id est implevit legem, cum eam Judæi prævaricationibus suis et traditionibus vel interpretationibus falsis dissipassent.

Quia ergo synagogæ populus *Manda, remanda* dicens fecit cum inferno pactum, et ejusdem populi principes, idcirco Deus Pater aliud firmius construit ædificium, « Mittit lapidem in fundamentis Sion. » Fundamenta autem Sion, id est Ecclesiæ, sunt apostoli et prophetæ, sicut scriptum est : « Fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* lxxxvi, 1). » Et item : « Sed estis cives sancti, et domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum et propheta-

(129) Locus corruptus in utroque cod.

(130) Alias, *et ponam*.

Digitized by Google

cum ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino (*Ephes.* II, 19). » *In* his ergo *fundamentis* per Incarnationis mysterium lapis Christus mittitur, ut omnis sacri ædificii structura superædificetur, qui tentationibus est probatus. Unde et ait : « Domine, probasti me, et cognovisti me (*Psal.* CXXXVIII, 1). »

Angularis vero dicitur, quia duos in se parietes conjungit, id est circumcisionem et præputium vel angelos et homines, sive contemplativam et activam vitam. Pretiosus autem vocatur, quia tanta sanctitas et justitia est in eo, ut in ejus comparatione nullus hominum quidquam sanctitatis et justitiæ cognoscatur habere. Unde et pretiosum sanguinem suum dedit redemptionem pro mundo. Qui et *in* sacri ædificii *fundamento* fundatus est, quia solus totum ædificium sustinet. Nam sicut ordines lapidum in pariete alii portantur ab aliis, ita portantur fideles quique a præcedentibus in Ecclesia justis. Portant et ipsi sequentes per doctrinam et tolerantiam usque ad ultimum justum, qui, cum a prioribus portetur, quem portare ipse debeat, sequentem non habebit. Qui autem omne ædificium portat, et ipse a nemine portatur, Dominus est Jesus Christus. Et ideo sicut præmisimus dicitur *in fundamento* fundatus.

« Et quicunque crediderit in eum, non festinet, » sed patienter exspectet promissiones ejus. Nam « hæreditas, ad quam festinatur in principio, benedictione carebit in novissimo (*Prov.* XX, 20). » Qui in eum crediderit, *non festinet*, ut in primo ejus adventu quærat, quod in secundo redditurus est. Vel *non festinet*, ne videlicet tardus ei videatur Christi adventus. « Si enim tardaverit » juxta Habacuc, *nemo* desperet, « quia veniens veniet (*Habac.* II, 3), » et promissa sua complebit.

Et ponam, inquit, per eum *judicium in pondere*, ut æqua lance pensans omnia judicet, *et justitiam in mensura*, ut unusquisque juxta modum actionis suæ recipiat. « Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2). » Nunc etiam fit in æquitatis pondere judicium ejus, etiam cum secundum proprias actiones hominibus reddere non videtur. Nam et quod a nobis non intelligitur, ex occulti judicii non injusta lance profertur; et si minus recta videntur esse, quæ patimur, recto tamen et occulto examine decernuntur. Illi autem non judicabant in pondere justo, qui diabolum Domino comparantes sive præferentes legem ejus abjiciebant, et cum inferno pactum statuebant, atque mendacio se protegebant contra veritatem, quibus consequenter ait :

Quia *subvertet grando*, id est multiplex cœlestium judiciorum percussio; *spem mendacii et aquæ*, id est tribulationum impetus; *inundabunt*, id est submergent, atque delebunt *protectionem* mendacii quæ vos tuebatur. « Et delebitur fœdus vestrum cum morte, » quia mors æterna gravius vos torquebit quam cæteras gentes, qui putabatis levius idcirco fore vobis, quia dæmonibus immolabatis. *Flagellum inundans, cum* vel per Romanos vel per aliam occasionem in vestris regionibus *transierit* conculcabit vos et conteret.

« Quoniam mane diluculo pertransibit. » Diluculum quasi dubia lux dicitur. Vocatur enim diluculum, cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur. *Mane* vero, postquam ortus est sol, vocatur. Cum ergo dicitur *mane diluculo*, tale est ac si dicatur : Primo mane, vel summo mane. Et quid per summum mane nisi præveniens velocitas exprimitur? Dies vero prosperitatem, et nox adversitatem designare solet. Vel per noctem et diem assiduitas intelligi potest. *Flagellum* ergo *inundans* (131), id est late diffusum, *mane diluculo*, id est summa velocitate *pertransibit in die et in nocte*, id est in prosperis et adversis, vel assidue.

Potest per hoc *flagellum* intelligi afflictio, quæ super unumquemque peccatorem in hora mortis irruit, quæ *mane diluculo pertransibit*, id est incipiente finiri nocte, id est in omni tempore, vel tam ad eos, qui in prosperitate, quam ad illos qui in adversitate sunt. *Et* tunc *tantummodo sola vexatio* gehennalium tormentorum *dabit intellectum auditui* vestro, id est faciet vos intelligere quod audistis, nec intelligere voluistis, scilicet bonum quod agere debueratis, dum diceretis : « Manda, remanda. » Iniquorum enim oculos nunc culpa claudit, sed ad extremum pœna aperit; nesciunt enim mala quæ fecerunt, nisi cum pro eisdem malis puniri jam cœperint. Bene ergo dicitur : « Et tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui, » quia tunc intelligunt, quod audierunt, cum se jam pro contemptu vexari doluerint.

Sed ista, quæ de principibus synagogæ interpretati sumus, et de pessimis Ecclesiæ præpositis, aut etiam hæreticis intelligi forsitan possunt. Ait enim : « Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem. » *Illusores* quippe sunt nonnulli Ecclesiæ prælati, qui bonum, quod aliis annuntiant, ipsi plerumque derident. « Qui dominantur super populum Jerusalem, » id est Ecclesiæ; quia, velut in quodam sibi videntur summitatis culmine residere, eosque, quibus præsunt, velut in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur. Non enim prodesse eis quærunt, sed dominari, quia non Christi, sed suam sectantur gloriam. Et quodammodo dicunt : « Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, » dum se sic egisse testantur, ut a morte secunda nunquam se lædendos esse confidant, vel ab inferno puniendos. Et *flagellum inunduns*, non venturum super se pronuntiant, quia præsentis vitæ prosperitatem sibi conquisierunt, ac vehementer confirmaverunt. « Et men-

(131) Cod. Cruc., *Fl. vero inun.*

Digitized by Google

dacium spem suam posuerunt, atque mendacio protecti sunt, » quia semper suas negare et occultare culpas, et bona de se loqui consueverunt.

Sed ut talium hypocrisis dissipetur, *lapis* Christus *in fundamentis Sion*, id est in radice cordis credentium mittitur, ut Christi doctrina firmiter teneatur, et horum pravitas respuatur. Licet enim jam dudum lapis iste positus sit in fundamentis Sion, quotidie tamen in eorum fundamento ponitur, qui convertuntur. « In quem, qui crediderit non festinet » in præsenti beati cum istis. « Et subvertet grando » cœlestium judiciorum « spem mendacii » istorum, quia quod semper mendacio tegere sperant, detegetur in examine superni Judicis. « Et protectionem aquæ inundabunt, » quia mandatum, quo suas nunc iniquitates excusando protegunt, inundatio novissimarum tribulationum dissipabit. « Et delebitur fœdus eorum, quod cum morte pepigerant, » quia mors eis pacata jam non erit, sed æternaliter eis adversabitur.

Et flagellum inundans, cum transierit, conculcabit eos, » quia et in præsenti affligentur adversis, qui se semper tutos ab adversitate putabant. *Conculcabit* enim *eos flagellum*, quia tribulatione superabuntur. Sed et post hoc, quod ait mittendum in fundamentis Sion lapidem, ut non staret pactum, quod isti cum inferno fecerant, qui plebis Dei principes erant, congrue subditur :

Vers. 20. — « Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest. »

Hoc tale est ac si maritus uxori dicat adulterium juxta se volenti suscipere : O conjux, stratum istud angustum est, non potest me simul, et corruptorem tuum capere, et hoc pallium breve est, nec valet me, et adulterum operire. Qui enim Deo servire se dicebant, et cum inferno, id est cum inferni principibus pactum faciebant, adulterum juxta sponsum in cubili cordis sui admittere volebant. Sed *coangustatum est stratum* humani cordis, *ita ut alter decidat*, aut vir legitimus, aut adulter, id est aut Christus, aut diabolus, quia « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). » *Et pallium* nostræ operationis *non potest utrumque operire* quia sub actione unius hominis Satanas cum Christo non potest quiescere. Unde et adjungitur :

Vers. 21. — « Sicut enim in monte divisionum stabit Dominus, et sicut in valle, quæ est in valle Gabaon, irascetur.

Sicut in monte divisionum stetit Dominus inter David et Saul persecutorem ejus, sic stabit inter Christianum et Judaicum populum separans eos. Incedebat enim David cum suis fugiens ex hac parte montis, et Saul cum suis persequens ex alia. Cumque viri in modum coronæ cingerent David, ut comprehenderent eum, nuntius venit ad Saul, quia Philisthiim infuderant se super terram, sicque recessit a David, et idcirco vocaverunt locum illum « Petram dividentem (*I Reg.* XXIII, 28). » Quid ergo per montem nisi testamentum Dei signatur? Unde scriptum est : « Dominus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso, et condenso (*Habac.* III, 3). » Inde enim venire dicitur, unde promissus fuerat, id est a testamento suo opacitate mysteriorum umbroso et condenso. Quid vero per David nisi Christus, et quid per Saul nisi Judæorum populus exprimitur, et quid per Philisthæos nisi Romanorum exercitus? Ibat autem David cum suis ex una parte montis, et Saul ex altera cum suis Domino separante, quia in lege Dei Christus incedit cum suis in novitate spiritus, populus vero Judaicus in vetustate litteræ. Saul non destitit persequi David, donec se Philisthiim super terram effunderent, quia Judæorum populus Christum et fideles ejus usque ad adventum Romanorum persecutus est. Ait itaque propheta, quia *sicut in monte divisionum stabit*, id est excrescente gratia religionis sub Novo Testamento dividet inter eos, qui vetustatem litteræ sectantes Deo pariter atque diabolo servire volunt, et eos qui in novitate spiritus soli Deo serviunt.

Vel ille mons *divisionum* intelligi potest, in quem, cum David consulto Domino ac jubente ad Philisthæos, qui contra se venerant, ascendisset, percussit eos ibi, et ait : « Divisit Dominus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ. Et idcirco vocatum est nomen loci illius Baalpharasim, id est *habens divisiones*, ibique dereliquerunt deos suos (*II Reg.* V, 20). » Sicut ergo Deus adversarios David per manum ejus percutiens divisit, ut diffugerent, et idola sua post tergum relinquerent, ita et nunc adversarios Christi per manum ejus gladio prædicatorum illius spiritaliter percutit ac dividit, ut alii prædicationem fugientes in malitia magis obdurent, alii relinquant deos suos, id est vitia, quibus servierant, et ad Christum convertantur.

Sic itaque *stabit* Dominus inter nos velut *in monte divisionum* dividens ac dijudicans latenter actiones nostras, ut aut ex parte Christi quisque sit, aut ex parte adversarii. « Nunc enim judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 33.) » Sed et *irascetur* Dominus inimicis Ecclesiæ, sicut *in valle Gabaon* iratus est contra Chananæos pugnante Josue. De quibus scriptum est : « Quoniam irruit Josue super eos repente, et conturbavit eos Dominus a facie Israel, contrivitque eos plaga magna in Gabaon (*Josue.* X, 9). » Gabaon autem interpretatur *collis mœroris*. Et quid per collem mœroris nisi præsens Ecclesia figuratur, quæ in latere summi montis, id est Christi consistens mœrore nunc afficitur et tristitia? Quid autem per Chananæos nisi infideles? Quid per Israelitas nisi fideles exprimuntur? Irruente ergo Josue conturbavit Dominus Chananæos a facie Israel, quoniam gratia Christi coram prædicatoribus mentes infidelium conturbat ad pœnitentiam. Et conteret eos plaga magna in Gabaon, quia cor contritum et humiliatum dat eis in Ecclesia, omnemque pristinam pravitatem eorum ad nihilum redigit. Bene ergo

Digitized by Google

dictum est, quia « sicut in valle, quæ est in Gabaon, Dominus irascetur. » De quo et apte subditur :

« Ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. » *Opus* enim Dei est animas, quas creavit, colligere, et ad æterna lucis gaudia revocare. Flagellari autem atque conspui, crucifigi, mori ac sepeliri non hoc in sua substantia opus Dei est, sed opus hominis peccatoris, qui hoc meruit per peccatum. Sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ; et qui in natura sua semper manet incomprehensibilis, in natura nostra comprehendi dignatus est, ac flagellari, quia nisi ea, quæ erant *infirmitatis nostræ*, susciperet, nunquam nos ad fortitudinis *suæ* potentiam levaret. « Ut ergo faciat opus suum alienum opus ejus; » et, « ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, » quia incarnatus Deus, ut nos ad sua colligeret, dignatus est pro nobis tanquam peccator homo vapulare. Et *alienum opus* fecit, ut faceret proprium, quia per hoc, quod infirmus mala nostra sustinuit, nos qui creatura illius sumus, ad fortitudinis suæ gloriam perduxit. Quem quia Pharisæi in passione sua derisuri erant, diligenter eos præmonere curavit propheta subjungens :

Vers. 22. — « Et nunc nolite illudere. ne forte constringantur vincula vestra. »

Illuserunt enim dicentes : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere (*Matth.* xxvii, 42). » Et ideo *vincula* peccatorum eorum, quæ per ejus mortem solverentur, si ipsi crederent, ita sunt constricta, ut in æternum laxari nequeant. Sequitur :

« Consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram. » *Consummationem* scilicet justitiæ, *et abbreviationem* præcepti. « Finis enim præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona et fide non ficta (*I Tim.* 5). » *Consummationem* igitur *et abbreviationem* fecit Dominus *super universam terram*, quia omnibus, qui in mundo sunt, hominibus, dedit unum præceptum, in quo omnis consummatio justitiæ continetur. « Plenitudo ergo legis est dilectio (*Rom.* xiii, 10). » Deinde alium orsurus sermonum præmittit, dicens :

Vers. 23.— « Auribus percipite et audite vocem meam, attendite et audite (132). »

Auribus percipite corporis, et auribus cordis *audite vocem meam*, *attendite* diligenter et intelligite eloquium meum. Hæc præmittens intentos quærit auditores, et quæ dicturus est, ostendit esse mystica. Nam subjungit :

Vers. 24.— « Nunquid tota die arabit arans, ut serat, proscindet, et sarriet humum suam ? »

Vers. 25.— « Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et millium et viciam in finibus suis ? »

Vers. 26.— « Et erudiet illum in judicio, Deus suus docebit illum. »

Vers. 27. — « Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuiet, sed in virga excutietur gith et cyminum in baculo. »

Vers. 28. — « Panis autem comminuetur. Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plaustri, nec in ungulis suis comminuet eum. »

Vers. 29.— « Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret justitiam. »

Semper a notis ad ignota congrue dicuntur similitudines, sicut et nunc de his, quæ videmus, parabolam dedit, ut nos de invisibilibus instrueret. Quis enim mystice sit *arans* iste docet Dominus, dicens : « Pater meus agricola est (*Joan.* xv, 1). » Ager autem est mundus, id est omne genus humanum. Quem videlicet agrum excolens, non *tota die*, id est toto vitæ singulorum tempore arat eum sine satione, sed primo rudem mentis campum proscindit vomere novæ prædicationis aut scientiæ, rursumque sarrit eum, herbas vitiorum noxias evellendo vel resecando.

Vel non *tota die* præsentis vitæ singulorum proscindit eum doctrina inchoationis, et sarrit sarculo correptionis, ut nihil seminis mystice spargat. Nam *cum adæquæverit faciem ejus*, id est aptam reddiderit mentem ad suscipiendum semen doctrinæ, *seret gith, et cyminum sparget*, et cætera. *Gith* simile est cymino, et parumper candidiora et grossiora habet grana, et melius saporata ; *cyminum* autem reor esse cuminum. Et quid per *gith et cyminum* designatur nisi gentes intellectum et legem naturalem a Domino percipientes? « Erat enim lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i, 9). » Nec mirum si proscindere et sarrire dicatur humum agricola, ut gith et cyminum serat, quia neque scientiam naturalis legis suscipere quis valet, nisi prius exerceatur mens ejus meditationibus, atque purgetur. Et cum per gith et cyminum accipiamus gentes, non est absurdum, quod agricola serere dicitur gith et cyminum, qui doctrinam potius serit juxta illud de Evangelio : « Semen est verbum Domini : quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum (*Luc.* viii, 1). » Semen quippe dicit esse verbum Dei, et semen, quod cecidit in spinis, illos esse qui verbum audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus suffocantur. Eodem nunc locutionis genere dicitur agricola noster serere *gith et cyminum*, *atque per ordinem triticum et hordeum* ponere, *et millium, et viciam* spargere.

Quid autem per *triticum et hordeum* nisi pastores Ecclesiæ signantur dulces et asperi, dulces per mansuetudinem, asperi per severitatem? Et quid

(132) Alias, *audite eloquium meum.*

Digitized by Google

per *millium* et *viciam* nisi duo genera subjectorum exprimuntur? Alii enim sunt justitia candidi ut *millium;* alii peccato nigri sicut vicia. Et gith quidem atque cyminum indiscrete spargitur, et seritur, quia gentium conversatio sparsa est, et inordinata, triticum vero et hordeum *per ordinem* ponitur, ut vita præpositorum Ecclesiæ regularis et ordinata signetur. Millium autem et vicia ponuntur *in finibus* agri, ut subjectorum ostendatur humilitas, qui se computant in novissimis Ecclesiæ membris.

Et erudiet, inquit, *illum* videlicet agricolam Deus *judicio*, id est docebit illum, ut agat tempore messis, sicut acturus est Dominus in judicio.

« Non enim in serris triturabitur gith, » etc. Serra lignum est multos habens dentes, quod boves trahunt. Tangitur enim juxta litteram hic consuetudo quarumdam regionum, in quibus agricolæ pro feni penuria, sicut et supra dictum est, congregatis in unum segetibus plaustra serratas habentia rotas desuper circumducunt, ut grana purgentur, et in paleas stramina rediganter, ut animalibus pabulum fiant. Sed *gith et cyminum in serris et plaustris* ut cæteræ fruges *non* triturantur sed *in virga* excutitur *gith et cyminum in baculo;* sic et in judicio gentes non examinabuntur, sed absque retractatione punientur. « Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt (*Rom.* II, 12). »

Quid autem per virgam vel baculum nisi Satanas figuratur, de quo scriptum est : « Væ Assur furoris mei virga et baculus ! (*supra* X, 5.) *Excutitur* ergo *gith in virga, et cyminum in baculo*, quia diabolus gentilium animas a corporibus cum tormentis excutit.

Quid vero per plaustrum nisi Dominus ipse designatur, qui per Amos dicit : « Ecce ego stridebo subter vos sicut stridet plaustrum onustum feno? (*Amos* II, 13.) Et quid per rotas *plaustri* nisi volubilitas verborum judicis? Dicet enim reprobis : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere; hospes fui, et non collegistis me; nudus, et non operuistis me; infirmus et in carcere fui, et non visitastis me (*Matth.* XXV, 41). » Hic ergo sermonum circuitus per rotas intelligitur.

Quid autem per serras nisi asperæ judicis sententiæ, quæ velut paleas reprobos conterunt, et electos ut grana separant? Sed « nunquam in serris triturabitur gith, neque rota plaustri super cyminum circuiet, » quia infideles neque saltem verba judicis audire digni erunt, ut examinentur, atque damnentur, sed sine discussione peribunt.

Panis autem, id est triticum et hordeum, unde fit panis, *comminuetur* in serris et in rota plaustri, quia prælati Ecclesiæ discutientur in judicio. De millio autem et vicia non dicit, an trituretur, quia subjecti quotidie de suis actibus infirmis per prælatos judicantur, et si præsens judicium patienter susceperint, ac de cætero mores suos emendaverint, non ultra judicabuntur : alioquin et ipsi judicabuntur. « Panis autem comminuetur, » quia per seipsum Dominus facta præpositorum examinabit.

« Verum non in perpetuum triturans triturabit illum, » quia post hanc vitam nonnullos, ut a quibusdam peccatis levioribus purgentur, affligit, quos *non in perpetuum* puniet. Unde dicit Apostolus : « Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III, 14). » Plerique enim post mortem sustinent purgatorium ignem, qui tandem pervenient ad requiem. Sed et in igne, qui in adventu Judicis diffundetur, aliquos electorum a quibusdam levioribus admissis purgari beatus Augustinus in libro De civitate Dei vicesimo ex prophetarum dictis intelligit. Cui et Beda consentit in libro De tempore.

Non igitur *in perpetuum triturans triturabit illum*, id est conculcabit, et conteret, *neque vexabit* illum in perpetuum *rota plaustri*, id est exprobrantia verba judicis ; *nec in ungulis suis*, id est in novissimis sectionibus in perpetuum *comminuet eum*. Ungula enim acuta est, et ipsa est finis digiti.

Rursus ne parvipenderemus ista, subjungit in fine locutionis, quia *hoc*, quod nunc de seminibus, et trituratione dictum est, « exivit a Domino Deo exercituum, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret justitiam. » *Mirabile* enim facit *consilium* in hac diversitate seminum, et magnificat *justitiam* in excussione et trituratione eorum sapienter et juste faciens omnia super humani generis dispositione. Sequitur :

CAPUT XXIX.

VERS. 1. — « Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David : additus annus ad annum, solemnitates evolutæ sunt. »

Hæc de destructione Jerusalem, quæ per Romanos contigit, et captivitate Judæorum historialiter accipimus. Ariel quippe *leo Dei* dicitur, et Jerusalem *leo Dei* vocata est propter fortitudinem, quam Domino protegente quondam habuit. *Quam expugnavit David* expellens inde rebellium Jebusæorum reliquias. Sed nunc habet *Væ!* quia miserabiliter est subversa. Et idcirco dolentis affectu ingeminat : *Væ Ariel, Ariel!* quia, quæ erat insuperabilis, sic destructa est, ut non relinqueretur in ea lapis super lapidem, et templo cremato captivatisque Judæis *additus* est *annus* captivitatis *ad annum*, et *annus ad annum*, quia omni tempore usque ad adventum Eliæ captivas hæc perseverat. Et *solemnitates* Paschæ et Pentecostes atque Tabernaculorum, aliæque festivitates *evolutæ sunt*, quia non fiunt, sed in nihilum versæ sunt. Sed quod velut præteritum narravit, qui futurum adhuc erat, quibus hoc modis esset complendum, evidenter aperuit, dicens :

Digitized by Google

VERS. 2.— « Et circumvallabo Ariel, et erit tristis et mœrens, et erit mihi quasi Ariel. »

Circumvallabo Ariel obsidione Romanorum. *Et erit tristis, et mœrens*, quando fame cruciabitur et nullus poterit ingredi vel egredi. *Et erit mihi quasi Ariel*, quia solum nomen pristinum habebit, amissa dignitate, potentiaque et religione. Sed quod dixerat : *Circumvallabo Ariel*, diligenter exposuit, adjiciens :

VERS. 3. — « Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam, et humiliaberis. » Sic enim per Romanos factum est. Sequitur :

VERS. 4. — « De terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum : et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit. »

De terra loqueris, qui de cœlestibus loqui consueveras. *Et de humo audietur eloquium tuum*, qui posueras in cœlum os tuum. *Et erit quasi pythonis de terra vox tua*, quia in antris et subterraneis abscondent se plerique habitatores tui vel a facie prædonum, dum obsessa, vel a facie Romanorum, quando fueris capta. Sed quia et ipsi Romani velociter perituri erant, et in nihilum redigendi, quoniam Christum non cognoverunt, subjunctum est.

VERS. 5. — « Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, et sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt. »

Disperierunt enim *sicut pulvis*, quem turbo dispergit. Rursumque de eorum adventu potest accipi, quod *subditur* :

VERS. 6. — « Eritque repente confestim. A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. »

Hæc enim omnia facta sunt in illa tribulatione. Sed quia Romani vitam, quæ Christus est, non habuerunt, quam sint inanes, ostendit propheta, subjungens :

VERS. 7. — « Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel : et omnes, qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam. »

VERS. 8. — « Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus ; et sicut somniat sitiens, et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est; sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion. »

Hæc enim illis exercitibus conveniunt, qui contra Jerusalem tunc fuerunt. Sed superiora repetentes videamus an possint universa hæc et aliter intelligi.

« Væ, inquit, Ariel, Ariel! etc. » Quid per *Ariel* nisi Ecclesia designatur? *Quam expugnavit David*, qui interpretatur *desiderabilis* vel *manu fortis*, quia Christus ex ea gentem vitiorum expulit. Sed hæc habere *væ* dicitur, quia temporales sustinet tribulationes. *Væ!* enim non semper æternam significat amaritudinem, sed nonnunquam afflictionem transitoriam. Unde et in Apocalypsi Joannis dicitur : « Væ unum abiit! (*Apoc.* IX, 12.) » Itemque « Væ secundum abiit! (*Apoc.* XI, 13.) » Quod ergo ait : « Væ Ariel! » de tribulationibus et tentationibus Ecclesiæ intelligatur

« Additus est, inquit, annus ad annum, solemnitates evolutæ sunt, » id est transierunt, quia tempore persecutionis per multos annos non audebant Christiani festivitates agere publice.

Et circumvallabo, subaudi tentationibus et adversis. *Ariel*, id est Ecclesiam, vel quemlibet fidelem et robustum. *Et erit tristis et mœrens*, quia timebit se Deum offendisse, et idcirco talia pati, ac propterea contristabitur ad pœnitentiam. *Et* tunc *erit mihi quasi Ariel*, id est in conspectu meo fortis, licet in oculis hominum appareat debilis. Deinde eadem inculcando repetit, quia non semel talia patitur Ecclesia.

« Circumdabo, inquit, quasi sphæram in circuitu tuo. » Ac si dicat : Tentationibus te cingam, ut ab omni parte sentias adversa. *Et jaciam contra te* aggerem, id est molem tentationum : *et munimenta ponam in obsidionem tuam*, id est undique machinis inimicorum invisibilium vel visibilium arctabo te : *Et humiliaberis*, id est adversis deprimeris, vel agendo pœnitentiam humiliaberis.

« De terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum, » quia dices : « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster (*Psal.* XLIII, 25). » Et : « Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum (*Psal.* CXVIII, 25). » « Et erit quasi pythonis de terra vox tua, » quia loqueris de barathro perditionis exempta. Per artem quippe pythonicam evocantur ab inferis animæ. Cujus ergo vox quasi pythonis est de terra? Qui de profundo iniquitatis liberatus de inferno se dicit abstractum cum Psalmista canens : « Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori (*Psal.* LXXXV, 13). »

« Et de humo, inquit, eloquium tuum mussitabit, » sicut et Jeremias de religioso viro dicit : « Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes (*Thren.* VIII, 29). » Os enim in pulvere ponit, qui se pulverem esse humiliter fatetur. Sed quid de ipsis persecutoribus Ecclesiæ, quæ sic angustiatur in præsentibus et humiliatur, faciendum in tempore judicii sit, additur :

« Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, » id est tribulantium te, id est aridi et ina-

Digitized by Google

nes, et vagi et leves erunt, ut scriptum est : « Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 5). »—« Et sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt, » quia ut Job sanctus ait :« Erunt sicut paleæ ante faciem venti, et sicut favilla, quam turbo dispergit (*Job* XXI, 18). »

« Eritque repente confestim. A Domino visitabitur, » quia juxta est, et velox nimis, et sic improvisus, ut nesciatur, quando veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. *Confestim* igitur, id est valde velociter a Domino Deo exercituum visitabitur actio singulorum. « In tonitruo et commotione terræ, et voce magna turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis, »quia tunc elementa omnia concutientur, et conturbabuntur, et Dominus in igne veniet, atque omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, et procedent.

« Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, et omnes, qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam, » quia sicut phantasma pertransibit virtus et gloria persecutorum Ecclesiæ. Omnis enim potentia sæculi somnium est, non veritas.

« Et sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est; sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion. » Id est, quæ gladiis vel linguis vel pravis moribus pugnaverunt adversus Ecclesiæ religionem. Qui enim in hoc sæculo delectantur rebus secundis, ita sunt, sicut qui in somnis manducat, et bibit. Videtur sibi cibo aut potu, dum dormit, repleri, sed cum evigilaverit, plus incipit esurire ; et tunc intelligit, quam inanis ille cibus et potus fuerit somniantis. Sic qui in hoc dormit sæculo, et non aperit oculos ad mysteria divina, quam diu somno gravatur torporis, putat alicujus momenti esse hanc sæcularem potentiam quasi in somnis eam videns. Ubi evigilaverit, deprehendit, quam inanis hujus sæculi voluptas sit. Hinc est, quod de electis laborantibus hic et afflictis econtra dicit Apostolus : « Quasi tristes, semper autem gaudentes (*II Cor.* VI, 10). » Tristitia enim justorum *quasi* habet ; sed gaudium eorum *quasi non habet*, quia spes certa est. Quare tristitia justorum *quasi* habet? Quia sicut in somnio transit. Si quis somnium judicat, addit *quasi*, *quasi* sedeam, *quasi* loquebar, *quasi* prandebam, *quasi* equitabam, *quasi* disputabam, totum *quasi*, quia, cum evigilaverit, non invenit quod videbat. *Quasi* thesaurum inveneram, dicit mendicus. Si *quasi* non esset, mendicus non esset. Sed quia *quasi* erat, mendicus est.

Itaque qui nunc ad lætitias sæculares oculos aperiunt, et corda claudunt, transit *quasi* eorum, et venit verum ipsorum, *Quasi* ipsorum felicitas est sæculi : verum ipsorum pœna est. Nostrum autem *quasi* tristitia est, gaudium non est *quasi* ; non enim ait Apostolus : Quasi gaudentes, sed ait : « Quasi tristes, semper autem gaudentes. » Bene itaque præsentium voluptatum dilectores ei comparantur, qui *in somnis comedit, et bibit*. In somnis quippe agunt, dum in hac vita sunt. Comedunt et bibunt, dum suas voluptates satiant. Sed in tempore mortis vel resurrectionis evigilabunt, *et anima* eorum *erit vacua*, quia omnis voluptas eorum transacta tunc erit, et pœna manebit. Vacua erit anima ipsorum, quia nullus animam cibus satiare potest, ut non esuriat, nisi ille qui ait : « Ego sum panis vitæ ; qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (*Joan.* VI, 35). » Sequitur :

VERS. 9. — « Obstupescite et admiramini, fluctuate, et vacillate. »

Obstupescite et admiramini, o perfidi Judæi, videntes miracula Salvatoris; et doctrinam ejus audientes *fluctuate* animo, et *vacillate* dicentes :« Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X, 24). » Quia vero tunc responsum est Judæis. « Loquor vobis, et non creditis (*ibid.* 25), » et postmodum sustulere lapides, ut lapidarent eum, congrue subditur : « Inebriamini et non a vino : movemini, et non in ebrietate. » Non enim vino tunc, sed, quod pejus est, incredulitate sunt inebriati ; nec ebrietate, sed infidelitate sunt in eum commoti. Sequitur :

VERS. 10.—« Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis. »

Somnus animæ est oblivisci Deum suum. Quæcunque anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Quia ergo Judæi Christum præsentem obliti fuerant, cujus memoriam, dum esset venturus, semper habuerant, et ipse nunc eos sua cognitione justo judicio privaverat, recte eis dicitur : « Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis. » Mente enim soporati erant, qui præsentem eum non agnoscebant. Ipse enim vigilare facit animas, quas illuminat. Si autem lumen suum detrahat, obdormiunt; aut si ab illo aversi obdormiunt, præsens est illis lumen, et non possunt videre, quia dormiunt. Sicut et qui corpore dormit, interdum ortus est sol, atque dies jam calet, et ille tanquam in nocte est, quia non vigilat, ut videat jam ortum diem ; sic et isti quia somnus animæ graviter eos oppresserat, solem justitiæ præsentem nesciebant, quibus consequenter dicitur :

« Claudet oculos vestros, et prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet. » Superborum quippe Judæorum *oculos* deserens Dominus clausit. Unde et per Psalmistam dicitur : « Posuisti tenebras, et facta est nox (*Psal.* CIII, 20). » Tenebras quippe Dominus posuit, quia peccatis judicia rependens lumen intelligentiæ suæ subtraxit Judæis. *Et facta est nox*, quia mens eorum ignorantiæ suæ erroribus cæcata est. Nam præcedentia peccata fa-

Digitized by Google

ciunt, ut ad peccandum tenebris subsequentibus involvantur, ut eo jam lumen justitiæ, vel rectæ intelligentiæ nequeant videre, quo illustrari, quando poterant, noluerunt.

Claudere autem *oculos* eorum, et operire mentis caligine *prophetas et principes* eorum dicitur Dominus, non quia ipse tenebras inferat, sed quia ipse peccantium et superborum obscura corda misericorditer non illustrat ut hoc ipsum Domino sit oculos eorum clausisse, vel operuisse, a cæcitatis tenebris liberare noluisse. Sed clausis oculis eorum et principibus, id est doctoribus atque prophetis opertis subditur :

Vers. 11. — « Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem, cum dederint scienti litteras, dicent : Lege istum, et respondebit : Non possum signatus est enim. »

Vers. 12. — « Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : Lege, et respondebit : Nescio litteras. »

Visio omnium prophetarum clausa *vobis erit*, et involuta *sicut verba libri signati*, quia propheticas Scripturas intelligere nullatenus valebitis, qui eum, de quo omnes prophetæ locuti sunt, reprobastis. Prophetas enim solus Christus adventu suo, passione ac resurrectione aperuit. Unde quisquis eum venisse non credit, et passum resurrexisse, dicta prophetarum nulla ratione valet intelligere. Hic enim liber est, quem Joannes in dextera sedentis super thronum vidit « signatum sigillis septem (*Apoc.* v, 1), » et postmodum Agnus aperuit « septem signacula ejus (*ibid.* v). » Omnis enim divina Scriptura, quia uno spiritu Dei scripta est, unus liber vocatur. Quia igitur Judæi non habent hunc *Agnum*, nondum eis aperta sunt libri hujus, id est Scripturæ divinæ sigilla, sed « usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Cum autem conversi fuerint ad Deum, auferetur velamen (*II Cor.* III, 15). » Nunquam igitur apud eos vel litteratus vel illitteratus sensum libri hujus agnoscere poterit, donec veniant ad eum, « qui aperit et nemo claudit, claudit, et nemo aperit (*Apoc.* III, 7). » Sic enim cæcati sunt, ut similiter aut deterius in eis errent litterati sicut et idiotæ. Sequitur :

Vers. 13. — « Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eorum longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis. »

Vers. 14. — « Ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi et stupendo. »

Apud Marcum legimus : « Quia convenerunt ad Jesum Pharisæi, et quidam de scribis venientes ab Jerosolymis, et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus id est non lotis manducare, vituperaverunt. Pharisæi et omnes Judæi nisi crebro lavent manus, non manducant tenentes traditiones seniorum, et a foro, nisi baptizentur, non comedunt, et alia multa, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum et æramentorum et lectorum. Et interrogabant eum Pharisæi et Scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens dixit eis : Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas, et præcepta hominum, baptismata urceorum et calicum, et alia similia his facitis multa (*Marc.* VII, 1 *et seqq.*). »

Hæc itaque et Evangelii verba propheticam exponunt sententiam. Appropinquabat enim ore suo populus iste ad Dominum, et corde longius recedebat, sicut ipse Salvator eum increpat, dicens : « Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? » (*Matth.* III, 7.) Ore suo propinquabant Deo, quia unius Dei cultum habere se gloriabantur, et respuere idola; sed cor eorum longe erat ab ipso, quia non credebant Christo ejus, et timebant eum mandato hominum et doctrinis sicut ostensum est. Idcirco se facturum eis *admirationem* testatur *miraculo grandi et stupendo*. Et quænam sit admiratio illa, declaratur, cum subditur :

« Peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur. » Quia, inquit, « populus iste labiis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum, et doctrinis, ideo peribit sapientia a sapientibus ejus. » Sic enim factum est. Reliquerunt præcepta Dei servando traditiones hominum, et ob hoc ipsi doctores ad tantam pervenere cæcitatem, ut omnem sapientiam amitterent, et omnis *intellectus* absconderetur ab eis. Nam si mandata Dei servarent, Filium utique ejus susciperent, qui est sapientia ejus quem quia non susceperunt, cæcati sunt, ne eum recipiant, qui in littera continetur. Dum enim venturus esset, et illi crederent eum venturum, recte sapiebant. Sed ex quo venit, et eum venisse non crediderunt, sed venturum adhuc putaverunt, intelligentiam perdiderunt. Et sicut resurgens aperuit sensum discipulis suis, ut intelligerent Scripturas, ita econtrario clausit illis sensum, ut quod intelligebant amitterent.

Et hæc est admiratio, quam se facturum eis asseruit, quia mirum valde est, quomodo omnes pariter excæcati sunt. Juxta quem sensum et istud congrue potest accipi, quod superius ad eos dixit : « Obstupescite, et admiramini, fluctuate, et vacillate, » etc. Obstupescere enim et admirari possunt, quia sic omnem intelligentiam perdiderunt, et in tenebris remanserunt. Sequitur :

Vers. 15. — « Væ qui profundi estis corde, ut a Domino adscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, et dicunt · Quis videt nos et quis novit nos? »

Principes sacerdotum, et Scribæ, et Pharisæi erant *profundi corde*, ut absconderent *a Domino consilium*

Digitized by Google

quando miserunt insidiatores, qui se esse justos simularent, ut caperent eum in sermone, et traderent eum principatui, et potestati præsidis, et interrogaverunt eum dicentes : « Magister, scimus quia recte dicis et doces, et non accipis personam, sed in veritate viam Dei doces, licet nobis tributum Cæsari dare, an non? » (*Matth.* XXII, 16.) Hæc et hujusmodi fuit profunditas cordis eorum contra Dei sapientiam, *quorum* erant *in tenebris opera.* Quæ enim in occulto fiebant ab ipsis turpe est etiam dicere. Unde et Dominus increpavit eos, dicens : « A foris apparetis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate (*Matth.* XXIII, 28). » Multa enim in secreto mala committentes, dicebant : *Quis videt nos, et qui novit* ea quæ hic agimus. Putabant enim cæci se divinitus non videri, quos arguit propheta, subjungens :

VERS. 16. — « Perversa est hæc vestra cogitatio : quasi si lutum contra figulum cogitet, et dicat opus factori suo : Non fecisti me, et figmentum dicat fictori suo : Non intelligis. »

Lutum quippe *contra figulum* cogitabat, dum Judæi contra Christum inirent consilium. *Et opus* dicebat *factori suo : Non fecisti me,* dum Creatorem suum hunc negarent esse. Christus enim figulus est, Judæi vero lutum et plasmatio ejus, sicut in fine pœnitentes loquuntur : « Et nunc, Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum ; et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos (*Isa.* LXIV, 6). »

Bene ergo dicitur his qui contra eum faciebant consilium, quia « perversa est hæc vestra cogitatio : quasi si lutum cogitet contra figulum, et dicat opus factori suo : Non fecisti me. » Sed et dicebat *figmentum factori suo : Non intelligis,* dum illi mala perpetrantes in tenebris æstimabant se Divinitatis aspectum effugisse, dicentes : « Quis videt nos, et quis novit nos? » Sequitur :

VERS. 17. — « Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur.

Modicum breve fuit a tempore prædicationis Dominicæ usque ad gentium vocationem. Tunc namque *Libanus in Charmel* est conversus. Libanus quippe *candidatio* sive *dealbatio* dicitur, Charmel *cognitio circumcisionis.* Et quid per Libanum nisi populus gentilis, qui lotus est in baptismo, et pristinis sordibus purgatus ac dealbatus, exprimitur? Quid per Charmel nisi populus Judæorum carne circumcisus? Conversus est ergo *Libanus in Charmel,* quoniam « oleaster insertus factus est socius radicis, et pinguedinis olivæ (*Rom.* XI, 17). » Consecutus est enim populus gentilis gratiam et fidem, quam habebat Hebraicus. Sed *et Charmel in saltum* reputatus est, quia populus Judæorum amissa fide in tortuosam silvam gentilitatis est versus, sicut ait : « Facti sumus sicut in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos (*Isa.* LXIII, 19). » Tales enim nunc sunt Hebræi, quales temporibus erant Tharæ, et deteriores. Sequitur :

VERS. 18. — « Et audient in die illa surdi verba libri et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt. »

In die illa, qua conversus fuerit Libanus in Charmel, et Charmel in saltum, *audient surdi,* id est gentiles *verba libri,* qui signatus manet apud Judæos, nec aperiri potest, id est sacræ Scripturæ; et interiores *oculi cæcorum* gentilium *de tenebris et caligine veteris* ignorantiæ *videbunt* mysteria libri, quem nobis aperuit leo de tribu Juda. Sequitur :

VERS. 19. — « Et addent mites in Domino lætitiam, et pauperes homines in sancto Israel exsultabunt. »

Apostoli, qui prius gavisi sunt convertentes millia Judæorum, *addent in Domino* gaudere, cum converterint gentiles. *Et pauperes homines,* id est multitudo credentium, qui possessiones et substantias vendiderant, et pretia earum ad pedes apostolorum posuerant (*Act.* IV, 34), *in sancto Israel,* id est in Christo *exsultabunt.* Sed quod audire surdi verba libri queant, pauperes spiritu gaudere in Domino, probat sententia, quæ subditur :

VERS. 20. — « Quoniam defecit, qui prævalebat, consummatus est illusor. »

Prævalebat enim hostis antiquus jugo suo genus humanum opprimens, et illudebat ei delectationes fallaces suggerens, et peccatis servire faciens. Sed nunc *defecit, et consummatus,* id est consumptus est; quia per Christum victus atque ligatus est, et nihil factus. Sequitur : « Et succisi sunt, qui vigilabant super iniquitatem. »

VERS. 21. — « Qui peccare faciebant homines in verbo, et arguentem in porta supplantabant, et declinaverunt frustra a justo. »

Romanorum ferro *succisi sunt* Judæi, *qui vigilabant super iniquitatem,* id est persequi Salvatorem studebant. *Qui peccare faciebant homines in verbo,* id est faciebant ut homines blasphemarent, quia « conspiraverunt, ut si quis illum confiteretur Christum, extra synagogam fieret » (*Joan.* IX, 22). *Et supplantabant* eum *arguentem* eos *in porta,* id est in loco judicii, quia dum per illos quinque dies ante passionem suam acrius eos argueret in templo, semper insidias machinabantur, ut ad ejus necem pertingerent.

Et declinaverunt frustra a justo, id est ab eodem Domino, quia non eis profuit dicere : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XII, 15). » *In porta* autem veteres agere solebant judicia. Unde et per prophetam dicitur : « Constituite in porta judicium (*Amos.* V, 15). » Dominum igitur *arguentem* eos *in porta* dicit, quia malitiam eorum dijudicans increpabat. Quod si materialis porta quæritur, in porticu Salomonis arguit eos, dicens : « Vos non creditis, quia non estis de ovibus meis (*Joan.* X, 26). » At illi *supplantabant* eum, quia « sustulerunt lapides, ut jacerent in eum (*ibid.* 31). »

Digitized by Google

Vel dæmones *succisi sunt, qui vigilabant ad iniquitatem, et peccare faciebant* universum hominum genus *in verbo* blasphemiæ, ut negarent verbum Dei, et errorum dogmata prædicarent, *et arguentem in porta* atque judicio, quantum in se erat, *supplantabant*, et a justitia declinare faciebant, qui erat in portis filiæ Sion exaltatus de portis mortis, et corripiebat eos, qui odorant in portis arguentem. Sequitur :

Vers. 22. — « Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham : non modo vultus ejus erubescet. »

Vers. 23. — « Sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt. »

Vers. 24. — « Et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. »

Quia pauperes in sancto Israel exsultabunt, et qui vigilabant ad iniquitatem, succidentur, *propter hoc hæc dicit Dominus, qui redemit Abraham*. Habet autem vetus traditio, quod Chaldæi projecerunt Abraham, et Aram in ignem, qui lingua eorum appellatur *Ur*, eo quod ipsum colere nollent. Chaldæi quippe adorabant ignem. Mortuus est autem ibi Aram in Ur Chaldæorum, et Abraham exivit illæsus. Unde et ei Deus perhibetur dixisse : « Ego sum, qui eduxi te de Ur Chaldæorum (*Gen.* xv, 7), » id est de igne Chaldæorum. Nam in Esdræ libro legitur evidenter ipse Dominus Abraham liberasse « de igne Chaldæorum (*II Esdr.* ix, 7). » Hoc ergo dicit hic commemorari, dum dicitur : « Hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham. » Sed cur hoc, antiquitus gestum, replicat locuturus de novis prædicatoribus, nisi quia quemadmodum Abraham tunc eripuit, et hostes ejus confudit, sic nunc fideles suos eripiet, qui sacrilegorum jussa contempserunt, et persecutores eorum confundet? Sæpissime enim martyres ignem superavere materialem, et omnes ignem tribulationis vel concupiscentiæ vicerunt.

Non modo, inquit, confundetur *Jacob*, id est tempore, quo prophèta loquebatur hæc, populus Judæorum sustinebit verecundiam, nec *modo vultus ejus erubescet, sed cum viderit filios suos*, id est apostolos et credentes, quos meæ manus in operibus bonis creabunt, *in medio* Jerusalem *sanctificantes nomen meum* bene vivendo, et prædicando. Effuso enim Spiritu sancto et apostolis magnalia Dei loquentibus infideles Judæi vehementer confusi sunt, alii ut in suis iniquitatibus tabescentes livore torquerentur adversus credentes. Cum autem subjicit, quia « sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt, » manifeste declarat apostolos non alium prædicaturos nisi Deum, quem adoravit Israel, et sanctum, quem exspectavit Jacob. Dixit enim moriens : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* xlix, 18). » Evangelizantibus autem novis prædicatoribus hoc salutare, id est Dominum Jesum scient *intellectum errantes spiritu*, id est Judæi, qui corde semper errabant, licet operibus recte viderentur incedere. *Et mussitatores*, id est iidem ipsi Judæi, qui more balbutientium infantium mussitabant doctrinam legis, *discent legem*, quam antea disserere nullo studio valuerunt. Docebit enim gratia Christi, quod homo docere nequivit. Sequitur :

CAPUT XXX.

Vers. 1. — « Væ filii desertores! dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me : et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum. »

Vers. 2. — « Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbra Ægypti. »

Vers. 3. — « Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. »

Vers. 4. — « Ierant enim in Tanis principes tui, et nuntii tui in Tanes pervenerunt (133). »

Vers. 5. — « Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterit : non fuerunt in auxilium, et in aliquam utilitatem, sed in confusionem, et in opprobrium. »

Hæc prophetia secundum historiam impleta est sub Jeremia, quando post eversionem Jerusalem reliquiæ, Juda contradicente Deo, fugerunt in Ægyptum a facie Chaldæorum, et ibi cum Ægyptiis pariter perierunt.

Sed quid in reliquiis Juda nisi fideles nonnulli signantur, qui temporibus novissimæ persecutionis resides invenientur aliis jam captivatis? Nunc enim fit illa spiritalis captivitas populi Dei, quam sanctus Jeremias tam graviter plangit, et ex magna parte jam completa est. Quid ergo reliquiæ Juda nisi nos designant, qui superstites adhuc sumus, cæterosque, qui futuri sunt nostri similes? Sed, quid talibus dicatur, audiamus, et caveamus.

« Væ filii desertores! dicit Dominus. » *Filii* sunt, quia Christiani ; *desertores*, quia Patrem deserunt. Mandata quippe Dei relinquunt ut peccatis adhæreant. Qui faciunt *consilium et non ex* Deo, quia caute sibi consulere se putant, dum prospera mundi quærere, suasque voluptates explere decernunt. *Et* ordiuntur *telam, et non per spiritum* Domini, quia proponunt, vel inchoant agere, quæ non licet, sicque peccatum operis additur super peccatum cogitationis eorum.

Qui ambulant, id est operantur, *ut* descendant *in Ægyptum*, id est in sæculum. Quid est enim ambulare nisi operari? Et quid per *Ægyptum* nisi mundus iste figuratur, vitaque sæcularium vel infidelium? Quid autem per *os Domini* nisi Scriptura sacra figuratur, vel quilibet justitiæ prædicator.

(133) Alias, *Erant enim Tani principes tui, et nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt.*

Digitized by Google

Quid vero per regem *Ægypti* nisi potentes sæculi? Ambulant enim, ut in Ægyptum descendant, qui eas actiones operantur, per quas ab alto religionis in sæcularem conversationem deveniant.

Et hæc agentes *non* interrogaverunt *os* Domini, quia in Scripturis non quæsierunt, vel ab aliquo sanctorum si liceret eis agere talia. Cupiunt autem in Ægyptum descendere, id est sæcularem vitam ducere, quia sperant *auxilium* adversus persecutores. In fortitudine *Pharaonis*, id est principum sæculi, si eis familiariter adhæserint. Et ab æstu tribulationum habent fiduciam in umbra Ægypti, id est in protectione sæculi. Quibus *fortitudo Pharaonis*, id est potentum sæculi non in auxilium, sed *in confusionem erit*, et spes *umbræ Ægypti in ignominiam;* quia fortasse nec ipsi principes sæculi poterunt eos tueri sub Antichristo, ne puniantur, æternumque portabunt improperium, quia formidantes pati tribulationem, justitiam vel fidem reliquerunt, et tribulationem non evaserunt. Sic enim multis eventurum credimus in illa persecutione novissima, quoniam vel ob solum Christianitatis nomen quod habuerunt, torquebuntur, aut subito perimentur, dum adhuc fideles esse credentur. Sed et nunc plerique religiosi divitibus iniquis nimium familiares fiunt, et obsequuntur sperantes eorum defensione semper ab adversitate protegi, vel hujus vitæ prospera consequi. Sed exsurgente procella tribulationis non per eos juvantur, imo magis confunduntur.

Ierant enim in Tanis,» etc. *Principes* et præpositi Ecclesiæ eunt *in Tanis*, id est in mandatum humile, hoc est terrenum, quando præceptis sæcularium principum contra suum Canonem obediunt. *Et usque ad Tanes*, quod interpretatur *nunquid commutatus est*, perveniunt, dum cuilibet apostatæ fuerint similes, de quo non appareat, quod ab infidelitate commutatus ad justitiam non est. Sic enim temporibus Antichristi facient, et aliqui jam fecerunt.

Sed quid additur? « Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterit.» Non enim proderit illis populus Ægyptiorum, id est sæcularium aut infidelium adversus Nabuchodonosor, id est diabolum, sed temporaliter, vel æternaliter ab eo punientur, aut certe temporaliter et æternaliter. Nam sicut reliquiæ Juda perierunt cum Ægyptiis, ad quos, ut tribulationem evaderent, confugerant; sic et isti cum iniquis peribunt, quibus metu persecutionum sociabantur. Sequitur :

Vers. 6. — « Onus jumentorum austri. In terra tribulationis et angustiæ leæna et leo, ex eis vipera et regulus volans portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit.»

Vers. 7. — « Ægyptus enim frustra et vane auxiliabitur, ideo clamavi super hoc : Superbia tantum est, quiesce.»

Decem superius onera descripsimus, et nunc apponit undenarium ut de transgressoribus se loqui designet. Denarius enim numerus perfectionem legis exprimit, et undenarius transgressionem ejus. Nam et hic historiam prædicit, quæ temporibus Jeremiæ facta est, quando post interfectionem Godoliæ, Joannan, filius Caree, cæterique principes reliquias Juda transduxerunt in Ægyptum contra præceptum Domini, qui per Jeremiam præcipiebat, ut maneret in terra Juda. Quæ scilicet reliquiæ vocantur jumenta, quia insensatæ erant, et brutæ colentes adhuc idola; jumenta *austri*, quia tribus Juda plagam austri possedit.

Terra tribulationis et angustiæ latitudo est illius eremi, per quam fugerunt in Ægyptum metu Chaldæorum; *leæna* plebs reliquiarum; Joannan *leo*, et alii duces. *Vipera et regulus* ex eis nascens, id est ex leæna et leone filii sunt eorum, qui crudelibus orti parentibus virulenti fuerunt. Et *divitias suas* licet exiguas in humeris *jumentorum et* gibbis *camelorum* portaverunt fugientes *ad populum Ægypti, qui eis prodesse non potuit.* Nam sublatis omnibus, quæ habere poterant, illuc transfugerunt. Veniente autem Nabuchodonosor cum ipsis pariter Ægyptiis, in quibus confidebant, perierunt fame et gladio. *Ægyptus enim frustra*, id est incassum eis « auxiliata est *et vane*, quoniam defecit atque evanuit ejus auxiliatio. Idcirco vates populo reliquiarum properanti in Ægyptum clamat : *Superbia tantum*, in Ægypto *est*, non fortitudo, *quiesce* residens in terra Juda. Quo non quiescente, præcipit Dominus Jeremiæ dicens :

Vers. 8. — « Nunc ingressus scribe eis super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit eis in die novissimo in testimonium usque in æternum.»

Ingressus cum eis in Ægyptum *scribe eis* in buxo, quod est lignum imputribile, ut semper durare queat; *et in libro exara*, ut ab omnibus agnoscatur, quia Dominus interdixit, ne abirent in Ægyptum, et abierunt : *et erit eis* ad *testimonium* damnationis in die novissimo. Sequitur :

Vers. 9. — « Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, filii nolentes audire legem Domini.»

Similiter et in Jeremia legitur. Quem cum mitterent consulere Dominum, dixerunt : « Sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei, si non juxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus (*Jer.* XLII, 5).» Et cum eis respondisset Dominus, « non audivit Joannan filius Caree, et omnes principes bellatorum, et universus populus vocem Domini, ut maneret in terra Juda (*Jer.* XLIII, 4).» Sequitur :

Vers. 10. — « Qui dicunt videntibus : Nolite videre, et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores.»

Digitized by Google

VERS. 11. — « Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel. »

Hoc est, quod Jeremiæ jam in Ægypto dixerunt : « Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, id est : lunæ (*Jer.* XLIV, 16). » et his similia sæpe loquebantur. Dicebant *videntibus*, id est Jeremiæ et Baruch : *Nolite nobis videre ea quæ recta sunt.* Dicebant : *Cesset a facie nostra sanctus Israel*, quia nec loqui valebant de Deo, nec audire, vel memoriam ejus ante faciem mentis venire. Sequitur :

VERS. 12. — « Propterea hæc dicit Dominus sanctus Israel : Pro eo, quod reprobastis verbum hoc, et sperastis in calumnia, et in tumultu, et innixi estis super eo. »

VERS. 13. — « Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, et requisita in muro excelso, quoniam subito, dum non speratur, veniet contritio ejus. »

VERS. 14. — « Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida : et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur ignis culus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. »

Præcepi, inquit, vobis, ut maneretis in terra Juda, sed vos ex ore Jeremiæ *verbum hoc reprobastis, et sperastis in calumnia* verborum, *et in tumultu*, dicentes : *Non misit te Dominus.* « Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos (*Jer.* XLIII, 3), » *et propterea erit vobis iniquitas* « incredulitatis, et contradictionis hujus » *sicut interruptio* muri quæsita ab *hostibus*, et inventa nescientibus his, qui intus sunt, *quia* dum vos a Chaldæis in Egypto tute putatis abscondere, viam eis ad vos panditis, et ex improviso capiemini, et comminuemini sicut *lagena figuli*, quemadmodum et de Jerusalem per Jeremiam dictum est : « Sic conteram populum istum, et civitatem istam sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari (*Jer.* XIX, 11). » Sic ergo et reliquiarum populus in Ægypto contritus est, ut amplius recuperari nequiret. Et sicut *de fragmentis* contritæ lagenæ testula non invenitur, *in qua parum ignis vel aquæ portetur*, ita ex illis nullus superfuit, qui ad aliquod opus bonum jam foret aptus. Sequitur :

VERS. 15. — « Quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel : Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis : in silentio et in spe erit fortitudo vestra. »

Hoc est evidens. *Si revertamini* in terram Juda *et quiescatis* ibi, *salvi eritis* a Chaldæis, quos metuistis. Sequitur :

VERS. 16. — « Et noluistis, et dixistis : Nequaquam, sed ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo veloces (134) erunt, qui persequentur vos. »

Et hoc manifestum est. Nam quia fugeruut *ad equos*, ideo contingit, ut fugerent Chaldæos ; et quia *super veloces* ascenderunt equos, ut loquuntur, ideo veloces fuerunt Chaldæi persequentes eos, ut non evaderent. Sequitur :

VERS. 17. — « Mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quinque fugietis : donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis, et quasi signum super collem. »

Mille Ægyptiorum, in quibus confiditis, fugient *a facie unius* Chaldæorum, et omnes vos Judæi *fugietis a facie quinque* Chaldæorum, *donec relinquamini quasi malus navis*, vel *signum in colle.* Sicut enim cum post naufragium positus fuerit malus in vertice montis, vel super collem pro signo, omnes, qui vident eum, intelligunt dissipatam esse navim, ita pauci Judæorum remanentes omnibus se cernentibus manifestaverunt Jerusalem esse destructam. Qui quoniam inter inimicos diutius afflicti sunt captivitate et miseria, consolatur eos propheta, subjungens :

VERS. 18. — « Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus : Beati omnes, qui exspectant eum. »

VERS. 19. — « Populus enim Sion habitabit in Jerusalem, plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui. »

Non vos, inquit, oblitus est Dominus in manu hostium vestrorum, ut putatis, sed ob hoc *exspectat* liberare vos, *ut misereatur vestri* relaxando peccatum, et eripiendo vos. *Et ideo* vestros hostes comprimens *exaltabitur* super eos, *et parcet vobis* ab hac afflictione, quam sustinetis, *quia Deus judicii* est *Dominus*, id est omnia justo judicio faciens, sive dum vos affligit, sive quando parcit. Et *beati* erunt, qui per ejus misericordiam *exspectant* liberari, quoniam *populus Sion*, qui captivus in Perside tenetur, *habitabit* rursus liber *in Jerusalem*, et affluet bonis, et tunc *nequaquam plorabis*, o Israel, sed exsultabis, quoniam Dominus *miserebitur tui* a cunctis tribulationibus eripiens.

Nunc ab exordio lectionem repetentes, videamus, si possit et aliter exponi, quoniam sæpe contingit, ut sermo propheticus in uno multa complectatur. « Onus inquit, jumentorum austri. » Quid sit *auster*, apud Ezechielem cognoscimus, cui Dominus ait : « Fili hominis, pone faciem tuam contra viam austri, et stilla ad Africum, et propheta ad saltum agri meridiani, et dices saltui meridiano : Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride, et omne lignum aridum (*Ezech.* XX, 46). » Et eadem repetendo sic exposuit : « Fili hominis pone faciem tuam contra Jerusalem, et stilla ad sanctuaria, et propheta contra humum Israel, et dices terræ Israel : Hæc dicit Dominus : Ecce ego ad te, et ejiciam gla-

(134) Alias, *velociores*.

Digitized by Google

dium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium (*Ezech.* XXI, 2). » Quod enim dixerat : *Pone faciem tuam contra viam austri, et stilla ad Africum*, hoc interpretatus est dicens : « Pone faciem tuam ad Jerusalem, et stilla ad sanctuaria. »

Via igitur australis, Jerusalem est, id est Ecclesia, et Africus vel auster sanctuarium est. Quæ sunt ergo jumenta austri vel sanctuarii nisi homines, qui Christianam religionem professi sunt, sed more jumentorum vivunt? « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII, 13). » Jumenta quippe ratione carent, et onus quodcunque sibi imponitur, indifferenter portant. Sic et homo, qui mentis ratione bonum et malum subtiliter non discernit reprobando malum et eligendo bonum, sed quamlibet impositam sibi peccatorum sarcinam ferre consentit, jumentum est.

Onus vero hic pondus peccatorum designat et afflictionum.

« In terra tribulationis et angustiæ leæna et leo, ex eis vipera et regulus volans portantes super humeros jumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit. » Quæ *terra tribulationis et angustiæ* nisi in qua fideles affliguntur? In hac enim est *leæna*, *et leo*, id est Babylon et diabolus. Nam sicut Christum et Ecclesiam designare solent leæna et leo, quoties in bono accipiuntur? ita diabolum et Babylonem figurant, quoties in mala significatione leguntur :

Ex quibus videlicet leone et leæna oritur *regulus volans*, id est pestifer Antichristus, qui per superbiam in altitudine cogitationis super omnia evolat : *et vipera* id est virulenta prædicatorum ejus turba. Qui jumenta sanctuarii sumentes, id est Christianos, et religionum professores imponunt *super humeros* cordis eorum *divitias suas*, id est peccata, *et super* gibbos *camelorum*, id est super elationem tortuosæ mentis ipsorum *thesauros suos*, id est iniquitates. Ex his enim sunt, « qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis (*II Tim.* V, 6). »

Diabolus igitur et Antichristus eorumque sequaces licet et nunc in humeris jumentorum austri divitias suas imponant, præcipue tamen in illa persuasione novissima fideles ab Ecclesia falsis pollicitationibus seducentes auferent, et onerabunt peccatis et afflictionibus. Nam « qui voluerint divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis (*I Tim.* VI, 9). » Per avaritiam ergo decipiuntur hæc austri jumenta, ut tantum iniquitatum et miseriæ suscipiant onus. Incidunt enim per eam in laqueum diaboli, et in desideria quæ trahunt homines in perditionem. Et dum Antichristo consentiunt cupiditate victi, errant a fide, et inserunt se doloribus multis

« *Leæna* quippe *et leo*, *vipera et regulus* ducunt eos peccatis oneratos in Ægyptum, id est in tenebras infidelitatis ad populum gentilium et infidelium, *qui eis prodesse non poterit in die novissimo*, sicut Ægyptii non profuere reliquiis Juda venientibus Chaldeis. Ægyptus enim, id est tenebrosa sæcularium et infidelium multitudo frustra auxiliabitur eis, quia *non proficiet, et vane*, quia evanescit atque transibit.

Vel leoni et leænæ viperæ et regulo prodesse nequibit populus infidelium puniendo martyres, quoniam per tormenta transibunt ad requiem et gloriam, magisque roborabunt adversus Antichristum Ecclesiam. Et quoniam Ægyptus *frustra auxiliabitur*, *ideo clamavi super hoc*, quod Austri jumenta cum sarcinis ad eam descendunt. *Superbia tantum est*, non utilitas, quia descendis in Ægyptum infidelitatis, o quicunque terram Juda, id est Ecclesiam, in qua confessio veritatis est, deseris : *Quiesce* ab hoc itinere perverso residens in Ecclesiam. Sed quia nolunt quiescere, o Elia, nunc ad eos *ingressus scribe* eis *super buxum*, id est in abstinenti conversatione tua, quæ per pallorem buxi figuratur, quid agere debeant eis exprime, *et in libro diligenter exara illud*, id est in corde eorum memoriter assignare labora prædicando. Unicuique enim liber est memoria conscientiæ suæ, et in libro scribimus, dum aliquid imprimimus conscientiæ proximi.

Et erit, inquit, eis scriptura hæc *in die novissimo* ad *testimonium* justæ damnationis, quia bonum, quod agere debuissent, non ignoraverunt, sed contempserunt. *Populus enim ad iracundiam provocans est*, quoniam ille Deum ad iracundiam provocat, quia mandata ejus sciendo transgreditur. Populus igitur iste ad iracundiam provocans est, *et filii mendaces*, id est quod Deo promiserunt, non implentes, *filii nolentes* jam *audire legem Dei*, sed legem voluntatis suæ sequentes : *qui dicunt videntibus*, id est religionum magistris : *Nolite videre*, an ordinate ambulemus : *et aspicientibus*, id est qui vitam his subjectorum, an *recta* sit incessanter aspiciunt. *Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt*, sed *loquimini nobis placentia*, id est quæ ad vanam delectationem pertinent : *Videte nobis errores*, quos sequamur.

Auferte a me viam justitiæ, ut incedam per devia : *declinate a me semitam* arctæ conversationis, et ambulabo per amplam viam perditionis. *Cesset a facie nostra sanctus Israel*, id est Deus, ut jam ante faciem cordis nostri non veniat. Sic loqui vel cogitare descendere est in Ægyptum. Hæc enim jam loquuntur, et magis adhuc locuturi sunt, qui religionem Christianam deserentes Antichristo sociantur. « Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur

Digitized by Google

(*II Tim.* IV, 3). » — « Nam in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris (*I Tim.* IV, 1), » id est doctrinæ dæmonum in hypocrisi loquentium mendacium, « et cauteriatam habentium conscientiam suam (*ibid.*). » Ili ergo dicent : « Auferte a me viam, cesset a facie nostra sanctus Israel. » Quibus divina respondet sententia : *Pro eo, quod reprobastis verbum hoc*, quo præcepi vobis, ut quiesceretis ire in Ægyptum infidelitatis; vel hoc reprobastis, ut aspicientes aspicerent vobis ea, quæ recta sunt, *et sperastis in calumnia et in tumultu* calumniam moventes contra sanam doctrinam, et tumultuantes, ac procaciter innixi estis super tumultum contradictionis et inobedientiæ : *Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio muri cadens*, et ab hostibus quæsita foramen quærentibus. Dum enim in Ægypto, id est infidelium consortio sicut intra muri ambitum fore vos tutos æstimatis ex improviso capiemini, et peribitis, qui in Ecclesia tuti fuissetis.

Et comminuetur murus protectionis vestræ, *sicut conteritur lagena figuli*, quia corpora carnalium, qui vos tuebantur, in morte salventur. « Et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, vel parum aquæ hauriatur de fovea, » quia reprobi, postquam in morte contriti sunt, non invenitur quisquam ex eis, qui vel aliquantulum charitatis jam igniculum ab *incendio*, quo mentes electorum ardent, sumere valeat, vel *parum aquæ* compunctionis haurire *de fovea* humilitatis. *Testa* enim quisque peccator est, cui dicitur : « Væ, qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ ! » (*Isa.* XLV, 9.) Sed hæc testa post contritionem nequit portare igniculum *de incendio*, quia per diem Sabbati, sicut lex dicit : « Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris (*Exod.* XXXV, 3). » Sabbatum quippe est, cum jam nil operari post mortem licet. Sed nemo per diem Sabbati succendet ignem in habitaculo suo; quia, qui nunc ignem charitatis in corde suo non accendit, post mortem illum accendere non valebit. Sed et aquam compunctionis haurire non potest; quia, quamvis in inferno sit fletus et stridor dentium, nequaquam tamen aqua mundans invenietur ibi. De eis namque lacrymis loquimur, qui flentem abluunt. Ostenso autem, quid eis maneat, qui in Ægygptum, id est in sæculum et infidelitatem descendunt, rursum quid consequantur, si ad Ecclesiam velut ad terram Juda redierint, indicat, subjungens.

« Si revertamini et quiescatis, salvi eritis : in silentio, et in spe, » non in calumnia et tumultu, « erit fortitudo vestra » quia resistetis hostibus vestris invisibilibus. Sed isti superbia et cupiditate cæcati respondent : « Nequaquam, sed ad equos fugiemus. » Propheta vero solers corrigere nititur delinquentes, et arguendo revocat peccatores, stringit passionum impetus, frena rationis imponit, revocat culpam, statuit errorem, dum suadet, ut revertantur, et quiescant, nec ad equos in Ægyptum descendant. Equus enim stare nescit, velox ad impetum, cervicem suam exaltans, hinniens ad libidinem. Quid tam simile peccati? Fervet enim primo culpa impetu, et omnem recti cogitationem prævenit, motuque immaturo exsilit, ut eam difficile ratio revocare possit. Fertur et in præceps, et ascensorem suum projicit in mare istud hujus sæculi cervice tumida recusans jugum correptionis. Et specialis quædam forma est libidinis, quæ vocem mutet hominis, verba amantis corrumpat, suisque se probet sermonibus. Ad ejusmodi equitatum, inquit, festinant, qui se revocanti dicunt . « Nequaquam revertemur, sed ad equos fugiemus. » Declinant enim, et defluunt sensus eorum, et disciplinam mentis abjecerunt, ideoque foris in actione dissipantur, et ad culpam proruunt.

Ad equos, inquiunt, *fugiemus*, ne patiamur adversa sæculi, quibus propheta respondet : *ideo fugietis* adversarios invisibiles in tempore necessitatis, quia nunc disciplinam fugitis. Illi vero adjungunt : *Et super veloces ascendemus*, id est in peccatis exaltabimur, quæ nos ad ea velociter ferant, quæ nequiter consideramus. Et sermo divinus : Ideoque, inquit, *veloces erunt* maligni spiritus, qui vos in hora mortis persequentur.

« Mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quinque fugietis. » Irruit enim tempore mortis Satanas cum satellitibus suis, ut animam rapiat. Unde Salomon cum dixisset : « Custodi legem atque consilium, et erit vita animæ tuæ (*Prov.* XXXI, 21), » paulo post de hora mortis subjunxit : « Ne paveas repentino terrore, et irruentium tibi potentias impiorum (*ibid.*, 25), » subaudi, ideo custodi legem atque consilium. Isti ergo qui legem et consilium custodire respuunt, dicentes : « Nequaquam, sed ad equos fugiemus, » subripiente mortis articulo pavebunt, et fugient a facie dæmonum. Fugient quidem, sed non evadent sicut et reliquiæ Juda fugerunt in Ægyptum Chaldæos, sed non effugerunt. Fugit enim persecutores suos anima tempore egressionis suæ, quia fugere quærit, et trepidans per artus discurrit. Nam et de Babylone scriptum est : « Quoniam in una die venient plagæ ejus, mors et luctus et fames, et igni comburetur, et flebunt et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus, et longe stantes propter timorem tormentorum ejus dicent : Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis ! » (*Apoc.* XVIII, 8-10.) Sed hi reges non loco sed affectu, nec corpore sed voluntate longe stabunt, quoniam cum ea pariter cremabuntur. Sicut ergo longe stare dicuntur, qui in eadem damnatione sunt, quia longe vellent esse; sic nunc isti fugere perhibentur in morte adversarios suos, quos fugere cupiunt. Itaque reprobis de suo fine dicitur : « Mille homines a facie terroris unius, et a facie terroris quinque fugietis, » etc.

Quis vero est unus iste, qui peccatores in extre-

Digitized by Google

mis persequitur nisi diabolus? Et qui sunt isti *quinque* persecutores nisi maligni spiritus, qui eorum quinque sensus corporeos ad peccandum illexerunt? Quid autem per millenarium nisi universitas designatur? Ait ergo his qui novissima providere negligunt : *Mille homines*, id est vos omnes tempore vocationis vestræ *fugietis a facie terroris unius*, Satanæ, et *a facie terroris quinque*, id est dæmonum, qui vos in quinque sensibus corporis fecerunt delinquere. *Fugietis*, inquam, *donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis*, id est donec corpus vestrum exanime relinquatur, et omnibus pateat vos in pelago sæculi hujus pertulisse naufragium. *Et relinquamini quasi signum super collem*, quod viatoribus ostendit iter in montem, quia formidine supplicii vestri persuadebitis cæteris, ne sicut vos a via rectitudinis exorbitent, sed ad superna recto calle tendant. Unde et uxor Lot, quia post se respexit, versa est in statuam salis omnibus condimentum animi facta, ne retro jam aspiciant. Eadem quippe sententia est de his, qui nunc relinqui dicuntur quasi malus navis in summitate montis, vel quasi signum super collem, et de muliere, quæ remansit in statuam salis conversa. Deinde longanimitatem electorum corroborat propheta, subjungens :

« Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus : Beati omnes, qui exspectant eum. » Superioribus autem verbis, quibus arguit eos, qui circa finem sæculi in errores declinabunt, consonat Petrus in Epistola, dicens : « Venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes : Ubi est promissio aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ (*II Petr.* III, 3). » Et nunc quod propheta dicit : « Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis, » Petrus ita scribit : « Non tardat Dominus promissis, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti (*ibid.* 9). » Et quod hic sequitur : « Quia Deus judicii Dominus : Beati omnes, qui exspectant eum. » Ibi Petrus adjecit : « Adveniet autem dies Domini ut fur, in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur (*ibid.* 10). » Cum igitur hæc omnia solvenda sint, quales nos oportet esse in sanctis conversationibus et pietatibus exspectantes et properantes in adventum diei, per quam cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. Quibus apostoli verbis et illud consonat, quod in hoc loco subditur :

« Populus enim Sion habitabit in Jerusalem. » Sion namque dicitur *specula* vel *mandatum;* Jerusalem autem *visio pacis*. Et fidelium populus manet nunc in mandato et in specula, quia legem Dei custodiens ab arce mentis circumquaque vigilanter aspicit, et vitiorum tentamenta, priusquam veniant, deprehendit et venientia fortiter superat. Hic ergo *populus habitabit in Jerusalem*, quia pro bellis temporalibus in æterna pace versabitur.

Vel Sion intelligenda est præsens Ecclesia, Jerusalem vero futura. Et *populus Sion habitabit in Jerusalem*, quia qui in errores non declinaverint, sed fideliter et juste in hac Ecclesia perseveraverint, absque dubio in illa regnabunt; et qui nunc variis de causis lamentantur, sine fine tunc gaudebunt. Nam sequitur : « Plorans nequaquam plorabis. » Et quia tunc misericordiam invenient in auxilio opportuno, « miserans, inquit, miserebitur tui (*Psal.* CXXXIV, 14), » quia « judicabit Dominus populum suum, et in servis suis miserebitur, quoniam in æternum misericordia ejus (*Psal.* CXXXV, 1). » Post hæc de gratia Novi Testamenti dicitur :

« Ad vocem clamoris tui statim, ut audierit, respondebit tibi. » Ad nostram petitionem Dominus respondet mox, *ut audierit clamorem* petitionis nostræ faciendo, quod petimus, si justum et utile est, et si tempus advenit, quo fieri debet, atque digni sumus, ut hoc nobis faciat. *Si justum et utile est*, diximus, quia Paulus rogavit auferri a se Angelum Satanæ, qui judicante Domino colaphizabat eum, et non obtinuit, sed tantum ad vocem responsum est : « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9). » *Si jam tempus advenit*, diximus, quia cum dicimus : « Adveniat regnum tuum (*Matth.* VI, 10), » exaudimur quidem, sed nequaquam mox idem regnum percipimus. Eorum vero, qui indigni sunt, non auditur clamor quia « qui declinat aurem, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis (*Prov.* XXVIII, 9). » Neque enim promissum est hoc nisi vel electorum populo, vel cuilibet justo. Et notandum, quia non ait : Faciet, quidquid petieris, sed *respondebit tibi*, scilicet prout oportuerit, atque justum sed respondit, quod utile erat. Sequitur : fuerit sicut Paulo non fecit, quod petebat.

VERS. 20. — « Et dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem. »

Quid per *panem et aquam* nisi doctrina sapientiæ designatur? Scriptum quippe est : « Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum (*Eccli.* XV, 3). » Dedit ergo Dominus nobis in Novo Testamento *panem arctum, et aquam brevem*. « Omnis enim lex, ut Apostolus docet in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum (*Gal.* V, 14). » Quid hoc sermone brevius, in quo tota latitudo præceptorum comprehenditur? Sequitur : « Et non faciet ultra avolare doctorem tuum. » Hoc est quod ipse doctor ait : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Sequitur : « Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. »

VERS. 21. — « Et aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. »

In Scriptura sacra nonnunquam quod transactum

Digitized by Google

est, ponitur quasi futurum. Nam de Agar legimus, quia concepisse se videns despexit dominam suam. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. Cumque invenisset eam Angelus Domini in solitudine, dixit ei : Ecce concipies et paries filium (*Gen.* XVI, 11). » Tale est, quod nunc propheta dicit, quia spiritu æternitatis plenus præterita simul et futura dilatato mentis oculo conspicit, atque de antiquis et novissimis velut de futuris sententiam profert, dicens homini : « Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, » etc. In paradiso quippe viderunt homines præceptorem suum, quia sicut legimus : « Testamentum æternum constituit cum illis, et justitiam, et *judicia* sua ostendit illis, et magnalia honoris ejus *vidit* oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures illorum (*Eccli.* XVII, 10). » Humanum ergo genus in faciem Deus monuit, quando in paradiso condito homini, atque in libero arbitrio stanti, quid facere, quidve non facere deberet, indixit. Sed homo in faciem Dei terga dedit, cum superbiens ejus jussa contempsit. Nec tamen superbientem Deus deseruit, quia ad renovandum hominem legem dedit, exhortantes angelos misit, in carne nostræ mortalitatis apparuit. Ergo *post tergum* stans nos admonuit, quia ad recuperationem nos gratiæ et contemptus vocavit. Bene itaque dicitur humano generi : « Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. »

Sed quod generaliter de cunctis intelligitur, hoc necesse est specialiter sentire de singulis. Quasi enim coram Deo positus quisque verba admonitionis ejus percipit, cum, priusquam peccata perpetret, voluntatis ejus præcepta cognoscit. Adhuc enim *ante faciem* ejus stare est necdum eum peccando contemnere. Cum autem derelicto bono innocentiæ iniquitatem eligens appetit, terga jam in ejus faciem mittit. Sed ecce adhuc *et post tergum* Deus subsequens monet, quia etiam post culpam ad se redire persuadet. Aversum revocat, cum commissa respicit, revertenti sinum pietatis expandit. Vocem ergo *post tergum monentis* audimus, si ad invitantem nos Dominum saltem post peccata revertimur. Debemus ergo pietatem vocantis erubescere, si justitiam volumus formidare, quia tanto graviori improbitate contemnitur, quanto et contemptus adhuc revocare non dedignatur. De cujus admonitione propheta subjungit :

« Hæc est via; ambulate in ea : neque ad dexteram neque ad sinistram. » Hæc admonitio Salvatoris est *via* justitiæ, per quam debemus incedere, nec in partem quamlibet ab ea deflectere. Exorbitat enim *ad dexteram*, qui de justitia superbit, vel immoderate, quod justum est, agit. Unde monet Salomon : « Ne simus nimium justi (*Eccle.* VII, 17)). » *Ad sinistram* vero declinat, qui ad malum opus deviat. In neutram ergo patrem exorbitemus, sed recto gressu per doctrinam Salvatoris ambulemus. Post cujus adventum quia gentes fidem ejus erant A susceptura, adjungit propheta, dicens gentili populo :

VERS. 22. — « Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ : Egredere, dices ei. »

Omnia enim idolorum ornamenta cum ipsis idolis contaminavit, atque projecit gentilitas ad Christum veniens. Unde et consequenter dicitur ordini prædicantium :

VERS. 23. — « Et dabitur semini tuo pluvia, ubicunque seminaveris in terra, et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis. »

Semen quippe est verbum prædicationis, *pluvia*, quæ desuper cadit, et semen germinare facit, irrigatio gratiæ supervenientis. Ubicunque ergo semina B jecerit doctor, pluvia dabitur, quia in omni gente et natione gratia sequitur verbum prædicationis, sicut in domo Cornelii, loquente Petro, « cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum (*Act.* X, 44). » Sic enim data est semini ejus pluvia.

Quid vero per panem *frugum terræ* designatur nisi bonorum operum refectio de cujusmodi pane Dominus ait : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me? (*Joan.* IV, 34) » *Panis* ergo *frugum terræ erit uberrimus*, quia fideles uberrime reficientur bonis operibus. Erit *et pinguis*, id est spiritali pinguedine saginatus. Sequitur : « Pascetur in C possessione tua in die illa agnus spatiose. »

VERS. 24. — « Et tauri tui, et pulli asinorum tuorum, qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in area ventilatum est. »

Quæ est possessio fidelium nisi bonæ conversationis ager, virtutumque divitiæ? In qua scilicet possessione bonis operibus velut herbis *Agnus* Christi pascitur spatiosa charitatis amplitudine. *Tauri* vero præbent armentis ducatum. Et quid per tauros nisi rectores Ecclesiarum signantur? Quid autem per asinos nisi gentiles exprimuntur? Asinus enim vocatur populus gentilis, cum dicitur : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui (*supra* I, 3). » Quid ergo per pullos *asinorum* D nisi filios gentilium accipiemus, qui paternum errorem relinquentes venerunt ad Christum? *Qui operantur terram*; qui meditationibus et disciplinis suam exarant conscientiam. *Migma* vero est hordeum pariter cum palea. Et quid per paleam nisi superficies litteræ designatur? Quid per hordeum nisi interior intelligentia? *Tauri* itaque *et pulli*, id est prælati et subjecti in Ecclesia velut in stabulo *commistum migma comedunt*, quia et historicum et mysticum sensum recipiunt, et in utroque pascuntur, et comedunt illud, *sicut in area ventilatum est* id est in Ecclesia purgatum et examinatum. Non enim vel allegorico vel historico pascuntur intellectu, nisi prius ab errore purgetur, et auctoritate ecclesiastica probetur. Sequitur :

Digitized by Google

VERS. 25. — « Et erunt super omnem montem excelsum, et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum in die interfectionis multorum, cum ceciderint turres. »

Quid per montes et colles nisi eminentiores sancti figurantur? Quid per rivos *aquarum* nisi sanctarum flumina doctrinarum? « Erunt *ergo* super omnem montem excelsum et super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum, » quia qui per vitæ meritum cœlestibus propinquant, flumina doctrinæ fluentis emanant. Et quando? *In die interfectionis multorum*, id est tempore revelatæ gratiæ, quo multi gladio verbi Dei a pristina conversatione exstinguuntur mortificantes membra sua, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, et his similia.

Turres etiam cadunt, quia hi plerumque qui contra Deum obfirmati, id est in superbiam se erexerant, humiliantur, dum prædicatores destruunt munitiones, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.

Vel per rivos *aquarum* intellige spiritalium fluenta gratiarum. « Erunt igitur super montes et colles rivi currentium aquarum, » quia sanctus Spiritus in septem rivis gratiarum super electos inundabit. Et hoc fiet *in die interfectionis multorum*, id est in die judicii, quando reproborum omnis multitudo peribit. *Et turres cadent*, id est omnes superbi et potentes sæculi dejicientur. Sequitur :

VERS. 26.— « Et erit lux lunæ sicut lux solis et septempliciter sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit. »

Hoc ad litteram nostri majores acceperunt, quia finito judicio cum fuerit cœlum novum, et terra nova, sumet luna splendorem, quem habet nunc sol, et sol *septempliciter* lucebit quam nunc. Quod si in mysterio debet intelligi, *sol et luna* Christus est et Ecclesia, cujus facies in transfiguratione resplenduit sicut sol. *Erit* ergo *lux lunæ sicut solis*, quia « tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII, 43). » « Facies ejus resplenduit sicut sol, » *et justi fulgebunt sicut sol* (*Matth.* XVII, 12). « Erit *igitur* lux lunæ sicut lux solis. Scimus enim, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III, 2). »

« Et lux solis erit sicut lux septem dierum, » juxta quod in Apocalypsi Joannis canitur : « Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem (*Apoc.* V, 12). » Hi sunt *septem* dies, quorum in sua resurrectione lucem accepit Sol justitiæ, id est virtus et divinitas, sapientia et fortitudo, honor et gloria et benedictio.

Vulnus autem et plaga *populi*, in eo est, quod immortalitatem et ejus similitudinem ob peccatum protoparentis amisimus. Sed *Dominus* alligabit in resurrectione *vulnus populi sui*, quia corpora justorum immortalia reddet, atque incorruptibilia et impassibilia.

Et percussuram plagæ ejus sanabit, quia menti eorum, quæ variis nunc cogitationibus dissipatur, immobilem reformabit tranquillitatem, ut semper in eodem statu permanens nunquam sibimetipsi tam dissimilis. In qua die quando Judex venit, apte subditur :

VERS. 27. — « Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum : labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. »

Nomen Domini Unigenitus est, quia dum auditur Filius, intelligitur Pater, sicut et homo proprio nomine cognoscitur. Sed *nomen Domini venit de longinquo*, quia Unigenitus Patris ad exterminandum peccatores descendit. « Longe enim a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). » De longinquo igitur venit, cum de regione vivorum ad eos, qui longe a salute sunt, Judex accedit. Vel *de longinquo venit*, quia ut cogitationem suam impleat, ad puniendos peccatores longo post tempore descendit.

Ardens furor ejus, et gravis ad portandum, quia reprobis videbitur nimio furore succensus, dum eos jam sine venia ferire cœperit, quamvis nulla animi perturbatione moveatur, et pondus iræ ejus nemo ferre poterit. *Labia ejus impleta sunt indignatione*, quando sinistris improperat, dicens : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi bibere, hospes eram, et non collegistis me (*Matth.* XXV, 42). » *Et lingua ejus quasi ignis devorans*, cum dixerit eis : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, » etc. (*ibid.*, 4). Sequitur :

VERS. 28.— « Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum. »

Sicut rapidus *torrens* cum usque ad collum cujusquam hominis excrescendo pervenerit, præcipitat eum atque submergit; sic *spiritus* iræ Judicis infideles et reprobos suffocabit, et perdet, atque *frenum erroris*, id est diabolum, qui per viam erroris infideles regebat, et ad libitum suæ voluntatis inflectebat, quemadmodum equus freno regitur. His contra reprobos ita dictis de electorum gaudio subjungitur :

VERS. 29. — « Canticum erit vobis sicut vox [*Vulg.*, nox] sanctificatæ solemnitatis, et lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel. »

Sicut in aliqua solemnitate præcipua nil agere solet populus Dei nisi solemnes decantare laudes, ita post judicium electi complebunt Scripturam dicentem : « Beati, qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). »

Et sicut populus Israel, quando primitias et decimas suas ad templum Domini referebat, *cum tibia*, et vocis exsultatione pergebat, quia terræ fructibus abundabat; ita sancti in die judicii templum illud et

Digitized by Google

sanctuarium patriæ cœlestis cum omni lætitia cantantes intrabunt. « Venientes enim venient cum exsultatione portantes manipulos suos (*Psal.* CXXV, 8).

Possumus et hoc ad tempus evangelicæ prædicationis referre sic distinguendo : « Et frenum erroris, quod erat in maxillis populorum, canticum erit vobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis. » Frenum quippe *erroris* maxillas *populorum* constrinxerat, quando idolorum errore obligata gentilitas Deo vero confessionis laudes dare nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frenum jam nobis in *canticum*, versum est, dum dicimus : « Quoniam omnes dii gentium dæmonia : Dominus autem cœlos fecit (*Psal.* XCV, 5). »

Bene autem dicitur : *Sicut vox sanctificatæ solemnitatis*, quia, dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Et *lætitia cordis* est nobis, dum ad fidem ingredimur, sicut filiis Israel erat ascendentibus ad templum Domini cum tibiis et canticis. Sed juxta superiorem sensum videamus sequentia. Sequitur :

VERS. 30. — « Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flammæ ignis devorantis. »

Auditam faciet gloriam vocis suæ, quia omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent. *Et terrorem brachii sui*, id est virtutis suæ ; *in comminatione furoris, et flammæ ignis devorantis*, quando, ut supra dictum est, reprobis dicet : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41), » etc. Sequitur :

« Allidet in turbine et in lapide grandinis. » *Allidet* reprobos *in turbine*, quia tunc omnia elementa commovebuntur, *et in lapide grandinis*, quia « in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX, 2). » Unde et in libro Sapientiæ dicitur : « A petrosa ira plenæ mittentur grandines. Candescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbido venti dividet illos (*Sap.* V, 23). » Sequitur :

VERS. 31. — « A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus. »

VERS. 32. — « Et erit transitus virgæ fundatus, quoniam requiescere faciet Dominus super eum. »

Assur diabolus est, virga flagellum est, quo Judex eum feriet. Qui *percussus pavebit* a facie Domini, quia et ipse sententiam Judicis expavescet, cum puniri cœperit. *Transitus* hujus *virgæ* est de judicio ad infernum descensio. Accepta namque sententia mox omnes reprobi incipient torqueri, et cum ipsis tormentis in barathrum a facie Judicis corruent : Hic ergo est istæ (135) virgæ transitus. Sed *transitus* iste *fundatus* est, id est firmus, quia nunquam supplicia flectuntur, aut mollescunt, quæ cum ipsis in infernum descendunt. Unde et additur : quia hanc virgam *requiescere faciet super Assur*, quoniam sine fine super hostem antiquum tormenta manebunt. Sequitur :

« In tympanis, et citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos. » Quid per *tympana* et citharas nisi plausus et lætitia sanctorum designatur? Et quid per bella præcipua nisi sententiarum in impios emissio, quibus velut gladiis feriuntur? *In tympanis* ergo, *et in cytharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos* Dominus, quia sanctorum lætitiam fugient, et per sententiam expellentur. Sequitur :

VERS. 33. — « Præparata est enim ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, dilatata. Nutrimenta ejus ignis, et ligna multa : status Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. »

Tophet *gehenna vivacitatis* interpretatur. Toph namque *gehenna* dicitur, Phet vivacitas. Infernus ergo gehenna vivacitatis appellatur, quia ibi vivax ignis est, et vermis, qui non moritur. Rex vero Christus est; *heri* autem præteritum tempus est. Topheth itaque, id est gehenna reprobis omnibus *a Rege præparata* est *ab heri*, id est jam olim ab exordio mundi, *profunda* nimium, ut absorbeat, *et dilatata*, ut impios omnes capere sufficiat. *Nutrimenta ejus*, id est gehennæ, est *ignis*, quia ignis ille pœnam nutrit semper, *et ligna multa*, id est reproborum corpora nutriunt eam, qui reproborum geminant ipsorum afflictionem et accendunt.

Sed et *flatus Domini* succendit *eam*. Nos quando flamus, aerem ab exterioribus introrsum trahimus, et introrsus tractum exterius reddimus, ita fit flatus. Flare ergo Deus vindictæ retributionem dicitur, quia ab exterioribus causis introrsus consilium judicii concipit, et ab interno consilio extrorsus sententiam emittit. Nam quasi flante Deo ab exterioribus aliquid introrsus trahitur, quando foris mala concipit, et intus disponit ; et rursum quasi flante Deo ab interioribus spiritus extorsus emittitur, quando ab intrinsecus concepto consilio exterius judicium damnationis infertur.

Hic itaque est *flatus Domini* gehennam *succendens*, qui torrenti *sulphuris* comparatur, quia valido impetu exuberans descendit in impios fetorem cum ardore ferens. Quid enim est aliud sulphur quam fomentum ignis? Quod tamen ignem sic nutrit, ut fetorem gravissimum exhalet. *Flatus* ergo *Domini*, qui gehennam incendit, *sicut torrens sulphuris* est, quia emissio sententiæ Judicis, quæ peccatores punit, fetorem fetori reddit, et ardorem ardori. Qui enim ardore libidinum, cæterorum vitiorum arserunt, comburentur igni perpetuo ; et qui fetore peccatorum delectati sunt, æterno fetore cruciabuntur. Postquam vero justorum futuram lætitiam, et iniquorum damnationem propheta demonstravit, revertitur ad eos qui in Ægyptum, id est in tenebras vitæ sæcularis et infidelitatis descendunt, subjungens :

CAPUT XXXI.

VERS. 1. — Væ qui descendunt in Ægyptum auxilium in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt ; et super equi-

(135) Ita Cod. pro *istius*

Digitized by Google

tibus, quia prævalidi nimis : et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt. »

VERS. 2. — « Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit : et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. »

Superius vero graviter eos arguit, qui in Ægypto descendunt, et væ eis minatus est, et tamen revocat eos. Nunc autem jam non revocat, sed damnationem ipsorum certam denuntiat. Equus vero, quid significet superius diximus, id est peccatum, et rationem inde protulimus, imo verba Ambrosii posuimus. Eques ergo qui super hunc equum ascendit, peccator est, qui male agendo sublimis in hoc mundo fit. Quid autem quadriga nisi pompam gloriæ sæcularis designat? Unde superbo pontifici superius dictum est : « Ibi erit currus gloriæ tuæ (*supra* XXII, 18). »

Qui ergo disciplinam vel fidem relinquentes *in Ægyptum*, id est in tenebras vitiorum sæcularium vel infidelitatis declinant, *in equis*, id est in peccatis : sperant, dum suas explere voluptates vel cupiditates exspectant : *et* in *quadrigis*, id est in pompa gloriarum sæculi, *quia multæ sunt, fiduciam* habent in hoc mundo sublimari, *et super equitibus*, id est super potentibus sæculi peccatoribus, *quia prævalidi* sunt ad malum, et cæteros in iniquitate tuentur.

Sed *væ* fidelibus, qui talia sacræ religioni præponunt confidentes in talibus, et ad ea festinantes, *et non* confidunt *super sanctum Israel*, qui est Christus, *et Dominum* pio studio *non* requirunt. Vel : *Non* requirunt, id est non interrogant eum, si hæc agere debeant. *Ipse autem* sapienti consilio *malum* super eos *adduxit*, quod non formidabant, *et verba sua*, quibus perditionem eis minatus fuerat, *non abstulit*, id est irrita non fecit, sed complevit.

Et consurget in judicio *contra domum pessimorum*, id est contra generationem eorum, qui religionem abjicientes in Ægyptum vitæ sæcularis descendunt ; *et contra auxilium*, quod illis in malo præbent Ægyptii, id est sæculares, et infideles, qui operantur *iniquitatem*. Omnes enim disperdet Dominus, et qui ad malum adjuvant, et qui sic adjuvantur. Sequitur :

VERS. 3. — « Ægyptus homo, et non Deus, et equi eorum caro, et non spiritus. »

Ægyptus homo, id est Ægyptii homines sunt. « Ægyptus homo et non Deus. » — « Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus (*Jer.* XVII, 5). » Væ his, qui descendunt in Ægyptum. « Et equi eorum caro, et non spiritus. » Et : « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 41). » Rursumque : « Spiritus est, qui vivificat ; caro non prodest quidquam (*Joan.* VI, 64). » Infirmi ergo sunt tales equi, et inutiles. *Ægyptus homo, et non Deus*, quia tenebræ sæcularium errorum ex homine sunt, et non ex Deo. *Et equi eorum caro, et non spiritus*, quoniam peccata eorum ex carne sunt, et non ex spiritu. Sequitur :

« Et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet, cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur. » *Dominus inclinabit manum suam*, qua sustentabat eos, *et corruet* populus sæcularium et infidelium, qui ad iniquitatem declinantibus auxiliabatur ; *et cadet* omnis, qui in Ægyptum corde descendit, *cui* præbent ad nequitiam *auxilium* Ægyptii, *simulque omnes*, tormentis æternis consumentur et decipientes et decepti.

His de novissima perditione reproborum dictis, quando non invenient adjutorem, mox oraculum de primo Salvatoris adventu subjungitur, in quo pro electis contra diabolum pugnavit, atque sanguine suo redimens nos ab æterna damnatione salvavit. Ac si dicat : Vere peribunt, et liberatorem non invenient omnes, qui religionem deserentes in errorem defluunt, quia hi qui in ecclesiastica religione permanent, Domino protegente salvabuntur. Sic enim subditur :

VERS. 4. — « Quia hæc dicit Dominus ad me : Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non timebit, sic descendet Dominus exercituum, ut prælictur super montem Sion, et super collem ejus. »

VERS. 5. — « Sicut aves volantes sic proteget Dominus exercituum Jerusalem protegens et liberans, transiens et salvans.

Nam Salvator noster leo est, de quo Salomon ait : « Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum (*Prov.* XXX, 30). » Et ipse est catulus leonis sicut ait Jacob : Juda te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui : catulus leonis Juda (*Gen.* XLIX, 8). » Hæc enim verba nonnisi de Christo possunt intelligi, qui rugiit supra prædam quam ceperat, quia terribilem suæ divinitatis potentiam aperuit, dicens de ovibus suis : « Non rapiet eos quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 28). » Cui occurrit multitudo pastorum synagogæ veniens eum tradente Juda comprehendere. Nam ad ejus comprehensionem venit multitudo pastorum sicut Lucas insinuat, scribens : « Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus (*Marc.* XIV, 48). » Sed a voce eorum non formidavit et a multitudine eorum non expavit, quia juxta Joannem : « Processit, et dixit eis? Quem quæritis? responderuntque ei : Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus : Ego sum. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram (*Joan.* XVIII, 5-7). »

Qui et prælatus est contra diabolum *super montem Sion et super collem ejus*, id est in domo pastorum.

Digitized by Google

Unde hic dicitur : « Sic descendet Dominus exercituum, ut prœlietur super montem Sion, et super collem ejus. » Ad hoc enim descendit in mundum, ut ita prœliaretur pro nobis. Sed quia solus in passione pugnavit, jam post resurrectionem solus non fuit. Comparatur enim in ascensione non avi, sed avibus, quia ipse primus in cœlum volavit, et electorum animas, qui sunt ejus membra, post se volare, cum de corporibus exeunt, quotidie facit. « Ubicunque enim fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Luc.* XVII, 37), » quia ubi Redemptor noster per materiam carnis est, illuc adunantur justorum animæ.

Sed hæ volucres, id est Dominus et sancti ejus, qui jam in cœlum volaverunt, protegunt Jerusalem, id est Ecclesiam, sæpius ad nos descendentes atque super nos invisibiliter volitantes. Jure igitur ait, quia « sicut aves volantes sic proteget Dominus exercituum Jerusalem. » Unde et per Moysen de eo dicitur : « Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eos (*Deut.* XXXII, 11). » Quia enim nos parvulos, dum protegit, nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exserit, quasi more avium super nos alas tendit. Qui et adversum tentationes protegit Ecclesiam, et ab adversis eam liberat, transiensque de judicio ad regnum salvat eam perpetua, veraque salute. Sequitur :

VERS. 6. — « Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. »

A Omnis qui viam vitæ deserens in peccatorum se tenebras dejicit, semetipsum quasi in foveam mergit. Unde et Jeremias, dum Judæam in iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis sub ejus specie semetipsum deplorat, dicens : « Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me (*Thren.* III, 53). » In lacum quippe vita labitur, dum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero superponitur, dum etiam dura consuetudine mens in peccato devoratur, ut si velit resurgere, jam utcunque non possit, quia mole consuetudinis desuper male premitur.

Sed quia divinæ potentiæ subjaceret (136), et post angusta pravæ consuetudinis ad bonæ actionis amplitudinem revocaretur, bene propheta gratiam Dei B prædicans populum suum hortatur ad pœnitentiam dicens : « Convertimini sicut in profundum recesseratis, filii Israel. » Nam qui post iniquitatis jugum ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur, manu gratiæ exaltantis adjutus, ut in quantam peccatorum voraginem demersus fuerat, ad tantam justitiæ libertatem resurgat, iste *sicut in profundum* recesserat, revertitur juxta illud Apostoli : « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI, 19). » Nam et hi de filiis Israel, qui Salvatorem crucifixerant, et post in eum per apostolos crediderunt, sicut in profundam recesserant, conversi sunt. Sequitur deinde gentilium conversio, cum subditur

(136) Cod., *subjacet.*

LIBER QUINTUS.

SEQUITUR CAPUT XXXI.

VERS. 7. — « In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum. »

Hoc expositione non indiget. Sed qualiter fieri posset, ut gentiles, quos diabolus in suo captos laqueo tenebat, idola desererent adjungitur :

VERS. 8. — « Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii. et juvenes ejus vectigales erunt. »

VERS. 9. — « Et fortitudo ejus a terrore transibit, et pavebit, fugientes principes ejus. »

Assur namque Satanas est, qui cadit in gladio non viri, sed Dei, quia non humanæ, sed divinæ potestatis est tantum adversarium dejicere. Nam Do- D minus Jesus per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum. Cum autem dicit propheta, quia « cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum, » nequaquam Redemptorem nostrum negat hominem esse, qui et Deus est, sed Apostolo consonat dicenti : « Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, C sed per Jesum Christum (*Gal.* I, 1). » Itaque *cadet Assur non gladio viri*, sed triumpho Christi, *et fugiet non a facie gladii*, sed a facie crucis Domini.

Et juvenes ejus, id est hi, qui ad peccandum alacres erant et fortes, *erunt vectigales*, id est jugo Christi se subjicientes, humiliter ei servient. *Et fortitudo ejus*, qua gentes premebat, *transibit* fugiens de loco in locum, et postea de mundo a facie terroris prædicatorum Christi. *Et principes ejus*, id est dæmones pavebunt *fugientes*. Fugato itaque diabolo cum satellitibus suis de Christi regno, et apostolorum principatu subditur :

« Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem. »

CAPUT XXXII.

VERS. 1. — « Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt. »

Sion autem, quæ dicitur *specula*, præsentem designat Ecclesiam, quæ in arce mentis adversus dæmonum insidias vigilat, et cœlestia, licet per imaginem, contemplatur gaudia. Jerusalem vero, quæ *visio pacis* interpretatur, illa est beatorum in

Digitized by Google

cœlis gloria, ubi pax regnat et securitas. *Ignis* autem *et caminus* Dei incendium charitatis ejus est. Sed considerandum est quia ignis parvus esse potest in comparatione camini. Solet enim *caminus* ingenti semper exuberare incendio. Quia igitur electorum corda nunc ignem divini amoris concipiunt, sed in illo beatitudinis regno valde copiosius eodem igne replentur, *ignis* ejus *est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem*. Tantum quippe distat, et multum amplius inter illum charitatis ardorem, quem hic habent electi, et eum, quem habituri sunt in regno cœlorum Deo conjuncti, quantum inter exiguum igniculum differt et ingentem caminum. Idcirco autem ignis mentionem præmisit, cum de Christi regno locuturus esset, quia Christus in eorum solummodo cordibus regnat, in quibus ignis iste dilectionis est. « Si quis enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus (*Rom.* VIII, 9). » *Ecce*, inquit, *in justitia regnabit rex* Christus, expulso Satana, qui in iniquitate tyrannidem exercebat. Et apostoli *principes in judicio præerunt*, quia principes Assur in fugam conversi sunt, qui sine judicio dominari quærebant. Sequitur

VERS. 2. — « Et erit vir, sicut qui a vento absconditur, et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti et umbra petræ prominentis in terra deserta.

Vir quisque, id est in fide viriliter agens, erit in Ecclesia, *sicut qui absconditur a vento et celat se a tempestate*, quoniam sub divina protectione tutus erit a vento flatus dæmonum, et a tempestate tribulationis, ut dicat de Domino : « Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die mala, protexit me in abscondito tabernaculi sui (*Psal.* XXVI, 5). »

Et erit sicut rivi aquarum in siti, quia « flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* VII, 38), » quæ propinabit sitientibus proximis. Erit etiam sicut *umbra petræ prominentis in terra deserta*, ut ad eum confugiant, qui tribulationum æstu fatigantur. Possumus per terram sæculi hujus eremum intelligere : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 4). » Per umbram *petræ* imitatio Christi designatur, quia sicut umbra secundum qualitatem corporis ducitur; sic vita justorum de specie imitationis ejus exprimitur. *Erit* ergo *vir sicut umbra prominentis petræ in terra deserta*, quia sanctus quisque ad sui Redemptoris similitudinem sublimis et robustus fiet, atque conspicuus in medio nationis pravæ et perversæ. Rursum de his, qui Christum in carne visuri erant et audituri, subditur :

VERS. 3. — « Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. »

Videntes enim et audientes hic appellantur, quibus dictum est : « Vestri autem beati oculi, qui vident, et aures, quæ audiunt. Amen quippe dico vobis : Quia multi prophetæ et justi cupierunt videre, quæ videtis, et non viderunt : et audire, quæ auditis, et non audierunt (*Matth.* XIII, 16). » Sed horum oculi *non* caligaverunt, *et aures* eorum *diligenter* auscultaverunt, sicut dictum est eis · « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Luc.* VIII, 10). » Exponebat enim eis Dominus scorsum omnia, quæ loquebatur ad turbas in parabolis, de quibus et subditur :

VERS. 4. — « Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. »

Quid enim *stultorum et balborum* appellatione nisi simplices et illitteratos designat piscatores, quos elegit Dominus in apostolos? Nam « quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*I Cor.* I, 27). » Sed horum *cor* intellexit *scientiam, et lingua* eorum *velociter et plane* locuta est, quia Dominus « aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45), » et accepto Spiritu sancto, « loquebantur variis linguis magnalia Dei (*Act.* II, 11). » Sed his in tantam auctoritatem erectis doctores Synagogæ confutati sunt atque dejecti. Nam sequitur :

VERS. 5. — « Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps : neque fraudulentus appellabitur major. »

Quis enim est *insipiens* et *fraudulentus* nisi scriba et pharisæi, et principes sacerdotum, qui sapientiam Dei, quæ est Christus, respuentes, semper in eum fraudes et insidias moliti sunt; sed isti jam in populo Dei non vocantur *principes* et majores, quia regi Christo servire noluerunt. Quorum adhuc perversitas subditur :

VERS. 6. — « Stultus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, ut vacuam faciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. »

Stultus enim, ut diximus, vocatur conventus eorum, quibus ait Dominus : « Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicunque juraverit in templo, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debitor est. Stulti et cæci! Quid enim majus est aurum aut templum, quod sanctificat aurum? (*Matth.* XXIII, 16.) » Hic ergo stultus fatua de Domino locutus est dicens : « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Et : « Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? » (*ibid.*)

Et cor ejus fecit *iniquitatem*, quia, cum dixisset paralytico : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua (*Matth.* IX, 2), » ecce quidam de scribis dixerunt intra se : « Hic blasphemat (*ibid.* 3); » et mox audierunt : « Utquid cogitatis mala in cordibus vestris? » (*ibid.* 4.) Cor stulti hujus fecit iniquitatem, *ut* perficeret *simulationem*, *et* loqueretur *ad Dominum fraudulenter*, quando principes sacerdotum et scribæ miserunt insidiatores, qui se justos simularent, et caperent eum in sermone, et traderent eum principatui et potestati præsidis, et interrogaverunt illum dicentes : « Magister scimus quia

Digitized by Google

recte dicis et doces, et non accipis personam, sed in veritate viam Dei doces : licet nobis dare tributum Cæsari an non? » (*Matth.* XXII, 16.) Considerans autem dolum illorum dixit ad eos : « Quid me tentatis? (*ibid.* 18.)

Sed et *animam esurientis* plebis *vacuam* facere conabatur stultus iste, *et potum* Dominicæ prædicationis auferre *sitienti* populo. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum; Pharisæi autem et Scribæ dicebant : « Dæmonium habet, et insanit, quid eum auditis? » (*Joan.* XX, 20.) Unde et dictum est eis : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines : vos non intratis nec introeuntes sinitis intrare (*Matth.* XXIII, 13). » De quibus et subditur :

VERS. 7. — « Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium. »

VERS. 8. — Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitavit, et ipse super duces stabit. »

Fraudulentus enim cœtus est Scribarum, et Pharisæorum atque sacerdotum, quorum *vasa* sunt corda hominum, quibus malitiam suam infuderunt. Hic ergo fraudulentus *cogitationes concinnavit*, id est præparavit, *ad perdendos mites*, id est ad seducendos per vasa sua simplices *in sermone mendacii*, quando principes sacerdotum congregati cum seniorибus accepto consilio pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes : « Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum vobis dormientibus (*Matth.* XXVIII, 13).

« Pauper vero qui, cum esset dives, pro nobis factus est egenus, loquebatur judicium (*II Cor.* VIII, 9), » dicens : « Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, et si non vultis mihi credere, operibus credite (*Joan.* X, 37). » Et de adultera : « Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat (*Joan.* VIII, 7), » et his similia. Fraudulento autem cogitante perditionem *princeps noster* Christus *ea, quæ digna sunt principe, cogitavit*, quia morte victa resurgens ait discipulis suis : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis (*Matth.* XXVIII, 18). » *Et ipse super duces* Ecclesiarum stat, sicut et illic adjunxit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*ibid.* 20). » Sequitur :

VERS. 9. — « Mulieres opulentæ, surgite, et audite vocem meam : filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum. »

VERS. 10. — « Post dies enim et annum, vos conturbamini confidentes. Consummata est enim vindemia. collectio ultra non veniet. »

VERS. 11. — « Obstupescite, opulentæ; conturbamini, confidentes : exuite vos, et confundimini, accingite lumbos vestros super ubera (137). »

VERS. 12. — « Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili. »

Mulier in sacro eloquio aut pro sexu ponitur, aut pro infirmitate. Pro sexu, ut ibi : « Misit Deus Filium suum factum ex muliere (*Gal.* IV, 4). » Pro infirmitate, ut quidam sapiens ait : « Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier (*Eccli.* XLII, 14.) » Vir enim fortis quilibet et discretus vocatur; mulier vero mens infirma vel indiscreta accipitur. Et sæpe contingit, ut etiam discretus quisque subito labatur in culpam, atque indiscretus alius et infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is, qui indiscretus et infirmus est, nonnunquam, quod bene egerit, amplius elevatur, atque gravius in culpam cadit; discretus vero quisque etiam ex eo quod se male egisse intelligit, ad discretionis regulam arctius reducitur; et inde altius ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur. Recte ergo dicitur : « Melior est iniquitas viri quam benefaciens mulier, » quia nonnunquam etiam culpa fortium virtutis occasio fit, et virtus infirmorum occasio peccati.

Hoc itaque loco mulierum nomine quid nisi infirmitas mentium figuratur? Ad has ergo mulieres, id est ad infirmas animas sermo propheticus dirigitur. Unde et opulentas atque *confidentes* nuncupat, quia se virtutum operibus refertas æstimant, et velut de propria confidunt justitia. Sunt enim plerique religionum professores, quos nunc sermo divinus sub mulierum appellatione denotat, qui se sanctos arbitrantur, quia exteriorem mutaverunt habitum, et in nullis exercentur virtutibus. Quos a sui torporis ignavia excitare volens : « Surgite, inquit, et audite vocem meam. » Ille enim surgit audire vocem prophetæ, qui negligentiam atque desidiam relinquens intento corde sacra eloquia audit paratus ad faciendum.

« Post dies, inquit, et annum conturbabimini. » Quid per dies, quod infinite ponit, nisi præsentis vitæ tempus exprimitur, cujus dierum numerus est incertus? Et quid per *annum* designatur nisi spatium illud, quod ab unius cujusque obitu protenditur usque ad resurrectionem omnium, de cujusmodi anno per Psalmistam dicitur : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ? » (*Psal.* LXIV, 12.) *Post dies* igitur *et annum*, id est in die judicii *vos conturbamini*, qui nunc quasi de justitiæ merito confiditis. *Consummata est enim* tunc *vindemia*, id est genus humanum in die illa penitus abscissum est de sæculo. *Collectio ultra non veniet*, id est amplius nulli nascentur homines in terra, qui per mortem inde colligantur. Dum ergo licet pœnitentiam agere, nunc *obstupescite* futuram iniquorum damnationem, quæ putatis vos spiritaliter esse opulentas conside-

(137) Alias, *lumb. vestros. Super ubera plangite*, etc.

Digitized by Google

rantes quia « horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* x, 31). » *Et conturbamini* ad pœnitentiam salubri metu concussæ, quæ velut de sanctitate confiditis. *Exuite vos et confundimini*, id est nolite in vobis exteriorem, quæ patet hominibus, quasi religiosam attendere conversationem, sed quales sub illius tegumento sitis, inspicite, et de interioris hominis deformitate erubescite.

« Accingite lumbos vestros super ubera, » id est carnis luxuriam in pectoris cogitationibus cohibete, et reprimite, ut non solum carne, sed et corde castitatem servetis. In lumbis quippe luxuria est, in uberibus vero cogitationes designantur. Accingit igitur *lumbos super ubera*, qui luxuriam in cogitationibus coarctat per continentiam ut neque pectus per immundas cogitationes spargatur.

Dehinc *plangite*, inquit, *super regionem*, etc. Quid per *regionem desiderabilem* nisi multitudo religiosorum vel vita eorum designatur? Unde per Malachiam Dominus populo suo promittit, dicens : « Eritis enim vos terra desiderabilis (*Malach.* III, 12). » Et quid per *vineam fertilem* nisi plebs fidelium vel actio eorum exprimitur ferens botros spiritalium fructuum : « Vinea enim Domini exercituum domus Israel est (*Isa.* v, 7). » Indicit ergo planctum *super regionem desiderabilem, et super vineam fertilem*, quia multorum jam vita religiosorum gratiam religionis amittit; et qui spiritales fructus piæ conversationis facere solebant, jam lamentabiles actus proferunt, atque succrescentibus vitiorum sentibus fit eorum vita quasi desertum. Unde et sequitur :

VERS. 13. — « Super humum populi mei spinæ et vepres ascendunt : quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis? »

Humum quippe *populi* sui Dominus electorum omnium mentem vocat, super quam spinas et vepres ascendere perhibet, quia nec ipsam quoque esse absque punctionibus vitiorum videt. Domus vero *gaudii civitatis exsultantis* mens pravorum est, quæ, dum ventura supplicia conspicere negligit, in carnis voluptate se deserens inaniter hilarescit. Ait ergo : « Super humum populi mei spinæ et vepres ascendunt : quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis? » Ac si aperte dicat : Si et illorum mentem vitia deprimunt, qui se pro cœlestibus desideriis affligunt, quibus culpis substrati sunt, qui sine ulla formidine se in carnis voluptate derelinquunt. Sequitur :

VERS. 14. — « Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est. »

Domus, id est mens iniquorum *dimissa est* ab eo, qui ait : « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum (*Psal.* LXXX, 13). » Qui et multitudinem urbis reliquit, quia humani generis partem, quæ latam viam ingreditur, quæ per abundantiam iniquitatis multa est, a regni sui sorte reprobavit, et in immundis spiritibus dereliquit. Unde et subditur : « Tenebræ et palpatio factæ sunt super speluncas usque in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum. »

VERS. 15. — « Donec effundatur super nos spiritus de excelso. »

Quid enim per *speluncas* nisi profundas et horridas iniquorum mentes in deserto hujus sæculi designat, quibus supra dixit : « Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium (*supra* XXIX, 15). » Onager vero dicitur asinus agrestis. Et quid per onagros nisi fortes ac superbi principes vel magistri infidelium exprimuntur, qui velut onagri in solitudine vagabantur, dum propriæ voluntatis arbitrium inter infideles sequerentur? Quid autem per greges bestiarum nisi multitudo figuratur vitiorum et dæmonum? *Domus* ergo *et urbis multitudo relicta* versa est in solitudinem, *et super* solitudinis hujus *speluncas*, id est super profundas peccantium mentes *factæ sunt tenebræ*, quia lumen veritatis peccando perdiderunt.

Sed *et palpatio* facta est ibi, id est cæca infidelitatis actio, quia sicut quis positus in tenebris huc illucque palpat, sic infideles et errantes nesciebant, quo se deberent vertere, vel quid agere. Et hoc factum est *usque in æternum* super eorum mentes, qui sine fine mortui sunt.

Et factum est *gaudium onagrorum* ibi, quia in eis, quos Deus reliquerat, gavisi sunt superbi doctores errorum, et proprii cordis sectatores. *Greges* quoque bestiarum agrestium, id est dæmonum et vitiorum habuerunt ibi *pascua*, usque dum *Spiritus sanctus* super apostolos plebemque credentium effunderetur, qui gentes ad Dominum revocarent. Unde et apte subjunctum est : « Et erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur. »

VERS. 16. — « Et habitabit in solitudine judicium, et justitia in Charmel sedebit. »

Desertum quippe vocat multitudinem urbis derelictam, id est gentilitatem, in qua tenebræ et palpatio fuerat. *Charmel* vero dicitur *malle* vel *tenerum*, sive *cognitio circumcisionis*, atque Judaicum populum, cujus cor a fide mollitum fuerat, et carnis circumcisionem noverat. Effuso ergo Spiritu sancto *desertum* versum est *in Charmel*, quia gentilis ex naturali excisus est oleastro, et contra naturam insertus est in bonam olivam patriarcharum. *Desertum in Charmel* est conversum, quia cor derelictæ gentilitatis emollitum est ad fidem, et spiritaliter circumcisum. *Et Charmel in saltum* reputatus est, quia populus Judæorum in infidelitatis solitudinem versus est. *In solitudine* vero gentilitatis habitat *judicium* rectæ discretionis, quia fideles ex gentibus omnia jam, quæ facturi sunt, æquitatis judicio prius examinant; *et in Charmel* ejusdem conversæ gentilitatis *sedet* atque regnat *justitia* justæ conversationis. Sequitur :

VERS. 17. — « Et erit opus justitiæ pax, et cultus justitiæ silentium, et securitas usque in sempiternum. »

Antiquitus fuit *opus justitiæ*, ut sancti suos refe-

Digitized by Google

rirent inimicos. Nunc autem est *opus justitiæ pax*, quia, qui neminem lædit, sed omnes sicut se ipsum diligit, et prout vult, ut faciant sibi homines bona, et ipse facit eis similiter, iste justitiam operatur.

Et cultus justitiæ silentium est, quia qui justitiam colere desiderat, necesse est ut ori suo custodiam ponat. Nam mentis justitia desolatur, quando ab immoderata locutione non parcitur. Ille etiam silet, qui nullis pravæ actionis clamoribus perstrepit. Et hoc silentium est cultus justitiæ, quia per hoc, quod se quis a peccato custodit, etiam justitiam colit.

Vel, « pax, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV, 7), » *erit opus justitiæ* sanctorum ; *et cultus justitiæ silentium*, ut non in multiloquio Judæorum, sed in brevitate fidei adorent Dominum. Mira autem est *securitas*, cordis conscientiam habere bonam. Ex qua videlicet securitate etiam perennis nascitur requies, quia a bona et tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. Sequitur :

VERS. 18. — « Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculo fiduciæ, et in requie opulenta. »

Populus Dei sedet *in pulchritudine pacis*, quia ipse « inhabitare facit unius moris in domo (*Psal.* LXVII, 7), ut « multitudinis credentium sit cor unum, et anima una (*Act.* IV, 32). » Pulchritudo namque pacis est, ut id ipsum dicant omnes et non sint in eis schismata, sint autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia.

Tabernaculum vero *fiduciæ* vel mansiones cœnobia sunt religiosorum, vel conventus et ordines eorum in Christo confidentium. Qui sedent *in requie opulenta*, dum hujus sæculi nihil appetunt, et virtutum opulentia ditantur interius. Hæc licet in eis, qui sub regula in monasteriis usque hodie degunt, venerabiliter impleantur, maxime tamen facta sunt in primitiva Ecclesia. Unde mox de illis Judæis, qui credere noluerunt, sententia subditur dicens :

VERS. 19. — « Grando autem in descensione saltus, et humilitate humiliabitur civitas. »

Saltus quippe vocatur populus Judæorum, quia Charmel in saltum reputatus est. Sed quæ est descensio *saltus* hujus nisi dejectio elationis ejus? Cujus descensioni *grando* vehementissimæ tempestatis per Romanos incubuit, et *civitas* Jerusalem humiliata est, et ad solum usque destructa. Sed quia sancti tunc prædicatores verbum vitæ per totum orbem disseminabant, sequitur :

VERS. 20. — « Beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bovis et asini. »

Aquas namque populos esse docet angelus in Apocalypsi Joannis; bos autem et asinus Judaicus atque gentilis populus est, quia « cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (*supra* I, 3). » Itaque *super omnes aquas* seminare est cunctis populis fructuosa vitæ verba prædicare; *pedem* vero *bovis et asini* immittere est vias Israelitici ac gentilis populi per præceptorum cœlestium vincula religare. Quia vero prædicationem infidelis alii quidem persecuti sunt, alii vero contempserunt, idonee subditur :

CAPUT XXXIII.

VERS. 1. — « Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? Et qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris deprædationem, deprædaberis : cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. »

Prædabantur enim, qui martyres ad supplicia trahebant, atque bona eorum diripiebant. Spernebant autem, qui in fine de eis dicturi sunt : « Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore (*Sap.* V, 3). » Sed væ istis, quia jam prædati sunt eos maligni spiritus, et opprobrium sustinent, quod nunquam delebitur. Et justum valde est ut, quicunque prædatur, et ipse præda fiat, et qui spernit, et ipse spernatur. « Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis (*Matth.* VII, 2). »

Potest et de modernis raptoribus atque contemptoribus hæc sententia intelligi. Qui enim aliena rapit, et ipse in exitu suo rapietur; et qui bona spernit, erit decidens sine honore, et in contumelia inter mortuos in perpetuum. Sequitur :

VERS. 2. — « Domine, miserere nostri. Te enim exspectavimus : este brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. »

Hæc vox fidelium Hebræorum est Christum in adventu primo suscipientium. Occurrentes quippe ei dicunt : « Domine, miserere nostri, » etc. *Mane* autem fit in nobis, quando cognitione veritatis irradiari cœperimus et illustrari fulgore justitiæ, qui velut nocte deprimebamur obscuritatis, erroris et culpæ. Ubi vero tenebris errorum exuimur, necesse jam est, ut contra diaboli suggestiones reluctemur. Sed nisi per Dei adjutorium eas vincere nequimus. Quod si mentes nostras sibi per consensum subjicere Satanas non valuerit, mox adversa foris contra nos excitare molitur. Unde nunc isti, postquam Christum susceperunt, aiunt : *Esto brachium nostrum in mane*, id est fortitudo nostra adversus Satanæ impugnationes internas, id est in exordio conversionis nostræ ; *et salus nostra in tempore tribulationis*, quam passuri sumus exterius, ubi vinci nequiverimus intrinsecus. Sic enim factum est apostolis. Nam cum principibus sacerdotum non acquieverunt præcipientibus, « ne loquerentur in nomine Jesu (*Act.* IV, 18), » gravissimas passi sunt tribulationes. Similiter et cæteris fidelibus contingere solet. Sequitur :

VERS. 3. — « A voce angeli fugerunt populi, et ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes. »

Quid per hunc *angelum* nisi chorus exprimitur apostolorum? A cujus *voce fugerunt populi* (*Act.* III, 41), quia misso Spiritu sancto per eorum prædicationem tria millia crediderunt ex his, qui ad solemnitatem convenerant, ac deinceps ex eisdem Ju-

Digitized by Google

dæis multa millia. *Fugerunt* enim Hebræi, qui crediderunt, quoniam evadere supplicia æterna, quæ propter deicem Salvatoris meruerant quæsierunt. Sed *et gentes ab ejus exaltatione dispersæ sunt*, quia a tempore ascensionis illius alii cœperunt ex gentibus ad fidem venire, et alii pertinacius in infidelitate persistere. De Judæis vero, qui credere noluerunt subditur :

Vers. 4. — « Et congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo. »

Quid enim *spolia*, eorum appellat nisi corpora eorum? Caro enim indumentum est animæ. Solent enim homines multitudinem bruchi de agris colligere, quia fruges devorat, et ex eo fossas implere, humoque superjecto necare. Sic in obsidione Jerusalem collecta sunt corpora eorum, qui fame, gladio et pestilentia mortui sunt. Vel *spolia* substantias eorum intellige, quas Romani velut multitudinem bruchi collegerunt absque numero. Sequitur :

Vers. 5. — « Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso : implevit Sion judicio et justitia. »

Vers. 6. — « Et erit fides in temporibus suis. »

Dominus post ascensionem suam *magnificatus est* in mundo per apostolos, *quoniam habitavit in excelso* cœlorum habitaculo, qui cum hominibus in terra habitaverat. *Implevit Sion*, id est Ecclesiam *judicio et justitia*, ut omnia examinando probet, et quod bonum et justum est, tenear.

Tempora autem fidei sunt, de quibus ait Apostolus : « Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Jesu Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo (*Gal.* III, 23). » Nunc ergo sunt tempora fidei, quia nunc Deus justificat gentes per fidem sine operibus legis, et in toto orbe fides fructificat. Bene itaque dictum est : « Quoniam erit fides in temporibus suis. » Sequitur :

« Divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini thesaurus ejus. »

Distat enim ab æternorum contemplatione actio, quæ bene utitur temporalibus rebus, et illa *sapientiæ*, hæc *scientiæ* deputatur. Nam scriptum est in libro Job : « Ecce pietas est sapientia : abstinere autem a malis scientia (*Job* XXVIII, 28). » In hac differentia intelligendum est ad contemplationem sapientiam, et ad actionem scientiam pertinere. Itaque *sapientia et scientia divitiæ sunt salutis*, quia per hoc ad æternam salutem pervenit Ecclesia, quod et cœlestium contemplatione jam aliquatenus pascitur, et temporalibus atque terrenis bene utitur. De cujusmodi operibus et Apostolus ait discipulis : « Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : quia in omnibus divites facti estis in illo in omni verbo et in omni scientia (*I Cor.* I, 4). »

Sed et *timor Domini* castus, timor sobrius, timor securus, *ipse est thesaurus ejus*, non timor iste servilis, quem foras mittit charitas, sed timor ille sanctus, qui permanet in sæculum sæculi, id est quem gignit charitas. Aliter enim timet conjugem uxor amans, et aliter timet Dominum ancilla peccans. Sic ergo sponsa Christi Ecclesia, abjecto timore legis, repleta est timore læto, quatenus Christum et amans timeat, et timens amet.

Et *timor* ille locuples *thesaurus* est, ut quicunque hunc habuerit, omnes sæculi divitias parvipendat. His itaque salutaribus divitiis, id est scientia, et sapientia, et timore rex noster suos venit ditare milites, « qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*II Cor.* VIII, 9). » Sed quia Judæi noluerunt opes istas accipere, dedit eas gentibus. Unde sequitur :

Vers. 7. — « Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. »

Videntes enim sunt, quibus dictum est : « Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis (*Matth.* XIII, 16). » Et ipsi sunt *angeli pacis* annuntiantes mundo reconciliationem, quia scriptum est de eis : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Rom.* X, 15). » Videntes ergo clamaverunt *foris*, id est extra Judæam, quoniam apostoli prædicaverunt gentibus usque ad fines terræ.

Et *angeli pacis fleverunt amare*, quia ipsi apostoli, qui gentibus pacem annuntiabant, iram Dei super Judæos manere lugebant. Unde quidam ex ipsis ait : « Tristitia est mihi magna, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ (*Rom.* IX, 3). » De quorum Israelitarum destructione subditur :

Vers. 8. — « Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. »

Vers. 9. — « Luxit, et elanguit terra, confusus est Libanus, et obsorduit; et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus. »

Dissipatæ sunt viæ in terra Judæorum vastata per Romanos omni regione. *Cessavit* ibi etiam per solitudinis *semitam transiens*, quia sine habitatore relicta est terra. *Irritum* enim *factum est pactum*, quod Dominus promiserat, dicens : « Ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum et habitabit in eo, et non turbabitur amplius, nec addent filii iniquitatis, ut affligant eum, sicut prius ex die, qua constitui judices super populum meum Israel (*II Reg.* VII, 10). » Hoc ergo *pactum* Judæis factum *est irritum*, quia Dominus *projecit* eorum *civitates*, et quasi in nihilum reputavit eos. Et inter hæc *luxit et elanguit terra* eorum.

Quid vero per Libanum debet intelligi nisi templum, quod erat in Jerusalem? Unde per Zachariam dictum est : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » *Libanus* ergo *confusus est, et obsorduit*, quia templum Judæorum ab alienigenis contaminatum est et exhonoratum imo destructum. *Saron* vero provincia est inter

Digitized by Google

Joppen et Lyddam, quæ per Romanos facta *est sicut desertum*. *Basan* quoque trans Jordanem *concussa est* per eos, *et Carmelus* in possessione Juda. Quia vero Judæi propter necem Salvatoris hæc omnia passuri erant, ipse autem morte sua mortem destructurus erat, moxque resurrecturus, et in æternum jam regnaturus, apte sequitur :

VERS. 10. — « Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, et nunc sublimabor. »

Nunc exsurgam a mortuis, *nunc exaltabor* in cœlo, *nunc sublimabor* in regno. Et quia contra prædicatores resurrectionis ejus principes Judæorum igne livoris erant inflammandi, recte subjungitur :

VERS. 11. — « Concipietis ardorem, parietis stipulam : Spiritus vester ut ignis vorabit vos. »

Concipietis ardorem invidiæ contra apostolos, o principes sacerdotum et Pharisæi ac seniores. *Parietis stipulam*, id est opus flammis ultricibus dignum. Stipula enim opus est, quod in die judicii comburetur sicut Apostolus ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum et argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probavit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet : si cujus opus arserit, detrimentum patietur (*I Cor.* III, 11-16). » *Parietis* ergo, inquit, *stipulam*, id est opus, quod in die illa cremabitur. *Spiritus vester ut ignis vorabit vos*, quia sic interius vastabimini ardore malitiæ vestræ, sicut postmodum vastandi estis foris igne gehennæ. Sed quia et subjecti concremandi erant hoc igne livoris, qui prius in corde præpositorum arsit, sequitur :

VERS. 12. — « Et erunt populi quasi de incendio cinis. »

Omnes enim combusti sunt igne malitiæ quasi zelo legis persequentes apostolos prædicatores gratiæ. Et quia simul in Jerusalem obsidentibus Romanis erant perituri, congrue subditur :

« Spinæ congregatæ igni comburentur. »

Spinæ enim sunt, de quibus in libro Regum David loquitur : « Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi, qui non tolluntur manibus et si quis eas tangere voluerit, armabitur ferro, et ligno lanceato, ignique succensæ comburentur usque ad nihilum (*II Reg.* XXIII, 6). » Quid autem sit ignis docet apud Ezechielem Dominus, qui, cum dixisset ad Jerusalem : « Ecce ego succendam in te ignem, et comburam in te omne lignum viride et omne lignum aridum (*Ezech.* XXVI, 47), » sic exposuit, quod dixerat : « Ecce ego ad te, et ejiciam gladium meum de vagina sua, et occidam in te justum et impium (*Ezech.* XXI, 3). » *Spinæ* ergo sunt prævaricatores Judæi; ignis vero gladius Dei est. *Spinæ itaque congregatæ igni combustæ sunt*, quia Judæi, A qui in Jerusalem ad solemnitatem Paschæ confluxerunt, gladio cœlestis vindictæ perierunt. Post quorum exterminium Dominus subjunxit :

VERS. 13. — « Audite qui longe estis, quæ fecerim, et cognoscite, vicini, fortitudinem meam. »

VERS. 14. — « Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. »

Vos, inquit, *qui longe estis* ab Jerusalem, id est prope terminos mundi, *audite*, *quæ fecerim* Judæis infidelibus : et vos, *vicini*, id est Moabitæ et Palæstini cæteræque de proximo gentes, *cognoscite fortitudinem meam*, qua debellavi eos. Nam *conterriti sunt in Sion*, id est in monte templi, *peccatores*, qui, « si non venissem, et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent (*Joan.* XV, 22). » Et capta B Jerusalem, *possedit* ibi *tremor hypocritas* Pharisæos et Scribas, qui de divino frustra confidebant auxilio.

Sed hæc et aliter intelligi possunt. Ait enim : « Dissipatæ sunt viæ, » etc. Et quid per vias nisi actiones appellat? *Semitam* vero hic accipimus, de qua Dominus ait : « Arcta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam (*Matth.* VII, 14). » Appropinquante ergo sæculi fine dissipantur *viæ*, id est actiones hominum, qui regulam justitiæ non servant. *Cessavit transiens per semitam*, quia deest jam, qui per angustæ conversationis viam præsentis vitæ iter peragat, sed omnes latam viam sæculi incedere satagunt. Et ob hoc *irritum factum est pactum*, id est promissio regni cœlorum. C Inchoantibus enim promittitur corona, sed consummantibus datur; his vero, qui non perseverant, *irritum* fit *pactum* promissionis hujus.

Et *projecit* Dominus *civitates*, id est multitudines eorum, qui lata perditionis itinera sequuntur. *Nec reputavit homines*, id est quasi non essent, sic æstimavit eos. *Vel eos non reputavit* esse *homines*, qui suo vitio jumenta esse voluerunt. Quicunque enim charitatem non habet, nihil est apud Deum, sicut ait Apostolus : « Si habuero prophetiam, et noverim omnia mysteria et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes tranferam, charitatem autem non habeam, nihil sum (*I Cor.* XIII, 2). » Sed inter hanc iniquitatis abundantiam D *luget terra*, id est Ecclesia, et mœrore animi languet.

Libanus autem *dealbatio* sive *candidatio* dicitur. Et quid per Libanum nisi dealbata conversatio figuratur hypocritarum? Unde cuidam talium Paulus ait : « Percutiat te Deus, paries dealbate (*Act.* XXIII, 3). » *Confusus est* ergo *Libanus, et obsorduit*, quia plerumque dealbatio eorum, qui religiosam foris conversationem non religiosa cordis intentione custodiunt, de manifesta perpetratione iniquitatis confusionem opprobrii sustinent, et evidentibus peccatorum maculis in fine sordescit

Saron vero *princeps mœroris*, vel *cantans tristitiam* interpretatur. Et quid per Saronem nisi quilibet religiosus designatur, qui mœrori deditus eo

Digitized by Google

lumbino more gemitum pro cantu habet? *Factus est* ergo *Saron sicut desertum*, quia jam nimis excrescente malitia sanctus quisque vilis habetur, et infrequentatus, et derelictus, quia mundi gloriam respuit, et fletibus gaudet.

Basan autem *pinguedo* dicitur, Carmelus vero *mollis*. Et pinguedinem hic accipimus, de qua per Psalmistam dicitur : « Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Mollis autem erat animus sancti Job cum diceret : « Deus mollivit cor meum, et Omnipotens conturbavit me (*Job* XXIII, 16). » Basan ergo pinguedo gratiæ spiritalis intelligitur : Carmelus vero meus ad charitatem et pietatem mollis. Interpretatur autem et Carmelus *cognitio circumcisionis*. Et ille circumcisionem bene novit qui corde, et opere, et lingua circumcisus est.

« Concussa est autem Basan et Carmelus, » quia etiam mens justorum in illa tentatione novissima concutietur. « Surgent enim pseudoprophetæ, et pseudochristi, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Marc.* XIII, 12). »

Sed quia post tribulationem dierum illorum videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate, recte subjungitur hic :

« Nunc exsurgam dicit Dominus, » etc. *Nunc exsurgam* de nimia patientia mea, qui hucusque velut jacui, dum contemnerer et conculcarer, nec me vindicarem ; *Nunc exsurgam*, sicut scriptum est : « Exsurge, Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum (*Psal.* LXXIII, 22). » *Nunc exaltabor*, quia exaltabitur Dominus solus in die illa, et quia tunc « *plangent se omnes tribus terræ* (*Matth.* XXIV, 30). » *Concipietis*, inquit, *ardorem* doloris interni, *parietis stipulam* inanium verborum ducentes : « Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles ; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Talia enim dicturi sunt in inferno hi qui peccaverunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur (*Sap.* V, 7 *et seq.*)

Concipietis, inquit, *ardorem* seræ pœnitudinis in die illa, *et parietis stipulam* verborum planctus inanis. *Spiritus vester ut ignis vorabit vos*, quia tunc omnis ante oculos culpa reducetur, et mens super gehennæ incendia suo gravius igne cruciabatur. *Et erant populi* reproborum *quasi de incendio cinis*, sicut per Malachiam dicitur electis : « Egredimini et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum (*Malach.* IV, 2). » Tunc enim *spinæ*, id est peccatores *comburentur igni* inexstinguibili ; et comburentur *congregatæ*, quia « congregabuntur in congregationem unius fascis in lacum (*supra* XXIV, 22). »

Illis ita de reproborum damnatione dictis, eos cui adhuc vivunt, deterrere ab iniquitate volens subjungit : « Audite, qui longe estis, quæ fecerim, » etc. Vos, *qui longe estis* a justitia, *audite, quæ fecerim*, id est quæ facturus sim reprobis in die illa ; et vos justi, qui per vitæ meritum *vicini* estis mihi, *cognoscite fortitudinem meam* in eos. *Contriti sunt* enim, id est conterentur *in Sion*, id est in Ecclesia *peccatores*, qui de eo præsumebant quod dicitur : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* XVI, 16). » Sed conterentur, cum audierint : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum : Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV, 42), » etc. Et tunc *possidebit tremor hypocritas*, quia qui nunc de sanctitate gloriantur in oculis hominum, tunc confundentur, cum apparuerit Judex cordium. Quia enim reprobi tunc omnes mittendi sunt in caminum ignis, qui non exstinguetur, recte adhuc subditur ad terrorem viventium.

« Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » Tanta enim est gehennalium flammarum asperitas, ut tolerari nequeat, et tunc impii sine fine cruciabuntur in ea. Cum autem denuo cuique, qui in inferno habitaturus est, dixisset : « Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? » mox econtrario subjecit de quolibet regni cœlorum habitatore futuro :

VERS. 15. — « Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum, »

VERS. 16. — « Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. »

VERS. 17. — « Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe. »

VERS. 18. — « Cor tuum meditabitur timorem. »

In justitiis vero *ambulat*, qui vitam suam in bonis actionibus ducit. *Qui veritatem loquitur*, si quod noverit, sine dolo simpliciter protulerit ; *et avaritiam ex calumnia projicit*, si recusaverit aliis per calumniam auferre, quod sibi acquirat. Tres vero sunt acceptiones munerum, id est a corde, ab ore, a manu. Munus namque a corde est captata gratia a cogitatione ; munus ab ore est gratia per pavorem ; munus ex manu est præmium per dationem. Sed justus quisque *manus suas excutit ab omni munere*, quia in eo quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere dationem quærit.

Quid autem est obturare *aures suas, ne audiat sanguinem*, nisi peccatis suadentibus, quæ de carne et sanguine nascuntur, non præbere consensum? Et quid est, *ne malum videat, oculos* claudere, nisi omne quod rectitudini adversum est, non approbare? Sed his de activa conversatione dictis mox ad quantos contemplationis gradus ascendatur per hæc, ostendit propheta : « Iste, inquit, in excelsis habita-

Digitized by Google

bit, » etc. *Iste in excelsis habitabit*, quia, quamvis eum caro in inferioribus retineat, mentem jam in sublimioribus fixit.

Munimenta saxorum sublimitas ejus, quia dum abjecta desideria terrenæ conversationis cavet, ad supernam patriam per præcedentium Patrum exempla se sublevat; et quia per contemplationis donum gratia spiritali pascitur, *panis eis datus est*, id est refectionem spiritalis gratiæ percepit, quia se a bonis infimis cœlestia speando suspendit. *In excelsis* namque habitare est cor in cœlestibus ponere, et *munimenta saxorum sublimitas* nostra est, cum fortium Patrum præcepta et exempla aspicimus, atque ab infima cogitatione separamur. *Munimenta saxorum sublimitas* nostra est, cum mente choris castrisque cœlestibus jungimur, et insidiantes malignos spiritus stantes in arce cordis quasi subter positos expugnamus.

Tunc nobis etiam *panis* datur, quando in supernis erecta intentio æternitatis contemplatione reficitur. *Aquæ* enim nostræ *fideles sunt*, quia doctrina Dei, quod hic per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia autem hujus mundi infidelis est, quia mansura post mortem non est. Sed *aquæ* nostræ *fideles sunt*, quia verba vitæ, quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant.

Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt, quia Redemptor noster in judicio et a reprobis homo videbitur, sed ad divinitatis ejus intuendam celsitudinem soli, qui electi sunt, sublevabuntur. Quasi enim quamdam fœditatem regis videre est solam servilem formam, in qua ab iniquis despectus est, cernere. Sed ab electis *in decore suo* rex cernitur, quia ultra semetipsos rapti in ipso Deitatis fulgore oculos cordis figunt. Qui quandiu in hac vita sunt, quia illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt, recte subjungitur :

« Cernent terram de longe. » Humana autem mens, quo altius elevata, quæ sunt æterna, considerat, eo de factis temporalibus gravius tremefacta formidat, quia tanto se ream verius cernit, quanto se ab ipso lumine discrepasse, quod desuper intermicat, conspicit; sicque fit, ut illuminata plus metuat, quia magis aspicit, a veritatis regula per quanta discordat. Ducta namque ad internam regulam nostra rectitudo, si districtum judicium invenit, multis tortitudinum suarum sinibus in intimam rectitudinem impingit. Unde nunc ad eum, de quo loquebatur, versa locutione subjungit propheta. « Cor tuum meditabitur timorem. » Si quis vero quondam ita vivere voluisset, impediebatur plurimum hinc carnali doctrina Judæorum, illinc vaniloquiis gentilium. Nunc autem utraque sunt evacuata, multosque jam adjutores invenit justus. Nam sequitur : « Ubi est litteratus? Ubi legis verba ponderans? Ubi doctor parvulorum? »

Vers. 19. — « Populum imprudentem [*Vulg.* impudentem] non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia. »

Litteratus enim Pharisæus erat, quia solam litteræ superficiem sectabatur, et ipse non sensum sed *verba legis* velut in trutina ponderabat, ostendens, quæ essent graviora. Et *doctor* erat *parvulorum*, quia docebat plebem Judæorum, qui lacte semper indigent ut parvuli.

Populus vero imprudens gentilis est, qui veram ignorabat prudentiam. Qui erat *alti*, id est profundi *sermonis*, ita ut simplicitas fidelium vix intelligere posset *disertitudinem*, id est facundiam *linguæ ejus*. Sed tamen in eo nulla erat sapientia, quia diserte nimis et polite verba proferebat, sed nullum in eisdem verbis sapientiæ sensum habebat. Sicut enim doctrina cœlestis non verba, sed sensum attendit, sic doctrina sæculi non in sensu, sed in compositione verborum et in eloquentiæ jactantia gloriatur. Sed jam doctores hujusmodi cum suis doctrinis evanuerunt, ut evangelica prædicatio maneat, quemadmodum et Apostolus ait : « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Dominus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (*I Cor.* I, 20). » Deficientibus ergo inanium doctrinarum prædicatoribus et Ecclesia surgente, propheta subjungit :

Vers. 20. — « Respice, Sion, civitatem solemnitatis nostræ : oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. »

Vers. 21. — « Quia solummodo ibi magnificus Deus noster. »

Sion quippe vel Jerusalem Ecclesia est. Quæ *solemnitatis nostræ* civitas est, quia ibi laudes Creatoris decantamus. Neque enim extra Ecclesiam laudare quis Deum bene valet, quia scriptum est : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? » (*Psal.* CXXXVI, 4.) Rursumque : « Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. » (*Psal.* LXIV, 2.) Et ipsa est habitatio opulenta, quia ibi sunt divitiæ salutis sapientia et scientia, et timor Domini thesaurus ejus, quibus ditantur habitatores urbis hujus. Vel ita dicendum : Oculi tui cernent visionem æternæ pacis, et divitias insperatas, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis excogitavit.

Sed et *tabernaculum* Ecclesia vocatur, quia in peregrinationis hujus itinere Dei hospitium vel habitaculum est. Quod videlicet tabernaculum transferri nequaquam potest, quoniam Ecclesia in eo quod credit, permanet. *Nec offerentur clavi ejus in sempiternum*, quoniam verba prædicationis ejus non tollentur, sicut Joannes ait : « Vos quod audistis ab initio, maneat, in vobis (*I Joan.* II, 24). » Et in ejus Apocalypsi dicitur « Evangelium æternum (*Apoc.* XIV, 6). »

Digitized by Google

Et omnes funiculi ejus non rumpentur, quoniam præcepta ejus nunquam destruentur. Antiquum enim tabernaculum sæpe translatum est, ut de solitudine in Silo, in Nobe, et inde in Jerusalem, quoniam Synagoga quibusdam semper erat profectibus promovenda, donec veniret in Ecclesiam. Tabernaculum vero novum nequaquam transfertur, quia non est jam ultra religio, in quam ab ista, quam tenet Ecclesia, promoveatur dicente Domino : « Tantum, quod habetis, tenete, donec veniam (*Apoc.* III, 11). »

Quod autem clavorum nomine verba ejus signentur, ostendit Salomon dicens : « Verba sapientum quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi (*Eccle.* XII, 11). » Et subtilitas spiritalium ejus præceptorum exprimitur appellatione funiculorum, quando Jeremias extrahi legitur funiculis de lacu (*Jer.* XXXVIII, 11). Significat enim peccatorem, qui de profundo iniquitatum educitur per observantiam spiritalium mandatorum. *Clavi* itaque verba sunt, et *funiculi* præcepta. Et sicut tabernaculum clavis firmatur, et funibus extenditur, sic Ecclesia validis Scripturæ sanctæ dictis roboratur, et præceptis in actione dilatatur. Qui videlicet clavi et funiculi *nunquam auferentur, neque rumpentur*, sicut ablati et rupti sunt clavi et funiculi veteris tabernaculi. Ablata sunt enim verba, quæ de futuro dicebant : « Ecce virgo concipiet, et pariet filium (*supra* VII, 14). » Et dicitur, quia « postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere (*Gal.* IV, 4), » id est ex femina. Et rupta sunt præcepta de oblationibus victimarum, et otio Sabbatorum, et cæteris observationibus hujusmodi. Verba autem novæ prædicationis Ecclesiæ et mandata ejus nunquam mutabuntur, aut destruentur, *quia solummodo ibi magnificus Deus noster*. Nihil enim magnum agit Deus noster apud infideles, quantacunque eis beneficia temporalia operetur, sed in Ecclesia tantummodo magna operatur, quia remissionem peccatorum et gratiam sanctitatis largitur suis, et ad vitam eos sempiternam perducit.

Vel superna Jerusalem æternum Dei tabernaculum est, ubi ipse perenniter habitat, unde nunquam hoc tabernaculum transferri poterit, quia nequaquam ultra mutabit locum, sed perpetualiter manebit in illo beatitudinis regno. Propterea et subditur metaphorice : « Quia clavi ejus non auferentur in sempiternum, neque funiculi ejus rumpentur, » ut stabili firmitate in uno loco sine fine manere monstretur; « quia solummodo ibi magnificus Dominus, » quoniam videtur, et intuentibus se gaudia præstat æterna. Sequitur :

« Locus fluviorum, rivi latissimi et patentes. » Ecclesia est *locus fluviorum*, quia propheticis et apostolicis fluminibus exuberet, et sunt in ea *rivi* expositionum latissimi. Aperta enim dicta exponentium faciunt nobis esse conspicuas sententias antiquorum Patrum, et quod Patres breviter dixerunt, isti latius exponentes patefaciunt. Isaias ergo plana sanctæ Ecclesiæ expositionis verba conspiciens, et non allegoriarum tenebris obscura ait : « Locus fluviorum rivi latissimi et patentes. » Testamenti enim Veteris dicta quasi angusti et clausi rivi fuerant, qui universas scientiæ suæ sententias collectione obscurissima constringebat; at contra doctrina sanctæ Ecclesiæ *rivi patentes* sunt, quia ejus dicta et invenientibus multa sunt, et quærentibus plana. Sequitur : « Non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum. »

VERS. 22. — « Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse salvabit nos. »

Non pertransibit per eum navis remigum, id est per prædictum locum fluviorum. Quid vero per *navem remigum* nisi mens designatur reproborum, quæ per mare hujus sæculi a malignis spiritibus velut a remigibus ducitur? Unde et propheta iste in sequentibus dicit Chaldæos in navibus suis gloriantes, quia nequissimi dæmones in eorum cordibus gloriantur, quos ad voluntatem suam variis desideriis per sæculi turbulentas amaritudines ducunt.

Trieris autem est, navis tres remorum ordines habens. Et quid per trierem magnam nisi prædicta mens iniquorum sive Babylon exprimitur? Quæ tres habet ordines remorum, quia in cogitatione et in verbo, atque in actu regitur a malignis spiritibus. « Non ergo transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum, » quia mens iniquorum ponere gressum malitiæ suæ non poterit in cœtu justorum. Transiret namque per eum, si voluntatem suam expleret in eo. Sed *non transibit*, quia quod male de bonis facere tentat, non poterit. *Dominus* enim *salvabit nos*, id est custodiet, ne per nos iniquorum malitia transeat. *Dominus judex noster salvabit* nunc *nos*, quia novam legem per semetipsum dedit, « Unus est enim legislator et judex, qui potest perdere et liberare, » sicut ait Jacob (*cap.* IV, 12). Et *ipse* est *rex noster*, qui nunc nos regit, et in æternum in nobis regnabit. Hic ergo, qui judicaturus est nos, et normam vivendi nobis in Evangelio dedit, et nos invisibiliter regit, ipse nos inter tentationum pericula salvat, ne victi pereamus.

Vel æterna Jerusalem est *locus fluviorum*, quia ibi semper emanant flumina spiritalium gratiarum septem copiosis Spiritus sancti meatibus, et late ac patenter per omnia diffunduntur. *Non transibit per eum navis remigum*, quia nullus impugnator sive tentator inquietabit illos. Dominus enim peracto judicio salvabit eos perpetualiter ab omnibus malis. Sed quia de reproborum mente quasi de navi propheta loquebatur, et de Ecclesia justorum velut de fluvio, quem navis illa transire non posset, adhuc conatum navis hujus in hunc fluvium ostendit subjungens :

VERS. 23. — « Laxati sunt funiculi tui, sed non prævalebunt. »

O navis, *laxati sunt funiculi tui*, ut laxatis velorum funibus fortius impellaris vento flatus dæmo-

Digitized by Google

num ad impugnandam Ecclesiam. *Sed non prævalebunt*, quia « portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI, 18). » Qui vero sunt *funiculi* hujus navis nisi peccata, de quibus dicitur : « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis! » (*sup.* V, 18.) Hos igitur funes laxat hæc navis, ut fluvium transeat, quia mens impiorum totas iniquitatis suæ remittit habenas, dum Ecclesiam impugnare nititur. Sequitur :

« Sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas, » id est velum expandere. Quid per malum navis hujus, qui stat in altum erectus, nisi elatio mentis iniquorum exprimitur? Unde scriptum est : « Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper (*Psal.* LXXIII, 23). » Hoc est malus in sublime porrectus. Quid vero per *signum*, id est per velum, quod in hoc malo suspensum est, nisi velamen erroris designatur, quod ab elatione superbiæ descendens conscientiam iniquorum obnubilat, et flatibus tentationum impellit? Ait ergo : *Sic erit malus tuus*, id est elatio tua, *ut dilatare signum, non queas*, id est erroris velum per orbem terræ expandere. Error enim arctabitur ubique et destruetur, et evangelica prædicatio per universas nationes dilatabitur. Unde et sequitur : « Tunc dividentur spolia prædarum multarum : claudi diripient rapinam. »

VERS. 24. — « Nec dicet vicinus : Elangui. »

Spolia namque *prædarum multarum* homines sunt, qui tolluntur antiquo hosti, sicut scriptum est : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet (*Luc.* XI, 21). » Custodiebat enim diabolus hunc mundum armatus velut atrium suum, et nullo repugnante possedit. Sed desuper veniens nobis Salvator vicit eum, et arma ejus, id est potestatem nocendi abstulit ei, atque spolia ejus, id est homines, quos male possidebat, distribuit in Ecclesia sua. Nam « ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (*Ephes.* IV, 11). » Tunc ergo divisa sunt spolia prædarum multarum, quando posuit Deus in Ecclesia « primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, exinde virtutes, deinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum (*I Cor.* II, 28). »

Claudi vero sunt, quibus pes amoris sæculi emarcuit. Unde Jacob (*Gen.* XXXII), qui angelum tenuit, uno pede claudicavit, quia qui vero amore sublimia respicit, jam in hoc mundo duplicibus incedere desideriis nescit. Uno enim pede innititur, qui solo Dei amore roboratur, et in solo Dei amoris pede tota virtute se sustinet, et in ipso stat, quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terra consueverat, jam a terra suspensum portat. Tales ergo *claudi rapinam* diripiunt, dum eos, quos diabolus possiderat, ad Christum convertunt.

Nec vicinus dicet : Elangui, quoniam ad similem rapinam exemplo eorum libenter excitantur proximi. Sequitur :

« Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas. » Populus fidelium, qui, sicut oportet, in Ecclesia perseverat, remissionem suorum solus obtinebit peccatorum. Sequitur :

CAPUT XXXIV.

VERS. 1. — « Accedite gentes, et audite, et populi attendite : audiat terra, et plenitudo ejus, orbis et omne germen ejus. »

VERS. 2. — « Quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super omnem malitiam eorum. »

Nunc de universali judicio locuturus et damnatione malorum convocat omne genus hominum simul ad audiendum, quæ de omnibus reprobis est dicturus. *Accedite*, inquit, huc animo gentes, *et* intento corde, quæ loquor, *audite : audiat* omnis *terra* generale judicium, *et plenitudo ejus*, id est universi, qui in ea sunt, et totus *orbis* metuat, *et omne germen* ejus, id est omnes, qui in eo nascuntur. Et quid est, quod ita jubentur omnes audire? *Quia indignatio Domini super omnes gentes* in die novissimo veniet, *et furor* ejus *super omnem malitiam eorum*, quia si illi in ignem æternum ituri sunt, qui esurienti non dederunt manducare, quid passuri sunt raptores et homicidæ? Nunc quoque *indignatio* ejus *super omnes* infidèles est. « Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum (*Joan.* III, 36), » ut Joannes Baptista loquitur. Nam in hoc sæculo cum ira Dei nascimur omnes, sicut Apostolus ait : « Eramus natura filii iræ sicut et cæteri (*Ephes.* II, 3). » Sed per gratiam solam Christi removetur a nobis ira Dei. Bene ergo dicitur, *quia indignatio Domini* est *super omnes gentes*, quæ non credunt. Sequitur : « Interfecit eos, et dedit eos in occisionem. » Hoc est quod ipse Dominus ait : « Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam (*Luc.* XII, 5). « Sequitur :

VERS. 3. — « Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fetor. »

Interfecti eorum projicientur a facie Domini, cum audierint : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » *Et de cadaveribus eorum ascendet fetor*, quia de corporibus fornicatorum fetor intolerabilis exibit. Sequitur : « Tabescent montes a sanguine eorum. »

VERS. 4. — « Et tabescet omnis militia cœlorum. »

Quid hoc loco *montes* nisi sæculi hujus potentes accipimus, qui pro terrena substantia altum tument, de quibus Psalmista ait : « Tange montes, et fumigabunt? » (*Psal.* CXLIII, 5.) Et quid per sanguinem nisi crudelitatis peccatum? Unde quibusdam supradictum est : « Manus vestræ sanguine plenæ sunt (*supra* I, 15), » id est actiones vestræ crudelitate redundant. *Tabescent* ergo *montes a sanguine eorum*, quia principes in tormentis æternaliter deficient pro

Digitized by Google

crudelitate, quam sub ipsis exercuerunt hi, quibus præerant. In ipsos enim redundabit, quidquid a subjectis offensum fuerit per ducatum eorum.

Militiam vero *cœlorum* dæmones aeris hujus appellat, de quibus per Paulum dicitur : « Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (*Ephes.* VI, 12), » id est adversus homines, « sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum (*ibid.*), » id est iniquorum et infidelium hominum, « contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*ibid.*). » Cœlos autem non æthereos hic accipimus, sed aereos. Unde et aves cœli nominamus, quas in aere volitare videmus. *Tabescet* igitur *omnis militia* eorum, quia universi dæmones, qui per hunc aerem vagantes quotidie pugnant contra nos, in die novissimo devolventur in infernum, et ibi sine fine tabescent, et deficient. Sequitur :

« Et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea et de ficu. »

VERS. 5. — « Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus. »

Considerandum, quod non dicat interire cœlos, sed complicari quasi librum, ut, postquam omnia peccata aperta fuerint, et relicta, complicentur, qui prius aperti fuerant, et nequaquam ultra scribantur in eis delicta multorum.

Vel nunc expansi sunt cœli *sicut liber*, ut quotidie scribantur in eis nomina bene viventium. Unde Dominus electis discipulis ait : « Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* X, 20). » Sed in die illa *complicabuntur sicut liber*, ut jam nullius deinceps nomen in eis scribatur.

« Et omnis militia eorum defluet sicut folium de ficu, » quia sicut arboris folium postquam aruerit et ceciderit, nequaquam virescit, et in arborem revertitur, sed in terra putrescit, ita spiritus illi de cœlestibus lapsi nequaquam in pristinum statum reducentur, aut per pœnitentiam revirescent, sed in gehennalibus pœnis æternaliter putrescent.

Vel *militia eorum defluet* instar foliorum, quia « stellæ cadent de cœlo (*Matth.* XXIV, 29). » Quia *inebriatus est*, inquit, *in cœlo gladius meus*, ac si diceret : Quia ira feriam superbos, tunc perpendite, si ipsos etiam, quos in cœlo juxta condidi, pro elationis vitio percutere non peperci. Vel *in cœlo*, id est in aere est inebriatus feriendo potestates aeris. Sequitur.

« Ecce super Idumæam descendet, et super populum interfectionis meæ ad judicium. »

Idumea *terrena* dicitur sive *rubea*. *Descendet* ergo, inquit, gladius ultionis meæ *super Idumæam*, id est super eam generis humani partem, quæ terrena est, et peccatorum sanguine rubea : *et super populum interfectionis meæ*, id est super omnem eorum, quos occisurus sum, multitudinem ad judicium damnationis, de quo dicitur : « Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (*Joan.* V, 29). » Sequitur :

VERS. 6. — « Gladius enim Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum. »

Ut multos occidisse gladius iste monstretur, *repletus sanguine* dicitur et *incrassatus adipe*. Quia vero agni, arietes et hirci solebant immolari, illam grandem victimam reproborum omnium, quam nunc immolat, de agnis, arietibus et hircis fore memorat. Unde per Jeremiam dicit : « Deducam eos quasi agnos ad victimam, quasi arietes cum hædis (*Jer.* LI, 40). » Talibus ergo nominibus appellantur, qui occasioni mortis æternæ sunt prædestinati sicut hæc animalia immolationi. Aut certe per sanguinem intelligimus peccatum carnis, quia scriptum est « Libera me de sanguinibus (*Psal.* L, 15); » et per *adipem* superbiam, de qua dicitur : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum (*Psal.* LXXII, 7). »

Quid autem per agnos nisi qui mites videntur et innocentes, sed non propter Deum tales se facere studuerunt designantur ? Quid vero per hircos nisi principes infidelium per potentiam sæcularem cornuti, et per libidinem fetentes; et quid per arietes nisi populorum duces exprimuntur copia divitiarum involuti sicut lana ? Quid autem per medullam *arietum* nisi superbia cordis eorum ? *Gladius* ergo *Domini repletus est sanguine, et incrassatus adipe*, quia maxime percutit luxuriam et superbiam. *De sanguine agnorum*, id est de peccato eorum, qui simplices videbantur et innocentes sed non propter Deum, *et hircorum*, id est libidinosorum principum, *et medullatorum arietum*, id est superborum ducum. Sequitur :

« Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. »

Victima enim est illa generalis reproborum occisio. Bosra *tribulatio* dicitur, Edom vero *terrenus*. Et quis sit *terrenus* liquet. Nam « primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis cœlestis, tales et cœlestes (*I Cor.* XV, 47). » *Victima* ergo *Domini* immolatur *in Bosra*, quoniam peccatores occiduntur in tribulatione. *Et interfectio magna* fit *in terra Edom*, id est in terra terreni, quoniam omnes, qui sunt Adæ similes, perimuntur, qui sicut portaverunt imaginem terreni, non portaverunt imaginem cœlestis. Sequitur :

VERS. 7. — « Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus. »

Cum eis, quos supra dixit, *descendent unicornes*, id est cum agnis et hircis et arietibus. Quid autem *unicornes* appellat nisi imperatores illos, qui monarchiam totius mundi tenuerunt, ut Alexander et Cæsar et Augustus et Antichristus ? Quid vero tauros, nisi cæteros reges, qui cornibus regni suos impetebant adversarios? Quid autem potentes, nisi reliquos sæculi principes ? Descendunt igitur *unicornes* in infernum *cum eis*, quia et summi imperatores cum cæteris peccatoribus in barathrum damnationis illiu

Digitized by Google

corruent : *et tauri cum potentibus, quia* reges cum suis optimatibus ignominiose dejicientur. Unde scriptum est, *quoniam* « judicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim concedetur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur (*Sap.* VI, 6). » Sequitur :

« Inebriabitur terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium. »

Quid per terram vel humum *eorum* nisi infernalis habitatio designatur, de qua scriptum est : « Terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum (*Job*, X, 21), » et item : « Iste locus ejus, qui ignorat Deum (*Job* XVIII, 21). » Quomodo ergo *inebriabitur* hæc *terra eorum sanguine et adipe*, cum jam eorum corpora post resurrectionem immortalia sint et incorruptibilia, quamvis sensum doloris et tunc habentia, nec sit necesse, ut qui nunc pingues sunt, cum eadem pinguedine resurgant? Sanguinem igitur et adipem aliter oportet intelligi. Nam et alibi scriptum est : « Quicunque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius (*Gen.* IX, 6). » Quæ sententia secundum litteram stare non potest. Multi enim effuderunt humanum sanguinem, quorum sanguis in hac vita effusus non est : et ridiculosum videbitur, ut in resurrectione mortuorum dicat quis fundi sanguinem eorum. Sanguis igitur hominis vitale, quo vegetatur, et sustentatur, et vivit, debet intelligi, quod qui effuderit sive scandalo sive perversitate doctrinæ, in die judicii fundetur ex eo, cum etiam id quod habebat vitale, cogetur amittere, ut perpetualiter moriatur.

Itaque quando « anima carnis, ut Moyses ait, in sanguine est (*Lev.* XVII, 14), » per effusionem sanguinis designatur, amissio vitæ, id est mors illa reproborum æterna. Adeps vero interioris hominis superbia cordis est, quæ mentem hebetat et gravat. Unde scriptum est : « Incrassatum est cor populi hujus (*Act.* XXVIII, 27). » Nam sicut pinguedo corporis ex ciborum abundantia generari solet, sic superbia cordis ex copia divitiarum. Quid ergo per adipem *pinguium* nisi superbia divitum figuratur? Solet autem ignis calore adeps liquefieri ignemque citius accendere injectus et pascere. Et quid per adipem igne solutum debet intelligi nisi superbia reproborum in incendiis gehennalibus sine fine tabescens et ardens? *Inebriabitur* itaque *terra eorum sanguine, et humus eorum adipe pinguium*, quia tartarus immoderate replebitur eorum morte, quæ per amissionem sanguinis intelligitur, et combustione, quæ liquefacto adipe indicatur. Sequitur :

VERS. 8. — « Quia dies ultionis Domini, annus retributionis Sion (138). »

Tunc erit *dies ultionis Domini*, quam de suis hostibus sumet, et tunc erit *annus*, in quo *Sion*, id est Ecclesia potestate judicii accepta persecutoribus suis reddet, quod merentur : « Tunc enim stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt (*Sap.* V, 1). » Unde et in Apocalypsi dicitur eis de iniqua Babylone : « In poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum (*Apoc.* XVIII, 6). » *Dies* autem et *annus* vel tempus judicii designat, vel spatium illud interminabile, quod erit post finem sæculi. Sequitur :

VERS. 9. — « Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur : et erit terra ejus in picem ardentem. »

VERS. 10. — « Nocte et die non exstinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus : a generatione in generationem desolabitur in sæcula sæculorum. »

Præmiserat, *quoniam inebriabitur terra eorum sanguine*, id est infernus, et nunc de eadem terra loquens plenius subjungit, quia *convertentur torrentes ejus in picem*. Refert autem in Dialogo beatus Gregorius fluvium in locis pœnalibus a quodam, qui huc reversus est, visum fuisse, in quo multi cruciabantur, et ex eo nebula fetoris ascendebat. Sed et cæteri Patres orthodoxi sæpe scripserunt similia. Torrentes ergo credibile est in inferno esse, in quibus animæ damnatorum decoquuntur. Qui vid licet *torrentes convertentur in picem*, quia similes erunt pici ferventi, ut, quidquid tetigerint, incendant et tencant. *Et humus ejus convertetur in sulphur*, quia simul ardebit, et fetorem gravissimum exhalabit. *Et erit terra ejus in picem ardentem*, quia sicut pix ardebit ibi terra.

Quid vero per noctem et diem designatur (ibi enim perpetua nox est) nisi pœnarum mutabilitas? Semper enim per varia miseri tormenta discurrunt. *Terra* enim *erit in picem ardentem nocte ac die*, quia in omnibus pœnarum varietatibus terra sicut pix ardebit, nec exstinguetur in sempiternum, sed æternaliter ardens cruciabit impios, ut nunquam in illis sæculis careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Vel *in die* cruciabuntur improbi, quando cogitabunt in inferno de gloria sanctorum; et *in nocte*, dum consideraverint immanitatem damnationis suæ. Sed terræ hujus ardentis *ascendet fumus a generatione in generationem*, quia in tempore generationis Hebræorum fidelium, quæ præcessit adventum Salvatoris, et in tempore generationis Christianorum, quæ sequitur, fumus hujus incendii perdurat, et peracto judicio *desolabitur in sæcula sæculorum* omnes, quos tenuerit, quia omne remedium eis auferet. Sequitur : « Non erit transiens per eam, » quia non erit quisquam justorum, qui visitet eos.

VERS. 11. — « Et possidebunt illam onocrotalus, et ericius, et ibis, et corvus habitabunt in ea. »

Onocrotalus est avis, quæ sic vocatur, eo quod in modum cymbali sonum in aqua rostro faciat. Κρόταλον *crotalon* enim Græce *cymbalum* dicitur. Quia vero scientia Scripturæ sacræ per aquam potest accipi, quid per onocrotalum nisi prædicatores

(138) Alias, *annus retributionum judicii Sion.*

Digitized by Google

illi designantur, qui charitatem non habentes facti sunt « sicut æs sonans aut cymbalum tinniens (*I Cor.* XIII, 1). » *Ericius* autem animal est spinis ac sentibus pro pilis obsitum, et vulnerans quidquid tetigerit : et quid per ericium figuratur nisi peccator quisque punctionibus vitiorum circumdatus, qui mala responsione cor ejus vulnerat, quicunque eum tangere corripiendo tentat? *Ibis* vero, id est ciconia avis est lenta et propter aquas habitans, sed in eis minime natans. Et quid per Ibidem nisi illi signantur, qui Scripturas frequenter audiunt, sed lenti sunt ad faciendum, nec in earum intelligentia natant, quia nec pertingunt ad illa? *Corvus* autem nigredinem peccantium vel infidelium exprimit.

Isti ergo possidebunt terram illam, quæ sicut pix ardebit, et habitabunt in ea, quoniam hæc est iniquorum propria mansio, quæ parata est illis ab origine mundi. Aut certe de magna illa Babylone licet nomen ejus hic taceatur, intelligamus hæc omnia. Nunc enim possident illam onocrotalus et ericius, et ibis, et corvus habitant in ea, quoniam hi, qui talibus appellari nominibus meruerunt, per iniquæ conversationis studium cives ejus sunt. Sequitur :

« Et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem. »

Super terram ardentem *extendetur mensura*, *ut redigatur ad nihilum*, quia peccatores æternaliter ibi deficient secundum mensuram, qua Deus eorum pœnas justo disponet judicio. « Et perpendiculum in desolationem, » id est in demolitionem, quia damnati ibi dissipabuntur, et discerpentur suppliciis juxta arbitrium justitiæ summi opificis. Perpendiculum enim vocatur, quo cœmentarii macerlam ad rectitudinem deducunt, vel arcus æqua rotunditate curvant. *Desolatio* autem non a *desolor*, *desolaris* dicitur hic, sed a *desolo*, *desolas* quod significat terræ dissipationem. Vel super Babylonem *extendetur mensura ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in desolationem*, quia destructur juxta modum justæ dispositionis Dei, et exterminabitur secundum regulam judicii ejus. Sequitur :

VERS. 12. — « Nobiles ejus non erunt ibi, regem potius invocabunt. »

Nobiles ejus sunt electi, qui inter reprobos nascuntur in hoc sæculo vel conversantur. Qui *non erunt ibi*, id est in illa damnatione perpetua, sed dum advixerint *invocabunt regem* Christum ; et salvabit eos. Sequitur.

« Et omnes principes ejus erunt in nihilum. » *Principes ejus* sunt potentes sæculi et sapientes, qui in die ultionis *erunt in nihilum*, quia nil eis valebit potestas eorum, vel sapientia seu fortitudo. Sed ante diem illius damnationis, quid interim in hac Babylone fiat, audiamus. Sequitur :

VERS. 13. — « Et orientur in domibus ejus spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus ejus. »

Quid per urticas, nisi cogitationum prurigines, quid vero per spinas nisi punctiones vitiorum accipimus? *In domibus* ergo Babylonis *urticæ et spinæ* pullulant, quia in confusis iniquorum mentibus et desideria cogitationum surgunt, quæ exasperent, et operum peccata, quæ pungant. Sed hæc agentes habent etiam nequiores alios defensores suos. Unde et additur : « Et paliurus in munitionibus ejus. » *Paliurus* quippe tanta spinarum circumdatione densescit, ut præ asperitate vix tangi possit. Tales nimirum, tales sunt pravi homines, qui duris peccatorum aculeis circumdati nequaquam a corrigente tangi patiuntur. Intus urtica et spina nascitur, et foris *in munitione paliurus*, quia minores iniqui mala quælibet faciunt, sed ea nequissimi majores tuentur. Sequitur : « Et erit cubile draconum, et pascua struthionum. »

VERS. 14. — « Et occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum. »

Quid per dracones nisi malitia quid vero *struthionum* nomine nisi hypocrisis designatur? Struthio quippe spiritum volandi habet, sed usum volandi non habet, quia et hypocrisis cunctis intuentibus imaginem sanctitatis de se insinuat, sed tenere virtutem sanctitatis negligit. In perversa igitur mente draco cubat, et struthio pascitur, quia et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur.

Quid autem Onocentaurorum nomine nisi et lubrici figurantur et elati? Græco quippe eloquio ὄνος onos asinus dicitur, et appellatione asini luxuria designatur, propheta attestante, qui ait : « Ut carnes asinorum carnes eorum (*Ezech.* XXIII, 20). » Tauri autem vocabulo cervix superbiæ demonstratur, sicut voce Dominica de Judæis superbientibus per Psalmistam dicitur : « Tauri pingues obsederunt me (*Psal.* XXI, 13). » Onocentauri ergo sunt, qui subjecti luxuriæ vitiis inde cervicem erigunt, unde humiliari debuerant. Qui carnis suæ voluptatibus servientes expulsa longe verecundia non solum amittere se rectitudinem non dolent, sed adhuc etiam de opere confusionis gaudent. *Onocentauris* ergo *dæmonia* occurrunt, quia maligni spiritus valde ad votum deserviunt, quos de eis gaudere conspiciunt, quæ flere debuerunt. Ubi apte subjungitur :

« Et pilosus clamabit alter ad alterum. » Qui namque pilosi alii appellatione figurantur nisi hi, quos Græci πάνας (*panas*), Latini vero *incubos* vocant? Quorum nimirum forma ab humana effigie incipitur, sed bestiali extremitate terminatur *Pilosi* ergo nomine cujuslibet peccati asperitas designatur, quod, etsi quandoque ab obtentu rationis incipit, semper tamen ad irrationabiles motus tendit ; et quasi homo in bestia desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans usque ad irrationabiles effectus trahit. Nam sæpe edendi delectatio servit gulæ, et servire se simulat necessitati naturæ, cumque ventrem ingluvies extenderit, membra in luxuriam erigit. *Pilosus* ergo *alter ad alterum* clamat, cum perpetrata nequitia ad perpetrandam nequitiam provocat, et quasi quadam cogitationis voce commissa jam culpa ad culpam adhuc, quæ comitatur, invitat. *Pilosus* ergo *al*

Digitized by Google

ter ad alterum clamat, quando sub aliqua ratiocinandi specie perversam mentem culpa subsequens ex occasione culpæ præcedentis illaqueat, cumque hanc peccata dura atque aspera deprimunt, quasi convocati in ea concorditer pilosi dominantur. Sequitur :

« Ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. »

VERS. 15.— « Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra ejus. »

Per lamiam hypocritæ designantur, per ericium vero malitiosi quique, qui diversis se defensionibus contegunt. Lamiæ enim humanam faciem habere dicitur, sed corpus bestiale. Sic et omnes hypocritæ in prima facie, quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est. Sed corpus bestiale sequitur, quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur. *Ibi ergo cubavit lamia, et invenit sibi requiem*, quoniam inter mundi amatores nutritur hypocritarum fictio.

Ericii autem nomine malitiosarum mentium defensio designatur. Ericius enim, cum apprehenditur, ejus et caput et pedes et corpus omne conspicitur, sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, et intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul antea videbatur. Sic nimirum, sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim ericii cernitur, quia quo initio peccator ad culpam accesserit, videtur. Pedes ericii conspiciuntur, quia, quibus vestigiis nequitia sit perpetrata, cognoscitur ; et tamen adductis repente excusationibus malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se pravum aliquid ostendit, et quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit cuncta quæ jam cognoverat, subito amittens involutum intra conscientiam peccatorem tenet ; et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus totum pariter ignorat. *Foveam* ergo *ericius* in reprobis *habuit*, quia malitiosa mens sese intra se colligens in tenebris defensionis abscondit.

Sed quia non sufficit his, qui ejusmodi sunt, quod sic se tenebrosis latibulis abscondunt, nisi et alios ad ejusdem versutiæ perversitatem informent, enutrisse *catulos ericius* dicitur. Qui *et circumfodit*, quia semper isti tales undique perscrutantur, et causas excusationum inquirunt. *Et fovit catulos in umbra ejus* simulationis ac defensionis, quia sub protectione majorum proficiunt ad iniquitatem, et roborantur minores. Sequitur

« Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum. » *Milvi congregati sunt*, quia cupidi et raptores sibi consociantur, et in commune rapinis inhiant. Sequitur :

VERS. 16.— « Requirite diligenter in libro Domini et legite : unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit : quia, quod ex ore meo processit, ille mandavit, et spiritus ejus congregavit ea. »

Librum *Domini* fortasse dic istum, quem Domino jubente scripsit, in quo præcipit, ut diligenti investigatione requiramus quid hæc volucres et bestiæ, quas nunc posuit, significent, id est agni et hirci, et tauri, et arietes atque onocrotalus, et ericius, et ibis, et corvus et cætera hujusmodi. Singula enim quæque certam in reprobis significationem habent, et unum ex eis non remansit, sed omnia hæc sunt in illis. *Alter* ex arietibus vel ibidibus sive pilosis aut milvis *alterum non quæsivit*, quia sese pariter absque labore inquisitionis invenerunt. Tanta quippe iniquorum abundantia est, ut non necesse sit, ut alter alterum quærat. Et ut nos ista diligenter investigare non pigeat, nequaquam hæc a semetipso propheta locutus est, sed *quod ex* ejus *ore* processerit, Dominus præcepit, ut loqueretur, *et spiritus ejus* in corde prophetantis *congregavit* hæc omnia.

Vel certe librum *Domini* memoriam omnium, quæ est apud sapientiam ejus, intelligere possumus, de qua per Malachiam dicitur : « Attendit Dominus et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo (*Malach.* III, 10). » In quo scilicet libro requirere diligenter ista jubemur et legere, quoniam *unum ex his non defuit*, quia vigilanter indagare debemus hæc apud notitiam sapientiæ Dei, et pensare qualiter ibi habeantur ista, quæ sub metaphora volucrum immundarum atque bestiarum nobis describuntur, et terræ in perpetuas solitudines conversæ. Sequitur :

VERS. 17. — « Et ipse misit eis fortem, et manus ejus divisit eam illis in mensura : usque in æternum possidebunt eam, in generatione et generationem habitabunt in ea. »

Qui « dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine (*Coloss.* I, 12), » *ipse misit* peccatoribus *sortem* reprobationis, ut omnes in una sorte damnationis tenerentur. *Et manus ejus divisit eam illis in mensura*, ut juxta modum culpæ sit et modus vindictæ, quatenus homicidæ cum homicidis, fornicatores cum fornicatoribus, fallaces cum fallacibus, avari cum avaris, et quique similes cum suis similibus puniantur. *Usque in æternum possidebunt eam* damnationis sortem, ut sine fine ardeant, qui finem suis iniquitatibus, dum hic viverent, non posuerunt. Et interim ante diem quoque judicii ab exitu suo de corporibus habitabunt in eadem sorte pœnarum, vel ardente terra in tempore generationis Synagogæ et generationis Ecclesiæ.

Descripta itaque reproborum moderna conversatione et futura ipsorum damnatione sub specie immundarum avium et bestiarum, atque regionis in solitudinem æternam et combustionem versæ, nunc ad electorum partem propheta se confert, eorumque conversationem et vitam atque glorificationem sub typo solitudinis in omnem amœni-

Digitized by Google

tatem conversæ describit. Nam de gentilitate subjungit :

CAPUT XXXV.

Vers. 1.— « Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. »

Vers. 2.— « Germinans germinabit, et exsultabit lætabunda, et laudans. gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron. »

Deserta namque gentilitas fuit, in qua patriarcha non erat, propheta non erat. Namque ibi, qui ratione uteretur ad intelligendum Deum, non erat, homo ibi non erat. Sed et *invia* fuit hæc gentilitas, ad quam via Domini verbo non patuit. Redemptore quippe nostro veniente sic accepit vocationem gratiæ, ut non in ea prius fuerit via prophetiæ. Sed ad Christum conversa lætata est, *et* exsultavit audiens ab apostolo : « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete (*Philip.* IV, 4). » Et floruit sicut *lilium*, quia ibi se candida et odorifera justorum vita expandit

Et *germinans* in corde germinavit in opere, *et* exsultavit *lætabunda et laudans*, quia in Dei laudibus delectata est. Libanus autem, sicut diximus *candidatio* vel *dealbatio* interpretatur ; Carmelus vero *cognitio circumcisionis ;* Saron *cantans tristitiam. Gloria* ergo *Libani*, id est dealbationis, *data est ei* juxta illud Psalmistæ : « Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* L, 9). » Et *decor Carmeli datus est ei*, ut noverit se circumcidere corde et lingua et manibus atque oculis et auribus. *Et* decor *Saron* datus est illi, quia per donum gratiæ cœlestis delectatur fletibus, et pro cantu tristitiam diligit. Dealbata est itaque candore justitiæ conversa gentilitas, et spiritaliter ab omnibus vitiis circumcisa, atque compunctioni cordis studens tristitiam decantat. Sed quid post hæc agendum est, nisi ut sic mundata ad visionem supernæ majestatis introducatur, atque temporali tristitiæ lætitia succedat æterna? Unde subjungitur :

« Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri. » *Gloriam* namque *Domini* reproborum nullus videbit, sed isti gloriam majestatis et decorem conspicient, quia « Regem in decore suo videbunt (*supra* XXXIII, 17). » Sed quisquis ad hanc pervenire sperat visionem, quotidie magis magisque semetipsum in bonis actionibus exercere debet. Unde sequitur :

Vers. 3.— « Confortate mane dissolutas. »

Quia « qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis (*Prov.* XVIII, 9). » — « Et genua debilia, » id est actiones infirmas « roborate, » ut in pravis operibus jam non flectantur et ad peccandum ex cordis debilitate non curventur. Sequitur :

Vers. 4. — « Dicite pusillanimis : Confortamini, nolite timere : ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, ipse veniet, et salvabit vos. »

Vos, inquit, o doctores, *dicite* his qui pusillo animo sunt : *Confortamini*, et viriliter agite, et confortetur cor vestrum. « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Matth.* X, 25). » *Ecce* enim *Deus vester*, pro quo patimini, retribuet tribulationem his qui vos tribulant, et vobis, qui tribulamini, requiem in revelatione Domini nostri Jesu Christi de cœlo : *Ecce Deus vester ultionem adducet* super eos justæ *retributionis.* Deus *ipse* per semetipsum *veniet, et salvabit vos.* Eodem spiritu Apostolus Philippensibus ait : « Audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii, et in nullo terreamini ab adversariis quæ est illis causa perditionis vobis autem salutis (*Philip.* I, 27). Nam quod his, qui pusillo animo sunt propheta dicit : *Confortamini*, hoc est, quod Apostolus hortatur discipulos, ut « Stent in uno spiritu unanimes collaborantes fidei Evangelii. » Et quod Isaias adjungit : *Nolite timere*, hoc est, quod Paulus subjicit : « Et in nulla terreamini ab adversariis. » Quodque sequitur hic : *Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis*, illic adjicitur : « Quæ est illis causa perditionis. » Et quod hic subjungitur : *Deus ipse veniet et salvabit vos*, ibi subditur : « Vobis autem salutis. » Sed quid in illo Salvatoris adventu fiat, cum omni desiderio audiamus. Sequitur :

Vers. 5.— « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. »

Vers. 6. — « Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. »

In hac enim vita cæci sumus, quoniam a paradisi luce depulsi damnationis nostræ tenebras patimur. Unde et Moysi dictum est : « Non poteris videre faciem meam : non enim videbit me homo, et vivet (*Exod.* XXXIII, 20). » Surdi quoque nunc sumus quia internæ laudis carmina, quæ ab angelis decantantur, audire nequimus. Sed et claudi sumus, dum hic vivimus, quia, licet mens rectitudinis viam teneat, corpus tamen ex infirmitate vacillat. Unde Apostolus : « Condelector, inquit, legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis (*Rom.* VII, 22). » Et item : « Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati (*ibid.*, 25). Claudus ergo est, qui mente servit legi Dei, carne autem legi peccati.

Muti etiam sumus, quia supernas laudes, ut oportet, loqui non possumus. Unde David cum diceret : « Lauda, anima mea, Dominum (*Psal.* CXLV, 1), » quia se, dum adhuc viveret, mutum esse cognovit, mox addidit : « Laudabo Deum in vita mea (*ibid.*), » id est post corporum resurrectionem. Et apud eloquentiam Dei mutum se penitus et irrationabilem se conspexit dicens : « Ut jumentum factus sum apud te (*Psal.* LXXII, 22. » Itaque cæci et surdi sumus, et claudi et muti. Sed veniente Domino *aperientur oculi cæcorum*, quia tunc mentis nostræ fugata caligine facultas cum videndi notæ

Digitized by Google

tribuetur, sicut ait ipse : « Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam (*Joan.* XVII, 24). » — « Scimus enim, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*Joan.* III, 2).

Et aures surdorum patebunt, quia tunc reseratis auribus cordis non solum angelicos concentus, sed et ipsum Dei singulare Verbum manifeste audiemus, sicut pollicetur dicens : « Palam de Patre annuntiabo vobis (*Joan.* XVI, 25). »

Et tunc saliet sicut cervus claudus, quia sanctorum corpora mutabuntur omni molestiæ sensu, atque omni corruptibilitate et tarditate detracta, et omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem puritatem ac stabilitatem mutata atque conversa. Illi ergo salient *sicut cervus*, quia fragilitate nulla vel tarditate præpedientur. Unde et per Malachiam eis de agilitate illa promittitur : « Egrediemini et salietis sicut vituli de armento (*Malach.* IV, 2). »

Et aperta erit lingua mutorum, quia tunc in Dei laudes aura justorum reserabuntur, cum audierint : « Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus (*Apoc.* XIX, 5). » Et loqui tunc poterunt illa arcana verba a Paulo quondam in paradiso audita, « quæ modo non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). »

In primo quoque adventu ejus non solum corporaliter, sed et spiritaliter impleta sunt, et implentur quotidie, dum hi, quos infidelitas cæcaverat, mentis oculos ad veritatis lumen aperiunt; et qui Scripturarum verba surdis auribus audire non poterant, post ad Dei præcepta lætantur; qui prius erant claudi, et rectam viam non tenebant, saliunt in profectu justitiæ sicut cervi, imitando agiles et spiritales viros; et lingua mutorum aperitur, quorum Satanas ora clauserat, ne possent Deum verum confiteri. Sequitur :

« Quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. »

VERS. 7. — « Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. »

Quid per aquas et torrentes accipere debeamus, Salomon indicat dicens : « Aqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiæ (*Prov.* XVIII, 4). » Hæ igitur *aquæ*, id est verba cœlestis doctrinæ, vel etiam aquæ baptismatis *scissæ* sunt, id est emanaverunt *in deserto* gentilitatis, *et torrentes* sapientiæ redundaverunt *in solitudine* gentium prædicantibus apostolis. *Et* ipsa gentilitas, *quæ erat arida*, id est absque omni humore sapientiæ, facta est *in stagnum*, id est in immensam profunditatem spiritalis intelligentiæ, *et* quæ erat *sitiens*, nunc emittit *fontes* doctrinarum cœlestium. Sequitur :

« In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur vir calami, et junci. »

Quid in calamo nisi scriptores ? quid per juncum, qui juxta aquam semper in humore nascitur, nisi pusilli ac teneri auditores sacri eloquii designantur ? *In cubilibus* ergo draconum *calami et junci vir*- A *oritur*, quia in eis populis, quos antiqui hostis malitia possidebat, et doctorum scientia, et auditorum obedientia coacervatur. Sed quia ad humorem aquæ et juncus et calamus nasci solet, atque ex una eademque aqua uterque proficiunt, et calamus quidem ad scribendum sumitur, cum junco autem scribi non potest. Quid in junco et calamo accipere debemus, nisi quod una est doctrina veritatis, quæ multos auditores irrigat, sed irrigati alii videlicet ad hoc usque proficiunt in verbo Dei, ut etiam scriptores fiant tanquam calami; alii vero verbum vitæ audiunt, et bonæ spei, et rectorum operum viriditatem tenent, sed tamen ad scribendum proficere non possunt ? Sequitur :

VERS. 8. — « Et erit ibi semita et via, et via B sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus. »

Erit ibi semita in martyribus, *via* in confessoribus. Vel *semita* in his, qui cuncta, quæ mundi sunt, deserunt : via in eis, qui licite mundanis utuntur. Et hæc *via*, id est conversatio fidelium, qua ad patriam tendunt, *vocabitur sancta*, ut quicunque peccatis inquinatus fuerit, transire per eam nequeat. Nam juxta Dionysium (*De divin. nom.* c. 12): « Sanctitas est omni inquinatione libera, et perfectissima, et incontaminatissima puritas. » *Non* ergo *transibit per* sanctitatis viam, quicunque vitiorum sordibus *pollutus* fuerit, sed « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini (*Psal.* CXVIII, 1). » Sequitur : C

« Et hæc erit vobis directa via, ut stulti non errent per eam. »

VERS. 9. — « Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi. »

Electorum via, qua per observantiam mandatorum Dei festinant ad patriam, *directa* est. *Stulti* vero dicuntur, qui relicta noxia sapientia didicerunt laudabilem fatuitatem, sicut ait Apostolus : « Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens (*I Cor.* III, 18). » Illi ergo *stulti non* errant per viam justitiæ, sed tanto cautius incedunt per eam, quanto humilius se stultos esse cognoscunt. « Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientes (*ibid.*, 27). » Nam quia sapientia D hujus mundi stultitia est apud Deum, tanto unusquisque amplius intus stultus fit, quanto conatur exterius sapiens videri.

Leo autem diabolus est, qui *non erit ibi*, id est in via justorum, quia de malignis spiritibus dictum est : « Juxta iter scandalum posuisti mihi (*Psal.* CXXXIX, 6). » Et *mala bestia* hostis antiquus est, qui hujus mundi rapinis insidians humana quotidie morte satiatur, qui ad rapiendas mortis tempore peccatorum animas violentia crudelitatis efferatur. Qui *non ascendet per eam*, qua gradiuntur electi, viam, quia sine venia damnatus nulla emendatione revertetur ad cœlestem patriam. *Nec invenietur ibi*, id est in via justitiæ, quia per viam iniquitatis semper incedit.

Digitized by Google

Vel juxta Gregorium (lib. XXVII *Mor.*, c. 26) dicamus : « Mala bestia non transibit per eam, » id est Ecclesiam. Bestia namque, sicut diximus, hostis ille est, qui deceptionem primi hominis sævus impetiit, et integritatem vitæ illius mala suadendo laniavit. Contra quem nunc de sancta electorum Ecclesia in antiquo statu restauranda dicitur : « Et mala bestia non transibit per eam, » atque additur : « Nec invenietur ibi, » subaudi, olim serpens in paradiso, quia per Christi gratiam meliora sunt adepturi, quam per Adam perdidimus. Nusquam est enim hostis in illa vita, vel insidiator invenietur, aut metuetur. Facta ergo via in gentilitate, quæ prius erat deserta et invia, subditur :

« Et ambulabunt, qui liberati fuerint. »

VERS. 10. — « Et redempti a Domino convertentur et venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. »

Qui per Christum *liberati et redempti fuerint* de captivitate Babylonis, id est « de vana sua conversatione paternæ traditionis, ambulabunt (*I Petr.* I, 18) » per viam justitiæ, quam illis Deus in hac solitudine præparavit : *et convertentur* ad antiquam paradisi sedem, *et venient in Sion*, id est supernam Jerusalem *cum laude* Salvatoris : *et lætitiæ*, quæ fine carebit, *super caput*, id est super mentem ipsorum erit. Appellatione enim capitis mens vocatur; quia, sicut caput membra regit, ita cogitationes mente disponuntur. Adhuc vero ad multiplicem felicitatis cumulum additur, quia *gaudium et lætitiam obtinebunt*, et possidebunt. Quid enim facerent in illa beatitudine nisi gaudere semper, et lætari de visione Creatoris? Unde et per Psalmistam dicitur : « Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia (*Psal.* LXVII, 4). » *Et fugiet dolor et gemitus*, quia nihil ultra sentient afflictionis, nihilque jam, quod eos contristare valeat, erit, sed tranquilla et jucunda illis erunt omnia. Sequitur :

CAPUT XXXVI.

VERS. 1. — « Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiæ ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, et cepit eas. »

In Scriptura sacra et ea, quæ accipi secundum historiam possunt, plerumque spiritaliter intelligenda sunt, ut fides habeatur in veritate historiæ, et spiritalis intelligentia capiatur de mysteriis allegoriæ, sicut ea, quæ nunc de rege Assyriorum et Ezechia narrantur, veraciter quidem secundum historiam tunc temporis facta esse credimus, sed tamen alia, quæ Novo Testamento facienda erant, præfigurasse.

Quid enim per Ezechiam regem Juda, qui *fortitudo Domini*, sive *fortis Dominus* interpretatur, nisi rex noster Christus, qui Dei virtus est, designatur? Quid per quartum decimum annum regis Ezechiæ, nisi tempus illud exprimitur, quo Christus inter homines conversans corporaliter utrumque Testamentum adimplevit? Quaternarius enim Novum Testamentum designare solet propter quatuor libros Evangelii, denarius vero legem propter Decalogum ejus. Quid per regem Assyriorum nisi diabolus accipitur? Qui vocatur Sennacherib, id est *levans deserta*, quoniam infidelium corda contra fideles excitans in persecutionem elevat. Quid per *civitates munitas* nisi mentes Judæorum figurantur, qui se contra divinam prædicationem munierant? Igitur *in quarto decimo anno Ezechiæ rex Assyriorum cepit omnes civitates munitas*, quia apparente Domino in carne diabolus Judaicum populum sibi subjugavit. Sequitur :

VERS. 2. — « Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Jerusalem ad regem Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquæductu piscinæ superioris in via Agri fullonis. »

Rabsaces interpretatur *princeps deosculans* sive *multus osculo*. Et quid per Rabsacen nisi ficta Scribarum et Pharisæorum amicitia designatur, cum dicunt : « Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces (*Matth.* XXII, 16), » et cætera hujusmodi? Lachis vero dicitur *interest* vel *sibimet vir*. Quid per Lachis nisi populus Hebræorum accipitur qui inter eos populos legem solus percepit, et sibi soli viriliter egit? Quid vero per Jerusalem nisi Ecclesia designatur? Captis ergo civitatibus Juda *rex Assyriorum misit Rabsacen de Lachis in Jerusalem ad Ezechiam*, quia, subjugatis in perfidia Judæis, antiquus hostis principes sacerdotum et Scribas et Pharisæos ex eodem populo Judæorum adversus Christum instigavit, et adversus fideles ejus; et misit eos *in manu gravi*, id est cum fortitudine populi Synagogæ.

Quæ est autem *piscina* superior nisi præcellens Evangelii doctrina? Et quis aquæductus *piscinæ* hujus nisi latens scientia Testamenti Veteris, in qua tegitur, et de qua tandem procedit exuberans fons evangelicæ prædicationis? *Stetit* ergo *Rabsaces*, quia Scribæ et Pharisæi hypocritæ persistentes in vetustate litteræ non venerunt ad novitatem spiritus. Dicitur autem de Christo per Malachiam : « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum (*Malach.* III, 2). » Si ergo Christus est quasi herba fullonum, quis est ager in quo nata est hæc herba, nisi populus Judæorum? Ager itaque *fullonis* est Judaicus populus. *Via* ergo *Agri fullonis* actio Synagogæ, in qua scilicet via *stetit Rabsaces*, quia Pharisæi et Scribæ non dimiserunt carnales observantias.

Sic tamen Pharisæos, et Scribas atque pontifices per Rabsacen intelligamus, ut cæteros principes adversariorum Ecclesiæ secundario per eum posse accipi non negemus, id est hæreticorum et gentilium patronos. Unde et in libro Regum (*IV Reg.* XVIII, 17) venisse cum eo referuntur alii duo principes, id est Tharthan et Rabsaris. Nam et Ezechias sanctos rectores Ecclesiæ, qui membra Christi sunt, designare forsitan potest; et quartus decimus annus Eze-

Digitized by Google

chiæ tempus eorum, quo Testamentum utrumque custodiunt; *rex Assyriorum* tumidum sensum perversorum dogmatum; *civitates Juda* munitæ mentes eorum qui se Christianos fatentur, et corda sua verbo prædicationis claudunt. *Cepit* ergo *rex Assyriorum civitates Juda munitas*, quia tempore persecutionis facile consenserunt errori gentilium aut hæreticorum Christiani, qui doctrinam Ecclesiæ cum obedientia non suscipiebant. Lachis, quæ dicitur *interest*, plebem hæreticorum exprimere potest, quæ velut media inter nos et gentiles est. Sed et hoc quod Lachis interpretatur *sibimet vir*, ostendit, quod hæretici sunt scipsos amantes: « Charitas enim non quærit quæ sua sunt (*I Cor.* XIII, 5). » Sed hæretici omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi. *De lachis* ergo, id est de plebe hæreticorum *venit Rabsaces*, id est unusquisque hæresiarcha in Jerusalem, id est contra Ecclesiam.

Ager autem *fullonis*, in quo sordes lavantur, populus est credentium, in quo Christus fullo delet maculas cordium. *Via agri fullonis* actio Christianæ plebis, *piscina* superior divina Scriptura. Quæ scilicet piscina est *in via agri fullonis*, quoniam mandata Scripturæ cœlestis in operatione sunt fideles populi. Aquæductus *piscinæ* hujus occulta est prædicatio hæreticorum velut ex Scriptura sacra latenter educta. Unde meretrix apud Salomonem, quæ typum hæresis tenet, dicit: « Aquæ furtivæ dulciores sunt (*Prov.* IX, 17). » *In* hoc itaque *aquæductu stetit Rabsaces* contra Jerusalem, quoniam hæresiarchæ contra Ecclesiam in sua furtiva prædicatione constiterunt. Sed et principes erroris gentilium iste Rabsaces figurare potest. Sed nos ad cætera transeamus. *Sequitur*:

VERS. 3. — « Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis. »

Eliacim interpretatur *Deus resuscitavit*, Helcias *pars Domini*, Sobna *sedens*, Joahe *Domini frater* vel *fratris factura*, Asaph *congregans*. Et quid per *Eliacim* præpositum domus Domini figuratur nisi apostolorum præeminens apex? Qui jure vocatur *Deus resuscitavit*, quia præcipue resurrectionem Salvatoris asserere studuit. Scriptum est enim, quia « virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri (*Act.* IV, 33). » Qui sunt filii partis Domini, id est electionis, sicut ipse ait: « Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVIII, 9). »

Scriba vero scriptor est, sicut Jeremias declarat, dicens de quibusdam: « Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum (*Jer.* VIII, 8). Et quid per hunc scribam nisi patres designantur, qui canonicas Scripturas composuerunt; unde et Sobna, id est *sedens* appellatur, quia in sessione designatur auctoritas magisterii, sicut Dominus insinuavit, dicens: « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite (*Matth.* XXIII, 2). »

Commentarios autem vocare consuevimus expositiones librorum. Quid ergo per *Joahe*, qui *a* suis *commentariis* egressus est cum aliis duobus ad Rabsacen, nisi expositores Scripturarum sacrarum figurantur? Unde et Joahe, id est *Domini frater* nuncupatur, quia sancti doctores per vitæ meritum facti sunt propinqui Salvatoris, qui ait: « Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror et mater est (*Matth.* XII, 50). » Et illud quod Joahe *fratris factura* interpretatur, in eodem sensu accipitur: « Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus (*Ephes.* II, 10). » Nam ipse Christus frater nobis fieri dignatus est. Inde est, quod Joahe filius Asaph, id est *filius congregantis* est. Congregans quippe Deus appellatur, quoniam electorum Ecclesiam ex omnibus populis et nationibus congregat, sicut scriptum est: « Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus, qui congregat dispersos Israel (*Isa.* LVI, 7). » Quod imitantes sacri eloquii tractatores gregem fidelium adunare satagunt, et ideo *filii congregantis* merito dicuntur.

Possumus et sanctos prædicatores per Sobnam scribam intelligere. Scriba enim non semper scriptorem, sed et sapientem plerumque designat, sicut Dominus ostendit, ubi ait: « Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII, 52). » Per Joahe vero commentariensem eos qui gesta singulorum temporum post apostolos scripserunt, accipere possumus. Commentariensis enim, id est cancellarius vocatur, qui gesta rerum conscribit, et commentarii nuncupantur libelli chartularum, quas scribit.

Egressus est itaque Rabsacen *Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis*, quoniam apostoli et Scripturarum sanctarum auctores, vel Ecclesiæ præpositi, sapientes, atque sacri eloquii expositores, sive gestorum sacrorum scriptores rationem de nostra fide sæpius reddiderunt Judæis et gentilibus atque hæreticis. Ad eum namque a nobis ipsis egredimur, ad quem nostræ mentis arcana loquendo proferimus. Sequitur:

VERS. 4. — « Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis? »

VERS. 5. — « Aut quo consilio vel fortitudine rebellare disponis? Super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? »

Rabsaces, quia typum Judæorum gerit et hæreticorum atque gentilium, voce omnium istorum loquitur. Et primo quidem voce Judæorum atque gentilium inchoat loqui: *Dicite*, inquit, vos præpositi, *dicite Ezechiæ*, id est Ecclesiæ, quæ corpus Christi est. Una enim persona est Christus et Ecclesia, et ideo quod dicitur de Christo, nunc ad caput, nunc ad corpus est referendum. *Hæc dicit rex magnus, rex*

Digitized by Google

Assyriorum, id est ingens doctrinæ nostræ sensus : *Quæ est ista fiducia, qua confidis.* o plebs Christiana? Putant enim Judæi et gentiles frustra nos in Christo confidere et sensum dogmatum suorum Evangelio præferunt. Sensus autem erroris eorum pro diabolo accipitur, quem significat rex Assyriorum. Nam et cum dicitur, quia « intravit Satanas in Judam (*Luc.* XXII, 3), » sensum et malitiam Satanæ in eum intelligimus intrasse, non ipsum Satanam essentialiter.

Quæ est, inquit, *ista fiducia*, quam nuper assumpsisti, ut non timeas eos qui occidunt corpus; *Aut quo consilio vel fortitudine disponis* adversum me *rebellare?* Rebellamus enim contra sensum Judæorum et gentilium, quia ad Evangelium conversi carnalem legis intelligentiam et errorem idololatriæ jam non recipimus, sed impugnamus. Et hoc facimus *consilio*, de quo scriptum est : « Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus (*Prov.* VIII, 12); » et *fortitudine*, qua dicitur : « Omnia possum in eo qui me confortat (*Philip.* IV, 13). » Sed nostrum consilium aut fortitudinem cæcus hostis nescivit. Et repetens : *Super quem*, inquit, *habes fiduciam, quia recessisti a me? Recessimus* enim ab idololatria, *recessimus* a carnali doctrina Pharisæorum *fiduciam* habentes in Christo. Deinde Judæorum et hæreticorum voce subjungit Rabsaces, quod ad ipsum caput nostrum est referendum.

VERS. 6. — « Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam : sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo. »

Pharisæi namque et hæretici, qui quasi de propria religione gloriantur, *Ægyptum*, id est gentilitatem deridendo vocant *baculum arundinis confractum*, quia foris nitens, intus vacua erat, et mentis ejus robur peccatis cedens erat confractum. *Cui si* quisquam ratione utentium inniti *volens* ad bene agendum superponeret manum suæ actionis ad sustentandum, mox ejus actio lacerabatur ab ea, et peccato quasi sanguine operiebatur. *Sic Pharao rex Ægypti* faciebat, id est tales erant sapientes gentilium omnibus, qui se eis committebant volentes in doctrina eorum bene vivere. Sed tamen et in his confisus est Dominus, quia conversos ad fidem suam fecit eos prædicatores. Post hæc Rabsaces voce gentilium addit :

VERS. 7. — « Quod si responderis mihi : In Domino Deo nostro confidimus : nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria, et dixit Judæ et Jerusalem : Coram altari isto adorabitis? »

VERS. 8. — « Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum : nec poteris præbere ex te ascensores eorum. »

VERS. 9. — « Et quomodo sustinebis faciem judicis unius ex servis Domini mei minoribus. »

Hæc ad populum dicta sunt. *Excelsa* vero *et altaria* doctrinas et sectas hæreticorum intelligimus, quas iste *Domini* esse dicit, quia gentiles esse putant a Deo prædicatores hæreticorum. Sed has *abstulit Ezechias*, id est Christus, *et dixit Judæ et Jerusalem*, id est Ecclesiæ suæ : *Coram altari isto adorabitis*, id est in una fide Catholica Deum colentis. *Equorum* autem vocabulo dignitates sæculi designantur, Salomone dicente : « Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram (*Eccli.* X, 7), » id est peccatores in dignitatibus sublimes, et justos viles ac despectos velut peccatores.

In millenario autem consummata numerorum perfectio est. *Duo millia* igitur *equorum* offert, qui et foris omnem sæculi gloriam, et intus omnem superbiam dare vel polliceri paratus est sibi consentientibus, sicut et ipse rex Assyriorum regi nostro dicere cæcus præsumpsit, cum tentavit eum : « Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. Tu ergo si adoraveris me, tua erunt omnia (*Luc.* IV, 6). » Sic et in hoc loco populus gentilium vel quilibet princeps eorum populo fidelium dicit : « Trade te domino meo regi Assyriorum, id est consentiens esto culturæ idolorum, *et dabo tibi duo millia equorum*, id est universis sæculi dignitatibus te sublimabo, *nec poteris ex te præbere ascensores eorum*, id est non invenies ex tuis, qui tot honores percipiant, quot ego dare volo.

Sed post blandimenta seductionis terrorem subjungit : *Quomodo*, inquit, *sustinebis faciem judicis unius*, id est cujuslibet principis gentium, si contra te venerit iratus? Sic loquebantur olim potentes sæculi martyribus nostris. Rursus voce Pharisæorum et hæreticorum adjungit Rabsaces dicens ad Christum :

« Quod si confidis in Ægypto, in quadrigis et equitibus :

VERS. 10. — « Et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dixit Dominus ad me : Ascende super terram istam, et disperde eam. »

In Ægypto, id est in gentilitate Christus confidit, Christus confidit *in quadrigis et equitibus*, de quibus ei dictum fuerat, quia « ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Equi namque ejus sancti prædicatores sunt, equites ejus animæ prædicatorum. Super equos suos ascendit Dominus sicut scriptum est : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Quadrigæ ejus evangelicæ prædicationes sunt. Sed Pharisæi *non sine Domino* ascendisse se dicunt ad terram Ecclesiæ disperdendam, quia divinæ voluntati deservire se putant, dum novæ fidei prædicatores persequuntur, sicut ipse Dominus prædixit : « Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI, 2). » Unde et Apostolus testimonium illis perhibet, quod « æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam (*Rom.* X, 2). » Hoc est, quod iste nunc ait : *Dominus dixit ad me :*

Digitized by Google

Ascende super terram istam, id est super Ecclesiam, *et disperde eam*. Similiter et hæretici, quia se pro Deo loqui arbitrantur, a Deo se missos adversus Ecclesiam asserunt. Sequitur :

Vers. 11. — « Et dixit Eliacim et Sobnas et Joahe ad Rabsacen : Loquere ad servos tuos Syra lingua : intelligimus enim. Ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi, qui est super murum. »

In eo quod dicitur : *Loquere ad servos tuos*, humilitas fidelium ostenditur. *Syra lingua* vox infidelium est ; Judaica lingua vox fidelium. Et Judæi plerumque atque hæretici loquuntur *judaice*, id est vocem rectæ confessionis emittunt, dum audiuntur a Catholicis, ut facilius decipiant. Unde Rabsaci per Subnam eorum genti dicitur · *Loquere Syra lingua*, id est loquere ut infidelis, loquere ut barbarus. *Ne loquaris ad nos judaice*, id est velut Catholicus, aut qui Deum noverit, ne per hanc simulationem fideles ad te trahas. Hi sunt enim sedentes *super murum*, id est fundati in Christo, qui murus est nobis sicut scriptum est : « Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus (*supra* XXVI, 1). » Sequitur :

Vers. 12. — « Et dixit ad eos Rabsaces : Nunquid ad dominum tuum, et ad te misit me dominus meus, ut loquerer omnia verba ista, et non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum. »

Nequaquam ad Dominum vestrum, id est ad Christum, et ad hos tres viros, id est ad Ecclesiæ præpositos missus est, ut ait : ita loquitur, *sed ad viros potius, qui in muro sedent*, id est ad populares, qui sunt in Ecclesia. Neque enim seductores quærunt alloqui robustos et eruditos, qui mente trahi jam nequeunt, sed infirmos et idiotas, qui facile decipiantur. Apostolus autem (*Rom.* x), qui fuerat circumcisus octava die ex genere Israel de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela, propter Christum hæc omnia detrimentum fecit, et arbitratus est *velut stercora*, ut Christum lucrifaceret, et inveniretur in illo non habens suam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Jesu Christi. Hæc sunt *stercora*, et hæc est urina pedibus fidelium conculcata, quæ Rabsaces iste comedi rursus, et bibi vult ab eis. Sic enim scriptum est in Actibus apostolorum : « Quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia, nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari (*Act.* XV, 1). » Et iterum : « Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt dicentes : quia oportet circumcidi eos præcipere quoque servare legem Moysi (*ibid.*, 5). » Unde et hic subditur :

Vers. 13. — « Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna judaice, et dixit : Audite verba regis magni, regis Assyriorum. »

Vers. 14. — « Hæc dicit rex : Non seducat vos Ezechias super Domino, quia non poterit eruere vos. »

Vers. 15. — « Et non vobis tribuat Ezechias fiduciam super Domino dicens : Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. »

Judaice enim *clamavit Rabsaces*, quia quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant, errorem docebant. Nam quod hic dicitur *judaice*, hoc ibi *qui crediderant*. *Judaice* enim clamant, qui quasi sub nomine Christi, quod loquuntur, pronuntiant. Ubi et hoc notandum, quia idem sunt Pharisæi et hæretici, dum dicitur : « Quia surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum. » *Audite*, inquiunt, *verba regis magni*, id est doctrinam largi sensus nostri. *Non seducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos*, hoc est dicere : « Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. » *Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias*, id est Christus, *super Domino dicens : Eruens liberabit vos Dominus*, id est per gratiam Dei sine legis observatione salvabimini. Et *non dabitur civitas ista*, id est Ecclesia *in manu regis Assyriorum*, id est in actionem carnalis intellectus Pharisæorum. Vel non dabitur in manu hostis antiqui populus Ecclesiæ, cum de hac vita migraverit. Sequitur :

Vers. 16. — « Nolite audire Ezechiam : hæc enim dicit rex Assyriorum : Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque vineam suam, et aquam cisternæ suæ. »

Vers. 17. — « Donec veniam et tollam vos ad terram, quæ est ut terra vestra, terra frumenti, et vini, terram panum et vinearum. »

Facite, inquit, *mecum benedictionem*, id est communicate hæreticis *et egredimini ad me* de Ecclesia, *et comedite unusquisque vineam suam*, id est agat unusquisque proprium opus, quod agere solebat Vineæ enim nostræ sunt actiones in quibus quotidiano labore desudamus. *Et unusquisque ficum suam* comedat, id est quod sibi bonum et dulce visum fuerit, assumat. *Et bibite unusquisque aquam cisternæ suæ*, id est scientiam suam, quam apud nos singuli reconditam habetis. Et interim hæc agite, *donec veniam*, *et* penitus vos ab Ecclesia separans *tollam vos ad terram quæ est ut terra vestra*, id est ad hæreticorum congregationem, quæ aliquo modo similis est Ecclesiæ, ubi videtur esse frumentum internæ refectionis, et vinum spiritalis debriationis, panis intelligentiæ, et vinea rectæ actionis. Hæc enim se omnia jactant habere hæretici. Sequitur :

Vers. 18. — « Non conturbet vos Ezechias dicens : Dominus liberabit vos. Nunquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? »

Vers. 19 — « Ubi est deus Emath, et Arphad? ubi est deus Sepharvaim? nunquid liberaverunt Samariam de manu mea? »

Digitized by Google

Vers. 20. — « Quis ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? »

Vox est regis Assyriorum per os Rabsacis, id est hostis antiqui per hæreticos. *Non vos*, inquit, *conturbet Ezechias*, id est Christus dicens : *Dominus liberavit vos* ab ira ventura vel ab hoste antiquo. Et doctrinam Salvatoris æquiparans doctrinæ gentilium ore canino blasphemat, quia sicut illi per eos nequiverunt salvari, ita nec nos per istam poterimus. Quid enim deos gentilium nisi spiritales sensus singularum sectarum appellat? Unicuique Deus est, quod specialiter colit. Sapientibus hujus mundi deus est sapientia singularis. Sed *dii gentium*, id est uniuscujusque secta gentilium *non liberaverunt unusquisque terram suam*, id est plebem suam *de manu regis Assyriorum*, id est diaboli, quia nemo per doctrinas eorum salvatus est.

« Ubi est, inquit, Deus Emath? » etc. Emath *indignatio* est, Arphad *sanatus* vel *sanans*, Sepharvaim *libri* vel *litteræ*. Fuerunt autem quidam philosophi, qui se justos æstimantes indignabantur cæteris male agentibus, et acriter eos redarguebant, et dum se sanatos a languore peccatorum crederent, alios etiam sanare se dicebant. Librorum quoque lectionibus et litterarum studiis erant dediti. Sensus igitur eorum, quo peccantibus indignabantur, *deus Emath*, id est deus indignationis vocatur; sensus quo se putabant sanatos, aliisque salutem pollicebantur; *deus Arphad*, id est deus sanati vel sanantis : intellectus, quem in libris sæcularibus habebant; *deus Sepharvaim*, id est deus librorum et litterarum. Sed ubi est, inquit, iste sensus indignationis et sanantis, et iste sensus litterarum?

Nunquid liberaverunt Samariam, id est gentem idololatrarum, *de manu mea?* Nequaquam. Non enim poterunt gentiles salvari per inanes philosophorum religiones. Samaria vero pro idololatris posita est, quia ibi populus Israel ad cultum idolorum conversus est.

Quis est, inquit, *ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea?* Quæ est ex omnibus doctrinis gentilium, quæ sectatores suos ab æterna morte liberaverit? *Ut eruat Dominus*, id est doctrina Domini *Jerusalem*, id est Ecclesiam *de manu mea?* Præsumit enim improbus hostis quia sicut fideles rapere non omisit propter illa, quæ colebant; sic et fideles adhuc rapere non desistit propter Dei doctrinam, cui serviunt. Sed, protegente Domino, non ita nobis faciet, sicut infidelibus fecit. Potest et superbus sensus hæreticorum hæc loqui, et præsumere, quia sicut gentiles quoque velut a religione convertens ad se traxit? ita et catholicos sit rapturus. Sed post Rabsacis hujus insaniam propheta subjungit de viris in muro sedentibus :

Vers. 21. — « Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim rex dicens : Ne respondeatis ei. »

Hex Christus præceperat habitatoribus erusalem, id est his qui in Ecclesia sunt, ne responderent ei dicens per Salomonem : « Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis (*Prov.* xxvi, 4). » Populus huic respondere prohibitus est, quia sapientes hæreticis respondere debent, qui dolos eorum dissipare sciant, non simplices et imperiti, qui seduci possunt Sequitur :

Vers. 22. — « Et ingressus est Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, et Sobnas scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiaverunt ei verba Rabsacis. »

Ingressi sunt ad Ezechiam, quia in secreto mentis audierunt Christum. *Et nuntiaverunt ei verba Rabsacis*, quia in oratione conquesti sunt ei de blasphemiis hæreticorum et infidelium. Vestes autem prædicatorum sunt auditores eorum, qui concorditer eis undique cohærent. In *vestibus* ergo fidelium doctorum *scissis* designatur in populo fidelium schisma factum esse per verbum hæreticorum. Sequitur :

CAPUT XXXVII.

Vers. 1. — « Et factum est, cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Domini. »

Vers. 2. — « Et misit Eliacim, qui erat super domum, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam filium Amos prophetam. »

Rex Ezechias verba principum suorum audivit, quando Christus orationes præpositorum Ecclesiæ, quas pro hæreticorum blasphemiis effundebant, misericorditer exaudivit. Exauditis ergo precibus, quid egerit, videamus. *Scidit vestimenta sua*, id est justo judicio permisit eos ab hæreticis abstrahi de Ecclesia, quos noverat perituros? et quos ad vitam præordinaverat, retinuit. Vestes quippe Domini fideles ejus sunt. « Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Gal.* III, 27). » Vestes ergo scidit, quoniam a reprobis electos divisit. Cætera quæ nunc Ezechias fecisse subditur, ad populum electorum, qui corpus est Christi, referenda sunt.

Saccus vero habitus pœnitentium est. *Obvolutus est* igitur *sacco* populus fidelium, quia inter adversa conversus est ad pœnitentiam. *Et intravit in domum Domini*, quia mente cœlum ingressus est, et tribulationis arctatus *misit Eliacim et Sobnam et seniores de sacerdotibus*, id est doctores et præpositos suos, *ad Isaiam prophetam*, id est ad sermonicum propheticum inspiciendum, ut inquirerent quidnam de his afflictionibus prophetæ senserint. *Isaias* enim propheticam Scripturam designare monstratur, ubi legimus, quia vir Æthiops eunuchus (*Act.* VIII, 27 *et seq.*) venerat adorare Jerusalem, et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam, id est librum Isaiæ prophetæ. Unde et Isaias interpretatur *salus Domini*, ut salutarem doctrinam Scripturæ sacræ declaretur significare. Amos vero pater ejus in nostra lingua *fortis* dicitur, sive *robustus*

Digitized by Google

vel *potens*, si tamen ab Aleph littera incipiat, et finiatur in Sade. Quod si exordium sumit ab Am et consummatur in Nun interpretatur *populum divellens*. Et quid per hunc robustum populum et potentem nisi virtus Spiritus sancti designatur, qui et *populum divellens* recte vocatur, quia populum acquisitionis a mundo divellit. Amos ergo pater est Isaiæ, quia sanctus Spiritus auctor est Scripturæ sacræ. Sequitur

VERS. 3. — « Et dixerunt ad eum : Hæc dicit Ezechias : Dies tribulationis et correptionis et blasphemiæ dies hæc, quia venerunt filii usque ad partum : et virtus non fuit parienti (139). »

VERS. 4. — « Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, et ad exprobrandum sermonibus, quos audivit dominus tuus : leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. »

Non verbis sed corde sic locuti sunt ad Isaiam, id est ad sermonem propheticum, quia sic cogitabant in corde suo, dum Scripturas sacras anxii consalerent. *Hæc*, inquiunt, *dicit Ezechias*, id est populus fidelium : *Dies hæc dies est tribulationis*, id est tempus hoc tempus tribulationis est, quia nunc graviter affligimur, *et correptionis*, quia corripimur a Domino, *et blasphemiæ*, quia Deus ab impiis blasphematur, *quia venerunt filii usque ad partum, nec est virtus* Ecclesiæ parienti. Sancta enim Ecclesia cum per doctores de conversione vel profectu auditorum cogitat, quasi in utero conceptionem portat. Sed dum obsistentibus adversitatum impedimentis necdum convertere sinitur, quos convertere satagit, vel ad profectum ducere, quos cupit, *quasi mulier* in utero habens prolem edere nititur dolens, et non valet. Bene ergo dicitur : « Dies tribulationis, et blasphemiæ, et correptionis dies hæc, quia venerunt filii usque ad partum, nec est virtus parienti. » Namque dum hostes Ecclesiæ verbis aut gladiis in eam divino judicio sævire permittuntur, tunc ipsa rarius quemquam convertendo parit, aut conversum roborare sinitur. Ubi et congrue subjungit fluctuans populus :

Si quo modo audiat, id est audire se demonstret *Dominus Deus tuus verba Rabsacis*, id est Pharisæorum, hæreticorum et gentilium, quos *misit rex Assyriorum* dominus suus, id est Satanas, qui dominatur eis, aut superbus perversorum dogmatum sensus, *ad blasphemandum Deum viventem*, id est Filium Dei Dominum Jesum Christum, qui « resurgens a mortuis jam non moritur (*Rom.* VI, 9). » In hoc enim præcipue nos deridebant olim gentiles atque Judæi, quia credimus in crucifixum, confidentes miseri mortem Redemptoris nostri, sed resurrectionem ejus negantes, ac per hoc *Deum viventem* blasphemant, quoniam eum, qui in principio Deus erat, et circa mundi finem nostram assumpsit humanitatem, in qua resurgens in æternum jam vivit, irridebant aut certe *Deum viventem* blasphemant, qui minorem Patre Filium garriunt, vel aliquid male de illa Trinitate, quæ Deus est, loquuntur.

Leva ergo, inquiunt, *orationem* ad Dominum *pro reliquiis, quæ repertæ sunt*, id est pro his, qui inventi sunt in Ecclesia residui, quos non abduxerunt hæretici. Sed si propheticum sermonem Isaias designat, quomodo *pro reliquiis* populi Dei sermo propheticus orabit? Hoc tamen invenire facillimum est. Erat enim propheticus Spiritus pro populo Dei contra blasphemias hostium, qui diis similem Deum nostrum ut Rabsaces iste putabant, dicens : « Deus quis similis erit tibi? Ne taceas neque compescaris, Deus, quia ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos (*Psal.* LXXXII, 1). » Sic levat orationem sermo propheticus pro reliquiis fidelium. Sequitur :

VERS. 5. — « Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam. »

Artificiali ordine, quod ante gestum est narrat inferius. Prius enim venerunt, et post locuti sunt verba, quæ superius posuit. Sequitur :

VERS. 6. — « Et dixit ad eos Isaias. »

Id est sermo prophetiæ. *Hæc dicetis Domino vestro*, id est populo fidelium, qui est corpus Christi, « Hæc dicit Dominus : Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. » Hoc est : Nolite timere opprobria hominum et blasphemias eorum ne metuatis. Sequitur

VERS. 7. — « Ecce dabo ei spiritum, et audiet nuntium, et revertetur in terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua. »

Versus iste patebit in sequentibus. Sequitur :

VERS. 8. — « Reversus est autem Rabsaces, et invenit regem Assyriorum prœliantem adversus Lobnam. Audierat enim quod profectus esset de Lachis. »

Reversus est Rabsaces a Jerusalem, quia Judæi atque gentiles et hæretici tandem Ecclesiam persequi desierunt, et inventuri sunt in Antichristo diabolum regem suum prœliantem *adversus Lobnam*, id est contra plebem reliquiarum Israel. Lobna enim, quæ dicitur *alba* vel *candida*, vitam illorum fidelium Hebræorum candore justitiæ vernantem designat, contra quos diabolus acriter pugnabit. Qui *profectus est de Lachis*, quia Judæos olim impugnare desiit, ex quo eos sibi in perfidiam subjecit. Lachis enim, quæ dicitur *interest*, antiquum illum Judæorum exprimit populum, qui in medio gentium positus terram promissionis excoluit.

Sed quia per Jerusalem accipimus Ecclesiam, et per Lachis populum Hebræorum, qui præcessit Re-

(139) Alias, *et virtus non est pariendi*.

Digitized by Google

demptoris adventum, atque per Lobnam eos qui in fine mundi crediturі sunt ex Judæis : quærendum videtur, quare rex Assyriorum, qui diabolus est, per semetipsum pugnet adversum Lachis et Lobnam, ad Jerusalem vero non veniat ipse, sed suos mittat? Ad quod respondendum quia nunc per Dominicæ crucis victoriam ligatus est antiquus hostis, qui prius in mundo principabatur, rursumque temporibus Antichristi ad apertiora certamina revocabitur, atque totus contra nos in suis viribus relaxabitur. Sic enim dicit Joannes : « Vidi, inquit, Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum (*Apoc.* xx, 1). » Et item : « Cum completi fuerint mille anni, solvetur Satanas (*ibid.*, 7). » Nunc igitur catenatus tenetur, sed tunc solvetur. Patet namque cur ad Jerusalem non venerit, qui contra Lachis et Lobnam per se prælіatus est. Sequitur :

Vers. 9. — « Et audivit de Tharacna rege Æthiopiæ, dicentes : Egressus est, ut pugnet contra te. »

Tharacha dicitur *elongatus*, Æthiopia *caligo* vel *tenebræ*. Quid ergo per Æthiopiam nisi gentilitatis error exprimitur? Nam conversis gentilibus dicit Apostolus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 8). » Quid per istarum regem tenebrarum, qui elongatus appellatur, nisi principes eorum accipiuntur, id est philosophi et poetæ atque potentes sæculi docentes idololatriam, et defendentes, qui longius a Creatore suo recesserant? Sed tandem egressi sunt ad lumen veritatis de caligine veteris ignorantiæ, ut contra regem Assyriorum, qui diabolus est, in stadio vitæ præsentis bene vivendo pugnantes coronam mercantur æternam accipere. De quibus audivit Satanas, qui in abysso ligatus est, malignos spiritus sibi dicere, quia egressi sunt, *ut* pugnent *contra te*. Sequitur :

Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam dicens :

Vers. 10. — « Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ loquentes : Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens : Non dabitur Jerusalem in manus regis Assyriorum. »

Vers. 11. — « Ecce tu audisti omnia quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt : et tu poteris liberari? »

Vers. 12. — « Numquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam et Haram et Reseph, et filios Eden, qui erant in Thalassar? »

Vers. 13. — « Ubi est rex Emath, et rex Arphad, et rex urbis Sepharvaim, Ana et Ava? »

Postquam comperit Satanas religionem nostram usque adeo excrevisse, ut ipsos quoque gentium principes et philosophos converteret, addidit alios adhuc blasphematores contra Ecclesiam mittere sicut Arium et cæteros hujusmodi. *Hæc*, inquit, *dicetis Ezechiæ*, id est populo fidelium, qui membra Christi sunt : *Non te decipiat Deus tuus*, id est noli errare sic credendo, sicuti credis de Deo, *in quo confidis*, id est in qua fide salvari speras dicens : *Non dabitur Jerusalem*, id est Ecclesia *in manu regis Assyriorum*, id est antiqui hostis punienda, cum de præsenti sæculo migraverit. Conati sunt enim hæretici dicere, quia in fide, quam tenet Ecclesia, non poterit salvari. Vel *non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum*, id est non subjicietur Ecclesia sensui hæreticorum. Unde et adjungunt :

Ecce audisti, quæ fecerunt reges Assyriorum, id est hæresiarchæ, *omnibus terris*, id est omnium terrarum gentibus, *quas subverterunt*. Et poteris ab eis tutus esse vel liber.

Nunquid dii gentium, id est ea quæ colunt gentes, liberaverunt eos, *quos subverterunt patres mei* hæresiarchæ? Et qui sunt isti dii gentium? *Gozam*, id est *fortitudo eorum*, et *Haram*, id est *decor*, et *Reseph*, id est *cursus*. Gentibus enim pro diis erat fortitudo earum, et pulchritudo et velocitas, quas his serviebant et in his confidebant. Unicuique enim erranti quidquid ipse colit, spiritaliter Deus est, sicut de inimicis crucis Christi dicitur : « Quorum finis interitus, quorum Deus venter est (*Philip.* III, 10). » Hinc et « avaritia dicitur idolorum servitus (*Gal.* v, 20) ; » qui viderit mulierem et concupierit, libido illi est Deus, qui confidunt in virtute sua, virtus eorum Deus illis est. Unicuique enim talium, quod cupit et veneratur, hoc illi et Deus est. Erant ergo dii gentibus Gozam et Haram et Reseph, id est fortitudo eorum et decor et cursus, quia in his gloriabantur. Sed isti dii non eruerunt eos a regibus Assyriorum, quoniam superati sunt ab hæresiarchis, et in eorum sectas velut in religiones adducti.

Eden vero dicitur *voluptas* vel *deliciæ* vel *ornatus*; Thalassar vero *appensus princeps* vel *appendens principem*. Et quis est appensus princeps nisi diabolus, qui in ea cruce, in qua Dominum suspendi fecit, est suspensus, sicut Aman in ligno, quod paraverat Mardochæo? (*Esth.* VII, 10.) Unde et Apostolus testatur, quia « delevit, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso (*Colos.* II, 14). »

Quod si Thalassar dixerimus interpretari *appendens principem*, quis est qui appendit principem nisi gentilis populus, qui in Pilati militibus Christum appendit in cruce? Gentiles namque fuerunt milites qui crucifixerunt eum. Thalassar itaque vel diabolum, vel gentilem populum non incongrue designat. Quos ergo nominat *filios Eden*, id est filios voluptatis et deliciarum, qui erant in Thalassar, nisi eos, qui voluptatibus et deliciis carnalibus affluebant in gentibus? Sed nec istos eruerunt dii sui, id est voluptates quibus serviebant, quia subversi

Digitized by Google

sunt ab hæresiarchis, vel ab Assyriorum regibus, hoc est in eorum sectas inducti.

Vel ita possunt hæc intelligi : *Audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum*, id est maligni spiritus *omnibus terris*, id est omnibus gentibus, *quas* in tempore mortis *subverterunt ; et tu poteris* in hora mortis ab eis *liberari* ? Ac si dicat hæreticus : Sicut audisti gentes universas, cum de corporibus exeunt, ab immundis spiritibus ad tormenta rapi, sic et tu in hora tui exitus rapieris, quia sectam nostram sequi contemnis. Subjungens autem : « Nunquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei, » id est quos dæmones in tartara demerserunt, nequaquam voce, sed operibus confitetur hæreticus, dæmones esse suos patres (140). In eo enim quod agit, declarat se filium esse iniquorum spirituum, quos semper imitatur. Ait ergo : *Nunquid eruerunt eos dii gentium*, quos in egressione eorum a corporibus *subverterunt*, id est præcipitaverunt in mortem *patres mei*, videlicet dæmones.

Et qui sunt dii, qui non liberaverunt eos ? Fortitudo eorum spiritalis, quam in anima sese putabant habere contra vitiorum mollitiem ; et decor religiosæ conversationis, quam videbantur ducere ; et cursus rectæ actionis. Hæc omnia plerumque gentiles habere visi sunt qui Christum ignoraverunt. Sed per hæc erui non potuerunt, quia « omne, quod non est ex fide peccatum est (*Rom.* XIV, 23). » Et « Longe a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). » Sed et *filios Eden* non liberaverunt dii sui, id est eos qui tam religiose conversari videbantur, ut quasi paradisus voluptatis et hortus deliciarum esse putarentur ornati virtutibus. Qui erant in *Thalassar*, id est in populo gentium, qui in cruce appendit principem vitæ Jesum. Nemo enim sine Christo salvari potuit, quia « non est in alio salus (*Act.* IV, 12). »

Ubi est, inquit, *rex Emath*, id est *sensus indignationis*, quo peccantibus indignabantur philosophi ? *Et rex Arphad*, id est *sensus sanantis*, quo sanare philosophus quisque volebat eos, qui peccati languore tenebantur ? *Et rex urbis Sepharvaim*, id est sensus validæ munitionis litterarum ? *Ana*, id est *Nunquid commutatus est* iste sensus a malitia sæculi ? Non est commutatus ab ea, sed *Ava*, id est *iniquitas*, quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Interpretatur enim Ana, *nunquid commutatus est*, et Ava, *iniquitas*, quoniam sensus sapientium sæculi non est commutatus a mundana nequitia, sed est iniquitas. Sed omnes isti reges gentium vel dii hucusque descripti non valuerunt cultores suos liberare ; et conantur astruere nuntii regis Assyriorum, id est hæretici, quia similiter nec nos salvare poterit Deus noster, id est fides, quam habemus de Deo. Sequitur :

VERS. 14. — « Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos, et ascendit in domum Domini, et expandit eos coram Domino. »

Quod nunc fecisse Ezechias narratur, ad pastores Ecclesiæ, qui sunt membra Christi referendum est. *Tulit Ezechias libros de manu nuntiorum et legit*, quia Catholici doctores frequenter legere solent hæreticorum libros, ut ex eorum dictis eos convincant. *Et ascendit in domum Domini*, quia boni doctores ab hæreticorum conflictu revertuntur in Ecclesiam. *Et expandit* libros *eorum Domino*, quia magistri denudant ac manifestant populo Dei fraudes, quæ sunt in libris hæreticorum. Sequitur :

VERS. 15. — « Et oravit ad Dominum dicens : »

VERS. 16. — « Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum et terram. »

VERS. 17. — « Inclina, Domine, aurem tuam ; et audi : aperi oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem. »

VERS. 18. — « Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum. »

VERS. 19. — « Et dederunt deos earum igni. Non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum et lapis, et comminuerunt eos. »

VERS. 20. — « Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus, et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus. »

Oratio hæc principaliter quidem est præpositorum Ecclesiæ, sed secundario etiam totius populi fidelium. Deus autem vocatur *Dominus exercituum*, quoniam ejus voluntati famulantur exercitus angelorum pro nostra defensione contra malignos spiritus præliantium, sicut scriptum est : « Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone (*Apoc.* XII, 7), » quæ prælia non labore, sed imperio peragunt.

Ordo beatorum spirituum, in quo specialiter Dominus sedet, thronus appellatur. Sed tamen quia in ipsis distinctionibus agminum ordo sanctorum *cherubin* jungitur ordini thronorum, sedere etiam *super cherubin* ex vicini agminis æqualitate perhibetur. Cherubin vero dicitur *plenitudo scientiæ*. Et sublimiora illa agmina idcirco cherubin vocata sunt, quia tanto perfectiore scientia plena sunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur, ut secundum creaturæ modum eo plene omnia sciant, quo visioni Conditoris sui per meritum dignitatis appropinquant. Vel *super cherubin*, id est super plenitudinem scientiæ sedere dicitur, quia ejus sublimitatem nulla unquam scientia comprehendit.

Qui est *Deus omnium regnorum terræ*, quia non est Deus præter eum, neque fides est nisi una. *Aurem* vero suam inclinare dicitur, quando ab illa æternitatis immensa sublimitate auditum suum quadam benigna dignatione humiliat, ut suorum vota

(140) Verba hæc *in eo*, etc., usque ad : *ait ergo*, etc., desunt in cod. Carst.

Digitized by Google

clementer audiens compleat, qui magis mentes audit quam linguas. Nam « desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* x, 16). »

Sed et *oculos suos* aperit et videt, quando gratiæ suæ adjutorium servis suis ostendens, mala, quæ patiuntur, abigit, sicut scriptum est : « Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo (*Prov.* xx, 8). » Respiciendo enim tribulationes fidelium dissipat, et magna pacis et gratiæ beneficia largitur. Nam quasi non videre est, dum suos hic affligi permittit.

Desertas fecerunt reges Assyriorum terras, quoniam hæresiarchæ vanas religiones gentium destruxerunt, ut ad suas eos pestiferas sectas velut ad veritatis viam converterent.

Et dederunt deos earum igni, quia testati sunt eos, qui talia colunt, esse dignos igne perpetuo. *Non erant dii, sed opera manuum hominum*, quia malum, quod quisque specialiter operabatur, hoc quasi proprium Deum colebat ; imo quot peccatis subjectus erat, tot diis serviebat. Per *lignum* autem opus peccati robustum intelligi potest, per lapidem vero obdurata iniquitatis perpetratio. Aut cum in voluntate quis peccat, quasi lapidem colit. Istiusmodi *deos dederunt igni reges Assyriorum*, quoniam et hæretici asserunt hæc opera flammis gehennalibus digna.

Et nunc, Domine, salva nos de manu regis hujus, qui est sensus hæreticorum, ne capiamur ab illo. *Et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es solus Dominus*, id est catholica fides per totum orbem teneatur, non hæreticorum adinventiones.

Vel *desertas fecerunt terras reges Assyriorum*, quia dæmones pietatem et Dei cultum de cunctis per orbem nationibus abstulerunt. *Et dederunt deos earum igni*, quia gentiles cum falsis religionibus ipsorum miserunt in ignem æternum. « Et nunc, Domine, de manu ejus salva nos, » id est de manu hostis antiqui, ne nos in tentationibus circumveniens decipiat, vel ne mortis tempore nos rapiat. *Et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus*, quem Ecclesia prædicat, non quem hæretici pro suo arbitrio fingunt. Sequitur :

Vers. 21. — « Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam dicens : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Pro quibus rogasti me Sennacherib rege Assyriorum. »

Vers. 22. — « Hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum : Despexit te, subsannavit te virgo filia Sion, post te caput movit filia Jerusalem. »

Isaias, id est sermo propheticus misit doctores *ad Ezechiam*, id est ad populum Ecclesiæ, qui corpus Christi est, dicens : *Hæc dicit Dominus Deus : Pro* tuis precibus, *quibus me rogasti de rege Assyriorum*, id est diabolo, vel hæreticorum sensu tumido, audi quæ locutus sum de eo. Rex vero iste vocatur Sennacherib, id est *ievans deserta*, quia, ut jam dictum est, infidelium corda contra nos elevat.

In eo autem quod Dominus adjungit : *Hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum*, declaratur alia esse persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. *Locutus est Dominus super eum* dicens ad eum : O rex iniquitatis, rex Assyriorum, *filia Sion*, id est Ecclesia, quam te superaturum putabas, *despexit te*. Sion namque vel Jerusalem illa beatorum Ecclesia est, quæ jam regnat in cœlis, cujus filia est hæc, quæ peregrinatur in terris. « Illa enim, quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra (*Gal.* iv, 26). » Filia Sion appellatur (141) virgo, quia fides Ecclesiæ corrumpi non potest. Nunc enim de Ecclesia electorum fit sermo, non de reproborum multitudine, de quibus supra dixit : « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis? » (*Supra* i, 21.)

Itaque *filia Sion*, id est sanctorum Ecclesia *despexit te*, o rex Assyriorum, sicut ipsa loquitur : « Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos (*Psal.* cxvii, 7). » *Despexit* ergo *te* sævientem, *subsannavit te* blandientem, et te recedente *movit* admiratione *caput* suum *post te*. Nam quando superata jam inimici tentatione cogitamus dicentes : O quid fecissem, si seductoris hujus persuasionibus acquieris-sem, nonne caput super regem hunc abeuntem movemus? Ad quem et subditur :

Vers. 23. — « Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Nonne ad sanctum Israel? »

Vers. 24. — « In manu servorum tuorum exprobrasti Domino. »

His verbis evidenter antiqui hostis vesania increpatur. Sed quid cogitaverit, dum vehementer Ecclesiam arctaret, audiamus. Sequitur : « Et dixisti : In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium juga Libani : et succidam excelsa cedrorum ejus et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus.

Vers. 25. — « Ego fodi et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. »

Sicut per Domini quadrigas evangelicæ prædicationes designari solent, ita per quadrigas *regis Assyriorum* intelligi possunt prædicationes hæreticorum. Quid vero per montes, nisi eos, quorum conversatio sublimis videbatur, exprimitur? Et quid per Libanum nisi sancta Ecclesia designatur? Libanus enim mons est miræ magnitudinis, cujus arbores odoriferæ sunt, et imputribiles, significans altitudinem Ecclesiæ dicentis : « Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* iii, 20). » Cujus electi redolent opinione virtutum, neque corrumpuntur putredine vitiorum. Unde et Libanus interpretatur *candidatio* ad demonstrandam sanctificationem Ecclesiæ dicentis : « Lavabis me, et super nivem dealbabor (*Psal.* l, 9). »

Quid ergo per *juga Libani* signatur nisi juga sacrarum disciplinarum Ecclesiæ, sub quibus tenetur

(141) Cod. Cruc. *appellata.*

Digitized by Google

vitæ monachorum et eremitarum, atque sanctimonialium, cæterorumque religiosorum? Dicit ergo bonorum antiquus inimicus, quia *in multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium et juga Libani*, quoniam per multiplices hæreticorum prædicationes subjugavit sibi plerosque, qui velut montes Dei supereminebant in populo fidelium, et qui religiosam ducere conversationem videbantur.

Vel quadrigas accipere possumus sæculi pompas et gloriationes. Ascendit ergo *altitudines montium et juga Libani in multitudine quadrigarum* suarum, quia per superbiam, per inanem gloriam, per arrogantiam, per jactantiam, per elationem frequenter nonnullos superat ex eis qui jam ad virtutum sublimia pervenerunt, vel qui sub jugo disciplinæ vivunt.

Cedri vero omnem reliquarum arborum altitudinem sua proceritate transcendunt, mirique sunt odoris et naturæ imputribilis. *Abietes* quoque valde sunt sublimes, ita ut nubibus altitudine sua propinquent. Quid vero per *Libani cedros* nisi qui in Ecclesia excellentissimi, designantur, quos nulla pu- *Credo* terreni amoris corrumpit, qui dicere possunt. « Christi bonus odor sumus Deo? » (*II Cor.* II, 15.) Et quid per *electas abietes illius* nisi hi demonstrantur, qui inter eos sunt egregii, qui licet terram adhuc corpore tangant, jam tamen juxta æthera verticem mentis attollunt in virtute contemplationis vehementer proficientes?

Jactat ergo adversarius noster se succisurum de Ecclesia *cedros Libani, et electas abietes ejus*, quia summos et electos Ecclesiæ viros dejicere se posse præsumit maxime temporibus persecutionum, de quibus nunc agitur. *Altitudinem* quoque *summitatis Libani* se dicit intraturum, quia puram electorum mentem, qui in Ecclesia sunt, nititur ingredi vel quidquid inter sanctos superexcellit.

Carmelus autem, ut et supra dictum est, *cognitio circumcisionis* dicitur. Et cognitio circumcisionis Ecclesiæ quæ sit, norunt fideles. « Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus sed ex Deo est (*Rom.* II, 28). » *Saltus* vero *Carmeli* hujus, id est notitiæ circumcisionis conversatio sanctorum est ab omni strepitu carnalium desideriorum quieta, et ab omni tumultu malæ actionis vacua. *Saltum* vero *Carmeli* Ecclesiæ se jactat ingressurum hostis antiquus, scilicet secretam et liberam electorum conversationem, qui se semper ab omni superfluitate vitiosa circumcidere spiritaliter norunt, aliquo aditu intrare quærit et inquinare.

Hæc omnia tunc præcipue tentavit facere, quando per hæreticos vehementer impugnabat Ecclesiam. Unde addidit, quia *ego fodi et bibi aquam. Aquam* quippe *fodit*, qui scientiam profunde scrutando quærit: eamque bibit inventam, dum sese potu scientiæ repertæ satiat. Fodit ergo Satanas, ut aquam inveniret, quia ipse doctrinas hæreticorum exquirens invenit; et inventam bibit, quia malitiæ suæ desiderium dogmatibus complevit, dum juxta voluntatem suam errare per ea multos faceret.

Rivi autem *aggerum* sunt, qui artificiose eo per fossata ducuntur, quo naturaliter non ibant. Et quid per *rivos aggerum* nisi spiritalia dona signantur in eis cordibus perfluentia, a quibus terrenæ cogitationes ejectæ sunt? Ait igitur Zabulus, quia *exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum*, quia dum per hæreticos in humanis cordibus vestigium iniquitatis imprimeret, ab his omnia gratiarum spiritalium exclusit charismata. Ubicunque enim pedem ille fixerit, mox inde spiritalis rivuli cursus avertit. Hæc hostis antiquus, dum Ecclesiam nimis arctaret, ut diximus, in corde suo loquebatur jam se prævaluisse jactans. Cui Dominus respondet subjungens :

Vers. 26. — « Nunquid non audisti, quid olim fecerim ei? »

Subaudi Libano vel filiæ Sion, id est Ecclesiæ. Et aperiendo subjicit : « Ex diebus antiquis, » id est, ab initio creaturarum « ego plasmavi, » id est formavi et disposui prædestinando « illud, » quod ad Ecclesiæ probationem facturus eram, « et nunc » per tuam sævitiam « adduxi » in actionem. Statutum est enim, quantum vel tota Ecclesia vel electus quisque præsentibus malis atteratur. Unde et Paulus ait : « Adimplebo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea (*Colos.* I, 24). » Sequitur.

« Et factum est in eradicationem collium compugnantium et civitatum munitarum. »

Vers. 27. — « Habitatores earum breviata manu contremuerunt, et confusi sunt : facti sunt sicut fenum agri, et gramen pascuæ, et herba tectorum, quæ exaruit, antequam maturesceret.

Malum adversitatis, quod adduxi, *factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum*, quia rex Assyriorum ascendit super universas civitates Juda munitas, et cepit eas. *Eradicati* sunt enim de terra viventium colles compugnantes, id est elati Judæorum principes Dominum persequentes, et civitates munitæ, id est cæterorum mentes Judæorum contra doctrinam ejus clausæ.

Vel ut de his, qui nostri esse videbantur, dicamus, colles compugnantes eradicati sunt, quia nonnulli qui jam virtutibus excreverant, sed non fuerunt « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV, 3), » ab Ecclesia per hæreticos vel per gentiles abstracti sunt tempore persecutionis. Et civitates munitæ, id est cordium munitiones et altitudines adversus scientiam Dei se extollentes similiter sunt evulsæ de Ecclesia. Qui enim contra verbum prædicationis corda sua munierant, facile sunt a persecutoribus eradicati?

Habitatores vero talium civitatum dum latam sæculi viam incederent manus suas. ad faciem-

Digitized by Google

dum quod vellent, longe porrigebant. Sed adveniente persecutionis angustia manus *eorum breviata* est, quia parum explere voluntatem suam potuerunt : *brevitataque manu contremuerunt*, quoniam adversa pati formidaverunt. Neque enim audire præceptum illud voluerunt : « Nolite timere eos qui occidunt corpus (*Matth.* x, 28). » Metuentes ergo tormenta perdiderunt fidem, et amissa fide *confusi* sunt.

Et *facti sunt sicut fenum agri*, id est ex toto carnales, quia « omnis caro fenum, et sicut gramen pascuæ (*Isa.* xl, 6), » quia dati sunt in pascuum gregibus omnium animalium, id est turbis vitiorum. *Et* sicut *herba tectorum*, *quæ exaruit*, *antequam maturesceret*, quia virorem justitiæ perdiderunt ante præsentis vitæ terminum, *Herba* quippe *tectorum* in alto nascitur, sed non pingui radice solidatur, quia inanis Christianus summa quidem agere nonnunquam cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quæ nimirum herba, et *antequam* maturescat arescit, quoniam pseudo religiosus, et antequam consummationem hujus vitæ pertingat, jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Sequitur:

Vers. 28. — « Habitationem tuam, et egressum tuum et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me. »

Habitationem tuam in terra tua *cognovi*, o rex Assyriorum, id est in mente infidelium : et egressionem tuam inde, cum ad opera nequitiæ procederes, qui latebas; *et introitum tuum* huc cum tuis ad persecutionem sanctorum, *et insaniam tuam*, cum per ora blasphemantium hæreticorum atque gentilium insanires *contra me*. Unde et additur :

Vers. 29. — « Cum furores adversum me, superba tua ascendit in aures meas. »

Patet hoc. Sequitur :

« Ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti. »

Sicut per nares insidiæ, sic per *circulum* divinæ virtutis omnipotentia designatur. Quæ cum apprehendi nos tentationibus prohibet miris ordinibus antiqui hostis insidias circumplectens tenet. Circulus igitur ei *in naribus* ponitur, dum circumducta protectionis superne fortitudine ejus sagacia tenetur, ne contra infirmitates hominum tantum prævaleat, quantum perditionis argumenta latenter explorat.

Potest et circuli nomine occulti judicii adjutorium designari, quod in hujus hostis naribus ponitur, dum a callida sua crudelitate refrenatur. Unde quia nunc a fidelium læsione prohibetur, bene ei dicitur : *Ponam circulum in naribus tuis*, ac si aperte diceret : Cogitando insidias suspiras, sed explere, quæ appetis non valendo omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas, ut, cum A bonorum mortem ardentius anhelas, ab eorum vita vacuus redeas.

Frenum quoque ei ponitur *in labiis*, dum sic divinæ virtutis potentia retinetur, ut non nisi quantum relaxatur, sævire possit. Qua scilicet potentia infrenatus *per siam*, *qua venerat*, *est* reductus, quoniam ab infidelium cordibus venerat adversus Ecclesiam, et ab Ecclesiæ persecutione coactus est ad infidelium et iniquorum corda reverti, ut usque ad Antichristi adventum ibi lateat. Hæc antiquo adversario Dominus respondit jactanti se jam ascendisse juga Libani et succidisse excelsa cedrorum ejus. Et post hæc ad Ezechiam, id est ad Dominum Jesum loquitur dicens :

Vers. 30. — « Tibi autem hoc erit signum : B Comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere : in anno autem tertio seminate et metite, et plantate vineas, et comedite fructus earum. »

Appellatione trium annorum designari solent tria tempora, primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia. Unde et in Evangelio paterfamilias ait : « Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio (*Luc.* xiii, 7). » Tertio quippe anno venit ad ficulneam suam paterfamilias quærens fructus, quia Dominus per patriarchas et prophetas atque per semetipsum venit ad plebem Judaicam fructum justitiæ quærens in ea, sed non inveniens.

De his ergo tribus annis hic dicitur : *Comede* C *hoc anno*, id est ante legem, quæ sponte nascuntur, id est opera bona, quæ quisque sponte agit absque legis necessitate; *et in anno secundo*, id est sub lege, *pomis vescere*, id est fructibus arborum dulcibus, videlicet hominum justorum bonis actionibus.

Præcipue tamen arborum domesticarum est facere poma. Et quæ sunt domesticæ arbores nisi Judæi quondam cives et domestici Dei ? Secundo igitur anno usus est Dominus pomis, quia tempore legis delectatus est bonis operibus Hebræorum. Nec huic intelligentiæ refragatur, quod in ficulnea fructus non est inventus, quia hic de D solis loquitur Dominus electis, et ibi de infructuosis queritur reprobis.

« In anno autem tertio, » id est tempore gratiæ jubentur apostoli seminare et metere, id est verba vitæ prædicare, et eos, qui crediderint, colligere : et plantare *vineas*, et comedere *fructus earum*, id est fundare ecclesias, et satiari bona conversatione.

Datur itaque signum Ezechiæ, quia Jerusalem a rege Assyriorum capienda non sit, hoc, quod ipse primo anno, quæ sponte nascuntur, comedit, et secundo pomis vescitur, atque in tertio seminant et metunt, quia per hoc certa fit apud Redemptorem nostrum salus Ecclesiæ quod ipsa et ante legem, et sub tempore legis atque sub

Digitized by Google

gratia bonis fructibus electorum pascitur. Ille enim certam apud Deum salutem suam facit, qui bonis operibus perseveranter insistit. Sequitur :

Vers. 31. — « Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum, »

Vers. 32. — « Quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion. »

Id quod de domo Juda, hoc est de plebe confessorum, *fuerit salvatum* ab Assur, *et quod reliquum est*, id est residuum in Ecclesia, quod hæretici vel gentiles non tulerunt, *mittet radicem* bonæ cogitationis *deorsum*, *et faciet fructum* operis *sursum*. *Radicem* quippe *deorsum* mittere est cogitationem bonam *in* abditis multiplicare : *fructum* vero *sursum* facere est efficacia operis recta, quæ cogitavit, ostendere. Recte enim per radicem cogitatio designatur occulta, quia per hoc quod intus non cernitur, erumpit, quod videtur foras. Ait ergo : *Mittet radicem deorsum, et faciet fructum sursum*. Ac si aperte diceret : In imis cogitatio nascetur, ut in summis retributio detur.

Quia de Jerusalem exibunt reliquiæ, id est non delebitur nunc Ecclesia, sicut hostis putabat, sed filii, qui nascentur, et exsurgent, enarrabunt filiis suis laudes Domini. *Et salvatio de monte Sion*, id est de sublimitate Ecclesiæ exibit ad omnes nationes orbis, ut quanto nunc coarctatur Ecclesia justorum : tanto tunc dilatetur. Sequitur :

« Zelus Domini exercituum faciet istud. » *Zelus Domini* est affectus amatoriæ bonitatis ejus, quo castitatem animarum nostrarum custodit, ne vel hæreticorum fraudibus vel antiqui serpentis astutia *corrumpantur* sensus nostri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu. Hic ergo zelus faciet istud, quod dictum est, ut quod salvatum fuerit de domo Juda, mittat radicem, et faciat fructum, ac de Jerusalem exeant reliquiæ, et salvatio de monte Sion. Sequitur :

Vers. 33. — « Propter hæc dicit Dominus de rege Assyriorum : Non intrabit civitatem hanc, et non jaciet ibi sagittam : et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu ejus aggerem. »

Vers. 34. — « In via, qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus. »

Vers. 35. — « Et protegam civitatem istam, ut salvem eam propter me et propter David servum meum. »

Rex Assyriorum, qui mentes fidelium corrumpere quærit, *non intrabit civitatem* Ecclesiæ, id est electorum cor, quoniam zelus Domini custodit eam. *Et non jaciet ibi sagittam*, quia mentem justorum, non ut vitia pulsaverint, reprobata resiliunt, nec ad interiora penetrant. Electus enim quisque tanto minus hostis antiqui jacula metuit, quanto contra hæc vementia fortiter pectus munit. *Et non occupabit eam clypeus* expugnantis inimici, quia vetus Ecclesiæ persecutor non ea sic ab armis fidelium valebit protegere, ut eam expugnet, sed percussus retrorsum corruet.

Et non mittet in circuitu ejus aggerem, quia quorum conversatio in cœlis est, eorum mens non includitur congerie terræ, id est implicata non tenetur terrenis. *Aggerem* quippe *mittit inimicus in circuitu ejus*, cujus mentem in amore sæculi deprehensam undique de terrenis angustat, et affligit, atque tentat, ut ita jam evadendi ad libertatem locum is, qui sic obsidetur, non inveniat. *Non* ergo mittit *aggerem in circuitu* nostræ civitatis, sed repellente Deo *per viam, qua venit, revertitur*, quoniam ad latebras mentis iniquorum, unde adversum nos erumpit, redit.

Et civitatem hanc non ingredietur, quoniam ejus malitia in sanctorum cordibus non recipitur. *Et* protegit Dominus inter pericula tentationum *civitatem hanc*, id est Ecclesiam, *ut* in æternum salvet *eam* propter semetipsum, *et propter David servum* suum, id est propter Christum, « qui formam servi accipiens factus est obediens usque ad mortem (*Philip.* II, 7). » Christus enim vocatur David et servus Domini, sicut et alibi loquitur ipse Dominus : « Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum (*Psal.* LXXXVIII, 21). » Atque post pauca subjungit : « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ (*ibid.*, 27). » Christus ergo, sicut præmisimus, appellatur David. Unde et David interpretatur *desiderabilis* vel *manu fortis*. Nam Christus est desiderabilis, de quo per Aggæum dicitur : Quia « veniet desideratus cunctis gentibus (*Agg.* II, 8). » Et ipse est manu fortis, qui fortem adversarium ligavit sicut scriptum est : « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet ; si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet (*Luc.* XI, 21). » Post verba Domini subjungitur in narratione prophetica :

Vers. 36. — « Egressus est autem Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Et surrexerunt mane, et ecce omnia cadavera mortuorum. »

Sed ut mysterium inquiramus, quid per mille narium designatur nisi reproborum omnium universitas? Nullus enim numerus ultra millenarium procedit. Et quid per centenarium nisi consummatio vitæ præsentis accipitur? Unde scriptum est, quia « puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit (*Isa.* LXV, 20). » Quid vero per octogenarium nisi dies judicii figuratur, quæ sæpe in Scripturis appellatur octava? Quid autem per quinarium nisi carnalitas eorum exprimitur, qui quinque sensibus corporis sunt dediti? Et quid per *Angelum*, qui percussit eos, nisi sententia judicis designatur? Qui *nocte* sunt percussi, quia « dies Domini sicut fur in nocte ita veniet (*I Thess.* V, 2). »

Digitized by Google

Egressus est igitur *angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*, quoniam sententia divinitus missa reproborum omnium multitudinem, qui diabolo militaverunt, pereutit in consummatione vitæ hujus, et in die judicii, qui secundum quinque sensus corporis vixerunt, id est carnaliter. *Mane* vero tempus resurrectionis designat, sicut electorum Ecclesia Domino dicit : « Mane astabo tibi, et videbo (*Psal.* v, 5). »

Quid autem per *cadavera mortuorum* nisi corpora reproborum exprimuntur, qui nequaquam immutabuntur ad incorrruptibilitatem et impassibilitatem sicut electi? Unde per hunc prophetam de justis dicitur: « Videbunt cadavera mortuorum qui prævaricati sunt in me (*Isa.* LXVI, 24), » id est corpora eorum qui peccaverunt. *Surrexerunt* ergo *mane*, qui percussi fuerant, quia omnes reprobi in die illa a somno suæ mortis excitantur. *Et ecce omnia cadavera mortuorum* inventa sunt, quia carnem rursus gravidam et passibilem habebunt licet immortalem. Sequitur :

VERS. 37. — « Et egressus est, et abiit, et reversus est rex Assyriorum, et habitavit in Ninive. »

Rex Assyriorum, id est Satanas, *egressus est* a regionibus fidelium, *et reversus est* ad infideles *et habitavit in Ninive*, id est in mente reproborum, quæ gaudet in præsentibus, et speciosa sibi videtur in voluptatibus suis. Ninive enim *festa* vel *speciosa* dicitur, vel *germen pulchritudinis*. Sequitur :

VERS. 38. — « Et factum est cum adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Ararat, et regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo. »

Sicut electis dicitur : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17); » ita templum Satanæ sunt omnes reprobi. Nesroch vero dicitur *tentatio tenera* vel *tentatio mollis*. Malum autem, cui spiritaliter quis servit, hoc, sicut diximus, quasi proprium Deum habet diabolus ergo tentationem teneram pro Deo colit, quia valde in hoc delectatur, ut ejus suggestio mox, ut mentem pulsaverit, excipiatur. Itaque hostis antiquus *in templo* suo, id est in corde reproborum adorat *deum suum*, qui vocatur tentatio tenera, quia statim ut ejus tentatio mollis et tenera nascitur in mente pravorum, substernunt se ei parati ad obsequium ipsi perversi. Quod enim instigante Satana fit in corde reproborum, id Satanas ipse dicitur facere; sicut econtra de Spiritu sancto scriptum est: « Quoniam postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII, 26), » quia postulantes facit eos quos repleverit, et gementes. Sive ergo ipse caput malorum diabolus, sive hi, qui membra ejus sunt, tentationem teneram, adorare dicuntur, quia Satanas eam valde veneratur, et reprobi libenter ei se subjiciunt. Quo contra de electorum Ecclesia dictum est eidem hosti, quia « ipsa conteret caput tuum (*Gen.* III, 15). » Caput namque serpentis antiqui, id est tentationem teneram conterit, qui initium pravæ suggestionis conculcat, et ad nihilum redigit.

Adramelech vero *stola regis* vel *decor regis*, et Sarasar *princeps tribulationis* dicitur, et ille stola vel decor regis Assyriorum est, qui se ipsum exhibet Satanæ vestem vel gloriam. Princeps vero tribulationis est, qui mundana potestate præditus mala sanctis irrogat. Et si sunt *filii regis Assyriorum*, qui digni sunt audire : « Vos ex patre diabolo estis (*Joan.* VIII, 44). » Sed plerumque tales ad Deum convertuntur, atque veritatis etiam prædicatores fiunt; et tanto fortius et acrius hostem antiquum persequuntur, quanto familiarius ei non jam ut servi, sed ut filii prius adhærere solebant. Unde et *gladio* prædicationis eum percussisse nunc describuntur, sicut per Ezechielem ei sub appellatione principis Tyri dictum est : « Ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum. Interficient et detrahent te, et morieris in interitu incircumcisorum in corde maris (*Ezech.* XXVIII, 7). » Nam quod paulo superius idem propheta dicit eidem principi, diabolo manifestum est dici : « Tu signaculum similitudinis, » etc.

Quos igitur Isaias nominat Adramelech et Sarasar, id est decorem regis, et principem tribulationis, filios regis Assyriorum : hos Ezechiel appellat *alienos, robustissimos gentium*. Qui enim filii sunt regis Assyriorum, id est diaboli, necesse est ut a Deo sint *alieni*. Et quod Isaias mystice refert, *quia percusserunt eum gladio*. Hoc per Ezechielem prænuntiatur, quia « nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, et polluent decorem tuum, atque interficient, et detrahent te. » Quis enim sit gladius, quo rex iste moritur docet Apostolus dicens : « Et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 17). » Hujusmodi gladios nudaverunt gentiles super pulchritudinem sapientiæ diaboli, quia prædicando veritatem, destruxerunt antiquos errores. Et polluerunt decorem ejus, quia quam pollutus sit, ostenderunt. Et interfecerunt eum, quia malitiam ejus de cordibus eorum, qui conversi sunt, exstinxerunt. Hoc quoque, quod Isaias narrat eum in templo suo fuisse percussum, illud est quod Ezechiel prædixit, quia « morieris in interitu incircumcisorum in corde maris (*Ezech.* XXVIII, 8). » Cor namque maris, id est mens sæcularium templum ejus est, ubi ipse quodammodo perimitur in interitu incircumcisorum, dum peccatores convertuntur. Interitus quippe incircumcisorum conversio peccatorum est. Itaque *dum adorat rex Assyriorum in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio*, quia dum adhuc teneram suggestionem suam diabolus in corde perversorum adorari faceret ubique per orbem, plurimi eorum, qui sibi familiares fuerant, conversi sunt, et prædicatores veritatis effecti nequitiam ejus in corde proximorum gladio verbi Dei percusserunt.

Digitized by Google

« Fugeruntque in terram Ararat. » *Ararat* ipsa est Armenia. Interpretatur autem *mons vulsus* vel *mons ligatus*. Et quid per *montem* signatur, nisi idem ipse tumidus inimicus, cui per Jeremiam dicitur : « Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram (*Jer.* LI, 25). » Qui *vulsus* de loco suæ stationis, id est de corde hominum abstractus, sicut per semetipsum Dominus prædixit : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII, 31); » atque *ligatus*, sicut iterum Dominus dicit : « Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? (*Matth.* XII, 29.)

Quæ est ergo *terra montis vulsi* vel *ligati*, nisi conversa gentilitas, quam prius hostis antiquus possedit, qui nunc est inde avulsus, atque per Christum ligatus? Itaque qui percusserunt hunc regem, metuentes æterna supplicia, *fugerunt in terram Ararat*, id est in Ecclesiam de gentibus conversam, ut ibi salvarentur. Fugit enim, qui mundi hujus mala evadere concupiscit, ut ab ira ventura tutus esse possit. Mors autem regis hujus exstinctio infidelitatis et erroris est per totum orbem, fideique plenitudo.

Sed licet rex iste sit mortuus, id est paganitas cum erroribus suis exstincta, et ubique successerit Christianitas, *filius* tamen regis hujus adhuc regnat pro eo, quia tyrannus quisque non desiit exercere potentiam in hoc mundo. Filius enim regis Assyriorum est, qui diaboli tyrannidem imitatur. Hic ergo filius, qui regnat pro patre, tyrannos, qui adhuc in sæculo principantur, designat. Unde et nomen ei datur *Asarhaddon*, quod interpretatur *vincens* vel *exactus*, quia qui fuerit ad crudelitatem acutior, ut omnia sicut gladius cædat, et cæteros vicerit, iste regnum in mundo, qui totus in maligno positus est, obtinere poterit. Sequitur :

CAPUT XXXVIII.

VERS. 1.— « In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem. »

Ezechias, id est Redemptor noster *ægrotavit*, quia scriptum est : « Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit (*Matth.* VIII, 17). » Ei namque ægrotare fuit infirmitatem carnis assumpsisse, in qua esuriit, et laboravit, et fatigatus est. Et *ægrotavit usque ad mortem*, quia tandiu mortalem carnem gestavit, donec per mortem et resurrectionem perveniret ad immortalitatem. Sequitur :

« Et intravit ad eum Isaias, filius Amos, propheta, et dixit ei : Hæc dicit Dominus : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives. » Jam diximus, quo Isaias, filius Amos, sermonem propheticum designet. Qui videlicet sermo propheticus foras mansit, dum carnaliter intelligeretur, nec adhuc in Christo compleretur. Sed *intravit ad eum*, quando cœpit in eo compleri, ac de eo spiritaliter intelligi. Ad quem ingressus, ait : *Dispone domui tuæ, quia morieris*. Sed quis propheticus sermo talia Domino dixit? Illa nimirum historia, quæ refert, quia Josue (cap. XXIII, 2) moriturus convocaverit majores natu filiorum Israel, et attentius exhortans instruxerit, quid post mortem ejus agere deberent, id est ut Dominum Deum suum diligerent, et illi adhærerent, et legem ejus sollicite custodirent. Tunc enim præfiguratum est, quia Jesus de hoc mundo transiturus ad Patrem apostolos diligentius erat instructurus, et *domui suæ*, quæ est discipulorum congregatio, singula quæque dispositurus. Itaque moriturus disposuit domui suæ in illo sermone præclaro, quem post cœnam vel in cœna locutus est discipulis. Dum vero dicit : *Quia morieris tu, et non vives*, nequaquam resurrectionis gloriam mox futuram denegat, sed quia Salvator mortaliter jam non sit victurus, sed ad immortalitatis gloriam, superata morte, venturus. Sequitur :

VERS. 2.— « Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum. »

Per *faciem* intentio mentis exprimitur, per *parietem* vero macceria peccati, quæ separat inter nos et Deum, sicut scriptum est : « Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum (*Isa.* LIX, 2). » Unde Ezechiel de peccatore, cujus opera mala adulatores laudant, dicit : « Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum (*Ezech.* XIII, 10). » Parietem quippe ædificat, qui peccat; et ædificatum parietem liniunt, qui, perpetratum malum laudantes, in bonum convertunt. Ezechias ergo addictus morti *faciem suam convertit ad parietem*, quia Salvator noster in passione sua convertit intentionem suam ad peccatum nostrum, qui pro peccato mundi passus est. *Et oravit ad Dominum*, quia, ut Lucas ait : « Positis genibus, orabat, dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Et factus in agonia, prolixius orabat (*Luc.* XXII, 41). » Sequitur :

VERS. 3. — « Et dixit : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod bonum est, in oculis tuis fecerim. »

Ac si diceret : « Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam; et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum (*Joan.* XVII, 4). » Sequitur : « Et flevit Ezechias fletu magno, » quoniam Salvator « cœpit contristari et mœstus esse, et ait : Tristis est anima mea usque ad mortem (*Marc.* XIV, 34). » Sequitur :

VERS. 4.— « Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens :

VERS. 5.— « Vade et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas. »

Factum est verbum Domini ad Isaiam, id est præcepit Dominus sermoni prophetico, dicens : *Vade, et dic Ezechiæ*, hoc est, fecit, ut intelligeretur de Christo dicere ea quæ subduntur. Quid est enim sermoni prophetico dicere *vade* nisi prophetias ad spiritalem intellectum promovere? Dixit ergo prophetæ, ut iret et diceret Ezechiæ nostro, *quia hæc dicit Dominus : Audivi orationem tuam, lacrymas*

Digitized by Google

tuas quando feci intelligi de Christo, quod de Salomone scriptum est, quia cum orasset in dedicatione templi, dictum est ei divinitus : « Exaudivi orationem tuam et deprecationem tuam, qua deprecatus es coram me. Sanctificavi domum istam, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus (*III Reg.* IX, 3). » Salomon namque Christus est, et domus Salomonis Ecclesia, pro qua Dominus oravit, dicens discipulis : « Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi (*Joan.* XVII, 11). » Et item : « Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo (*ibid.* 15). » Et rursum : « Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint (*ibid.* 20). »

Præcepit itaque Dominus prophetæ ea ratione, qua dictum est, ut diceret Christo pro nobis oranti : « Hæc dicit Dominus Deus patris tui David : Audivi orationem tuam, vidi lacrymas tuas. » Qui videlicet Christus quoniam factus est ex semine David secundum carnem, filius David appellatur, sicut evangelista dicit : « Liber generationis Jesu Christi, filii David (*Matth.* I, 1). » Cujus orationem Dominus audivit, et lacrymas vidit, sicut et Apostolus de eo dicit : « Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia (*Hebr.* V, 7), » sive ergo pro se, sive pro Ecclesia Dominus Jesus oraverit, Pater orationem ejus audivit et lacrymas vidit. Sequitur :

« Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos. »

VERS. 6. — Et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam. »

Juxta historiam in primis est notandum, quia statutum est omni homini, quantum in hac vita mortali temporaliter vivat. Nam, etsi hic annos quindecim Ezechiæ regi ad vitam addidit omnipotens Deus, cum eum mori permisit, tunc eum præscivit esse moriturum. Qua in re quæstio oritur, quomodo ei per prophetam dicatur : « Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives, » cui cum mortis sententia dicta est, protinus ad ejus lacrymas est vita addita. Sed per prophetam dicit, quo tempore mori ipse merebatur, per largitatem vero misericordiæ illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante sæcula ipse præscivit. Non est propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo ille mori merebatur, nec Dominica statuta convulsa sunt, quia ut ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante sæcula præfixum fuit, atque spatium vitæ, quod inopinate foris est additum, sine augmento præscientiæ fuit intus statutum.

Sed his juxta sensum historiæ breviter dictis mysterium inquiramus. Quindenarius numerus propter septem et octo, quibus constat, vel vitam, quæ nunc est, vel futuram, vel Vetus et Novum Testamentum, vel Sabbatum animarum in futuro et carnis resurrectionem, vel certe aliud aliquid cœlestis sive spiritalis continet arcani. Quindecim igitur anni Domino post passionem adjiciuntur, quia de morte ejus oritur vita Ecclesiæ, quæ et post mortem quiescendi spem habet, et in fine resurgendi, atque ideo nunc utriusque Testamenti præcepta vivendo custodit. Quindecim anni Domino adjiciuntur, quia ex ejus temporali morte data est nobis vita præsens animarum et futura etiam corporum, atque scientia utriusque Testamenti revelata omnisque regula vivendi et sperandi monstrata.

Sed *et de manu regis Assyriorum*, id est antiqui hostis eruitur Dominus, sicut in Psalmo precatur, dicens : « Salva me ex ore leonis (*Psal.* XXI, 22). » Et civitas ejus, id est Ecclesia simul eruitur, quia Satanæ potestas ab humano genere per Salvatoris mortem expellitur. Inter pericula quoque tentationum protegitur semper hæc civitas a Domino. Post hæc suam promissionem confirmare volens, Deus ait :

VERS. 7. — « Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus est. »

VERS. 8. — « Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis. »

Quibus Domini verbis propheta subjungit : « Et reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat. »

Ubi considerandum est juxta veritatem historiæ, quia cum duodecim horas habere dies soleat, iste in quo sol decem lineis reversus est, triginta duas habuisse comprobatur. Nam decem horas jam expleverat sol, quando cœpit reverti, decemque rursus, dum ad orientem reverteretur, confecit, et iterum ab oriente remeans usque ad locum, unde reverti cœperat, adhuc decem alias expendit, atque post diem consummans usque ad occasum duas superaddidit, sicque factus est, ut diximus, dies horarum triginta duarum, id est quatuor horas minus habens, quam spatium dierum trium explere consuevit.

Quo in loco mentem movere poterit, quod alibi sancta Scriptura refert, quia ad vocem Josue stetit sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei, atque mox subjungit : « Quia non fuit ante et postea tam longa dies, obediente Domino voce hominis, et pugnante pro Israel (*Josue* X, 14). » Cum enim dicitur, quia non festinavit sol occumbere spatio unius diei, declaratur, quia dies ille spatium duorum tenuit dierum, sicut et Jesus, filius Sirac, manifestat, dicens : « Iracundia ejus impeditus est sol, et unus dies factus est quasi duo (*Eccli.* XLVI, 5). »

Cum ergo dies iste sub Ezechia plus habuerit horas octo quam ille, in quo sanctus Josue solem stare fecit, quid est quod ibi dicitur, quia « non

Digitized by Google

fuit ante et postea tam longa dies? » Multo enim longior fuit ista. Sed ille, qui scripsit librum Josue, ante Ezechiam fuisse intelligitur, et de his, quæ retroacta cognoverat, testimonium perhibuisse. Nam cum dicit, quia « non fuit ante et postea tam longa dies, » intelligimus ab origine mundi usque ad tempus Josue, et a tempore Josue usque ad scriptorem illius historiæ, vel ad tempus in quo scripta est. Et ideo non contradicit Isaiæ longiorem diem post inducenti, quia cum dixisset: « Non fuit ante et postea tam longa dies, » non addidit: « neque futurâ est. » Quod si addidisset, omnino contrarius Isaiæ videretur

His *ita* secundum historiam explicitis spiritalem *sensum*, aperiente Domino, cernere studeamus. « Ecce ergo, inquit, reverti faciam umbram linearum, » etc. Quid per decem lineas horologii, id est decem horas, nisi Decalogus legis exprimitur? Unde et Redemptor noster, ut legis doctor esse monstraretur, hora quasi decima, dictum est ei a discipulis Joannis: « Rabbi, quod dicitur interpretatum *magister* (*Joan.* I, 38). » Quid vero per *umbram linearum*, nisi obumbratio atque velatio Testamenti Veteris designatur? Quid autem per horologium, in quo sunt duodecim lineæ, nisi Vetus Testamentum, in quo sunt rectissima vitæ præcepta, figuratur, et quod omnia tempora quasi singulas horas, vel historiam texendo, vel prophetando, loquitur? Et quid per *Achaz*, auctorem horologii, nisi scriptores ejusdem Testamenti signantur? Unde Achaz interpretatur *continens*, ut religiosam continentiam prophetarum significet. Quid vero per solem, nisi intellectus exprimitur? Unde impii feruntur esse dicturi, quia « Sol intelligentiæ non est ortus nobis (*Sap.* v, 6). »

Reversus est ergo sol decem lineis in horologio per gradus, quos descenderat, quia divinæ legis intellectus, qui traditionibus Pharisæorum jam ad effectum propinquabat, ad eam intentionem est reductus, quam in initio Moyses habuit et prophetæ. Solem quippe illuc unde venerat reverti, est Scripturarum intelligentiam ad pristinum redire, ut quomodo intellectæ sunt a Moyse et prophetis, sic intelligantur et a nobis, non secundum carnalem Pharisæorum interpretationem, quibus sol intelligentiæ jam occubuit, et nox ignorantiæ mentes eorum operuit. Descenderat enim sol per decem lineas horologii, et umbram in eis reliquerat, quia intellectus Decalogi per Judæos declinaverat, et umbra litteræ Decalogum ipsum eis operuerat. Sed nunc umbra sole fugata est retrorsum decem lineis, quia obumbratio Decalogi, id est Veteris Testamenti, per spiritalem intelligentiam repulsa est.

Itaque quod umbra linearum revertitur in horologio retrorsum decem lineis, per quas solem sequendo descenderat, signum est Ezechiæ, quia Dominus adjiciet super dies ejus quindecim annos, ac de manu regis Assyriorum eruet eum, et civitatem ejus, quia in eo, quod legis arcana in passione Domini revelantur, evidenter innuitur, quod de morte ejus resurrectura sit Ecclesia, et princeps hujus mundi nihil in eo habeat, sed per eum omnes, qui crediderint, salventur. Evidens enim signum salutis nostræ est hoc quod spiritalis intelligentia legis panditur nobis, ut spiritaliter eam impleamus, quæ carnaliter a Judæis impleri non potuit. Et per hoc Dei Filius esse Jesus declaratur, quia in ejus morte legis obscuritas removetur. Unde velum templi scissum (*Matth.* XXVII, 51) fuisse describitur, et centurio dixisse, quia *vere* homo hic *Filius Dei erat* (*ibid.* 54). Sequitur :

VERS. 9. — « Scriptura Ezechiæ regis Judæ, cum ægrotasset, et convaluisset de infirmitate sua. »

VERS. 10. — « Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, quæsivi residuum annorum meorum. »

VERS. 11. — « Dixi : Non videbo Dominum Deum in terra viventium : non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis, » etc.

Ezechias est rex *Judæ*, id est Salvator noster est rex confessionis, quia « si confiteris in ore Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris (*Rom.* X, 9). » Rex est *Judæ*, id est confessionis, « ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus est in gloria Dei Patris (*Philipp.* II, 11). » Nam ut aperte monstraretur esse rex Judæ, posuerunt in cruce super caput ejus causam ipsius scriptam : « Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 38). » Cui ægrotare fuit infirmitatem nostræ mortalitatis assumpsisse, ac de infirmitate sua convaluisse ei fuit ad gloriam resurrectionis pervenisse.

Scriptura vero, quam tunc Ezechias dedit, *cum ægrotasset et convaluisset*, eam designat Scripturam, quam post resurrectionem suam Dominus per evangelistas et apostolos condidit. Qui quoniam caput est Ecclesiæ, voce corporis sui inchoat loqui dicens : *Ego* quondam, antequam veniret gratia, *dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, id est a mundi exordio usque ad passionem Redemptoris, cum de hac vita migravero, descendam ad inferos. Tunc enim omnes illuc descendebant.

Et notandum, quod non ait : vadam ad profundum inferni, sed : *vadam ad portas inferi*, quia justi illuc descendentes in superioribus locis absque tormento tenebantur; peccatores autem in inferioribus puniebantur. Quia vero a passione Domini usque ad finem sæculi adhuc permansura fuerit Ecclesia, subjungit :

Quæsivi residuum annorum meorum, id est spatium temporis mei, quod supererat usque ad mundi terminum, rogavi donari mihi. Hoc est quod alias voce Ecclesiæ dicitur : « Ne revoces me in dimidio dierum meorum (*Psal.* CI, 25), » id est non me finias, donec omnes dies in consummatione sæculi compleam. Et quia naturam nostræ humanitatis Dominus assumpsit, voce humani generis in infernum sine spe descendentis ait : *Dixi : Non videbo Domi-*

Digitized by Google

num Deum in terra viventium, id est in cœlesti patria, quoniam « vadam et non revertar ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine (*Job* x, 21). »

Non aspiciam hominem ultra, cum fuero missus in tenebras exteriores, quia nocte damnationis æternæ cæcabor. Nec *habitatorem quietis* jam videbo, sed inter eos, qui in tormentis morabuntur, detinebor. Hæc enim per peccatum meruit homo. Et ideo Dominus humanitatis nostræ factus particeps vocem eorum, qui propter peccatum peribant, in se suscepit, ut peccati remissionem obtinens, peccatores a morte salvaret. Unde et in Psalmo causam nostram suscipiens, ait: « Dominus Deus, respice in me, quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum (*Psal.* xxi, 2). » Qui quoniam plebem Judæorum, ex quibus carnem assumpserat, amisit, recte subjungit :

Vers. 12. — « Generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum. »

Ejus namque *generatio ablata est* ei, quia Judæam perdidit. Et sicut *tabernaculum pastorum* in uno fasciculo convolvitur, et ad ignem deportatur, ipsis abeuntibus ; sic, recedente Domino, plebs illa *convoluta est* in congregationem unius fascis (142) in lacum, ut æternaliter ibi comburatur. Cujus plebis voce subditur :

« Præcisa est velut a texente vita mea : dum adhuc ordirer succidit me. »

Loquitur enim Dominus voce Judaici populi, quia per mysterium assumptæ humanitatis unum cum eo factus est. Quia vero « justus ex fide vivit (*Rom.* i, 17), » hic autem populus in adventu Domini fidem, ex qua vivebat, amisit, *præcisa est*, inquit, *vita mea*, id est fides mea, et amputata. Quæ scilicet vita comparatur telæ, quæ texitur, quia fides illius rudis populi quibusdam incrementis proficiebat sicut tela, cum texitur. Et quemadmodum tela duobus lignis infra supraque religata innectitur, ut texatur, ita fides illius populi in humanitate et divinitate Redemptoris tenebatur, ac proficiebat.

Præcisa est ergo *vita* ejus, *velut* si tela præcidatur *a texente*, quia Dominus, qui fidem ejus augere solebat, justo judicio præcidit eam. Qui videlicet populus, *dum adhuc* ordiretur, præcisus est, quia quando fidei vitam perdidit, adhuc inchoabat. Unde et Apostolus improperat eis, dicens : « Cum debueretis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est (*Hebr.* v, 12). » Adhuc ergo populus ille ordiebatur, id est incipiebat, quando succisus est. « Nihil enim ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* vii, 19). »

Rursus voce electæ partis ejusdem populi subjicitur : « De mane usque ad vesperam finies me. » Et a superioribus intelligitur : *Dixi*. Quod enim bis superius ait, *Dixi* frequenter subintelligi potest in sequentibus. Quid vero *mane*, nisi tempus illud dicit, quo populus ille, vel per Abraham, vel per Moysen cœpit Deum cognoscere ? Et quid *vesperam*, nisi occasum solis justitiæ, id est passionem Domini nuncupat? Dixit itaque populus Hebræorum quia « de mane usque ad vesperam finies me, » quoniam se religiose victurum prophetavit ab initio datæ legis usque ad passionem Domini. Quotidie enim finitur, qui ob amorem patriæ cœlestis ab amore præsentium magis magisque deficit, et desideria carnis exstinguit, secundum illud Apostoli : « Semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes, ut et vita Jesu Christi in corpore vestro manifestetur. Semper autem nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Christum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali (*II Cor.* iv, 10). Nam et sub Veteri Testamento sic vivebant nonnulli. Deinde propria voce Dominus adjungit :

Vers. 13. — « Sperabam usque ad mane. »

Id est exspectabam resurrectionem secundum illud: « Caro mea requiescet in spe (*Psal.* xv, 9). » *Mane* enim horam resurrectionis appellat. Nam de vespera, quam præmisit, et de isto mane scriptum est alias : « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* xxix, 6). » Fleverunt enim discipuli, moriente Domino ; sed, eo resurgente, lætati sunt. Post multiplicem itaque vocum variationem hucusque frequenter immutantem personas loquentium jam diutius Ecclesiæ vox in his quæ sequuntur, perseverat. Subjungit enim :

« Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea, » etc. In ossibus quippe est fortitudo corporis. Et quæ sunt *ossa* hujus sacri corporis, id est Ecclesiæ, nisi Apostoli ? *Quasi* ergo si conterat *Leo* cujusquam esse, quem devorat ; sic contrivit Satanas, tempore Dominicæ passionis, ossa Ecclesiæ, quia tunc omnium apostolorum mentes confregit, et constantiam eorum contrivit. Sed hoc periculum cito præteriit, ut Ecclesiæ religio usque ad consummationem sæculi perduraret. Consequenter enim loquitur : « De mane usque ad vesperam finies me. » Nam *mane*, sicut et superius, horam Dominicæ resurrectionis appellat, vesperam vero finem mundi. Et *de mane usque ad vesperam* finitur, quia ex tempore resurrectionis Dominicæ usque ad mundi terminum carnem suam crucifigens, cum vitiis et concupiscentiis Apostolum imitatur, dicentem : « Quotidie morior (*I Cor.* xv, 31). » Et adjungit :

Vers. 14. — « Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba. »

Clamabo, inquit, *ut pullus hirundinis*, qui natus clausos habet oculos usque ad diem octavum, et clamat propter cæcitatem et famem. Sic enim homo, in hujus vitæ cæcitate natus, usque ad diem novissimæ resurrectionis positus in tenebris et egestate, clamare jugiter debet pro his ad Deum, et compon-

(142) Ambo cod. *fasci*.

Digitized by Google

ctioni studens, meditari *ut columba*, quæ pro cantu gemit assidue. Postquam vero justorum Ecclesia vel quælibet sancta anima diutius ita clamavit, et meditata est, subsequitur, dicens :

« Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. » Ex sæcularibus enim curis et cogitationibus infimis crassitudine quadam hebetantur oculi cordis sicut de quibusdam dicitur, quia « incrassatum est cor populi hujus (*Matth.* XIII, 15). » Qui vero terrena omnia mente transcendit, et cogitationes suas subtiliter mundans, cœlestium contemplatione desiderioque pascitur, hujus oculi, *in excelsum suspicientes*, attenuantur. Sic enim oculos attenuari sanctus Job volebat, cum diceret : « Spiritus meus attenuabitur (*Job* XVII, 1). » Bene ergo dicit Ecclesia contemplationi supernorum intenta, quia *attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum*. Sed ab altitudine contemplationis rediens ad considerationem malorum, quæ inferius tolerat, subjungit obsecrando : « Domine, vim patior, responde pro me. » Et intra se cogitando addit :

VERS. 15. — « Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? »

Domine, inquit, *vim* tribulationis *patior*, *responde* tibi *pro me*, quia non valeo respondere tibi, cum scriptum sit : « O homo quis es, ut respondeas Deo? » (*Rom.* IX, 20.) *Responde* ergo *pro me*, id est causam meam contra severitatem justitiæ tuæ misericorditer defende, ut vim afflictionis, quam juste patior, amovere possis per rationem justitiæ. *Quid* enim, inquit, *dicam* Deo meo? Ac si dicat : « Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit (*Job* IX, 20). *Aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit*, id est quam rationem mihi reddet de his quæ patior, cum ipse conditor meus sit, qui me vel affligit vel affligi permittit? Qui enim me benigne condidit, nequaquam injuste cruciari permittit. Sed est, quod inter hæc salubriter agam : « Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, » id est ad memoriam revocabo omne tempus vitæ meæ transactum, et omnia deflebo, quæ me male egisse recognovero.

VERS. 16. — « Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei. »

In præsenti vita *sic vivitur*, ut supra dixit de se, id est dolores et afflictiones patiendo. Omnes enim, qui vivimus, afflictione premimur, et ei, qui nos affligit, respondere non possumus. *Et in talibus* doloribus est *vitæ spiritus mei*, id est vita, quam spiritus his artubus confert.

Vel *sic vivitur* vera vita, id est recogitando cum amaritudine pœnitentiæ præteritos annos. *Et in* amaritudinibus *talibus* et recordationibus *est vita spiritus mei*, quia per pœnitentiam reviviscit anima, quæ in peccatis mortua erat. Sive in talibus afflictionibus enutritur *vita spiritus mei*, quia tanto verius vivit Spiritus mentis, quanto fortius caro conteritur. Unde et additur :

« Corripies me, et vivificabis me. » *Corripies* me flagellando exterius, et per hoc *vivificabis me* interius ut dicere possim, quia « castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me (*Psal.* CXVII, 18). » Hæc loquitur Ecclesia vel quilibet justus cum Paulo, glorians in tribulationibus. Sed qui sic corripi desiderat, videamus quid agat, cum correptio foris cessaverit. Subjungit :

VERS. 17. — « Ecce, in pace amaritudo mea amarissima. »

In pace enim est *amaritudo* electorum *amarissima*, quia qui semper in amaritudine cordis sunt, tunc vehementius amaritudine replentur, cum nihil adversitatis exterius patiuntur. Sed quid per hanc correptionem et amaritudinem meruerint, sequitur : « Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, » id est ab imminenti periculo damnationis æternæ salvasti. Et quomodo eam a periculo mortis eruisti? Sequitur : « Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, » id est a conspectu tuo auferens, in his quæ retro sunt ea reliquisti, ut jam in anterioribus, id est in futuris sæculis non videantur. Sequitur :

VERS. 18. — « Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te : non exspectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam. »

VERS. 19. — « Vivens, vivens ipse confitebitur tibi sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam. »

Quod animam meam a morte erueris, dum peccata dimitteres, inde comprobatur, quia *infernus non confitebitur tibi*, id est his qui in inferno sunt, per confessionem peccatorum, non dabitur jam remissio : *neque mors laudabit te*, id est qui in illa morte sunt. Et *qui* semel *in lacum* perditionis illius *descendunt*, jam *veritatem* doctrinæ tuæ *non exspectabunt* cognoscere, quoniam, in sua stultitia consumpti, sine remedio punientur.

Vel certe *veritatem* promissionis tuæ *non exspectabunt*, quam exspectant electi. Infernus et mors non confitebuntur, sed *vivens, vivens ipse confitebitur tibi*, id est, dum in præsenti sæculo quisque vivit, habet potestatem confitendi peccata sua, sicut et ego, dum adhuc hodie vivo, confiteor. Et illi, *qui descendunt in lacum*, *non exspectabunt veritatem tuam*. Sed *pater* quisque spiritualis *notam faciet veritatem tuam filiis* suis, quos in Christo Jesu per Evangelium genuerit. In hac enim vita locus est discendi, non in inferno, et hic est locus peccata confitendi atque purgandi. Hucusque Dominus voce corporis tui locutus est. Sed post hæc voce propria loquitur ad Patrem, dicens :

VERS. 20. — « Domine, salvum me fac. »

Id est resuscita me. Rursumque membrorum suorum voce subjungit : « Et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini, » id est in Ecclesia permanebimus in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus cantantes et psallentes in cordibus nostris Domino. Hoc enim a re-

Digitized by Google

surrectione Domini fideles agunt ubique. Et hæc est oratio Ecclesiæ deprecantis in Psalmo : « Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die qua invocaverimus te (*Psal.* XIX, 10). » Nam quod ibi dicitur : « Domine, salvum fac regem, » hoc est, quod ipse rex ait hic : *Domine, salvum me fac;* et quod ibi sequitur : « Et exaudi nos in die qua invocaverimus te, » hoc loco subditur : « Et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini. » Terminata itaque oratione regis Ezechiæ, sequitur in narratione prophetica :

VERS. 21. — « Et jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur. »

Dominus autem in Osee dicit : « Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneæ (*Osee* IX, 10). Et Jeremias, visionem quamdam referens ait inter alia : « Calathus unus ficus bonas habebat nimis, ut solent esse ficus primi temporis (*Jerem.* XXIV). » Et subjungit Dominum dixisse : « Sicut ficus hæ bonæ : sic cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum, et ponam oculos meos super eos ad placandum (*ibid.*, V).

Quid ergo per *massam* ficorum designatur, nisi multitudo electorum dulcis et suavis ? Quid itaque est, quod super vulnus Ezechiæ ponitur massa ficorum, nisi quod, dum Redemptor noster in cruce pendens lancea vulneratur, Ecclesiam proprio cruore mercatur ? Unde Paulus ait : « Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (*Act.* XX, 28). » Vulneratus igitur acquisivit Ecclesiam quod est massam ficorum esse vulneri superpositam.

Et cataplasmata est hæc massa de ficis super vulnus, quia justorum Ecclesia glutino charitatis adhæret Dominicæ passioni. Ut autem massa hæc super vulnus est cataplasmata, sanatus est rex, quia postquam Christus patiendo agglutinavit sibi multitudinem electorum, qui omnes unum sunt, calcata morte, surrexit jam non reversurus in corruptionem. Sanatus est enim, quia gloria resurrectionis indutus est. Sequitur :

VERS. 22. — « Et dixit Ezechias : Quod erit signum quia ascendam ad domum Domini. »

Cum hoc dixisset rex, Isaias respondit ei, quod supra positum est voce Domini : « Hoc erit tibi signum a Domino, quia facit Dominus verbum hoc quod locutus est : Ecce ego reverti faciam umbram linearum (*Apoc.* III, 7), » etc. Ezechias ascensurus erat in domum Domini, quia Christus, a mortuis resurgens, ascendit in illam æternitatis domum, ubi nunc sedet in dextera Dei Patris. Sed hujus ascensionis fuit signum, quod decem lineis sol reversus est, quia dum in ejus morte et resurrectione patefierent arcana legis, datum est evidens indicium, quia ipse regna quoque cœlorum reseraturus erat. Nam neque legem, neque cœlum aperire poterat nisi sanctus et verus, « qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit (*Apoc.* III, 7). » Post cujus ascensionem quia gentes ad fidem venerunt, bene subditur :

CAPUT XXXIX.

« In tempore illo misit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros et munera ad Ezechiam; audierat enim, quod ægrotasset et convaluisset. »

Quid enim per *Merodach*, qui interpretatur, *amara arrogantia* vel *amaritudinem immittens*, nisi magistros sapientiæ sæcularis designat, qui propter eamdem suam sapientiam assumpserant nimiam arrogantiam et sequacibus suis immittebant amaritudinem arrogantiæ vel sapientiæ suæ? Qui et *Baladan* cognominatur, quod dicitur : *Venit sibimet judicans*, quia sapientes sæculi ad hoc venerunt, ut sibimet judicantes præferrent sua his quæ erant aliorum, de quibus recte Dominus ait : « Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones (*Joan.* X, 8). » Atque *filius Baladan* est iste Merodach, quia hi, qui ex sapientibus mundi crediderunt, ex doctrina veterum sapientum erant primogeniti. *Rex* quoque *Babylonis*, id est *confusionis* dicitur fuisse Merodach, quia sapientes sæculi principes erroris fuerunt.

Hic ergo Merodach *misit ad Ezechiam*, id est ad Christum *libros* sanæ doctrinæ, *et munera* bonorum operum. Multi enim ex sapientibus gentium converti libros optimos scripserunt, et munera suæ devotionis obtulerunt Christo, sicut Justinus philosophus, et Areopagita Dionysius, et Augustinus Aurelius *Audierat enim* per apostolos iste Merodach, *quod* Ezechias *ægrotasset, et convaluisset*, id est Christus infirmitatem nostræ mortalitatis assumpsisset, et ad immortalitatis gloriam pervenisset. Sequitur :

VERS. 2. — « Lætatus est Ezechias super eis, et ostendit eis cellam aromatum, et argenti et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suæ, et universa, quæ inventa sunt in thesauris ejus. »

Lætatus est Christus super conversis gentilibus, *et ostendit eis cellam aromatum*, id est introduxit eos in Ecclesiam, quæ referta est aromatibus virtutum. Quæ cella est *et argenti*, id est divini eloquii, *atque auri*, id est supernæ sapientiæ, *et odoramentorum*, quæ sunt orationes sanctorum, *et unguenti optimi*, id est unctionis Spiritus sancti. Unguentum enim optimum est Spiritus sanctus, quia prædicavit « Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Spiritu sancto Deus (*Act.* X, 38). »

Ἀποθήκη *Apotheca* vero græce, latine dicitur *repositorium* vel *reconditorium*. Quid autem supellex Ezechiæ designat, nisi virtutum ornamenta, et bonorum operum instrumenta varia? Quid ergo per apothecas supellectilis ejus, nisi congregationes fidelium intelligere debemus, sive mentes eorum, ubi recondita est multimoda virtutum supellex? Deinde quod per partes descripserat, generaliter adjungens *universa quæ inventa sunt in thesauris ejus*, omnia bona nuncupat : et cuncta hæc ostendit Christus conversis gentilibus. Sequitur :

Digitized by Google

« Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. »

Domus ejus est Ecclesia. Potestas ejus est, de qua dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII, 18). » *Non fuit* ergo *verbum, quod non ostenderet eis in domo sua, et in omni potestate sua*, quoniam omnia, quæ sunt in Ecclesia vel in cœlo et in terra, prout nunc ea nosse debet pietas christianæ religionis, manifestavit eis, sicut ait : « Vos autem dixi amicos : quia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* XV, 15). » Sequitur :

VERS. 3. — « Introivit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, et dixit ei : Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te? »

Vocatis ad fidem gentibus intravit Isaias, id est sermo propheticus ad Ezechiam, id est ad Christum locuturus de eis, quia tunc in eorum moribus impleri cœpit, quod de eorum conversatione dudum fuerant locuti prophetæ. De quibus quasi de ignotis interrogat, quia prophetæ velut incognitos habebant gentiles, quibus præsentialiter non loquebantur. Sequitur :

« Et dixit Ezechias : De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. » Longe erant gentiles a Deo *in Babylone*, id est dum in confusione erroris idololatriæ morarentur. Unde fertur adolescentior ex duobus fratribus, accepta portione substantiæ, abiisse « in regionem longinquam (*Luc.* XV, 12), » et ibi eamdem substantiam suam dissipasse vivendo luxuriose, sed tandem, aliquando surgens, rediisse ad patrem suum. Venerunt igitur *de terra longinqua, de Babylone* gentiles, qui conversi sunt ab antiquis erroribus ad Christum. Sequitur :

VERS. 4. — « Et dixit : quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias : omnia, quæ in domo mea sunt, viderunt : non fuit res, quam non ostenderem eis in thesauris meis. »

Omnia quæ sunt *in domo* Domini, id est in Ecclesia, viderunt conversi gentiles et agnoverunt, atque diligenter instructi sunt de omnibus. *Non fuit res in thesauris* ejus, quam non ostenderit eis, quoniam omnes divitias animæ et virtutum opes manifestavit eis. Sed jam videmus atque gemimus ex magna parte compleri quod sequitur.

VERS. 5. — « Et dixit ad Ezechiam Isaias : Audi verbum Domini exercituum : »

VERS. 6. — « Ecce dies venient, et auferentur omnia quæ in domo tua sunt, et quæ thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem : non relinquetur quidquam, dicit Dominus. »

Dies veniunt, atque jam cœperunt, de quibus ait Apostolus : « Quoniam in novissimis diebus instabunt periculosa tempora, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes (*II Tim.* III, 1-5). » Quantum igitur ad multitudinem hujusmodi pseudochristianorum, *auferentur* in diebus illis spiritaliter *in Babylonem omnia quæ sunt in domo* Domini. Neque enim de infidelibus loquitur Apostolus hæc omnia, sed de his potius qui dicuntur Christiani, de quibus et Dominus ait : « Verumtamen veniens Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram? » (*Luc.* XVIII, 8.) Quid ergo mirum, *si omnia quæ sunt in domo* Domini dicuntur *in Babylonem* tollenda, cum ipse Dominus in adventu suo vix inventurus sit fidem super terram?

Nec tamen ita dicendo negamus nonnullos tunc strenuissimos fore justos, sed de eorum multitudine loquimur, de quibus scriptum est : « Quoniam, abundante iniquitate, refrigescet charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12). » Omissis ergo paucis justis de reproborum copiosa, quæ tunc abundabit, multitudine sermo est, cum dicitur, quia *tollentur in Babylonem omnia quæ sunt in domo* Ezechiæ, id est in hac plebe Christiana, videlicet aromata virtutum, et fragrantia opinionis optimæ, et argentum divini eloquii, et aurum cœlestis sapientiæ, et odoramenta orationum, et cætera superius descripta.

Patres autem Domini prophetæ vocantur et patriarchæ, qui *thesaurizaverunt* in domo ejus usque hodie thesauros morum bonorum et sapientiæ, quia per eorum facta et dicta spiritalibus divitiis repletur Ecclesia. Sed omnes hi thesauri post paucos dies auferentur in Babylonem, id est in confusionem, quia per Antichristum omnia interioris hominis bona ducentur captiva. *Non relinquetur quidquam, dicit Dominus*, quia ille pestifer omnia corrumpet et destruet. Sed his de damno morum præmissis, de captivitate fidelium subjungitur :

VERS. 7. — « Et de filiis tuis, qui exibunt de te, suos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. »

Non ait : omnes filios tuos tollent, sed de *filiis tuis tollent*. Ubi satis apparet, non omnes tunc fideles seducendos esse. Omnes enim Christiani sunt filii ejus, sicut ipse demonstrat, cum dicit : « Nunquid possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus? » (*Marc.* II, 19.) Et bene dicitur : *Qui exibunt de te*, quia secundum Apostolum sumus « de carne ejus, et de ossibus ejus (*Ephes.* V, 30). »

De his ergo filiis nonnullos tollent prædicatores Antichristi, et facient eos eunuchos esse, id est absque mentis virilitate, *in palatio regis Babylonis*, id est in curia principis hujus sæculi, qui est Satanas. Eunuchus namque est, qui mentis virilitatem, qua spiritales filios gignere prædicando deberet, amisit. Unde per Moysen dicitur : « Quia non intrabit eunuchus, attritis vel amputatis testiculis et abscisso veretro Ecclesiam Domini (*Deut.* XXIII, 2). » Atteruntur enim testiculi ejus, cujus interna virilitas adversis comminuitur. Amputantur vero testiculi ejus cum veretro, cujus spiritalia virilia, quibus

Digitized by Google

per Evangelium filios generare posset, auferuntur. Sed quicunque talis est, intrare non valet Ecclesiam Domini supernam, quam soli ingrediuntur electi. Recte itaque dicitur, quia « de filiis tuis exibunt, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis, » quoniam sub Antichristo multi seducentur ex Christianis, et adhærebunt enerviter obsequio regis intimæ confusionis. Sequitur :

Vers. 8. — « Et dixit Ezechias ad Isaiam : Bonum verbum Domini, quod locutus est. »

Bonum est, ut multitudo reproborum, quæ modo gravat Ecclesiam, tota per Antichristum separetur ab electis. Sequitur :

« Et dixit : Fiat tantum pax et veritas in diebus meis. »

Dierum nomine signari solet electorum conversatio, Salomone dicente : « Justorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem (*Prov.* iv, 18). » Qui sunt ergo dies Ezechiæ, id est Christi, nisi electi ejus, quibus ait Apostolus : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino ? » (*Ephes.* v, 8.) *Fiat* ergo *pax in diebus* istis, ut sit « in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* ii, 14), » ne spiritaliter expugnentur a rege Babylonis, et captiventur. Fiat in eis *et veritas*, ne sint ex illis, quibus per Antichristum Deus immittet operationem erroris, ut credant mendacio, sicut ait Apostolus : « Eo quod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent (*II Thes.* ii, 10). » Licet enim justi persecutionem foris patiantur, semper tamen est in eis pax, quoniam in eis audire merentur : « Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu (*Philip.* iv, 7). » Quorum enim corda et intelligentias pax Dei custodit in Christo, in his recte pax fieri dicitur, quoniam a pace Dei nulla impugnatione hostili separantur. Et in his *tantum fit pax*, quia « non est pax impiis dicit Dominus (*Isa.* xlviii, 22). » *Veritas* quoque *fit in eis*, dum, veritatem facientes in charitate, crescunt in illo per omnia, qui est caput Christus. Sed quoniam tristia de spiritali captivitate fidelium prædicta sunt, apte subjungitur electorum consolatio, cum dicitur :

CAPUT XL.

Vers. 1. — « Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester.

Vers. 2. — « Loquimini ad cor Jerusalem, et avocate (143) eam, quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. »

Considerans enim Dominus abominationem desolationis illius novissimæ, qui per Antichristum fiet, benigne suos inter adversa consolatur, dicens : « Consolamini, consolamini, populo meus. » Et ut consolationem qui jam perceperunt, alios consolari studeant, adjungit :

« Loquimini ad cor Jerusalem, et avocate eam. » *Ad cor* namque est loqui tristem blande consolando alloqui. Unde Ruth dixisse fertur ad Booz : « Consolatus es me, et locutus es ad cor ancillæ tuæ (*Ruth* ii, 13). » Huic autem loco consonat Apostolus, dicens : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; sic ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni tribulatione sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo, quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra (*II Cor.* i, 3-5). »

Nam quod ait Dominus : *Consolamini, consolamini, populo meus*, Apostolus dicit : « Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » Et quod Dominus subdit : *Loquimini ad cor Jerusalem*, Apostolus adjungit : « Ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni tribulatione sunt, » etc. *Loquimini* igitur, inquit, *ad cor Jerusalem*, id est Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis animæ inter adversa positæ, dicentes ea quæ cor ejus audire desiderat, *et avocate eam*, ut discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini, quatenus humanæ conversationis prava studia deserens, terrenorum hominum, qui præ abundantia iniquitatis multi sunt, perditos mores non imitetur.

Quoniam in illa tribulatione novissima *completa*, id est *finita est malitia ejus*, ea scilicet malitia, de qua scriptum est : « Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit enim diei malitia sua (*Matth.* vi. 34). » Tunc enim omnem corporeæ necessitatis sollicitudinem, quæ nunc appellatur malitia, relinquere compelletur quisque fidelis, et se ipsum in ovem occisionis deputare. Terminata est ergo tunc malitia ejus, quia omnem mundi sollicitudinem abjiciet; et quia persecutionem patitur propter justitiam, dimissa est iniquitas illius, quam forte ante commiserat. *Suscepit* namque *de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*, quia et in corpore et in anima vehementissime cruciatus est pro omnibus peccatorum, præteritis delectationibus. « Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet (*Matth.* xiii, 21). »

Possunt tamen hæc super adventu Domini convenienter intelligi. Præcipua namque consolatio populi Dei fuit adventus Christi, quia ex quo patribus promitti cœpit, multis sanctorum lacrymis desideratus fuerat. Unde senex ille Simeon erat « exspectans consolationem Israel : et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini (*Luc.* ii, 25). » Hanc ergo consolationem Israel, quæ per adventum Christi futura erat, offert propheta nunc eidem populo, dicens : « Consolamini, consolamini, populo meus,

(143) Alias, *advocate.*

Digitized by Google

dicit Dominus Deus vester; » atque subjungit, dicens ad apostolos : *Loquimini ad cor Jerusalem*, id est, ad cor plebis Judæorum, blande et rationabiliter ad pœnitentiam Dominicæ necis exhortantes eam. *Et avocate eam*, ab infidelitate ad fidem, a vetustate ad novitatem, *quoniam completa est malitia ejus*, occidendo Salvatorem, et post *dimissa est iniquitas illius* credendo in eum.

Ut autem intelligamus, quod sequitur : « Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, » meminerimus in hoc corpore corruptibili, quod aggravat animam, vita nos misera vivere. Sed quia jam redempti per mediatorem sumus, et Spiritum sanctum pignus accepimus, beatam vitam in spe habemus, etsi rem ipsam nondum tenemus. « Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem, quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24). » In malis autem quæ quisque patitur, non in bonis quæ fruitur, opus est patientia.

Hanc ergo vitam, de qua scriptum est : « Nunquid non tentatio est vita humana super terram? (*Job.* VII, 1), » in qua quotidie clamamus ad Dominum : « Libera nos a malo (*Matth.* VI, 13), » cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Bene itaque, cum dictum esset : « Dimissa est iniquitas illius, » subjunctum est : « Quoniam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, » quia dum peccaret, et postquam peccare desiit, afflictionem præsentis vitæ sustinuit. Sequitur :

VERS. 3. — « Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. »

Interrogatus Joannes Baptista quis esset, respondit : « Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini sicut dixit Isaias propheta (*Joan.* I, 23). » Joannes ergo *vox* dicitur, quia verbum præcedit. Sicut enim ex usu nostræ locutionis cognoscimus, vox ante sonat, ut verbum postmodum possit audiri. Adventum itaque Dominicum præcurrens, Joannes *vox* appellatur, quia per ministerium illius Verbum Patris auditur. Verbum est ipsa cogitatio, quæ adhuc intra secreta conscientiæ retinetur; vox vero sonus index cogitationis. Verbum quippe dicitur esse, quod intra animi silentium mente concipimus; vox autem, per quam verbum proferimus. Verbum etiam est ratio, quæ per vocem auditur. Sicut ergo quando verbum corde concipimus, necessaria est vox quasi quoddam vehiculum verbi, et licet ipsum verbum per oris sonum ad alium transferamus, tamen ad integrum etiam intra nos manet, id est, sic clausum a loquente transfertur, ut tamen in sua sede teneatur; ita omnipotens Pater innotescere volens nobis sapientiam et Verbum, quod in principio erat Deus apud Deum, sicut ipse ait : « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* XLVI, 2), » beatum Joannem quasi vocem, per quam ad nos Verbum suum proferret, assumpsit; et verbum illud, de illa cœlesti sede sic ad nos descendit, ut tamen in profundo paterni pectoris maneret, terrena visitans, et cœlestia non relinquens. Bene itaque Joannes *vox* dicitur, cujus, inchoante præconio, sacramentum redemptionis humanæ surda dudum cœpit audire mortalitas. *In deserto* etiam vel *in solitudine clamat*, quia derelictæ et destitutæ Judææ solatium suæ salutis annuntiat.

Vel per desertum et solitudinem designari potest destitutio boni. Vacua enim timore Dei pectora deserto squalentis eremi comparantur. Clamat ergo Joannes in deserto, dicens : « Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri (*Luc.* III, 4), » quia « multos filiorum Israel convertit ad Dominum Deum ipsorum præcedens ante illum parare Domino plebem perfectam (*Luc.* I, 16). » Et nobis adhuc præcepit, ut in medio nationis pravæ et perversæ, id est, inter iniquos cum quibus degimus, viam in nobis ipsis Domino paremus bene vivendo, qui ait : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). »

Potest per *viam* actio designari, et per *semitas* cogitationes. Præcipit igitur nobis parare *viam Domini*, *et rectas* facere *semitas ejus*, quatenus et exteriorem conversationem nostram, et internas mentis nostræ cogitationes ei spiritaliter venienti præparemus.

Vel etiam prædicatoribus jubet parare viam Domini. Parat enim viam Domini, qui mentibus audientium gloriam ejus prædicat, ut eas et ipse post veniens per amoris sui præsentiam illustret. Parat quisque rectus prædicator viam Domini, quoniam verba exhortationis præcurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur. Sequitur :

VERS. 4. — « Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. »

Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles, et quid montium et collium nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemptoris valles exaltatæ, montes vero et colles humiliati sunt, quia juxta ejus vocem « omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. (*Luc.* XIV, 11). »

Prava autem *directa* fiunt, cum malorum corda per injustitiam detorta ad justitiæ regulam diriguntur. *Et aspera in vias planas* immutantur cum immites atque iracundæ mentes per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatis mansuetudinem redeunt. Quando verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis

Digitized by Google

repellit. Sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator invenit, ubi prius, præ asperitate itineris pergere, id est prædicationis gressum ponere, non valebat. His de primo adventu Salvatoris dictis, mox de secundo subditur :

VERS. 5. — « Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. »

Tunc enim *revelabitur gloria Domini*, quia « videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna et majestate (*Matth.* XXIV, 30). » Nam quia *omnis caro* accipitur omnis homo, tunc, revelata gloria Domini, *videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*, quando, apertis cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis. in sede majestatis suæ Christus apparuerit. Quem omnes electi a reprobis *pariter* videbunt, ut et justi de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti in ultione supplicii perpetuo gemant. *Videbit* itaque *omnis caro*, id est omnis homo *pariter quod os Domini locutum est* de gloria sanctorum et damnatione malorum. Sequitur :

VERS. 6. — « Vox dicentis : Clama. Et dixi : Quid clamabo? Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. »

VERS. 7. — « Exsiccatum est fenum, et cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fenum est populus. »

VERS. 8. — « Exsiccatum est fenum, et cecidit flos : verbum autem Domini manet in æternum. »

Vox, inquit, audita est Domini *dicentis* ad me : *Clama. Et dixi : Quid clamabo?* Et ait : *Omnis caro fenum.* Fides prophetæ probatur oraculo. *Clama*, inquit Dominus. Et propheta : *Quid clamabo?* Atque Dominus : *Omnis caro fenum.* Vide jubentis imperium, obtemperantis obsequium, interrogantis affectum, obsequentis oraculum. Credit enim qui quod clamaret exposcit, et quod credidit prophetavit. Antequam vero Christus venisset, qui nobis gloriam vitæ alterius innotuit, putabatur aliquid esse gloria hujus sæculi, vita carnis mortalis ; sed in eo didicimus, quam fragilis et caduca sit. Unde nunc vates, postquam ejus adventum annuntiavit, clamare jubetur, quia *omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.*

Et bene *caro* dicitur *fenum*, quia velociter ab hac vita succiditur, et arescit, ac sicut fenum viriditatem habet nascendo, et decorem pullulando, sed abscissum siccatur, et in pulverem redigitur : ita caro mortalis in pueritia viret, et in juventute nitet ; sed cum per mortem abscissa fuerit, pulvis efficitur.

Brevis quoque temporalis ejus gloria demonstratur, cum additur, quia *omnis gloria ejus quasi flos agri.* Iniquorum quippe gloria flori feni vel agri comparatur, quia carnis gloria, dum nitet, cadit ; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Nam flos feni et odoratu delectat et visu, sed citissime gloriam suæ venustatis et suavitatis amittit, ideoque huic rectissime præsens carnalium felicitas assimilatur, quæ nullatenus esse diuturna valet.

Exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia carnalium decor temporalis in fine consumitur. *Quia Spiritus Dei sufflavit in eo*, id est sententia districti Judicis vitam carnis quasi viriditatem feni arefaciens. « Vere fenum est populus quoniam tanquam fenum velociter arescet (*Psal.* XXXVI, 2). » — « Verbum autem Domini, » id est Christus « manet, in æternum (*I Petr.* I, 25) » in ea carne, quam suscitavit. Quid autem prædicatores ejus inter eos, qui fenum sunt, agere debeant audiamus. Sequitur :

VERS. 9. — « Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Judæ : Ecce Deus vester. »

Super montem excelsum ascende tu, id est communem cæterorum hominum conversationem sublimiter transcende, ut ab infimis cogitationibus ad superna desideria, et a terrenis actibus ad virtutum exercitia conscendens, aliis exemplum appetendi sublimia præbeas, *tu qui evangelizas Sion*, id est *speculam* provide circumspectionis contra singulorum adventum vitiorum. *Exalta in fortitudine* robusti operis *vocem* tuæ prædicationis, qui *evangelizas Jerusalem*, id est visionem illius pacis perpetuæ. *Exalta* in libertate *vocem tuam*, *noli timere* adversarios, quia cito veniet pax quam annuntias. *Dic civitatibus Judæ*, id est Ecclesiis catholicæ confessionis : *Ecce Deus vester* jam jamque veniet dare vobis visionem pacis sempiternæ, qui temporaliter pro justitia pugnatis. Unde et additur :

VERS. 10. — « Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. »

In magna *fortitudine veniet Dominus, et brachium ejus*, id est virtus ejus, *dominabitur*, quia « cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum, omnes gentes (*Matth.* XXV, 31). » *Ecce merces ejus cum eo*, quia tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt : « Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum quod præparatum est vobis a constitutione mundi (*ibid.* 34). »

Et opus illius, id est opus mercedis erit *coram* ipso, quia pensabit et examinabit opus, cui tantam mercedem restituet, subjungens : « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare (*ibid.*, 35), » etc. Vel *opus* ejus, id est genus humanum, quod ipse condidit, erit *coram eo*, quando, sicut dictum est « congregabuntur ante eum omnes gentes. » — « Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat

Digitized by Google

unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (*II Cor.* v, 10). » Sequitur :

VERS. 11. — « Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. »

Inter homines Dominus, corporaliter conversans, gregem ovium suarum pavit sicut pastor, dicens : « Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ (*Joan.* x, 14). » Pavit *gregem suum* prædicatione sua, et corpore ac sanguine suo adhuc pascere eum non cessat. Qui et *agnos*, id est mansuetos et innocentes ac simplices *in brachio* virtutis suæ congregavit, et congregat, atque complectendo portat, et *in sinu* pietatis suæ fovens, et protegens *levat*, atque *fœtas oves*, quæ propter filios infirmatæ sunt, clementer *portat*, id est sanctos doctores, qui eis quos spiritaliter genuerunt dicunt : « Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos (*I Thes.* II, 7). » Qui feminino genere nuncupantur et propter maternum affectum et charitatis viscera misericordemque infirmationem. Portat igitur *fœtas*, quoniam eos propensiori pietate sustentat, et sustollit atque provehit, qui misericorditer infirmantur, ut infirmos lucrifaciant.

Tunc enim vere impletur, quod scriptum est, quia « virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII, 9). » Sed jam libelli hujus finem faciamus, ut in aliis opusculis sequentia tractemus.

LIBER SEXTUS.

SEQUITUR CAPUT XL.

VERS. 12. — « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, et libravit in pondere montes, et colles in statera. »

Errorem idololatriæ propheta multipliciter improbaturus primo Deum docet esse incircumscriptum, et immensum, atque omnipotentem, et omnisapientem, ut, quantæ sit amentiæ lapideam vel metallicam imaginem Deum esse credere manifestius innotescat.

Quis mensus est, inquit, *pugillo aquas*, subaudi, nisi Deus, qui eas omnes pugillo suo includens mensus est? *Et quis palmo cœlos ponderavit*, nisi idem conditor, qui eorum latitudinem palmo suo sustentans ponderavit, ut orientalis pars et occidentalis ipsorum æqui ponderis essent, et aquilonaris non præponderaret australi, nec levior esset? Et *quis appendit tribus digitis molem terræ*, librans eam in medio aquarum, nisi summus Artifex? Et *quis libravit in pondere montes*, ut non ab alia parte magis terram gravarent quam ab alia, *et colles in statera*, ut æqui ponderis essent, suspendit, nisi Creator ipsorum?

Quantus ergo est iste, qui pugillo suo continens mensus est omnes aquas; et cœlos amplitudine palmi sustinens ponderavit, atque terram super aquas tribus digitis appendit? Immensus esse non dubitatur, qui hæc agere potuit, non quia ipse credendus sit habere corporea membra, sed quia per has similitudines intimatur magnitudo potentiæ divinitatis ejus. *Mensus est* enim *pugillo aquas*, quia virtute actionis suæ inclusit eas, et quantum voluit exuberare fecit vel minui. *Et cœlos palmo ponderavit*, quia larga potentia suæ operationis eos in æquitate disposuit. *Et appendit tribus digitis molem terræ*, quoniam trina virtute fundavit eam. Similiter *montes et colles* trina potentia operationis instituit, id est virtute, qua operatur Trinitas.

Quod si moraliter hæc intelligi debent, per *aquas* bonorum mentes fidei prædicamenta sequentium designari solent, sicut ait superius : « Beati, qui seminatis super omnes aquas (*Isai.* XXXII, 20). » Et Psalmista : « Vox Domini super aquas (*Psal.* XXVIII, 3). » Hoc igitur loco quid aquarum nomine, nisi electorum corda, signantur, quæ per intellectum sapientiæ auditum jam supernæ vocis acceperunt? De quibus recte dicitur : *Quis mensus est pugillo aquas*, subaudi : nisi solus Deus? Sancti enim, qui, sublevante spiritu, ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita mortali sunt, ne aliqua elatione superbiant, dispensante manu Domini, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt; quia *pugillo Dei* in mensura constringuntur, pugillo suo eos Dominus metitur, quia sic ipsos modificat, ut unusquisque eorum nec infra minima negligens deficiat, nec ultra maxima superbiens tendat, nec minus conetur explere quàm sufficit, nec plus arripiat quam cœpit, ne aut ad mensuram quam debet non perveniat, aut eamdem mensuram deserens extra limitem cadat. Unde Corinthiis ait Apostolus : « Non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi ad vos (*II Cor.* x, 13). » Recte ergo dicitur, quia *mensus* est Deus *pugillo aquas*.

Quid autem cœlorum nomine nisi mentes justorum exprimuntur a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ, in quibus jam Dominus quasi in cœlestibus regnat? *Cœlos* igitur *palmo ponderavit*, quia sanctis virtutum copiam larga manu tribuens, qua suspenduntur, pondus adhuc infirmitatis, qua deprimuntur, non aufert. Ad ima namque trahit eos caro ne extollat spiritus; ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro; et sic, certo moderamine sublevante et deprimente manu Domini, ut dum unusquisque eorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, ne desperatio-

Digitized by Google

nis lapsum vel elationis incurrat, quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit, nec rursum interior intentio in superbiam elevat, quia tentatio exterior, dum gravat, humiliat, sed dum spiritus trahit, et caro retrahit, subtilissimo judicii interni moderamine infra summa et supra infima in quodam medio anima libratur. *Cœlos* itaque Dominus *palmo ponderavit*, sicut Salomon testatur, quoniam « spirituum ponderator est Dominus (*Prov.* XVI, 2). »

Quid vero per terram, nisi Ecclesia figuratur, quæ semen prædicationis suscipit, et fructum boni operis reddit? Dominus ergo *tribus digitis appendit molem terræ*, quoniam in gratia fidei suspendit gravitatem Ecclesiæ, ut quæ sursum sunt quærat, non quæ super terram. Nam propter divinam Trinitatem per *tres digitos* designatur fides, quamvis et dona Spiritus sancti nomine digitorum intelligi possint, sicut ait Psalmista : « Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum (*Psal.* VIII, 4), id est sanctos, quos operata est gratia spiritualium donorum tuorum. His itaque *digitis*, id est gratia fidei, appenditur moles animæ nostræ, ut, terrena transcendens suspendatur in amore et contemplatione cœlestium.

Quid autem *montes et colles* nisi sanctos exprimunt, qui per vitæ meritum cœlestibus appropinquant? Salomon vero dicit, quia « pondus et statera judicia Domini (*Prov.* XVI, 11) » sunt. *Libravit* igitur *in pondere montes, et colles in statera*, quia sanctos in judiciorum suorum justo moderamine, sicut supra dictum est, ad altà suspendit. Sequitur :

VERS. 13. — « Quis adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? »

VERS. 14. — « Cum qui iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiæ, et erudivit eum scientia, et viam prudentiæ ostendit illi? »

Quis adjuvit spiritum Domini? Subaudi : nullus, quia omnipotens est. *Aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit ei* quid agere debeat? subaudi : nullus, quia novit omnia, nec aliunde scientiam accepit, et ipse fons sapientiæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. *Cum quo iniit consilium* ut instrueretur ab eo? subaudi : cum nemine, quoniam æternaliter omnia scit. « In quo etiam sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ (*Ephes.* I, 11). » *Et quis docuit eum semitam justitiæ*, id est per quam viam subtilitatem justitiæ suæ duceret eis miserando quibus justum erat, et eis irascendo quibus juste irasci debeat? Subauditur nullus : quia secundum Apostolum, « Cui vult miseretur, et quem vult, indurat (*Rom.* IX, 18). » Et quis *erudivit eum scientia?* Nullus, quia sine initio scit universa. Et quis *viam prudentiæ ostendit illi*, per quam incederet eligendo bona, et respuendo mala atque prudenter agendo per omnia? Nullus ei quidquam horum suggessit, quia per se ipsum omnia potest, et omnia scit. Sed cum tantæ magnitudinis atque potentiæ ac sapientiæ Deus esse monstratus sit, videamus, quid illi, qui de eo falsa sentiunt, æstimentur apud eum. Sequitur :

VERS. 15. — « Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei : ecce insulæ quasi pulvis exiguus. »

VERS. 16. — « Et Libanus non sufficiet ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. »

VERS. 17. — « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. »

Gentes idolis servientes *reputatæ sunt* ab eo *quasi stilla situlæ*, id est pro nihilo, sicut stilla aquæ decidens ex situla pro minimo ducitur a portante, quia velut a vase deciderunt ab Ecclesia fidelium in idolatriam. *Momentum* vero dicitur a motu, id est minima inclinatio libræ, et celerrima in alterutram partem, quæ fit ex parvo pondere. *Gentes* ergo *reputatæ sunt Deo quasi momentum stateræ*, quod levi motu flectitur in quamlibet partem, quia mente sunt instabiles, et ab æquitate semper exorbitantes. Hoc etiam in libro Sapientiæ sic dicitur : « Quoniam tanquam momentum stateræ sic ante te est orbis terrarum, tanquam gutta roris, antelucani, quæ descendit in terram (*Sap.* XI, 23). » Pro minimo itaque æstimantur apud Deum universi, qui in mundo sunt, nequitiam sectantes. Sed et *insulæ* maris cum habitatoribus suis reputatæ sunt *quasi pulvis exiguus*, qui in radio solis cernitur ad magnitudinem Dei.

Libanus autem est mons miræ altitudinis, arboribus abundans et uberrimis pascuis. Sed *Libanus* cum lignis et *animalibus* suis *non* sufficit *ad holocaustum* Domini, quia, etsi cuncta animalia, quæ pascuntur in Libano, immolentur ei, et ligna quæ ibi sunt omnia succiderentur ad comburenda holocausta, non satis esse possent ad placandam tantam majestatem. Hæc dicit, ut errorem gentilium destrueret, qui sanguine pecorum æstimabant se posse placare Deum in simulacris suis.

Quod autem præmiserat, quia gentes *quasi stilla situlæ reputatæ sunt*, adhuc innuit subdendo, quoniam *omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Nam quia recesserunt ab eo qui solus veraciter ait : « Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14), » merito sic esse dicuntur, *quasi non sint*, quoniam ad non esse tendunt per nequitiam, licet omnino nihil esse nequeant. Ostenso itaque, quia immensus est Deus omnipotens, et omnia novit, et quod omnes gentes pro nihilo reputatæ sunt ejus magnitudini, redarguit imprudentiam gentilium, subdendo :

VERS. 18. — « Cui ergo similem Deum fecistis? Aut quam imaginem ponetis ei? »

VERS. 19. — « Nunquid sculptile conflavit faber, aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius? »

Cum sit Deus incircumscriptus et incorporeus, *cui fecistis eum similem* fabricantes vobis ex materia deum? *Aut quam imaginem ponetis ei*, qui spiritus

Digitized by Google

est? *Nunquid faber conflavit* aliquod *sculptile* simile ei qui mensus est pugilo aquas et cœlos ponderavit palmo? Aut *aurifex auro figuravit* illud simulacrum quod ei simile sit qui libravit in pondere montes et colles in statera? Aut *argentarius laminis argenteis* faciet ejus imaginem de quo dictum est : « Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? » Nequaquam, quia sicut subditur :

VERS. 20. — « Forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens, et quærit, quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur. »

Ordo propheticæ disputationis diligenter est intuendus, quia primo Deum omnia circumplecti et sustentare docet, deinde omnipotentem esse declarat eum, et sapientiam ejus esse incomprehensibilem, et quod ad immensitatem ejus omnes gentes quasi nihil reputentur; deinde opinionem illam, quæ de idolis erat, aperta ratione devincit, quod omnium Dominus, qui et incircumscriptus est, et immensus est, templis nequeat includi saxeis, aut imagine aliqua figurari, quod omnis beneficii largitor sanguine victimarum non egeat, aut placetur; quod omnium denique Creator et gubernator non possit hominis manu creari; quod postremo Deus, ad cujus homo imaginem est factus, non debeat in metallis et simulacris æstimari. Nam et Apostolus simili modo philosophatus est apud Athenienses, dicens : « Deus, qui fecit mundum et omnia, quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem et omnia (144) (*Act.* XVII, 24). » Et post pauca : « Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro aut argento aut lapidi sculpturæ artis, et cogitationis hominis divinum esse simile (*ibid.* 29).

Juxta tropologiam vero possumus dicere, quod increpentur principes hæreticorum diversa idola de corde suo fingentes, quæ vel eloquii venustate quod interpretatur argentum, vel splendore auri, quod refertur ad sensum, vel ligno imputribili, quæ viliora sunt dogmata et perpetua putantur a fingentibus, et dialectica arte firmantur, ne moveantur, et corruant, sed solida radice consistant. Sequitur :

« VERS. 21. — « Nunquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annuntiatum est ab initio vobis? nunquid non intellexistis fundamenta terræ? »

Nunquid naturali ingenio *non scitis*, quia nulla creatura similari potest Creatori? Et si naturaliter hoc non potestis scire, *nunquid* saltem *non audistis* a prædicatoribus? Et *nunquid* hoc *non annuntiatum est vobis ab initio?* Quoties audistis, quia « in principio creavit Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1), » ibi enim, quis esset Creator intelligere potuistis. « A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit horum Creator videri (*Sap.* XIII, 5). » *Nunquid* etiam *non intellexistis fundamenta terræ*, quæ sunt ab eo condita, ut per hoc intelligeretis potentiam virtutis ejus. Sequitur :

VERS. 22. — « Qui sedet super gyrum terræ, et habitatores ejus sunt quasi locustæ. »

Non ait : *Qui sedet super terram*, sed *super gyrum terræ*, id est : orbem terrarum, sedet enim super omnem terram pariter, qui super ambitum terræ sedere dicitur, cum et ipse repleat orbem terræ. Per hoc igitur magnitudo ejus declaratur, et quia nullum simulacrum ei simile fabricari possit, ad cujus magnitudinem omnes *habitatores* orbis *quasi locustæ*, id est minimi. Non tamen juxta corpoream molem sedere super gyrum terræ putandus est, cum ipse sit Spiritus, sed quia ubique terrarum totus est, et ubique regnat. Sedi quippe cui præsidet, id est, gyro terræ interior et superior manet : interior scilicet per subtilitatem, et superior per potentiam : interior quia replet, superior quia regnat. Bene itaque dicitur : « Qui sedet super gyrum terræ. » Sequitur :

« Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. »

Cœlos extendit velut nihilum, id est, subtilissimos atque tenuissimos quasi fumum.

Et sicut tabernaculum expandit eos ad inhabitandum, ut sub eorum rotundo tegmine quasi in tabernaculo habitarent homines, et animalia reliqua. Sequitur :

VERS. 23. — « Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, judices terræ velut inane fecit. »

Scrutatores, id est philosophos et sapientes sæculi dedit Dominus *quasi non sint*, quemadmodum Apostolus ait : « Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus sæculi? » (*I Cor.* I, 20.) Sed et *judices terræ*, qui Christianos injuste damnabant, *fecit velut inane*, potentiam eorum auferens. Hæc enim duo genera hominum, id est sapientes sæculi et judices multum resistebant evangelicæ prædicationi, et idcirco specialiter de illis sententia divinitus proferri debuit. De quibus additur :

VERS. 24. — « Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum. »

Nulla enim fortitudine corpus eorum in terra solidatum est, ut non facile subverti posset. Sequitur :

« Repente flavit in eos, et perierunt, et turbo quasi stipulam auferet eos. » *Repente flavit in eos* Dominus, id est ex improviso sententia judicis venit super eos, et per mortem a viriditate vitæ præsentis aruerunt; *et turbo* Dominicæ animadversionis rapuit eos ab hac vita, *velut stipulam*, aridos et inanes ad comburendum. Postquam vero Dominus opera

(144) Alias, *ossa*.

Digitized by Google

potentiæ suæ et magnitudinem suam declaravit, rursus eos qui se in aliqua imagine eum posse figurare putabant increpat, dicens :

VERS. 25. — « Cui assimilastis me et adæquastis, dicit Sanctus? »

Id est cui imagini me similem, et æqualem fecistis, qui tam magnus sum? Sequitur :

VERS. 26. — « Levate in cœlum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. »

Id est in cœlum suspicite, et quis sit, qui ea quæ ibi sunt creavit, intelligite. Vani sunt enim omnes homines, quibus non subest scientia Dei, et de his, quæ videntur bona, non potuerunt eum qui est intelligere, nec operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex. « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas; ut sint inexcusabiles (*Rom.* I, 20). Sequitur :

« Qui eduxit in numero militiam cœlorum (145), et omnes ex nomine vocat. » *Militiam cœlorum* stellas vocat, sicut ostendit Moyses dicens de quibusdam, « quia transgrediuntur pactum Domini, ut vadant et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam, et omnem militiam cœli (*Deut.* XVII, 2). » *Educit* igitur *in numero militiam cœlorum*, quia certis temporibus sidera profert, ut luceant, et numerum eorum in sua sapientia continet. *Et omnes stellas ex nomine vocat*, quia ipse solus novit earum nomina. Hoc et per Psalmistam sic dicitur : « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat (*Psal.* CXLVI, 4). » Sive *militiam cœli* angelos interpretari possumus, et omnes cœlorum exercitus. Sequitur :

« Præ multitudine fortitudinis et roboris virtutisque ejus neque unum reliquum fuit. » *Neque unum* horum siderum *reliquum fuit*, id est nec unum defuit *præ multitudine fortitudinis ejus* qui creavit hæc. Multimoda namque est illa virtus, quæ sic omnia hæc operata est, ut nec unum deesset, et magnitudo fortitudinis ejus suo facit ordini semper cuncta servire. Sequitur :

VERS. 27. — « Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo judicium meum transivit? »

Decem tribus, quæ jam captivæ tenebantur in Assyriis, cum hæc Isaias loqueretur, præ nimietate malorum quæ patiebantur, ad hoc devenerant, ut æstimarent Deum ignorare quæ hic aguntur, dum se plus quam justum erat affligi putarent. Dicebat enim ille populus : *Abscondita est via mea a Domino*, id est actionem meam Dominus non videt : *et a Deo meo judicium meum transivit*, id est judicare me Deus omisit, quia indigne tot mala patior. Ac si diceret : Ad Deum terrena non pertinent, quia sedens in cœlo non considerat, quid unusquisque nostrum faciat; et ideo non injuste hic affligimur, A quia rectorem non habemus aut defensorem. Unde nunc divinitus increpatur, cum dicitur : « Quare dicis Jacob, et loqueris, Israel : Abscondita est via mea a Domino, et a Deo meo judicium meum transivit? »

Nostris quoque temporibus magna pars populi hujus, qui Christianus appellatur, similia loquitur, dum Deum existimat aut non videre tot iniquitates quæ hic aguntur, aut justo judicio permittere fieri. Dicit enim : *Abscondita est via mea a Domino*, qui suam conversationem ab eo conspici non æstimat : *et judicium* suum *a Deo* transisse loquitur, qui se nequaquam ab eo juste jam judicari in his, quæ patitur, putat. Qui et subsequentibus verbis increpatur, quibus dicitur :

VERS. 28. — « Nunquid nescis, aut non audisti : B Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est investigatio sapientiæ ejus? »

Qui viam tuam dicis a Domino absconditam, et judicium tuum a Deo transiisse, *nunquid* per te ipsum dicis, aut ab alio *non audisti*, quia *Deus*, qui *sempiternus* est *Dominus*, et *creavit* non solum ista, quæ cernis, sed et novissimos *orbis terminos*, ut omnia, quæ intra terminos ejus sunt, intelligatur creasse, *non deficiet*, cum sit æternus, *neque laborabit*, cum sit impassibilis, nec investigari potest ejus sapientia? Nam si ab eo transiisse judicium tuum dixeris, eum, qui creavit omnia, et dominatur universis æterna potestate, ac regit, et disponit omC nia, defecisse putabis a consueta gubernatione cunctorum, quasi in gubernando et disponendo laboraret, qui sine labore condidit omnia, et sine inquietudine regit universa. Et si viam tuam ab eo putaveris absconditam, æstimabis sapientiam ejus, qui novit æternaliter omnia, exiguam esse. Nam quod ipse nequeat deficere, comprobatur ex eo, quod subditur :

VERS. 29. — « Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem, et robur multiplicat. »

Quomodo enim deficiet aut laborabit, qui lassum confortat? Eos vero, *qui non sunt*, appellat illos, ut æstimo, de quibus ait Apostolus : « Quoniam ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret (*I Cor.* I, 28). »

D Et *his fortitudinem* boni operis atque *robur* mentis Dominus *multiplicat*. Quorum fortitudo consequenter ostenditur cum dicitur :

VERS. 30. — « Deficient pueri, et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent. »

VERS. 31. — « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient. »

Pueri, id est adolescentes *deficient* labore, *et juvenes* infirmabuntur, id est qui inter sæculares magna incolumitate vigent, ac robustissimi sunt et agiles, fatigabuntur in laboribus suis, et infirmi erunt,

(145) Alias, *eorum*.

Digitized by Google

quia et florens ætas cito concidet, atque corpora robusta marcescent. *Qui autem sperant* non in suis viribus, sed *in Domino*, valentiores erunt omnibus viris sæcularibus

Mutabunt fortitudinem, quia qui prius erant fortes in carne, fortiores erunt in spiritali opere. Alia est enim fortitudo justorum, et alia reproborum. Justorum quippe fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis exstinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, adversantem inimicum in corde superare. Reproborum vero fortitudo est transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ad inanem gloriam etiam cum detrimento vitæ pervenire, bonorum vitam non solum verbis et moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare. Quam bene utramque fortitudinem propheta nunc complexus est, dicens : « Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem! » Qui enim nequaquam sument, sed *mutabunt*, dixit, profecto patenter innotuit, aliam esse quæ deponitur, et aliam quæ inchoatur.

Assumunt autem *pennas sicut aquilæ*, quia contemplando volant. Currunt, *et non laborabunt*, quia velocibus magna celeritate prædicant. Ambulant, *et non deficiunt* : quia intellectus sui velocitatem retinent, ut tardioribus condescendant.

Vel qui nunc in bono opere fortitudinem habent, in resurrectione *mutabunt fortitudinem*, quia « mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (*I Cor.* xv, 52). » — « Seminatur enim corpus in infirmitate, sed surgit in virtute (*ibid.* 43). »

Assument pennas, id est volatum *ut aquilæ*, quando rapientur in nubibus obviam Christo in aera. *Current et non laborabunt*, quia « tunc saliet sicut cervus claudus (*Sup.* xxxv, 6). » Unde et per Malachiam eis, sicut jam sæpe diximus, promittitur : « Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento (*Malach.* iv, 2). »

Ambulabunt et non deficient, quando « sequentur Agnum quocunque ierit (*Apoc.* xiv, 4). » Namque per illam immutationem detrahetur ab eorum corporibus omnis corruptibilitas, et tarditas, omnisque molestiæ sensus, et omnis fragilitas, ita ut quocunque voluerint ire, sine mora et difficultate possint, et agere quidquid placuerit. Cum itaque Deus tantam virtutem sperantibus in se tribuat, manifestum est, quia ipse non deficiet, neque laborabit. Sequitur :

CAPUT XLI.

Vers. 1. — « Taceant ad me insulæ, et gentes mutent fortitudinem. »

Insulæ, quæ procul in mari sunt, *taceant* ad me audiendum, ut jam non veteres errores loquantur, sed doctrinam meam auscultent. Atque *gentes mutent fortitudinem* sperantes in Domino, ut quæ fortes erant in carne, fiant fortes in spiritu; et quæ servebant peccato, serviant nunc justitiæ. Sequitur :

« Accedant, et tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus. »

Accedant ad me per fidem, *et tunc loquantur*, sicut scriptum est : « Credidi, propter quod locutus sum (*Psal.* cxv, 10). » Qui enim longe est a Deo in errore, nescit recta loqui. *Simul ad judicium propinquemus*, ut videntes in cordibus suis vel quæ bona perceperunt a me, qui omnibus vitam et inspirationem et omnia tribuo, vel quæ mala beneficiis meis perverse vivendo reddiderint, justificent me, et pravitates suas corrigant. Sequitur :

Vers. 2. — « Quis suscitavit ab oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur se? Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit, dabit quasi pulverem gladio ejus et sicut stipulam vento raptatam arcui ejus. »

Vers. 3. — « Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit. »

Judaicus populus vocatur oriens, quia de ejus carne ille natus est, qui sol justitiæ appellatur. Justus vero dicitur idem Salvator noster, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* ii, 22). » Ait ergo Pater : *Qui suscitavit ab oriente justum*, id est a Judaico populo Christum, nisi ego? Quem *vocavit* idem Pater, *ut sequeretur se* ad populos nationum, quia « non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quodcunque enim fecerit ille, hoc et Filius similiter facit : Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit (*Joan.* v, 19). » Jure ergo Pater vocare dicitur Filium, ut sequatur se in indifferenti operatione et inseparabili, quia Filius ex Patre est. Qui scilicet Pater *dabit in conspectu ejus gentes*, secundum quod legati populorum ad Holofernem dixisse feruntur : « Ecce nos servi Nabuchodonosor regis magni in conspectu tuo sumus : utere nobis, ut placet ante faciem tuam (*Judith* iii, 1-7). » *Dabit* ergo *in conspectu ejus gentes*, ut in omnibus utatur eis, prout libuerit. *Et* ipse *reges obtinebit*, id est superabit spiritaliter, et capiet, ut serviant ei, et adorent eum omnes gentes.

Gladium vero ejus appellat « gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi, 17), » et *arcum* ejus Scripturam sanctam, de qua ad corda hominum sicut ferientes sagittæ sic terrentes sententiæ veniunt quoniam « arcum suum tetendit, et paravit illum (*Psal.* vii, 13). » *Pulvis* autem et *stipula* levis et arida, quam ventus facile impellit, levitatem peccantium, qui vento tentationis agitantur, designat, quia peccator audire meruit : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* iii, 19). » Et iterum de peccatore dictum est : « Stipulam siccam persequeris (*Job* xiii, 25). »

Dedit ergo Pater *quasi pulverem gladio ejus, et sicut stipulam vento agitatam arcui ejus*, quia prædicatio illius omnes paganos peccatores invenit, et aridos inanesque, et vagos, ut nullo pondere rationis aut veritatis ante eum stare valerent, sed levitate sua diffugerent. Quos ille gladio prædicationis

Digitized by Google

suæ fugientes *persequens* de loco ad locum, in doctoribus transivit *in pace*, cum jam, crescente fide, nullus auderet sanctis ejus bellum inferre. Et *semita in pedibus ejus non apparuit*, quia super inimicorum suorum colla, quocunque pergeret, calcavit, et velut terram non tetigit.

Vel in ejus conspectu reges et gentes colla submittent, et gladio illius ac sagittis adversæ potestates quasi stipula subjicientur et pulvis. *Persequetur eos* reges scilicet et principes gentium singularum, et *pertransibit in pace* ad pacem cunctos vocans, ut reconcilientur Deo. *Semita in pedibus ejus non apparebit*, id est viæ laborem non sentiet, nec aliquam imbecillitatis humanæ lassitudinem, sed « de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput (*Psal.* CIX, 7). » Sequitur :

VERS. 4. — « Quis hæc operatus est, et fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. »

Quis hæc, quæ supra dicta sunt, *operatus est*, nisi ego Deus Pater, qui et singulas generationes ab exordio mundi ad cognitionem meam vocavi? Ego Dominus operatus sum. Nam *primus et novissimus ego* sum, ideoque et in antiquis et in novissimis temporibus humanum genus vocavi ut sempiternus Dominus. Vocavi namque per angelos, per Noe, per Abraham, et per cæteros patriarchas, per legislatorem, per prophetas, per doctores in antiquis temporibus, et in novissimis per novæ gratiæ præcones. Sequitur :

VERS. 5. — « Viderunt insulæ et timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt et accesserunt. »

Insulæ, id est remotiora loca Oceani *viderunt* gentes, quæ sunt in orbe, datas quasi pulverem gladio Justi mei, *et timuerunt*, quoniam « initium sapientiæ timor Domini (*Eccli.* I, 16). » *Extrema terræ*, id est limites mundi, audita prædicatione evangelica, *obstupuerunt*, et immanitatem peccaminum suorum exhorruerunt, atque damnationem, quæ talibus imminet, expaverunt. Et post timorem *appropinquaverunt* per fidem ad hunc Justum, qui gladio suæ prædicationis omnes trucidat, ut salubriter vulnerantur, et *accesserunt* per operationem. Sequitur :

VERS. 6. — « Unusquisque proximo suo auxiliabitur, et dicet fratri suo : Confortare. »

VERS. 7. — « Confortavit faber ærarius percutiens eum malleo, qui cudebat tunc temporis dicens glutino bonum esse, et confortavit eum in clavis, ut non moveatur. »

Unusquisque accedentium ad Christum *auxiliabitur proximo suo*, ut « qui audit, dicat : Veni (*Apoc.* XXII, 17). » Illa est enim vera charitas, quæ sic festinat ad Deum, ut non relinquat proximum. Et unusquisque firmior imbecilliori fratri suo dicet : *Confortare in Domino*, quia nihil sunt idola quæ deos esse putabas. *Confortavit* enim idolum *faber ærarius percutiens eum malleo, qui cudebat tunc temporis*, quando fiebant idola, *dicens glutino* ferri vel æris : *Bonum est*, id est bene fabricatum est : et postquam perfecit ipsum idolum, posuit in loco suo, et *confortavit in clavis*, ne aliquo impulsu moveretur aut caderet. Sic loquebatur qui aliquem gentilem nuper conversum confortare volebat in fide. Post gentium itaque conversionem alloquitur ipsam Ecclesiam de gentibus, et contra persecutionem infidelium corroborat, dicens :

VERS. 8. — « Et tu, Israel, serve meus, et Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei. »

VERS. 9. — In quo apprehendi te ab extremis terræ, et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi : Servus meus es tu, elegi te, et non abjeci te, » etc.

Nam spiritualis Israel sive Jacob est iste, de quo nunc agitur, de quo et Apostolus ait : « Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia et super Israel Dei (*Galat.* VI, 16). » Hic est enim Israel Dei, id est populus credentium, quia qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ, qui est pater omnium nostrum sicut scriptum est : « Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti (*Rom.* IV, 17). » Populus ergo, qui ex gentibus ad fidem congregatus est, *semen Abrahæ* vocatur, sicut et Apostolus dicit : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis secundum promissionem hæredes (*Gal.* III, 29). » In quo Abraham apprehensus est idem fidelium populus, sicut ostendit Apostolus, cum ait : « Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur omnes gentes in te (*ibid.* 8, 9). »

Hic itaque populus filiorum Abrahæ de toto orbe convocatus est. Cui ad fidem ingresso Dominus ait : *Servus meus es tu*, quia hunc specialiter obedientem reperit. Grande enim privilegium electionis est, cum Dominus aliquem præ cæteris dignatur appellare *suum*. *Elegi*, inquit, *te*, ut meus esses, *et non abjeci te*, licet in tentationes varias incideris. Vel primitivam Ecclesiam possumus nunc *Israel* accipere, quam *ab extremis terræ et a longinquis ejus vocavit* de universis nationibus congregans primum populum Judæorum. Sequitur :

VERS. 10. — « Ne timeas, quia ego tecum sum : nec declines, quia ego Deus tuus. »

Ne timeas sævitiam persecutorum, *quia ego tecum sum*, qui te protegam, et opera tua dirigam : *nec declines* a via veritatis blandimento seductus infidelium, *quia ego sum Deus tuus*, qui te illumino. Sequitur : « Confortavi te, et auxiliatus sum tui, et suscepit te dextera Justi mei, » id est Christi. Hoc manifestum est. Sequitur :

VERS. 11. — « Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te. »

Erubueruut hostes Ecclesiæ, quando fidelitas prævaluit, et infidelitas paulatim defecit cum adjutoribus suis. Unde et adhuc evidenter subditur :

« Erunt quasi non sint, et peribunt viri qui contradicunt tibi. »

Digitized by Google

Vers. 12. — « Quæres eos, et non invenies viros rebelles tuos : erunt quasi non sint, et veluti consumptio hominis bellantis adversum te. »

Id est velut si contra quilibet homuncio conetur pugnare, et dum contra bellaverit, consumatur, et nihil fiat. Hic evidentissimum de exterminatione inimicorum Ecclesiæ prolatum est oraculum. Sequitur :

13. — « Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi : Ne timeas, ego adjuvi te. »

Ego sum Deus, qui apprehendo *manum tuam*, ut te sustentans deducam, et dicas mihi . « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me (*Psal.* LXXII, 24). » Ego sum, qui dico tibi : *Ne timeas* ullum adversarium vel laborem quoniam *ego adjuvi te*. Sequitur :

Vers. 14. — « Noli timere vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel. »

Vermis Jacob vocatur Ecclesia imitans illum, qui ait : « Ego sum vermis et non homo (*Psal.* XXI, 7). » Vermis enim sine semine procreatur, et illi sine semine corruptibili sunt generati, « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I, 13). » Vermis conculcatur, sicut et Ecclesia tunc ab impiis conculcabatur, et abjecta erat. Vermis ore terram penetrat; sicut et Ecclesiæ sermo corda fidelium terebat. Hinc ergo vermi, id est Ecclesiæ Dominus præcipit, ne timeat adversarios. Cujus electi sunt huic mundo spiritaliter *mortui*, ut Deo vivant, sicut eis et ab Apostolo dicitur : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 3). » Et his quoque ne timeant, imperatur. Sequitur :

« Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, et Redemptor tuus Sanctus Israel. »

Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, ut omnes inimicos tuos per patientiam vinceres. Et Christus meus auxiliatus est tui, qui de suo sanguine redemit, et qui Sanctorum sanctus est, quem exspectavit Israel, dicens : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX, 18). » Sequitur :

Vers. 15. — « Ego posui te quasi plaustrum triturans novum habens rostra serrantia. »

Sicut in tritura *novum plaustrum habens rostra serrantia* super segetes ducitur, ut paleam conterat et grana eliciat, sic innovata per Christum Ecclesia linguas habens acutissimas super humanum genus incedit, ut electos purgando manifestet, et reprobos calcando conterat. Et bene plaustro comparatur Ecclesia. Plaustrum et Ecclesia libris quatuor Evangelii portatur. et a sanctis prædicatoribus laborioso conamine per viam æquitatis ducitur. Sequitur :

« Triturabis montes, et comminues, et colles quasi pulverem pones. »

Vers. 16. — « Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos, et tu exsultabis in Domino, et in sancto Israel lætaberis. »

Quid hoc loco per *montes et colles* nisi eos accipimus, qui ex sæculari potentia tument? *Triturabis* ergo, inquit, *montes*, id est conteres prædicando corda superborum sæculi potentum, *et colles*, id est principes elatos pones quasi pulverem, id est facies, ut se pulverem esse cognoscant.

Ventilabis, id est agitabis eos doctrina tua, *et ventus tollet*, id est vita præsens, quæ sicut ventus velociter transit, per mortem eos auferet, *et turbo* Dominicæ animadversionis *disperget*. Vita autem ventus appellatur sicut Job dicit : « Memento quia ventus est vita mea (*Job* VII, 7). » Et sententia judicis appellatione turbinis designantur, sicut et supra dictum est, quia *turbo quasi stipulam* auferet *eos*. Hostibus ergo fidei sublatis et pace data *tu exsultabis in Domino*, quia totum orbem tibi subjecit.

Vel hoc significat, quod prædicatio evangelica conterat adversarias potestates, et spiritalem nequitiam elevantem se contra scientiam Dei, quæ pro varietate superbiæ montes appellantur et colles, illisque sublatis, et turbinis more dispersis exsultet Israel in Domino. Rursus de gentium conversione sermonem inchoat, dicens :

Vers. 17. — « Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt; lingua ipsorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. »

Egeni namque *et pauperes* vocantur gentiles internas divitias non habentes, qui quærebant *aquas* veræ scientiæ, sicut Æthiops ille, qui venerat adorare in Jerusalem, et revertebatur sedens super currum suum legens Isaiam prophetam. Sed non erant eis aquæ, sicut nec Æthiops aquam intelligentiæ valebat invenire, cui cum Philippus dixisset : « Putasne intelligis, quæ legis? respondit : Et quomodo possum intelligere nisi aliquis ostenderit mihi (*Act.* VIII, 30). » *Lingua ipsorum siti aruit*, quia sermo veritatis ab ore eorum præ ignorantia recessit. Vel per diversos magistros et per diversa philosophorum dogmata quærebant aquas salubres, nec inveniebant, quia non erant ibi. Lingua eorum siti aruit sine lege et prophetis.

Sed *Deus Israel non* eos penitus dereliquit : *Ego Dominus exaudiam eos*, ut Cornelium, qui erat « cum omni domo sua religiosus ac timens Deum, atque faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper (*Act.* X, 2). »

Ego Deus Israel non derelinquam eos, quoniam « alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile, et unus pastor (*Joan.* X, 10). » Sequitur :

Vers. 18. — « Aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes : ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. »

Quid per supinos colles nisi hi designantur, qui

Digitized by Google

bus ait Apostolus : « Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens? » (*Coloss.* III, 1.) Nam cum Christus sit mons, recte colles vocantur, qui huic adhærentes cum eo sunt erecti, qui et supini, id est ad alta suspicientes sunt, dum ea, quæ sursum sunt, quærunt. *In* his ergo *collibus* fluvios prædicationis inter gentes Deus aperuit. Ecce enim in sanctis prædicatoribus et non ex Judæa progenitis per cunctam Ecclesiam toto orbe diffusam fluenta cœlestium mandatorum ubertim manant gentilium ore. *Et in medio camporum*, id est in medio populorum *fontes* novæ scientiæ patefecit, ut ad eos omnes sitientes pergant ac veritate plenas cordium suorum lagunculas reportent.

Desertum quoque, id est gentilem populum, qui erat aridus et infructuosus, posuit *in stagna aquarum*, id est in ubertatem et profunditatem scientiarum veritatis : *et terram inviam*, id est eamdem gentilitatem, per quam prædicator nullus ambulaverat, *in rivos aquarum*, doctrinæ cœlestis Sequitur :

VERS. 19. — « Dabo in solitudine cedrum et spinam, et myrtum, et lignum olivæ : ponam in deserto abietem, ulmum et buxum simul. »

VERS. 20. — « Ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et Sanctus Israel creavit illud. »

De rationalibus arboribus promittit nunc sermo divinus, de quibus nunc dicit : « Ut videant, ut sciant, et intelligant pariter. » Et nos ergo rationabiliter eas intelligere studeamus. Nam quia magni odoris est atque imputribilis naturæ cedrus, cedri nomine signantur hi, qui virtutes et signa operantur, qui dicere possunt : « Christi bonus odor sumus Deo (*II Cor.* II, 15). » Quorum corda ita interno amore solidata sunt, ut ea jam terreni amoris putredo nulla corrumpat.

Per *spinam* vero signantur doctores, qui dum de peccatis ac virtutibus disserunt, et modo supplicia æterna minantur, modo cœlestis regni gaudia promittunt, sic audientium mentem dolore compunctionis perforant, ut ab eorum oculis quasi quidam sanguis animæ lacrymæ decurrant.

Myrtus vero temperativæ virtutis est, ita ut soluta membra temperando restringat. Per myrtum vero signantur hi, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem per compassionem temperant. Qui dum afflictis proximis verbum vel opem consolationis ferunt, eos ad statum rectitudinis restringunt ne immoderata tribulatione in desperationem solvantur.

Oliva quippe misericordes exprimit, quia et Græce *oleos* misericordia vocatur, et quasi olivæ liquor ante Dei oculos misericordiæ fructus lucet.

Abies vero, quia valde crescendo ad alta sustollitur, sanctos designat, qui in terrenis adhuc corpore positi mente jam cœlestia contemplantur, et quamvis nascendo de terra exierint contemplando tamen jam juxta æthera verticem mentis attollunt.

Ulmus autem, quia proprium fructum non habet, sed tamen portare vitem cum fructu solet, eos exprimit, qui, dum terrenis curis inserviunt, nullum spiritalium virtutum fructum ferunt, sed tamen sanctos donis spiritalibus plenos sua largitate sustentant.

Buxus vero, quæ in altum non proficit, et quamvis fructum non gignat, viriditatem habet, eos designat in Ecclesia, qui adhuc ex ætatis infirmitate bona opera ferre non valent, sed fidem perpetuæ viriditatis ex imitatione Patrum tenent.

Post quæ omnia apte subditur : « Ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant. » Ad hoc enim cedrus in Ecclesia ponitur, ut quisquis odoramina virtutum a proximo trahit, ipso quoque ad donorum cœlestium desideria ignescat. Ad hoc spina ponitur, ut, qui prædicationis ejus verbo compunctus fuerit, ipse quoque aliorum corda prædicationis verbo compungere discat. Ad hoc myrtus ponitur, ut, qui in ardore tribulationis ab ore vel ab opere proximi compatientis temperamentum consolationis accipit, ipse etiam discat, quemadmodum afflictis proximis consolationis temperamentum proferat. Ad hoc oliva ponitur, ut qui alienæ misericordiæ opera cognoscit, discat et ipse indigentibus misereri. Ad hoc abies ponitur, ut qui vim contemplationis ejus cognoverit, ad contemplanda æterna præmia succendatur. Ad hoc ulmus ponitur, ut, qui videt eum, qui virtutum fructus habere non valet, spiritales viros sustentantem, ipse quoque sanctis ministrare studeat. Ad hoc buxus ponitur, ut, qui pueros fide virentes conspicit, infidelis esse erubescat.

Bene autem additur : *pariter*, quia cum diversi in Ecclesia hominum mores, diversi sint ordines, necesse est ut omnes simul discant, dum in ea spiritales viri diversæ qualitatis ætatis et ordinis ad imitandum simul videntur. Nam quid videre et intelligere debeant, subnectitur, scilicet : *Quia manus Domini* exercituum *fecit hoc*, ut in solitudine gentium prædictæ arbores crescerent, id est supradictæ sanctorum diversitates, ut in eis unusquisque, quod imitari debeat, inveniat. « Et sanctus Israel creavit illud, » quod dictum est de arboribus. Hæc est enim *nova creatura* (*II Cor.* V, 17), quam laudat Apostolus. Post hæc ad eos gentiles sermo convertitur, qui noluerunt credere, præcipiens, ut de infidelitate, in qua permanere magis elegerunt, rationem reddant.

VERS. 21. — « Prope, inquit, facite judicium vestrum, dicit Dominus : afferte, si quid forte habetis, dicit rex Jacob. »

VERS. 22. — « Accedant, et nuntient vobis quæcunque ventura sunt. »

Prope facite judicium vestrum, quo judicatis bonum esse in idololatria permanere, id est huc ante me illud facite, et videamus, si justo judicio credere

Digitized by Google

espuitis. *Afferte* huc, *si forte habetis aliquid* justæ causæ, quare non vultis videre et scire, et recogitare, et intelligere, quia ego præfatas arbores in solitudine vestra posui, ut eam odore suo totam respergerent, et innovarent.

Vel *si quid forte*, id est si quid validum honestæ defensionis habetis, *afferte* illud.

Accedant huc dii, quibus servire maluistis, *et nuntient vobis quæ ventura sunt*. Si enim dii sunt, absque mendacio possunt ventura prædicere; quod si non possunt, liquet eos non esse deos. Nemo quippe ventura prædicere potest veraciter nisi Deus, quoniam nec prophetæ prænosse valent nisi per spiritum ejus. Ille enim solus, qui disponit omnia, scit quemadmodum sit dispositurus singula, et qui omnia quæcunque vult facit, solus novit quæ facturus sit, nisi revelare quid alicui voluerit. Deinde ad ipsos, qui dicuntur dii gentium versa locutione subditur :

« Priora, quæ fuerunt, nuntiate, et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quæ ventura sunt indicate nobis. »

Vers. 23. — « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. »

Priora, quæ ante mundum fuerunt, *nuntiate nobis*, o dii gentium, si potestis, *et ponemus in his cor nostrum*, id est cogitabimus de eis, *scicmus novissima eorum*, quia qui novit priora, scire potest et novissima. Et *quæ* post finem sæculi *ventura sunt*, *annuntiate*, *et sciemus quia dii estis vos*. Hæc enim scientia solius Divinitatis est. Quæ enim creatura nosse potest, quid antequam mundus iste conderetur, in rerum æternitate fuerit ? Aut quis scire valet, quid post consummationem sæculi sit futurum ? Unde et *seraphim*, qui per meritum dignitatis immediate Deo assistunt, « faciem ejus et pedes velare (*supra* VI, 2) » dicti sunt, significantes omnes creaturæ abscondita esse *priora et novissima*. Bene ergo his, qui vocabantur dii gentium, dicitur quia si hæc annuntiaverint, scietur quod dii sint, quia solius divinæ scientiæ est, ista cognoscere. Unde quisquis hæc annuntiare nequit, manifestum est hunc non esse Deum.

Significatur etiam in hac sententia, quod post adventum Christi omnia idola conticuerunt. Ubi est enim Apollo Delphicus, et cæteri dæmones futurorum scientiam pollicentes, qui potentissimos reges deceperunt ? Cur de Christo nil potuerunt prædicare, quomodo aliena vel mala vel bona potuerunt nuntiare ? Quod si quis dixerit, multa ab idolis esse prædicta, sciendum quod semper mendacium junxerint veritati, et sententias temperaverint, ita ut sive boni sive mali aliquid accidisset, utrumque posset intelligi. In eo quoque quod summa Divinitas ait : *Ponemus cor nostrum*, notandum est, quia unum cor, id est una voluntas et una sapientia demonstratur esse Patris et Filii, et Spiritus sancti. Sequitur :

« Bene quoque aut male, si potestis, facite, et loquamur et videamus simul. »

Diligentium sic inutiles sunt, ut non solum annuntiare nequeant prima et novissima, sed etiam nec bene nec male possunt facere, quia « manus habent, et non palpabunt, pedes habent, et non ambulabunt (*Psal.* CXIII, 7). » Loqui etiam aut videre non valent, quia « os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt (*ibid.* 5). » Sequitur :

Vers. 24. — « Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est, qui elegit vos. »

Idola sunt *ex nihilo*, quia qui facere vult idolum, fingit in corde illud quod nunquam fuit aut erit, et ad similitudinem actæ cogitationis suæ fabricat imaginem. Bene ergo dicitur eis, quia « vos estis ex nihilo, et opus vestrum, » id est quod in deos estis fabricati, est *ex eo quod non est*, quia nullus Deus unquam similis fuit his imaginibus. *Abominatio* igitur, id est abjectio et detestatio est, *quicunque vos elegit* colere. Sequitur :

Vers. 25. — « Suscitavi ab aquilone, et veniet ab ortu solis : vocabit nomen meum et adducet magistratus quasi lutum, et velut plastes conculcans humum. »

Quid per *aquilonem* nisi gentilitas designatur infidelitatis frigore constricta ? Hinc est enim, quod antiquus hostis sedem suam ad aquilonem ponere cogitavit (*supra* XIV, 13). Et quid per ortum *solis* exprimitur nisi Judaicus populus, in quo sol justitiæ secundum carnem natus primo fulgere cœpit, ac deinceps orbem totum illuminavit ? *Suscitavi* ergo, inquit, ad fidem gentes *ab aquilone*, id est ab infidelitate, et per apostolos *veniet* ad eas Salvator *ab ortu solis*, id est a populo Judæorum, qui splendore fidei primitus est illustratus. Suscitatus erat Cornelius ab aquilone, quando continuis precibus et eleemosynis insistebat, ac demum per Petrum verus sol accessit ad eum (*Act.* X). Sed et eunuchus Æthiops ab aquilone suscitatus venerat in Jerusalem adorare, et per Philippum divinitus est illustratus (*Act.* VIII). *Vocabit*, inquit, *nomen meum*, quia in nomine Patris sui faciet omnia.

Et adducet magistratus quasi lutum, id est potestates hujus sæculi in lutum rediget prosternens omnem mundi gloriam. *Et* sicut *plastes*, id est figulus *conculcans humum* nova facit vasa, prout vult; ita et Christus conculcabit omnem sæculi fastum ut vasa misericordiæ juxta placitum suum componat qui per Jeremiam dicit : « Ecce sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea domus Israel (*Jer.* XVIII, 6). » Sequitur :

Vers. 26. — « Quis annuntiavit ab exordio, ut sciamus, et a principio, ut dicamus : Justus es ? Non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros. »

Quis ex omnibus diis gentium *annuntiavit* hæc *ab exordio*, sicut et ego dicens Abrahæ, quia « possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ (*Gen.*

Digitized by Google

XXII, 17.) » Et quis ex illis annuntiavit hæc a principio ut, cum ea, sicut prænuntiavit fecerit, *dicamus ei : justus es*, qui, sicut prædixeras, omnia complesti ? Nullus ex diis vestris hæc agere potest, sed ego solus hæc facio, qui solus sum Deus. Nam *neque annuntians neque prædicens* ventura quisquam ex illis est, *neque audiens sermones vestros*, si dixeritis ei : *justus es*, quoniam insensibilis statua nihil audire aut loqui valet. Multimoda ratione Dominus ostendere dignatur idola divinitatem habere non posse. Sequitur :

VERS. 27. — « Primus ad Sion dixit : Ecce adsum, et Jerusalem evangelistam dabo. »

Primus est, de quo legimus, quia « In principio erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Qui *dixit ad Sion*, id est ad populum Judæorum : *Ecce adsum*, quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre (*ibid.* 14); » dixit enim : *Ecce adsum*, quando se, qui exspectabatur adesse, præsentem innotuit. Qui quoniam Evangelium in Judæa prædicavit, recte de eo Pater adjungit, *quia Jerusalem evangelistam dabo*, id est prædicatorem Evangelii, qui ait : « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me (*Luc.* IV, 18). » Evangelista namque boni annuntiator dicitur, et annuntiator boni Christus est, de quo legimus : « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem (*Isa.* LII, 7). » Misso autem hoc Evangelista in Jerusalem subjungit Pater de contemporaneis ejus :

VERS. 28. — « Et vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet Verbum. »

Vidi, id est consideravi omnes homines qui tunc erant in terra, *et non erat* in eis *quisquam qui iniret consilium*, quemadmodum ad salutem pertingere posset, *et interrogatus responderet verbum* de sua conversatione. *Neque ex istis*, id est Jerosolymitis videlicet, ex Judæis erat quisquam qui hoc faceret. Nam et Judæi notitiam Scripturarum amiserant, atque consilium credenti in Christum vel bene agendi inire nolebant, et de his interrogati, quæ faciebant, respondere non poterant. Sequitur :

VERS. 29. — « Ecce omnes injusti, et vana opera eorum, ventus et inane simulacra eorum. »

Ecce omnes injusti, sicut ait Apostolus : « Causati sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est : Non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Rom.* III, 9). » Tales erant omnes, quando Salvator in carne apparuit. *Et vana opera eorum*, quia pro temporali vita faciebant omnia. « Ventus et inane simulacra eorum. Scimus enim, quia nihil est idolum in mundo, et quod Deus nullus nisi unus (*I Cor.* VIII, 4). » Sed inter tales, qualis Redemptor noster inventus sit, audiamus. Sequitur :

CAPUT XLII.

VERS. 1. — « Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. »

VERS. 2. — « Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus. »

VERS. 3. — « Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet judicium. »

VERS. 4. — « Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, et legem ejus insulæ exspectabunt. »

Ecce servus meus, quem supra dedi Jerusalem evangelistam. *Servus* enim hic appellatur ille, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip.* II, 6). » Et hic *electus* ex omnibus, « Hunc enim Pater signavit Deus (*Joan.* VI, 27). » In quo bene *complacuit sibi anima*, id est voluntas Patris, quia in omnibus hunc vidit. Quod autem interponit : *Suscipiam eum*, de gloria ejus assumptionis dicit. Susceptit namque eum « constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum et potestatem et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo sed et in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus (*Ephes.* I, 20). »

Dedi, inquit, *spiritum meum super eum*. Sicut et testimonium perhibuit Joannes, dicens : « Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum (*Joan.* I, 32). » Et bene *super eum* ait, quia de Filio hominis loquitur, quem et servum suum appellavit. Nam et secundum divinitatem non super Christum est Spiritus, sed in Christo, quia sicut Pater in Filio et Filius in Patre, ita et Spiritus sanctus in Patre et Filio. Non ergo secundum divinitatem super Christum est, quia non super se Trinitas est, sed super omnia ; supra se autem non est, sed in se.

Protulit autem Salvator *gentibus judicium* justæ discretionis, de quo dicitur, quia « non est judicium in gressibus eorum (*Isa.* LIX, 8). » Gressus enim vocantur operationes, quibus innituntur. Sed non est judicium in gressibus horum, quia actiones suas examinare negligunt, ut omnia cum judicio facientes mala devitent et bona operentur. Hujusmodi ergo judicium Dominus per apostolos suos gentibus edidit, verbum eis scientiæ largiens, quæ tenebantur erroribus.

Quod autem sequitur, quia *non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus*, ita legitur in Matthæo : « Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus (*Matth.* XII, 19). » Hoc igitur in mansuetudine morum ejus intelligendum est, quia non clamosa, neque contentiosa voce locutus est. In hoc etiam veri-

Digitized by Google

tas apparet, quia *nullius personam accepit*, ut alicui blandiretur, sed omnes prout decebat, increpavit. Modestia quoque illius ex eo demonstratur, quia nemo « foras per plateas vocem ejus audivit. » Neque enim otiosum unquam verbum protulit aut leve, sicut hi, qui clamant in plateis vanitatem sui cordis ostendentes. Vel *non audita est foris vox ejus*, quia non extra Galilæam atque Judæam vel Samariam evangelium prædicavit.

Quid autem calami nomine nisi Judaici populi temporale regnum (146) designatur, nitens quidem exterius, sed interius vacuum? Et quia in eodem populo genus jam regale defecerat, atque regnum ejus alienigena possidebat, apte hoc regnum calamus quassatus vocatur. Quid vero per *linum* nisi ejus sacerdotium exprimitur, quod lineis vestibus utebatur! Quod quia in adventu Domini charitatis ardorem perdidit, quasi amisso jam igne fidei non ardens sed *fumigans* fuit. Incarnatus ergo Dominus *calamum quassatum non* confregit *et linum fumigans non exstinxit*, quia Judææ regnum, quod pene destructum jam fuerat, ejusque sacerdotium, quod ignem fidei non tenebat, non potestate judicii perculit, sed eum patientiæ longanimitate toleravit.

Sive *calamum quassatum non conteret*, quia in peccantes placabilis erit, atque veniam dabit peccatoribus. *Et linum fumigans non exstinguet*, quia qui vicini erant exstinctioni, ejus clementia servabuntur. Nam in secundo adventu *judicium educet in veritate*, quando reddet unicuique secundum opera sua. Vel etiam in primo adventu judicium eduxit in veritate, sicut ait : « In judicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX, 39). »

Qui non fuit tristis neque turbulentus, sed semper hilariter et mansuete suas actiones operatus est, *donec* poneret *in terra judicium*, id est donec omnes ad imitationem suam informaret, ut cum judicio, sicut et supra dictum est, cuncta faceret. Manifestum est autem, quia postea tristis aut turbulentus non fuit, sed de eo tempore, quo dubitari poterat, perhibuit propheta testimonium, sicut et evangelista, cum de matre ejus Virgine loqueretur, asseruit, quia Joseph non cognoscebat eam, « donec peperit Filium (*Matth.* I, 25), » quam certe nec postea cognovit. Tali enim genere locutionis frequenter utuntur divinæ Scripturæ. Postquam vero Dominus *posuit in terra*, id est in latitudine mundi, *judicium*, quo credentes in eum dijudicant omnia, quæ facere volunt, percepe-runt et *insulæ*, id est remotiora loca Oceani, *legem*, prædicationis ejus, quam exspectabant. Ad quem versa locutione Pater subjungit :

VERS. 5. — « Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos et extendens eos : firmans terram, et quæ germinant ex ea : dans flatum populo, qui est super eam, et spiritum calcantibus eam. »

VERS. 6. — « Ego Dominus vocavi te in justitia, et apprehendi manum tuam, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. »

VERS. 7.— « Ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. »

Dominus quidem *creans cœlos*, extendit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum, et ipse firmavit alta mole *terram*, ut non inclinetur in sæculum sæculi. Ea quoque, *quæ germinant ex* illa sicut arbores, firmat ipse, ut super stipitem suum erecta subsistant. Qui *et flatum*, id est anhelitum, *dat populo, qui est super eam*, ut animaliter vivant, *et Spiritum* sanctum *calcantibus eam*, id est contemnentibus terrena.

Sed iste Dominus, qui talia facit, Christum alloquitur dicens, quia *vocavi te in justitia*, ut tu justus justificare mundum pergeres. *Et apprehendi manum tuam*, ut te confortans ducerem in voluntate mea, quia quidquid operatur Filius, operatur et Pater. *Et servavi te*, inquit, a peccato, *et dedi te in fœdus populi*, id est in societatem amicitiæ multitudinis Hebræorum credentium, quorum erat cor unum, et anima una. Et *in lucem gentium* dedi te, ut illumi nares hos, qui in tenebris et in umbra mortis sedebant, *ut* interiores *oculos cæcorum* gentilium *aperires*, ut lumen veritatis cernerent. Cæci namque erant gentiles, quia non acepta lege, quo ire debuissent, non viderunt.

Et educeres, inquit, *de conclusione* cordis populum gentilem peccatorum suorum funibus *vinctum*, *et de domo carceris* cordis *sedentes in tenebris* errorum et ignorantiæ. Nam omnis homo, per id quod male agit, quid sibi aliud quam conscientiæ suæ carcerem facit? Quia cum judicante Deo in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire non meretur. Sæpe enim nonnulli exire a pravis actionibus cupiunt, sed eorumdem actuum pondere premuntur, ita ut in malæ consuetudinis carcerem inclusi a semetipsis exire nequeant. Et quidem culpas proprias punire cupientes, hoc quod recte se agere æstimant, in graviora peccata vertunt, fitque modo mirabili, ut quod exitum putant, hoc inclusionem inveniant. Sic reprobus Judas cum mortem sibi post peccatum intulit, ad æternæ mortis supplicia pervenit, et pejus de peccato pœnituit quam peccavit. De hujusmodi ergo conclusione venit Salvator *vinctum ducere* de tali *domo carceris*, liberare missus est *sedentes in* exterioribus *tenebris*. Sequitur :

VERS. 8. — Ego sum Dominus, hoc est nomen meum : gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. »

Se Dominum nominari voluit, ut sibi omnia deservire monstraret, sicut et per Psalmistam ei dicitur : « Quoniam omnia serviunt tibi (*Psal.* CXVIII, 91). » Cujus dominationis *gloriam alteri non* dedit, quia « unus Dominus, una fides, unum baptisma (*Ephes.* IV, 5). » Nam, sicut duæ fides seu plures

(146) Desunt omnia in Garstensi codice usque ad : *Ejus alienigena.*

Digitized by Google

esse non possunt, vel duo baptismata; sic nec duo, nec tres domini sive numerosiores. Unus enim Dominus est Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Qui *gloriam* suam *alteri non dabit*, id est ulli idolo, sicut æstimaverunt hi, qui incontaminabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt, « Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I, 23). » Tali enim imagini Dominus gloriam suam non dabit, sicut voluerunt isti « qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori (*ibid.* 25). » Nam ut Pater ostenderet nequaquam Filium a gloria sua per hanc sententiam excludi, sed idola, subjunxit : *Et laudem meam sculptilibus*, subaudi non dabo. Filius enim non separatur a gloria Patris, qui ait ; « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » Et : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Sequitur :

VERS. 9. — « Quæ prima fuerunt, ecce venerunt : nova quoque ego annuntio : antequam oriantur, audita vobis faciam. »

Primo fuerant ventura, quæ superius de adventu Salvatoris dicta sunt, ut ibi nostra salus inciperet. Sed hæc, inquit, jam *venerunt*. *Nova quoque* vobis *annuntio* secutura, id est apostolorum prædicationem, gentium vocationem. *Antequam oriantur, audita vobis faciam*, ut non ea dubitetis esse ventura, sicut et hæc venisse jam cernitis. Nam quæ sint hæc *nova*, quæ vobis annuntio, declaratur cum subditur :

VERS. 10. — « Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ, qui descenditis in mare, et plenitudo ejus, insulæ et habitatores earum. »

Novum quippe *canticum* est præconium evangelicæ prædicationis, in qua res nova auditur, id est Incarnatio Christi, mors, et post resurrectionem ascensio, et Spiritus sancti missio, totiusque mundi vocatio. Hoc canticum ubique cantat Ecclesia, quoniam pro se Christum talia peregisse jugiter recolit ac prædicat, depositoque veteri homine per gratiam baptismatis ipsa fideliter innovata est, et in novitate vitæ ambulat. Qui enim veterem adhuc conversationem servat, id est terrena diligit, vetus canticum resonat ; qui vero æterna diligit, *novum canticum* cantat. Novus enim homo cantat canticum novum, non ille vetus, qui necdum Adæ peccata deponens in prævaricatione veteris hominis perseverat. *Novum* utique, quia nunquam aliquid simile visum est aut auditum ; *novum*, quod nulla vetustate sordescat, sed semper in suæ dignitatis gratia perseveret.

Hoc itaque canticum totus orbis Deo cantare jubetur, ut et « ab extremis terræ laus ejus » resonet, secundum quod et in Psalmo dicit Ecclesia : « A finibus terræ ad te clamavi (*Psal.* LX, 3). » Vel aliter intelligere possumus, quod dicitur : *Laus ejus ab extremis terræ*. Sunt enim alii primi terræ, sunt alii novissimi. Qui sunt primi ? Sapientes sæculi, nobiles, divites, optimates. Qui sunt extremi ? « Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret (*I Cor.* I, 27). » Ab his ergo extremis terræ laus Dei semper intonat.

Mare vero sæculum istud est amarum et turbulentum, in quod mare descenderunt piscatores hominum sagenam evangelicæ prædicationis mittere, de qua dicitur : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt (*Matth.* XIII, 47). » *Plenitudo* autem istius *maris* multitudo sæcularium vel gentilium ; *insulæ* vero diversæ gentes vel regiones. Et his omnibus præcipitur, ut novæ laudis canticum Domino decantent. Sequitur :

VERS. 11. — « Sublevetur desertum, et civitates ejus, et in domibus habitabit Cedar. »

Sublevetur desertum, id est ad amorem superæ patriæ cor gentilium erigatur, *et civitates* eorum in spem salutis æternæ mentem elevent. *Cedar* filius Ismael fuit, a quo et provincia nomen accepit, et qui de ejus progenie sunt, non in domibus, sed in tabernaculis habitare solent, et per deserta vagari. Interpretatur autem *tenebræ*, et significat gentilem populum, qui in tenebris errorum per hujus sæculi desertum vagus incedebat, sed per apostolos ad fidem conversus cœpit *in domibus*, id est : in Ecclesiis, ut domesticus, manere. Sequitur :

« Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt. » Qui sunt *habitatores Petræ* nisi qui in cordis sui duritia manent ? Sed et isti ad laudandum excitantur per respectum novæ gratiæ. Prædicatores autem *de vertice montium* clamant, cum in culmine virtutum stantes ac terrena despicientes ad appetitum supernorum eos, qui in infimis animo degunt, convocant. Sequitur :

VERS. 12. — « Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. »

Prædicatores Domino *gloriam* ponunt in cordibus auditorum, atque prædicationes ejus laudem non solum in toto orbe ; sed etiam *in insulis* maris procul *annuntiant*. Et quia post hæc Judex venturus est, ut reddat unicuique secundum opus suum, congrue subditur.

VERS. 13. — « Dominus ut fortis egredietur, et sicut vir præliator suscitabit zelum. »

Qui enim prius egressus est sicut infirmus, secundo *sicut fortis egredietur*, quando videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute magna et gloria. *Et sicut vir prælior suscitabit zelum* ulciscendi se de hostibus suis, quando, sicut et liber Sapientiæ dicit : « Accipiet armaturam zelus illius, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos (*Sap.* V, 18). » Solet enim prælior, quando pugnæ

Digitized by Google

turus est contra suos hostes, zelum et iram in animo suo suscitare, ne per mansuetudinis spiritum parcat adversariis. Dominus ergo sicut vir prælialor *zelum* suscitaturus esse dicitur, quia cum tali animo veniet ut inimicis suis non parcat. Sequitur :

« Vociferabitur, et clamabit, et super inimicos suos confortabitur. »

VERS. 14. — « Tacui, semper silui, patiens fui, quasi parturiens loquar : dissipabo, et absorbebo simul. »

VERS. 15. — « Desertos faciam montes et colles, et omne gramen eorum exsiccabo. »

Qui quondam sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum, nunc *vociferabitur, et clamabit;* et qui suos hostes ita super se confortavit, ut ligari et flagellari posset ab eis et crucifigi, tunc, ut inimicos suos puniat, *confortabitur* super eos, dicens : « Tacui, semper silui, » etc. Sed quomodo *semper* siluit, qui per legem et prophetas, per Evangelium et apostolos clamare non cessavit? Siluit, quidem per judicium, sed non siluit per præceptum. *Patiens* quoque nunc est, quia peccatores diu sustinet, ut resipiscant. *Parturiens* vero cum dolore ejicit, quod intus diu cum pondere portavit. Post longum ergo silentium sicut *parturiens* Dominus loquitur; quia, quod apud se nunc tacitus tolerat, in ultione quandoque judicii quasi cum dolore manifestat. Qui semper siluerat, *sicut parturiens loquitur*, quia qui sine ultione diu facta hominum pertulit, quandoque cum fervore examinis quasi cum dolore mentis ostendet, quantæ animadversionis sententiam intus servaverit. Qui et dissipat in furore suo tunc omnes reprobos, et absorbet, id est in profundum abyssi judiciorum suorum immergit.

Montes quoque tunc similiter *desertos* facit *et colles*, ut non remaneat in eis habitator. Quid enim per *montes et colles* accipitur nisi superbi principes hujus sæculi? Quid vero per habitatores montium nisi populus exprimitur, quem principes regendo portant? Nam sicut montes sustinent cultores suos, ita principes pondus eorum sustinent, quos regunt. *Desertos* ergo faciet Dominus in judicio *montes et colles* quia superbis principibus omnem potentiam prælationis auferet. Sed *et gramen eorum* exsiccabit, quoniam vetustatem carnalis actionis eorum arescere faciet, ut concremari possit. Hæc de secundo adventu suo Dominus locutus est, atque de his, quæ in primo (147) fuerat acturus, subjungit :

« Et ponam flumina in insulas et stagna arefaciam. »

VERS. 16. — « Et ducam cæcos in via quam nesciebant, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam : ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in directa. »

Flumina quippe posuit *in insulas*, quoniam fluenta Evangelii usque in remota Oceani loca manare faA cit; vel in universas gentes exuberare, ut gentes per *insulas* exprimantur. *Et stagna arefacit*, quia profunditatem scientiæ Judæorum, quæ in uno populo quasi in uno loco torpebat, exsiccavit. Arefacta est enim sapientia Scribarum et Pharisæorum. *Via* vero ille est, qui ait : « Ego sum via (*Joan.* XIV, 6). » Semitæ autem prophetæ sunt. Unde et per Jeremiam dicitur : « Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris (*Jer.* VI, 16). » Antiquas enim semitas appellat prophetas, qui omnes unam viam singulariter bonam ostendunt, per quam ad refrigerium animarum perveniamus, id est ad Christum. Per hanc ergo viam, id est per hujuscemodi semitas Dominus cæcos gentiles ducit illuminatis cordibus
B eorum. Sive per viam scientiæ Dei et per semitas prophetales *ambulare* facit eos. Posuit enim *tenebras* veteris ignorantiæ *coram eis in lucem* veræ scientiæ, et *prava* eorum corda per iniquitatem distorta rectificavit. Sequitur :

« Hæc verba feci eis, et non dereliqui eos. »

VERS. 17. — « Conversi sunt retrorsum. »

Hæc, quæ dicta sunt, complevit nobis Dominus, *et non* derelinquit nos, sed est nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). Nos vero beneficiis ejus ingrati *retro* sumus *conversi* ad vitia sæculi, de quibus nos liberaverat. Vel quod ait : *Conversi sunt retrorsum*, ad habitationem paradisi, quam peccando reliqueraC mus, potest forsitan intelligi. Post hæc de reliquiis gentilium, quæ in idololatria permanere maluerunt, subdit :

« Confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri. » Non ait eos dicere conflatili : « Tu es Deus noster, » sed : *Vos dii nostri*, sicut et illi dicebant de vitulo : « Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti (*Exod.* XXXII, 4). » Qui enim idolum colit, unum Deum, qui verus est, deseruit, et pluribus diis, qui falsi sunt, se servum exhibuit. Illuminatis autem gentilibus ubique et directis atque cultoribus idolorum confusis, increpat Dominus Judæorum duritiam, cum subjungit :

VERS. 18. — « Surdi, audite, et cæci, intuemini
D ad videndum. » Atque de eodem populo subjicit :

VERS. 19. — « Quis cæcus nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? »

Cæcus quippe est ille populus, qui semper ex timore Deo servivit, quia lumen charitatis nescit : *et surdus*, quia prophetas ad se clamantes non audit. De quo et additur : « Quis cæcus, nisi qui venundatus est? quis cæcus nisi servus Domini? » Quis enim tam cæcus, quam qui peccando venundatus est, et se liberum æstimat? Cujus adhuc cæca visio et surda auditio increpatur, cum subditur :

VERS. 20. — « Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? »

(147) Codd., *imprimis* vel *in primis*.

Digitized by Google

Videbant enim in Scripturis multa, sed non custodiebant. Aures enim cordis apertas ad intelligendum multa habebat, sed ut faceret, audire nolebat. Unde et per Apostolum ei dictum est : « Qui alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? (*Rom.* II, 21).»

Sed hæc et de carnalibus, qui sunt in Ecclesia, possunt intelligi. Surdi enim sunt, qui verba Dei in aure cordis non percipiunt, inter cujusmodi surdos ipse clamat : « Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XI, 15).» Cæci vero sunt, qui terrenis lucris occupati damna, quæ intus patiuntur, non vident. Unde nunc talibus surdis præcipitur, ut auribus cordis audiant; et cæcis, ut ad videndum intueantur, qui non ad videndum intueri solent. *Ad videndum* quippe intueri est de his cogitare, quæ mentem illuminant. Nam ad non videndum intuetur, qui terrenis suum exercet ingenium. De quo recte subditur :

« Quis cæcus nisi servus meus? et surdus nisi ad quem nuntios meos misi? » Hic est *servus*, qui « non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII, 35).» Qui *cæcus* est, quia spiritalibus oculis non videt; et *surdus*, quia prædicatores sanctos auribus cordis non audit. Cui congruit, et quod additur? « Quis cæcus nisi qui venundatus est? Quis cæcus nisi servus Domini? » Hic enim carnalis est *venundatus* sub peccato, nec intelligit, quia peccando semetipsum diabolo vendidit. Et ipse, cum sit inutilis, servus Domini cæcus est, quia « servus nescit quid faciat dominus ejus (*Joan.* XV, 15). »

Sed cum subditur, qui *vides multa, nonne custodies*, monstratur iste servus esse et cæcus et videns. Cæcus quidem non videndo; videns autem non intelligendo. Simili modo cum adjungitur : *Qui apertas habes aures, nonne audies*, et surdus et audiens esse declaratur. Surdus namque ad faciendum esse manifestatur, sed aures habere apertas non ad intelligendum. Quicunque enim Scripturas intelligit, sed non facit, id est unusquisque mihi similis increpatur hoc loco, cum dicitur : « Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? » Sequitur :

VERS. 21. — « Et Dominus voluit, ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. »

VERS. 22. — « Ipse autem populus direptus, et vastatus : laqueus juvenum omnes simul, et in domibus carcerum absconditi sunt. »

Dominus voluit, ut sanctificaret hunc servum, id est populum Judæorum vel etiam Christianorum carnalem, sed servus noluit ab eo sanctificari. Aut certe *voluit Dominus, ut* eum servus iste *sanctificaret* a semetipso, juxta quod scriptum est : « Dominum exercituum sanctificate (*supra* VIII, 13.)» Vel : « Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris (*I Pet.* III, 15).»

Et *voluit, ut sanctificaret* (148), legem operando *et extolleret* intelligendo. *Legem* quippe « magnificat et extollit, quisquis in observatione cœlestium mandatorum ita proficit, ut et mens ejus ad altiora spiritalis intelligentiæ elevetur. Sed piger servus legem magnificare negligit et extollere, quia Judæorum populus carnaliter eam intelligit vel observat, et Christianorum inanium iste populus nil magnum operatur, sed corde semper ir infirmis repit. Propter quod uterque *populus* ab inimicis suis *direptus et vastatus est*, ille quidem a Romanis, hic autem, quod gravius est, a malignis spiritibus. Sunt enim *omnes laqueus juvenum*, id est eorum, qui carnis ardore fervent, quia secundum Petri sententiam : « Pelliciunt in desideriis carnis eos qui paululum effugiunt (*II Pet.* II, 18).» *Laqueus juvenum omnes* isti sæculares sunt, qui suis confabulationibus illiciunt eos ad peccandum, qui calore tentationum æstuant. Nam et « bonos mores corrumpunt colloquia mala (*I Cor.* XV, 33).»

Qui *et in domibus carcerum absconditi sunt*, quia in conscientiarum suarum tenebrosis latibulis, ubi tenentur a diabolo captivi, fraudem malitiæ suæ contegunt. Neque enim vere tales sunt, quales se foris ostendunt, sed tales potius, quales intus latent. Talibus a Domino dictum est : « Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia : sic et vos quidem aforis apparetis hominibus justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate (*Matth.* XXIII, 27.) »

Hoc est itaque, quod *in domibus carcerum absconditi* esse dicuntur, de cujusmodi carceribus supra disseruimus. Sequitur :

« Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat : in direptionem, et non est, qui dicat : Redde. »

Judæi populo Romanorum *facti sunt in rapinam, et in direptionem, nec est qui eruat eos, vel dicat : Redde*, quoniam adhuc tenentur captivi. Nonnulli etiam ex his, qui nomine censentur Christiano, *facti sunt* dæmonibus *in rapinam*, ut quidquid boni videbantur habere, diripiatur ab invisibilibus adversariis : *nec est, qui eruat eos*, quoniam justo Dei judicio relicti sunt in sua malitia. Deinde propheta in multitudine populi clamat et dicit :

VERS. 23. — « Quis est in vobis, qui audiat (149) hoc, audiat, et auscultet futura? »

Quis est in vobis, o Judæi, *qui audiat hoc*, quod de vobis indubitanter futurum verbo præteriti temporis dixi : « Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat. » Qui enim hoc audierit, timebit peccare, ne fiat in rapinam. Nobis quoque dicitur : « Quis est in vobis, qui audiat hoc? » Quia in plebe christiana rarus auditor hujus sermonis invenitur. Rarus enim

(148) Ita uterque cod.

(149) Alias, *attendat*.

Digitized by Google

quisquam est, qui de animæ captivitate cogitet, et bona cordis invisibilibus adversariis diripientibus amittere metuat, atque illa, quæ se in futuro sæculo manent, sollicite attendat, vel audire studeat. Sequitur :

Vers. 24. — « Quis dedit in direptionem [*vulg.*, directionem] Jacob et Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse est, cui peccavimus? »

Populum Judæorum vastantibus Romanis dedit in direptionem ipse Dominus Jesus, qui peccaverant occidentes eum. Nos quoque propter peccata, quorum nobis conscii sumus, occultis adversariis, qui nos sensibiliter excrucient, futurum est ut tradamur, nisi pœnitentiam egerimus. Sequitur :

« Et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. »

Id est Judæi vel pseudochristiani *noluerunt in viis ejus ire, aut legem*, ut facerent, audire. Non ait : Nescierunt aut nequiverunt *in viis ejus ambulare*, sed *noluerunt*, ut non ex ignorantia vel infirmitate, sed ex superbia demonstraret eos peccasse, qui mandata Dei sciendo contempserunt, aut scire recusaverunt. Merito tales in direptionem dati sunt. Sequitur :

Vers. 25. — « Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum. »

Super populum Judæorum Dominus *indignationem* suam per Romanos *effudit*, et validum *bellum*, sicut et in Psalmo dictum est : « Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet (*Psal.* LXVIII, 26). Unde et subjungitur :

« Et combussit eum in circuitu, et non cognovit : et *succendit* eum, et non intellexit. »

Combussit eum undique totam Judæam concremans, *et succendit eum* Jerusalem igne consumens. Sed populus iste qui sic combustus est, *non cognovit* cur hæc pateretur, *nec intellexit* quia propter necem Salvatoris ita succendebatur. Ut autem spiritaliter juxta superiorem sensum hæc intelligamus, sciendum est, quia indignatio vel ira Dei appellatur, a bonis actionibus infirmari, sicut scriptum est : « Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa (*Psal.* II, 12). » Si igitur irasci Dominus perhibetur, cum viam justitiæ homines perdunt, *super eum indignationem furoris sui* latius effundit, qui nolens in viis ejus ambulare, rectitudinis tramitem sciendo deserit.

Bellum quoque patitur, qui carnis suæ tentationibus impugnatur. Hoc tamen bellum quodammodo adhuc infirmum est. Sed *forte bellum* Dominus desuper effundit, quando superbum cor percutit, et judiciorum suorum gladiis opera ejus, quæ videbantur bona, terribiliter destruit. *Forte bellum* effundit, quando antiquum hostem justo judicio relaxat in viribus suis. Qui videlicet adversarius comburit *eum in circuitu, et non* cognoscit, *et succendit eum, et non* intelligit. Ipse enim Satanas facit, quod Dominus nunc facere dicitur, quia nihil facere potest diabolus, nisi a Domino potestatem acceperit. « Non est potestas nisi a Domino (*Rom.* XIII, 1). » Antiquus ergo deceptor potestate divitus accepta comburit eum in circuitu, quem undique tentans undique vitiorum ignibus inflammat. Circuit enim ille nos singulos, et ab omni parte vitia suggerit. Offert oculis formas illices, et faciles voluptates, ut visu castitatem destruat; aures percanora musica tentat, ut vi soni dulcioris auditum solvat, et Christianum figorem molliat; linguam convicio provocat; manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat, ut fraudatorem faciat, lucra apponit injusta; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostendit falsa, ut vera subripiat. Bene ergo de eo, quem ita diabolus undique tentans vitiis inflammat, dicitur, quia *combussit eum in circuitu, et non cognovit : et succendit eum, et non intellexit.* Neque enim comburi se, qui sic comburitur, cognoscit, quia cæcatus mundanis voluptatibus spiritalia, quæ patitur, non intelligit.

Potest autem, quod additur : *Et succendit eum*, nec dicitur : *in circuitu*, ad interiorem hominem referri, ut quod dictum est : *Et combussit eum in circuitu*, de exteriore homine intelligatur. Et foris igitur et intus est succensus, qui carnis ac spiritus bona vitiorum igne perdidit. Nam si per cordis munditiam libidinis flamma non exstinguitur, incassum quælibet virtutes oriuntur, sicut per Moysen dicitur : « Ignis ab ira mea exarsit, et ardebit usque ad inferos deorsum, comedet terram, et nascentia ejus (*Deut.* XXXII, 22). »

Ignis quippe terram atque nascentia ejus comedit, cum libido carnem atque per hanc omnia bene acta consumit. Nam quidquid prodit ex fruge rectitudinis, hoc nimirum concremat flamma corruptionis. Solo itaque libidinis igne totus homo concrematur et intus et foris, etiamsi cæterorum incendia vitiorum deessent.

Sed postquam hæc de reprobis, qui fidem tenere videntur, dicta sunt, ad electos sermo subsequens dirigitur. Aut certe vastatos per Romanos Judæorum fideles ex circumcisione, quos ad prædicandum per orbem sicut agnos inter lupos misit, alloquitur consequenter, dicens :

CAPUT XLIII.

Vers. 1. — « Et nunc hæc dicit Dominus creans te Jacob, et formans te Israel : Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo : meus es tu. »

Quotiescunque *Jacob* vel *Israel* cum additamento honoris ponitur, de spiritali Jacob intelligendum est. Ubi vero sine adjectione electionis dicitur, de carnali Jacob vel Israel accipi debet, de populo Judæorum seu de carnalibus, qui sunt in Ecclesia. Nunc ergo cum dicitur : « Hæc dicit Dominus creans te Jacob, et formans te Israel, electos Novi Testamenti cultores indubitanter Dominus alloquitur. Ipse quippe *creavit* eos, non solum ut essent, sed etiam ut justi essent. « Ipsius enim sumus, inquiunt,

Digitized by Google

creatura creati in Christo Jesu in operibus bonis (*Ephes.* II, 10). » Et ipse *formavit* eos ad imaginem et similitudinem suam, ut forma bonitatis ejus cerneretur in eis. Quibus propter Catholicam unitatem velut uni loquitur, dicens : *Noli timere* adversa pati propter nomen meum, quia pretioso in sanguine meo redemi te, *et vocavi te : Meus es tu*, pro quo tam grande pretium dedi.

Sed fortasse quærat aliquis, cur omnipotens Deus electorum suorum adversarios temporaliter excrescere permiserit? Ideo scilicet, ut malorum sævitia purgaretur vita bonorum. Nunquam quippe Deus adversarios bonorum esse permitteret, nisi etiam, quantum prodessent, videret. Nam dum injusti sæviunt, justi purgantur : et utilitati innocentiæ militat vita pravorum, dum hanc et premendo humiliat, et humiliando semper ad melius informat. Unde et Salomon ait : « Qui stultus est, serviet sapienti (*Prov.* II, 29), » quia contra sapientis vitam dum stultus præeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine utendo purgat. Stultus ergo sapienti et dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit. Suos itaque Dominus temporaliter affligi permittit, sed inter adversa solatium suæ pietatis semper eis tribuit. Unde et nunc subdit :

VERS. 2. — « Cum pertransieris per aquas, tecum ero, flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. »

VERS. 3. — « Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel, salvator tuus. »

Quam videlicet promissionem et secundum litteram sancti martyres esse veram frequenter experti sunt. Nam plerique eorum in aquis et fluminibus missi Deo sibi præsente submergi non potuerunt aut lædi; plerique deambulantes in igne non valuerunt aduri, neque vel capillum eorum flamma cremando non tetigit. Sed quia nonnulli eorum in aquis vel ignibus consumpti sunt, debemus spiritaliter magis hanc promissionem intelligere, ne in aliquo falsa videatur.

Aquarum namque vel fluminum appellatione designantur tribulationes, sicut per Salomonem dicitur : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam (*Cant.* VIII, 7). » Ignis autem vel flamma passionis ardorem exprimit, sicut Apostolus docet : « Quorum, inquit, animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est (*Hebr.* XIII, 11). » Cum enim crematio illa corporum animalium passionem Domini præfiguraverit, patet, quid ignis mystice designet.

Ait ergo : *Cum transieris per aquas*, id est per A tribulationum fluctus, *tecum ero*, ut te custodiam, et *flumina*, id est rapidi impetus tribulationum *non operient*, id est non submergent *te*, quia non superabunt. *Cum ambulaveris in igne*, id est in ardore sævientium passionum, *non combureris* in anima, quia spiritale refrigerium intrinsecus dabo (150) : et *flamma*, id est furor persecutorum *non ardebit in te*, qui non pertinget ad animam tuam, licet in corpore sæviat. *Ego* enim sum *Dominus Deus tuus*, quem contra falsorum deorum cultores in passione confiteris, et ego Sanctus sanctorum, quem exspectavit Israel. Qui et *Salvator tuus* sum, quoniam a præsentibus malis te eripiens ad æternam salutem perducam

Vel aquæ et flumina sunt actiones sæculi. Et illos B flumina operiunt, quos actiones hujus sæculi mentis perturbatione non confundunt. Nam qui Spiritus sancti gratia tenentur in mente, transeunt aquas; et tamen fluminibus non operiuntur, quia et inter medias populorum catervas sic peragunt gressus sui itineris, ut non submittant actionibus caput mentis. Sequitur :

« Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te. » Ægyptus dicitur *tenebræ* vel *tribulatio*. Æthiopia vero et nigros populos mittit, et interpretatur *caligo*. Saba autem *captivitas* vel *rete* dicitur. Et quid per Ægyptum et Æthiopiam et Saba designatur nisi gentilitas, quam antiquus hostis in errorum caligine positam tribulabat, et in retiaculo suo captivam tenebat? Ait ergo ordini prædicatorum Dominus : « Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam et Saba pro te. » Ac si diceret : Hanc tibi misericordiam et propitiationem dedi, ut gentilem populum pro te salvarem. Sequitur :

VERS. 4. — « Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, et gloriosus, ego dilexi te. »

Israel iste *honorabilis et gloriosus* coram Deo factus est, ex quo per totum orbem prædicare cœpit et ubicunque signis coruscare, universasque gentes convertere. Et extunc præcipue dilexit eum Dominus, licet et antea eum dilexisset, sed tunc eum diligere forsitan non videbatur, quem inter persecutores miserat. Sequitur :

D « Et dabo homines pro te et populos pro anima tua. » Hoc est, nisi fallor, quod Salomon ait : « Pro justo dabitur impius, et pro rectis iniquus (*Prov.* XXI, 18). » Et rursum : « Justus de angustiis liberatus est, et tradetur impius pro eo (*Prov.* XI, 8). » Unde et adhuc contra persecutores hunc electum Israel corroborat subdendo :

VERS. 5. — « Noli timere, quoniam ego sum tecum. »

Fecundamque protem fidelium ei pollicetur, cum subjungit : « Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te.

(150) Uterque cod., *dando*.

Digitized by Google

Vers. 6. — « Dicam aquiloni : Da, et austro : Noli prohibere. »

Manifeste enim hoc loco demonstravit Ecclesiam a quatuor mundi partibus fuisse congregandam. Unde et ad ultimum fideles etiam ab extremis orbis limitibus venturi declarantur, cum subditur :

« Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. »

Quod si spiritaliter hæc intelligenda sunt, quid per orientem accipitur nisi populus Judæorum, qui primus lumen cognitionis divinæ habuit, et Solem justitiæ mundo protulit? Et quid per occidentem nisi populus gentilium, qui per amorem caducorum in occiduis erat, et prope mundi terminum velut in fine diei solem justitiæ Christum accepit? *Ab oriente* ergo *semen* Ecclesiæ *adducitur et ab occidente*, quia fideles et a circumcisione et a præputio veniunt.

Per aquilonem quoque gentilitas designatur, quæ velut in sinistra et glaciali, tenebrosaque regione posita fuit in infidelitate. Per austrum vero Judæa figuratur, quæ quasi meridiano sole incaluit, quia Redemptore in carne apparente fervorem fidei prima suscepit. Aquiloni ergo dicitur : *Da*, cum offerre Deo fidei suæ munera gentilitas imperatur. Austro jubetur, *ne prohibeat*, quia Hebræis in fide consistentibus præcipitur, ne vitam gentilium repellendo contemnant. Voluerunt enim, primo gentiles respuere sicut Actus apostolorum satis declarant.

De longinquo autem *filios* suos afferri Dominus imperat, ut filius, qui in regionem longinquam abiit, ubi luxuriose vivendo bona sua dissipavit, redeat ad patrem suum (*Luc.* xv). Sed et *filias* suas, id est infirmas et contemptibiles personas ab extremis vilitatibus terræ jubet afferri, quoniam « infirma mundi elegit Deus, ut fortia confundat; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit, et qua non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret (*I Cor.* i, 27). » Hæc sunt enim filiæ venientes ab extremis terræ. Sequitur :

Vers. 7. — « Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, et formavi, et feci eum. »

Omnem qui invocat nomen ejus *creavit in gloriam* suam Dominus. « Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Rom.* x 13). » *Invocat* autem *nomen* ejus, qui cor suum mundat, et ejus adventum tota devotione precatur ad se ipsum. Quicunque ergo taliter agit, Deus illum creavit in justitia et sanctitate veritatis in gloriam suam renovatum spiritu mentis suæ.

Formavit eum ad similitudinem suam, quia bonitatis suæ formam expressit in eo. Et justum fecit eum. « Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus (*Ephes.* II, 10). » Quia vero « cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret (*Rom.* XI, 25), » recte subjungitur :

Vers. 8. — « Educ foras populum cæcum, et oculos habentem, surdum, et aures ei sunt. »

Missus est *foras* iste cæcus et surdus Judæorum populus, et gentes ad fidem loco ejus ingressæ sunt. Unde et subditur :

Vers. 9. — « Omnes gentes congregatæ sunt simul, et collectæ sunt tribus. »

Universitas enim gentium in una fide congregata est, et de cunctis tribubus Israel multitudo credentium collecta est. His itaque prænuntiatis errorem gentilium Dominus arguit, qui Deos esse putabant eos, qui nihil horum prædicere poterant, cum subdit :

« Quis in vobis annuntiet istud, et quæ prima sunt, audire nos faciet? Dent testes eorum, et justificentur, et audiant et dicant (151). » *Quis*, inquit, ex diis vestris *annuntiet in vobis*, o gentiles de gentium et Judæorum unifica societate? *Et quæ prima sunt*, id est ea quæ Salvator in carne gesturus est, quis ex diis vestris *audire* vos *faciet?* Subauditur nullus. Ipsi dii vestri *dent testes* eorum, quæ prima sunt, si annuntiant ea, sicut ego prophetas et apostolos do testes eorum, quæ annuntio. *Et justificentur* in verbis suis, cum vera prædicere cognoscentur, sicut et ego justificor in sermonibus meis. Et audiant ea, quæ sibi objicientur, *et dicant*, id est respondeant. Nam si vere dii sunt, hæc omnia debent agere. Redargutis autem infidelibus, qui tales deos colebant, alloquitur fideles Dominus ostendens hæc omnia se fecisse, sicut Deum decebat. Nam sequitur :

Vers. 10. — « Vere vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi, ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. »

Vos, inquit, o apostoli et credentes estis verborum meorum *testes* et divinitatis meæ; et ille « qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II, 6), » testis meus est, *quem* ad hoc ipsum præ omnibus *elegi*, *ut* per eum *sciatis* quod de me mortalibus est scien-dum, *et* indubitanter *mihi credatis* per omnia, *et intelligatis quia ego ipse sum* immutabilis æternaliter permanens. Sequitur :

« Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. »

Ante me non est formatus aliquis ex his, quos gentiles in deos sibi formant, quia ego sum, antequam aliquod idolum fieret; *et post me non erit* quisquam eorum, sed ego post omnes illos ero, quia destructis idolis ego sine fine permanebo. Quædam temperatio divinæ locutionis est hæc, qua, dum de se minus dicit, majus vult intelligi et ita loquens

(151) Alias, *dicant : Vere.*

Digitized by Google

ostendit non posse quemquam talium deorum similem esse sibi. Sequitur :

VERS. 11. — « Ego sum Dominus, et non est absque me salvator. »

Ego solus *sum Dominus*, cui competit universa servire, quia non solum subjectis præsideo, sed omnia bona possideo. *Et non est absque me salvator*, quia præter me non est qui salvare possit. Neque enim dii gentium cultores suos salvant, sed perdunt. Non enim Filium negat esse Salvatorem Pater, dum dicit, quia *non est absque me Salvator*, quoniam Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, non est absque Patre, sed Pater in Filio, et Filius in Patre, ac per hoc Pater et Filius non sunt duo salvatores, sed unus Salvator, sicut nec duo domini sed unus Dominus. Sequitur :

VERS. 12. — « Ego annuntiavi et salvavi, auditum feci, et non fuit in vobis alienus. »

Annuntiavi per prophetas, *salvavi* per Christum, *auditum feci* per apostolos, *et non fuit in vobis Deus alienus*, sed ego in omnibus vobis tam sub lege quam sub gratia. Sequitur ;

« Vere vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus, » quia ego sum solus Deus. Sequitur :

VERS. 13. — « Et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat. »

Ac si dicat Dominus : Nemo antiquior me, et nemo fortior me. Unde et subdit : « Operabor, et quis avertet illud ? » Nemo enim poterit opus ejus avertere, qui salutem mundi operari disposuit. Nam sequitur :

VERS. 14. — « Hæc dicit Dominus redemptor vester sanctus Israel : Propter vos emisi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes. »

VERS. 15. — « Ego Dominus sanctus vester, creans Israel, rex vester. »

Proprie quidem et usitate *redemptor* appellari solet Filius hominis, qui dedit animam suam redemptionem pro multis ; sed tamen, quoniam inseparabilia sunt opera Patris et Filii, Pater quoque redemptor appellari potest, non quia ipse pro nobis passus sit, sed quia nos sanguine Filii sui redemit. Nam pro ereptione vel liberatione poni solet redemptio.

Sed et juxta Dionysium (*De divin. nom.* c. 8) nominatur Dominus redemptio, quantum non sinit (152) vera existentia ad non essè cadere ; et quantum etiam si quid ad delictum aut inordinatum deceptum sit. et diminutionem quamdam patiatur propriorum bonorum perfectionis, et hoc a passione et inertia redemit implens indigentiam et paterne infirmitatem despiciens et restituens a malo, magis autem stabilens in bono, et ordinans et ornans inordinatum ejus et inornatum, et integritatem perficiens, et omnium solvens maculas. Juxta hunc ergo sensum *redemptor* est vel redemptio non solum Filius, sed et Pater et Spiritus sanctus, quoniam tota Trinitas operatur hæc omnia.

Simili modo *Sanctus Israel* appellatur non solum Filius, sed et Pater, et Spiritus sanctus attestantibus primis virtutibus, quæ clamant : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum (*supra* VI. 3). » Hic enim Dominus naturaliter sanctus est, et per semetipsum sanctus, et omnia sanctificans, ideoque *Sanctus Israel* dicitur quasi *Sanctus sanctorum*. Et Pater ergo *Sanctus Israel* appellatur, qui *propter* nos *emisit*. Unigenitum suum *in Babylonem*, id est in hunc mundum vitiis et erroribus confusum, *et* detraxit *universos vectes* portarum Babylonis, ut ablatis vectibus portæ patescerent, et egrederentur liberi, qui in hac Babylone tenebantur captivi. Quid autem nomine vectium designatur, Salomon insinuat dicens : « Judicia quasi vectes urbium (*Prov.* XVIII, 19). » Nam, dum gentiles adhuc judicarent idolis potius quam Deo serviendum, hujusmodi servitia quasi vectes obfirmatas eis tenebant portas Babylonis, ne possent eas ingredi, aut prædicatores veritatis admittere. Dum judicaremus melius esse servire peccato quam justitiæ, judicia nostræ voluntatis instar vectium obfirmabant nobis portas hujus confusæ Babylonis. Detraxit ergo Dominus *vectes* perversorum judiciorum hujusmodi, ut ablatis vectibus et repaguiis malæ voluntatis egrederemur a nobismetipsis, qui tenebamur intra nosmetipsos velut in Babylone captivi.

Chaldæi quoque gloriabantur *in navibus suis*, quia maligni spiritus in mentibus hominum, quas per amarum pelagus sæculi hujus vagas deducebant, nimis exsultabant. Sed et istos detraxit Dominus, quia de cordibus eorum, quos sic possidebant, ejecit illos. Qui noster *est sanctus*, quia ipse naturaliter sanctus, qui nos per donum suæ gratiæ sanctificat, ideoque solus recte sanctus, quia « nemo bonus nisi unus Deus (*Matth.* XIX, 17). » Qui et spiritale *Israel* creat in operibus bonis, « quoniam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed nova creatura (*Gal.* 5, 6). » Et ipse est *rex* noster, qui regit nos, et regnat in nobis. Sequitur :

VERS. 16. — « Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. »

VERS. 17. — « Qui eduxit quadrigam et equum, et agmen et robustum : simul obdormierunt, nec resurgent : contriti sunt quasi linum et exstincti sunt. »

Dominus *in mari viam* fecit, quia sicut Exodus refert : « Divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium maris sicci (*Exod.* XXI, 29). » Sed et *in torrentibus* Arnon præbuit *semitam*. Unde dictum est in libro bellorum Domini : « Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon (*Num.* XXI, 14). » Jordanem quoque « per arentem alveum transivit (*Joan.* III, 17) » Israel siccante Domino aquas ejus.

(152) Cod. Garst. *sine*.

Digitized by Google

Qui eduxit post filios Israel *quadrigam* Pharaonis, *et equum* ejus, *agmenque* Ægyptiorum, *et robustum* ducem eorum. « Immutatum est enim cor Pharaonis et servorum ejus super populo Israel, et dixerunt : Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis? Junxit ergo currum, et populum suum assumpsit secum, tulitque sexcentos currus electos, quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israel (*Exod.* XIV, 5). » Idcirco autem Dominus se hæc egisse commemorat, ut intelligamus, quia sicut de Ægypto per mare filios Israel eduxit, ita nunc de tenebris infidelitatis per baptismum credentes educit. Sicut in aquis torrentibus dedit eis semitam, ut libere transirent ad terram promissæ hæreditatis, ita nunc fidelibus per tribulationes pandit iter ad regnum cœlorum. Sicut Pharaonem cum exercitu suo persequentes filios Israel demersit in mare, ita nunc diabolum cum suis angelis et turba vitiorum persequentem fideles exstinguit in baptismo. Unde et dicit, quia *simul obdormierunt, nec resurgent.* Consopita est enim potestas eorum, qua nos in peccatis antea detinentes affligebant. *Contriti sunt quasi linum*, ex quo per pœnitentiam in nostro corde contrivimus eorum suggestiones? *et exstincti sunt*, si jam in nobis exstincta est eorum malitia. Sequitur :

VERS. 18. — « Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. »

Vos, inquit, o apostoli, *ne memineritis* jam *priorum*, quia nunc majora facturus sum quam olim per Moysen feci, quando dedi *in mari viam, et in aquis torrentibus semitam.* Nam sequitur causa, cur non debeant meminisse iterum gestorum.

VERS. 19. — « Ecce, inquit, ego facio nova, et nunc orientur, utique cognoscetis ea. »

Et, quæ sint illa *nova*, subjungit : « Ponam in deserto viam, et in invio flumina. » *In deserto* gentilitatis dabo *viam* eundi ad Deum ; *et in invio* paganorum populo, per quem nullus prædicator veritatis incessit, *ponam fluenta* Evangelii. Sequitur :

VERS. 20. — Glorificabunt me bestiæ agri, dracones et struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo. »

Quoniam ager est mundus, bestia *agri* vocatur homo quisque in hoc mundo bestialiter vivens. Et quæ sit hæc bestia, declaratur, scilicet *dracones et struthiones*, quid autem draconum nomine nisi maliosorum hominum vita designatur, de quibus et alias dicitur : « Traxerunt ventum quasi dracones? (*Jer.* XIV, 6.) » Perversi etenim quique ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur. Quid vero struthionum appellatione nisi simulatores intelligi solent? Struthio enim pennas habet, volatum non habet. quia simulatores speciem sanctitatis habent, sed virtutem sanctitatis non habent. Visio quippe eos bonæ actionis decorat, sed a terra minime penna virtutis levat. Tales sunt qui, cum religionem servare videntur, et Christiani non sunt. Itaque bestia Deum glorificat, cum ejus fidem gentilitas exaltat, quam et draconum nomine propter malitiam, et struthionum propter hypocrisim notat. Quasi enim pennas gentilitas accepit, sed volare non potuit, quæ et naturam rationis habuit, et rationis actionem ignoravit. Hujusmodi ergo *dracones et struthiones* tandem glorificaverunt Deum, quia dedit *in deserto* gentium *aquas* sapientiæ, et *in invio* gentilitatis *flumina* doctrinarum electorum, ut *potum* daret supernæ prædicationis populo credentium ex gentibus. Sequitur :

VERS. 21. — « Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit. »

Sicut et per Petrum dicitur : « Vos autem genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (*I Petr.* II, 9). » Hæc de electo gentium populo locutus populum mox increpat Judæorum sive carnalium, qui sunt in Ecclesia, cum subjungit :

VERS. 22. — « Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel. »

Invocat autem Deum, qui purgato corde cum in se supplex venire precatur, et laborat in eo, qui in ejus fide bonis operibus insudat. Sic enim quisque debet agere, ut et piis orationibus insistat, et sanctis laboribus exerceatur. Sed Judæus vel carnaliter Christianus hæc non egisse redarguitur. Sequitur :

VERS. 23. — « Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, nec victimis tuis glorificasti me. »

Quoniam aries principatur gregi, non incongrue per *arietem* exprimitur, quidquid in cogitationibus nostris est præcipuum, quia et ipse cogitationes per *gregem* designari possunt. Holocaustum vero totum incensum dicitur. Offert ergo Deo *arietem holocausti* sui, qui illud quod in desideriis et cogitationibus suis maximum et præcipuum est, totum igne charitatis accendit, sicut Abraham nobis exemplo suo figuravit, dum unigenitum suum, quem singulariter diligebat, offerret holocaustum, imo arietem pro eo (*Gen.* XXII). Hunc arietem holocausti immolat, qui Deum super omnia diligit, ut major sit in eo charitas Dei quam ullus amor alius. Sed carnalis quisque non obtulit arietem hujusmodi, quia « dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (*Joan.* III, 19). »

Quid autem nomine victimarum nisi interemptio carnis vitiorum designatur? Has enim victimas jubet immolare Apostolus, cum dicit : « Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus (*Coloss.* III, 5). » Quas qui mactat, Deum glorificat, sicut idem Apostolus dicit : « Glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI, 20). » Sed hoc vel Judæus vel inanis Christianus agere negligit, a quo, quia Dominus carnalia dona non quæsivit, recte subjungit :

Digitized by Google

« Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. »

Neque enim exteriora dona suscipit, quando ipsum datorem interius non approbat. Sequitur :

Vers. 24. — « Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. »

« Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* xi, 7). » Calamus vero surculus esse dicitur arboris aromaticæ. Joannes autem in Apocalypsi sua interpretatus est *odoramenta* esse *orationes sanctorum* (*Apoc.* v, 8). Quid ergo per *calamum* nisi hi designantur, qui per virtutem orationis suave Deo redolent cum Paulo dicentes, quia « Christi bonus odor sumus Deo (*II Cor.* ii, 15). » Emit igitur *argento calamum Deo*, qui et tales acquirit prædicando. Sed hoc Judæus non egit, quia non cordis munditiam, sed quasi honestatem actionis docuit. Christianus quoque carnalis hoc agere nequivit, quia, qui bonum in se ipso non habet, mentem aliorum perfecte ædificare loquendo non valet.

Victimæ vero sunt, ut diximus, exstinctiones vitiorum, aut etiam bonorum actiones. Sunt autem nonnulli, qui mactant victimas exstinguendo vitia, et bene operando, sed tamen in bonis quæ agunt minime compunguntur ; et quia se ex amore ad lacrymas non accendunt, victimæ eorum *sine adipe* sunt. Hinc enim dicitur : « Holocaustum tuum pingue fiat (*Psal.* xix, 4). » Holocaustum quippe siccum est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt ; holocaustum vero pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursus per Psalmistam dicitur : « Holocausta medullata offeram tibi (*Psal.* lxv, 15). » Qui enim bona operatur, et visioni jam Creatoris sui inhiat, atque ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Hujusmodi autem victimarum et holocaustorum *adipe* Dominus *inebriatur*, quia piis humilium lacrymis delectatus obliviscitur omnium, quæ prius male egerant. Qui enim inebriatur, oblivioni tradit ea quæ memoriter in corde tenebat. Quia ergo Judæus quisque, vel fictus Christianus talibus hostiis Deum non placat, ut peccata ejus oblivioni tradat, *adipe*, inquit, *victimarum tuarum non inebriasti me.* Sequitur :

« Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis ; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. »

Servire quodammodo *facit Deum in peccatis* suis, *et laborem* ei præbet *in iniquitatibus* suis, qui per divinam patientiam in diuturnis pravitatibus suis exspectatur, ut quandoque resipiscat. Unde misericorditer ei paratus ignoscere subdit :

Vers. 25. — « Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. »

Et qua conditione deleat iniquitates ejus, et peccatorum obliviscatur, adjungit

Vers. 26. — « Reduc me in memoriam, et judicemur simul : narra si quid habes, ut justificeris. »

Iniquitates, inquit, *tuas*, o populе Judæorum propter bonitatem meam sanguine Christi *deleo*, tu tantum *reduc me in memoriam*, quem nimis oblitus es, et in corde tuo *judicemur simul*, ut tu ipse judices, quis erga alium justius egerit, ego erga te an tu erga me ; et si quid habes injustitiæ, *narra*, id est confitere illud, *ut justificeris*. Nam ut te justum esse non æstimes, culpam eorum innotesco tibi, quos inter justos crederes esse maximos. Sequitur enim :

Vers. 27. — « Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me. »

Vers. 28. — « Contaminavi principes sanctos. » Quod enim dicitur, quia *vater tuus primus peccavit*, senserunt ante nos alii de beato Abraham, quia cum ei Deus dixisset · « Ego sum, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam (*Gen.* xv, 7), » quasi incredulus respondit : « Domine Deus, unde scire possum quod possessurus sim eam? » (*Ibid.* viii.) Qui, etsi tunc non peccavit, scimus quia præsentem vitam sine peccato transire non potuit. « Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet (*Eccle.* vii, 21). »

Interpretes autem vocantur in hoc loco Moyses et Aaron, qui verba Domini ad populum, et populi verba referebant ad Deum. Qui prævaricati sunt, sicut eis dictum est divinitus : « Prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis (*Deut.* xxxii, 51). » Eosdem etiam dicit *principes sanctos*, sed tamen ob culpam prævaricationis contaminavit eos, ut nec ipsam terram promissionis intrarent. Sequitur :

« Dedi in internecionem Jacob, et Israel in blasphemiam. »

Internecio vel internecium vocari solet bellum in quo omnes pereunt. Et Jacob tunc datus est *ad internecionem*, licet non in prælio, quia omnes præter duos, qui egressi fuerant de Ægypto, mortui sunt in solitudine. *In blasphemiam* quoque datus est, ut incredulitatem ejus accusarent.

Rursus unicuique nostrum moranti in peccatis suis dicit Dominus, quia *deleo iniquitates tuas*, tu tantum *reduc me in memoriam, ut judicemur simul*, ut me corde concipias, et sollicita inquisitione sub mea præsentia tuos actus discernas ; et *si quid* iniquitatis *habes*, *narra* illud in confessione, ut justificari possis. Debet enim uniuscujusque mens et causas suas apud Deum, et causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere ; debet caute pensare, vel quæ ab eo bona percepit, vel quæ mala bonis illius perverse vivendo responderit. Accedere debet ad secretarium Judicis, et intra sinum cordis considerare, quam districte quandoque feriat, qui diu patienter exspectat, atque flendo punire, dum licet, quidquid se male egisse cognoverit Nam ut se sine peccato esse non æstimet, culpa generationis

Digitized by Google

suæ ei ad memoriam revocatur, ut se iniquitatibus conceptum meminerit se peccatorem esse non dubitet. *Pater*, inquit, *tuus primus*, id est qui secundum carnem te genuit, in ipso coitu, dum te gigneret, *peccavit*. Nam secundus pater ille est, qui secundæ nativitatis est auctor.

Sed *et interpretes tui*, id est sacerdotes et cæteri, qui tibi verba mea interpretando manifestare debuerunt, prævaricati sunt in me, quia hoc, ut oportebat, non egerunt, sed tua potius quam mea quæsierunt. Et ideo *contaminavi sanctos principes*, quia propter malorum sacerdotum culpam infamati sunt et boni præpositi.

Et dedi ad internecionem Jacob, quia multitudinem pravorum Christianorum perdidi. *Et Israel*, id est eos, qui spiritaliter vivunt, *dedi in blasphemiam*, id est in infamiam propter exempla perversorum, tum quibus habitant. Unde ad ipsos spiritales consequenter sermo vertitur, qui eos inter iniquos degentes consoletur. Vel certe duritiam Judæorum increpans hactenus alloqui blande jam inchoat primitivam Ecclesiam, dicens :

CAPUT XLIV.

Vers. 1. — « Et nunc audi, Jacob serve meus, et Israel, quem elegi. »

Vers. 2. — « Hæc dicit Dominus faciens et formans te, ab utero auxiliator tuus : Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi. »

Dominus *fecit* hunc *Jacob*, quia creavit eum in operibus bonis, et formavit eum in hac juste vivendi forma, ut nobis diceret : « Imitatores mei estote, fratres, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram (*Philip.* III, 17). » Cui et *ab utero* matris Ecclesiæ fuit *auxiliator* in *omni* prælio spiritalis conflictus. Unde et præcepit ei, ne timeret eos, qui occidunt corpus.

Israel vero secundum proprietatem Hebraicæ linguæ *rectissimus* interpretatur. Quod autem *vir videns Deum* dici solet, non in conscriptione litterarum sed in sono vocis consistit. Et quod nunc Dominus ait : *Et rectissime quem elegi*, tale est ac si diceret : *Et Israel, quem legi*. Sed et interpres maluit ponere *rectissimum*, ut ostenderet quia de spiritali Israel nunc sermo est. Cur autem Israel iste timere non debeat, subjungitur :

Vers. 3. — « Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam.

Effundam aquas sapientiæ vel spiritalis gratiæ *super sitientem* gentilitatem, *et fluenta* supernæ prædicationis *super aridam* mentem gentilium. Unde noli timere eos, quia doctrinam tuam libenter suscipiunt. Sequitur :

« Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. »

Spiritum meum effundam super semen tuum, id est super eos, quos in Christo Jesu per Evangelium genueris, *et benedictionem* gratiæ meæ *super stirpem* eorumdem spiritalium filiorum tuorum. Nam filii Ecclesiæ renascentes ex aqua et spiritu accipiunt donum Spiritu sancti, et supernam benedictionem.

Vers. 4. — « Et germinabunt inter herbas quasi salices juxta prætérfluentes aquas. »

Infructuosæ quidem sunt arbores salicum, sed tantum tamen viriditatis habent, ut arescere vel abscissæ radicitus vix possint et projectæ. Unde quia electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimunt, recte de filiis Ecclesiæ dicitur, quia *germinabunt inter herbas quasi salices juxta prætérfluentes aquas*. Sanctæ enim Ecclesiæ filii *inter herbas sicut salices germinant*, dum inter arescentem vitam carnalium hominum et multiplici numerositate et perpetua viriditate mentis perdurant. Qui bene juxta prætérfluentes aquas germinare perhibentur, quia unusquisque eorum ubertatem ad fructum percipit ex doctrina sacri Eloquii, quæ temporaliter percurrit. Sequitur :

Vers. 3. — « Iste dicet : Domini ego sum, et ille vocabit in nomine Jacob, et hic scribet manu sua Domino, et in nomine Israel assimilabitur. »

Iste dicet : Domini ego sum, id est confitebitur se Christianum, *et ille* factus Jacob, id est *supplantator* vitiorum, *vocabit* nomen Domini in adjutorium sibi; *in* isto *nomine*, id est in eo quod per meritum actionis suæ nominatur Jacob, id est supplantator et luctator. *Et hic scribet manu sua Domino*, quia meritum suum in libro divinæ memoriæ propria actione assignans, dirigit in cœlum. *Et in nomine Israel assimilabitur*, ut sit *rectissimus*, quod interpretatur *Israel*. Assimilabitur enim in nomine Israel, dum talis fuerit, quale est nomen Israel. Sequitur :

Vers. 6. — « Hæc dicit Dominus rex Israel et redemptor ejus Dominus exercituum : Ego primus et novissimus, et absque me non est Deus. »

Hæc verba Filio congruunt. Ipse est enim rex Israel, de quo cantatur : « Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel (*Joan.* XII, 13). » Ipse est redemptor ejus, « qui visitavit et fecit redemptionem plebis suæ (*Luc.* I, 66). » Ipse est Dominus exercituum cœlestium, quia « Angeli accesserunt, et ministrabant ei (*Matth.* IV, 11). » Ipse est primus, quoniam « in principio erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Ipse novissimus, quoniam « Verbum caro factum est (*ibid.* 14) » in fine temporum. Unde et « novissimus Adam » vocatus est ab Apostolo (*I Cor.* XV, 45). Ipse est primus, per quem in initio facta sunt omnia; ipse novissimus, per quem in fine restaurata sunt universa.

Et absque me non est Deus, inquit, ac si diceret : Quia in me est Pater et ego in Patre, vel : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Cum enim dicit quia *absque me non est Deus*, se solum cum Patre et Spiritu sancto Deum esse docet, idola vero non esse deos. Et quia se solum dicit esse Deum subjungit :

Vers. 7. — « Quis similis mei? »

Id est quis Deus ut ego? Sequitur

Digitized by Google

« Vocet et annuntiet, et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum. »

Si *quis*, inquit, est *similis mei*, *vocet* me *et annuntiet mihi*, *et exponat ordinem* singulorum, quæ facta sunt, *ex quo constitui populum* Judæorum; aut ea, quæ non sunt, vocet, quasi sint, et *exponat ordinem* creaturæ meæ, qua cuncta ratione libraverim, ex quo hominem feci super terram. Vel *vocet* ad se genus humanum, *et annuntiet* ei futura, si vere est Deus ut ego. Unde et adjungit de illis falsis, qui putabantur esse dii : « Ventura, et quæ futura sunt, annuntient eis. » Si enim sunt dii, debent suis cultoribus annuntiare futura. Moxque suos Dominus contra eos, qui talium deorum culturam defendebant, corroborat, dicens :

VERS. 8. — « Nolite timere, neque conturbemini. »

Nolite timere sævitiam eorum, neque turbari propter minas eorum. Et subsequitur dicens eorumdem fidelium populo : « Extunc audire te feci, et annuntiavi, vos estis testes mei. » *Extunc*, id est ex quo constitui populum antiquum *audire te feci* a principio libri Genesis, quia non est similis mei, neque Deus præter me quisquam. Et *vos estis* inde *testes mei* contra eos, qui plures deos esse garriunt. Rursus quasi ratiocinando subdit :

« Nunquid est Deus præter me, et formator, quem ego non noverim? » Qui enim omnia novit, sciret utique, si alius præter se Deus esset, et si alius formator esset, et alius mundus, quia Deus noster mundum hunc formavit, sicut Genesis docet. Sed quia formatorem præter se Dominus esse negavit, responderet forsitan aliquis, dicens : « Nunquid illi, qui faciunt idola, non sunt formatores absque te? » Et ad hoc subjungit :

VERS. 9. — « Plastæ idoli omnes nihil sunt. »

Ut vero Apostolus ait : « Scimus quia nihil est idolum (*II Cor.* VIII, 4). » Et de idolis dictum est : « Similes illis fiant, qui faciunt ea (*Psal.* CXIII, 8). » Si igitur idolum nihil est et similes illis fiunt, qui faciunt ea, profecto *omnes plastæ*, id est formatores idolorum nihil sunt, de quibus et subditur : « Et amantissima eorum non proderunt eis; ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, » sicut ipsorum conscientia testis est, quia ea fecerunt ex insensuali materia, et idcirco, qui hoc faciunt, et ea deos dicunt, *confundentur*. Unde stultitiam eorum exprobrans ait :

VERS. 10. — « Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? »

Et de justa retributione subjungit :

« VERS. 11. — « Ecce omnes principes (153) ejus confundentur. »

Id est qui faciunt, et qui colunt illud. Sequitur :

« Fabri enim sunt ex hominibus : convenient omnes, et stabunt, et pavebunt, et confundentur simul. »

Convenient in die judicii omnes fabricatores et adoratores idoli, *et stabunt* paventes et confusi ante tribunal æterni Judicis. Demum ut evidentius ostendat idola deos esse non posse, refert quam vile exordium habuerint.

VERS. 12. — « Faber, inquit, ferrarius lima operatus est, et in prunis et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suæ. » Et eodem fabro subdit : « Esuriet et deficiet, non habet aquam (154), et lassescet. »

Constat enim idolum non habere divinitatem, quod ita fabricatum est hominis arte et labore, et cujus auctor, dum illud fabricaret, dum nisi exterioribus alimentis sustentaretur, deficiebat. Hæc de ferreis idolis dicta sunt, et de ligneis subjungitur.

VERS. 13. — « Artifex lignarius extendit normam, » id est lineam, « formavit in runcina, fecit illud in angularibus, » id est in quadratum, « et in circino tornavit. »

Runcina vero ferramentum lignarii est gracile, et recurvum, quo cavantur tabulæ domus, ut una alteri inseratur. Circinus autem vocatur inde quod circulum efficit vergendo, et est ferrum duplex, unde pictores faciunt circulos. Sed de fabricatore idoli subditur : « Et fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. » Et hoc manifestum est. Sequitur :

VERS. 14. — « Succidit cedros, tulit ilicem et quercum, quæ steterat inter ligna saltus, et plantavit pinum, quam pluvia nutrivit. »

VERS. 15. — « Et facta est hominibus in focum : sumpsit ex eis, et calefactus est, et succendit, et coxit panes : de reliquo autem operatus est Deum, et adoravit : fecit sculptile, et curvatus est ante illud. »

Talibus diis servierunt gentiles, de quibus adhuc subditur :

VERS. 16. — « Medium ejus igni combussit, de medio ejus carnes comedit, coxit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit : Vah! calefactus sum, vidi focum. »

VERS. 17. — « Reliquum autem ejus Deum fecit, et sculptile sibi : curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat illud, dicens : Libera me, quia Deus meus es tu. »

Nusquam manifestius quam hoc loco declaratur error idololatrarum, de quibus et subditur :

VERS. 18. — « Nescierunt, neque intellexerunt. obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. »

VERS. 19. — « Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt neque sentiunt, ut dicant : Medietatem ejus combussi igne, et coxi super carbones ejus

(153) Alias, *om. participes ejus.*

(154) Alias, *bibet aq.*

Digitized by Google

panes, coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam, ante truncum ligni procidam. »

VERS. 20. — « Pars ejus cinis est. »

Hæc ideo sic transimus, quia expositione non indiget. Adhuc autem de idolo subjungitur :

« Cor ejus insipiens adoravit illud, et non liberavit (155) animam suam, neque dicet : Forte, id est forsitan mendacium est in dextera mea. »

Hucusque vero Dominus stultitiam gentilium manifestans satis evidenter probavit, quod supradixerat : « Quoniam absque me non est Deus. » Quid demum populum Judæorum alloquitur, dicens :

VERS. 21. — « Memento horum Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu. »

Memento horum, quæ de idolis diximus, ne eis servire velis, *quia servus meus es*. Sequitur :

« Formavi te, servus meus es tu Israel, ne obliviscaris mei. » *Formavi te* in utero matris, ut mihi servus esses; non tu me formasti sicut idolorum cultores deos sibi formant, quibus serviant, et ideo ne me tradas oblivioni sequens tales deos. Ac de tempore gratiæ subditur :

VERS. 22. — « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nubem peccata tua. »

Nubes enim vel nebula solis calore solvitur, atque deletur, quæ solem ipsum videre non sinebat. Sic et peccata, quæ cor Judæorum obumbrabant, tandem in lumine veri solis, qui est Christus, fugata sunt atque deleta, ex quo illi ad fidem sunt conversi. Nam « usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, qui non credunt ex illis. Cum autem conversus fuerit ad Deum, auferetur velamen (*II Cor.* III, 15). » Unde et eumdem populum admonens subjungit : « Revertere ad me, quoniam redemi te. » Et quia post ejus resurrectionem totus orbis triumphos ejus decantavit, congrue sequitur :

VERS. 23. — « Laudate, cœli, quoniam fecit Dominus (156) : jubilate, extrema terræ; resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus, quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur. »

Quod enim dicitur : *Laudate cœli, quoniam fecit Dominus*, quoniam adimpletum est, quando resurrectionem ejus annuntiaverunt angeli. Vel cœlorum nomine designari possunt apostoli, de quibus dictum est, « quoniam cœli enarrant gloriam Dei (*Psal.* XVIII, 2). » Qui laudaverunt, *quoniam fecit Dominus*, quia triumphum resurrectionis ejus ubique prædicaverunt. Unde et *extrema terræ* jubilaverunt in laudem ejus. Jubilus autem vocatur, quando ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi possit nec sermonibus aperiri, et tamen quibusdam motibus aperitur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Hinc sanctus David intuens electorum animas tantum gaudium concipere, quantum sermone non valet aperire, ait : « Beatus populus qui scit jubilationem (*Psal.* LXXXVIII, 16). » Non enim ait : Qui loquitur, sed : *Qui scit*, quia sciri quidem jubilatio intellectu potest, sed exprimi dictu (157) non potest. Per illam quippe sentitur quod ultra sensum est. Et cum vix ad hoc contemplandum sufficiat conscientia sentientis, quando ad hoc exprimendum sufficiet et lingua dicentis?

Quia ergo prædicantibus apostolis, dum « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 4), » lux veritatis electorum cordibus ubique gentium se manifestans inenarrabili gaudio mentes eorum replevit, pulchre etiam *extrema terræ*, id est fines orbis *jubilare* præcipiuntur. Et ut omnis terra jubilaret, *montes*, id est sancti per vitæ meritum ad cœlestia propinquantes *resonaverunt laudationem*, id est post apostolos prædicaverunt Evangelium.

Saltus quoque, id est gentilitas, *et omne lignum ejus*, id est omnis homo gentilis resonare jussus est, *quoniam redemit Dominus* sanguine suo *Jacob*, id est populum suum, *et Israel*, id est isdem electorum populus *gloriabitur* in Domino Redemptore suo. Post hæc omnipotens Pater magnitudinem operum suorum nobis innotescere volens ait :

VERS. 24. — « Hæc dicit Dominus redemptor tuus et formator tuus ex utero : Ego sum Dominus faciens omnia. »

Nam Unigeniti sui sanguine redemit nos, antequam crearemur, ac deinde formavit nos in utero matris Sequitur :

« Extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. » Latitudinem cœlorum potentia sua Creator extendit, ut omnia tegeret; et *terram* stabilivit, ut immobilis staret.

Possunt vero sancti per *cœlos*, et Ecclesia per *terram* designari. Extendit ergo Dominus *cœlos*, quia facit, ut justi eorum quæ retro sunt obliviscentes, in anteriora extendantur. Extendit cœlos, dum sanctis suis viam prædicationis aperiens eos in mundi latitudinem circumquaque diffudit. Terram quoque stabilivit, quia Ecclesiam in Christo fundavit.

Aut per *cœlos* sacra volumina exprimi possunt, ex quibus in Patribus stellæ exemplorum atque virtutum nobis elucent. Quos Dominus extendit, quia ante oculos nostros per verba doctorum exponendo expandit. Extensis vero cœlis stabilitur terra; quia expositis sacris voluminibus confirmatur mens nostra, « ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia et circumventione erroris (*Ephes.* IV, 14). » Cum autem hæc omnia se solum Pater facere testatur, non excludit a sua operatione Filium, sed idola. « Quæcunque enim Pater fecerit, hæc et Filius similiter facit (*Joan.* V, 19). » Inseparabilis quippe est operatio Trinitatis. Sequitur :

VERS. 25. — « Irrita faciens signa divinorum, et hariolos in furorem vertens. »

(155) Alias, *liberabit*.
(156) Alias, *quoniam misericordiam fecit*.
(157) Cod. Cruc., *dictum*.

Digitized by Google

Divini signa quædam observabant, a quibus causas divinationis sumebant. Sed hæc Dominus *irrita fecit*, ut nihil veri per ea nosceretur. *Hariolos* etiam, qui juxta dæmonum aras vaticinabantur, *in furorem* vertit, ut nihil nisi furere et bacchari spiritu dæmoniaco possent. Sequitur :

« Convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens. »

Sapientes sæculi convertit *retrorsum*, id est in insipientiam : *et vanam scientiam eorum stultam* fecit. Scriptum est enim : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (*I Cor.* I, 19-21). » Unde subditur :

VERS. 26. — « Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. »

Servus enim hoc loco vocatur Dominus Jesus propter formam servi, quam ipse assumpsit. Cujus *verbum*, id est quidquid ille in Evangelio per se ipsum locutus est, Pater suscitavit ut fieret. Nuntii vero ejus nominantur apostoli, quorum fuit consilium, ut dispersi per quatuor mundi climata unum concorditer Evangelium prædicarent, et omne genus humanum ad fidem converterent. Et hoc *consilium* ut ab eis fuerat definitum, Dominus complevit. Sequitur :

« Qui dico Jerusalem : Habitaberis : et civitatibus Juda : Ædificabimini, et deserta suscitabo. »

Nunc juxta historiam reditum Israelitici populi de Perside significat in Judæam. Mystice vero Jerusalem Ecclesia est, quam a credentibus inhabitandam pollicetur Dominus. Civitates Juda, id est civitates confessionis diversæ Ecclesiæ fidelium sunt, quæ tamen unam faciunt. *Deserta* Ecclesiæ vel confessionis sunt homines ad vitam præordinati, sed adhuc in infidelitate permanentes ; vel fidem jam habentes, sed bonis operibus carentes, vitiisque repleti, quia somno veteris inertiæ suscitantur, quando mentem eorum divina gratia tangens excitat, ut convertantur. Sequitur :

VERS. 27. — « Qui dico profundo : Desolare, et flumina tua arefaciam. »

Flumina Babyloniæ industria Medorum arefacta esse feruntur, quando Balthasar interfectus est, ut per arentia flumina caperetur civitas. Sed juxta spiritualem intelligentiam quid profundum est, id est mare, nisi præsens sæculum? Quod desolatur, dum gloria mundi destruitur et potentia ejus, et quod scriptum est impletur : « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt (*I Joan.* II, 15). » Et *flumina* arefaciunt dum dogmata sæcularis scientiæ annullantur.

Vel certe profundum Dominus annullavit, quando Salvatore nostro ad infernum descendente confregit portas ejus, et inde suos extraxit electos. Cujus profundi *flumina* arefecit, quando lubricas dæmonum suggestiones de cordibus nostris exsiccavit. Sequitur :

VERS. 28. — « Qui dico Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. »

Cyrus rex Persarum *pastor* Dei fuit, quia gregem populi Israel custodivit, divinamque voluntatem in relaxationem captivitatis ejus complevit. Interpretatur autem *hæres*, et significat eum, cui Pater dixit : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II, 8). » Cyro ergo ait Dominus : *Pastor meus es*, quia Salvator noster est bonus pastor, qui posuit animam suam pro ovibus suis, ut a Patre mandatum acceperat, et ipse veraciter omnem Patris voluntatem in omnibus complevit. Sequitur :

« Qui dico Jerusalem : Ædificaberis ; et templo : Fundaberis. » Et hic restaurationem et templi et Jerusalem significat, quæ per Nehemiam et Zorobabel facienda erat (*I Esdr.* III, 2 ; *II Esdr.* II). Nostra quoque Jerusalem, quæ sursum est, vivis lapidibus per Christum ædificatur. Templum etiam fundatur, quando mens credentium in fide collocatur. « Templum enim Domini sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III, 17), » ait Apostolus, « et fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, id est : Christus Jesus (*ibid.* 11). »

CAPUT XLV.

VERS. 1. — « Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. »

VERS. 2. — « Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo, » et cætera.

Reges in populo Israel ungebantur oleo sancto, et idcirco vocabantur *christi*, id est uncti, sed apud gentiles non fiebat hæc unctio. Cur ergo Cyrus appellatur *christus*, cum non sit oleo benedictionis unctus? Quia imperialis dignitas reputatur ei pro unctione. Quod autem ait : *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro*, tale est, ac si diceret : Hæc dico ego Dominus christo meo Cyro. Vel Cyrum dicit Pater suum regem esse. Et quæ Spiritus sanctus ei dicat, innotescit : *Cujus*, inquit, *apprehendi dexteram*, id est virtutem dedi, ut nullus fortitudini ejus valeret resistere. *Ut subjiciam ei gentes*, id est Babylonios, et Medos, et Ægyptios cæterasque gentes, *et dorsa regum* earum in faciem ejus *vertam*, ut fugiant. Quæ enim gens illi resistere potuit? Quis regum non ei terga dedit? « Et aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. » Quæ enim civitas illi non patuit?

Ego, inquit, *ante te ibo*, id est terrorem meum eis immittam, ad quos venturus eris : *et gloriosos terræ humiliabo* sub manu tua, *portas æreas conteram et vectes ferreos confringam*. Et hoc ita factum est. Qui enim muri prius inexpugnabiles obsidente

Digitized by Google

Cyro non sunt subversi? Cætera in hunc modum facile possunt intelligi. Subdit enim :

Vers. 3. — « Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. »

Vers. 4. — « Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum. »

Longe antequam nasceretur, vocatus est proprio nomine Cyrus a Domino propter populum Israel, quem de captivitate erat relaxaturus. Sequitur :

« Et vocavi te nomine tuo assimilavi te, et non cognovisti me. »

Nominatim *vocavi* te, priusquam esses, ut Isaac et Josiam olim ante vocaveram. *Assimilavi* te in appellatione Filio meo, ut et tu Christus, id est *unctus* vocareris, atque Cyrus, id est *hæres*, eo quod avunculi tui Darii hæreditatem, id est regnum illius susceperis. *Et non cognovisti me*, quoniam in errore idolorum permansisti. Nam si me pura mente cognovisses, scires quod sequitur :

Vers. 5. — « Ego Dominus, et non est amplius, et extra me non est Deus. »

Non ergo cognovisti me, quia deos esse alienos præter me credidisti. Sequitur

« Accinxi te et non cognovisti me. »

Vers. 6. — « Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est Deus. »

Accinxi te potentia, ut populum meum dimitteres, quatenus ex eorum relaxatione multi ab oriente et ab occidente cognoscerent, quia solus ego sum Deus, qui sic eos, quando volui, liberavi.

Sed jam videamus utrum et aliter hæc intelligi queant. Notum enim cunctis est, quis sit Christus Domini, nimirum ille, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute, qui et Cyrus est, id est *hæres* secundum quod Apostolus ait, quia sumus « hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII, 17). » *Cujus*, inquit, *apprehendi*, *dexteram*, ut diceret mihi : « Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me (*Psal.* LXXII, 32). » *Ut subjiciam ante faciem ejus gentes*, ut « in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philipp.* II, 10). » *Et dorsa regum* earum *vertam*, quia dæmones in fugam convertam. *Et aperiam coram eo januas* humanorum cordium, *et portæ* mentium ei *non claudentur*, sed patebunt, ut gaudentes eum suscipiant.

Quod autem sequitur : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo*, secundum quod superius ait, intelligi debet : « Quis suscitavit ab oriente justum vocans eum, ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit (*supra* XLI, 2). » — « Portas, inquit, æreas conteram, et vectes ferreos confringam. » Æs quia rubigine non consumitur, valde durabile est. Et quid per *portas æreas* nisi diu obserati humanarum mentium aditus exprimuntur? Quid per *vectes ferreos* nisi dura obstinatio malæ voluntatis figuratur, quæ januam cordis Christo non sinit aperiri? *Conterum* ergo virtute Spiritus mei *portas* mentium æri similes in diuturna duritia, *et vectes* internæ obstinationis ut ferrum duros, ut et durissima corda adventui gratiæ tuæ pateant.

Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum, ut « in te sint omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). » Vel *thesauros absconditos*, id est homines ad vitam præordinatos, sed adhuc peccatis opertos. Latens enim thesaurus erat Saulus, dum Ecclesiam persequeretur. Hujusmodi ergo *thesauros dabo tibi*, *et arcana secretorum* manifestabo tibi, *ut* de singulis *scias*, quis in malitia vel sanctitate perseveraturus sit, aut quis minime. Et *ut scias*, id est membris tuis facias scire, *quia ego Dominus*, *qui voco nomen tuum*, Cyrum, id est hæredem *propter servum meum Jacob*, id est propter eos qui cum vitiis luctantur, et nondum amici, sed adhuc *servi* merentur vocari. *Et propter Israel electum meum*, id est propter eos, qui contemplationi cœlestium sunt intenti. Nam propter fideles meos vocavi te hæredem meum, quia ipsi sunt hæreditas mea, quam dedi tibi.

Et vocavi te nomine tuo Jesum, id est Salvatorem. Tu enim salvum facies populum tuum a peccatis eorum. Vel *nomine tuo*, sicut dictum est, vocavi te hæredem, quia « dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II, 8). » Et *assimilavi te* cæteris hominibus, quia es « in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 7). » Hæc omnia *propter servum meum Jacob*, *et propter Israel electum meum*.

Quod autem subjungitur : « Et non cognovisti me, » nullo modo ad personam Redemptoris nostri fas est referri. Sed quia idem Dominus ex Judæis carnem assumens unum cum eis in genere factus est, potest, ut mihi videtur, ad infidelem Judæorum populum referri, quod ait : *Et non cognovisti me.* Qui enim olim tanto tempore coluerunt Baal, et Domino quoque sacrificia reddebant, non cognoverunt eum. Unde et addit :

« Ego Dominus, et non est amplius, et extra me non est Deus. » Nam qui deos alios esse putabant, eum qui solus est Deus et Dominus, non cognoscebant. Deinde *accinxi te*, inquit, o Christe, mirifica potentia, *et* tu, populе Judæorum, *non cognovisti me.* Ideo te, Christe meus, accinxi, ut per te sciant hi qui ab ortu solis, et qui ab occidente sunt, quoniam absque me non est Deus, ut sit « ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen Domini, et excelsus super omnes gentes Dominus (*Psal.* CXII, 3). » Inde et repetit : *Ego Dominus, et non est alter.* Atque subjungit :

Vers. 7. — « Formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum : ego Dominus faciens omnia hæc. »

Lucem veræ scientiæ Dominus in nobis format, et *tenebras* afflictionis exterius creat. Pacem mentis intrinsecus facit et mala adversitatis forinsecus creat. De quibus malis et per beatum Job dicitur :

Digitized by Google

« Si bona suscepimus, de manu Domini mala quare non sustineamus (*Job.* II, 10.)? » Non enim mala, quæ nulla sua natura subsistunt, a Domino creantur, sed creare mala Dominus se indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum format, ut ea ipsa et per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint, et per naturam, qua existunt, bona. Unde et venenum mors quidem est homini, sed vita serpenti. Amore enim præsentium ab auctoris nostri dilectione recessimus, et perversa mens, dum dilectioni creaturæ se subdidit, a Creatoris societate se disjunxit. Ex his a Creatore ferienda erat, quæ errans Creatori præposuerat, ut unde homo culpam non timuit superbus admittere, inde pœnam corrigendus inveniret, et tanto citius resipisceret ad illa quæ perdidit, quanto doloris plena esse conspiceret, quæ quæsivit. Unde et bene dicitur : *Formans lucem et creans tenebras*, quia cum per flagella exterius tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem, et creans mala*, quia tunc nobis pax cum Deo redditur, cum hæc, quæ bene condita sed non bene concupita, in ea quæ nobis mala sunt, flagella vertuntur. Per culpam quippe Deo discordes exstitimus. Dignum ergo est, ut ad pacem illius per flagella redeamus, ut dum unaquæque res bene condita nobis in dolorem vertitur, correcta mens ad auctoris pacem humiliter reformetur. Hæc itaque flagella Dominus *mala* nominat, quia salutis et tranquillitatis bonum perturbando feriunt. Sed quia de his, quæ per Christum erat acturus, vel ei facturus hucusque præmisit, nunc de ejus nativitate subjungit :

Vers. 8. — « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul : ego Dominus creavi eum. »

Id est veniat angelus, prædicet verbum : *aperiatur terra*, audiat Maria : *et germinet Salvatorem*, et pariat Jesum : *et justitia oriatur simul*, ut ille non post justificetur, sed cum justitia nascatur. Justus enim et sanctus est natus attestante Angelo, qui matri ejus dixerat : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. (*Luc.* I, 35). » Unde et addit : quia *ego Dominus creavi eum*. Ac si dicat : Per operationem Spiritus mei creatus est in utero virginis, non per coitum viri generatus. Sed quia hunc Judæus quisque non filium virginis sed filium Joseph asserit, recte subjungitur :

Vers. 9. — « Væ qui contradicit fictori suo, testa de samiis terræ!

Contradicit enim *fictori*, id est plasmatori suo, quando carnalis Judæus Jesum, quem conditor omnium Deus singulariter creasse se testatur, viri semine, sicut cæteros, creatum dicit. Samis autem insula vel civitas est, in qua dicitur ars figulorum inventa, et ideo fictilia vasa vocantur *samia*. Quod igitur ait : *Testa de samiis terræ*, tale est ac si diceret : Testa de testis terræ, luteum vas ex luteis vasis terræ. *Testa de samiis terra* est omnis qui ex viro et femina generatus est. Et hæc testa contradicere audet *fictori suo*, si ipse ex eodem luto facere voluerit quoddam mirabile vas in honorem singulariter sanctificatum et utile ad omne opus bonum paratum? Unde et sequitur :

« Nunquid dicet lutum figulo suo : Quid facis, et opus tuum absque manibus est? »

Lutum enim *dicit figulo suo : Quid facis*, quando luteus homo contra sui plasmatoris actionem, qua Christum ex Virgine creat, audet disputare et dicit ei : *Opus tuum absque manibus* tuis *est*, id est tuæ manus non sunt in hoc opere, quando negat eum fecisse, quod fecit, id est Christum ex Virgine creasse. Unde et adhuc subditur .

Vers. 10. — « Væ qui dicit patri : Quid generas! et mulieri : Quid parturis? »

Dicit enim patri : *Quid generas*, vel qui latentes causas æternæ generationis Filii Dei temerarie scrutari conatur, vel qui eidem generationi contradicit in aliquo. *Et mulieri*, id est electæ feminæ, quæ virgo eum genuit : *Quid parturis*, vel qui partum ejus temerarie præsumptione discutere nititur, vel qui eumdem partum ejus reprehendit. Mulier enim hoc loco pro sexu posita est, sicut et ibi : « Misit Deus Filium suum factum ex muliere (*Galat.* IV, 4). » Vel *patri dicit : Quid generas?* qui prædicatorem ex eo increpat, quod per Evangelium Deo filios adoptivos gignit. Et *mulieri dicit : Quid parturis?* qui Ecclesiæ indignatur, quia spiritales filios parit. Sequitur :

Vers. 11. — « Hæc dicit Dominus Deus (158) Israel plastes ejus : Ventura interrogate me. »

Plastes Israel est, qui ait alibi : « Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea filii Israel (*Jer.* XVIII, 6). » Vel illud *ejus* refertur ad Christum, quem Deus per Spiritum sanctum plasmavit in utero Virginis. Qui et nunc dicit eidem populo Israel : Nolite mihi contradicere in his, quæ de incarnatione Christi prænuntio, sed magis *interrogate me* ventura de eo, vel de ejus Ecclesia. Et increpando subjungit : « Super filios meos, et super filias meas, et super opus manuum mearum mandate mihi (159). » Ac si dicat : Non necesse est ut quæ de Christo et Ecclesia facturus sum, vos mihi, qualiter ea faciam, præcipiatis. Unde potentiam suæ actionis demonstrans subjicit :

Vers. 12. — « Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego : manus meæ tetenderunt cœlos, et omni militiæ eorum mandavi. »

Ita est, ipse fecit *terram et hominem*, atque *cælos* tetendit, *et omni militiæ eorum* mandavit, id est angelis ut ministeria et officia sua implerent, et stellis, ut suos cursus peragerent, et locis ac temporibus suis apparerent. Potest vero per *terram* Ecclesia,

(158) Alias, *Do. San. Isr.*
(159) Alias, *filios meos et super opus man. mear.*, etc.

Digitized by Google

et per *hominem* mediator Dei et hominum homo Christus Jesus intelligi.

Quid autem per *cœlos* nisi mentes electorum designantur a cunctis terrenis contagiis intimo amore suspensæ? Quos videlicet *cœlos manus Domini* extendit, quia luce visionis intimæ laxatur mentis sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo, cumque in Dei lumine rapitur, etiam super se in interioribus ampliatur; et dum se sub se conspicit, exaltata comprehendit, quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Sic ergo Dominus *cœlos* extendit, quia quamlibet parum deliciæ Creatoris meus aspexerit, angustum fiet ei omne quod creatum est. Quæ est autem *militia* talium *cœlorum* nisi conversatio justorum? Nam « militia est vita hominis super terram (*Job.* VII, 1). » Cui *militiæ Dominus mandavit*, quia vitæ sanctorum præcepta sic agendi dedit. Qui de Christo suo, de quo frequenter est locutus, subjungit :

VERS. 13. — « Ego suscitavi eum ad justitiam, et omnes vias ejus dirigam. »

Suscitavi, id est nasci feci *eum ad justitiam* faciendam, sicut et alibi dicitur : « Quia suscitabo David germen justum, et faciet judicium et justitiam in terra (*Jer.* XXIII, 5). » *Et omnes vias ejus dirigam;* quia « voluntas Domini in manu ejus dirigetur, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur (*Isa.* LIII, 16).

« Ipse ædificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet non in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum. »

Supernam Jerusalem vivis lapidibus ædificabit, et nos de Babylonis hujus, id est confusi sæculi *captivitate* gratis liberabit. Peccante enim protoparente nostro captivatus est a diabolo, et in peregrinationis hujus ejectus in exsilium a patria sua. Unde fit, ut omnes ejus filii in hoc sæculo velut in Babylone captivi teneantur, donec per eum liberentur, qui ait : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36). » Hanc ergo *captivitatem* ipse *dimittit*, dum nos ad antiquæ felicitatis patriam reducit, *non in pretio*, quod a nobis accipiat, *neque in muneribus*, sed gratuita miseratione. « Gratis enim estis salvati (*Ephes.* II, 8), » ait Apostolus. Ad quem scilicet liberatorem nostrum paterna promissione consequenter dicitur :

VERS. 14. — « Hæc dicit Dominus : Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ et Sabbaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt, vinctis manibus (160) pergent, et adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. »

VERS. 15. — « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. »

VERS. 16. — « Confusi sunt, et erubuerunt, omnes simul abierunt in captivitatem fabricatores errorum. »

VERS. 17. — « Israel salvatus est in Domino salute æterna. »

Ægyptus, ut supra dictum est, interpretatur *tenebræ*, Æthiopia *caligo*, Sabbaim vero dicuntur *captivi*. Et quid per Ægyptum et Æthiopiam nisi gentes exprimuntur tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis illorum? Et qui sunt *Sabbaim viri sublimes*, id est *captivi* viri superbi nisi de quibus optamus, ut det illis pœnitentiam Deus ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem?

Laborabat autem Ægyptus, et Æthiopia negotiabatur, quia cæci gentiles labori terreno incumbebant, et negotiis sæcularibus implicabantur. Sed *labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ* transibit *ad te*, qui captivitatem non in pretio dimittis, ut gentiles, qui in tenebris infidelitatis pro temporali vita laborabant, in tua fide laborent pro sempiterna; et qui carnalia sectabantur negotia, spiritales fiant negotiatores internas divitias acquirentes. Hinc enim : « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui inventa una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit illam (*Matth.* XIII, 45, 46).

Captivi quoque *viri sublimes*, id est hæretici vel potentes sæculi, aut quilibet versi contumaces, nunc fideliter *ad te transibunt*, maceriam peccati, quæ inter te et illos erat, transilientes, vel antiqui hostis castra deserentes, et in tuam partem transeuntes, *et tui erunt et post te ambulabunt* vestigia tua sequentes. « Qui enim dicit in Christo se manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan.* II, 6).

Vincti manicis pergent, quia sic viam justitiæ sequentur, ut manus eorum vinculis præceptorum tuorum ab opere malo restringantur. *Et te* supplici*ter adorabunt; teque deprecabuntur* dicentes, quia *tantum in te est Deus, et non est absque te Deus.* Non enim Deus in adversæ atque alienæ a se naturæ habitaculo est, sed in suo atque a se genito manet Deus in Deo, Pater in Filio. Ait enim : « Quia ego in Patre et Pater in me est (*Joan.* X, 38). » *Et non est*, inquiunt, *absque te Deus*, o Christe. Proprium etenim Filio Dei est ne absque eo Deus quisquam sit. Pater enim non est absque Filio, qui ait : « Ego et Pater unum sumus (*ibid.* 30). » Et : « Quia in me est Pater, et ego in Patre. » Non enim sunt duo dii Pater et Filius, sed unus Deus. Eodem modo sciendum est de Spritu sancto.

Deinde viri sublimes, *vere*, inquiunt, *tu es Deus absconditus*, quem miser iste mundus ignorat, Deus qui salvas Israel, qui solus salvare potes. Neque enim dii gentium suos cultores salvare valent. Vel *tu es Deus absconditus*, quia « Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Recte

(160) Alias, *vincti manicis*. Cod. G. *vinctis manicis*. Crucensis infra : *vincti manicis*.

Digitized by Google

enim *Deus absconditus* dicitur unigenitus Filius, qui est in sinu Patris. Sive propter corporis assumpti sacramentum vocatur Deus absconditus. Ubi autem iste Deus absconditus innotuit mundo, *confusi sunt fabricatores errorum* gentiles ac hæretici, *et erubuerunt omnes simul* opprobrium insipientiæ suæ potantes, et *abierunt* in captivitatem sempiternæ damnationis, ubi cum diabolo perpetualiter vincti custodientur in infernali carcere.

Israel vero, id est electorum populus, *salvatus est in Domino salute æterna.* « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis (*II Cor.* v, 5). » Sed quia pii solent ab impiis derideri (161), bene ad eos consolatoria promissione subditur, quia *non confundemini, et non erubescetis in sæculum sæculi.* Non confundemini propter blasphemias infidelium in præsenti sæculo, donec *sæculum sæculi* veniat, id est sæculum illud quod huic succedet, in quo perpetualiter gloriabimini. Et cur (162) confundi vel erubescere non habeatis. Sequitur :

VERS. 18. — « Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes ejus : non in vacuum (163) creavit eam : ut habitaretur, formavit eam : Ego Dominus, et non est alius. »

Ideo, inquit, non erubescetis, quia Dominus Jesus, qui *creavit* potentia suæ divinitatis *cœlos, et* fecit, *et* formavit *terram, ut habitaretur* ab hominibus, ipse modo cunctis habitatoribus clamat se solum esse Dominum, et præter se nullum esse Dominum. Sequitur :

VERS. 19. — « Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. »

Hoc est, nisi fallor, quod in Evangelio dicit : « Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil (*Joan.* XVIII, 20). » Nam qui communem salutem annuntiabat cunctis ad se generaliter confluentibus, quomodo in abscondito loquebatur ? At contra hæresis in occulto loquitur, *in loco terræ tenebroso*, quia (164) dicitur in Proverbiis . « Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior (*Prov.* IX, 17). » Vel non in absconso locutus est se solum esse Deum, qui in monte Sina de excelso ejus vertice clamavit : « Non erunt tibi dii alieni absque me, nec facies tibi idolum (*Deut.* V, 7). » Sed melius de apostolica prædicatione accipitur. Dominus vero subdit :

« Non dixi semini Jacob : Frustra quærite me. »

Ac si dicat : Non incassum eos adventum meum exspectare feci, quoniam ad eos, ut promiseram, veni. Et de doctrina sua subjungit : « Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. » Ac si dicat : Omne quod ex ore meo procedit, justum et rectum est. Et revera sic est. Quid enim *rectum* quam quod in Evangelio præcepit, aut loquitur ? Hac enim justitia fideles justificantur, qui in lege non poterant justificari. Qui sicut ibi ait : « Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis (*Matth.* XI, 28), » ita et hic quoque subjicit, dicens :

VERS. 20.— « Congregamini et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex gentibus. »

Congregamini in caulas Ecclesiæ, et in merito bonæ actionis *venite, et accedite simul* omnes, qui spe *salvati estis ex gentibus.* « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24). » Et cur ad me festinanter debeatis accedere, sequitur :

« Nescierunt, qui levant signum sculpturæ suæ, et rogant Deum non salvantem. » Qui enim sibi sculpunt idolum, et adorant, nesciunt quid faciunt, quia obcuratum est insipiens cor eorum. Deinde præconibus Evangelii præcipitur :

VERS. 21. — « Annuntiate et venite, et consilimini simul. »

Sancti enim prædicatores postquam annuntiaverunt venientes consiliati sunt simul, quando Judæi asserentes, oportere gentiles, qui ad fidem veniebant, circumcidi, Paulus cum Barnaba Jerosolymam ascendit audire (*Act.* XV), quid de hac resentirent priores apostoli. Nunc etiam præpositi ecclesiarum consiliantur simul in synodis et conciliis sæpe convenientes. Conversis vero gentibus subjungit Dominus :

Quis auditum fecit ab initio (165) ? Et sibi ipsi respondet : *Ex tunc prædixi illud* ? (166) Prædixit enim ex tunc, id est ab initio conversionem gentium prænuntians Abrahæ, « quia in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII, 18). » Rursum se solum contestatur esse Deum dicens : « Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me ? Deus justus et salvans non est præter me. » Hoc evidens est. Nam qui dicuntur dii gentium injusti sunt omnes, et suos cultores non servant sed perdunt. Sequitur :

VERS. 22. — « Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ, quia ego Deus, et non est alius. »

Et hoc manifestum est. Nullus enim Deus præter Christum, qui totum orbem ad se conversum salvat. Sequitur :

VERS. 23. — « In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, et non revertetur, quia mihi curvabunt omnia genua (167), et jurabit omnis lingua. »

« *In memetipso*, inquit, *juravi*, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per semetipsum. Homines enim per majorem sui jurant,

(161) Cod. G., *irrideri.*
(162) In cod. Garst. verba hæc : *et cur*, etc., usque ad : *quia hæc*, etc., desiderantur.
(163) Alias, *in vanum.*
(164) Ambo codd. *quæ.*
(165) Alias, *fecit hoc ab init.*
(166) Alias, *prædixit.*
(167) Alias, *curvabitur omne genu.*

Digitized by Google

et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum solatium habeamus (*Hebr.* VI, 13 *et seqq.*).

Sed quid juraverit, audiamus. *Egredietur de ore meo justitiæ verbum*, id est sententia judicandi per fidem omnes qui crediderunt. *Et non revertetur*, quia in sempiternum manebit justitia, quæ per fidem electis dabitur, nec me pœnitebit hoc verbum emisisse. Nam *mihi curvabunt omnia genua*, « ut in nomine Jesu omne genu flectatur (*Philip.* II, 10). » *Et omnis lingua jurabit* mihi, « ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*ibid.* 11). » *Omnis lingua jurabit mihi*, quia linguarum omnium diversitas in hoc concordabit, ut devotum mihi famulatum juret.

Vel quod ait, *quia mihi curvabunt omnia genua, et jurabit omnis lingua*, sic intelligamus ut Apostolus exposuit dicens : « Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, et confitebitur omnis lingua. Itaque unusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo (*Rom.* XIV, 10-12). » Nam juxta hunc sensum flectere genu Deo est stare ante tribunal Christi, et confiteri vel jurare Deo, rationem ei pro se reddere. Sequitur :

VERS. 24. — « Ergo in Domino dicet : Meæ sunt justitiæ, et imperium. »

Quoniam egredietur de ore meo justitiæ verbum, et flexo genu mihi jurabit omnis lingua ; ergo omnis lingua mihi jurans *dicet in Domino*, id est in Patre *meo : Meæ sunt justitiæ*, quia per verbum Christi sum justificata : *et meum imperium*, quia in Christo regina facta sum. Hæc enim dicit Ecclesia, quæ in omnibus linguis et gentibus est. Quæ et inde suum dicit imperium, quia in toto orbe dominatur. De illis vero, qui Evangelium Dei non recipiebant, sequitur :

« Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. »

Ad Dominum enim *veniunt* vel nunc credendo, *et confundentur* de malis suis pœnitentiam agendo, vel postmodum ut ante tribunal ejus stent, et æternæ confusionis opprobrium portent. De electis autem subditur :

VERS. 25. — « In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel. »

In Domino Jesu Christo *justificabitur*, sicut et Paulus Judæis ait : « Notum sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiabitur ab omnibus quibus non potuistis in lege Moysi justificari. In hoc omnis, qui credis, justificatur (*Actor.* XIII, 38,). » *Et laudabitur in illo*, quia « laudabuntur omnes, qui jurant in eo (*Psal.* LXII, 12). » Justificabitur in hac vita, laudabitur in alia *omne semen* Israel non carnale, sed spiritale. « Non enim omnes, qui ex Israel, si sunt Israelitæ, neque qui semen Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filii carnis hi filii Dei, sed qui filii promissionis sunt, æstimantur in semine (*Rom.* IX, 6-8). » Justificatis autem in Christo fidelibus et omnibus linguis ei jurantibus congrue subditur :

CAPUT XLVI.

VERS. 1. — Conflatus (168), est Bel, contritus est Nabo : facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis. »

Credentes enim omnia conflaverunt et contriverunt idola. *Bel* namque et *Nabo* fuerunt idola. Interpretatur autem Bel *vetustus*, et Nabo *sessio*. Et quis est hic vetustus nisi antiquus hostis? aut quæ est hæc sessio, nisi quam voluit, dum sedem suam ad aquilonem ponere cogitaret? Sessio hæc regnum in infidelibus est. *Bel* igitur *conflatus est et Nabo contritus* quia diabolus tartareis incendiis est traditus, et regnum ejus pœnitentia contritum de corde eorum, qui crediderunt.

Simulacra eorum, id est diaboli et dominationis ejus fuerunt idola, et hæc *bestiis et jumentis facta sunt*, quia homines, qui bestiali ferocitate sæviebant, et quælibet onera sibi a dæmonibus imposita non renitentes portabant, coluerunt ea, quibus deinde dicitur :

« Onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. »

VERS. 2. — « Contabuerunt, et contrita sunt simul : non potuerunt salvare portantem. »

Idola enim, quæ gravi pondere eos fatigabant, qui se portabant, postmodum confracta sunt, et computruerunt, nec suos bajulatores salvare valuerunt. Nam sequitur :

« Et anima eorum in captivitatem ibit. » Id est æternis vinculis stricta ducetur in carcerem perpetuæ damnationis.

Vel hoc dicendum, quod gravissimum onus in gentibus errorum idololatriæ fuerit, quæ cultores suos deprimebat in terram ; dii quidem gentium facti sunt a cultoribus suis, et portantur ab eis, nec eos salvare possunt, a quibus portantur ; sed Deus noster ipse fecit nos, et ipse portat, et salvat nos. Sequitur :

VERS. 3. — « Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini mea vulva. »

VERS. 4. — « Usque in senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo : ego feci, et ego feram, et ego portabo et salvabo. »

Nam *domus Jacob* Ecclesia est fidem patriarcharum tenens, quia Christus « regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 33). » Et quod est *residuum domus Israel*, nisi de quo dictum est, quia « omnis

(168) Alias, *confractus*.

Digitized by Google

qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur (*supra* IV, 3). » Potest et historialiter accipi *domus Jacob et residuum domus Israel* antiquus Dei populus.

In utero autem concipitur proles, quæ in hanc vitam profertur. Quid ergo uterum seu vulvam Dei nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per prædestinationem recepti sumus, ut creati per sæcula producamur? Ambrosius autem loquens de Unigenito : « Sicut sinus Patris spiritalis intelligitur intimum quoddam paternæ charitatis naturæque secretum, in quo semper est Filius, ita etiam Patris est vulva spiritalis interioris arcanum, de quo tanquam de genitali alvo processit Filius. » Nos vero, quia de adoptivis filiis loquimur, vulvam vel uterum Dei, sicut diximus, consilium ejus accipimus. A quo scilicet utero portamur, quia Deus consilio sapientiæ patienter nos portat cognoscens qui sunt ejus.

Quæ est autem ejus senecta nisi perpes infinitas? *Usque ad senectam* ergo ipse est, qui usque in æternum sine varietate mutationis permanet, cui dictum est : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 28). » Ipse quidem usque ad senectam suam, quæ est perpetua immortalitas, et infinitas, manet; nos vero *portat usque ad canos* senectutis nostræ, id est longanimiter nos tolerat usque ad finem vitæ præsentis, et tunc singulis, quod meruere, restituet. Vel *usque ad senectam* non suam sed nostram *ipse nos portat* tolerans et provehens, atque justa miseratione perpetualiter salvabit. Et in omnibus his operibus suis omnino contrarius est diis gentium. Unde rursum idololatras increpat, dicens :

VERS. 5. — « Cui assimilastis me et adæquastis, et fecistis similem? »

VERS. 6. — « Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis : conducentes artificem, ut faciat deum. »

Eum quippe in sua æstimatione similem faciebant idolo materiali, « Qui, sicut Apostolus ait, mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I, 23). » De quibus et subditur : « Et procidunt, et adorant. »

VERS. 7. — « Portant illum in humeris gestantes et ponentes in loco suo, et stabit, et de loco suo non movebitur, sed cum clamaverint ad eum, non exaudiet (169), de tribulatione non salvabit eos. » Totum hoc manifestum est. Sequitur :

VERS. 8. — « Mementote istud, et fundamini (170) : redite, prævaricatores, ad cor. »

VERS. 9. — « Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. »

O, inquit, cultores idoli, *mementote*, id est recogitate illud, quia Deus vester ita fabricatus est, et ex quo positus est in loco suo, non potuit se movere, nec suos cultores audire valet aut juvare, *et fundamini* in veritate, ne per varios errores mens vestra fluctuet.

Redite ad cor vestrum sub imagine, quam foras cernitis, quia sensum rectæ cogitationis in talibus amisistis. Quid autem nobis vicinius est corde nostro? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, a nobis cor nostrum longius evagatur. Longius ergo istos mittit, quos ad cor suum redire præcipit, quia quo se exterius fuderint, eo a se, unde possint redire, vix inveniunt. Sparsis enim foris mentibus ad semetipsas redire difficile est, quia qui terrenis desideriis implicantur, eos prava itinera semel captos tanto delectabiliter tenent, quanto in eis omne quod libuerit, licet. Quippe nullus disciplinæ murus obviat, qui stringat, nulla retributionis prospicitur pœna, quæ terreat, sed clausis oculis cordis eo anima præcipitatur in infirmis, quo obscuratur a summis; et tanto securius mala temporalia perpetrat, quanto durius æterna bona desperat.

Tales erant illi « qui, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et, « ut prædictum est, » mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora sua in semetipsis (*Rom.* I, 21-24). » Cum ergo divinæ bonitati placet resipiscere tales, congrue dicit eis : *Redite prævaricatores ad cor. Prævaricatores* enim sunt qui, cum cognovissent Dominum, non sicut Deum glorificaverunt. In eo enim quod Deum cognoverunt, quodammodo legem acceperunt, ut ei gloriam darent, sed hanc prævaricati sunt in cultura idolorum. Vel naturalem legem prævaricati sunt inique agendo.

Quos postquam a vanitate, qua se foras sparserant in idololatria, redire ad cor suum præcepit : *Recordamini*, inquit, *prioris sæculi*, quia tunc nec nominatum fuerat idolum. Si enim idola dii essent, utique mundum fecissent. Sed in priori sæculo non fuerunt, ideoque dii esse non possunt. *Ego enim*, qui mundum creavi, *sum Deus, et non est ultra Deus*, sicut nec ultra mundus, *nec est* quisquam *similis mei*. Ad hoc autem, quod dixerat, quia *non est similis mei*, bene subjecit :

VERS. 10. — « Annuntians ab exordio novissimum, et ab initio quæ nondum facta sunt, dicens : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. »

Annuntiavit enim Deus *ab exordio novissimum* dicens in Adam, quia « relinquet homo patrem suum (*Gen.* II, 24), » id est Christus a solio majestatis

(169) Alias, *non audiet*, etc.

(170) Alias, *confundamini*.

Digitized by Google

suæ descendet, « et matrem (*Gen.* II, 4.), » id est Synagogam deseret, « et adhærebit uxori suæ (*ibid.*), » id est Ecclesiæ « et erunt duo in carne una (*ibid.*). » Cujus *consilium stabit, et omnis voluntas* ejus *fiet*, quoniam ejus voluntati nec illa obsistent, quæ contra voluntatem illius fieri videntur, quia ad hoc nonnunquam permittit fieri, et quod non præcepit, ut per hoc certius impleatur, quod jubet. Apostatæ enim angelo perversa voluntas est, sed tamen a Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoque ejus insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant, dum tentant. Sic ergo *consilium* ejus stat, ut inde magis voluntatem suam impleat, unde voluntatis ejus consilio quis contraire nititur.

Sed dum *ab exordio novissimum, et ab initio quæ necdum facta sunt, annuntiat dicens : Quia consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*, satis ostendit se de eo consilio dicere, quo disposuit, ut propinquante mundi termino diabolus per passionem Salvatoris humanum genus amitteret. Hoc enim annuntiavit *ab exordio* dicens serpenti, quia « inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum, et semen illius (*Gen.* III, 15). » Et voluntas ejus salus mundi est, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II, 4). » Et hanc voluntatem suam ab initio denuntiavit Abrahæ promittens ei, quia « in semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII, 18). » Sed hæc nondum erant facta, id est voluntas ejus in salvatione mundi necdum erat impleta, dum per prophetam hæc loqueretur. Qui quoniam Christum suscitavit a mortuis, et constituit ad dexteram suam in cœlestibus, bene post denuntiationem consilii illius passionis de ipso subjungit :

VERS. 11. — « Vocans ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis meæ. »

Eum quippe nuncupat *avem*, qui corpus carneum, quod assumpserat, ascendendo ad æthera libravit. Et eumdem appellat *virum voluntatis suæ*, de quo et alibi testatur : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, 17). » Jam vero diximus, quia Judæorum populus idcirco vocatur oriens ; quia de carne ejus idem Salvator natus est, qui sol justitiæ dicitur. *Terra* autem *longinqua* nominatur hæc regio nostra, in qua peregrini et hospites exsulamus. Vocavit itaque Deus *ab oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis suæ*, quando Christum de Bethania levavit in cœlum.

Vel gentilitas potest appellari *longinqua terra*, quia longe erat a Deo, dum serviret idolis. Qui *vocavit ab oriente avem*, quando Christum per apostolos a Judæis ad gentes misit. Et rursus *de terra longinqua* vocavit *virum voluntatis* suæ, quando per Eliæ prædicationem a gentibus eum reducet ad Hebræos. Et in his omnibus implebitur, quod ait : « Quia consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. » De quo etiam subdit :

« Et locutus sum, et adducam illud : creavi, et faciam illud. » *Locutus sum* per prophetas consilium meum, *et adducam illud* in tempore suo, et *creavi* illud prædestinando, *et faciam illud operando*. Unde sequitur :

VERS. 12. — « Audite me duro corde, qui longe estis a justitia. »

VERS. 13. — « Prope feci justitiam meam, non elongabitur ; et salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam (171). »

Nam *duro corde* semper fuere Judæi, *et longe a justitia*. « Ignorantes enim justitiam Dei, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). » Quibus ait : « Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur, » id est appropinquavit tempus, ut reveletur (172) per Christum justitia fidei. Neque enim ultra *elongabitur, et salus* æterna, quæ per eum danda est credentibus, *non morabitur* amplius.

Dabo in Sion salutem æternam his, qui crediderint in vobis, *et in Jerusalem gloriam meam* super his, qui fidem Christi mei receperint, ut Spiritu sancto repleti loquantur omnibus linguis, et prophetent, atque signis et virtutibus coruscent. Hoc factum est in illa « multitudine credentium, quorum erat cor unum, et anima una (*Act.* IV, 32). » Sequitur :

CAPUT XLVII.

VERS. 1. — « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra. »

Reprobis, et cum occasio deest peccatum perpetrandi, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt ; et cum non semper diabolum sequantur in opere, valde tamen se ei obligant in cogitatione. Unde nunc recte dicitur : « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis, sede in terra. » Cum enim semper pulvis sit terra, non tamen terra semper pulvis, quid per pulverem nisi cogitationes debemus accipere, quæ dum importune ac silenter in mente evolant, ejus oculos excæcant ? Et quid per terram nisi terrena actio designatur ? Et quia reproborum mens prius ad prava cogitanda ducitur, et postmodum ad facienda, recte filiæ Babylonis, quæ ab internæ rectitudinis judicio descendit, per ferientem sententiam dicitur, ut prius *in pulvere*, et post *in terra* sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset. Hoc enim loco humana mens virgo non incorrupta, ut arbitror, dicitur, sed infecunda.

Et quia Babylon *confusio* interpretatur, recte infecunda mens *Babylonis filia* vocatur, quæ in eo, dum nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine recte vivendi componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infecunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur, quod fuit. Cui apte per increpationem dicitur : *De-*

(171) Alias, *et in Israel gloriam meam.*

(172) Uterque cod., *relevetur.*

Digitized by Google

scende. In alto quippe stat humanus animus, quando supernis retributionibus inhiat. Sed ab hoc statu *descendit*, cum turpiter victus sese defluentibus mundi desideriis subjicit. Cui bene mox additur: *Sede in pulvere*. Descendens enim *in pulvere* residet, qui cœlestia deserens terrenis cogitationibus aspersus in infimis vilescit. Ubi adhuc ingeminando subjungitur: *Sede in terra*. Ac si exprobrans dicat: Quia cœlestis conversatione noluisti te erigere, sub temetipso humiliatus in terrenis actibus humiliare. Unde et necessario protinus additur:

Non est solium filiæ Chaldæorum. »

Chaldæi namque feroces sunt, quia voluntates proprias sequentes nec suis parcere mortibus sciunt. Feroces sunt terrena desideria, quæ non solum contra præcepta Conditoris, sed sæpe et contra percussionum verbera duram atque insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium non habet *solium*, quia mens, quæ ad amorem mundi ex pravis desideriis nascitur, atque eisdem desideriis obduratur, in eo quod se terrenis concupiscentiis subjicit, sedem judicii amittit, nullique apud se solio præsidet, qui examine discretionis caret. Et quasi a judicii sui sede expellitur, qui per exteriores concupiscentias vagatur. Liquet enim, quod mens, quæ intus consilii sedem perdidit, foras se per desideria innumerabiliter spargit, et quia agere intellecta dissimulat, cæcatur recte, ut etiam nesciat quid agat, et sæpe justo judicio in ipsa sua voluntate relinquitur, et sub ea, quæ anxie appetit, laboriosa mundi ministeria relaxatur. Unde et apte subditur:

« Quia non vocaberis mollis et tenera. »

VERS. 2. — « Tolle molam, et mole farinam. »

« Constat nimirum (S. GREG. M. lib. VI, *Moral.* cap. 16), quo teneræ filiæ parentes parcunt, nec duris atque servilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat, ne, dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis et tenera non vocatur, quia mens pravis desideriis dedita in eo quem anxie appetit, hujus sæculi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Unde et molam tollere, et farinam molere jubetur.

« Mola in gyro ducitur, et farinam profert. Unaquæque ergo mundi hujus actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quasi per gyrum vertit, atque ex se velut farinam projicit, quia seducto cordi semper minutissimas cogitationes gignit. Nonnunquam vero, qui quietus alicujus esse meriti creditur, positus in qualibet actione denudatur. Unde protinus subinfertur:

« Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. »

« In administratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abjectaque in operis ostentatione cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens discooperit quando opus suum, quod ignorabatur, ostendit. Crus revelat, quia, quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet, manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones hujus sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter appetit. Dumque alias reliquit, et alias insequitur, quasi semper de flumine ad flumen venit. » Hæc beatus Gregorius ait ostendens, quo jaceat mens a solio sanctæ intentionis excussa, quia si ad ea, quæ super ipsam sunt, inhiare cessaverit, sub semetipsam etiam indesinenter ruit. Cujus occulta turpitudo, quia nunc per reprobationem operis, sicut dictum est, denudatur, aut etiam postmodum in ultimo examine palam cunctis ostenditur, recte subjungitur.

VERS. 3. — « Revelabitur igitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum. »

Nam de vindicta, quæ in illo fiet judicio, vel in obitu cujuslibet reprobi, manifeste subdit: « Ultionem capiam et non resistet mihi homo. » Tunc enim nemo jam resistet ei. Quondam vero Moyses pro populo resistit iræ ejus dicens: « Dimitte ei hanc noxam, alioquin dele me de libro tuo, quem scripsisti (*Exod.* XXXII, 32). » Sic et Aaron ei restitit, quando inter viventes ac mortuos thuribulum sumpsit, et animadversionis ignem fumo incensi temperavit (*Num.* XVI, 46). David etiam iræ ejus restitit (*II Reg.* XXIV, 16), qui angelo percutienti se offerens, placationis gratiam et ante tempus propositum exegit. Sed et omnes sancti, qui iræ ejus obviant, ab ipso accipiunt ut contra impetum percussionis ejus opponantur, atque ut ita dixerim, cum ipso se erigunt contra ipsum, eosque divina vis sibi opponit secum, quia in eo quod adversum se sævientis iram foris obtinent, intus eos irascentis gratia fovet, et famulantes interius levat, quos quasi adversantes exterius tolerat.

Portat ergo contradictionem deprecantium, quam aspirat, et velut nolenti imponitur quod ab ipso, ut fiat, imperatur, sicut in verbis ejus apparet, cum dicit Moysi: « Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos (*Exod.* XXXII, 10). » Quid est dicere servo: *Dimitte*, nisi deprecanti ausum præbere? Cum vero superna indignatio sese, ut ita dixerim, medullitus movet, hanc oppositio humana non retinet, nec se utiliter cujuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascendo disponit. Unde per beatum Job dicitur: « Deus, cujus iræ resistere nemo potest (*Job.*, IX, 13). » Nullius enim interventu divina ira restringitur, cum implacabiliter excitatur.

Hac igitur inexorabili indignatione adversus filiam Babylonis commotus dicit: « Ultionem capiam, et non resistet mihi homo. » Homo enim resistere ei omnino non valet, quando se ad ulciscendum excitat, et precem, quæ ei funditur, non aspirat. Unde et per Salomonem dicitur: « Non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima (*Prov.* VI,

Digitized by Google

34). » Quam sententiam attendere debent, qui pro pessimis hominibus defunctis missas celebrant, vel orationes aut eleemosynas faciunt. Plerumque vero talis anima potentia in hoc mundo adepta Dei servos affligit, sicut olim plebs Chaldæorum in Babylone filios Juda. Sed, cum hujusmodi princeps in die mortis suæ ad ultionem ducitur, populus Dei, quem servitute deprimebat, redimitur de manu ejus. Unde mox ejusdem populi voce subditur :

Vers. 4. — « Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israel. »

Qui enim nos de manu oppressoris redimit, id est liberat, vocatur *Dominus exercituum*, quia exercitus angelorum ei famulantur ad vindictam malorum. Et *nomen illius Sanctus Israel* est, qui filiæ Babylonis irreligiositatem ultra tolerare noluit. Unde et subjungit :

Vers. 5. — « Sede, tace (173), intra in tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum. »

Sedet enim, quæ stabat, cum prostrata vilescit, quæ erecta gloriabatur. Tacet, cum excusationem perversitatis suæ non inveniens mœrore tabescit. Et intrat *in tenebras*, cum in noctem perpetuæ damnationis mittitur dicente Domino : « Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores (*Matth.* xxii, 13). » Nec jam vocatur *domina regnorum*, quia gloriam potentiæ singularis amittit cum vita. Sequitur :

Vers. 6. — « Iratus sum super populum meum, contaminavi hæreditatem meam, et dedi eos in manu tua. »

Hoc manifestum est. Sæpe enim Dominus populo suo iratus asperum vel crudelem dat ei principem, quia scriptum est : « Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi (*Job.* xxxiv, 30). » Sequitur :

« Non posuisti eis misericordias, super senem aggravasti jugum tuum valde. »

Vers. 7. — « Et dixisti : In sempiternum ero domina. »

Et hoc perspicuum est. Immisericorditer enim populum Dei princeps malus affligit, et inhumane tractat, neque vel senibus ab afflictione servitutis parcit, ac velut in sempiternum se dicit dominaturum, dum tempore longo se potestatem exercere putans, de die ultima cogitare negligit. Unde et subditur :

« Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui. » *Non posuisti super cor tuum*, id est non cogitasti, quia ego iratus populo meo dedi eum in manus tuas. *Neque* finis tui *recordata es*, quando ultionem ego de te capiam nemine resistente. Sequitur :

Vers. 8. — « Et nunc audi hæc delicata et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo : Ego sum, et non est præter me amplius : non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. »

Vers. 9. — « Venient tibi duo hæc subito in die una ; sterilitas et viduitas. »

Delicata est anima, quæ suis voluptatibus in præsenti fruitur deliciis affluens ; et *confidenter* habitet, dum nullo metu mortis cogitur, sed peregrinationem præsentis exsilii velut habitationem æstimat patriæ ; et dum se cæteros potentia honoris præire conspicit, cunctos velut nihilum despiciens et se exaltans in cogitationibus suis. « Ego sum, et non est præter me amplius. »

Quæ et *viduam* se non sessuram dicit, quia se semper intellecturam sapienter æstimat. Intellectus enim plerumque dicitur vir animæ de quo Dominus mulieri Samaritanæ verba sua non intelligenti dicit : « Voca virum tuum (*Joan.* iv, 16), » id est adhibe intellectum tuum, *et veni huc*, id est ad ea quæ dico, accede huc. Nam sicut vir mulierem, sic intellectus animam regit. Et sicut mulier ex viro, sic anima concipit ex intellectu, quod in operationem parit. Ait ergo : *Non sedebo vidua*, id est non ero despecta intellectu amisso, quia nunquam illum amittam, sed prudenter intelligam semper. *Et ignorabo sterilitatem*, id est non ero infecunda, sed semper dilecta mihi opera velut filios pariam. Sed quæ sic loquitur, audire debet quid ei divinitus respondeatur : *Venient tibi duo hæc*, id est *sterilitas et viduitas subito in die una*, id est in hora mortis, ut ne quid amplius operari possis, et intellectum amittas. Et quasi jam hæc illi acciderint, subjungit

« Universa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum : et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. » *Universa*, quæ superius tibi minatus sum, *venerunt super te propter multitudinem* malorum quæ faciebas. Quid vero per *incantatores* ejus exprimitur nisi cæteri potentes, qui huic ministrantes per vanitatem sæcularis potentiæ vel dolositatis suæ quasi phantasiam magicæ artis in his, quæ fraudulenter operantur, faliunt oculos intuentium, ut vel bona vel honesta putent eorum opera? Qui *vehementem* habent *duritiam*, quia ignorantes viscera miserationis innocentes lædunt, et eorum bona diripiunt. Et propter horum ergo duritiam princeps eorum punitur, quia debuerat impietatem eorum compescere. Cui adhuc dicitur :

Vers. 10. — « Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti : Non est qui videat me. »

In malitia fiduciam habuit, quia per malam astutiam se cæteros superare confisus est, et prospere semper agere. In malis etiam, quæ faciebat, non videri se divinitus arbitrabatur. Sed sequitur :

« Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. »

Hæc *sapientia*, qua confidebas in malitia tua, nec te videri a me putabas, *decepit te*, quia malis operi-

(173) Alias, *sede tacens*, etc.

Digitized by Google

bus tuis semper implicabat te. Vel prius pronunA tictur *sapientia tua, et scientia tua*, deinde subjiciatur : *hæc decepit te*, ut non de ista solummodo, sed de omni sapientia et scientia ejus dictum intelligatur, quoniam « sapientia carnis inimica est Deo (*Rom.* VIII, 7). » Congrue autem sapientia et scientia ejus dicitur eam decepisse. Nam « prudentia carnis mors est (*ibid.* 6.). » Et : « Scientia inflat (*I Cor.* VIII, 1). » Unde et præfatus tumor illius, quod de temporali gloria se extollens cæteros despicit, replicatur, cum subditur :

« Et dixisti in corde tuo : Ego sum, et non est præter me altera. » Adeo enim singulariter extollitur, ut se solam esse glorietur, quia neminem sibi parem cernit. Cujus elationi debita mors improviso superventura promittitur, cum mox subjungiB tur :

VERS. 11. — « Veniet super te malum, et nescies ortum ejus, et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare : veniet super te repente miseria, quam nescies. »

Hæc enim omnia tempore mortis fient. Contra cujus adventum huic filiæ Babylonis, quæ de potestate singulariter gloriatur, protinus exprobrando dicitur :

VERS. 12. — « Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi aut si possis fieri fortior. »

Si enim vere potens est, stet nunc adversus mortem, et potenter ei resistat. Omnes etiam suos incantatores, videlicet subjectos sibi potentes ac sapientes, qui vanitate dolosæ actionis deludunt humanos oculos, et artificiosis locutionibus suis velut quibusdam præcantationibus immutant sensus hominum, assumat secum in auxilium.

Multitudinem quoque malorum in quibus ab adolescentia se exercuit, opponat divinæ animadversioni, quæ super eam venit, quia fiduciam habuit in malitia sua. Cum igitur his omnibus stet, id est resistat iræ cœlesti *si forte, quid* ei valuerit hoc, aut fortior contra Deum fieri potuerit. Et quia prædicti incantatores multimoda consilia dant, sed nihil valent adversus Deum consilia eorum, recte subditur :

VERS. 13. — « Defecisti in multitudine consiliorum tuorum. »

Rursumque improperando subjungitur :

« Stent, et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex his annuntiarent ventura tibi. »

Quid vero per *augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex his annuntiarent ventura*, nisi homines superstitiosi designantur, qui ex elementis temporum explorare futura conantur? Qualibus ait Dominus : « Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit, et ita fit. Et cum austrum flantem, dicitis : quia æstus erit, et fit. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare (*Luc.* XII, 54-56). » Et Paulus. « Dies observatis, et menses, et tempora, et annos : timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis (*Gal.* IV, 10). » Quia ergo supradicta Babylonis filia, id est mens superstitiosi et perversi principis magis in talibus quam in Deo speravit, recte jam circa obitum ei per increpationem dicitur : « Stent et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. » Sed qui pro se ipsis stare non valent, quomodo stabunt pro aliis? Aut quomodo salvabunt alium, qui salvare se ipsos non possunt? Sequitur enim :

VERS. 14. — « Ecce facti sunt quasi stipula, et combussit eos ignis : non liberabunt animam suam de manu flammæ : non sunt prunæ, quibus calefiant, et focus, ut sedeant ad eum. »

Facti sunt in morte aridi et inanes velut *stipula, et combussit eos ignis* gehennalis *nec* jam poterunt liberare animas suas *de manu flammæ* illius, sed ibi sine fine detinebuntur et ardebunt. Neque enim *prunæ* sunt in illo igne, *quibus* isti *calefiant* delectabiliter, quemadmodum in his omnibus ignibus, neque ignis ille est *focus, et sedeant ad eum*, qui ibi sunt, sed totam gehennam ignis ille complet, omnesque reprobos intra se continens cruciat, neque prunas habet, quia lignis non pascitur, sed inextinguibiliter ardet. Vel in hac vita *non sunt* eis *prunæ, quibus calefiant, et focus, ut sedeant ad eum*, id est nullam habent caloris scientiam, nec illuminantem C sensum, qui eorum tenebras excutere possit, et frigus erroris expellere. Sequitur :

VERS. 15. — « Sic facta sunt tibi, in quibuscunque laboraveras. »

Id est omnia opera tua igne illo consumpta sunt. Nam, ut Apostolus loquitur : « Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur (*I Cor.* III, 13) » Sequitur :

« Negotiatores tui ab adolescentia tua unusquisque in via sua erraverunt, et non est qui salvet te. »

Dives iste iniquus *ab adolescentia* sua *negotiatores* D et pecuniarum multiplicatores habere studuit. Qui omnes *in via* negotiationis suæ *erraverunt*, quia sicut « nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (*II Tim.* II, 4); » ita qui sæcularibus negotiis implicatur, militare Deo non potest. Et quia omnes, qui huic opitulari volebant, propriis reatibus astringuntur, *non est qui salvet* eum a morte perpetua. Hæc contra quemlibet potentem superbum, qui populum Dei affligit, dicta sunt. Et mox ad eumdem populum, qui pro peccatis suis traditus est, consequenter dicitur :

CAPUT XLVIII.

VERS. 1. — « Audite hoc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, qui

Digitized by Google

juratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini non in veritate, neque in justitia. »

Nunc enim ad carnales, qui sunt in Ecclesia, loquitur sermo divinus. Nam et ipsi sunt *domus Jacob* quia fidem patriarcharum sequuntur, licet mores eorum fugiant. Vos inquit: *O domus Jacob, audite hoc*, quod principi, qui vos opprimit, locutus sum : vel quæ vobis locutus sum : *qui vocamini nomine Israel*, id est qui vocabulo Christianitatis censemini, *et de aquis Juda*, id est de aquis confessionis, quæ sunt aquæ baptismatis, *existis*, vel de populis christianis orti estis, *qui juratis in nomine Domini*, id est qui Christianos vos asseritis, *et Dei Israel recordamini*, id est de Christo recogitatis, *non in veritate*, quia eum non vere diligitis, *neque in justitia*, quia, quod ipse præcipit, non facitis. Ad hujusmodi Christianos loquitur Dominus, quos ob irreligiositatem eorum impio rectori tradidit castigandos. De quibus subditur :

VERS. 2. — « De civitate enim sancta vocati sunt, et super Deum Israel constabiliti sunt : Dominus exercituum nomen illius. »

Ideo debent audire verba solatii, quia *de civitate sancta convocati sunt* divinitus. Dominus enim, qui in cœlesti Jerusalem habitat, ipse vocavit eos. *Et super Deum Israel constabiliti sunt*, id est super Christum fundati, qui vocatur *Dominus exercituum*, eo quod illi deserviant exercitus militiæ cœlorum. Ad quem videlicet populum Christianorum carnalium consequenter a Domino dicitur :

VERS. 3. — « Priora extunc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci ea : repente operatus sum, et venerunt. »

Quæ autem sunt *priora*, nisi *quæ* secundum Apocalypsim Joannis « oportet fieri cito (*Apoc.* I, 1), » id est *tentationes* et mala, quæ fideles in hac vita tolerant. « Omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III, 12). » Et quæ nos in futuro sæculo manent, posteriora sunt. Audi quæ sunt priora : « Fili, accedens ad servitutem Dei sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II, 1). » Audi priora : « Quicunque quæsierint animam suam salvare, perdent eam (*Luc.* XVII, 33). » Hæc ergo *priora annuntiavi et audita feci tibi extunc*, id est ex quo de aquis Juda existi, et ex quo supra Deum Israel constabilitus es. Et sicut a principio tibi annuntiaveram, ita tunc *repente operatus sum, et venerunt* omnia. Prædixi tibi universa quæ passurus eras, ne, si te ignarum invenissent, opprimerent, *et ex ore meo*, quæ facere debueras, audisti, ut excusationem de ignorantia non haberes. Sequitur :

VERS. 4. — « Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. »

Durus es, quia molliri ad amorem Dei non potes. *Et cervix* cordis tui *nervus ferreus*, quia jugo meo conteri non potest. *Et frons tua ærea*, quia diu persistis in impudentia tua, nolens de malis actibus tuis erubescere. In fronte enim sedes est pudoris; æs vero durabile nimis est. Æream ergo frontem habet, qui valde contra verecundiam semper durus perseverat. Sequitur :

VERS. 5. — « Prædixi tibi extunc, antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres. Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea, et conflatilia mandaverunt ista. »

VERS. 6. — « Quæ audisti, vide omnia; vos autem non annuntiastis (174). »

Quid nunc per *idola* et *conflatilia*, sive *sculptilia*, nisi falsæ cogitationes designantur? Nam quasi idolum sibi fabricat animus, dum sibi cogitationem erroris format; et velut sculpit eam, quando, quæ sibi in ea videntur, in forma recidit, eamque formatad libitum suum : et quasi conflat, quia spiritu mentis suæ decoquit intrinsecus antequam fabricet.

Quid igitur in idolis et sculptilibus et conflatilibus nisi opiniones errorum, quas sibi, prout cogitaverit, mens format, exprimuntur? Ait ergo, quia ventura *prædixi tibi extunc*, id est ex quo supra Dominum constabilitus es, et *antequam venirent* ea, *indicavi tibi ne forte* quando venirent, *diceres*, quia *idola mea*, id est falsæ opiniones meæ *fecerunt hæc*, *sculptilia mea et conflatilia*, id est errores, quos mihi formavi *mandaverunt ista*. Multis enim erroribus plenus est iste carnalium populus, et multa quæ fiunt, non tam Deo, quam superstitionibus suis et opinionibus ascribit. Et ideirco *prædixi*, inquit, universa tibi per Scripturas meas, et per ora doctorum, et *quæ* tunc *audisti*, *omnia vide* nunc, quia sicut prænuntiaveram, ita tibi eveniunt cuncta. *Vos autem* cæteris *non annuntiastis*, quæ annuntiaveram vobis, quia de talibus loqui neglexistis. Sequitur :

« Audita feci tibi nova extunc et conservata, quæ nescis. »

VERS. 7. — « Nunc creata sunt, et non extunc et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas : Ecce ego cognovi ea. »

VERS. 8. — « Neque audisti, neque cognovisti, neque extunc aperta auris tua. »

Nova quidem novæ conversationis *audita feci tibi* ex quo de aquis Juda existi, id est ex quo renatus es ex aqua et spiritu, et præmia justorum in cœlis *conservata*, *quæ nescis*. Et quæ de spiritali conversatione vel tentatione audieras, *nunc creata sunt*, id est nunc a me tibi datum est, ut ea, si volueris, facere possis, et non ab initio vel *ante diem*, sed in tempore suo. Non enim puer mox ardua novæ conversationis arripere valet, sed in ætate perfecta sustinere tentationes, et spiritalibus disciplinis semetipsum exercere potest. Et Dominus singula quæque temporibus suis disponit, quoniam « omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo (*Eccle.* III, 1). » Dans ergo opportuno tempore homini gratiam bene conversandi, nisi piger fuerit,

(174) Alias, *num annuntiastis*.

Digitized by Google

recte ei denuntiat, quia jam creata sunt nova, *et non extunc et ante diem.*

Sed cum dixerit, quia *audita feci tibi nova extunc*, videtur contraria adjungere, cum subjicit, quia *non audisti ea.* Sed aure corporis audivit, et aure cordis non audivit. *Non audisti*, inquit, *ea*, id est non intellexisti, ne forte scientia inflatus dicas, quia *ecce ego cognovi ea.* Sed *neque audisti ea*, id est non intellexisti ea, *neque cognovisti, neque extunc aperta est auris tua*, id est cordis tui. Nam quia audisti quidem bona, sed facere neglexisti, quæ audisti non audisti. Et sicut nemo novit quid sit charitas nisi sit charitas in eo, ita nemo vere intelligit præcepta cœlestia nisi qui facit. Bene igitur ei, qui bona quæ audivit operari contemnit, dicitur, quia *neque audisti, neque cognovisti, neque extunc*, id est ex quo super Dominum constabilitus es, *aperta est auris tua.* Sequitur :

« Scio enim, quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem de ventre vocavi te. »

Scio, quia necdum malitiam tuam deseres, sed adhuc mandata mea prævaricando calcabis. Tu es de filiis Adam, per quem in hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines transiit, in quo omnes peccaverunt. Unde et *transgressorem de ventre matris vocavi te.*

Hucusque duritiam uniuscujusque eorum Dominus objurgavit, quos increpat alibi dicens. « Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico (*Luc.* VI, 46.)? » Jam vero secundum illud quod Moysi ait : « Miserebor cui miserebor et misericordiam præstabo cui miserebor (*Rom.* IX, 15), » quid ei, cui voluerit misereri, misericorditer agat, ostendit subjungens :

VERS. 9. — « Propter nomen meum longe faciam furorem meum, et laude mea infrenabo te, ne intereas. »

Non propter te, inquit, sed *propter nomen*, quod invocatum est super te, *longe faciam a te furorem meum*, quo te tradideram filiæ Babylonis affligendum. Es enim adhuc dignus furore meo, sed jam tibi misertus parcam, et ne ultra male liber, quo volueris, eas sequendo concupiscentias tuas, *infrenabo te laude mea*, ne mortem sempiternam incurras, sed lætus decantes : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea (*Psal.* XXXIII, 2). » Sequitur :

VERS. 10. — « Ecce excoxi te, sed non sicut argentum, elegi te in camino paupertatis. »

Excoxi te in igne tribulationis sub manu filiæ Babylonis, id est cujuslibet personæ potentis, et tyrannidem exercentis, *sed non quasi argentum*, quia purgatus non es a sordibus tuis. Argentum enim purgatur in igne, sed tu non es purgatus in tribulatione, quia nec in adversis omisisti peccare. *Sed in camino paupertatis* decoquens *elegi te.* De hac sententia non necesse habemus nunc aliud dicere, nisi quod in homilia quadam beatus Gregorius admonet (hom. 40, *in Evang.*) : « Quicunque, inquit, bona in hoc sæculo habetis, cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare, quia fortasse quos superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est; de illis vero sollicite pensate, quia eos magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinem perducat. » Et infra : « Cum quoslibet in hoc mundo abjectos aspicitis, etiamsi quæ reprehensibilia eorum esse videantur, nolite despicere, quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. » Sequitur :

VERS. 11. — « Propter me, propter me faciam, ut non blasphemet, et gloriam meam alteri non dabo. »

Propter bonitatem meam *faciam* te vivere sicut nomen meum non blasphemetur propter te; *et gloriam*, qua in te gloriari debeo, *alteri*, id est satanæ, *non dabo*, quia gloriatur in eis, quos in perditionem trahit. Post hæc ad priora Ecclesiæ tempora revertitur sermo divinus. Sequitur namque :

VERS. 12. — « Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco, ego ipse, ego primus, ego novissimus. »

Jacob quippe vel Israel, *quem* Dominus *vocat*, fideles ex circumcisione sunt, quos per internam aspirationem ad Christum suum trahit, quibus ait : *Ego sum ipse*, non alius, quia non mutor. *Ego sum primus, et novissimus*, quia sum ante omnia, et post omnia. Nam esse Dei totum simul est, et semper est quod neque cœpit unquam neque aliquando cessabit, inseparabile quoddam et sine fine existente pelagus, nullis terminis limitibusque circumdatum, omnem supergrediens sensum, et omne tempus atque naturam. Qui deinde potentiam actionis suæ denuntiat, dicens :

VERS. 13. — « Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mensa est cœlos, ego vocabo eos, et stabunt simul. »

Ipse enim terram et cœlos fecit, et omnes cœli obtemperant nutui ejus. Potest vero, ut sæpe jam diximus, per *terram* Ecclesia designari, quæ semen prædicationis suscipiens fructum boni operis facit; et per *cœlos* sancti prædicatores, qui tanquam imbres mittunt eloquia sapientiæ suæ. *Manus* ergo Domini *fundavit terram*, quia super fundamentum, quod est Christus, posuit Ecclesiam. *Et dextera* ejus *mensa est cœlos*, id est prædicatores, sicut discipulis per Apostolum dicitur : « Non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est Deus, mensura pertingendi usque ad vos (*II Cor.* X, 13). » Et rursum : « Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi (*Ephes.* IV, 7). » Cum autem dicit : « Ego vocabo eos, et stabunt simul. » Ostendit omnes illos ad obsequium esse paratos. Qui enim vocati stant, parati stant, parati sunt facere, quod sibi jussum fuerit. Præmisso autem exemplo fundationis Ecclesiæ et

Digitized by Google

obeditionis sanctorum dicit ad Israel, cui loquebatur :

Vers. 14. — « Congregamini omnes vos, et audite. »

Congregamini omnes vos in una eadem voluntate, ut sit omnibus vobis cor unum, et anima una, *et audite* me sicut cœli me audiunt. Sequitur : « Quis de eis annuntiavit hæc? Dilexit Dominus eum, faciet voluntatem suam in Babylone, et brachium suum in Chaldæis. »

Quis ex cœlis, id est prædicatoribus *annuntiavit hæc*, quæ dicta sunt de obedientia eorum, et cætera nunc præmissa? Subaudi Christus. Ipse enim dignatus est unus ex illis fieri : *Dominus dilexit eum dicens :* « Hic est filius meus dilectus (*II Petr.* I, 17). » Et ipse, *voluntatem suam* explebit *in Babylone*, id est in hoc confuso sæculo, vel in gentilitate, « qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire (*I Tim.* II, 4). » *Et brachium* virtutis suæ faciet *in Chaldæis*, quia exspolians principatus et potestates traducet confidenter palam triumphans illos in semetipso. Chaldæi enim maligni spiritus sunt. Sequitur :

Vers. 15. — « Ego locutus sum, et vocavi eum, et adduxi eum, et directa est via ejus. »

Ego Pater *locutus sum* de eo per prophetas, *et vocavi eum* in hunc mundum, *adduxique eum, et directa est via* conversationis ejus, eo quod iniquitatem non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus. Cujus vox protinus subintroducitur, dicens :

Vers. 16. — « Accedite ad me, et audite hoc : Non a principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent, ibi eram, et nunc Deus misit me, et spiritus ejus. »

Accedite, inquit, fide *ad me*, populo meus, et nolite me filium Joseph æstimare, vel a conceptu Virginis initium sumpsisse, sed potius *audite* quod dico. *Non* enim *in occulto locutus sum a principio*, sed in manifesto est me nominatissimis quibusque patribus ab origine mundi locutum fuisse. Nam *ex tempore*, id est ab initio temporis *eram ibi*, videlicet apud Patrem, quia « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum (*Joan.* I, 1). » Et ne me putetis cum tempore cœpisse, *antequam* creaturæ *fierent*, *ibi eram*. Tunc quidem eram apud Deum, et nunc ipse *misit me et spiritus ejus*, ut Verbum caro fieret et habitaret in nobis. Pater enim Filium misit, quia hunc incarnari eum constituit. Sed et Spiritus sanctus eum misit, quia incarnationis ejus auctor fuit. Nam superveniente Spiritu sancto concepit eum virgo. Spiritus eum misit, ut, cum legis, quia idem Filius Spiritum mittit, non credas Spiritum inferioris esse potentiæ. Nam et Filius eum mittit, qui ait : « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre (*Joan.* XV, 26). » Si ergo se invicem Filius et Spiritus mittunt, non subjectionis injuria, sed communitas est potestatis. Sequitur :

Vers. 17. — « Hæc dicit Dominus Deus redemptor tuus sanctus Israel : Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, et gubernans te in via qua ambulas. »

Redemptor noster populo suo dicit, quia *ego sum Dominus Deus tuus*. Nam et ipse est Dominus et Deus quemadmodum et Pater. Ait enim : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X, 30). » Et : « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » Se ergo Dominum et Deum esse testetur, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui nos et in Veteri et in Novo Testamento satis *utilia* semper mandata docet, et *in via* justitiæ, qua gradimur nos, gubernat, et dirigit. Qui quam utilia nos docuerit, et quantum salutem nostram optaverit, indicat, cum subjungit :

Vers. 18. — « Utinam attendisses mandata mea! facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. »

Vers. 19. — « Et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus : non interisset, et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea. »

Vers. 20. — « Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis. »

Utinam, inquit, *attendisses*, o homo, præcepta vitæ, quæ in paradiso tibi dederam! Nam, sicut aqua fluminis indeficienti abundantia semper fluit, sic *pax tua* perseverans semper affluueret. Et sicut multiplici undarum volumine *gurgites maris* abundant; sic *justitia tua* multiplicibus virtutum cumulis in immensum excrevisset. Et sicut *arena* est innumerabilis; sic multitudo filiorum esset, quos in paradiso genuisses. *Non interisset* semen tuum, quia nullus ex filiis tuis moreretur. *Et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea*, quia non lueret pœnas in æternam oblivionem projectus a conspectu meo. Nam si primus homo non peccasset, nunquam gehennæ filios generaret, sed tot solummodo filios in paradiso generaturus erat, quot electi ponentur in die resurrectionis ad dexteram judicis, quorum completa multitudine sine ulla morte vel afflictione ad perpetuam vitam angelorum et societatem erant perventuri.

Hæc, inquit, omnia sic fuissent, si voluisses *attendere mandata mea*. Sed quoniam res in contrarium lapsa est, nunc saltem filii Adam *egredimini de Babylone*, id est de confusione cupiditatum, in qua detenti estis hucusque captivi, ut ad patriam æternæ hæreditatis redire liberi possitis; et *fugite a Chaldæis*, id est cum omni velocitate recedite longius a malignis spiritibus vos in hac confusione passionis vitiorum captivantibus. Chaldæi quippe *captivantes* interpretantur. Venit enim Salvator ab exsilio nos ad patriam revocare, a sæculo ad paradisum, a captivitate ad regnum. Unde etiam (175) præconibus suis præcipiens subjungit :

In voce exsultationis annuntiate omnibus egressionem de Babylone, et cunctis, qui in orbe sunt, au-

(175) Uterque cod., *etiam a præc.*

Digitized by Google

ditum facite hoc, quod nunc per gratiam meam data est eis facultas revertendi ad paradisum.

Et ferte illud etium usque ad extrema terræ, ut nemo sit in mundo, qui hoc non audiat. Sequitur :

« Dicite : Redemit Dominus servum suum Jacob. »

VERS. 21. — « Non sitierunt in deserto, cum educeret eos, aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquæ. »

Dicite, quia *Dominus* sanguine Filii sui *redemit servum suum*, et fideles ejus *non sitierunt in deserto* hujus sæculi, *cum educeret eos* de tenebris ignorantiæ et infidelitatis quasi de Ægypto. Nam *de petra*, quæ Christus est, *produxit eis* aquam sapientiæ salutaris, quæ portaret eos, *et scidit petram*, id est vulneravit Christum in cruce, *et fluxerunt aquæ* vitalis potus. His dictis propheta subjungit :

VERS. 22. — « Non est pax impiis, dicit Dominus. »

Id est Christus Dominus meus. Supra dictum est homini, quia « si attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. »

Et nunc econtrario negatur *pax impiis*, quia mandata Dei attendere nolunt. Nam sicut Salvatore nato « *pax* annuntiata est *hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14); » ita nunc eo veniente, sicut consequens est, denegatur *pax impiis*, quoniam « justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV, 11). » Impii enim neque cum Deo, neque cum angelis, neque cum homine, neque secum pacem habere possunt. Est enim pax virtus sibi copulans omnes, et sibimetipsis, et invicem, quæ omnia ad se contemperat per inconfusam eorum unitatem, per quam unam et insolubilis omnium complicatio secundum divinam ejus harmoniam substituitur, et compaginatur consonantia perfecta. Ab hac tamen longe est mens impiorum, quæ semper etiam secum rixatur. Sed jam libellum hunc terminantes paululum respiremus, ut ad sequentia validius accingamur.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT XLIX.

VERS. 1. — « Audite, insulæ, et attendite populi de longe : Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. »

VERS. 2. — « Et posuit os meum quasi gladium acutum. »

Ista nunc loquitur Christus, qui *ab utero* Virginis matris a Domino solus dignus vocari fuit. Nam sicut eo nato Angelus apparens pastoribus ait : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie Salvator, qui est Christus Dominus (*Luc.* II, 10, 11); » ita nunc idem Salvator omnibus, qui *longe* sunt, populis annuntiat, quia ipse sit a Domino vocatus *ab utero* matris. Nos enim a baptismo vocat Dominus, quia tunc primum filii Dei nominamur, et Christianitatis vocabulum, quod ipse nominare dignetur, accipimus. Hunc autem *ab utero vocavit*, quia et Sanctus et Filius Dei natus est, sicut matri ejus dixerat angelus : « Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 35). » Hoc ergo omnes populi jubentur attendere, ut sciant, quia iste solus sine peccato natus est, ut omnium peccata deleret. Solus venit justus, ut omnes, qui crediderint, justificaret.

Audite, inquit, o *insulæ* gentium, *attendite*, omnes, qui procul moramini, vel qui longe a Deo recessistis, cognoscite omnes, qui in iniquitatibus concepti estis, quia *Dominus ab utero vocavit me* nomine meo, utpote natum ex Virgine. Mox enim, ut natus est, vocavit eum proprio nomine per angelum dicens pastoribus : quia « natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus (*Luc.* II, 11). » Et sic *de ventre matris* eius *recordatus est nominis* illius, quia nomen ejus Salvatorem, id est Jesum appellavit, « quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur (*ibid.* 21). » Ut circo autem hunc ita nasci fecit, ut liber a peccato libere peccatores increparet, quatenus ad pœnitentiam eos converteret. Unde et *posuit os* ejus *quasi gladium acutum*, ut verbis suis quasi gladio fortiter feriret delinquentes dicens : « Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? » (*Matth.* XXIII, 33.) Et : « Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). » Quia vero Judæi, quos sic feriebat, frequenter eum apprehendere voluerunt, et interficere, sed nunquam potuerunt nisi hora, qua Pater disposuerat, recte subjungit :

« In umbra manus suæ protexit me. »

Et quia manu Domini protectus corda eorum verbo suo vehementissime transfigebat, addit :

« Et posuit me sicut sagittam electam. » Penetrat enim sicut acutissima sagitta mentes eorum. « Vivus est enim sermo Domini et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus compagum quoque et medullarum (*Hebr.* IV, 12). » Quando dicit *sagittam electam* ostendit habere Deum sagittas plurimas, sed non electas. Quæ sagittæ sunt prophetæ et apostoli, qui in toto orbe discurrunt, de quibus alias dicitur : « Sagittæ tuæ acutæ (*Psal.* XLIV, 6). » Christus autem de multis sagittis, et filiis plurimis una sagitta electa, et Filius unigenitus est. Sequitur :

« In pharetra sua abscondit me. »

VERS. 3. — « Et dixit mihi : Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. »

Digitized by Google

Per pharetram Dei occultum ejus judicium designatur. Salvator igitur *in pharetra* Dei absconditus est, quoniam occulti consilii dispositione in primo adventu venit occultus. Vel dum puer esset, in pharetra Dei est absconditus, quia in profundo ejus consilio tectus latuit sicut in pharetra sagitta. Et sicut sagitta ex pharetra, sic ipse ex occultatione sua subito prosiliit, ut hominum gentes prædicando transfigeret. Qui dum adhuc in hac pharetra lateret, audivit a Patre : « Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. » *Servus* appellatus est, quia « formam servi accipiens humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II, 7). » In quo Pater gloriatus est dicens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII, 5). » Israel quoque vocatur, id est princeps cum Deo, quia semper cum Patre regnat. Israel enim *princeps cum Deo* interpretatur. Vel ideo vocatus est *Israel*, quia natus est ex semine Judæorum. Sequitur :

VERS. 4. — « Et ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. Ergo judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo. »

Profunda est valde ut reor ista sententia, de qua, quid nobis visum sit, ita loquemur, ut, si quis ea melius exponere valuerit, nos libentius sensum ejus sequi parati sumus. Ait ergo Redemptor noster in terris corporaliter conversans : *In vacuum laboravi.* Solent enim homines propter temporalia commoda laboribus exerceri. Ipse autem et labores in carne sustinuit, et laborum præmia in hoc sæculo nulla percepit. Quia igitur per actiones suas transitoria lucra non quæsivit, a mundi compendiis *vacuum* laborem duxit.

Qui et fortitudinem suam sine causa et vane se consumpsisse dicit. Nam propter primæ transgressionis culpam omnis homo addictus mortalitati tot doloribus in hac vita fatigatur, ut in malis, quæ patitur, non diu subsistens deficiat et moriatur. Hic autem licet ex carne Adam carnem assumpserit, vitium tamen ex carne non traxit. Sed neque hic vivendo peccatum fecit, et ideo quantum in se est, *sine causa* pœnas nostræ mortalitatis sustinens *fortitudinem* suam *consumpsit*. Annon fortitudinem consumpserat, quando « fatigatus ex itinere sedebat super fontem? » (*Joan.* IV, 6.) Quam et vane in eo consumpsit, quod missus ad oves, quæ perierunt domus Israel, eumdem populum convertere non potuit. Quantum igitur ad eos spectat, qui doctrinam ejus audientes et miracula videntes non crediderunt, *vane*, id est in vanum *consumpsit fortitudinem* suam, quando illi remedia salutis animarum suarum non receperunt, pro quibus ipse corporaliter infirmatus usque ad mortem laboravit. Unde et congrue subjungit :

« Ergo, inquit, judicium meum cum Domino. » — « Ego enim gloriam meam non quæro, est qui quærat, et judicet (*Joan.* VIII, 50). » — « Et opus meum cum Deo meo. » Quia « non potest Filius a se ipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. (*Joan.* V, 19). »

Aliter tamen intelligi possunt. Cum enim Dominus noster audisset a Patre : « Servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor, » ait : « In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. » Fortasse ergo quia nomine Israel appellatus est, in persona populi Israel, quod nox adjungit locutus est. Populus itaque circumcisionis tandem intelligens, quia non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi, loquitur in Christo nunc dicens : « In vanum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. » — « Israel enim, ait Apostolus, sectans legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide sed quasi ex operibus (*Rom.* IX, 31). » In vacuum ergo laboravit, atque sine causa, et vane fortitudinem suam consumpsit, qui se suis viribus per carnalem legis observantiam justificari posse putavit. « Quoniam autem in lege nemo justificabitur apud Deum, manifestum est, quia justus ex fide autem vivit. Lex ex fide non est, sed qui fecerit ea, vivet in illis (*Galat.* III, 11). » In vacuum ergo ac sine causa laborasse Apostolus iste gemit, qui in legis operibus justificari sine fide laboravit. Sicut et Apostolus « octava die circumcisus ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege Dei est, conversatus sine querela, omnia quæ sibi fuerint lucra, hæc arbitratus est propter Christum detrimenta, propter quem omnia detrimentum fecit, et arbitratus est velut stercora, ut Christum lucrifaceret, et inveniretur in illo non habens suam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est, Jesu Christi (*Philip.* III, 5). »

Juxta hunc itaque sensum illa pars eorum, quæ fidem suscepit loquitur voce capitis sui : « In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi. » Et addit : « Ergo judicium meum cum Domino, » id est jam ita judicabo, ut Dominus judicat, videlicet optimum esse, ut non in lege justificari, sed spiritu ex fide spem justitiæ exspectemus. *Et opus meum cum Deo meo*, quia cooperante Deo opus meum faciam, et adjuvante gratia legem implebo.

Adhuc tamen et alio modo possunt hæc, nisi fallor, intelligi. Nam quia Dominico homini dictum est : *Servus meus es tu Israel*, idcirco forte voce servi, id est voce humani generis mox locutus est : *In vacuum laboravi.* Nam propter mysterium assumptæ humanitatis assumit in se vocem aliorum hominum, sed jam pœnitentium. Recte enim in hoc loco ex eorum persona vox humani generis accipitur, qui post ignorantiæ suæ caliginem ad amorem justitiæ convertuntur, et veritatis radiis

Digitized by Google

illustrati fletibus luunt, quod erraverunt. Illuminatus enim quisque respicit, quam turpe fuerit, quod præsentis vitæ amore laboravit. In eis ergo genus humanum, in quibus ad vitam revertitur, præteritum laborem suum pro nihilo ducens ait : *In vacuum laboravi.* Conspicit enim, quam vacue pro ista vita laboratur. Amore enim sæculi adversa aliqua perpeti et *vacuum* simul et *laboriosum* est, quia et ex adversitate mens afficitur, et remunerationis præmio non repletur. Qui igitur mala mundi pro mundo tolerat, *in vacuum* laborat, quia vitæ suæ tempora sine remuneratione expendit. Sed et *fortitudinem* suam in hujusmodi laboribus *sine causa et vane* consumit, quia ejus vitam retributio subsequens nulla remunerat, et præsens tribulatio fatigat. Ad omnia hæc idonee confirmanda Salomonis testimonium sufficit dicentis : « Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio Spiritus (*Eccle.* I, 14). » Et iterum : « Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole (*Eccle.* II, 11). »

Itaque post ignorantiæ tenebras anima lumine veritatis illustrata dolet se *sine causa* laborasse pro commodis temporalibus, et terrore futuri examinis attonita subjungit : « Ergo judicium meum cum Domino. » Ac si dicat : Hucusque futurum judicium ignorabam, sed nunc scio quia *judicium meum* erit *cum Domino*, quoniam in extremis meis cum illo judicabor, quando de singulis actibus meis, et e diverso de beneficiis mihi collatis in illo tremendo examine flet discussio. *Et opus meum cum Deo meo*, quia quidquid hic operor, apud eum servatur in die novissimo judicandum, sicut ait : « Ecce scriptum est coram me (*Isa.* LXV, 6). » Et ut Malachias loquitur : « Attendite Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo (*Malac.* III, 16). » Vel *opus meum cum Deo meo*, quia jam operabor cum Deo, quæ sancta et justa, faciens cum ipsius adjutorio. Hæc, qui melius potuerit, interpretetur ; nos vero sequentia videamus. Subjungit enim Redemptor noster, dicens :

VERS. 5. — « Et nunc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur. »

Bene ait : *Ex utero.* Ex utero enim virginali formatus est cooperante Spiritu sancto, non ex uteris utriusque parentis genitus. Qui formatus est servus, quia secundum servi formam, quam ex Virgine suscepit, creatus est. Ob hoc etiam dicitur eum Dominus *ex utero servum sibi* formasse, quia ad hoc venit, ut faceret voluntatem Dei ; et natus est servus Dei, cum nos e contrario nascamur servi diaboli. In baptismo namque post efficimur servi Dei. *Dominus*, inquit, *formans me ex utero servum sibi* dicit nunc, *ut reducam Jacob ad eum.* Ac si dicat : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel (*Matth.* X, 6). » Sed quia non omnes credituri sunt, *Israel* totus *non congregabitur* in Ecclesiam, sed magis per totum orbem captivus dispergetur. Sequitur :

« Et glorificatus sum in oculis Domini. » Cui, cum dixissem : « Pater, clarifica Filium tuum (*Joan.* XVII, 1), » respondit de cœlo dicens : « Et clarificavi, et iterum clarificabo (*Joan.* XII, 18). » — « Et Deus meus » in passione « factus est fortitudo mea, » quia Pater mecum est. Et quia « oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus a Jerusalem (*Luc.* XXIV, 46), » recte subjungitur :

VERS. 6. — « Et dixit : Parum est, ut sit mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentibus, ut sis salus mea, usque ad extremum terræ. »

Parum quippe fuit, ut Filius Dei formam servi acciperet propter tribus Israel ad fidem convertendas, *et fæces Israel*, id est carnales Judaici populi reliquias *convertendas*, nisi et cunctas per orbem gentes illuminaret, atque omnes, qui sunt in tota mundi latitudine, si crediderint, salvaret. Paulus vero et Barnabas a Judæis repudiati dixerunt : « Ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentibus, ut sis in salutem usque ad extremum terræ (*Act.* XIII, 46). » Quod quidem Christo Domino specialiter dictum esse, manifestum est. Sed tamen hoc sibi jam dictum arbitrantur apostoli membra illius se esse recolentes, sicut etiam ipse propter ejusdem corporis unionem dixit : « Saule, Saule, quid me persequeris ? » (*Act.* IX, 4.) Ob hoc etiam interpretati sunt apostoli dictum esse sibi, quod Christo dictum est, quia non per se ipsum sed per apostolos Christus prædicavit gentibus. Sequitur :

VERS. 7. — « Hæc dicit Dominus redemptor Israel Sanctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum : Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, et sanctum Israel, qui elegit te. »

Ad contemptibilem animam gentilium, *ad abominatam gentem* paganorum, ad populum gentilem multorum *servum dominorum*, id est idolorum *dicit* nunc *redemptor et Sanctus Israel, quia reges videbunt in te* salutem meam usque ad extremum terræ, *et principes consurgent* a somno pristinæ infidelitatis, *et adorabunt* Deum vestrum non propter te, sed *propter Dominum, quia fidelis est* in promissione qua dixit Abrahæ : « Quoniam benedicentur in semine tuo omnes gentes (*Gen.* XXII, 18) ; » *et propter Sanctum Israel, qui* per immensam pietatem suam nunc *elegit te.* Idcirco enim tandem crediderunt reges et principes, quia viderunt ubique gentes fidem suscepisse. Sequitur :

VERS. 8. — « Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui. »

Digitized by Google

Tempus placitum est a resurrectione Salvatoris usque in finem sæculi, in quo Deus contemptibilem animam exaudit sicut Cornelium. Sed et dies *salutis* ab eadem resurrectione est quotidie, quia salutem « omnis, qui vere petit, accipit, et qui quærit, invenit (*Matth.* VII, 8). » Quotidie enim de ista die nobis dicitur: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra (*Psal.* XCIV, 8). » Hæc ita esse Paulus ostendit dicens Corinthiis : « Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* VI, 1). » Petrus quoque dixit, quia « omnes prophetæ a Samuele et deinceps annuntiaverunt dies istos (*Act.* III, 24). » In hoc igitur tempore placito, id est in hoc tempore reconciliationis, in hac die salutis exaudit Deus gentilitatem et adjuvat : quia « omnis, quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Rom.* X, 13). » Sequitur :

« Et servavi te, et dedi te in fœdus populi ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas. »

VERS. 9. — « Ut diceres his, qui vincti sunt : Exite ex his, qui in tenebris : Revelamini. »

Servavi te a malo, o Ecclesia, de gentibus *et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram*, ut omnem populum ita confœderares, ut omnes unum essent in Christo induti « novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum, ubi non est Judæus et gentilis, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber sed omnia in omnibus Christus (*Coloss.* III, 10). » *Ut suscitares*, inquit, *terram*, id est terrenorum hominum mentem a somno pristini torporis ad bene agendum excitans, pervigilem reddens, vel ab interna morte jam suscitares ; et *hæreditates dissipatas*, id est gentes, quas per diversos errores maligni spiritus dissipaverant, *possideres* in Christo, *ut diceres his, qui in* sui cordis carcere *vincti sunt* peccatorum funibus : *Exite* foras confitendo mala, quæ intus occultatis : *et his, in tenebris* obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum diceres : *Revelamini*, id est velamen ignorantiæ, quo mens vestra tegitur, abjicite, ut abjecto velamine luce veritatis illustrari possitis. Sequitur :

« Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. »

Quid per *vias* nisi apostoli designantur, qui nos recto cursu reducunt ad patriam nostram? Via enim cum singulariter legitur, solet Christus intelligi; cum autem viæ plurali numero ponuntur, apostolos plerumque significant. *Super vias* igitur, id est super apostolos, videlicet in doctrina eorum, *pascentur*, fideles, *et in omnibus planis pascua eorum*, quia in apertis et latis expositorum dictis mens eorum spiritali cibo reficitur. Olim vero non in planis et latis expositorum sermonibus, sed in præruptis et montuosis, et asperis erant pascua fidelium, quando rigida, et involuta legis doctrina pascebantur, sed nunc in planis et latis doctorum sermonibus alimonia dulci reficiuntur. Sequitur :

VERS. 10. — « Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. »

Non esurient, neque sitient, sicut ait Dominus. « Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (*Joan.* VI, 35). » *Et non percutiet eos æstus et sol*, id est tribulationis ardor non fatigabit aut lædet mentem eorum, quia divinitus protegentur, sicut scriptum est : « Obumbrasti super caput meum in die belli (*Psal.* CXXXIX, 8). » Et iterum : « Sub umbra illius, quem desiderabam : sedi (*Cant.* II, 3). » *Quia miserator eorum reget eos*, ut dicant : « Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit (*Psal.* XXII, 2). » *Et ad fontes aquarum potabit eos*, de quibus dictum est : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*supra* XII, 3). » Fontes enim aquarum sunt apostoli, de quibus fluenta veritatis emanant. Sequitur :

VERS. 11. — « Et ponam omnes montes meos in viam, et semitæ meæ exaltabuntur. »

Qui per vias et fontes signati sunt, ipsi et per *montes* exprimuntur, id est apostoli per meritum vitæ cœlestibus propinquantes, quibus dictum est : « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* LXXV, 5). » Qui ponuntur omnes *in viam*, quando ab prædicandum mittuntur, ut totum orbem ad cœleste regnum perducant. Et notandum quia non in vias, sed in *viam* ponuntur, quia omnes ipsi fiunt una via, quæ est Christus, et omnes unum Evangelium concorditer prædicant. *Semitæ* vero sunt prophetæ, qui exaltantur, quando ad spiritalem intellectum dicta eorum elevantur.

Vel præcepta divina per *semitas* designari possunt, quæ in Novo Testamento exaltantur, sicut ait Dominus : « Audistis, quia dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* V, 27). » Rursumque : « Audistis, quia dictum est antiquis : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi et alteram (*ibid.*, 38). » Et item : « Audistis, quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ergo autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*ibid.*, 43). » Sic exaltatæ et ad cœlestem conversationem sublimatæ sunt semitæ Dei, id est præcepta ejus, quæ prius in infimis jacebant.

Vel *montes in viam* ponit, et semitas exaltat, quoniam omnia offendicula, quæ credentium poterant impedire gressus, vertit eis in planum excelsa humilians, et humilia sublimans, ut iter planum ha-

Digitized by Google

beant, atque campestre. Quia vero per has vias et semitas ad eum totus mundus erat venturus, congrue subjicit :

VERS. 21. — « Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. »

Ad Christum namque per fidem venerunt alii a septentrionali, alii a meridiana parte, et alii a cæteris longinquis regionibus. Quæ tamen loca et spiritaliter intelligi possunt. *Ecce*, inquit, *isti venient de longe*, id est a criminosa conversatione, *et illi ab aquilone et mari*, id est a frigida et amara, turbulentaque gentilitate, *et isti de terra australi*, id est de plebe Judaica quæ fervore sæculi quasi meridiano sole quondam incaluit, et aura spiritus velut calido vento perlata est. Propter hanc omnium convocationem, quæ resuscitato Christo facta est, gaudere præcipitur omnis creatura, cum subditur :

VERS. 13. — « Laudate, cœli, et exsulta terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur. »

Possunt autem per cœlos virtutes angelicæ designari, et per terram Ecclesia, per *montes* vero sancti prædicatores. *Cœli* igitur, id est habitatores cœlorum angeli laudare jubentur, atque *terra*, id est Ecclesia exsultare, *montesque laudem* jubilare, id est apostoli gloriam Dei prædicare, quia ipse *Dominus* Jesus *consolatus est*, per se ipsum visitavit, et redemit *populum suum, et* post vitæ hujus tribulationem *miserebitur pauperum suorum*, qui pro ejus amore spontaneam nunc paupertatem tolerant dicens, quia « propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras (*Psal.* XVI, 4). » Tales enim pauperes plenariam consequentur misericordiam, cum venerint tempora refrigerii. Quia ergo duris interim afflictionibus premuntur, et nulli eorum inter adversa pusillamines fiunt, apte subjungitur :

VERS. 14.—« Et dixit Sion : Reliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. »

Putat enim *Sion*, id est anima Christiana minus adhuc perfecta vel etiam Ecclesia in suis membris infirmantibus se inter adversa relictam a Domino, quia mox a tribulationibus non eripitur; et oblivioni datam se ab eo, quia diutius malis præsentibus atteri permittitur. Dei autem memoria nec oblivione rumpitur, nec recordatione sarcitur, sed cum aliqua deserens prætermittit, more mentium oblivisci dicitur; et cum post longum tempus, quæ voluerit, visitat, nostræ mutabilitatis consuetudine recordatus vocatur. Tempore igitur persecutionis aliquoties æstimavit Ecclesia se divinitus oblivioni traditam, quia tot et tanta mala per multos annos passa est ab adversariis, ut per semetipsam desperare cogeretur. Sed huic ejus æstimationi Dominus respondet :

VERS. 15. — « Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. »

Nihil in hoc mundo inveniri potest, quod tanto affectu quis diligat, quanto mater filium diligit. Sed tamen uberioribus charitatis visceribus, et perseverantiori affectu diligit Deus filios suos. Nemo ergo, cum aliquid patitur molesti, æstimet se a Deo derelictum, aut oblivioni traditum : « Quoniam quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (*Prov.* III, 12). » Qui et subjungit dicens ad Sion.

VERS. 16. — « Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coram oculis meis semper. »

VERS. 17. — « Venerunt structores tui : destruentes et dissipantes a te exibunt. »

In manibus meis descripsi te, qualis eras construenda sicut Ezechieli monstratum est in ultima voluminis sui visione, quia diligenter ibi determinavit mensuras uniuscujusque virtutis. Omnes enim descriptiones et mensuræ domus illius ædificium Ecclesiæ, moresque justorum depingunt, unde et eidem prophetæ dictum est : « Fili hominis, ostende domui Israel templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et metiantur fabricam et erubescant ex omnibus, quæ fecerunt figuram domus et fabricæ ejus, exitus et introitus, et omnem descriptionem ejus, et universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ejus, et omnes leges ejus, ut custodiant omnes descriptiones ejus, et præcepta illius, et faciant ea (*Ezech.* XLIII, 10). » Sic et in manibus meis descripsi, et pulchra varietate depinxi, et te semper in manibus meis teneo, sicut de meis ovibus dixi, quia « non rapiet eas quisquam de manibus meis (*Joan.* X, 28). »

Sed et *muri* virtutum tuarum *semper* sunt *coram oculis meis*, quia sine intermissione eas intuens custodio, ne qualibet ex parte frangantur, et ad interiora sua inimicos admittant. Non igitur, ut æstimaveras, te dereliqui aut oblitus sum, cui semper tam chara fuisti. Ego quidem, sicut eras construenda, *descripsi te*, et nunc *venerunt structores tui*, qui te, sicut eis descripsi, ædificent, id est sancti prædicatores, ex quibus unus ait : « Ut sapiens architectus fundamentum posui (*I Cor.* I, 3). » Qui vero te destruebant, et dissipabant, id est gentiles, qui filios tuos idolis immolare compellebant, vel hæretici, qui eos seducebant, nunc *exibunt a te*, id est procul expellentur de finibus tuis. Sequitur :

VERS. 18. — « Leva in circuitu oculos tuos et vide omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. »

Leva oculos in circuitu, id est omnem partem orbis circumspice, quia *omnes*, qui sunt *in circuitu* tuo, id est in oriente et in occidente, in septentrione et meridie, *congregati sunt* in una voluntate credendi, et passibus cordis *venerunt tibi* opitulari.

Quod vero dicitur : *Vivo ego, dicit Dominus*, juramentum Dei est. Jurat ergo dicens : *quia omni-*

Digitized by Google

bus his, qui congregati sunt *velut ornamento* pretioso *vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa* decore magno. Sicut enim indumentum Christi totu Ecclesia generaliter dicitur, sic indumentum sunt Ecclesiæ singulorum animæ, quæ ab errore conversæ eamdem Ecclesiam credendo eique fideliter inhærendo circumdant. Felix qui tanti meriti est, tantæque virtutis, ut ornamentum dicatur Ecclesiæ ! Sequitur :

VERS. 49. — « Quia deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur, qui absorbebant te. »

Deserta et solitudines tuæ, id est loca tua, in quibus raro quisquam fidelium habitabat, *et terra ruinæ tuæ*, id est ubi filii tui corruerant in idololatriam timore pœnarum, *nunc* omnia hæc loca *erunt angusta* fidelibus, qui in eis habitaverint. Et gentiles, *qui* filios tuos *absorbebant* in voraginem idololatriæ, vel hæretici qui eosdem natos tuos vel absorbendo sibi incorporabant, longe fugabuntur de regionibus tuis. Sequitur :

VERS. 20. — « Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac mihi spatium, ut habitem. »

Diu quidem quasi sterilis fuisti in temporibus martyrum, quia vix quemquam generare per Evangelium poteras. Sed nunc tot filios habitura es, ut amplissimas basilicas fabricare tibi necesse sit. Vel ita dicent filii tui : *Angustus mihi locus est* in synagogis : fac mihi spatium in Ecclesiis, ut habitem latius, ut non comprimar blasphemiis Judæorum, ut totum orbem tua mecum capiat latitudo. Sequitur :

VERS. 21. — « Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos ? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captivata, et istos quis enutrivit ? Ego destituta et desolata (176), et isti ubi hic erant ? »

Pace tandem Ecclesiæ data cum totus orbis ad fidem convolaret, mirata est ipsa filiorum suorum multitudinem, quod tanta fecunditate donaretur, quæ prius quasi sterilis fuerat, et de loco ad locum propter adversarios migrare consueverat secundum illud : « Cum vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam (*Matth.* x, 23), » et in terra inimicorum suorum velut in Chaldæa tenebatur captiva et servilibus officiis mancipata. Unde et omni auxilio *destituta* videbatur, *et desolata* inter manus hostium. Ideoque et ipsa stupuit, unde sibi tam subito provenerit tanta fecunditas. Quomodo autem posset fieri ut copiosa multitudo filiorum ejus diceret : « Angustus est mihi locus, fac mihi spatium, ut habitem, » Dominus insinuat subjungens :

VERS. 22. — « Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum, et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. »

Levo, inquit Dominus Jesus, *ad gentes manum meam* quasi nutu ejus advocans eas, et dicens : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam (*Matth.* II, 28); » *et ad* omnes *populos*, qui sub cœlo sunt, *exaltabo* regale *signum meum*, id est virtutem crucis meæ, ut omnes ad illud congregentur. *Et afferent filios tuos in ulnis*, id est virtute exemplorum bonæ actionis suæ quasi sustentando ad bene vivendum eos adducent, *et filias tuas*, id est animas imbecilles cum patientia *portabunt super humeros* cordis sui, ut eas tibi fideliter offerant. Sequitur :

VERS. 23. — « Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ. »

Sancti viri *reges* vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elevationis inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris exstinguunt. *Reges* ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. Similiter *et reginæ* sunt vel sanctæ feminæ, vel minus fortes animæ electæ. Et hi reges *nutritii* sunt Ecclesiæ, *et nutrices* ejus tales reginæ. Et audiamus ipsos nutritios ejus. Paulus, et Silas et Timotheus discipulis aiunt : « Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos (*I Thess.* II, 7). » Et item Paulus : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam (*I Cor.* III, 2). » Nec non et Petrus : « Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*I Petr.* II, 2). » Sed et reliqui sancti doctores quasi reges eam usque hodie nutriunt. Eodem modo et sanctæ feminæ in conventibus ancillarum Dei faciunt. Bene itaque dictum est Ecclesiæ, quoniam *reges erunt nutritii tui et reginæ nutrices tuæ*. Sequitur :

« Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. »

Hoc adimpletum est, quando pagani ad Ecclesiam venientes projiciebant se ad pedes sanctorum osculantes eos, ut peccatorum suorum indulgentiam consequerentur et baptismi gratiam. Vel quia caput Ecclesiæ Christus est, caput adoratur in corpore. *Et* pulvis *pedum* ejus lingitur, quia prædicti reges quidquid in pedibus Ecclesiæ terreni operis adhæret, suo sermone tergunt atque lingunt. Sequitur :

« Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui exspectant eum.

Quando facta sunt hæc omnia, tunc pro certo cognovit Ecclesia, quæ prius se derelictam, et obrivioni datam putabat, quia quicunque Dominum

(176) Alias *deest, et sola, et isti*.

Digitized by Google

Jesum in suis tribulationibus et tentationibus exspectant, non confundentur, quoniam aderit illis in auxilio opportuno, ut liberet eos atque glorificet. *Non confundentur*, inquit, *qui exspectant eum.* Et quare non confundantur, etiam sequentibus verbis ostendit, dicens :

VERS. 24. — « Nunquid tolletur a forti præda, aut quod captum a robusto, salvabitur (177)? »

Apud homines quidem videtur impossibile, ut *præda*, quam fortissimus tyrannus rapuerit, ei possit excuti, et quod robustissimus prædo ceperit, salvari queat de manu ejus. Sed quia Deo nihil est difficile, Dominus Jesus non hominem, sed eum, qui omnes homines captivos tenebat antiquum hostem prostravit, ac deinceps tulit ab eo captivitatem, id est omnem gentem, quam sibi captivam in peccatis servire cogebat, et quod ille robustus violenter abstulerat, ipse omnipotenti miseratione salvavit. Et hæc captivitas tunc præcipue liberata est, quando gentilitas, quæ in idolis huic robusto tyranno serviebat, ad fidem conversa est. Quæ quia persecutiones ab infidelibus sustinuit, postquam in Christo pie vivere cœpit, apte subditur :

VERS. 25. — (178) « Eos vero, qui judicaverunt te, ego judicabo, et filios tuos ego salvabo. »

VERS. 26. — « Et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur, et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob. »

Nam eos, qui *judicaverunt* martyres, judicabit Dominus in die novissimo secundum cruciatus, quos eis intulerunt; *et filios* Ecclesiæ, quos olim infideles condemnaverunt ipse salvabit in regno cœlorum. Et tunc *hostes* ejus pascet *carnibus* eorum. quia faciet, ut carnalitatem suam dentibus interioris hominis præ nimio dolore devorent sine fine plangentes, et secum rixantes quia carnaliter vixerunt. Cibabit eos *carnibus suis*, ut nequaquam aliorum, sed sua morte saturentur, et quia carnales sunt, et spiritum Dei non habent, suis vescentur carnibus.

Et quasi musto sanguine, id est peccato, quod ex carne et sanguine est, *inebriabuntur*, quando, sicut scriptum est, « commotione commovebitur terra (*Isa.* XXIV, 9), » id est quisque peccator a cogitatione agitabitur sicut ebrius. Recordatio quippe malorum, quæ fecerunt, conturbabit mentem eorum et inebriabit, ne quieto et sobrio corde possint lætitiæ justorum fieri participes. *Et* tunc *omnis caro*, id est omnis homo et bonus et malus *sciet* indubitanter, quia *Dominus* est, qui salvat electorum Ecclesiam, et quia *fortis Jacob*, id est ille, qui luctatus est cum Jacob (*Gen.* XXXII, 24), redemit eam ab omnibus malis, nam « videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate, et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad extremos eorum (179) (*Matth.* XXIV, 30). » Hucusque Dominus Jesus electis suis multa bona promisit. Et nunc infideles Judæos inchoat alloqui. Nam sequitur :

CAPUT L.

VERS. 1. — « Hæc dicit Dominus : Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. »

VERS. 2. — « Quia veni, et non erat vir : vocavi, et non erat qui audiret. »

Libellum quidem *repudii* dabat maritus odiosæ uxori quando dimittebat eam, et homo indigens nonnunquam filios suos vendebat creditori suo. Sed Dominus Jesus matri Judæorum, id est synagogæ velut odibili conjugi se dedisse libellum repudii non agnoscit, quoniam ipsa potius eum reliquit quam ipse eam. Et eos creditori non vendidit, quia census alienum nequaquam mutuaverat, id est peccatum non commiserat, ut necessitate compulsus avaro creditoris, id est diabolo eos redderet. Nihil enim ab hoc creditore accepit : « Venit enim, inquit, princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam (*Joan.* XIV, 30). » Non ergo Dominus ipse Judæos vendidit, sed ipsi potius *se in iniquitatibus* suis vendiderunt diabolo sumentes pecuniam ejus. Homicidium namque pecunia diaboli est : « Ille enim ab initio homicida fuit (*Joan.* VIII, 14). » Fecisti homicidium? diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium diaboli pecunia est. Diaboli enim in eo imago est et subscriptio. Commisisti adulterium? Accepisti a diabolo numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, invidia, superbia, hæc omnia diaboli census est, diaboli et thesaurus. Talis enim pecunia de ejus moneta procedit. Hac pecunia emit ille, quos emit, et efficit sibi servos omnes, qui de hujusmodi censu quantumcunque susceperint.

Non igitur a Domino, sed a se ipsis *venundati sunt* Judæi *in iniquitatibus* suis, quoniam sponte propria quisque se diabolo vendit, dum voluntarie peccat. Hinc namque de Achab dicitur, quia « venundatus est, ut faceret malum (*III Reg.* XXI, 25). » Hi itaque qui auctorem vitæ interfecerunt, qui falsum testimonium adversus eum qui veritas est, protulerunt, qui per invidiam eum tradiderunt, merito *in suis iniquitatibus venditi* esse perhibentur.

Quorum *mater in sceleribus eorum* dimissa est, quia tanta in Dominum et in discipulos ejus mala commiserunt, ut et omnis synagoga sibi consentiens in perditionem simul iret, ex quo principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barrabbam, Jesum vero perderent, ex quo populus ille universus ait : « Sanguis ejus super filios no-

(177) Alias, *salvum esse poterit.*

(178) Suppl. ex recent. edit. : *Quia hæc dicit Dominus : Equidem et captivitas a forti tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto salvabitur. Eos vero qui*, etc.

(179) Alias, *ad terminos eorum.*

Digitized by Google

stros (*Matth.* XXVII, 25). » *Venit* enim Salvator ad eos nascens ex Virgine, *et non erat* in eis *vir* aliquis, id est viriliter agens, sed « omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt (*Psal.* XIII, 3). » *Vocavit* eos ad gratiam novitatis prædicatione sua, *et non erat* ex eis, *qui* audire eum vellet. *Non erat* ex eis *vir* sive homo. Omnes enim veri Dei imaginem relinquentes bestiarum et serpentium sumpserunt imaginem. *Non* libellum *repudii* eorum matri dedit Dominus, nec creditori vendidit eos, sed scelera eorum atque peccata dæmonibus eos vendiderunt in præsentis sæculi voluptatibus irretiti (180), ut illi parentem, et illa conjugem relinqueret, quam velut adulteram ulterius tenere ipse non potuit, sed volentem abire permisit. Idcirco dimissi sunt ab eo, ut innumeris calamitatibus nullo auxiliante opprimantur. Ad quos et subjungit dicens :

« Nunquid abbreviata, et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? » Magna enim *manus*, id est potestas ejus, qua quondam Patres eorum a cunctis tribulationibus eripere solebat, non est *abbreviata*, ut et istos redimere similiter non posset a captivitate, qua per totum orbem dispersi tenentur, si redimi mererentur Neque ei *virtus* deest, ut ab hac servitute longissima liberaret, si liberatione digni essent ut patres eorum. Nam ut virtutem suam non minoratam esse demonstret, adjungit :

« Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum, computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti. »

VERS. 3. — « Induam cœlos tenebris, *et* saccum ponam operimentum eorum. »

Qui quondam increpavit mare Rubrum et exsiccavit, *nunc in increpatione* sua *desertum* faciet *mare* sæculi hujus, id est turbulentam et amaram idololatriam, vel mundanam malitiam. Et qui siccavit aquas Jordanis, ut transiret populus Israel, siccabit nunc *flumina* sæcularium dogmatum, ut sine obstaculo per viam rectitudinis populus electorum transeat ad regna polorum. Siccatis autem hujusmodi fluminibus *computrescent pisces* eorum, id est vel dæmones, qui in eis natabant, vel infideles homines, qui ex eis in malitia generati, in eis semper in malo cæci vivebant noxia libertate propriis voluntatibus sub errorum profundo dimissi. *Computrescent pisces sine aqua* mundanæ sapientiæ, quia damnatis omnibus errorum prædicamentis apparebit fetor impietatis eorum. *Et morientur in siti*, qui postquam veritate cognita siluerint illæ falsitatis doctrinæ, deficiet vita perversitatis eorum, quæ ex aquis hujuscemodi dogmatum subsistebat.

Cœli quoque, id est doctores synagogæ, qui superna sapere videbantur, *induentur*, id est operientur *tenebris* ignorantiæ, ut lumen veritatis vel intelligentiæ in eis non appareat. Et saccus, qui est habitus lugentium vel pœnitentium, fiet operimentum eorum, ut sub apostolis vel sub Elia pœnitentiam agant. Vel si in sacco designatur asperitas, et punctio peccatorum, doctores Judæorum operiuntur sacco, quia circumdantur peccatrice conversatione, ut nil in eis nisi peccatum appareat. Deinde Salvator ad illud tempus, quo inter eos conversatus est, locutionem suam convertit, subdens :

VERS. 4. — « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus [*Vulg.* lassus] est, verbo. »

Nam juxta dispensationem assumpti corporis eruditus est, et *linguam* accepit disciplinæ, ut sciret, quando deberet loqui, quando reticere. *Linguam* namque *eruditam* ad prædicandum *dedit* ei Pater, *ut eum, qui lapsus* in peccato fuerat, *sustentare verbo* suo prudenter sciret, ne in pejus caderet, sed magis ad bonum consurgeret. *Linguam eruditam* habebat, quoniam et inimici et amici ejus confitebantur, quid « nunquam sic locutus est homo sicut hic loquitur (*Joan.* VII, 46). » Verbo sustentabat eum, qui lapsus fuerat, cum diceret paralytico : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua (*Matth.* IX, 2). » Et alii : « Ecce salvus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat (*Joan* V, 14). » Et mulieri : « Nec ego te condemnabo, valde, et amplius jam noli peccare (*Joan.* VIII, 10). » Atque simul omnibus : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV, 17). » Ita verbo suo Dominus sustentabat eos, qui lapsi fuerant. Sequitur :

« Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. »

Quid per *mane*, nisi supernus adventus divinæ contemplationis exprimitur, quando mens divino lumine tota circumfunditur? *Mane* ergo erigebat Dominus *aurem* Filio hominis, ut audiret eum *quasi magistrum*, quia luce contemplationis suæ mentem ejus circumfundens ad summa levabat, et in illa luce accessibili docebat eum, quidquid homines docturus erat. Unde et ait : « Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed, qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam aut quid loquar, et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor (*Joan.* XII, 49). » Et cum prædicationem suam consummaret, dixit discipulis suis : « Quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* XV, 16). » Sequitur :

VERS. 5. — « Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abii. »

Dominus Deus aurem cordis ei *aperuit*, ut verba ejus intelligeret, et præcepta ejus audiret. Ipse autem *non* contradixit his quæ audiebat, sed in omnibus obediens fuit. Neque ab his, quæ præceperat, *retrorsum abiit*, sed in eis usque ad finem perseveravit, « factus obediens usque ad mortem (*Philip* II, 8). » At contra nos postquam Dominus aurem

(180) Ita uterque cod.

Digitized by Google

nobis aperuit, contradicimus ei, quia facere bona nolumus, quæ intelligimus; et si quid boni inchoavimus, plerumque fit, ut ab eo *retrorsum* convertamur. Sed « qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*Joan.* II, 6), » ut præceptis Dei, quæ audivit, non contradicat, sed in omnibus obediat, ut ab eadem obedientia retrorsum non eat, sed in bonis quæ cœpit, usque in finem perseveret. Redemptor vero noster hoc præcipue mandatum accepit a Patre suo, ut animam suam, in qua servavit obedientiam, mox narrare inchoat, dicens :

VERS. 6. — « Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. »

Hæc enim facta sunt, quando Judæi damnaverunt eum reum esse mortis, et cœperunt conspuere eum et velare faciem ejus, et colaphis cædere, et dicere : « Prophetiza (*Luc.* XXII, 64), » et ministri eum alapis cædebant, et quando Pilatus tradidit eum flagellis cæsum, ut crucifigeretur, atque milites duxerunt eum intro in atrium prætorii, et convocantes totam cohortem induerunt eum purpura, et imposuerunt sibi plectentes coronam spineam, et cœperunt salutare eum : « Ave rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 24), » et percutiebant caput ejus arundine et conspuebant eum. Sequitur :

VERS. 7. — « Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus; ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio, quoniam non confundar. »

VERS. 8. — « Juxta est, qui justificat me. »

In certamine passionis hujus est mihi *Dominus auxiliator*. « Non enim sum solus, sed Pater mecum est (*Joan.* XVI, 32). » *Et ideo non sum confusus* inter tot contumelias, et irrisiones, et opprobria, sed proposito mihi gaudio sustineo crucem confusione contempta. *Ideo posui faciem meam ut petram durissimam*, inter omnes illusiones et injurias, ut nullatenus erubescam. *Et scio, quoniam* propter omnia, quæ perfero, *non confundar*, sed potius gloriabor, quia qui de cruce Judæis insultantibus nunc descendere nolo, postmodum militibus exterritis resurgam de sepulcro. *Juxta est, qui justificat me*, quia, « qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper (*Joan.* VIII, 29). » Sequitur :

« Quis contradicet mihi? Stemus simul : quis est adversarius meus? accedat ad me.

Si *quis*, inquit, contradicit *mihi*, veniat, et *stemus simul* ante tribunal Pilati, ut accuset me, quantum potuerit. Et si *quis est adversarius meus*, *accedat ad me*, ut iniquam voluntatem suam in pœnis meis expleat. Et notandum in his verbis, quantum pro nobis pati Salvator optaverit. Sequitur :

VERS. 9. — « Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me. »

Dominus Deus auxiliator meus, quia « Videbitis Filium hominis sedentem a dexteris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli (*Matth.* XXVI, 64).

A Quis igitur audeat me condemnare? Cum enim Dominus hoc dixisset, mox princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : « Audistis blasphemiam quid vobis videtur? At illi responderunt : reus est mortis (*Marc.* XIV, 64). » Sed ut atrocitas eorum non timeretur, infirmitas eorum demonstratur, cum subditur :

« Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. »

Ac si dicatur : Citius inveterati morientur, et a vermibus comedentur. Aut certe *quasi vestimentum* animæ in tormentis æternalibus *conterentur*. Vel quia nullus eorum potest justificari præsente Domino, omnes quasi vestimentum veterascent. « Quod autem inveterascit, perditioni proximum est (*Hebr.* VIII, 12). » Et quasi *tinea comedet eos* conscientia videlicet peccatorum, et zelus gentium salvatarum. Rursum ad eos Dominus clamat :

VERS. 10. — « Quis ex vobis timens Deum audiens vocem servi sui?

Ac si dicat : *Si quis* est in *vobis* qui *Deum* timeat, audiat *vocem* meam. Neque enim : « A me ipso veni, sed ille me misit (*Joan.* VII, 28). » — « Quare loquelam meam non cognoscitis? (*Joan.* VIII, 43.) » — « Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis (*ibid.* 46). » Sequitur :

« Quis ambulavit in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. »

Quis, inquit, conversationem suam hactenus in *tenebris* ignorantiæ duxit, et necdum veritatis lumine illustratus est? *Speret in nomine Domini*, quia amodo « Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit (*Rom.* X, 13), » sive Judæus, sive gentilis. *Et innitatur super Deum suum*, id est non in operibus legis quærat justificari, sed credat in eum, qui justificat impium, ut ei sua fides reputetur ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. « Si enim Abraham, ait Apostolus, ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum (*Rom.* IV, 2). » Qui ergo non ex fide, sed ex operibus suis nititur justificari, non *super Deum*, sed super se ipsum innititur. Ille vero innititur super Deum suum qui in Christo Jesu credit, ut justificetur ex fide Christi et non ex operibus legis. Iterum persecutoribus suis dicit Dominus :

VERS. 11. — « Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis. » Et addit : « Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis : de manu mea factum est hoc vobis : in doloribus dormietis. »

Ignem enim passionis succenderunt ei, et *flammis accincti* sunt, id est furore armati in eum. Sed de hoc igne lumen refulsit : quia ex passione et resurrectione Salvatoris totus mundus illuminatus est. Hoc ergo, quod ait : « Ecce omnes vos accendentes ignem accincti flammis. » Et misericorditer admonendo subdit :

Ambulate in lumine ignis vestri, id est ponite

Digitized by Google

gressum actionis vestræ in luce fidei, quæ de passione mea cujus auctores fuistis, per gloriam resurrectionis vobis respondet. *Et in flammis, quas succendistis, ambulate*, id est ardores tribulationum, quos mihi excitastis inimici, nunc pro nomine meo tolerate libenter amici, sicut Saulus mala, quæ sanctis intulerat, postmodum ipse pertulit. *De manu mea factum est hoc vobis*, quia donatum est vobis non solum ut in me credatis, sed ut etiam pro me patiamini. *In doloribus dormietis*, id est in passionibus pro nomine meo delectabimini et requiem eas æstimabitis.

Quod si ad eos, qui in infidelitate permanserunt, hic sermo dirigitur, per sententiam justæ retributionis eis dicitur : « Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis. » Ac si dicat : Ignem passionis quam mihi succendistis, patimini, et per flammas transite, quas mihi accendistis, ut quidquid ego vel discipuli mei passi sumus a vobis, vos patiamini a Romanis. *De manu mea factum est hoc vobis*, ut omnia mala hæc pateremini, quia contra vos feci venire Romanos, et de vobis victoriam illis concessi. Ducti vero in captivitatem *dormietis in doloribus* quia usque ad adventum Eliæ jacebitis in miseriis hujus captivitatis, et somno infidelitatis gravabimini. Vel post omnem hanc tribulationem *dormietis in doloribus*, quia cum corpus in morte soporatum fuerit, anima vestra gehennalium tormentorum dolores sustinebit.

Vel sibi ipsis omnes succenderunt ignem et flammas roboraverunt, quia habebant in se ligna, fenum, stipulam, spinas, tribulos ac lolium. Et quia accincti sunt flammis, ac circumdati, et sibi incendium roboraverunt, provocantur ad salutem et dicitur *eis* : « Ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis, quas succendistis, » ut in pœnis atque suppliciis discant Dei potentiam, et redeant ad salutem. Significat autem, ut dictum est, captivitatem ipsorum. Hæc de excidio perfidiæ Judæorum locutus, de exstructione Ecclesiæ consequenter loquitur ad illos, qui ex eodem populo fidem susceperunt, dicens :

CAPUT LI

VERS. 1. — « Audite me, qui sequimini quod justum est, et quæritis Dominum : attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis. »

VERS. 2. — « Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi, et multipiicavi eum. »

VERS. 3. — « Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus, et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudines ejus quasi hortum Domini : gaudium et lætitia invenitur in ea gratiarum actio, et vox laudis. »

Audite, inquit *me*, vos, *qui sequimini* justitiam, quæ ex fide est, et quæritis non aurum neque argentum, sed Dominum Patrem festinantes, ut ad ejus visionem pertingatis. *Attendite ad petram* A *unde excisi estis*, id est considerate duritiam cordis infidelium, unde ferro prædicationis meæ estis abscissi per gratiam meam, ut vivi lapides in ædificio Ecclesiæ poneremini. *Et ad cavernam laci, de qua præcisi estis*, attendite, id est, fauces barathri, de quibus misericorditer liberati estis, cogitate. Populus enim ille perfidus ex magna parte sui jam damnatus est in inferno, et in eis qui ex eo moriuntur, quotidie damnatur. Sed vos in eadem perfidia positi, cum in eumdem locum tartareum ruituri essetis, ab ore illius estis præcisi, antequam penitus devoraremini, id est ante terminum vitæ præsentis.

Hæc, inquit, *attendite*, ac deinde *attendite ad Abraham patrem vestrum.* Tale est, quod Apostolus Ephesiis ait : « Mementote, quia aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab B ea quæ dicitur circumcisio in carne manufacta, qui eratis illo in tempore sine Christo alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo ; nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando fuistis longe, facti estis prope nunc in sanguine Christi (*Ephes.* II, 11). » Similiter et Christus hoc in loco adjungit : « Attendite ad Abraham patrem vestrum, cujus filii facti estis per fidem. Non enim omnis qui ex Israel, hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ omnes filii, sed in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur C in semine (*Rom.* IX, 6). »

Et ad Saram, quæ peperit vos, attendite, quia non estis ancillæ filii, sed liberæ. Judæi enim generati in servitutem legis sunt filii Agar; Christiani vero filii Saræ in libertatem gratiæ geniti. *Quia unum* inquit, *vocavi eum, et benedixi, et multiplicavi eum*, « ut sit pater omnium credentium, non eorum tantum, qui sunt ex circumcisione, sed eorum, qui sectantur vestigia fidei ejus ex gentibus (*Rom.* IV, 11), » quia qui ex fide sunt, hi filii sunt Abrahæ sive Judæi sive gentiles.

Consolabitur ergo Dominus, id est Pater meus *Sion*, id est Ecclesiam. Aut si forte Pater ista loquatur, dum dicit : quia *consolabitur Dominus Sion et ruinas ejus*, de Filio dicere intelligendus est vel D de Spiritu sancto. *Consolabitur* ergo *Dominus Sion* dans ei post afflictionem pacem, post tristitiam gaudium, post sterilitatem fecunditatem. *Et consolabitur omnes ruinas ejus* erigens dejecta, restaurans diruta, quoniam « allevat Dominus omnes, qui corruunt, et erigit omnes elisos (*Psal.* CXLIV, 14). » Et quomodo fiat consolatio, subditur :

Quia *ponet desertum ejus quasi delicias*, etc.

Hoc autem loco per *desertum* vel solitudinem Ecclesiæ quid aliud quam boni destitutio designatur? Unde et sub Judææ typo Jeremias peccatoris animam deplorat, dicens : « Quomodo sedet sola civitas plena populo? (*Thren.* I, 1). » Vacua enim timore Dei pectora, et humore cœlestis gratiæ arentia *deserto* squalentis eremi comparantur. In desertum

Digitized by Google

versus fuerat hic mundus, quando Redemptor in carne apparuit. Desertus enim erat ab omni cultura et fidei et timoris Dei, et peccatorum spinis obsitus. Squalebat tanquam ager incultus, et nullam penitus bonorum operum fecunditatem habebat, nullum imbrem spiritalis gratiæ excipiebat. Sed apostolica prædicatione rudis campus proscinditur et excolitur, et divini verbi semine fecundatur, ac virtutum floribus adornatur quasi deliciarum paradisus vernans. Bene ergo, cum promittitur plena mundi reconciliatio, dicitur, quia Deus *ponet desertum* Sion *quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini*, ut, « ubi abundaverat peccatum, superabundet gratia (*Rom.* v, 20), » et sit anima eorum juxta Jeremiam « quasi hortus irriguus (*Jer.* xxxi, 12). » Quod autem additur : Quia *gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis*, de exsultatione fidelium et publicis Ecclesiæ solemnitatibus, quæ, postquam cessavere persecutiones, ubique fiunt, dictum intelligimus. Post hæc omnipotens Pater plebem suam de adventu novæ gratiæ alloquitur, dicens :

Vers. 4. — « Attendite ad me, populo meus, et tribus mea, me audite, quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. »

Nam populum suum decem tribus appellat, et tribum suam populum Juda, qui et tunc multo tempore Deum coluit, quando Israel serviebat idolis, et de quo Salvator erat nasciturus. Cujus adventum ut populus iste semper sollicitus exspectaret ac suspensus, jubet eum ad se *attendere* dicens : *Quia lex a me exiet* scilicet lex nova, quoniam vetus jam dudum fuerat data ; *et judicium meum*, quo inter eos, qui in me credere voluerint, et eos, qui respuere voluerint, judicabo, *requiescet in lucem populorum*, id est in illuminatione gentium. De hoc judicio dicit Filius Dei : « In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* ix, 39). » Id est humiles gentiles videant, et superbi Judæi cæcitatem cordis incurrant. Jam vero de præsentia ejusdem Unigeniti subditur :

Vers. 5. — « Prope est justus meus, egressus est Salvator meus. »

Prope est, quia inter vos conversatur, et nescitis. *Egressus est* enim de illa secreta habitatione æternitatis suæ ; quia « a summo cœlo egressio ejus (*Psal.* xviii, 7). » Vel de utero Virginis « egressus est tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*ibid.*, 6). » Ubi et de principibus Ecclesiarum subnectitur :

« Et brachia mea populos judicabunt. « Quæ sunt *brachia Domini* nisi apostoli, per quos fortia potenter operatur? Nam, sicut singulare fundamentum Ecclesiæ Christus est, atque fundamenta ejus apostoli et prophetæ, ita et brachium Domini Christus est, et brachia ejus apostoli. Qui judicabunt populos, sicut eis dictum est : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* xx, 23). » Tunc quoque judicabunt populos, quando sedebunt « super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* xix, 28). » Sequitur :

« Me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. »

Non solum, inquit, regiones, quæ sunt in ampla mundi latitudine, sed *insulæ* maris *exspectabunt me, sustinebunt brachium meum*, id est præstolabuntur Filium meum, quia « ipse erit exspectatio gentium (*Gen.* xlix, 10). » Possunt et hæ *insulæ* intelligi animæ sanctorum, quæ in persecutione mundi istius firma in Deum solidatæ sunt fide, vel ecclesiarum multitudo ex gentibus. Pater enim venit in Filio, quoniam « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v, 19). » Sed Pater prius nominatur ac deinde Filius, id est, brachium Patris, quia Filius ex Patre est, non Pater ex Filio. Brachium enim Dei Filius ejus est, non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat, sed quia « omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* 1, 3), » ideo brachium Domini dictus est. Sicut enim tuum brachium, per quod operaris, ita Dei brachium dicitur ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum. Cur enim homo brachium, ut operetur aliquid, extendit, nisi quia non continuo fit, quod dixerit? Si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo corporis sui motu fieret, quod diceret, brachium ejus, verbum ejus esset. Sic unigenitus Filius non est paterni corporis membrum, sed quia per ipsum Pater omnia operatur, brachium Patris est, qui et verbum Patris. Tale enim brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur. Se ergo Pater et Filium suum ad gentes per apostolos venturum denuntians tunc primum gentes salutem consecuturas ait : « Me insulæ exspectabunt, et brachium meum sustinebunt. »

Quod si hoc de die judicii dicitur : *Insulæ exspectabunt*, quia et illi, qui sunt in insulis, omnes reprobi tunc eum in Filio venientem formidabunt, et pondus brachii ejus sustinebunt, cum eos insanabili plaga percusserit, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv, 41). » Nam quia sententia hæc juxta hunc sensum magis intelligenda sit, sequentia verba demonstrant, cum protinus subditur.

Vers. 6. — « Levate in cœlum oculos vestros, et videte sub terra deorsum, quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. »

Levate, inquit, *in cœlum oculos vestros*, id est suspicite hoc cœlum, *quia cœli sicut fumus liquescent* in die novissimo. Tunc enim sicut ait Petrus : « Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent (*II Petr.* iii, 22) ; » cœli vero non ætherei, sed aerei. Nam ignis ille tantum occupabit hujus aeris

Digitized by Google

spatium, quantum ascendit aqua diluvii, et eosdem cœlos concremabit, quos aqua tunc operuit. Superius autem de Domino legimus, « qui extendit velut nihilum cœlos (*supra* XL, 22), » et nunc dicitur : *Quia cœli sicut fumus liquescent.* Unde satis apparet, quæ vel qualis sit natura cœlorum videlicet similis naturæ nubium levis aut non solida, aut dura.

Et videte, inquit, id est cogitate ea, quæ sunt *sub terra deorsum*, videlicet gehennales pœnas, quoniam *terra*, quam nunc diligunt improbi, *sicut vestimentum atteretur* asperitate illius ignis, complanabitur, ut in meliorem speciem commutetur, *et habitatores ejus*, qui in ea semper habitare voluissent, *interibunt* sicut ipsa. Sancti enim « rapientur in nubibus obviam Christo in aera (*I Thess.* IV, 17); » reprobi vero relinquentur in terra, ut cum ipsa ardeant, et in barathrum perditionis corruant cum diabolo.

Vel : sicut *atteretur terra*, ut in melius commutetur, sic *et habitatores ejus interibunt* non in perditionem sui, sed in abolitionem mali vilitatis antiquæ, et innovationem futuræ gloriæ, quando justi fulgebunt sicut sol, et abeuntibus præteritis facta fuerint omnia nova. *Salus* autem, quam tunc consequentur electi, *in sempiternum erit, et justitia*, quæ dabitur eis, *non deficiet*, quia et hoc in munere retributionis accipient, ut nunquam ulterius peccare possint, qui modo, quantumcunque possunt, peccata fugiunt. Deinde electos suos contra mundanas adversitates corroborat, dicens :

VERS. 7. — « Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde ipsorum ; nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. »

Hæc enim Dominus illis loquitur, quibus et Apostolus ait : « Omnia facite sine murmurationibus et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes (*Philip.* II, 14). » Qui enim tales sunt, hi certe sciunt, quod *justum* est, et *lex* divina *in corde eorum* est, dum præcepta Dei cogitant. Et quondam ab infidelibus opprobria patiebantur quasi credentes in crucifixum, quando grave crimen erat esse Christianum, et blasphemabantur quasi seductores et malefici. Nunc etiam quicunque boni sunt. inter malos vivunt, et a pseudochristianis irrisiones et opprobria sustinent atque blasphemantur. Sed istis omnibus a Domino dicitur : Ne metuant opprobrium insultationis et criminationis, quod a pravis hominibus patiuntur, et blasphemias, quæ sibi mendaciter objiciuntur ab eis. Cur autem detractiones eorum timere non debeant, subditur :

VERS. 8. — « Sicut enim vestimentum sic comedet eos vermis, et sicut lanam sic devorabit eos tinea ; salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum. »

Sicut vermis de veste nascitur, vel *tinea* de lana, et eamdem vestem, vel lanam comedit; sic postquam isti mortui fuerint, ex carne eorum orietur vermis, qui comedat eam, et ideo non sunt timendi, quia post paululum tales sunt futuri.

Vel quia caro est quasi vestis animæ, *vermis*, qui hanc comedit, est carnalis tentatio, quia de ipsa carne nascitur, et eamdem lacerat. Peccator enim *sicut vestimentum* a verme comeditur, cum ejus caro corruptibilis tentatione, quam gignit, ad interitum pervenit. Eadem sententia repetitur de lana et tinea, quæ dicta est de vestimento et verme. Homo (181) enim tentatione consumitur, sicut lana devorari solet a tinea, cui de se oritur, ut laceretur et interimatur. Tales sunt persecutores sanctorum, et ideo non sunt timendi.

Vel in pœnis sempiternæ damnationis *sicut vestimentum sic comedet eos vermis, et sicut lanam sic devorabit eos tinea*, quia « vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (*Isa.* LXVI, 24). » *Salus autem* Domini, quam dabit sanctis suis, *in sempiternum erit*, quia « justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum (*Sap.* V, 16). » *Et justitia* ejus, quam illis dabit permanebit *in generationes generationum*, quia qui consummatam illam justitiam consecuti fuerint, nunquam ulterius eam poterunt amittere, sed in omnes generationes sæculi sæculorum justi esse feliciter perseverabunt, quia nunc justitiam quantum possunt, sectantur.

Justi itaque timere non debent opprobrium, quod ab infidelibus et pravis hominibus patiuntur, scientes quia caput eorum Christus graviora pertulit ab illis. « Et si patremfamilias Beelzebut] vocaverunt, quanto magis domesticos ejus ? » (*Matth.* X, 25.) Totum enim opprobrium illud, quod sanctis objici solet, præcipue scriptum est de passione Salvatoris. Unde et Apostolus cum dixisset, quia Jesus extra portam passus est, subjecit admonendo : « Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes (*Hebr.* XIII, 13). » Hinc et propheta nunc eamdem ejus passionem, cujus improperium electi ejus portant, ad memoriam reducens alloquitur eum velut in sepulcro positum, et ut resurgat, admonet, dicens :

VERS. 9. — « Consurge, induere fortitudinem brachium Domini. »

Consurge de monumento, *induere fortitudinem*, id est immortalitatis virtutem. Sequitur :

« Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorum. »

Consurge sicut in diebus antiquis, ut sicut olim per Moysen filios Israel de manu Pharaonis liberatos transduxisti per medium maris in eremum ; ita nunc per te ipsum, qui ad vitam præordinati sunt,

(181) C. Garst., *Verme. Non enim tent.*, etc.

Digitized by Google

et adhuc principi mundi in luto carnalium voluptatum serviunt, per aquam baptismatis ad novam conversationem transducas. Sicut per Josue dedisti eis terram, quam promiseras; ita nunc per te repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Sicut per Gedeonem liberasti eos de manu Madian, ita nunc per te ipsum libera credentes de manu infidelium. Sicut per David expugnasti inimicos eorum, et interfecisti vel subjecisti : ita nunc per te ipsum universos Ecclesiæ destructores debellans aut converte aut perime. Ita ergo *consurge* faciens nunc magnalia *sicut* fecisti *in diebus antiquis in generationibus* eorum, quæ transacta sunt, *sæculorum*. Sequitur :

« Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? »

In passione percussus antiquum hostem, qui se cunctos homines vicisse superbiebat, *percussisti*, et lancea vulneratus virulentum *draconem*, qui veneno malitiæ suæ omnes interfecerat, *vulnerasti*. Sequitur :

VERS. 10. — « Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? »

Quid per *mare*, nisi sæculum designatur? Et quid per *aquam abyssi*, nisi caliginosa gentilium errorum scientia? Quæ quia comprehendi ad integrum non poterat, sed sectatores suos in profundiora errorum semper demergebat, et mendacia sua quibusdam figuratis locutionibus obumbrabat, velut ingens *abyssus* penetrari nullo ab usu poterat (182). Siccavit ergo Dominus *mare* videlicet *aquam vehementis abyssi*, id est mundum purgavit annullans veterum errorum doctrinam, quia « stultam fecit hujus mundi sapientiam (*I Cor.* II, 20). » Sequitur :

« Qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati. »

Si mare sæculum debet intelligi, nihil prohibet *profundum maris* inferni claustra sentire. Quod *profundum maris* Dominus petiit, cum inferni novissima electorum suorum animas erepturus intravit. Recte ergo dicitur : « Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati. » Hoc namque *profundum maris* ante Redemptoris adventum non via fuit, sed carcer quia in se etiam bonorum animas quamvis non in locis pœnalibus clausit. Quod tamen profundum Dominus *viam* posuit, quia illuc veniens electos suos a claustris inferi ad cœlestia transire concessit. Unde et recte subditur : *Ut transirent liberati*. Sequitur :

VERS. 11. — « Et nunc, qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes : et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus : »

Qui de manu mortis *a Domino redempti sunt, revertentur* nunc ad paradisum, unde expulsi fuerant, *et venient in* eam, quæ sursum est, Jerusalem in voce exsultationis *laudantes* Redemptorem suum : *et lætitia sempiterna* manebit *super capita*, id est super mentes *eorum*, quam a Creatore, quem super se intuebuntur, accipient : *gaudium et lætitiam* sine intermissione *tenebunt* in illa beatitudine, et *fugiet* ab eis *dolor*, quia per illam felicem immutationem fient impassibiles : *et gemitus* elongabitur ab ipsis, quia nihil erit jam, unde possint gemere. Sequitur :

VERS. 12. — « Ecce ego ipse consolabor vos. »

Ipse Dominus consolabitur eos, quia cum se ipsum ostenderit, faciet, ut omnes præteritas afflictiones pro nihilo pendant. Hanc enim consolationem cogitabat Apostolus cum diceret : « Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII, 18). » Sequitur :

« Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a Filio hominis, qui quasi fenum ita arescet? »

VERS. 13. — « Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, et fundavit terram : et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum, ubi nunc est furor tribulantis? »

VERS. 14. — « Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus. »

A plurali numero in singularem veniens, ad personam subito infirmi uniuscujusque transivit, fortasse quia melius a singulis recognoscitur, quidquid dici singulariter auditur, ut ad cor suum quisque redeat, et in semetipso, quod de unoquoque dicitur, reprehendat. Singularem igitur numerum tenuit, dicens : « Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fenum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui? » Quisquis enim adversitatum tribulatione frangitur, a quo factus sit, minime reminiscitur. Nam qui fecit, quod non erat, factum sine gubernatione non deserit; et qui benigne hominem condidit, nequaquam injuste cruciari permittit, nec sinit neglecte perire, quod est, qui hoc etiam, quod non erat, creavit ut esset.

Cum ergo causam tribulationis nostræ quærimus, et fortasse tardius invenimus, est ista consideratio, quod nihil injuste patiamur, quia si Deo auctore sumus, qui non fuimus, Deo regente non affligimur injuste, qui sumus. Ob hoc etiam timere non debemus adversa, quæ nobis ab homine inferuntur, quia ipse, qui nos persequitur, cum sit mortalis, hodie floret, et cras in *fenum arescet*. Conditor autem noster, qui nos gubernat, ac protegit magnitudine potentiæ suæ, cœlum et terram fecit, et ideo quæcunque in cœlo et in terra fiunt, optime disponit; quia ergo infirmus quisque cum premitur, a spe gaudii nimia pusillanimitate lassatur, et dum foris adversa tolerat, aut tolerare formidat, intus obliviscitur, quod gaudebat, recte nunc increpando

(182) Ambo codd. *nullo usu pot.*

Digitized by Google

dicitur : « Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a Filio hominis, qui quasi fenum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos et fundavit terram : et formidasti jugiter tota die, » id est toto tempore vitæ præsentis *a facie*, id est a præsentia *furoris ejus, qui te* pro Redemptoris nomine *tribulabat, et paraverat ad perdendum*, id est ad trahendum in æternam perditionem, si faceres, quod ille suadebat? Ista velut jam a præsentis vitæ malis exempto et ad gaudia perpetuæ pacis introducto dicuntur. Unde et apte dicitur : « Ubi nunc est furor tribulantis? »

Rursumque in præsenti adhuc certamine agonizanti dicitur : *Cito veniet* Dominus factor tuus *gradiens* super undas istius tribulationis *ad aperiendum* tibi januam regni cœlorum, *et non interficiet te* furor tribulantis *usque ad internecionem*, id est totum simul non interimet; quia licet « corpus occidat, animam tamen non potest occidere (*Matth.* x, 25). » Vel totam Ecclesiam *non interficiet usque ad internecionem*, sed nonnullos, quibus datum est, glorificabit martyrio. Sive etiam Dominus dicitur non interficere usque ad internecionem, quia suorum animas semper a morte custodit illæsas, quamvis corpora affligat temporaliter, vel etiam interimat. *Nec deficiet panis ejus*, id est panis Domini, quo te semper intus pascet, dum famem et tormenta foris patieris, quia quanto exterior homo tuus corrumpetur, tanto magis interior renovabitur. Sequitur :

VERS. 15. — « Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus, Dominus exercituum nomen meum. »

Mare est hoc sæculum, *fluctus* maris tribulationes sæculi. Et plerumque tempestas maris exsurgit *in nos, id est* principatus et potestates mundi concitantur et in tumore iracundiæ spumant, ut nos feriant atque submergant. Sed ne timeamus hanc tempestatem. Dominus Deus noster est, qui conturbat mare, et intumescunt fluctus ejus. » Dum enim in hac Ecclesiæ navicula per hunc undosum supernatamus mundum, ipse patientiam nostram exercere volens, sicut nobis expedire novit, et amaros et elatos hujus sæculi fluctus concitat. Nec sævire fluctus possunt, nisi usque ad littus, ubi ipse terminum posuit. Nulla enim tentatio est, quæ non accipiat mensuram a Domino. Sint ergo tentationes, sint tribulationes maris, ex his non consumeris. Vide autem, utrum ipsæ tentationes non prosint; attende Apostolum : « Fidelis Deus, qui non vos sinat tentari supra id quod potestis ferre, sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere (*I Cor.* x, 13). » Non ait : Non vos sinat tentari omnino. Si enim recusas tentationes, recusas refectionem. Ergo reficeris; et si reficeris, in manibus artificis es. Aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat, agit quibusdam ferramentis suis, ipsa sunt scandala hujus sæculi, tu tantum de manu artificis noli cadere, nihil tentationis accidet ultra vires tuas. « Ego, inquit, sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus. » Ergo ne timeas fluctus sæculi, quos Dominus Deus tuus ad probationem tuam benigna dispensatione facit intumescere, sed in Domino Deo tuo confidens esto. Non sinit illos ultra sævire, quam novit ille mensuram, ex qua proficias. Hoc enim agit, vel agi permittit Deus ad utilitatem tuam, unde tu possis proficere.

Qui et Dominum *exercituum* se vocari commemorat, quia serviunt ei exercitus non solum bonorum angelorum, qui electos inter discrimina vitæ hujus custodient et adjuvent, sed et malorum, qui eos tentando probent, et reprobos homines, qui bonos affligunt, exterminent. Post hæc ad nostrum caput sermo revertitur, dicens :

VERS. 16. — « Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meæ protexi te, ut plantes cœlos, et fundes terram, et dicas ad Sion : Populus meus es tu. »

Hæc enim verba Salvatori inter homines conversanti loquitur Pater. Posuit namque verba sua in ore ejus, sicut de eo Joannes ait : « Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur (*Joan.* III, 34). » Et ipse dixit, quia « ego a me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar (*Joan.* XII, 49). » Quem et *in umbra manus* suæ Deus inter adversarios ab æstu tribulationum protexit, ut nunquam eum tangere possent, nisi quando voluit. Ideo autem protectus est, *ut* libere prædicans plantaret in fide *cœlos*, id est apostolos, *et* fundaret *terram*, id est Ecclesiam, *et* diceret *ad Sion*, id est ad Hebræos fideles : *Populus meus es tu.* « Nunquid enim repulit Deus plebem suam, quam præscivit? » (*Rom.* XI, 1.) Hinc ergo dixit : *Populus meus es tu*, quando se Deum ejus illi innotescens gratia sua elegit eam. Ubi et congrua subditur admonitio :

VERS. 17. — « Elevare, elevare, consurge Jerusalem quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus. »

Elevare ad spiritalem sensum, *elevare* ad cœlestia regna, *consurge* ad spiritalem conversationem. *O Jerusalem*, id est plebs Hebræa, *quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus*, id est amaritudinem afflictionis irascente Deo peccatis tuis sensisti. Calix enim designat passionem, sicut Dominus indicat, ubi Petro dicit : « Calicem, quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum? » (*Joan.* XVIII, 11.) Jerusalem ergo biberat calicem iræ Dei, quando venit iste, qui dixit ad eam : *Populus meus es tu*, quia, dum Redemptoris exspectaret adventum, multis interim malis afflicta est. Vel ad eam plebem Judaicam quæ non recepit eum, sed negavit, fit ista exhortatio, et monetur agere pœnitentiam, quia propter Salvatoris necem usque hodie captivitatis afflictionem tolerat. Sequitur :

« Usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces. »

Calix *soporis* nimietas afflictionis est, quæ mentem ab interna sui custodia obdormire facit, dum

Digitized by Google

in consideratione malorum, quæ foris patitur, plus quam necesse est, vigilat. Fundus *calicis* ultima profunditas passionis malorum. Fæx calicis peccatum, quod ex profunditate afflictionis sumit, quia multis tribulationibus pressus non emendatur, sed pejor redditur. Jerusalem ergo *usque ad fundum calicis soporis* bibit, dum tantis afficeretur malis, ut his ebriata et soporata mentem suam obliviscerétur, et cœlestium bonorum non recordaretur, sed semper de malis exterioribus, quæ patiebatur, cogitaret. *Et potavit usque ad fæces*, quia usque in ultimam deveniens miseriam non est per tribulationem a peccatis intrinsecus mundata, sed multo amplius repleta sordibus. Sequitur :

Vers. 18. — « Non est, qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit, et non est, qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis, quos enutrivit. »

Quando venit Dominus, non erat, *Qui* sustentaret *eam ex omnibus filiis* ejus, aut *manum ejus* apprehendens supportaret imbecillem, et duceret per viam justitiæ, quia, sicut scriptum est : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Psal.* XIII, 3). » Multo tamen amplius post passionem deserta est omni solatio, quia non propheta, non apostolus exinde fuit in ea, qui ipsam consolatus sit, et apprehenderit manum ejus et jacentem elevaverit. Sequitur :

Vers. 19. — « Duo sunt, quæ occurrerunt tibi : quis contristabitur super te? Vastitas et contritio, et fames et gladius. »

Duo, inquit, mala *occurrerunt tibi*, o Jerusalem. *Et quis contristabitur super te*, quæ talia pateris? Quæ sunt autem, quæ occurrerunt tibi adventum Salvatoris exspectanti? *Vastitas et contritio, et fames et gladius. Duo* dixit, quæ occurrerant, et quatuor subjecit occurrisse. Sed fortassis ipsa duo bis exposuit, velut si quæreremus, quæ essent illa duo, et ille responderet : *Vastitas et contritio*, iterumque eadem interpretari volens diceret, quia *fames et gladius* sunt illa *duo*. Sic enim sæpe loquitur scilicet verba sua quadam urbanitate sicut vir eloquens ingeminando. Sequitur :

« Quis consolabitur te? »

Vers. 20. — « Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut bestia (183) illaqueata, pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui. »

Quis, Inquit, te poterit consolari in tantis malis? *Projecti* enim *sunt* in sinu tuo *filii tui*, et exsules a te *dormierunt* in diversis viis afflicti vinculis inimicorum *sicut bestia illaqueata*, dum ducerentur captivi *pleni* ira *Dei*, et *increpatione* illius, attriti flagellis et subjecti opprobriis atque contumeliis. Hæc et similia pertulit Jerusalem sub Nabuchodonosor et sub Antiocho, sed durius sub Tito. Sequitur :

Vers. 21. — « Idcirco audi hoc paupercula, et ebria non a vino. »

Vers. 22. — « Hæc dicit dominator tuus Dominus et Deus tuus, qui pugnavit pro populo suo : Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ. »

Pauperculum vocat, quæ miserias pertulit. Quæ et *ebria non a vino*, sed ab afflictione erat. Cujus *dominator* Christus est, *qui* contra diabolum *pugnavit pro populo suo*. Quæ in manu calicem soporis habebat, dum pro perversa operatione sua divino judicio tantam paterétur afflictionem, ut internam mentis amitteret evigilantiam. *Fundum* quoque *calicis* divinæ indignationis cum fæce gerebat extrema malorum irascente Domino patiens, et fæcem peccatorum inde contrahebat. Sed postquam dominator ejus pugnavit pro populo suo, tulit *de manu ejus calicem soporis, et fundum calicis indignationis* suæ, quia resurgens a mortuis convertit eam ad se, et mala, quibus merito suæ pravitatis afflicta spiritaliter sopiebatur, avertit, et profunditatem miseriarum, in quibus amissa patientia, sordibus peccatorum murmurans implebatur, abstulit. Unde et apte subditur :

« Nor adjicies, ut bibas illud ultra. »

Neque enim ille populus, ex quo ad novitatem gratiæ conversus est, hoc poculum bibit, quia, etsi multa pro Christo pertulit, tamen peccati fæcem in calicem passionis non sumpsit; sed si quid fæcis in eodem calice habebat, mundatus est ab ea, neque sopitus est in afflictionibus, sed vigilantior effectus. Ista quoque pars illius, qui necdum credidit, adhuc calicem istum bibere non desistit et in fæcibus ejus versari. Sed si pœnitentiam egerit, et elevata surrexerit, sciat calicem soporis et ruinæ de manu sua tollendum, et se ultra non bibituram eum. Sequitur :

Vers. 23. — « Et ponam illum in manu eorum, qui humiliaverunt te, et dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus. » Atque subjungitur : « Et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus. »

Immundi spiritus hunc populum humiliaverunt, quia mentem ejus ad desideria terrena inclinaverunt, et dixerunt animæ ejus : *Incurvare, ut transeamus.* Recta enim stat anima, cum superna desiderat, et non ad ima flectitur. Sed maligni Spiritus cum hanc in sua rectitudine conspiciunt, per eam transire non possunt. Transire namque illorum est immunda desideria illi spargere. Dicunt ergo : *Incurvare, ut transeamus*, Quia si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contra hanc illorum perversitas nullatenus convalescit; et transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt.

Dixerunt itaque animæ Jerusalem : *Incurvare, ut transeamus.* Quia ut illi possent eam immundis implere desideriis, persuaserunt ei, ut se ipsam ad appetitum infimorum ipsa inclinaret. Illa vero non solum animam persuadentibus illis incurvavit, sed et

(183) Alias, *sicut oryx*, etc.

Digitized by Google

corpus suum quasi terram posuit, et quasi viam ipsis *transeuntibus*, ut non solum per animam ejus transirent concupiscentias spargendo, sed et corpus ejus immunditia nequissimi operis velut terram colcarent, et per illud quasi per viam assiduis operationibus peccati transeuntes vestigia suæ iniquitatis imprimerent. Sed tandem hæc per gratiam Redemptoris erigitur, et poculum soporis, quod ipsa biberat, ponitur in manu eorum, qui eam humiliaverant, ut amaritudinem æterni doloris bibentes in pœnis, ut Jeremias ait : « Dormiant somnum sempiternum (*Jer.* LI, 39). » Unde et subditur :

CAPUT LII.

VERS. 1. — « Consurge, consurge, induere fortitudinem tuam Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Jerusalem civitas sancti : quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. »

Quia, inquit, animam tuam dæmonibus incurvasti, et corpus tuum terram eis conculcandum posuisti, *consurge* nunc in anima ab impetu terrenorum, *consurge* in corpore de luto vitiorum; et quia te impugnare aggredientur, ex quo eis subjacere nolueris, *induere*, id est circumdare fortitudine tua, ut potenter undique tentationibus eorum resistas. *Induere vestimentis gloriæ tuæ*, id est circumtegere virtutum ornamentis tu *civitas sancti*, id est Dei, qui dit : « Sancti estote, quia ego sanctus sum (*Lev.* XI, 44), » ut Regis tui sanctitatem imitari studeas. *Quia non* pertransibit *ultra per te incircumcisus et immundus*, id est quisque dæmonum jam te penitus, ut solebat, substratam sibi in consensu malitiæ conculcare non poterit. Transibit quidem, sed non pertransibit, quia sæpe volatiles tibi cogitationes immittet, sed voluntatem suam ex toto complere jam in te nequibit. Per eum namque pertransit, quem sibi consentientem invenit, quia usque ad effectum pravi operis hunc conculcare non desistit. Sequitur :

VERS. 2. — « Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion. »

VERS. 3. — « Quia hæc dicit Dominus : Gratis venundati estis, et sine argento redimemini. »

Excutere de pulvere terrenarum et inanium cogitationum, in quibus hucusque jacuisti; *consurge* inde et *sede*, id est eor tuum aliquando subleva ab infimis cogitationibus, et mala, quæ perpetrasti, defle et pœnitentiam agendo *solve vincula* peccatorum tuorum, et malarum cogitationum *de collo* tuæ mentis, quibus a diabolo captiva teneris. *Gratis* enim in iniquitatibus vestris Satanæ *venditi estis*, *et sine argento redimemini*, quia seductor ille pretium pro vobis non dedit, neque pro vestra redemptione argentum vel aurum non accipiet, sed sanguine meo redimemini. Sequitur :

VERS. 4. — « Quia hæc dicit Dominus Deus : In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. »

In Ægyptum descendit in principio populus Dei, ut colonus esset ibi, quia genus humanum a paradiso dejectum in tenebras sæculi hujus devenit, ut hic peregrinaretur, donec incolatus sui tempore finito licentiam revertendi ad patriam suam acciperet. *Et Assur*, id est antiquus hostis, *absque ulla causa calumniatus est eum*, quasi suus esset, quia et justos vindicare sibi nitebatur ob reatum primi parentis. Et justa causa non erat, ut qui propriæ iniquitatis merito damnari non poterant propter culpam alienæ iniquitatis perirent, cum scriptum sit : « Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech.* XVIII, 20). »

Quod tamen de illis solummodo dicimus, qui computantur in populo Dei, non de abortivis et cæteris talibus, qui sunt ex multitudine perditorum, licet nihil egerint. Sed omnes, qui justitiam sectantes iniquitatem fugiebant, hos *sine causa* propter Adæ peccatum *calumniatus est Assur*, quia, ut lex divina censuit. « Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus, sed unusquisque in sua iniquitate morietur (*Deut.* XXIV, 16). » Et electos itaque Dei, licet sine causa, calumniatus est improbus iste calumniator, ita ut ad infernum propter hanc calumniam descendere cogerentur, ubi in locis quietis detinerentur, donec per redemptionis gratiam finita prorsus calumnia liberi transirent ad regna cœlorum. Sequitur :

VERS. 5. — « Et nunc quid mihi est hic dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis?

Quid mihi est hic, id est quid mihi est in hoc mundo, quid in terra habeo, quandoquidem *populus meus ablatus est* mihi *gratis*, id est non propter suam, sed alterius culpam, videlicet ob peccatum primi hominis. Sequitur :

« Dominatores ejus inique agunt dicit Dominus et jugiter tota die nomen meum blasphematur. »

Dominatores ejus, id est dæmones, *inique agunt* vindicando sibi dominationem super eum, *et jugiter* in universo mundo *blasphematur nomen meum tota die*, id est toto tempore, dum ubique idola prædicantur. Sequitur :

VERS. 6. — « Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. »

Quia inique agunt dominatores populi mei, et nomen meum jugiter blasphemari faciunt, *propter hoc populus meus*, quem ad vitam prædestinavi, *sciet nomen meum*, quod adhuc ignorando blasphemat, *in die illa*, qua sine argento redimemini, id est tempore resurrectionis meæ, quando prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus. Nam *ego ipse*, qui per prophetas hæc vobis loquebar, *ecce adsum* in carne præsens, ut vos, sicut locutus sum, redimam. Deinde propheta Redemptoris hujus conversationem inter homines considerans, ait :

Digitized by Google

Vers. . — « Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit Deus tuus? »

Quam pulchri, inquit, hoc est admirabiliter pulchri *super montes*, id est super excellentissimos montes, super prophetas et apostolos *pedes annuntiantis pacem*, id est gressus actionum Christi, qui veniens evangelizavit « pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem his, qui prope sunt (*Isa.* LVII, 19). » Nam, ea quæ ipse operatus est, dum reconciliationem nobis ad Deum prædicaret, et bonum patriæ cœlestis pollicendo annuntiaret, salutemque perpetuam promittendo prædicaret, adeo præclara sunt et admiranda, ut omnia sanctorum sic transcendant cacumina, ut hi, qui multum in Deo proficiunt, operum ejus vestigia vix tangere queant admirantes ex vertice cogitationis. Bene ergo admiratur propheta *pedes* ejus pulchros *super montes*. Qui et dicebat Sion : *Regnabit Deus tuus*, quando prædicare cœpit et dicere : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV, 17). » Dicebat : *O Sion regnabit Deus tuus*, quoties fidelibus loquebatur de regno Dei, quoties regnum diaboli evertendum annuntiavit, et regnum Dei venturum. Qui et apostolos, id est regnum prædicare misit. Unde et ad ipsum versa locutione subditur :

Vers. 8. — « Vox speculatorum tuorum levaverunt vocem. »

Speculatores namque ejus sunt hi, quos ipse præposuit ecclesiis, qui in culmine superioris gradus constituti bona et mala ventura prævident, et spiritalibus inimicis venientibus subjectos populos ad bellum tuba prædicationis excitant. Horum ergo *speculatorum*, id est apostolorum atque doctorum vox audita est. *Levaverunt* enim in prædicationem *vocem* suam, ut a multis audirentur. Hæc postquam velut præterita vates est locutus, consideraus adhuc esse futura, subjecit :

« Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion. »

Speculatores enim, id est apostoli *simul laudaverunt*, quia unum Evangelium in toto orbe concorditer prædicaverunt. *Viderunt* enim *oculo ad oculum*, et facie ad faciem, *cum* ad novitatem gratiæ *converteret*, Dominus populum *Sion*, quia tunc eis dictum est : « Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt (*Matth.* XIII, 16). » Sequitur :

Vers. 9. — « Gaudete et laudate simul deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem. »

Laudantibus speculatoribus vos quoque *laudate et gaudete simul, o deserta Jerusalem*, id est homines, qui destituti a bono eratis in plebe Judæorum sed tamen ad vitam præordinati, *quia Dominus* Jesus visitatione sua *consolatus est populum suum* Israeliticum, et sanguinis sui pretio *redemit Jerusalem*, id est Hebraicam plebem vel Ecclesiam. Deinde Evangelium omni creaturæ prædicatum est in universo mundo. Nam sequitur :

Vers. 10. — « Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. »

Dominus, inquit, hoc est : Deus Pater *brachium*, id est Unigenitum suum *paravit* omnibus *in* interioribus *oculis omnium gentium*, ut eum obtutibus fidei conspiciant. Et non solum gentes, quæ sunt in latitudine mundi, sed et eas, quæ sunt in marginibus ejus, faciet videre et agnoscere *salutare suum*, id est Dominum Jesum. Unde et credentes consequenter propheta admonet a contagio vitæ infidelium recedere, cum subjungit :

Vers. 11. — « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini. »

Recedite magis corde et opere quam loco ab inquinatione conversationis infidelium, et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. *Recedite* ergo plus actionis quam loci mutatione. *Exite* inde, id est a pristina conversatione. *Pollutum nolite tangere*, id est : cujusquam peccatis consentire. Quid est enim *tangere pollutum* nisi consentire peccatis? *Exite de medio ejus*, id est de medio mali, de medio pollutionis, de medio pristinæ conversationis, de medio sæcularium illecebrarum.

Aliud est esse in mala conversatione, et aliud esse in *medio ejus*. Potest quippe fieri ut aliquis in ea sit, sed cum in extremis finibus ejus moretur, quodammodo extra eam esse videatur. Qui vero in *medio ejus* moratur, ita est malo circumseptus, ut ex omni parte æquale sit ei spatium ejus. Unde nunc *de medio ejus* quasi de corde ejus peccatores exire jubentur. Qui enim in vitiis valde demersus est, hic *in medio* veteris conversationis habitat; qui vero paulatim relinquens malum, et sese ad meliora convertens non tam cœperit virtutes possidere quam cupere, iste, licet ex medio vitæ veteris discesserit, necdum tamen ab ea exivit.

Hoc quoque nobis in Ecclesia manentibus adhuc præcipitur, quod illis fidelibus, qui inter gentes cœperunt credere, dictum est : « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. » *Recedite* non corporaliter, sed spiritaliter, non loco sed animo. *Exite* inde, id est malos corripite, ne et vos, si tacueritis, involvamini peccatis eorum. *Pollutum* vitiis *nolite tangere*, id est, nolite ei vestrum assensum præbere, ne participes sitis delictorum eorum. Quid enim est recedere *inde*, nisi cor suum a malo separare? Quid est exire inde, nisi facere, quod pertinet ad correptionem malorum, quantum uniuscujusque gradu aut persona salva pace fieri potest? Quid est *pollutum non tangere* nisi peccatis alicujus non consentire? Relinquendo enim peccatum recessisti inde; objurgando autem in cæteris existi liber inde in corde, et in conspectu Dei : continendo te

Digitized by Google

demceps a consensu non tetigisti pollutum. Vel apostolis et prædicatoribus atque credentibus jubetur, ut recedant a Jerusalem, et in toto mundo prædicent Evangelium, nec immunditias carnalis observantiæ legis attingant.

Quod autem sequitur : « Mundamini, qui fertis vasa Domini, » sic exposuit Gregorius (*Reg. past.* cap. 2) : « Rector, inquit, semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officium, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat, quia necesse est, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes aliorum curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si corda insequens lutum tenet. Hinc namque per prophetam dicitur : Mundamini, qui fertis vasa Domini. » — « Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas in suæ conversatione fidei suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari, conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ actionis portant. » Sequitur :

VERS. 12. — « Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Præcedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel. »

Non in tumultu exibitis a veteri conversatione, sed in silentio latenter, quia et exeuntium pedes erunt cordis affectus. Incipietis enim inde exire prius corde per confessionem iniquitatis et amorem justitiæ, deinde post ea in fine sæculi etiam corpore ab his, qui in malitia permanent, separabimini. *Nec in fuga properabitis*, quia Christo duce non timebitis : diabolum, et quas vobis admolietur adversitates. Nam sicut scriptum est : « Qui timet Dominum, nihil trepidat, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus (*Eccli.* XXXIV, 16). » *Præcedet enim vos Christus Dominus*, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus, *et congregabit vos* in Ecclesia sua.

Vel ab hac vita *non exibitis in tumultu*, quia in obitu vestro non audietis effrenatos clamores antiqui hostis, quibus tempore mortis animas peccantium calumniatur. *Neque in fuga properabitis*, quia, Christo duce, non timebitis diabolum, qui molietur vos persequi, et retinere. *Præcedet enim vos Dominus Jesus, et congregabit* in regno cœlorum, quia « ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ (*Luc.* XVII, 37,) » id est ubi Redemptor fuerit corpore, illuc adunabuntur sanctorum animæ.

Vel de Apostolis hæc sententia potest accipi, qui nequaquam victi de Jerusalem, sed ut victores recesserunt, ut, qui quotidie prædicantes in templo Evangelium Dei millia Judæorum Christi fidei subjecerant, etiam mundum ipsius Evangelio subjugarent. Prævium enim habebant Dominum, qui *congregaret eos*, id est de orbe terrarum unum gregem faceret, de quo et subditur :

VERS. 13. — « Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. »

Servus enim vocatur ille, « qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philipp.* II, 6). » Qui suos ad gloriam resurrectionis præcedens intellexit, id est intelligere fecit et intelligentiam dedit, quia tunc « aperuit illis sensus, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV, 45). » Quod tempus Anna intuens ait : « Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est (*I Reg.* II, 3). » Vel etiam ipse intellexit non ut Verbum Dei, sed ut servus, quia « proficiebat ætate et sapientia (*Luc.* II, 52). » Et loquitur in psalmo : « Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum (*Psal.* XV, 7). » Qui deinde exaltatus est super omnes cœlos, et *elevatus est* super cunctos ordines angelorum, *et sublimis* est *valde*, quia considet in dextera sedis magnitudinis in excelsis. Nam « Deus suscitavit illum a mortuis, et constituit ad dexteram in excelsis supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed et in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus (*Ephes.* I, 20). » De cujus adhuc humilitate, qua contemnendus erat, subjungitur :

VERS. 14. — « Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. »

Et ad Jerusalem, nisi fallor, sermo dirigitur, quæ dum olim magnis calamitatibus aliquoties premeretur, multi, qui eam tempore felicitatis admirabantur, *obstupuerunt* super eam videntes magnitudinem afflictionum ejus. Sed harum afflictionum populi sui voluit Redemptor pia conversatione fieri princeps, ut et super eum, qui passiones viderent, obstupescerent. Ait itaque : « Sicut obstupuerunt super te multi, » o Jeruralem, intuentes miseriam tuam et afflictionem : « sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum, » qui eum passibilem et humilem cernentes contemnent. Vel ad ipsum potest dici, quia *obstupuerunt super te multi*, cum tua signa viderent. Sed hinc majus miraculum fuit, quod his qui tot virtutibus gloriam suam declaraverat, tempore passionis visus est *inglorius*. *Inglorius* enim *fuit inter viros aspectus ejus*, quando « sprevit eum Herodes cum exercitu suo, et illusit (*Luc.* XXIII, 11) ; » et *forma ejus* gloriam non habebat *inter filios hominum*, quando Pilati milites chlamidem coccineam circumdederunt ei, et coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, et genu flexo ante illum illudebant, dicentes : « Ave Rex Judæorum (*Matth.* XXVII, 24). » Sequitur :

VERS. 15. — « Iste asperget gentes multas. »

In lege dictum est (*Num.* XIX, 13), ut mundus homo aqua expiationis aspergeret eos, qui immundi erant, ut mundari possent. Non aliter mundabantur Sed et sanguine hostiarum aspergebantur, quæ sanctificanda erant. Iste ergo, qui solus est ab omni sorde peccatorum immunis, iste summus sacerdos emundaturus gentes aspergit *eas* vel aqua expiationis, id est ablutione baptismi, seu gratia Spiritus

Digitized by Google

sui, de qua promiserat, quia « effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech.* XXXVI, 25). » Vel sanguine hostiæ suæ, id est proprio cruore, de quo Petrus ait : « In obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi (*I Petr.* I, 2). » Sequitur :

« Super ipsum continebunt reges os suum. »

Reges, qui contra Christianos leges sævissimas promulgabant, et eum blasphemabant, tandem continuerunt *os suum*, postquam gentes aspersæ fuerunt aqua baptismatis. Sequitur :

« Quia quibus non est narratum de eo, viderunt, et qui non audierant, contemplati sunt eum. » Israel vero, qui semper de eo verba prophetarum audierat, non cognovit eum. Unde et subditur :

CAPUT LIII.

VERS. 1. — « Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini, cui revelatum est. »

Quis, subaudi, Judæorum, *credidit auditui nostro*, quem nos prophetæ percepimus a Domino de Christo ejus vel prædicationi, quam audivit a nobis iste populus? *Et brachium Domini*, quod ipse idem Christus est, *cui* Judæorum *est revelatum*? Cum enim tanta signa fecisset coram eis, sicut Joannes loquitur : « Non credebant in eum, ut sermo Isaiæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est (*Joan.* XII, 38). »

VERS. 2. — « Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. »

Brachium Domini *sicut virgultum* ascendit *coram eo*, quia tanquam frutex terræ in alvo Virginis germinavit, et maternis visceribus splendor novæ lucis emissus ascendit. Ascendit autem *sicut virgultum coram eo*, quia *factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3), » et dignus apparuit, ut eum Dominus amico vultu semper libens aspiceret, ac per ætatum incrementa sicut verus homo profecit. *Et sicut radix de terra sitienti*, id est de terra arida surrexit, quia ex carne Virginis est creatus, quæ humano semine rigata non fuerat. Sequitur :

« Non est ei species neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum. »

VERS. 3. — « Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus. Unde nec reputavimus eum. »

In his verbis perfidia Judæorum significatur, a quibus longe ante desideratus est Christus, et cum præsens adesset quia venit humilis, visus est eis non habere speciem, neque decorem. Nobis enim videtur « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3). » *Vidimus*, inquiunt, *eum, et non erat aspectus*, quia in infirmitate brachium Domini latebat. Vidimus eum *despectum*, sicut ait : « Ego honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me (*Joan.* VIII, 49). » *Et novissimum virorum*, quia non venit ministrari, sed ministrare. *Virum dolorum*, nam multiplices in carne pertulit. *Et scientem*, id est expertum in se ipso corporis hujus *infirmitatem*.

Et quasi absconditus vultus ejus et despectus; quia, licet electis nonnunquam facies ejus luceret, infideles tamen in eo majestatem non intelligentes *despectum* habebant vultum *ejus*, quem cernebant humilem et infirmum, quia humano corpore divina potentia celabatur. Unde, inquiunt, quia talis apparuit, *non reputavimus eum* esse, quod erat, id est non æstimavimus eum esse brachium Domini. *Et brachium Domini cui revelatum est* ex nobis? Brachium Domini coæternus est Filius, et consubstantialis Patri, qui et virtus ejus est. De quo non jam errantium, sed recte confitentium voce subditur :

VERS. 4. — « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores » nostræ mortalitatis misericorditer *portavit* in sua carne temporaliter, ut æternam nobis animarum et corporum sanitatem conferret.

Et *portavit* eos non ficte vel phantastice, sed vere, utpote homo veraciter infirmus et dolens. Quem ita infirmatum Judæi cernentes, non agnoverunt eum. Nam vox eorum rursus evidenter apparet, cum subditur : « Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. » Qui tamen jam cognoscentes eum, adjungunt protinus :

VERS. 5. — « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. »

Nos, inquiunt, *putavimus eum quasi leprosum*, id est lepra animæ intrinsecus contaminatum, dum diceremus : « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit Et quomodo potest homo peccator hæc signa facere (*Joan.* IX, 16). » Vel : « In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia (*Matth.* IX, 34). » *Et* æstimavimus *eum in passione percussum a Deo, et humiliatum*, quando insultabamus, dicentes : « Alios salvos fecit, se ipsum salvum facere non potest? Si rex Israel est, descendat de cruce, et credimus ei : confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim : Quia Filius Dei sum (*Luc.* XXIII, 35; *Matth.* XXVII, 42). » Hæc, inquiunt, dicentes putavimus eum pro culpis suis a Deo percussum. Ipse autem clavis et lancea *vulneratus est propter iniquitates nostras*, et flagellis est *attritus propter scelera nostra*. Unde et subditur :

« Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. »

Disciplina namque vocari solet, quando quis virgis cæditur aut flagellis. Et quasi per disciplinam Pilatus eum volens *emendare* (*Luc.* XXIII, 16), » apprehendit et flagellavit. Sed hæc *disciplina* fuit *pacis nostræ*, quia cum Deo per hanc *pacem* consecuti sumus. In qua videlicet flagellatione dorsum ejus est affectum *livore*. Sed et dum Judæi cæderent eum colaphis, ac palmas in faciem ejus darent, liventes factæ sunt genæ ejus, et collum ejus lividum percussionibus Sed his liovibus et percussionibus reddita est nobis sanitas, quam in primo parente perdideramus.

Bene ergo dicitur, quoniam *disciplina pacis nostræ*

Digitized by Google

super eum, et livore ejus sanati sumus, quia per flagella, quæ pro nobis pertulit, dimissa sunt peccata nostra, et reconciliati sumus Deo, atque in amicitiam recepti, et per livorem verberum, quæ passus est, æterna sanitas nobis data est. Quod enim nos pro nostris sceleribus sustinere debebamus, ille pro nobis passus est « pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terra sive quæ in cœlis sunt (*Coloss.* I, 20). » Ubi suæ pietatis formam nobis præbuit, quia cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus maluit. Nam minus non amasset, nisi et vulnera nostra susciperet, nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe et mortales nos reperit et qui nos existere fecit ex nihilo, revocare videlicet etiam sine sua morte potuit a passione. Sed, ut quanta esset virtus compassionis, ostenderet, fieri pro nobis dignatus est, quod esse nos noluit, ut in semetipso temporaliter mortem susciperet, quam a nobis in perpetuum fugaret. Sequitur :

VERS. 6. — « Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. »

Antequam bonus iste pastor veniret, *erravimus* sicut *oves* absque pastore per desertum hujus sæculi plenum sævis bestiis, id est dæmonibus : *omnes nos*, id est omnes homines, *et unusquisque* nostrum *declinavit* a recto itinere *in viam suam*, id est in actionem proprii negotii, dum voluntatem cordis sui pravi sequeretur. Unde Apostolus : « Causati sumus, inquit, Judæos et Græcos omnes sub peccato esse sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Rom.* III, 9). » Et paulo post : « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (*ibid.* 23). » Similiter et hic additur, quia *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*, ut scilicet ipse solus portaret eam atque deleret, et omnes nos justificaret. Sequitur :

VERS. 7. — « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. »

Oblatus est ut agnus in sacrificium pro peccato mundi. Et *oblatus est* non invitus, sed sponte, *quia ipse voluit*. Ait enim : « Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, et iterum sumo eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso. Et non aperuit os suum (*Joan.* X, 17) ; » quia Pilato et pontificibus pauca, Herodi autem nulla respondit. Hæc quasi transacta propheticus sermo narravit. Sed rursus hæc ipsa considerans nondum esse facta tunc, sed adhuc facienda, subjecit :

« Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. » *Sicut ovis*, cum ad victimam ducitur, non repugnat : sic ille cum ad passionem duceretur, non est renisus, sed quidquid adversariis placuit, absque reluctatione patienter pertulit. *Et sicut agnus*, dum tondetur, spoliatur, ut alios vestiat : sic ille spoliatus est, ut nos vestiret, et carne exutus est, ut indumento justitiæ et stola immortalitatis nos circumdaret. Non solum enim suo nos sanguine redemit, sed et latus aperuit, ut algentes infidelitate sua veste calefaceret, et audiremus ab Apostolo : « Quicunque in Christo baptizati estis, Christum indui stis (*Gal.* III, 27). » Sed dum agnus iste sic spoliaretur, *obmutuit, et non aperuit os*. Unde et evangelista scribit : « Cum accusaretur a principibus sacerdotum, et a senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer (*Matth.* XXVII, 12). » Et semper in passione silentio studuit, ne a persecutoribus cognosceretur. « Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II, 8). » Qui et ideo dicitur tacuisse *ut agnus*, videretur tacuisse ut reus. Sequitur :

VERS. 8. — « De angustia et de judicio sublatus est : generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. »

De angustia mortis, et iniquo *judicio sublatus est* per virtutem resurrectionis. Et quare? quia sine culpa fuit, quem ineffabiliter Virgo genuerat, et Deus ante sæcula de Patre natus est. Nam *generationem ejus quis enarrabit?* Impossibile enim est divinæ ejus nativitatis nosse mysteria, de qua Pater loquitur : « Ante luciferum genui te (*Psal.* CIX, 3). » Ipse enim in eo, quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est ; vel potius quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus verius : semper natus. Non autem possumus dicere : semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At vero, ut æternus designari valeat et perfectus, et semper dicamus, *et natus*, quatenus et natus ad perfectionem pertineat, et *semper* ad æternitatem, ut quocunque modo illa essentia sine tempore valeat temporali verbo designari. Nam neque natum præcessit genitor, neque genitorem subsecutus est genitus. Dicimus enim et Patrem sempiterne natum esse. Sed in hujus generationis consideratione palpitat infirmus aspectus, et ineffabilem candorem lucis æternæ non potest intueri. Et cum nulla mens eam, sicut est, excogitare queat, *quis* eam *enarrabit?*

Vel de partu Virginis accipienda est hæc sententia, quia difficulter possit exponi, cujus rationem Mariæ quærenti ab angelo dictum est : « Spiritus sanctus superveniet in te (*Luc.* I, 35), » ut vel ab angelo vel ab evangelista tantum nativitatis ejus sacramentum dicatur, cujus narrator rarissimus est, ne, si a pluribus diceretur, diabolus illam intelligeret, et cum crucifigi non faceret. Nunc autem quia improbus hostis inculpatam ejus generationem nescivit, pœnam ab eo mortis cæcus ex-

Digitized by Google

petiit. Nam *abscissus est de terra viventium*, id est per passionem mortis ablatus est de hoc mundo, in quo mortalem vitam ducimus, ut immortaliter vivat in cœlo. Cujus passionis causam Pater aperit subjungens : « Propter scelus populi mei percussi eum. » Hoc enim manifestum est. Sequitur :

A

Vers. 7. — « Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. »

Impios Judæos, qui eum crucifixerunt, *dabit pro sepultura* sua, quia ex quo sepultus est ab eis, projecit illos, ut jam sui non sint. Unde et Danieli dixerat angelus : « Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui negaturus est (*Dan.* IX, 29), » id est populus Judæorum. Sive *impios* gentiles, qui pietatem fidei non habebant, *et divitem*, id est populum Judæorum, qui divitiis Scripturarum affluebant, *dabit* in vitam *pro sepultura et morte sua*, quia pro salute utriusque populi passus est.

B

Vel *impios* dæmones *dabit pro sepultura* sua, ut ipsi sepeliantur et recludantur in inferno perpetualiter mortui, quia hunc persecuti sunt usque ad sepulturam. *Et divitem dabit pro morte sua*, quia princeps hujus mundi, qui eum occidi fecit, judicatus est æternæ perditioni datus. Et cur suos interfectores dabit pro sepultura, et morte sua? Quia injuste peremptus est ab eis. Nam *iniquitatem non* fecit, sed inter peccatores sine peccato vixit, *neque dolus* simulationis fuit *in ore ejus*, sed semper simplex et pura veritas. Sequitur :

C

Vers. 10. — « Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. »

Dominus enim passione *voluit in infirmitate* assumptæ mortalitatis *conterere*, quia nisi Domino volente non possent ei adversarii quidquam facere. Sequitur :

« Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. » *Si pro peccato* mundi *posuerit animam suam*, id est mortem subierit, *videbit semen longævum*, id est filios suos longævitatem perpetuæ immortalitatis habentes. Vel *semen*, quod seminavit in bona terra, videbit ipse longævum, quia gaudebit doctrinam suam usque in finem sæculi permanere. « Et voluntas Domini, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, dirigetur in manu (*I Tim.* II, 4), » id est in operatione ejus, cum suos apostolos ad prædicandum ubique miserit, ut totus mundus in eum credat et salvetur. Sequitur :

D

Vers. 11. — « Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. »

Laboravit anima ejus, cum diceret : « Nunc anima mea turbata est (*Joan.* XII, 27). » Et : « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38). » Et : « Quia repleta est malis (*Psal.* LXXXVII, 4), » id est doloribus *anima mea*. Sed quia *laboravit*, ideo *videbit* illud propter quod laboravit, id est salutem humani generis, *et saturabitur*, quia omnes, ut optaverat, salvabit. *Laboravit anima ejus* multo tempore, requiem non inveniens in Judæis. Sed nunc *videbit* Ecclesias in toto orbe consurgere, et earum fide *saturabitur*. Vel faciem Patris *videbit* illa beata anima, *et saturabitur*, sicut ait : « Adimplebis me lætitia cum vultu tuo (*Psal.* XV, 11). » Non enim in manufacta sancta introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Sequitur :

« In scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos, et iniquitates eorum ipse portabit. »

Ipse solus inter peccatores *justus justificabit multos in scientia sua*, id est in agnitione nominis sui et fide et in doctrina. Unde et apostolis ait : « Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis (*Joan.* XV, 3). » Hos enim in sua scientia justificaverat. Et Paulus asserit, quia « non justificabitur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi (*Gal.* II, 16), » et quia « credenti in eum, qui justificat impium, reputabitur fides ejus ad justitiam (*Rom.* IV, 5). » Ut autem peccatores justificaret, *ipse iniquitates eorum*, quas illi portare non poterant, et quarum pondere opprimebantur, *portavit* in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitia viverent. Sequitur :

Vers. 12. — « Ideo dispertiar (184) ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est. »

Quia servos meos justificabit, et iniquitates eorum portabit *ideo dispertiar ei plurimos*. Vel *spolia fortium*, id est homines, quos ab eis tulerit, *dividet* apostolis suis, ut Petrus et Jacobus et Joannes circumcisi populi principes fiant; Paulus autem et Barnabas ad gentes mittantur, locis non animo separati sub uno Domino stent in diversa acie, in toto orbe sibi Ecclesias ejus dividentes. Et quare *dividet spolia* hæc? Quia *tradidit in mortem animam suam*. « Venit enim non ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis (*Matth.* XX, 28. »

« Et cum sceleratis reputatus est. »

Id est inter latrones crucifixus est. Scribit enim Marcus : « Quia cum eo crucifixerunt duos latrones unum a dexteris, et alium a sinistris, et adimpleta est Scriptura, quæ dicit : Cum iniquis deputatus est (*Marc.* XV, 25). » Sequitur :

« Et ipse peccatum (185) multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. »

Ipse peccatum multorum tulit, quia ipse est Agnus, qui peccatum mundi tulit immolatus; et *pro transgressoribus rogavit*, quia dum crucifigeretur, dice-

(184) Alias, *dispertiam*.

(185) Alias, *peccata*.

Digitized by Google

bat : « Pater dimitte illis. Non enim sciunt, quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Sequitur .

CAPUT LIV.

VERS. 1. — « Lætare sterilis, quæ non paris, decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas, quia multi filii desertæ magis quam ejus, quæ habebat virum, dicit Dominus. »

Postquam de capite locutus est, corpus alloquitur. Hucusque enim de humilitate ac passione Domini protulit oraculum; et nunc quando multitudo fidelium ex uno pro omnibus mortuo in tota mundi latitudine erat surrectura, demonstrat. *Lætare*, inquit, o Ecclesia *sterilis*, *quæ non paris*, *decanta laudem*, id est prædica, *hinni*, id est *jubila*, *quæ non pariebas*, quia nunc multo plures erunt *filii*, Ecclesiæ quondam *desertæ* quam Synagogæ, quæ erat viro conjuncta. Per multos enim annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus gentibus, in filiis suis, id est in sanctis suis non apparuit. Sed nunc plures filii dicuntur futuri *desertæ quam ejus*, *quæ habebat virum*.

Nomine viri significatur lex vel rex, quam accepit primus populus Israel. Neque acceperant gentes legem eo tempore, quo loquebatur propheta, neque rex Christianorum adhuc apparuerat, ex quibus tamen gentibus longe fertilior, et numerosior sanctorum multitudo provenit. Lætatur ergo Ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus filiis fecundior quam Synagoga, quæ legem sive regem tanquam virum acceperat. Unde et additur ;

VERS. 2. — « Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. »

Si enim dilatat Ecclesia *locum tentorii sui* omnes nationes et linguas occupans, ut longius quam Romani imperii jura tendantur, usque in Persas et Indos aliasque barbaras gentes *funiculos* porrigat. Tentorium autem Ecclesiæ potest accipi præsens Ecclesia in itinere hujus vitæ; tabernacula ejus plures Ecclesiæ, quæ simul unam Catholicam faciunt. Nam qui in tabernaculo est, firmam atque perpetuam non possidet mansionem, sed semper mutat loca, et ad altera festinat præteritorum obliviscens, donec perveniat ad bravium supernæ vocationis. Finis enim tabernaculorum æternæ domus possessio est : *pelles tabernaculorum* sancti, qui se ipsos in Ecclesiis mortificant vitiis, Quæ scilicet pelles *non parce extenduntur*, dum electi ad prædicandum in totam mundi latitudinem circumquaque diffunduntur. Funiculi ejus, præcepta ejus sunt, qui fiunt longi dum usque in barbaras procul nationes porriguntur. Clavi illius verba ejus sunt, qui solidantur, dum prædicatio ejus auctoritate robusta firmatur, vel assertione veritatis constans efficitur.

Vel hoc dicendum, quia in filiis Noe Deus omnes gentes vocaverit sed deinde Abraham elegerit, et multitudinem dimiserit gentium. Gentilitas ergo, quæ diu viduata permansit, et confusionem portavit, quod a legitimo viro deserta fuerit, prædicantibus apostolis reducitur ad virum pristinum, et tantam gratiam consequitur, ut omnem priorem confusionem oblivioni tradat, et opprobrii viduitatis suæ non recordetur, quia dominationem excussit dæmonum, et Creatori pium exhibet famulatum. Sequitur.

VERS. 3. — « Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit, et civitates desertas inhabitabit. »

Intrante gentium multitudine *ad dexteram et ad lævam* penetrat sancta Ecclesia regiones infidelium, quia hinc inde paulatim per universum orbem dilatatur inter incredulos. Vel *ad dexteram* penetrat, dum ad eos, qui justificandi sunt, pertingit. *Ad lævam* quoque penetrat, dum ad se quosdam in iniquitate permansuros admittit. Ad dexteram ergo per veros Christianos, et in sinistram per fictos Christianos in tam multis populis extenditur, *et semen ejus* hæreditat *gentes et civitates* quæ a vero Dei cultu et a vera religione desertæ fuerant *inhabitat*. Quæ, quia per orbem inter infideles ubique diffusa persecutiones et opprobria multa sustinuit, apte subjunctum est :

VERS. 4. — « Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces. »

Non enim timuit hominum minas et furias, quando sanguine martyrum tanquam honore purpureo vestiebatur tam multis tamque vehementibus et potentibus persecutoribus suis prævalens. Et jam *non* confunditur, *neque* erubescit, quia nunc ab omnibus populis glorificatur quæ prius a cunctis subsannabatur, quando magnum erat crimen fieri vel esse Christianum. Sequitur :

« Non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis amplius. »

Non pudet eam nunc, quod olim detestabilis fuerit, quæ tempore, quo Dominus in terra conversatus est, parvula fuit, quia a nativitate recens verbum prædicare præ infirmitate non poterat. Adolescentula vero facta est tempore apostolorum, quando Dei verbo copulata per prædicationis ministerium cœpit in filiorum conceptione fetari. Adolescentula scilicet non jam vetusta per culpam, sed novella per gratiam, non senio sterilis sed ætate mentis ad spiritalem congrua fecunditatem. Quæ quia spiritaliter Christo conjuncta est, eo mortuo dicitur vidua. In hac autem adolescentia sua confusionem ipsa pertulit, quia in primis temporibus, ut dictum est, ubique subsannabatur, *et* opprobrium *viduitatis* suæ patiebatur, dum infideles improperarent ei, Christum esse mortuum. Sed jam oblita est *confusionis adolescentiæ* suæ, nec recordatur *opprobrii viduitatis* suæ, quia paululum derelicta, et opprobriis subjecta tamen eminenti gloria reflorescit. Sequitur :

VERS. 5. — « Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus. »

Digitized by Google

Jam dudum persecutores et incredulI desierunt Ecclesiæ dominari, solus conditor ejus dominatur illius. Sequitur :

« Et Redemptor tuus sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur. » *Redemptor* Ecclesiæ, qui quondam vocabatur *sanctus Israel*, qui tantum in Judæa notus erat et colebatur, nunc vocatur *Deus omnis terræ*, quoniam « exaltatus est super omnes cœlos, et super omnem terram gloria ejus (*Psal.* LVI, 12; *Psal.* CVII, 6). » Sequitur :

VERS. 6. — « Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit te Dominus, et uxorem ab adolescentia abjectam dixit Deus tuus. »

Quasi a viro mulier derelicta corporaliter a Christo est Ecclesia, et ideo mœrore animi afficitur, sicut ipse prænuntiaverat, dicens : « Nunquid possunt filii sponsi jejunare quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt (*Matth.* IX, 15). » Neque jejunare, vel lugere poterant apostoli, dum Christus cum eis esset, quia Deum corporaliter secum conversare gaudebant. Sed ex quo Christus abiit in cœlum, cœperunt sancti jejunare et flere, et in hac afflictione persistunt, donec ipse redeat. Hoc ergo est quod Ecclesiam ut *mulierem derelictam et mœrentem spiritu vocavit.*

Quæ et uxori *ab adolescentia* abjecta comparatur, quia Christo, qui Sponsus et vir ejus est, cœlos ascendente, ipsa inter miserias sæculi a primis temporibus suis remansit. Vel gentilitatem per apostolos vocavit ad se Dominus ut *mulierem derelictam, et uxorem ab adolescentia abjectam*, quia quam temporibus Abrahæ reliquerat, hanc sibi nunc reconciliavit. Sequitur :

VERS. 7. — « Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. »

In puncto mox, ut stylus ponitur, levatur, nec mora agitur, ut per exprimendam lineam trahatur. Tribulatio igitur electorum est ad puncti similitudinem, quia apparet ad momentum, sed disparet in perpetuum. Et sicut stylus in puncto, dum ponitur, levatur : sic præsentis vitæ afflictionem electus quisque, dum tangit, amittit. Omnis enim longitudo temporis vitæ præsentis punctus esse cognoscitur, cum fine terminatur. Cum enim quisque ad extremum perducitur, de præterito jam nihil habet quia tempora cuncta dilapsa sunt ; in futuro nihil habet, quia unius horæ momenta non restant. Vita ergo, quæ sic angustari potuit, punctus est.

Quia igitur omnipotens Deus vel Ecclesiam vel quemlibet electum in hujus vitæ brevitate affligi permittit, recte nunc dicit ei : « Ad punctum in modico dereliqui te. » Eos enim, quos in æternum diligit, ad tempus relinquere consuevit. Unde et Psalmista precatur, dicens : « Non me derelinquas usquequaque (*Psal.* CXVIII 8). » Derelinqui enim hoc ad modicum posse utiliter noverat, qui, ne usquequaque relinqueretur, petebat. Sanctos quippe suos Dominus veniendo adjuvat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus interrogat.

Sive longo igitur sive brevi tempore electus quisque vel Ecclesia tribulationibus subjaceat, apte dicitur ei : « Ad punctum in modico dereliqui te. » Et quia post hæc ad consortium beatorum congregabitur, ut pro temporali labore sempiternam requiem inveniat, pulchre adjicitur : « Et in miserationibus magnis congregabo te. » Quamvis hoc, quod ait : *Ad punctum in modico dereliqui te*, de eo tempore specialiter intelligendum sit, quo persecutiones olim passa est Ecclesia, et quod adjunxit : *Et in miserationibus magnis congregabo te*, de tempore pacis, quo sancti, quos infideles disperserant, congregati sunt, et omnes gentium reliquias ad fidem congregaverunt, ut nemo jam superesset, qui Ecclesiæ persecutionem moveret. Quæ sententia reperitur protinus ad confirmationem, cum subditur :

VERS. 8. — « In momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. »

Momentum quippe *indignationis* suæ tempus illud persecutionum appellat, a quo *faciem* suam, id est respectum favoris sui atque auxilii et gratiæ parumper abscondit ab Ecclesia, dum eam tribulationibus probandam breviter ad tempus relinqueret. Sed postea *misertus* est ejus *in misericordia sempiterna*, quia pacem ejus largitus est usque ad finem sæculi, quo consummato sempiternam perciperet tranquillitatem.

Quod si momentum divinæ *indignationis* vel omne spatium vitæ præsentis, vel omne tempus, in quo quisque tentatur, acceperis, *in* hoc *momento faciem* suam Dominus unicuique electorum abscondit, quoniam ad tempus eum in tribulationibus provida dispensatione relinquit. Sed post hæc Redemptor ejus Dominus *in misericordia sempiterna miseretur* ejus, quia, « Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ (*Jac.* I, 12). » Sive gentium multitudinem reliquit Dominus *ad punctum in modico*, id est ab Abraham usque ad Salvatoris adventum, quia omne tempus ad comparationem æternitatis modicum est, et puncto simile. Sed per apostolos ad fidem totius orbis congregatus est. Momentum enim fuit tempus, in quo faciem suam Deus justo judicio abscondit a gentibus, sed postea sempiternam misericordiam illis prærogavit. Sequitur :

VERS. 9. — « Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi, ne inducerem aquas ultra super terram : sic juravi, ut non irascar tibi, et non increpem te. »

Sicut post diluvium juravit Dominus ad Noe, non se ultra inducturum aquas diluvii super terram (*Gen.* IX, 11) : sic post vitæ hujus afflictiones jurat unicuique justorum, quia jam ei non sit irasciturus vel increpaturus. Nunc enim suos misericorditer increpat, dicens : « Ego, quos amo arguo, et castigo

Digitized by Google

(*Apoc.* III, 19).» Sed post hanc vitam nec irascetur eis, nec increpabit eos. Ait enim : « Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte ad vitam (*Joan.* v, 24).» Hoc est ergo, quod nunc ait, quia *juravi, ut non irascar tibi, et non increpem te*

Vel sicut famulo suo Noe juravit Dominus, ne inducerent aquas diluvii ultra super terram, sic post tempora martyrum juravit Ecclesiæ, ut jam amplius non irascatur ei, id est non faciet eam iras persecutorum sentire, et non increpet eam, id est non sinat ab inimicis increpari. In qua sententia satis apparet arcam significasse Ecclesiam, et diluvium tribulationes Ecclesiæ. Sicut ergo jam non erit diluvium dissipans terram ; sic generalis persecutio sanctorum non erit usque ad tempus Antichristi, quando et mundus terminabitur. Nam quia pax perseverans ei sit declarat et sermo subsequens, quo dicitur :

Vers. 10. — « Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent ; misericordia autem mea non recedet, et fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator tuus Dominus.»

Vers. 11. — « Paupercula, tempestate convulsa absque ulla consolatione.»

Facilius est, inquit, montes et colles moveri quam meam sententiam mutari. *Paupercula* vero dicitur Ecclesia de gentibus, quæ non habebat legem et prophetas, nec sermonem Domini. Et *tempestate erat convulsa*, quoniam multos sæculi turbines sustinuerat, et in varios idolorum fluctuabat errores, nec ullam habuit consolationem. Vel per *montes et colles* reges et principes designantur, qui tandem comperta veritate commoti sunt corde ad pœnitentiam, et contremuerunt judicium Dei.

Divina Dei misericordia, quia parcit ei tribulationibus *non* recedit ab ea, *et fœdus pacis non* movetur, sed perseverat usque ad regnum Antichristi cum ea. Erat enim hæc *paupercula*, id est humilis et pauper Ecclesia, *tempestate* tribulationum jactata, et a locis suis *convulsa*, ut exsul et vaga persecutores suos diffugeret, nec ullam inveniebat in mundo consolationem. De cujusmodi tempestate pauperculam hanc inconsolabiliter jactante dicit Corinthiis Paulus : « Non enim voluimus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet etiam nos vivere. Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis eripuit nos (*II Cor.* I, 8).» Tales autem graviores multas tempestates post sustinuit hæc paupercula, donec placeret Deo mitigare fluctus hujus sæculi, et tempestates sedare, ut tranquilla jam navigatione portum salutis perpetuæ nostra pauperula adire posset. Veniente ergo pace subjungitur

« Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.»

Vers. 12. — « Et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.»

Vers. 13. — « Universos filios tuos doctos a Domino, et multitudinem pacis filiis tuis.»

Vers. 14. — « Et in justitia fundaberis.»

Stravit enim in Ecclesia Dominus *per ordinem lapides*, quia in ea sanctas animas meritorum diversitate distinxit ; *et* fundavit eam *sapphiris*, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent, quia robur Ecclesiæ in animabus cœlestia petentibus solidatur. Et quoniam jaspis viridis est coloris, *jaspidem propugnacula* ejus posuit, quia contra adversarios illi pro sanctæ Ecclesiæ objecti sunt defensione, qui internis desideriis virentes nulla teporis reprobi ariditate marcescunt.

Portas vero ejus *in lapides sculptos* posuit. Illi quippe portæ sunt Ecclesiæ, per quorum vitam atque doctrinam intrat in eam multitudo gentium. Qui pro eo etiam, quod magnis operibus pollent, et id quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, non puri sed sculpti lapides esse memorantur. In quorum enim vita recta operatio cernitur, quasi in eisdem ipsis exprimatur, quod egerunt. Ubi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens subdit : « Omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.» Et tanquam si audientes ista peteremus, ut hos lapides, quos diceret, indicaret, adjunxit : « Universos filios tuos doctos a Domino.» Filii enim Ecclesiæ, quos intrinsecus unctio Spiritus sancti docet de omnibus, ipsi sunt lapides desiderabiles, quos in ædificio supernæ civitatis ponere desiderant angeli. Quibus et *multitudinem pacis* se daturum pollicetur, ipsamque Ecclesiam *in justitia* fundatam asserit, ut in justitia firmiter stabiliatur. Et hæc quidem pene omnia in Ecclesia fuerunt tempore persecutionis ; sed valde copiosius et honestius sub tempore pacis : ideoque et inter promissiones pacis et ista promittuntur. Sequitur :

« Recede procul a calumnia, quia non timebis : et a pavore, quia non appropinquabit tibi.»

Recede a calumnia, quam infideles tibi faciebant ; *et a pavore* furoris eorum. Vel si inimicos timere non vis, *recede a calumnia*, ut nemini calumniam inferas, nec injuste res alicujus auferre cupias, quia tunc securus et absque timore eris. Nam si pavorem abjicere volueris, *non appropinquabit tibi*, quia Dominus te proteget et securum faciet. Sequitur :

Vers. 15. — « Ecce accola venet, qui non erat mecum, advena quondam tuus adjungetur tibi.»

Data pace, venit ad me per fidem *accola*, id est gentilis quisque, qui in regionibus fidelium quasi extraneus morabatur, et *non erat mecum*, sed cum diabolo. Et qui quondam erat *tuus advena*, nunc *adjungetur tibi*, o Ecclesia, fietque tuus civis et indigena. Hoc de reliquiis infidelium dictum est,

Digitized by Google

quæ, postquam pacem ubique habuit, conversæ sunt.

Vers. 16. — « Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum. Et ego creavi interfectorem ad disperdendum. »

Vers. 17. — « Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur, et omnem linguam resistentem in judicio judicabis. »

Quis est iste faber nisi Satanas, qui contra bonos, in quantum potest, mala fabricare non desistit? Et hunc enim Deus essentialiter creavit. Qui sufflat *in igne prunas*, quia humanas mentes in ardore perversorum desideriorum instigat. Unde alibi de eo Dominus ait : « Halitus ejus prunas ardere facit (*Job.* xli, 17). » Quid enim prunas nisi succensas internas cogitationes vel concupiscentias reproborum mentes appellat? Pruna enim vocatur, quandiu ardet, cum autem exstincta fuerit, nominatur carbo. Pruna quippe a *perurendo* dicitur; et *carbo*, quia *caret* flammis. Prunas igitur mentes propriis concupiscentiis exustas intellige; halitum vero vel sufflationem antiqui hostis occultam instigationem ejus. Halitus ergo ejus prunas ardere facit, quia persuasio ejus mentes iniquorum, quæ per se ipsas succensæ sunt, mundanis desideriis multo gravius inflammat. Ardent enim, cum quodlibet temporale appetunt, quia nimirum urunt in desideria, quæ quietum et integrum esse animum non permittunt. Itaque sufflat in igne prunas, quia suggestione sua mentes reproborum tangit, et igne concupiscentiarum vehementer accendit. Vel etiam contra bonos inflammat, sicque sufflando fabricat, et *profert vas* iniquitatis *in opus suum*, quoniam non desistit flatum suæ instigationis cordi ejus, quem decipit immittere, donec efficiat illud vas malitiæ suæ, et in operationem pravitatis perducat. Ita enim fabricavit, et in opus iniquitatis suæ protulit iste faber vasa, de quibus Apostolus loquitur, quia Deus « sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum (*Rom.* ix, 22). »

Contra quem *fabrum* creatus est interfector *ad disperdendum* vasa iniquitatis. Et quis est hic nisi Dominus noster, qui « spiritu labiorum suorum interficiet impium? (*II Thess.* ii, 8.) » Creatus est enim secundum humanitatem, et *creatus est ad disperdendum omne vas* pessimi fabri, quia « custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet (*Psal.* cxliv, 20). » Creavit illum Deus ad disperdendos malos, quoniam « dedit ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est (*Joan.* v, 27). » — « Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio (*ibid.* 22). » Ait itaque : « Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum. Et ego creavi interfectorem ad disperdendum. » Hoc est : Creavi primum angelum, qui, postquam iniquitatem operari cœpit, non cessat humanas mentes instigare, donec mala quæ suggerit, perficiat; et contra istum feci carnem assumere Filium meum, qui moriendo perimeret eum, et opera ejus disperderet. Hæc enim ita esse demonstrat subjuncta sententia.

Omne, inquit, *vas, quod fictum est contra te, non dirigetur*, id est omnis homo, qui factus est adversum te; malus ergo faber, qui contra Ecclesiam fingebat vasa sua. *Et omnem linguam*, inquit, quæ tibi resistit contradicens doctrinæ, *judicabis in judicio*, quia de reliquiis gentium, quæ non crediderint, judicabis, ut volueris. Hæreticos autem anathematizando damnabis. Vel in futuro judicio judicabis omnes, qui tibi contradicunt. Unde et subditur:

« Hæc hæreditas servorum Domini, et justitia eorum apud me, dicit Dominus. »

Hæc enim est hæreditas et justitia servorum Domini, ut omnem linguam nunc resistentem sibi judicent in futuro judicio. Demum ad fluenta sacræ locutionis universas gentes convocat, dicens.

CAPUT LV.

Vers. 1. — « Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite. »

Sitientes quippe erant gentiles, qui potum superne prædicationis desiderabant. Aquarum autem nomine scientia sacræ Scripturæ designatur, quæ suos auditores et a peccatorum sordibus abluere, et divinæ cognitionis fonte potare solet. Unde scriptum est: « Aqua sapientiæ salutaris potavit eum (*Eccli.* xv, 3). » Argenti vero appellatione eloquia divina signantur sicut Psalmista testatur dicens : « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum (*Psal.* xi, 7). » Qui igitur argentum non habent, ad aquas vocantur, quia nimirum gentilitas, quæ Scripturæ sacræ præcepta non acceperat, sacri eloquii inundatione satiatur. Quoniam tanto nunc avidius potat, quanto hanc diu sicca sitiebat. Nec solum bibit eam, sed et comedit, quoniam Scriptura sacra potus est in locis apertioribus, quia ita sorbetur, ut invenitur; cibus vero in locis obscurioribus, quia exponendo quasi frangitur, et mandendo glutitur. Emitur autem sine pretio a fidelibus, qui dum bona, quæ noverunt, libenter faciunt, ad internam intelligentiam perducuntur. Sic enim Psalmista bene vivendo emerat eam, ait: « A mandatis tuis intellexi (*Psal.* cxviii, 104). »

Vel *sitientes* intelligamus eos, « qui esuriunt, et sitiunt justitiam (*Matth.* v, 6); » *aquas* vero infusionem spiritalium gratiarum. Quid igitur ait: *Omnes sitientes venite ad aquas?* Hoc est, quod in Evangelio clamat : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ (*Joan.* vii, 38). » Ubi mox evangelista subjungit: « Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*ibid.*, 39). » Cum ergo dicit : *Omnes sitientes venite ad aquas*, credentes ad spiritalia charismata vocat. Et qui *non* habent *argentum*, *properare* jubentur ad eas, quia difficile, qui pecunias habent, regnum Dei possunt intrare : et « Beati pauperes spiritu:

Digitized by Google

quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 3). » Pauperes ergo vocat, quia « qui non renuntiavit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus (*Luc.* XIV, 33). » Sequitur:

« Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. »

Quid per *vinum* nisi Scripturæ divinæ sensus spiritalis signatur mentes fidelium lætificans et debriando immutans? Unde in Proverbiis dicitur: « Date siceram mœrentibus, et vinum his, qui amaro sunt corde; bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius (*Prov.* XXXI, 6). » Quid vero lactis appellatione nisi dulces et apertæ sententiæ designantur, quibus simplices et parvuli nutriuntur? Unde et per Petrum eis dicitur: « Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem (*I Petr.* II, 2). » *Vinum* igitur *et lac* nos emere jubet *absque argento et absque ulla commutatione* pretii, sed tamen emere, quia vel fortem vel simplicem Scripturæ sensum non pecunia emimus, sed bene vivendo acquirimus; non pretio comparamus, sed bono vitæ merito assequimur. Quia vero cunctos ad novitatem spiritalium donorum vocat, idcirco Judæos ad spiritalem intelligentiam venire nolentes increpat subjungens:

VERS. 2. — « Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? »

Panes enim refectionem Scripturæ sacræ non inconvenienter designant, quia scriptum est: « Cibavit illum pane vitæ et intellectus (*Eccli.* XV, 3). » Ait ergo Judæis solam litteram reservantibus: *Quare appenditis argentum non in panibus?* Ac si dicat: Pensatis sacra eloquia, sed non in refectione, quia dum solam speciem litteræ custoditis, de spiritali intelligentia pinguedinem internæ refectionis amittitis. Unde apte subditur: *Et laborem vestrum non in saturitate?* Neque enim scientia, quam discere laborant, poterit aliquando mentem eorum saturare, quia « semper sunt discentes, et nunquam ad notitiam veritatis pervenientes (*II Tim.* XXXVII). » Similiter increpantur illi, qui sequuntur sapientiam sæcularem, simulatasque doctrinas hæreticorum et omnem falsi nominis scientiam; ac magni pretii argentum et laborem continuum appendunt pro ea disciplina, in qua non sunt panes, et sudant pro iis cibis, in quibus nulla saturitas est. Unde patet eam sectandam esse sapientiam, quæ non est in foliis et flore verborum, sed in medullis et fructibus sensuum, quæ non prætervolat aurem, sed animum reficit. Sequitur:

« Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. »

Vos, inquit, o Judæi, qui me aure corporis, auditis, *audite me* auribus cordis, *et comedite bonum* spiritalis sensus, *et delectabitur in crassitudine anima vestra*, quia relinquentes maciem litteræ impinguabimini gratia spiritalis intelligentiæ, et a terrenis desideriis ad subli cœlestis amoris elevabimini. Servare enim solam superficiem litteræ, vel in imo cogitationem ponere quid est aliud quam quædam macies cordis? Qui vero per spiritalem intellectum vel per amorem supernorum delectationis intimæ cibo pascitur, quasi largiori alimento pinguescit. Hac enim pinguedine saginari cupiebat Psalmista cum diceret: « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea (*Psal.* LXII, 6). » Bene ergo promittit delectaturam in crassitudine animam eorum, qui bonum spiritalis gratiæ comederint. In hac crassitudine delectabatur anima sanctæ illius multitudinis « credentium, quorum erat cor unum, et anima una (*Act.* IV, 32). » Sequitur.

VERS. 3. — *Inclinate aurem vestram* superbam ad eloquium meum, *et venite ad me*, per eum, qui ait: « Ego sum via et veritas et vita, et nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV, 6). » *Audite* eum, et obedite ei, *et vivet anima vestra.*

Ait enim. « Qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam (*Joan.* V, 24). » Vel me audite in omnibus præceptis, quæ vobis nunc de susceptione novitatis dedi, et vivetis. Sequitur:

« Et feriam vobiscum pactum sempiternum misericordias David fidelis. »

Feriam vobiscum pactum sempiternum, id est constituam inter me et vos Testamentum Novum, quod erit æternum. Et quod Testamentum? *Misericordias David fidelis*, id est quæ David misericorditer promisi, ipsa vobis certissime fidelis sponsor implebo, Christum videlicet de ejus stirpe nasciturum. Has enim *misericordias* illi fideliter me facturum promisi, et has etiam vobis, si me audieritis, faciam. Et hoc est pactum sive Testamentum æternum, quod feriam vobiscum, quod faciam, ut per Christum mediatorem reconciliemini mihi, et pacem æternam apud me consequamini. Hoc est enim Testamentum Novum, Testamentum evangelicum, videlicet de adventu Christi. Paulus tamen hoc ad resurrectionem ejus retulit, dicens de Patre: « Quod autem suscitaverit eum a mortuis amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelis (*Act.* XIII, 34). » Sancta enim David resurrectionem Salvatoris interpretatus est, et hæc sancta esse *fidelia*, quia Christus amplius non sit reversurus in corruptionem. Similiter et nos misericordias David, ut in nova translatione legimus, resurrectionem Dominicam dicimus, easque *fideles*, quia « Christus resurgens a mortuis jam non moritur (*Rom.* VI, 9). » Et hoc est testamentum æternum de morte et resurrectione ejus, « quia ipse Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est (*Hebr.* IX, 15). » Bene itaque de incarnatione vel resurrectione Christi dicitur:

Digitized by Google

Feriam vobiscum pactum sive testamentum *sempiternum misericordias David fidelis.* Sive, quod in antiqua translatione legitur : « Constituam vobis testamentum æternum sancta David fidelia. « Sequitur :

VERS. 4. — Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. »

Dedi Christum meum *testem populis*, ut testetur illis de me, et omnium, quæ promisi, sit testis et assertor, ostendens me fidelem esse in verbis meis. Vel *dedi eum testem populis*, ut omnia, quæ nunc faciunt seu cogitant homines, videat et omnium sit testis et judex in die novissimo. *Ducem ac præceptorem gentibus dedi eum*, ut eas ad viam ducat et doctrinam veritatis eis proferat. Quod quia per ministerium prædicationis Ecclesiæ faciendum erat, recte ad eam conversa locutione subjungitur :

VERS. 5. — « Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis, et gentes, quæ non cognoverunt te, ad te current propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te. »

Ipsa quippe vocavit ad fidem *gentem* alienigenam, quam prius ignorabas, et gentes quæ non noverant, cucurrerunt omnes ad illam, quia viderunt eam sic divinitus glorificatam, ut totus orbis veneraretur illam. Sed forte vox ista potius ad Christum dirigi videbitur. Nam et ipse gentem per apostolos, *quam* nesciebat, id est non approbabat, vocavit, de qua per Psalmistam dicit : « Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* XVII, 45). » Omnesque nationes, quæ non cognoverant eum, concurrerunt toto orbe ad eum propter Dominum ejus, qui et *Sanctus Israel* est, id est propter Patrem ejus, qui secundum humanitatem est Dominus et Deus ipsius, *quia glorificavit* eum « et exaltans eum, et dans ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip*, II, 9). » Unde et propheta cunctos mortales de hoc tempore reconciliationis et gratiæ consequenter admonet, dicens :

VERS. 6. — « Quærite Dominum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum prope est. »

Nondum enim in judicio Dominus apparuit, et si quæritur, invenitur. Nam miro modo cum in judicio venerit, et videri potest, et inveniri non potest. Modo non videtur, et prope est ; tunc videbitur, et prope non erit. Hinc namque per Salomonem de reprobis dicit : « Tunc invocabunt me, et non exaudiam, mane consurgent, et non invenient me (*Prov.* I, 28). » Nunc ergo quærendus est, dum invenitur, nunc invocandus, dum exaudit, utpote is qui *prope est.* Quomodo autem quærendus sit et invocandus ostendit propheta subjungens :

VERS. 7. — « Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. »

Omnes ergo sequamur consilium vel admonitionem prophetæ, ut quicunque est, *impius, derelinquat* citius *viam suam*, id est actionem impietatis suæ, et quicunque *iniquus* deserat quantocius non solum opera sed et *cogitationes* iniquitatis, ac toto corde *revertatur ad Dominum*, invenietque sine dubio misericordiam, quia Deus noster *multus est ad ignoscendum* resipiscentibus. Neque enim sicut homo cogitat, ut memor injuriarum suarum ultionem quærat, si eos, qui injurias ei faciebant, pœnituerit. Nam ita subjungitur :

VERS. 8. — « Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ viæ vestræ, dicit Dominus. »

Non enim divinæ *cogitationes* ut nostræ, quia Deus aliter cogitat et aliter homo. Neque *viæ*, id est actiones ejus *viæ vestræ*, quia bonitas ipsius aliter agit quam humanæ duritiæ pravitas, ut omnes pœnitentium culpas misericorditer deleat. Sequitur :

VERS. 9. — « Quia sicut exaltantur cœli a terra ; sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. »

Quantum cœli supereminent terræ, tantum et ultra superexcellunt divinæ cogitationes a cogitationibus humanis, et divinæ actiones ab humanis, quia homines caduca et terrena cogitant et faciunt, Deus vero æterna et superna, cujus cogitationes et actiones omnem sensum exsuperant. Unde Apostolus admirans exclamat, dicens : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI, 33). » Nemo igitur discutere tentet, cur aliis ignoscat, et aliis non ignoscat, quia secrete judicio suo cuncta faciens « cui vult miseretur et quem vult indurat (*Rom.* IX, 18), » ejusque *cogitationes a* nostris *exaltatæ sunt sicut cœli a terra.* Qui et de Unigeniti sui adventu promissionem replicans subjungit :

VERS. 10. — « Et quo modo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti ; »

VERS. 11. — « Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. »

Verbum Dei Filius est, qui idcirco *verbum* dicitur, quia si verbum humanum immissum in auribus plurimorum non dividitur per singulos, ut pars sit in alio et pars in altero, sed in omnibus, qui illud audiunt, integrum et plenum habetur, ut in unoquoque totum sit : quanto magis Verbum Dei Unigenitus ubique totus est in cœlo et in terra, et non dividitur, neque in partes efficitur, sed totus totum tenet, totum implet, totum illustrat et possidet ? Neque enim sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus, sicut verbum, quod corde gestamus, fit vox, cum in ore proferimus, nec tamen verbum in vocem convertitur, sed illo integro manente ista, in qua procedat, assumitur, ut et

Digitized by Google

intus maneat, quod intelligatur, et foris sonet quod audiatur. Idem tamen profert in sono quod ante sonum erat in silentio. Atque ita verbum cum sit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, et assumpta carnis voce procedit ad audientem, et non deserit cogitantem. Nam cum ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græcæ est vel Latinæ vel alterius cujuslibet linguæ, ante omnem linguarum diversitatem res ipsa, quæ dicenda erat, adhuc in cubili cordis quodammodo nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat, loquentis voce vestitur. Sic et Verbum Dei egressum est, de ore ejus, quando carnem assumens venit ad nos, sed tamen permansit in corde ejus, neque mutatum est in carnem, sed permansit esse Verbum.

Quod ita descendit *sicut imber et nix de cœlo*, quia non humana operatione, sed divina bonitate missum est. Et *sicut imber* in cœlum *non revertitur, sed terram inebriat et infundit*, atque fecundat; sic et Filius Dei non est reversus ad Patrem vacuus, sed omnia, propter quæ missus fuerat, operatus est in terra, vel adhuc operatur manens hic divinitate nobiscum sicut promisit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » *Inebriat* namque *terram*, id est Ecclesiam inundatione scientiæ suæ cor illius immutando, ut temporalium obliviscatur, et æterna cogitet : *infundit* gratiam Spiritus sui, *et germinare eam facit*, id est bona opera proferre. *Serenti* etiam, id est prædicanti *dat semen* prædicationis, et *comedenti*, id est facienti, largitur *panem*, id est bonum opus, quo pascatur. Serere namque prædicare est, et comedere facere. Unde et beatus Job : « Si secutus est oculus meus cor meum, et in manibus meis adhæsit macula, seram et alius comedat (*Job.* XXXI, 7), » id est dicam bonum, et alius illud faciat.

Bene itaque summus Pater promisit : « Non revertetur ad me vacuum. » Non enim vacuus aut inanis reversus est ad eum Filius, sed omnem voluntatem ejus adimplevit et prosperatus est in his, ad quæ missus fuerat, sicut Psalmista de illo prædixerat. « Quoniam omnia quæcunque faciet, prosperabuntur (*Psal.* I, 3). » Quæ sint autem ea quæ Pater voluit, atque ad quæ misit illum, ipse declarat subdendo :

VERS. 12. — « Quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini : montes et omnes colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna plaudent manu. »

Idcirco enim Christus ad nos venit, ut ligato mundi principe captivitatis vasa diriperet, et educere de conclusione vinctos, de domo carceris sedentes in tenebris. « Quomodo enim potest quisquam in domum fortis intrare, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? Et tunc domum ejus diripiet (*Matth.* XII, 29). » Ad hæc missus est Christus, et in his prosperatus est, quia ligavit hunc fortem, id est diabolum, et ingressus domum ejus, id est gentilitatem, diripuit vasa ejus, id est homines, qui A vasa malitiæ illius effecti fuerant, ad cultum suum convertit. De hac domo fortis, de hac domo carceris Christo liberante egressi sumus *in lætitia*, quoniam magno repleti sumus gaudio, cum intelligeremus nos a vinculis Satanæ per Christum liberatos. *Et in pace* deducti sumus, ligato adversario qui nos tenebat captivos. Et nisi ligatus esset, non sineret nos in pace deduci. Ut autem a via justitiæ, qua sic deducimur, non exorbitemus, *montes*, id est apostoli, *et colles*, id est cæteri doctores cantant *coram* nobis *laudem* prædicationis, *et omnia ligna*, id est omnes homines regionis plaudunt *manu* ad vocem cantici, id est exsultant bene operando. Illi enim *manu* plaudunt ad vocem modulationis, qui libenter et alacriter faciunt hoc quod in sacra prædicatione audiunt. B

Potuit et sanctis, qui in inferno tenebantur, promitti, *quia in lætitia egrediemini, et in pace deducemini*, scilicet ad regna cœlorum. Illis etiam justis, qui in corpore adhuc peregrinantur, de exitu suo congrue dici potest, *quia in lætitia egrediemini* de hac vita, *et in pace deducemini* ab angelis ad locum beatæ mansionis. Et utrisque convenit, quod subditur, scilicet, quia *montes et colles*, id est angelicæ virtutes *cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna* regionis, id est universi habitatores illius patriæ *plaudent manu*, cum vos viderint tripudiantes de vestra societate. Propter omnes istos, quos ita Christus egredi facit, et in pace deducit, dixerat Pater de Verbo suo, quia « non revertetur ad me C vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud. » Non enim vacuus ad Patrem redit, qui tot secum ad vitam perducit, et in his omnibus prospere agit. Adhuc vero in promissione subjungitur.

VERS. 13. — « Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus. »

Pro saliunca namque ascendit *abies* in Ecclesia, dum in corde sanctorum pro abjectione terrenæ cogitationis altitudo exoritur supernæ contemplationis. *Urtica* autem igneæ omnino naturæ est; myrtum vero temperativæ ferunt esse virtutis. *Pro urtica crescet myrtus*, cum justorum mentes a prurigine et ardore vitiorum ad cogitationum temperiem D tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis cœlestibus desideriis exstinguunt. Sequitur :

« Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. » *Dominus* qui *nominatus erit in signum æternum*, ipse est « radix Jesse, qui stat in signum populorum (*Supra* XI, 10). » *Signum* enim *quod non auferetur*, signum Dominicæ passionis et crucis est, quia in æternum parebit in eis signaculum crucis, qui per crucem redempti sunt, et ipse Redemptor sine fine voluit idem signum in se ipso apparere, quia cum a mortuis resurgeret, noluit cicatrices vulnerum suorum abolere. *Erit* ergo *Dominus nominatus in signum æternum*, quia sine fine a sanctis inde laudabitur, quod crucis supplicia pertu-

Digitized by Google

lit, cum viderint in carne ejus vestigia vulnerum. De cujus primo adventu Pater iterum promissionem faciens præcipit Judæis, ut parati sint in occursum ejus. Nam sequitur :

CAPUT LVI.

VERS. 1. — « Hæc dicit Dominus : Custodite judicium, et facite justitiam, quia juxta est salus mea, ut veniat : et justitia mea, ut reveletur. »

VERS. 2. — « Beatus vir, qui facit hoc, et Filius hominis, qui apprehendit istud : custodiens Sabbatum, ne polluat illud, custodiens manus suas, ne faciat omne malum. »

Custodite, inquit, *judicium, et facite justitiam.* Si quis omne opus suum, antequam inchoet illud, examinaverit, utrum Deo sit placiturum, an non ; et ubi Deo gratum fore quod acturus est, non noverit, incunctanter illud deseruerit : iste custodit judicium et justitiam facit. Sic igitur agere vult Hebræos, dum Christum exspectant. Ipse est enim *salus et justitia* Dei, qui juxta Apostolum : « Factus est nobis sapientia a Deo et justitia, et sanctificatio et redemptio (*I Cor.* I, 30). » Vel salutem dicit eam, quæ per Christum danda erat : et justitiam fidei ejus, quæ revelanda erat. Ad hoc autem, quod dixerat : *Custodite judicium, et facite justitiam*, subnexuit, quia *Beatus vir, qui facit hoc, et filius hominis, qui apprehendit illud*, ut scilicet non solum faciat, quod justum est, sed stricta manu teneat. Quam sententiam et per Psalmistam confirmat dicens : « Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore (*Psal.* CV, 3). »

Sabbatum vero custodit, qui ab appetitu mundanarum rerum quiescens omni custodia servat cor suum. Quid enim in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare ? Aut quid hic quietius quam hujus sæculi nil appetere ? Qui ergo Christum exspectat, observet Sabbatum, id est requiem mentis, ut nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur. Polluit enim Sabbatum, si suggestionibus consentiens mentem suam desideriis immundis sordidaverit. Custodiat ergo Sabbatum, ne polluat illud, qui beatus esse desiderat, quia : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). » Sequitur :

VERS. 3. — « Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens : Separatione dividet me Dominus a populo suo. Et non dicat eunuchus : Ecce ego lignum aridum. »

Advena fuit gentilis populus : « Filius advenæ, qui adhæret Domino, » populus, qui ad Christum venit ex gentibus, quem non divisit Dominus a populo suo Israelitico, sed consociavit. » Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). » *Eunuchus* vero talis hic intelligitur, quales sunt illi, de quibus in Evangelio legimus : « Quia sunt eunuchi, qui se ipsos eunuchizaverunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12). » Et hujusmodi eunuchis prohibetur dicere : *Ecce ego lignum aridum*, id est homo infructuosus, quia non de carnali, sed de spiritali fecunditate debet cogitare. Sequitur :

VERS. 4. — « Quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint Sabbata mea, et elegerint, quæ volui, et tenuerint fœdus meum, »

VERS. 5. — « Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. »

Eunuchi sunt, qui pressis motibus carnis effectum in se pravi operis excidunt. *Sabbata* vero divina custodiunt, qui sacra otia non violant, sed a malo opere quiescunt et a labore carnalium desideriorum. Sed quia non satis est a malis abstinere, nisi bona quisque studeat agere, eligenda sunt, *quæ Dominus* voluit. Cum quo et *fœdus* facit, qui ejus voluntati concordans obedientiam ei promittit. Hoc ergo *fœdus* usque in finem perseveranter *tenendum* est.

Vel *Sabbata* custodit eunuchus talis, ut nunquam faciat opera nuptiarum, et eligit, quæ Dominus voluit, ut plus offerat quam præceptum est, ut non indulgentiam apostoli ejus, sed voluntatem consideret Domini sui. Et tenet *fœdus* ejus sempiternum, ut non ad tempus vacet orationi, et iterum revertatur ad idipsum. Eunuchi itaque, qui custodiunt Sabbata Dei, et elegerunt quæ voluit, et teneat fœdus ejus sempiternum, audiant præmia quæ merentur, ut libenter calcent labores tentationum, quos tolerant. Si enim attendatur felicitas, quæ sine transitu attingitur, leve fit omne quod transeundo laboratur.

Dabo, inquit, *eis in domo mea, et in muris meis*, scilicet in illa regali aula mea cœlesti, *locum* electæ mansionis, *et nomen melius a filiis et filiabus meis*, quia majorem gloriam habebunt quam cæteri sancti. Quem igitur apud Patrem tales eunuchi, id est virgines locum habeant, ostenditur, quia in domo Patris id est in æterna mansione etiam filiis præferuntur. Similiter et in libro Sapientiæ dicitur, quia « Spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima, dabitur illi fidei donum electum, et sors in templo Domini acceptissima (*Sap.* III, 14). » Et quia « incorruptio facit esse proximum Deo (*Sap.* VI, 20), » longe præferuntur virgines cæteris sanctis, qui Deo præ aliis appropinquant, et sequuntur Agnum, quocunque ierit. Quibus *nomem sempiternum* datur, *quod non peribit*, ut nomen æternæ laudis in illo regno possideant, et supra cæteros egregii et præclari resplendeant. Sequitur :

VERS. 6. — « Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, et diligant nomen ejus, ut sint ei in servos ; omnem custodientem Sabbatum, ne polluat illud et tenentem fœdus meum, »

VERS. 7. — « Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ. »

Filios advenæ, qui adhærent Domino, dicit eos, qui ex gentili populo conversi sunt ad fidem. Nam ipsi colunt *eum*, *et* diligunt *nomen ejus*, *et sunt ei in*

Digitized by Google

servos, quia tota devotione serviunt ei. Et ipsi *custodiunt Sabbatum*, *ne* polluant *illud*. In Sabbato quippe servile opus prohibetur fieri. Et servile opus peccatum est. « Omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). » Semper ergo custodiendum est Sabbatum, quia semper ab actione peccati cessandum et observandum est, ne polluatur. Ille enim *Sabbatum polluit*, qui post malorum operum renuntiationem malum rursus, a quo semper quiescere debuit, operatur. *Sabbatum* custodimus, quando ab appetitu temporalium mente quiescimus. *Fœdus* quoque *tenendum est*, quod cum Deo percussimus, ne jam ab ejus concordia disjungamur, et rebellare contra eum perversis operibus incipiamus, qui cum eo pacem et fœdus consentiendo sibi fecimus.

Hos itaque *filios advenæ*, *qui adhærent Domino*, et custodiunt spiritale *Sabbatum et* tenent *fœdus* ejus, adduxit ipse *in montem sanctum* suum, id est in Ecclesiam, ut qui erant longe, fierent prope in sanguine Christi. Vel adducet *eos in montem sanctum* suum, id est in regnum cœlorum. *Et* lætificat *eos in domo orationis* suæ, dicens per Apostolum : « Semper gaudete, sine intermissione orate (*I Thess.* V, 16). » Nam domus orationis vocabitur Ecclesia, non nugacitatis, ut quicunque est in Ecclesia, deserat fabulas, et otiosa verba; et ubicunque sit corpore positus Christianus, semper studeat orare, etsi non semper ore, tamen corde. Sequitur :

« Holocausta eorum, et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo. »

Quia holocaustum totum incensum dicitur, quid per *holocaustum* filiorum advenæ designatur nisi succensio cordis conversorum gentilium, dum se vehementissimo charitatis igne totos sic inflammarent, ut jam nihil sibi de se reliquerent. sed ex integro se totos offerrent Deo? Et quid per victimas *eorum* nisi mortificatio carnis ipsorum? « Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* V, 24). » Et quid per altare nisi fides exprimitur? Recte ergo juxta hunc sensum dicitur : Quia « holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altare meum. » *Holocausta* eunuchi offerunt, qui totos se consecrant Deo; victimas autem cæteri, qui ad tempus vacant orationi. Quæ conferuntur in altari, quod est in cœlo, ad cujus similitudinem fecit Moyses altare tabernaculi. Sequitur :

« Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, »

VERS. 8. — « Ait Dominus, qui congregat dispersos Israel. »

Domus Dei est Catholica Ecclesia, quia secundum Apostolum « Christus est tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos (*Hebr.* III, 6). » Et hæc domus vocatur *domus orationis* omnibus *populis* : universæ nationes ex longinquo ad eam veniant, et munera offerentes adorent Dominum in ea. *Congregat* enim Dominus ad eam *dispersos Israel*, id est dispersos populi sui, videlicet omnes, quos ad vitam prædestinavit, qui, per totum orbem dispersi sunt, vel per varios errores. Sequitur :

« Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus. »

Eos, qui jam in unitate fidei et dilectionis sunt *congregati*, congregabit. Dominus adhuc populum suum, sicut unusquisque de hac vita exierit, quia « multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 2). » Et quia « filii regni, » id est Judæi « ejicientur in tenebras exteriores (*ibid.* 12), » apte hoc in loco subjungitur :

VERS. 9. — « Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. »

Postquam enim filios advenæ id est credentes ex gentilitate conjunxit populo suo, et in montem sanctum suum adduxit lætificans in domo orationis suæ, consequenter infideles Judæos ad devorandum, dæmonibus tradit. *Venite*, inquit, *ad devorandum omnes bestiæ agri*, id est omnes sævi dæmones, qui per latitudinem mundi hujus crudeli rabie vagamini quærentes, quem devoretis; ager enim est mundus. *Et universæ bestiæ saltus*, id est omnes maligni spiritus, qui morari consuevistis in populo paganorum. Et cur ab hujusmodi bestiis iste grex populi Judæorum præcipue devorandus esset, ostenditur, cum protinus additur :

VERS. 10. — « Speculatores ejus cæci omnes, universi canes muti non valentes latrare. »

Speculatores enim vocantur sacerdotes, qui in eminentiori loco positi vigilanti cautela debent conspicere, et adventus inimicorum spiritualium a longe prævidere, ac subjectis prænuntiare. Sed *speculatores* Judææ *omnes cæci* sunt duces cæcorum. Et ipsi omnes nescierunt, quia Scripturarum intelligentiam amiserunt, et Christum ignoraverunt. *Canes* etiam dicuntur prædicatores, qui curam Dominicarum ovium gerunt, quia dum pro Domino suo diurnis et nocturnis vigiliis intenti clamant, quosdam, ut ita dicam, latratus prædicationis edunt. Sed *canes* Judaicæ gentis omnes sunt *muti*, *non valentes latrare*, quia invisibilibus bestiis gregem eorum devorantibus non valent contradicere, nec vocem prædicationis adversus insidias eorum emittere. De quibus et subditur :

« Videntes vana, dormientes et amantes somnia. »

Vana vident, quia carnalem intelligentiam in Scripturis considerant, et ea quæ nil prosunt, in eis aspiciunt sicut otia Sabbatorum et manu factam in carne circumcisionem et cætera hujusmodi, quæ sunt umbra futurorum. Qui et dormiunt in negligentia et nocte cordis sui, atque diligunt *somnia*, nolentes unquam excutere torporem suum, ut ad lumen veritatis evigilent, sed phantasmata opinionum intelligentiæ suæ quasi nocturnas somniorum visiones semper intueri quærentes. Sed et dæmonum visionibus in somno delectantur. Sequitur :

Digitized by Google

VERS. 11.— « Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem. »

Sicut avidi canes absque omni verecundia parati sunt semper comedere : sic et isti, quos sub specie canum describit, non contra bestiarum incursus pro grege suo vigilant, sed famem suæ cupiditatis temporalibus lucris impudenter quærunt pascere. Sed nequeunt eam saturare, neque suo unquam satiantur errore. Sed hæc quæ sub metaphora speculatorum et canum locutus est, incipit jam explanare subdendo :

« Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum. »

VERS. 12. — Venite sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et erit sicut hodiè sic et cras et multo amplius. »

Quod enim dixerat : « Speculatores ejus cæci, » hoc exponit nunc dicens : « Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. » Et quod asseruerat, quia *canes impudentissimi nescierunt saturitatem*, hoc interpretatur dicens, quia *omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam. Pastores* quippe sunt, qui hoc susceperunt officium, ut verbo prædicationis pascant mentes hominum. Unde et per Jeremiam promisit nobis Dominus, dicens : « Dabo vobis pastores juxta cor meum, qui pascant vos scientia et doctrina (*Jer.* III, 15). » Sed pastores Judæorum *ignoraverunt intelligentiam* eloquii sacri, quia non venerunt ad eum qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit; qui morte calcata resurgens aperuit sensum discipulis suis, ut intelligerent Scripturas. *Declinaverunt omnes in viam suam*, propria commoda singuli quærentes, *et unusquisque ad avaritiam suam* declinavit *de primo usque ad novissimum* eorum, et sic declinantes dixerunt ad invicem.

« Venite sumamus vinum, et impleamur ebrietate, et sicut bene nobis est hodie, sic et cras erit et multo amplius. »

Nescierunt enim saturitatem, nec præterita voluptate satiantur, sed futuras delicias parant multo majores, quam quibus usi prius fuerant. Talibus namque delectabantur sacerdotes Judæorum, et talibus vacare volunt. « Amant enim primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis (*Matth.* XXIII, 16). » Unde non solum corporeo, sed et spiritali vino, id est mundana cupiditate et desiderio inanis gloriæ se debriant. Spiritaliter enim est ebrius, qui a sensu rationis est alienus. Cohortantur ergo se hujusmodi vinum de die in diem sumere, atque impleri *ebrietate*, dum sensum rectitudinis et sibi ipsis invicem depravant, atque hoc sibi exemplum vicissim tradunt, ut velint ambulare in stolis, et ament salutationes in foro, et devorent domos viduarum, simulantes longam orationem (*Matth.* VII, 14). Talia enim cupere quid est aliud quam ebrietas mentis? Sequitur :

CAPUT LVII.

VERS. 1. — « Justus perit, et nemo est, qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligat : a facie malitiæ collectus est justus. »

VERS. 2. — « Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua. »

Dominus Jesus locum passionis suæ designans ait, quia « non capit prophetam perire extra Jerusalem (*Luc.* XIII, 33). » Similiter et quod hic dicitur, quia *justus perit*, tale est ac si diceretur, quia Christus moritur. *Justus* ergo *perit* inter cæteros speculatores, quia Christus moritur inter scribas ac sacerdotes : *et nemo* ex illis *est, qui recogitet in corde suo*, quia nec postea resipuerunt. *Et viri misericordiæ*, id est fideles, qui in Judæa misericordiam consecuti fuerant, *colliguntur* inde, et ad regna cœlorum congregantur, *quia non est* ex Judæis, qui *intelligat*, idcirco eos inter se positos esse, ut illi fidem et morem eorum imitarentur. *A facie enim malitiæ collectus est justus*, id est ablatus est Christus, ne mala sæculi videret, sive propter malitiam hominum, quorum ipse peccata portavit, victor ascendit. *Veniat* ergo *pax* post persecutiones, quas ab eis justus iste pertulit injuste : *requiescat in cubili suo*, id est in mansione quietis æternæ justus : *ambulavit in directione sua*, id est qui vitam suam duxit in rectitudine sua.

Possunt etiam hæc de nonnullis intelligi, qui Christiano censentur vocabulo. « Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus (*Supra* LVI, 9). » Per *bestias agri* vitia sæculi, per *bestias saltus* iniquitates paganorum exprimuntur. Convocat ergo Dominus omnes bestias agri et omnes bestias saltus ad devorandum omnes, quibus vehementer irascitur, quia justo permittit judicio, ut universa sæculi vitia, et omnia paganitatis flagitia in nonnullos, qui Christiani dicuntur, irruant, quatenus more sæcularium atque gentilium vivant. Hoc enim est quod ait : « Nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem ejus, et erit in conculcationem, diruam maceriam ejus, et erit in direptionem (*Supra* V, 5). »

Idcirco autem facile devoratur populus sive grex iste, quia « speculatores ejus cæci omnes nescierunt, et universi canes ejus muti sunt non valentes latrare (*Supra* LVI, 10). Hoc enim de ineptis et reprobis solummodo sacerdotibus dicitur, qui etiam *mercenarii* vocantur. Itaque speculatores vineæ vel domus Domini sunt cæci et nescientes, quia sacerdotes quidem abundant in populo Dei, sed vix et omnibus illis quisquam invenitur, qui venientes tentationes prævidere sciat, et subjectis annuntiare. Et ipsi sunt *canes muti non valentes latrare*, quia qui gregem custodire debebant, et lupos abigere et latrare pro Domino, conticuerunt, eo quod non habuerint prædicationis scientiam. Sed, etsi doctus quispiam eorum in Scripturis fuerit, obsistit ei perversitas propriæ actionis, ne libere loqui valeat

Digitized by Google

bona, quæ novit, et contra bestiarum adventum, id est contra impugnationes vitiorum latrare.

Ipsi sunt « videntes vana, dormientes et amantes somnia (*ibid.*). » *Vana* enim sunt omnia temporalia, quoniam citius evanescunt, et ad nihilum tendunt. Unde scriptum est : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas (*Eccle.* I, 2). » Vident ergo mali speculatores vana et ignavi canes. Unde et dormiunt ipsi in hoc sæculo, nec ad divina mysteria vel ad custodiam gregis oculos suos aperiunt, sed *somnia diligentes*, id est ea quæ in præsenti vita velut in somnis habentur, non possunt famelicam ingluviem suam saturare : De talibus enim dormientibus et saturari nescientibus supradictum est, quia « sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit experrectus, vacua est anima ejus, et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, et anima ejus vacua est : sic erit multitudo omnium, qui dimicaverunt contra montem Sion (*Supra* XXIX, 8). » Nam inutiles sacerdotes dimicant contra montem Sion, quia religionem Ecclesiæ moribus impugnant et operibus, atque bonos insequuntur. Amant ergo *somnia*, id est honores et divitias hujus sæculi. Omnis enim potentia mundi hujus et gloria somnium est non veritas. Et comedunt, quia bonis temporalibus delectantur. Sed nesciunt saturitatem, quia mundanæ opes nunquam possunt humanæ mentis inopiam explere.

Vel ideo *saturitatem nescire* dicuntur, ut insatiabilis eorum avaritia demonstretur ; quoniam, sicut « impudentissimi canes » devorare semper bona quæ sibi dentur, quærunt. Et tam indoctus est grex populi Christianorum, ut ipsi *pastores* ignorent *intelligentiam*. Vix enim pastor Ecclesiæ jam inveniri potest, qui Scripturarum sanctarum intelligentiam habebat, sed « omnes in viam suam declinaverunt et unusquisque ad avaritiam suam (*Supra* LVI, 11). » « Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). » Quia enim a via Dei declinantes suas semitas sunt secuti, propterea ardent avaritia. Et hoc faciunt a summo pontifice usque ad novissimum præpositum Ecclesiæ. Adhortantur etiam se ad invicem sumere *vinum* mundanæ cupiditatis, et inebriari exterioribus curis, ut de spiritalibus et interioribus non cogitent. Quo contra in Proverbiis dicitur : « Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas (*Prov.* XXXI, 4). » Reges enim sunt rectores Ecclesiæ, qui hujusmodi vinum bibere non debent, ne mundanis sollicitudinibus inebriati secretum mentis amittant.

Vel immoderata et frequentia sacerdotum convivia denotantur hoc loco, qui percutiunt conservos, et manducant, et bibunt cum ebriosis. Sed dum isti de die in diem magis magisque bibunt, et inebriantur, *justus* quilibet *perit*, id est in afflictione moritur, *et nemo* ex istis *est*, *qui recogitet*, ex eo *in corde suo*, ut gloriam ejus mente pertractans vias ejus imitari velit. Petrus ad Gregorium (*Dial.* lib. III, c. 37) : « Quidnam, quæso, te esse existimas, quod boni quique subtrahuntur, et qui vivere ad multorum ædificationem poterant, aut penitus inveniri nequeunt, aut certe omnino rarescunt? » Ad quem Gregorius : « Malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur. Et cum mundi finis appropinquat, electi tolluntur, ne deteriora videant. Hinc etenim scriptum est : « Aperite, ut exeant qui conculcent eam, tollite de via lapides (*Jer.* L, 26). » Quo ergo mundi finis urget, eo necesse est, ut vivi lapides ad ædificium cœleste colligantur, quatenus Jerusalem nostra in mensuram suæ omnes constructionis excrescat. Nec tamen ita electos subtrahi credimus, ut solummodo perversi remaneant, quia nunquam peccatores ad lamentum pœnitentiæ redirent, si nulla essent bonorum exempla, quæ eorum mentem traherent. » Ubi autem nemo est, qui eos imitetur, ibi subtrahi citius de medio malorum non immerito creduntur. Hanc enim causam subtractionis eorum ostendit propheta dicens : « Justus perit, et nemo est, qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat. » Iniqui ergo dum sola temporalia appetunt, et quæ bona electos in æternum maneant, scire contemnunt, dum justorum afflictionem conspiciunt, et quæ sit afflictionis retributio, non agnoscunt, actionis suæ pedem in profundum porrigunt, quia a luce intelligentiæ sponte sua oculos claudunt. A facie enim malitiæ collectus est justus, quia raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam ejus. Veniat itaque pax justo properanter de medio iniquitatum educto, ut *requiescat in cubili suo*, id est in mansione sibi a Deo parata, qui tortitudinem humanæ pravitatis non est secutus, sed *ambulavit in directione sua*.

VERS. 3. — « Vos autem, » qui de eo recogitare non vultis, « accedite huc » ad judicium, ut, quod justum est, recipiatis, o filii auguratricis, ac semen adulteri et fornicariæ. »

Auguratrix enim erat plebs, cui Paulus dicebat : « Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis ? Dies observatis et menses et tempora et annos (*Galat.* IV, 9). » Erat et fornicaria, quæ post fidem in errores declinavit. Quæ et perversis dogmatibus suis filios genuit nequissimos, id est hæreticos ex patre *adultero*, id est diabolo. Quibus apte dicitur :

VERS. 4. — « Super quem lusistis, super quem dilatastis os, et ejecistis linguam. »

Luserunt quippe super Dominum, quem ignorabant hæretici, et dilataverunt *os suum*, ejeceruntque *linguam*, dum multifarie blasphemarent eum, et insanirent dictis suis adversus eum. Hoc quoque, quod subditur, congruit illis.

« Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax ? »

VERS. 5. — « Qui consolamini in diis subter omne

lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus subter eminentes petras? »

Scelesti enim sunt, qui mortes animarum quotidie operantur. *Semen mendax* sunt, qui se Christianos fatentur, sed ab omni Christianitate degenerant. Sed qui sunt dii eorum, nisi errores, quibus illi serviunt? Alterius vero naturæ est *lignum*, quod ubertate fertile est; alterius quod tantum abundat fronde foliorum. In nemoribus et lucis nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo fertiles arbores, sed oblectatione tantum ligna frondentia. Tales sunt hæresiarchæ, qui orationem suam verborum decore componunt, ut non convertant audientes a vitiis, sed delectent. Qui ergo se subdiderunt hæresiarchis, ut errores eorum colerent, hi *consolantur in diis subter omne lignum frondosum*. Qui et *parvulos* eisdem *diis* suis immolant, dum simplices et infirmos spiritaliter exstinguunt, ut suis erroribus applicentur.

Quid autem nomine torrentium nisi rapidus fluctus eloquentiæ eorum designatur? Et quid per *eminentes petras* nisi vel potestates sæculi hujus, vel prædicti hæresiarchæ? In partibus ergo torrentis *parvulos immolant subter eminentes petras* dum insipientium animas per facundiam suam interficiunt trahendo in errorem, protegentibus se mundanis potestatibus, vel errorum inventoribus auctoritatem sibi præbentibus. Deinde sceleratæ illi plebi dicitur :

VERS. 6. — « In partibus torrentis pars tua; hæc est sors tua. »

Nam quia torrens intelligitur impetuosus excursus hæreticæ disertitudinis, *in partibus torrentis pars ejus est*, quia elegit in doctrina hæreticorum manere. Et *hæc est sors ejus*, quia jam a sorte Catholicorum separata est et anathematizata. Quæ et *libamen* diis suis *effundit*, et *sacrificium offert*, dum in sacrilegio missas celebrat, vel dum ea facit in occulto, quæ turpe est etiam dicere. Non enim sacrificium Deo offerunt hæretici, sed suis erroribus. Unde et commotus ait : « Nunquid super his non indignabor? » Subaudi : omnibus, quæ te fecisse retuli.

VERS. 7. — *Posuit cubile suum* ista meretrix *super montem excelsum et sublimem*, dum mentem suam delectabiliter collocaret super quemlibet elatum principem hæresæos, ut in ipso requiesceret. Hæc contra eos dicta sunt, qui in hæreses declinant. Deinde nequissimæ multitudini perversorum hominum qui sunt in Ecclesia, vel unicuique tali animæ congruunt sequentia. Ait enim Dominus :

VERS. 8. — « Post ostium et retro postem posuisti memoriale tuum, quia juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum. »

Post ostium cordis *et retro postem* ejusdem interioris ostii *posuit memoriale* iniquitatis suæ anima, quæ licet foris perversas actiones deseruerit, intus tamen occultam malitiam in angulo cordis reservat. Et iuxta virum suum se discooperiens adulterum suscipit, quia cum sit Christo legitime conjuncta, aditum mentis suæ diabolo pandit. Unde Paulus : « Nolite locum dare diabolo (*Ephes.* IV, 27). » Sequitur :

« Dilatasti cubile tuum, pepigisti fœdus cum eis. » *Cubile* cordis sui dilatat anima, quæ Christum simul et diabolum vult in mente sua recipere. Sed hoc nullatenus fieri potest. « Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat (*supra.* XXVIII, 20). » *Fœdus* quoque paciscitur cum dæmonibus, quando suggestionibus eorum semper consentire decernit. Sequitur :

« Dilexisti stratum eorum manu aperta. »

Stratum eorum diligit anima *aperta manu*, quando cum eis mœchari desiderans actionem suam illis pandit, ut ad se libentius ingrediantur, non exspectans, ut illi prius ei mala suggerant : sed omnem suggestionem eorum prævenions malis actibus, et sic eorum suggestiones parata suscipere non jam in peccato suo erubescens, nec fornicationis suæ turpitudinem abscondens sed tota libertate peccans. Sequitur :

VERS. 9. — « Et ornasti te regio unguento, et multiplicasti pigmenta tua. »

Unguento regio se ornat, ut amatoribus suis placeat, quia ex eo, quod chrismate sancto ungitur, a malignis spiritibus avidius corrumpitur. *Et pigmenta* sua multiplicat, dum varios odores et multiplices delectationes facit. Sequitur :

« Misisti legatos tuos procul, et humiliata es usque ad inferos. »

Legatos mittit *procul* ad amatores suos, dum suæ pravitatis famam longe porrigens malignos ad se spiritus invitat. *Et* humiliatur *usque ad inferos*, dum mens ejus usque adeo inclinatur, ut in mala voluntate sit par dæmonibus. Vel utique *ad inferos*, per peccatum humiliatur, cum usque ad finem vitæ præsentis perseverat in malo. Unde et Job dicit : « Usque ad inferos peccatum illius (*Job.* XXIV, 19). » Peccatum quippe illius usque ad inferos est, qui peccare non desistit, donec in infernum descendat, id est donec vitam hanc pessime finiat. Vel *humiliata* est *usque ad inferos* hæc fornicaria non ea humilitate quæ in laudem est, sed qua Amnon sororem suam Thamar humiliavit (*II Reg.* XIII). Nec vera grandis est humilitas imo usque ad inferos præcipitatio de luce et culmine castitatis in tenebras lupanaris, imo in barathrum libidinum præcipitari. Sequitur :

VERS. 10. — « In multitudine viæ tuæ laborasti, non dixisti : Quiescam. »

In multitudine viæ suæ laborat, dum graves sustinet labores in variis actionibus, quas exercet. Unde et per Salomonem dicitur, quia « Deus dedit peccatori afflictionem et curam superfluam (*Eccl.* II, 26). » Sed tamen dum multipliciter laborat, non dicit : *Quiescam*, quia nullis potest laboribus frangi, ut a mundanis actionibus quiescere velit. Sequitur :

Digitized by Google

« Viam (186) manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. »

Vers. 11. — « Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns, mei oblita es. »

Viam manus, id est viam operationis suæ invenit, quando ea quæ vult agere, potest. Et propterea dum plenis horreis fiduciam habet in divitiis, rogare Deum negligit, ideoque *sollicita metuit* plurimos. Non enim potest dicere : « Dominus mihi adjutor est, ego despiciam inimicos meos (*Psal.* CLXXVII, 7). » Vel de eo *non* rogat, *pro quo sollicita* metuit, quia licet æternæ mortis supplicium formidet, non tamen ex corde precatur, ut evadat illud, dum a pravitatibus suis converti recusat. Nam, quomodo faciem suam ad Dominum in precibus levare poterit, nisi prius ea, de quibus ante illum erubescere potest, abjecerit ? Mentitur enim, si se orationem ad eum fundere simulat, quia nec etiam recordatur illius, donec in talibus perseverare non desistit. Neque cogitat, quia ille nunc taceat, dum nos inique agimus : et *quasi non* videre æstimatur, eo quod se vidisse non mox ostendit percutiens nos, dum adhuc judicium differt, ut ad pœnitentiam interim convertamur. De quo judicio subditur :

Vers. 12. — « Ego annuntiabo justitiam tuam, et opera tua non proderunt tibi. »

Vers. 13. — « Cum clamaveris, liberent te congregati tui : omnes eos auferet ventus, tollet aura. »

Annuntiabo, inquit, *justitiam tuam*, quam tu secuta es, id est injustitiam tuam cunctis in die illa manifestabo, *et opera tua tibi* tunc nil *proderunt*, in quibus *nunc* labores. *Cum* enim *clamaveris* ante januam thalami cum fatuis virginibus dicens : « Domine, Domine aperi nobis (*Matth.* XXV, 11), » liberent te, si possunt, amatores tui, qui undique congregabantur ad fornicandum tecum. Sed tunc *eos omnes auferet ventus* turbinis, et in abyssum præcipitabit. Hactenus multitudini pravorum Catholicorum vel unicuique hujusmodi animæ improperavit mala, quæ agit ; et nunc de electorum populo subjungitur :

« Quia autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, et possidebit montem sanctum meum. »

Plebs quidem fornicaria, quæ in amatoribus suis, id est immundis spiritibus confisa est, peribit. Sed quicunque *fiduciam Dei habet*, ipse salvabitur. In Deo enim confidit, quem conscientia bonorum operum in spei fiducia confirmat. Unde Joannes : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (*I Joan.* III, 21). » Qui ergo hanc fiduciam habet, *hæreditabit terram* perpetuæ stabilitatis, firmæque quietis, *et possidebit montem* beatæ celsitudinis. Sequitur :

Vers. 14. — « Et dicam : Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. »

Vers. 15. — « Quia hæc dicit Dominus excelsus et sublimis habitans æternitatem et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritum. »

Vers. 16. — « Non enim in sempiternum litigabo, neque in finem irascar. »

« *Dicam*, inquit : *viam facite* electis meis, o prædicatores. *Præbete* illis *iter*, o infideles, qui volebatis viam eorum obstruere. *Declinate de semita* eorum, o dæmones, nec eis obsistatis in calle rectitudinis, quo gradiuntur. Aut ita : *Viam facite* illis, o angeli, *præbete* eis *iter*, quo transeant, o dæmones, id est fugite de itinere eorum. *Declinate de semita*, o vitiorum turbæ, quæ solebatis meritis eorum occurrere, ut illi, qui præibant et cæcum increpabant. Et vos prædicatores vel angeli « auferte offendicula de via populi mei (*Luc.* XVIII, 39), » ut viam rectitudinis absque scrupulo carpant offensionis, et fiat, ut scriptum est : « Via justorum absque offendiculo (*Prov.* XV, 19). » Paulus omnino præcavere studuit, ne quod exemplum fratribus daret, unde scandalum offensionis sumi potuisset (*I Cor.* IX, 12). Similiter et cæteri boni procuratores Ecclesiæ fecerunt et faciunt.

Et ut Dominus populum suum crederetur sic honoraturus, addit : « Quia non in sempiternum litigabo, neque in finem irascar. » Quondam enim frequenter litigabat per prophetas cum populo Judæorum increpans iniquitates eorum, et irascebatur eis tradens eos in manus hostium. Sed *non in sempiternum* litigabit, *nec usque in finem* sæculi iratus est, quia per donum gratiæ mediatoris finita est jam ira et litigatio illa.

Excelsus autem *et sublimis* dicitur *Deus*, quia omnem sensum et intellectum exsuperat. Educit enim superessentialis divinitas et verbum et intellectum super omnia in obscuritatem, quia neque nomen illius essentiæ est, neque verbum, sed nimis exaltatur. Recte itaque dicitur *Deus excelsus et sublimis*. Æternitas vero definitur esse interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. Quod ex collatione temporalium clarius liquebit. Nam quidquid vivit in tempore, id est præsens, a præteritis in futura procedit, nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium possit amplecti, sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum vero jam perdidit, in hodierna quoque vita non amplius momento vivit. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud sicut humana anima sine fine vivat, nondum tamen tale est, ut æternum esse credatur. Non enim totum simul, infinitæ licet vitæ, spatium comprehendit, atque complectitur, sed futura nondum habuit, transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ totam plenitudinem pari-

(186) Alias, *vitam*.

Digitized by Google

ter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit, neque præteriti fluxerit, id est æternum esse, vel æternitatem jure inhabitare perhibetur. Itaque Deus *æternitatem* habitat, quia esse ejus totum est, et semper est, nescitque mutabilitatem quod neque cœpit unquam, neque aliquando cessabit, insuperabile quoddam ac sine fine existentiæ pelagus, nullis terminis, nullisque limitibus circumdatum, omnem supergrediens sensum, omne tempus atque omnem naturam.

Nomen quoque *ejus sanctum est.* Sanctitas enim est, quantum secundum nos dicendum, omni inquinatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas. Et ideo *nomen ejus sanctum* dicitur, quia valde superexcellentius quam intelligere mens ulla possit, est in eo supernaturalis munditiæ puritas, ita ut omnes, qui in hoc ejus nomine credunt, purificet atque sanctificet. « Qui et in excelso et in sancto habitat, quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1). » Pater enim est excelsum et sanctum habitaculum Filii sicut et Filius habitaculum Patris. Ait enim : « Quia ego in Patre, et Pater in me est (*Joan.* X, 38). » Similiter et Spiritus sanctus in Patre et Filio est. Sic igitur intelligamus, quod *in excelso et in sancto* Deus habitare dicitur, quia ipse sibi est excelsum et sanctum habitaculum, sicut et ipse est æternitas, quam inhabitat.

Potest et cor angelicorum spirituum intelligi hoc *excelsum et sanctum habitaculum*, in quo ipse habitat. Unde scriptum est : « Respice de sanctuario tuo, et de excelso cœlorum habitaculo (*Deut.* XXVI, 15). » Sed iste tam sublimis tam immensus non solum in excelso habitat, sed *et cum contrito et humili spiritu* misericorditer habitare dignatur, et « juxta est his, qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII, 19). » Qui propterea cum contrito et humili spiritu in homine habitat, *ut* gratia Spiritus sui *vivificet spiritum humilium et cor contritorum*, quia humilibus dat gratiam, et pœnitentes atque compunctos, qui per peccatum intrinsecus mortui fuerant, vivere facit, et ad amorem suum magis ac magis accendit. Hic itaque tam magnus et tam excelsus atque tam benignus *non in sempiternum* litigabit, ut olim cum Synagoga litigabat, sed resurgente Christo et ad cœlos revertente effundet de Spiritu suo super omnem carnem, ut jam non litiget vel irascatur, sed omnia per gratiam faciat. Unde et subdit :

« Quia Spiritus a facie mea egredietur, et flatus ego faciam. »

Spiritus enim egressus est a *facie Domini*, quando venit Paracletus, quem discipulis Christus a Patre misit Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. *Et flatus* fecit Dominus, quando spiritalia dona dedit hominibus. « Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis ejus (*Ephes.* IV, 7). » Qui et de spiritu humilium, cum se benigne vivificare dixerat, adjungit :

VERS. 17. — « Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, et percussi eum, abscondi (187) me ab eo, et indignatus sum : et abiit vagus in via cordis sui. »

VERS. 18. — « Vias (188) ejus vidi et dimisi eum, et reddidi consolationes ipsi, et lugentibus ejus. »

VERS. 19. — « Creavi fructum (189) labiorum pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dominus, et sanavi eum. »

Iniquitas *avaritiæ* humani spiritus fuit, quia gloriam sublimitatis in paradiso superbe cupivit, cum audisset a serpente : « Eritis sicut dii (*Gen.* III, 5). » *Iniquitas* quippe *avaritiæ* fuit, quia divinitatem sibi inconcessam ambiit. Et *propter* hanc *iniquitatem iratus* est Dominus, *et* percussit *eum*, *et* abscondit se *ab eo*, *et indignatus* est *ei*, et dimisit abire vagum *in via cordis sui*. Antea enim spiritus hominis tranquilla mentis stabilitate fruebatur intentus supernæ contemplationi, sed post innumeris motibus fluxa mutabilitate substratus est. Nam cum stare animus in semetipso nititur, a se ipso aliquo modo etiam nesciendo derivatur, et ab unaquaque re, cui intenditur, fastidio impellente removetur. Sed dum inaniter cogitanda fastidit, docet, quod aliunde pendet, qui quolibet positus, non requiescit. Ad illum quippe suspensus est, a quo creatus. Et quia ad Deum solum appetendum creatus est, omne autem quod infra appetit, minus est, jure ei non sufficit, quidquid Deus non est. Graviter ergo percussus est, quia unum, quem sufficienter habere poterat, amisit, et huc illucque per multa spargitur.

Percussit namque eum, ut dictum est, Dominus, intimam sanitatem ei auferens, et abscondit *ab eo* faciem suam præclaram, pulchritudinem suæ visionis illi subtrahens. Qui repulsus ab intimis *abiit foras vagus in via cordis sui* sequendo concupiscentias suas. *Vias* cogitationum *ejus* vidit Dominus, quia deserebat invisibilia et appetebat visibilia, et justo judicio dimisit *eum* secundum desideria cordis ejus. Abiit *vagus in via cordis sui*, quia levi mobilitate cogitationum ductus est. Grave autem consilium cordis omnem inconstantiam vagationis expellit, ut ab intentione Dei non jam leviter dissiliat, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistat. Et quoniam sunt animæ, quæ levi motu nunc ista, nunc illa desiderant, omnipotens Deus, quia ipsas leves fluctuationes non leviter pensat, vagationem cordis relinquendo dijudicat. Sed, cum per gratiam respicit, vagam mentem in consilii stabilitate figit. Unde subdit :

Et reduxi eum, quia cum leves motus animæ misericorditer dignatur aspicere, hanc protinus ad constantiæ maturitatem format. Itaque spiritum hominis ob superbiam Deus in initio percutiens dimi-

(187) Alias, *Abscondi a te faciem meam*, etc.

(188) Alias, *Vias ejus vidi, et sanavi eum, et reduxi eum, et reddidi*, etc.

(189) Alias, *Fructum labiorum pacem, pacem ei*, etc.

Digitized by Google

sit vagum *in via cordis sui*, ut amissa mentis stabilitate vagis motibus per varia desideria longe ab eo foras iret. Nam propterea exivit ab eo, quia superbus erat et visibilia sequebatur. Revertetur autem, si humiliatus confugerit intus ad protectionem illius, et appetierit ea quæ intus sunt. Etenim intrare intro appetere intima est, exire foris appetere.

Reduxi, inquit, *eum, et reddidi consolationes ipsi.* Ut humilitate regrederetur ad illud dulce solatium vel secretum animi, quod est sine amaritudine malarum cogitationum. Hoc enim per donum gratiæ factum est eis, qui Spiritum sanctum acceperunt. Revocavit ad se pius Dominus servum suum, reduxit fugitivum, condonavit pœnitenti super errore suo, consolatusque est dolentem dans ei Paracletum consolatorum Spiritum. *Lugentes* vero ejus sunt, qui spiritum suum deflebant aut dellent a Deo percussum. Quibus *consolationes* Dominus reddidit, sanitatem mentis per medelam sancti Spiritus reformans eis. Creavit enim *fructum labiorum pacem*, id est instituit, ut « ore confessio fieret ad salutem (*Rom.* x, 10). » Fructus quippe labiorum fructuosa confessio oris est. Qui scilicet fructus est pax, quia dum confitemur peccata nostra, vel Christum coram hominibus, pacem cum Deo assequimur.

Et hæc pax « creata est ei, qui longe est, et qui prope (*Ephes.* II, 17), » id est Judaico et gentili populo. Dicit enim Paulus de Christo gentibus: « Quia veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem his, qui prope (*ibid.*), » id est Judæis. Ubi vero creavit fructum labiorum pacem, sanavit et spiritum humanum, quem percusserat, dum discors esset, quia per confessionem peccatorum nostrorum ejicimus languores intimos, et sanitatem interioris hominis recipimus. Hæc per Christi gratiam in toto orbe facta sunt, et fiunt. Sed electis pacem assequentibus, videamus, quid de reprobis dicatur. Sequitur:

VERS. 20. — « Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum. »

VERS. 21. — « Non est pax impiis, dicit Dominus. »

Impii sunt *quasi mare fervens*, quia sunt furore turbidi, rixis amari, elationis superbia tumidi, fraude, malitia obscuri, qui et rabie crudelitatis ferventes contra bonos sæviunt, *et redundant* perversorum operum *fluctibus in conculcationem et lutum*. Conculcantur enim ab electis fluctus tribulationum quas movent; et lutum est immunditia carnalium operum, quæ faciunt. Recte enim *mare* vocatur, sive mari comparatur amara inquietudo mentis iniquorum, qui dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi adversantes se inde collidunt. Recte mari, quod assidue fervet, assimilatur vita perversorum, quia dum procellosis actionibus concitatur, ab itinere sapientiæ, quiete ac stabilitate disjungitur. Unde *pax* eis esse denegatur, quia semper in cordibus suis turbulenti sunt et inquieti, secumque etiam sæpe rixantes. Venit enim Salvator, ut esset « in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14), » non autem malevolis. Ideoque pœnitentibus creavit *fructum labiorum pacem*. Sed *non est pax impiis*, quoniam bona voluntate carent. Hucusque voluminis hujus mensuram extendisse sufficit, ut ad finem hujus operis in alio pertingamus.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT LVIII.

VERS. 1. — « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. »

Hoc Dominus uniculque sacerdoti loquitur ostendens, quia præpositus Ecclesiæ nullatenus fieri debet, nisi qui doctrinam veritatis incessanter promulgare valet. Nam præconis officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam *vocem* clamoris daturus est præco mutus? Qui, etsi assidue prædicaverit, vix quantum debet, reddere poterit. Non enim ait Dominus: Clama post multos dies. Sed: *Clama, ne cesses*, ut incessanter insistat prædicationi. Et Paulus discipulis ait: « Quoniam per triennium die ac nocte non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum (*Act.* XX 31). » Et si Apostolus, ut se apud Deum absolveret, die noctuque verbum Domini prædicare non cessavit, quid de illis fiet, qui vix post multos dies commisso sibi gregi spiritalia pascua provident?

Debet etiam sicut *tuba* exaltare prædicator *vocem* suam, ut a multis audiri possit, et omnium mentes ad spiritale bellum excitet. Debet sicut *tuba vocem* exaltare, ut quomodo in finem sæculi ad vocem tubæ fiet resurrectio mortuorum, sic auditores prædicatoris a morte animæ suscitentur. Debet annuntiare *populo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum*, id est ut mala Ecclesiæ, quæ faciunt, manifestet illis, et redarguat. Unde alibi Dominus minatur eis, dicens: « Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 18). » Domus autem *Jacob* Ecclesia est, quia Christus, ut scriptum est, « regnabit in domo Jacob in æternum (*Luc.* I, 32). » Cur autem populo fidelium annuntianda sint peccata eorum subditur:

Digitized by Google

VERS. 2. — « Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt : quasi gens, quæ justitiam fecerit (190). »

De die in diem, ac si dicatur : Quotidie. Vel *de die in diem*, id est De luce in lucem, de intelligentia in intelligentiam quærunt me. *Et volunt scire vias* justitiæ, per quas ad me veniant, *quasi gens, quæ justitiam fecerit.* Qui enim jam cœpit facere justitiam, ille diligentius debet inquirere vias Dei, et qui minora, quæ nosse potuit, opere complevit, debet majora cognoscere, in quibus proficiat. Sequitur : *Rogant me judicia justitiæ*, id est interrogant me, ut notificem illis *judicia justitiæ* meæ, quibus aliorum actiones approbo, et aliorum improbo. Et *appropinquare Deo volunt* merito bonæ conversationis dicentes :

VERS. 3. — « Quare jejunavimus, » etc. Deus non aspicere dicitur, et non scire hoc quod non accipit, nec ei gratum est. Qui quare jejunium eorum et humiliationem non aspexerit, manifestat respondens illis : « Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra et omnes debitores vestros repetitis. »

VERS. 4. — « Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. »

Hoc, inquit, reprehensibile invenitur in jejunio vestro, quia dum jejunatis, perversam *voluntatem vestram sequi* non omittitis, cum non vestram, sed Dei voluntatem facere deberetis. *Et omnes debitores vestros repetitis.* Qui debitorem suum hoc quod dedit, repetit, nihil injustum agit. Sed dignum est, quisquis se in pœnitentia macerat, etiam hoc sibi, quod juste competit, interdicat. Sic enim nobis afflictis et pœnitentibus a Deo dimittitur, quod injuste egimus, si pro amore illius et hoc quod nobis juste competit, relaxamus. Abstinentes sollicite semper aspiciant, ne dum gulæ vitium fugiunt, acriora iis vitia quasi ex virtute generentur, ne cum carnem macerant, ad impatientiam erumpant, quia nulla est virtus, cum caro vincitur, si spiritus ab ira superatur. Aliquando autem dum mens abstinentium ab ira se deprimit, hanc quasi peregrina veniens lætitia corrumpit; et eo abstinentiæ domum deperit quo se a spiritalibus vitiis non custodit. Unde recte dicitur : « In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ. » Et item : « Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. » *Voluntas* quippe ad lætitiam pertinet : *lites et pugnus* ad iram. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur, si a pravis suis voluptatibus animus non refrenatur, si furgia non sopiantur. Unde et subditur :

« Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. »

In excelso quippe auditur *clamor* noster quando nos apud Deum accusat perversitas actionum nostrarum. De cujusmodi clamore dictum est : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est (*Gen.* XVIII, 20). » Vel auditur *in excelso clamor* noster, quando clamorem peccati angeli ad Deum de nobis deferunt. Sed frustra jejuniis affligimur, quandiu clamor de nobis sursum auditur. Rursus admonendi sunt abstinentes, ut abstinentiam suam et semper sine immutatione custodiant, et nunquam hanc apud occultum judicem eximiæ virtutis credant, ne fortasse si magni meriti esse creditur, cor in elationem sublevetur. Unde subditur :

VERS. 5. — « Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? »

Sed ut acceptabile sit jejunium dicitur inferius : « Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam (*infra* v, 7). » Qua in re pensandum est, virtus abstinentiæ quam parva aspicitur, quæ non ex virtutibus aliis commendatur. Ad hoc autem, quod dixerat : « Nunquid tale est jejunium, quod elegi? subnectit, dicens :

« Nunquid contorquere quasi circulum caput suum et saccum et cinerem sternere? »

Contorquere quasi circulum caput dicit nimium inclinare. Qui enim nimis caput humiliat, velut in modum circuli se ipsum curvat. Sed ita caput inclinare, et jacere in sacco et cinere non commendat jejunantem nisi et opera pietatis fecerit. Non enim quærit Deus afflictionem solam et humiliationem per injuriam corporis, ut instar circuli caput torqueat, qui corpus et colla submittat, nec ut sacco quis vestiatur, et in cinere dormiat. Unde et subditur :

« Nunquid istud *vocavi* jejunium et diem acceptabilem Domino? » Ubi autem Dominus jejunium, quod ipse non approbat, ostendit : quod jejunium sibi placeat manifestat, dicens :

VERS. 6. — « Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes : dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. »

Si quos in carcerem captivos colligasti, *dissolve* eos, quia istæ *colligationes* sunt *impietatis;* et *fasciculos*, quibus in captione suos quibusdam ponderibus onerare. Vel *colligationes* istæ et fasciculi sunt chartarum fasciculi, in quibus feneratorum calumniæ continentur et opprimuntur pauperes ære alieno. Si quem etiam injuste sacerdos excommunicaverit, cerno ibi colligationem *impietatis*. Si cui importabile onus immoderatæ pœnitentiæ imposuerit, video ibi *fasciculum deprimentem*. Si cujus mentem impietas colligaverit, considero ibi colligationem *impietatis*. Omnes ergo hujusmodi colligationes et fasciculos oportet solvi, ut jejunium fiat acceptabile. Sed et servi, qui senio *contracti* sunt, dimittantur jam liberi, *et omne onus* dirumpatur ab eis. Hæc enim omnia relaxare misericorditer debet, qui conscientiæ suæ vincula relaxari divinitus quærit. Et ut superna beneficia capiat, operetur, quod subditur :

VERS. 7. — « Frange esurienti panem tuum, et

(190) Alias, *fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit.*

Digitized by Google

egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. »

Id est carnem egentis proximi tui, quia *tua* est.

VERS. 8. — « Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. »

VERS. 9. — « Tunc invocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet : Ecce adsum. »

Tunc, inquit, quando hæc feceris, *erumpet quasi mane lumen tuum*, quia mox culpæ, quæ cor tuum obscurabat, discedet, et fulgor justitiæ illustrabit illud. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum*, quia tenebræ peccatorum te deserent, et justitiæ luce fulgesces. *Et citius veniet sanitas* animæ tuæ, quæ in peccatis languerat. *Et anteibit faciem tuam justitia tua*, quoniam ante te præmittes ad Deum bona opera tua, thesaurizans tibi thesauros in cœlo, ac deinde *gloria Domini colliget te*, cum audieris : « Intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv, 23). » Vel : « Percipite regnum (*ibid.* 34). » Cumque prædicta pietatis opera feceris, *tunc invocabis, et Dominus exaudiet*, quia citius exauditur oratio, quam boni operis meritum adjuvat. Nam qui Deum jubentem non vult exaudire, quomodo Deus orantem exaudiet? Ait enim : « Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis, quæ dico? » (*Luc.* vi, 46.) Qui ergo præcepta Domini libenter exaudit, id est facit, hujus preces Deus gratanter accipit, et clamanti in oratione respondet : *Ecce adsum*. Sequitur :

« Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, et loqui, quod non prodest. »

VERS. 10. — « Cum effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. »

In primis enim debes auferre *catenam de medio tui*, id est de corde tuo, ut omne vinculum peccati, quod mentem tuam constringit, abjicias. Dissolve enim de corde tuo colligationes impietatis, deinde soluto conscientiæ vinculo *desine* jam *digitum extendere, et loqui, quod non prodest*, et indisciplinatos motus et inutilia verba dimittas. In extensione enim digiti et locutione, quæ *non prodest*, vaga et indisciplinata manuum et linguæ notatur dissolutio. Exterior enim motus indicat, quod nulla interius boni consilii radice subsistat. Vel *digitum extendit et loquitur, quod non prodest* animæ suæ, qui singulos quasi digito notans detrahit eis. Ablata vero cordis catena, et compositis exteriorum membrorum motibus, debes jam inservire virtutibus scilicet *esurienti* misericorditer effundere *animam tuam*, et animi compassione piis operibus foras effundas adjuvando eum, in quibuscunque potueris, ex animo et bona voluntate, et afflictam egentis animam beneficiis eleemosynarum replere.

Et tunc *orietur in tenebris* vitæ præsentis *lux tua*, *et tenebræ tuæ erunt sicut meridies*, quia Dominus « educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem (*Psal.* xxxvi, 6). » *Orietur in tenebris lux tua*, quia in medio nationis pravæ et perversæ lucebis sicut luminare in mundo. *Et tenebræ tuæ erunt sicut meridies;* « Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 8). »

Vel appellatione tenebrarum designari potest vita futura, quia reprobi mittentur in tenebras exteriores. Unde Dominus ait : « Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Veniet nox, quando nemo potest operari (*Joan.* ix, 4). » Diem quippe vitam præsentem appellat, vel etiam se ipsum in hac vita; noctem vero spatium, quod huic vitæ succedit, quia tunc nemo valet operari. *Orietur* ergo *in tenebris lux tua*, quia in illo sæculo videbis lumen, quando peccatores tenebris erunt involuti. *Et tenebræ tuæ sicut meridies erunt*, quia claritate lucidissima circumdaberis.

VERS. 11. — « Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper. »

Qui introducet te in requiem suam, ut cum eo requiescas; et cum egressa fuerit de corpore anima tua, *et implebit* eam *splendoribus* æternæ lucis, *et ossa tua liberabit* de interitu et igne perpetuo in fine sæculi, quando corpus tuum suscitabit, « et exsultabunt ossa humiliata (*Psal.* l, 10). » Sed quid interim per divinam gratiam assequeris, subditur :

« Et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. » *Eris quasi hortus irriguus*, quia cœlestis gratiæ rivulis perfusus virtutum flores et opera virentia semper habebis. *Et sicut fons aquarum* indeficientium, dicente Domino : « Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* iv, 13). » Sequitur :

VERS. 12. — « Et ædificabuntur in te deserta sæculorum; fundamenta generationis et generationis suscitabis. »

Deserta sæculorum sunt dicta et exempla patrum antiquorum, quæ jam olim a sæcularibus hominibus derelicta sunt. Sed *in te ædificabuntur*, cum sanctorum Patrum dicta et facta in ædificio conversationis tuæ posueris. *Fundamenta* vero *generationis et generationis* prophetæ sunt et apostoli. Unde dicitur credentibus : « Quoniam estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II, 19). » Quæ scilicet fundamenta quodammodo jacent in infimis apud illos, qui ea negligunt, et præcepta moresque eorum in suis operibus non extollunt. Sed tu ea *suscitabis* in te ipso, quando in fabrica vitæ tuæ ea eriges. Sequitur :

« Et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem. »

Ædificator sepium vocaberis, quia sepes vitæ ædificabis, cum desideria carnis coercens illicitas eorum vias obstruxeris. Sepes circumdabis vineæ

Digitized by Google

Dei, quæ est anima tua vel Ecclesia, ut omnium bestiarum in eam prohibeantur accessus. Et *semitas* avertes *in quietem*, cum sæculi actiones deserens tranquilla mente Deo soli servieris. *Semitas* avertes *in quietem*, ut nequaquam ira Dei desæviat, sed placatus sit tibi Dominus, et omnes indignationis ejus semitæ conquiescant. Vel sepes ædificabis, et *semitas* avertes *in quietem* si amore religionis undique tibi aditus obstruxeris, ut jam foris per diversa vagari desistas, et in loco tuo manens facias, quod scriptum est : « Vacate et videte, quoniam ego sum Deus (*Psal.* XLV, 11). » Unde et subditur :

VERS. 13. — « Si averteris a sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem. »

VERS. 14. — « Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui. »

Sabbatum electorum est, ut actiones sæculi fugiant, ne in eis involvantur peccato, sed liberi Deo vacare valeant. Et hoc Sabbatum est Sanctus dies Domini, quia tranquilla vita religiosorum est sancta et clara coram Deo. Ab hoc igitur Sabbato averte *pedem tuum facere voluntatem tuam in* hoc *die sancto Dei*, ne foras ad actiones mundanas, ut voluntatem tuam facias, egrediaris, qui Deo intus vacare elegisti, sed « a voluntatibus tuis avertere (*Eccli.* XVIII 30), » ne sanctæ quietis sabbatum violes. Et *voca Sabbatum delicatum et sanctum Domini gloriosum*, atque *glorifica eum non faciens vias tuas. Delicatum* enim, id est subtile debes vocare illud, ne Judaico sensu loquaris de eo putans ab omni opere illicito cessandum, sed etiam ab omni appetitu mundanarum rerum. Tunc namque est *delicatum Sabbatum*, cum mens ab omni labore cupiditatum quiescit. Magna enim requies mentis est nil concupiscentiæ sæcularis habere. Nam si ad terrena appetenda cor inhiat, tranquillum esse nullatenus potest, quia vel non habita concupiscit ut habeat, vel adepta metuit ne amittat. Si vero semel in appetitu cœlestium fortiter animus figitur, minus rerum temporalium perturbatione vexatur, quia velut in quodam secreto quiescit, et strepitum mundi non sentit. Ita ergo *delicatum* debes celebrare *Sabbatum et sanctum* Deum, id est Christum ejus *voca gloriosum* decantans nomen ejus; *et* glorifica *eum*, *dum non facis vias tuas*, id est actiones proprias, ut qui vias actionum tuarum pro ejus amore reliquisti, non sis otiosus, sed eum in te ipso glorificare studeas, ut secundum legem diem sabbati sanctifices. Diem quippe Sabbati sanctificat, qui ab illicitis quiescit, et ea quæ sancta sunt, agit.

Et glorifica *eum*, id est diem Sabbati, *dum non facis vias tuas*, ut qui a tuis actionibus et propriæ utilitatis operibus causa religionis quiescis, Sabbatum hujus sanctæ quietis glorifices dignis operibus justitiæ et sanctitatis. *Et non inveniatur voluntas tua, ut loquaris sermonem*, sed in hoc frange voluntatem tuam, ut non ad ejus arbitrium loquaris, atque silentium amore religionis custodi, ne forte delinquas in lingua tua. Et cum ita vixeris, *tunc delectaberis super Domino*, quia his sanctæ conversationis profectibus ad perfectam charitatem, quæ foras mittit timorem, pervenies, ut omnia hæc jam non ex necessitate, sed ex dilectione custodias, ut in amore Dei requiescas.

Et sustollam te super altitudines terræ, ut omnia, quæ apud homines alta sunt, transcendas. Quasi enim quædam inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abjectio, quæ ipsi quoque dilectores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. *Altitudines* vero *terræ* sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum. Quæ quisquis per ima desideria adhuc incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox, quam abjecta sint, cernitur, quæ alta videbantur. Nam, sicut cum montem quisque conscendit, eo paulisper cætera subterjacentia despicit, quo ad altiora amplius gressum tendit, ita qui in summis intentionem figere nititur, dum adnisu ipso nullam vitæ præsentis gloriam esse deprehendit, *super altitudines terræ* elevatur, et quod prius in infimis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit.

Et cibabo, inquit, *te hæreditate Jacob Patris tui*, quia cœlestium contemplatione, satiaberis. Sicut, qui fidem habet, filius Abrahæ vocabitur; ita qui supplantat vitia atque peccata filius *Jacob* dicitur, et cujus quis virtutem imitatur, hujus quoque filius appellatur. *Hæreditas* autem *Jacob* patria illa beatæ mansionis est, de qua per Ezechielem Dominus his, qui mortui sunt, electis promittit : « Ego aperiam tumulos vestros, et educam vos, de sepulcris, populus meus, et inducam vos in terram Israel (*Ezech.* XXXVII, 12). » Cibatur ergo *hæreditate Jacob*, qui mente patriam illam ingreditur et in contemplatione illius pascitur. Sed tunc plenarie justi omnes in illa hæreditate pascentur, quando « venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11). » Ut autem hæc omnia vir Deo plenus auctoritate robusta firmaret, subjecit : « Os enim Domini locutum est. » Neque enim a se ipso propheta dixit, sed Deo in se loquente cuncta protulit. Ostenditque hactenus cuilibet fidelium, quantum in virtutibus successum habiturus sit, si totus ad religionem conversus tota corde justitiam sectari studuerit. Post hæc plebem hanc carnalium, quæ per suas nequitias a Deo longe recessit, affatur, dicens :

CAPUT LIX.

VERS. 1. — « Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. »

Digitized by Google

VERS. 2. — Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. »

Putant enim nonnulli homines Deum alterius voluntatis vel potentiæ nunc esse, quam olim fuit, dum audiunt patres nostros citius in oratione exauditos, et se non exaudiri conspiciunt, patres de suis tribulationibus quantocius salvatos, vel ad æternam salutem perductos, se autem a diuturnis calamitatibus suis non salvari, neque perpetuam salutem posse adipisci. Quibus apte respondetur, quia *non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat*, sicut olim patres salvavit, si quis salvari dignus fuerit : *Neque aggravata est auris ejus*, ut modo, sicut quondam, non exaudiat, si fuerit qui exaudiri mereatur.

« Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et Deum vestrum. » Tollite ergo iniquitates de medio, et Deum vobis proximum ipsi fecistis. Idcirco enim tam cito Deus aderat precibus sanctorum Patrum, quia medius separans non erat inter eos et Deum. « Et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. » Quia peccatorum tenebris obscuratum est cor vestrum, ne serenum vultum bonitatis et gratiæ ejus queat videre, et ab ipso, quod petierit, obtinere. Sequitur :

VERS. 3. — « Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate : labia vestra locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur. »

Idcirco non estis digni, ut exaudiamini, quia *manus vestræ pollutæ sunt* humano *sanguine*, quem fudistis. Vel *sanguine*, id est peccato inquinatæ sunt manus vestræ ; *et digiti vestri* qualibet *iniquitate*, quam operati estis ; *et labia vestra* non solum otiosum sermonem, sed et *mendacium* protuleruut, quod est pejus, quia « os, quod mentitur, occidit animam (*Sap.* I, 11). » Quomodo ergo exaudiri poterit deprecatio oris, quod talia loqui consuevit, nisi prius pœnitentiam egerit ; adhuc autem de hujusmodi hominibus subditur :

VERS. 4. — « Non est, qui invocet justitiam, nec est qui judicet vere ; sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates. »

Non est quisquam ex hac multitudine pravorum, *qui invocet justitiam*, id est in corde suo justificari precetur. Ille enim, *justitiam invocat*, id est in se ipsum vocat, qui cor suum justitiæ habitaculum idoneum parat, et justitiam a Deo postulat. Sed nemo est in istis, qui hoc faciat. *Nec est qui judicet vere*, quia falso mentis judicio æternis temporalia præponunt. *Sed confidunt in nihilo*, id est in præsenti vita, in viribus suis, in equis, in armis et divitiis. Omnia enim hæc nihil sunt in comparatione cœlestium et æternorum. *Et loquuntur vanitates*, quia laudant temporalia vel proferunt otiosa verba et inania. Sequitur :

« Conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem. »

Conceperunt laborem, quia graviter in corde suo laboraverunt excogitantes, quomodo temporalia per fas et nefas acquirerent, et cæteros anteirent. *Et pepererunt iniquitatem* proferendo in operatione, quod intus conceperant. Sequitur :

VERS. 5. — « Ova aspidum ruperunt, et telas aranearum texuerunt, qui comederit de ovis eorum, morietur ; et quod confotum est, erumpet in regulum. »

Ova aspidum rumpuntur, quando malignorum spirituum consilia, quæ in cordibus pravorum latent, perversis operibus aperiuntur. *Telas* quoque *aranearum* texunt, quia pro hujus mundi concupiscentia temporalia quælibet faciunt. Quæ dum nulla stabilitate solidata sunt, aura procul dubio vitæ transeuntis pereunt. Bene autem dicitur : *Qui comederit de ovis eorum morietur*, quia qui immundorum spirituum consilia recipit, vitam in se animæ occidit. *Et quod confotum est, erumpet in regulum*, quia consilium maligni spiritus, quod corde tegitur, ad pœnam iniquitatum nutritur. *Regulus* namque serpentium rex dicitur : reproborum caput Antichristus. *Quod* ergo *confotum fuerit, in regulum erumpit*, quia qui in se nutrienda aspidum consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in corpus Antichristi accrescit. Sequitur :

VERS. 6. — « Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis ; opera eorum inutilia, et opus iniquitatis in manibus eorum. »

Telæ eorum non erunt in vestimentum, quia ex his, quæ operantur, non fiet indumentum animæ. *Neque operientur operibus suis*, sed nudi remanebunt, et confusione pleni. Nam quoniam æterna non quæruut, bona temporalia cum tempore amittunt ; et ante judicem nudi veniunt, quia vestem sibi bonorum operum texere noluerunt. Si enim nos apud Deum nostra opera quasi vestimentum non tegerent, nequaquam voce angelica diceretur : « Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et ne videant turpitudinem ejus (*Apoc.* XVI, 15). » Turpitudo enim nostra tunc cernitur, cum vita reprehensibilis ante justorum oculos in judicio nequaquam boni operis tegmine velatur. *Non* ergo *operientur* iniqui *operibus suis*, quoniam *opera eorum sunt inutilia*, dum pro temporali vita faciunt omnia. Sequitur :

VERS. 7. — « Pedes eorum ad malum currunt et festinant, ut effundant sanguinem innocentem ; cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas et contritio in viis eorum. »

VERS. 8. — « Viam pacis nescierunt, et non est judicium in gressibus eorum, semitæ eorum incurvatæ sunt eis : omnis, qui calcat in eas, ignorat pacem. »

Pedes eorum ad malum currunt et festinant, quia properant ut aliorum bona rapiant. *Et sanguinem innocentem effundunt*, quia illos injuste perimunt, quorum substantias rapiunt. *Cogitationes eorum inutiles*, quia nil de æternis bonis, sed de transitoriis assidue cogitant, et mala proximis in corde suo

Digitized by Google

machinantur. *Vastitas et contritio in viis eorum*, quia exercitibus congregatis regiones, per quas transeunt, vastant et conterunt.

Viam pacis nescierunt, quia quocunque pergunt, aliorum facultates invadunt. *Et non est judicium in gressibus eorum*, quia indiscrete super bonos et innocentes irruunt sicut super malos vel sibi adversantes. Aut certe *vastitas et contritio in viis eorum est*, quia dum turbulentas actiones incessanter insequuntur, omnis eorum requies tam intus quam foris vastatur et conteritur. *Viam pacis nescierunt*, quia Deo concordare in actionibus suis non noverunt. Ille enim *viam pacis* sectatur, qui a veritatis itinere in viam scandali non derivatur. Unde per Zachariam dicitur : « Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis (*Luc.* I, 79). » Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus, quando per illud actionis iter pergimus in quo ab auctoris nostri gratia non discordamus. Sed reprobi viam pacis nesciunt, quia pravitate voluntaria cæcati callem rectitudinis, qui divinæ voluntati concordat, ignorant. *Et non est judicium in gressibus eorum*, quia in his quæ faciunt, examen discretionis non habent. *Gressus* quippe eorum actiones sunt, quibus innituntur, et quasi passibus promoventur. Sed *non est judicium in gressibus eorum*, quoniam operationes suas examinare negligunt, dum suæ voluntatis libitum sequentes, quod sibi placet, faciunt sive bonum sive malum. *Semitæ eorum incurvatæ sunt eis*, quoniam terrena semper et infima sequuntur in operationibus, per quas incedunt. *Omnis qui calcat per eas, ignorat pacem.* Quia « quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituetur (*Jacob.*, IV, 4). » Sequitur :

VERS. 9. — « Propter hoc elongatum est a vobis Judicium recti examinis. »

« Animalis enim non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei ; spiritalis autem dijudicat omnia (*I Cor.* II, 14). » — « Et non apprehendet vos justitia, » quamdiu sic agetis, quia prius relinquenda est iniquitas, et post tribuatur vobis justitia. Post hoc populus Judæorum pœnitentiam acturus inducitur, cum protinus subditur.

« Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus. »

VERS. 10. — « Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus ; impegimus meridie quasi in tenebris, et in caliginosis quasi mortui. »

VERS. 11. — « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. »

Nam quia Redemptoris adventum diutius exspectaverunt, sed in adventu ejus *tenebras* infidelitatis incurrerunt, recte jam resipiscentes dicunt : « Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus. » Christus enim lux est mundi, et splendor paternæ gloriæ. Quem isti venturum prophetando sustinuerunt, sed venientem non cognoverunt, et quos ad spem aperuerunt mentis oculos, ad præsentiam lucis clauserunt, et lumen respuentes tenebras elegerunt. Qui et subdunt : *Palpavimus sicut cæci parietem.* Aperta enim miracula viderant, et adhuc eum quasi palpantes inquirebant, cum dicerent : « Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam (*Joan.* X, 24). » Ecce miraculorum lux ante oculos aderat, et tamen in cordibus suis tenebras offendentes adhuc inquirendo palpabant : Apertam enim jam januam lucis nolentes intrare credendo palpabant foris velut cæci parietem tentando. Unde et adjungunt :

« Impegimus meridie quasi in tenebris. » Dum enim divinæ virtutis miracula cernerent et tamen de ejus divinitate dubitarent, *in meridie tenebras* passi sunt, quia visum in ipso veritatis lumine perdiderunt. Insuper *in caliginosis impingebant quasi mortui*, dum visu cordis amisso offenderent in lapidem offensionis. Vel exspectaverunt *splendorem*, *et* ambulaverunt *in tenebris*, ita Scripturas sacras quasi parietem cæci palpantes, verba tantum earum, et folia, non fructum vel sensum, qui tenetur in litteris, quærentes. In toto enim orbe solis justitiæ splendore rutilante illi morantur in tenebris et infidelitatis errore. Sed pro his male gestis subjungunt de luctu pœnitentiæ suæ :

« Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. » Ursus enim vehementissime rugit, quando plangit ; columba vero pro cantu semper gemere consuevit. Sic et isti ad prælectionem Eliæ faciunt, et qui de cassa exspectatione sua consequenter addunt : « Exspectavimus judicium, et non est : salutem, et elongata est a nobis. » Diutissime enim in hac captivitate sua exspectaverunt, ut Deus causam eorum judicans liberaret eos, sed frustra ; et salutem ereptionis suæ præstolati sunt, sed elongata est ab eis. Et quare judicium et salutem non invenerunt, ostendunt subdendo :

VERS. 12. — « Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, et peccata nostra responderunt nobis. »

Nam ex quo Christum amiserunt, semper iniquitates iniquitatibus addiderunt. Quibus et *responderunt peccata* sua, quia secundum quod merebantur, receperunt. Sequitur :

« Quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus. »

VERS. 13. — « Peccare et mentiri contra Dominum. »

Ideo *multiplicatæ sunt iniquitates* eorum, *quia scelera* ipsorum sunt cum eis. *Scelera* vero eorum cum eis sunt, quia Christum, qui suo sanguine peccata solus lavit, amiserunt. « Impossibile est enim sanguine hircorum et taurorum auferri peccata (*Hebr.* XIII, 4). » Qui et peccaverunt, et mentiti sunt *contra Dominum*, quando falsis criminationibus accusaverunt eum, et occidi fecerunt. Sequitur :

Digitized by Google

« Et aversi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam et transgressionem. »

Aversi sunt, *ne* irent *post tergum Dei sui*, quia Christum sequi noluerunt in gratia evangelicæ novitatis, sed locuti sunt calumniam et transgressionem, dicentes : « Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit (*Joan.* IX, 16). » Vel : « Ecce homo vorax et potator vini, amicus publicanorum et peccatorum (*Matth.* XI, 19), » et his similia. Sed et illi aversi sunt, ne irent post tergum Dei sui, de quibus Joannes refert, quia « multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant (*Joan.* VI, 67). » Locuti sunt *calumniam et transgressionem*, quia cum audissent de corpore et sanguine ejus comedendo et bibendo, dixerunt : « Durus est hic sermo, quis potest eum audire? (*ibid.*) » Sequitur :

« Concepimus et locuti sumus de corde nostro verba mendacii. »

Dum Salvatorem accusare quærerent, multa *verba mendacii* conceperunt *et locuti* sunt, et hoc fecerunt *de corde* suo. « De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria (*Matth.* XV, 19). » Vel *conceperunt de corde et locuti sunt mendacia* contemnentes legem Dei, et sequentes traditiones, quas in suo corde simulaverunt. Sequitur :

VERS. 14. — « Et conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi. »

VERS. 15. — « Et facta est veritas in oblivionem, et qui recessit a malo, prædæ patuit. »

Conversum est retrorsum judicium, quia principes sacerdotum ac scribæ et seniores, qui juste judicare deberent, sine judicio condemnaverunt Christum reum esse mortis. Et omnis tunc *justitia longe stetit* ab eis, cum per invidiam traderent eum. *Corruit enim veritas in platea*, quæ erat ante prætorium Pilati. In hac igitur platea corruit veritas, ubi reguavit Judæorum sola perversitas. *Æquitas* illuc *ingredi non potuit*, quia perfidia Judæorum nequaquam innocentem sed reum dimitti quæsivit. *Et* exinde *facta est* Judæis *veritas in oblivionem*, et populus credentium, *qui recessit a malo* perfidiæ eorum, *patuit prædæ* violentorum. Unde et laudari meruit ab Apostolo dicente : « Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere melioem et manentem substantiam (*Hebr.* X, 34). » Sequitur :

« Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. »

Displicuit ideo, *quia judicium non est* apud Judæos, dum Salvatorem injuste condemnant, vel in cæteris quæ deinceps faciunt. Sequitur :

VERS. 16. — « Et vidit Deus, quia non est vir; et aporiatus est, quia non est, qui occurrat. »

Non est vir in Judæis, id est probus et viriliter agens, sed omnes sunt vulgares et amentes, quia « omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (*Psal.* XIII, 3). Unde et non est, *qui occurrat* Deo, quia non est inter eos justus quisquam, qui divinam iram objectu suæ intercessionis ab illo populo dignus sit avertere. Aporiari vero laborare est, vel angustiari sive affligi, quia poros vocamus foramina cutis, quibus sudor egreditur. *Vidit* ergo *Deus, quia* in Judæis *non est vir; et aporiatus est*, id est laboravit; *quia non est, qui* sibi *occurrat*. Quasi enim labor et afflictio grandis est Deo, quando nullus orando animadversioni ejus obviat. Vel, sicut dictum est ante nos, aporia est contemptus vel privatio. Unde Apostolus : « Aporiamur, inquit, sed non destituimur (*II Cor.* IV, 8), id est contemnimur, et tanquam propriis lucris privamur. *Porion* enim Græce, Latine *lucrum* dicitur. Hinc aporiari dicimus contemni, et a propriis lucris privari; Deus enim *aporiatus est*, id est animarum lucra de Judæis amisit, *quia non est, qui occurrat* iræ ejus, et contemnitur ab eis. Sequitur :

« Et salvavit sibi brachium suum, et justitia ejus ipsa confirmavit eum. »

Salvavit sibi brachium, id est resuscitavit sibi Christum suum; *et justitia ejus*, quam habet contra Judæos, *ipsa confirmavit eum* a versus eos. Vel *justitia ejus*, id est justitia Christi *ipsa confirmavit eum* in regno. Unde ait Patri : « Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum (*Psal.* XL, 13). » Sed hæc de malis Catholicis libet intueri. Aiunt enim :

« Exspectavimus lumen, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus. » Plerumque enim pravi homines, dum per illicitas actiones quærunt assequi splendorem prosperitatis et honoris, inveniunt *tenebras* tribulationis et confusionis. Qui et subjiciunt : « Palpavimus sicut cæci parietem. » Palpant enim perversi *parietem ut cæci*, quia sæpe in proximis, dum bona opera conspiciunt, si qua mala lateant, investigant; et sollicitis inquisitionibus laborant, si quid forte, quod accusare possint, inveniant. Sana quidem membra conspiciunt, sed clausis oculis cordis vulnus palpantes quærunt. Et *impingunt meridie quasi in tenebris*, quia dies boni operis claret exterius, sed illi qui livoris sui tenebras intus tolerant, in luce quasi in nocte offendunt, quia dum bonum, quod vident accusare nequeunt, malum, quod non vident, ad accusationem quærunt; et quia hoc invenire nequeunt, *in meridie* boni operis offendentes impingunt. *Et in caliginosis oberrant quasi mortui*, quia tenebris suis ci cumdati, quo se magis vertere debeant, nesciunt, quoniam dilectionis vitam perdiderunt. « Nam qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus (*Joan.* II, 11). » — « Et qui non diligit, manet in morte (*Joan.* III, 14). » Sed quia et istos nonnunquam divina pietas ut mala sua defleant, respicit, recte

Digitized by Google

subjungunt. « Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus. »

Rursum quia diuturnis afflictionibus ob iniquitates suas plerumque deprimuntur, « Exspectavimus, inquit, judicium, et non est : salutem, et elongata est a nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates coram te, et peccata nostra responderunt nobis. » Exspectant enim *judicium* ereptionis suæ, *et non est : salutem* liberationis, et elongabitur ab eis, quoniam *peccata* sua *responderunt* eis afflictiones istas promittendo et reddendo. Qui adhuc confitentur, dicentes : « Quia scelera nostra nobiscum, et iniquitates nostras cognovimus, peccare et mentiri contra Dominum. » Scelera namque eorum cum eis sunt, quia veniam non merentur. Peccant enim assidue; et frequenter mentiuntur contra Dominum falso jurantes in nomine Domini. Sequitur :

« Et aversi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri; ut loqueremur calumniam, et transgressionem. » — « Qui dicit se in Christo manere, debet; sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan.* II, 6). » Sed falsi Christiani avertuntur *post tergum Domini*, quia vestigia ejus usque in finem non sequuntur, sed ad mundi concupiscentias revertuntur. Loquuntur enim *calumniam et transgressionem*, dum præpositos suos mandata divina transgredi calumniantur. Unde et subdunt : « Concepimus et locuti sumus de corde nostro verba mendacii. » Concipiunt enim sæpius, et loquuntur de corde suo verba mendacii etiam contra bonos.

Deinde : *Conversum est retrorsum judicium*, quia jam plerique homines potiora esse judicant carnalia quam spiritalia, terrena quam cœlestia. *Et justitia longe stetit*, quia procul eam a suis actionibus repulerunt. *Platea* vero nomen accepit a latitudine; quia πλάτος, *platos*, Græce *latitudo* dicitur. Et quid per plateam nisi qui latam viam sæculi incedunt, designantur? *Corruit* igitur *in plateis veritas*, quia dilectores sæculi calcant veritatem, et attollunt falsitatem. *Et æquitas non* potest hanc plateam *ingredi*; quam occupavit iniquitas. *Et facta est veritas in oblivionem*, quia pene nemo est, qui veritatis memor sit, sed omnes invicem mentiuntur sibi, ita ut nemo sciat, cui credere possit. *Et qui recessit a malo, patuit prædæ*, quia jam nemo est, qui innocentes contra violentiam raptorum defendat, qui bona eorum ita diripiunt, ut nec monachis nec eremitis jam parcant. « Et vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. » Dum nemo vult suas actiones dijudicare, sed voluntatem suam unusquisque sequitur.

Et vidit Deus, qui corda solus novit, *quia non est vir* in hoc populo carnalium; *et aporiatus est*, id est laboravit, sive damna pertulit, *quia non est, qui occurrat* ei pro plebe ista deprecans. *Et brachium suum salvavit sibi*, quia virtus sua, id est virtus Dei etiam sine intermissione *salvavit sibi*, quos voluit. *Et justitia ejus ipsa confirmavit eum* contra ceteros, ut nulla pietate flecteretur ad parcendum, sed ultionem de eis justam sumeret. Sequitur :

Vers. 17. — « Indutus est justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. »

Vers. 18. — « Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis. »

Si prædictus sermo fuit de Filio, ut diceretur, quia *brachium suum*, id est Filius *salvavit sibi*, quos voluit; consequenter nunc dicitur, quia ipse Filius ad judicium veniens *indutus est justitia ut lorica*, ut suos expugnet adversarios, quia undique circumdatus et munitus apparet justitia, cum a nulla parte possit injustus ostendi, ut cujusquam querelis valeat in aliquo feriri. Pateret enim ictibus querelarum eorum, qui pereunt, si ipse in aliqua parte videretur injustus, et peccatores ob injustitiam feriret. Sed undique justus apparet, cum ait : « Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? (*Supra* V, 4.) » *Justitia* ergo *indutus est*, quia omne quod debuit, fecit. Et hac justitia indutus est *ut lorica*, quia ita eum defendit propria justitia, ut pugnatorem lorica. Nam idcirco tunc nullus eum potest lædere, quia nullus eum valet in aliquo injustum demonstrare. *Et galea salutis in capite ejus*, quia desuper a Deo protegitur. *Indutus est vestimentis ultionis, et opertus quasi pallio zeli*, quia in tali habitu demonstratur forinsecus, ut cunctis ostendat se habere zelum indignationis, et ultionem venisse sumere de hostibus suis, et malorum vicem reddere inimicis suis. Sequitur :

« Insulis vicem reddet. »

Vers. 19. — « Et timebunt, qui ab occidente, nomen Domini; et qui ab oriente, gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit. »

Vers. 20. — « Et venerit Sion Redemptor, et eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob dicit Dominus. »

Non solum populo Judæorum et cæteris, qui prope sunt, sed et *insulis* gentium, qui procul sunt, *reddet* ipse *vicem* justæ retributionis. « Et timebunt hi, qui ab occidente sunt, nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, » quia « sicut fulgur exiit ab oriente et paret usque in occidentem; ita erit adventus Filii hominis (*Matth.* XXIV, 27). » Veniet enim Dominus *quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit*. Quia sicut rapidus torrens trahit, quidquid apprehendit; ita vis animadversionis illius omnes simul reprobos raptim in gehennam devolvet. Et idem *veniet Sion*, id est Ecclesiæ *Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob*, id est qui pœnitentiam agunt in populo Dei. Sequitur :

Vers. 21. — « Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus. »

Hoc est fœdus meum cum eis, qui ab iniquitate redeunt, ut non pereant cum reprobis, sed veniæ

Digitized by Google

eis sicut et justis Redemptor in die judicii. Ad Sion vero, id est ad Ecclesiam subditur :

« Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui (191), dicit Dominus amodo et usque in sempiternum. »

Sanctus enim *Spiritus*, qui in Ecclesia justorum est, *nunquam recedet* ab eis. Sic quippe Salvator promisit discipulis : « Ego, inquit, rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum (*Joan.* XIV, 16). » Sed et verba veritatis *quæ* Dominus *posuit in ore ejus, non recedent de ore* ejus, *et de ore seminis* illius, id est eorum, quos in Christo Jesu per Evangelium genuerat, quia prædicatio Ecclesiæ non deficiet usque in finem sæculi. *Amodo*, id est ex quo Spiritus est datus, et verba Dei posita sunt in ore Ecclesiæ, non deficient ea *usque in sempiternum*.

Vel ad Isaiam dicitur : « Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non deficient de ore tuo, » nec de ore filiorum ac nepotum tuorum, ut omnis per seriem generatio demonstretur, quod scilicet gratia prophetarum in apostolos veniat, et in cæteros, qui de Israel crediderint. Quod autem infert : *Amodo et usque in sempiternum*, juxta illud est : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt (*Matth.* XXIV, 35). » Sequitur :

CAPUT LX.

VERS. 1. — « Surge, illuminare (192), quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. »

Surge, inquit, tu Sion, id est Ecclesia, quia « hora est jam nos de somno surgere (*Rom.* XIII, 11). » *Et illuminare*, quoniam tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. *Illuminare* ergo, *quia venit lumen* Dominus Jesus, qui ait : « Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat (*Joan.* XII, 46). » *Et gloria Domini super te orta est;* quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre (*Joan.* I, 14). » Sequitur :

VERS. 2. — « Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos. »

In die judicii *tenebræ operient terram*, id est terrenos homines, *et caligo populos* reproborum, quia veniet dies Domini, quia prope est dies nubis et turbinis. « Super te autem orietur Dominus, » id est in splendore suo apparebit Dominus, sicut per Malachiam promisit. « Orietur, inquit, timentibus nomen meum sol justitiæ (*Malach.* IV, 2). » *Et gloria ejus in te videbitur*, « Cum venerit » juxta Apostolum, « glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt (*II Thess.* I, 10). » Sed in principio, quid faciendum esset, subjungitur :

(191) Vulg., *de ore tuo et de ore seminis.*

VERS. 3 — « Et ambulant gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. »

Gentes ambulabunt per viam rectitudinis et *in lumine* Evangelii, quo tu illuminaris. *Et in splendore ortus tui* ambulabunt reges, id est apostoli, qui fulgorem miraculorum Salvatoris a principio viderunt, et exordium nascentis Ecclesiæ. *Reges* enim sunt apostoli, qui rectores populorum sunt constituti. Sequitur :

VERS. 4. — « Leva in circuitu oculos tuos et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. »

Circumfer, inquit, *oculos tuos* in universas orbis partes, quia *omnes isti*, qui sunt in circuitu tuo, congregati sunt in ovile fidelium, et *venerunt tibi* in auxilium. Vel in die Pentecostes dici potuit primitivæ Ecclesiæ, quia isti, qui de universo orbe ad diem festum congregati sunt (*Act.* II, 5), *venerunt tibi*, quia sermonem apostolorum suscipiunt. Sequitur :

« Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. » *De longe*, id est de magnis iniquitatibus ut Jeremias admonet : « Qui fugistis gladium, venite, nolite stare, recordamini procul Deum, et Jerusalem ascendat super cor vestrum (*Jer.* LI, 50). » Gladium enim fugere est imminentem sententiam futuri judicii pœnitendo præcavere. Sed quisquis hunc gladium fugit, non debet stare, sed ad Christum merito bonæ actionis festinanter propinquare.

« Et filiæ tuæ de latere surgent. »

De latere Redemptoris in cruce pro nobis vulnerato, quia infirmi plus de humanitate ac passione ejus profectum capiunt, quam de divinitate cæterisque mysteriis. Unde talibus ait Apostolus : « Nihil me judicavi scire inter vos nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II, 2). » Vel *de latere*, id est de proximo, de minoribus peccatis surgent filiæ tuæ.

Et notandum quod *filii*, id est robusti dicuntur, qui *de longe veniunt;* et *filiæ*, id est imbecilles animæ, quæ *de latere surgunt*. Quia juxta sententiam Evangelicam ille debitor *plus* feneratorem « diligit, cui plus ab eo donatur : cui autem minus dimittitur, minus diligit (*Luc.* VII, 47). » Aut *de longe*, id est de remotis terris filii venturi dicuntur, et *de latere*, id est de proximis regionibus surrecturæ filiæ.

VERS. 5. — « Tunc videbis et affluES, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi. »

Quando conversa fuerit ad te multitudo maris hujus sæculi. *Fortitudo gentium venerit tibi*, ut omne quod in sæculo vel orbe terrarum est, tuum sit. *Tunc videbis*, quod earum conversione tibi promiseram; *et affluES* spiritalibus deliciis in modum fluminis inundantis : *et mirabitur cor tuum* super tanta rerum commutatione : *et dilatabitur*, cum videris eos ad amorem veritatis conversos. Sequitur :

VERS. 6. — « Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, et Epha. »

(192) Alias, *illuminare Jerusalem*, etc.

Digitized by Google

Quid per camelos nisi tortuosæ gentilium mentes A signantur? *Dromedarii* quoque cameli sunt veloces. Est enim genus camelorum minoris quidem naturæ, sed velocioris, unde et nomen accepit. Δρόμος *Dromus* enim Græce *cursus* et *velocitas* appellatur. Centum enim milliaria et amplius ferunt in uno die pergere. Madian vero dicitur *iniquitas*. Et quid per dromedarios *Madian* nisi gentiles tortuosi figurantur veloces in cursu perversæ actionis? Epha quoque *dissolutus* interpretatur. Et quis dissolutus erat nisi gentilis populus, qui nulla lege vinciebatur, sed male sibi dimissus erat? Dromedarii igitur Epha gentiles dicuntur, qui in illo populo noxia libertate dissoluto discurrebant vagi ad omnia mala, quæ volebant. *Inundatio* itaque *camelorum operuit* Ecclesiam atque *dromedarii Madian et Epha*, quia jam in hac plebe B fidelium non nisi conversa gentilitas cernitur. Tanta est enim multitudo gentium, qui crediderunt ad comparationem illorum, qui de circumcisione venerunt. De quibus adhuc subditur :

« Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. »

Saba *captivitas* vel *rete* dicitur. Per Saba Gentilitas vel infidelitas designatur, ubi genus humanum in retiaculo antiqui hostis captivum tenebatur. *Omnes* ergo *de Saba venerunt*, quia omnes gentes a Christo conversæ sunt. *Aurum* vero ad regis tributum pertinet, *thus* ad Dei sacrificium. *Aurum* ergo *et thus* gentiles ad Christum deferunt, cum in eo regiam Deitatem et divinam majestatem fatentur. Auro tamen religionis fulgor, et innocentiæ claritas exprimi C potest, quam in nigredinem culpæ conversam Jeremias doluit, cum diceret : « Quomodo obscuratum est aurum (*Thren.* IV, 1). » Thure autem, quod Deo incenditur, virtus orationis designatur, Psalmista dicente : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine (*Psal.* CXL, 2). » *Aurum* ergo gentiles deferunt, quando pretiosam vitam ducentes ad Christum properant, ut eum in regno suo videre valeant. *Thus* etiam deferunt, cum cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendunt, suave aliquid Deo per cœleste desiderium redoleant. Sed et laude Deum annuntiant, quia gloriam ejus cum cæteris prædicant. Sequitur :

VERS. 7. — « Omne pecus Cedar congregabitur D tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi, offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo. »

Cedar quidem *tenebræ*, Nabaioth vero dicitur *prophetia*. Et quid per *pecus tenebrarum* nisi gentiles figurantur, qui in tenebris ignorantiæ suæ nati similes erant brutis animalibus, dum ad cognoscendum Deum ratione non uterentur? Quid vero per *arietes prophetiæ* nisi Hebræi designantur, qui, dum velut animalia munda et domestica familiares essent Deo, Christum esse venturum per prophetiam præscierunt? Congregatur ergo Ecclesiæ *omne pecus Cedar*, cum universa gentilitas ad fidem adducitur ; et apostoli ministrant ei *arietes Nabaioth*, dum Judæos ad eam convertunt. Et hæc pecora Cedar vel arietes Nabaioth *offeruntur* Deo gratum servitium, id est sacrificium in *altari* fidei. Nam placabile altare Dei filjes est Jesu Christi quam juxta Apostolum « proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (*Rom.* III, 25). » In hoc altari offertur Deo omnis populus electorum, dum « exhibent corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placabilem (*Rom.* XII, 1) » Dumque mundus omnis a Christo convertitur, glorificat ipse *domum majestatis* suæ, id est Ecclesiam suam. Christus enim « tanquam filius est in domo sua, quæ domus sumus nos (*Hebr.* III, 3). »

Possumus autem *arietes Nabaioth*, id est prophetiæ specialiter apostolos intelligere, de quibus olim Propheta dixerat : « Afferte Domino filios arietum (*Psal* XXVIII, 1). » Et : « Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum (*Psal.* LXV, 15). » Qui ministrant Ecclesiæ juxta sermonem Domini dicentis : « Qui major est vestrum, erit minister vester (*Matth.* XXIII, 11). » De quibus admirando subjungitur :

VERS. 8. — « Qui sunt isti, qui ut nubes volant et quasi columbæ ad fenestras suas? »

Recte prædicatores Novi Testamenti nubibus assimilantur, quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui *volare ut nubes* dicti sunt, quia in terra viventes extra terram fuit omne quod egerunt. Unde per quamdam nubem dicitur : « In carne ambulantes non secundum carnem militamus (*II Cor.* X, 3). » Priores etenim patres conjugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curæ rei familiaris intendebant. Istos vero videns propheta terrena despicere, mente cœlestibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruscare, quos a terrenis contagiis et sancta cogitatio, et sublimis vita suspenderat, hos profecto volantes pariter et *nubes* appellat. *Fenestræ* autem nostræ sunt oculi, quia per ipsos anima respicit, quod exterius concupiscit. *Columba* est simplex animal, atque a malitia fellis alienum. *Quasi columbæ* ergo *ad fenestras suas* sunt, qui nihil in hoc mundo concupiscunt, qui omnia simpliciter aspiciunt, et in his quæ vident, rapacitatis studio non trahuntur. At contra milvus et non columba ad fenestras suas est, qui ad ea quæ oculis considerat, rapacitatis desiderio anhelat. Quia vero per istos mundus universus Deum erat cognituras apte mox subdit :

VERS. 9. — « Me etenim insulæ exspectant, et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe, argentum et aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui et sancto Israel, qui (193) glorificavit te. »

Mare namque turbida ac tumentia sæculi hujus volumina designat, in quibus pravi quilibet injuste delectati quasi profundis dediti pisces mente ad su-

(193) Alias, *quia*.

Digitized by Google

perna gaudia non intendunt. *Insulæ* autem diversæ gentes et provinciæ possunt accipi. *Naves maris* Ecclesiæ sunt, quæ per fluctus hujus sæculi ad portum salutis et stabilitatis, id est ad terram viventium tendunt. *Insulæ ergo et naves maris* exspectabant Dominum *in principio*, quia ut regiones et Ecclesiæ, quæ sunt in hoc mundo, fidem ejus susciperent, prius oportebat, ut ipse ad eas per prædicatores suos accederet. Venit igitur ad eas prior *ut filios* matris Ecclesiæ *de longe*, id est de Gentilitate, atque *argentum et aurum*, id est eloquentiam et sapientiam eorum naturalem, *cum eis nomini Domini adduceret*, ut Deo serviret facundia, et sensus eorum adjunctis supernæ aspirationis charismatibus. De quibus subditur :

VERS. 10. — « Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. »

Filii namque *peregrinorum* filii sunt infidelium ad fidem conversi. Qui *ædificant muros* Ecclesiæ, quia munimenta defensionum ejus et disciplinarum atque virtutum exstruunt verbo et opere. *Et reges eorum ministrant* ei, quia vix sub universo cœlo rex quisquam inveniri potest, qui non gaudeat Ecclesiæ servire. Sequitur :

« In indignatione mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui. »

Percussi tempore tribulationis, et post *misertus* gratiam tibi dedi. Vel afflictam olim, et captivitati traditam in populo Judæorum in vocatione gentium reconciliavi te mihi. Sequitur :

VERS. 11. — « Et aperientur portæ tuæ jugiter : die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, et reges earum adducantur. »

Portæ Ecclesiæ *die ac nocte* manent apertæ, quia *semper eos*, qui ad fidem intrare voluerunt, parata est Ecclesia recipere. *Non* enim clauduntur *portæ* ejus vel in *die*, id est in prosperitate, vel in *nocte*, id est in adversitate, sed sine intermissione patent omnibus, qui ad se confugerint. *Et reges* quoque *earum* simul *adducantur* ad Christum, ut adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei, *et afferatur* ad eam *fortitudo gentium* ad fidem confluentium. Sequitur :

VERS. 12. — « Gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur. »

Quæcunque *gens* vel *regnum* non vult *servire* Ecclesiæ, ut præceptis ejus obediat, sine dubio in æternum *peribit*. Sed et in præsenti multos infidelitas et inobedientia perire de terra facit. Et gentes, quæ in incredulitate perseverant, *devastantur*, ut in *solitudinem* redigantur. Sequitur :

VERS. 13. — « Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus, et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ, et locum pedum meorum glorificabo. »

Libanus templum Judæorum nonnunquam in Scripturis exprimere solet. Unde Zacharias, cum ejusdem templi combustionem probaret, ait : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas (*Zach.* XI, 1). » Valde enim inclytus et pulcher præ cæteris montibus est Libanus apte figurans illud quondam præ omnibus nobile templum. Sed jam diu est, ex quo templum illud est incensum, et *gloria* ejus ad Ecclesiam transiit. *Abies* vero, quia valde in altum crescit, sanctos designat, qui Paulum imitantes mente excedunt Deo. *Buxus*, quæ in altum non proficit, sed in omni tempore viriditatem retinet, humiles exprimit, quorum viriditas nunquam marcescit, dum bonitas ipsorum nunquam deficit. *Pinus* resina exuberat, et omni tempore fructum habet, semperque viridis cernitur, electos significans spiritali gratia redundantes, et immarcescibilem justitiæ vigorem habentes, ac semper boni operis fructus in se ipsis monstrantes. Has igitur pretiosas arbores pollicetur Dominus *ad ornandum locum sanctificationis* suæ, qui est Ecclesia. Nam extra Catholicam Ecclesiam non est locus divinæ sanctificationis. Sed *et pedum* ejus locus est eadem Ecclesia, in qua ipse stare et ambulare spiritaliter consuevit. De hoc autem sanctificationis et pedum loco alias dictum est : « Introibimus in tabernaculum ejus (*Psm.* CXXXI, 7). » Et : « Deus stetit in synagoga deorum (*Psal.* LXXXI, 1). » Et : « Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum (*Apoc.* II, 2). » Hunc ergo locum promittit ornandum et glorificandum, sicut jam factum cernimus. Sequitur :

VERS. 14. — « Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. »

Curvi, id est humiliati venerunt pœnitentes ad Ecclesiam, filii persecutorum, qui affligentes *humiliaverunt* eam. *et omnes qui* tempore persecutionis *detrahebant* ei, ubi pax data est, corruerunt ad pedes ejus veniam postulantes. Sequitur :

« Et vocabunt te civitatem Domini Sion sancti Israel. »

VERS. 15. — « Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat, qui per te transiret. »

Civitatem summi regis *Sion*, id est sanctam urbem Dei Israel vocaverunt eam, qui prius *reliquerant* eam, et a consortio suo separaverant habentes eam *odio*. *Nec* transibat quisquam eorum per eam, quia nemo ad illam dignabatur aspicere, super mores ejus incedere. Longe enim ab Ecclesia erat transitus actionis eorum. Sequitur :

« Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem. »

Superbia non tumorem elationis, sed libertatem ereptionis hoc loco significat. Nam et per Sapientiam dicitur de hujusmodi superbia : « Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia (*Prov.* VIII, 18). » Ait ergo : *Ponam te in superbiam sæculorum*, id est in auctoritatem erectionis, quæ in omnia sæcula permaneat; et ponam te *gaudium in generationem* hujus sæculi, *et generationem* futuri. Sequitur :

Digitized by Google

Vers. 16. — « Et suges lac gentium, et mamilla regum lactaberis; et scies quia ego Dominus salvans te, et Redemptor tuus fortis Jacob. »

Lac gentium suges, quando et ab ore gentilium ad fidem conversorum accipies verbum sacræ admonitionis. *Et mamilla regum lactaberis*, quia et a regibus dulce verbi poculum hauries, quo proficias, et nutriaris. Solent enim et pii reges populo Dei verba sacræ admonitionis edere. Cumque fides in tantum proficiet, ut a gentibus et regibus lac divinæ prædicationis sumas, tunc profecto *scies, quia ego sum Dominus salvans te, et Redemptor tuus fortis Jacob*, qui te redemit a cunctis tribulationibus, et reges, qui te persequebantur, feci nutritores tuos. Fortasse quis *reges* istos intelliget apostolos et prædicatores. Sed mihi major in hoc loco videtur promissio, si de regibus terrarum hanc acceperimus, præsertim cum sermo nunc sit de eo tempore, quo persecutiones quieverunt, et pax undique data est Ecclesiæ. Sequitur :

Vers. 17. — « Pro ære afferam aurum, et pro ferro afferam argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum. »

Cum dicitur : *Pro ære aurum et pro ferro afferam argentum*, æs et ferrum reprobatur. Bursumque cum additur : *Pro lignis afferam æs, et pro lapidibus ferrum*, æs et ferrum, quod reprobatur, aliter promittitur, quia quod reprobatur vel aufertur ad veterem vitam pertinet; et quod promittitur, ad novam. Per *æs*, quod valde sonorum est, prædicatorum sermo figuratur, qui dilectione carent. Unde dicit Apostolus : « Si linguis hominum loquar et angelorum (*I Cor.*, 13, 1), » etc. Et quia charitas, quæ cunctis virtutibus pretiosior est, per *aurum* designatur, auri nomine pretiosa sanctorum conversatio, in quibus charitas fulget, exprimitur. De talibus Jeremias : « Filii Sion inclyti amicti auro primo (*Thren.* IV, 2). » *Pro* ære Dominus *aurum* affert, cum pro his, qui sine charitate prædicabant, charitate ornatos dat Ecclesiæ doctores.

Quid vero per *ferrum* nisi hi qui semper *ferro* utuntur, ut cæteros feriant, exprimuntur? Et qui per *argentum* nisi illi, qui candore cœlestis eloquentiæ nitent? Nam Salomon ait : « Argentum electum labia justi (*Prov.* X, 20). » *Pro ferro* igitur Dominus *argentum affert*, cum pro iis, qui ferro et armis utebantur, eos Ecclesiæ largitur, qui sacris eloquiis apud proximos luceant. *Ligna* vento facile concutiuntur, et plerumque subvertuntur. Per hæc carnales et imbecilles designantur, qui cito moventur adversitatibus, et franguntur. Per *æs*, quod diutius illæsum a rubigine perdurat, fortissimam longanimitatem patientium demonstrat. *Pro lignis* ergo promittitur *æs*, id est pro infirmis et impatientibus fortes et longanimes. Quid vero *lapides* nisi duritiam et insensibilitatem cordis eorum exprimunt, qui in iniquitate duruerunt? Et *ferrum* fortes viri sunt, qui acutissimis linguarum gladiis peccantium corda transfigunt. Unde Job dicit : « Ferrum de terra tollitur, et lapis calore solutus in æs vertitur (*Job* XXVIII, 2). » *Ferrum de terra tollitur*, cum fortis propugnator Ecclesiæ a terrena, quam prius tenuit, actione separatur : *Et lapis calore solutus in æs vertitur*, quando durum cor et frigidum igne divini amoris liquatur, et ad veram fortitudinem commutatur, ut peccator, qui prius insensibilis exstiterat, postmodum per auctoritatem fortis, et per prædicationem sonorus fiat. *Pro lapidibus* itaque Dominus *ferrum affert*, cum pro his qui in malitia duri sunt ac frigidi, fortes et acutos dat Ecclesiæ prædicatores. Sequitur :

« Et ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. »

Antea per flagella correptionis Dominus visitavit Ecclesiam, sicut scriptum est : « Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (*Psal.* LXXXIII, 33). Sed nunc per *pacem* se pollicetur eam *visitare*, ut perseverantem pacem ei tribuat, et ad amorem suum per beneficia tranquillitatis vehementius eam accendat. Sed quia tempore pacis « omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur (*II Tim.* III, 12), » in novissimo die magis ponet Dominus *visitationem* Ecclesiæ *suæ pacem*, quando ipsa per adventum et visitationem ejus pacem sempiternam percipiet. *Præpositos* Ecclesiæ futuros promittit adeo justos, ut sit ipsa justitia, sicut cernimus, quia ferrum in igne fit ignis, quando vehementer inflammatur. Sed tunc verius erunt justitia præpositi ejus, quando ipsum justitiæ fontem cernentes fient ei similes, quia jam nullas in se reliquias injustitiæ vel minimas habebunt. Unde et subditur :

Vers. 18. — « Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis. »

In illa enim *terra* viventium, ubi tunc habitabit Ecclesia, nunquam *audietur iniquitas*, quia nullus jam e filiis ejus peccabit. Nec audietur *vastitas et contritio in terminis ejus*, quia incursus hostium nullus aderit, qui felicem illam regionem ab alia parte vastet et conterat. Sequitur :

« Et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. » *Muri* Ecclesiæ, qui nunc frequenter ab hostibus pulsantur, munimenta sunt virtutum. *Et portæ* ejus, in quibus nunc sæpe planctus auditur, sancti prædicatores sunt, qui in illam eos, qui ad fidem veniunt, introducunt, et eos lugent, qui pereunt. Sed tunc *muros ejus salus occupabit, et portas laudatio*, cum jam nullus impugnator erit, nullusque de numero justorum perire poterit, sed de sua salute gratias et laudes Conditori sine fine cantabit. Sequitur.

Vers. 19. — « Non erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. »

Vers. 20. — « Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia Dominus erit in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui. »

Digitized by Google

Sol et luna non illuminabunt amplius Ecclesiam, sed splendor vultus Creatoris, qui tunc, sicuti est, videbitur. « Civitas enim illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est agnus (*Apoc.* XXI, 23). » Cui civitati *Deus erit gloria*, quia « cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est (*I Joan.* III, 2). » Nam quicunque gloriam ejus viderint, similitudinem gloriæ ejus accipient. Hinc Paulus ait: « Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem gloriam transformamur (*II Cor.* III, 18). » Dictum etiam ad nos est, quia nec sol nec luna deinceps occasum petent, sed in locis, quibus creati sunt, sine fine manebunt, ne si ad occasum venerint, aliquid fortasse claritatis *his*, qui apud inferos damnati fuerunt, præbeant. Cum enim nox ultra non sit futura, sed perpetua dies; constat quia *sol ultra non occidet, nec luna minuetur* quoniam tunc « erit lux lunæ sicut lux solis et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum (*Supra.* XXX, 26). » Sed Ecclesiæ idcirco dicitur, quia *Sol ejus ultra non occidet, et luna ejus non minuetur*, quoniam ipsa jam sub sole non erit, nec lumine solis egebit, sed *Deus erit ei in lucem sempiternam*, ut splendore Creatoris in æternum perfruatur, et lumini creato non subjiciatur. Et cum ad hanc felicitatem pervenerit, *complebuntur*, id est finientibus *dies luctus* ejus, quia juxta Joannem « Neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra (*Apoc.* XXI, 4). » Sequitur:

VERS. 21. — « Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. »

Populus Ecclesiæ erunt *justi*, et omnes qui in illo populo fuerint, justi erunt omnesque *terram* perpetuæ stabilitatis et quietis in perpetuum *hæreditabunt*. Hos enim *germinavit* in Ecclesia *plantatio* cœlestis dexteræ. Quo contra de Pharisæis dictum est: « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur (*Matth.* XV, 13). » Hæc igitur plantatio justorum, quam Pater plantavit, nullatenus de terra viventium eradicari poterit, sed perpetualiter eam possidebit. Qui et *opus manus ejus* sunt, quia « ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* IX, 3). » « Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis (*Ephes.* II, 10). » Et hoc opus factum est *ad glorificandum*, quia ipse vasa misericordiæ præparavit ad gloriam. Vel ad se ipsum glorificandum fecit ipse hoc opus, id est justos. Sequitur:

VERS. 22. — « Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam. »

Minimus justorum *erit in mille*, quia unusquisque juxta modum suum consummatam perfectionem, id est perfectum numerum spiritalium virorum habebit. In millenario enim numero consummatio est. *Et parvulus in gentem fortissimam*, quia gentem virtutum proferet prævalentem genti vitiorum. Vel tunc qui in modico fidelis exstitit, super multa constituetur.

« Ego Dominus in tempore ejus subito faciam istud. »

Omne quod nunc promissi, *subito faciam* absque difficultate, cum venerit tempus, quo fieri debet. Nam quidquid degentium vocatione pollicitus est et temporali Ecclesiæ glorificatione, velociter implevit, ubi tempus advenit. Unde non est dubium, quin et ea, quæ de futura sanctorum beatitudine subjunxit, fideliter adimpleat, mox ut tempus adfuerit, quo se facturum ea promisit. Sequitur.

CAPUT LXI

VERS. 1. — « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunti ndum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem. »

VERS. 2. — « Ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro ut consolarer omnes lugentes. »

VERS. 3. — « Et ponerem fortitudinem (193*) lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

Trina tentatione diaboli superata, sicut refert Lucas: « Egressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo, et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, et surrexit legere, et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, *etc.* Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit, et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est Scriptura hæc in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius (*Luc.* IV, 4). »

Patet ergo, qui est qui loquitur: *Spiritus Domini super me.* Ille nimirum, qui *egressus est in virtute Spiritus in Galilæam.* Nam et superius in Evangelio legitur: Quia « descendit spiritus corporali specie sicut columba in ipsum (*Luc.* III, 22). » Quo scilicet Spiritu ipse est *unctus*, quia juxta Joannem *unxit eum Deus Spiritu suo* (*Luc.* IV, 18). » Quem « evangelizare pauperibus misit, vel annuntiare mansuetis (*ibid.*) » et humilibus: quoniam « ipse venit in Galilæam prædicans evangelium regni Dei et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei. Pœnitemini et credite Evangelio (*Marc.* I, 14). » Medetur enim confractis et *contritis corde*, dum desperatis spem tribuit, et pœnitentibus regna promittit, ut ad regnum Dei veniant. Confractos di-

193*) Nostra editio: *ut ponerem lugentibus Sion, et darem*, etc.

Digitized by Google

mittit in remissionem dum afflictis peccata relaxat; A et qui *captivus* a diabolo tenebatur, et a paradiso exsulabat remissionem ei captivitatis suæ prædicat, cum pœnitentiam ei agere præcipit, ut ad regnum Dei, quod appropinquavit, redeat. Cæcis visum annuntiat, cum eos, qui lumen cordis non habebant, luce suæ prædicationis illuminat. Vel *clausis* carcere cordis prædicat *apertionem*, quando præcipit illis peccatorum confessionem.

Annus Domini acceptus et *placabilis* est hoc tempus reconciliationis et gratiæ, in quo Deus omnes, qui ad pœnitentiam convertuntur, placatus recipit. Nemo igitur hunc *placabilem annum* transire sibi vacuum sinat, quia post veniet dies retributionis, et ultionis iniquitatum, quo retribuetur unicuique secundum opus ejus. Post vero per annum intelligit B multitudo redemptorum: quia sicut ex dierum multitudine annus dicitur, ita ex collectione bonorum omnium illa electorum innumerabilis universitas impletur. Hunc igitur annum perfectæ multitudinis Salvator annuntians ait : « Ut prædicarem annum placabilem Domini. » Annus enim placationis Domini prædicatur, cum plebs fidelium veritatis lumine illustranda denuntiatur.

Omnes quoque *lugentes consolari* missus est Dominus, quia lacrymas humilium promissione futuri gaudii benigne relevare dignatus est, dicens : « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* v, 5). — Ipsi enim sunt lugentes *Sion*, id est populum Dei, quia populum Dei a paradiso expulsum, et in C captivitatem præsentis exsilii miserabiliter a diabolo possessum deflebant. Quibus *fortitudinem* Dominus *posuit*, ut diabolum potenter vincerent, et populum Dei liberarent, dicens : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici (*Luc.* x, 19). »

« Et dedit eis coronam pro cinere. » Quia pro eo quod humiliati et mœrentes planxerant Sion, lætificavit eos de ejus ereptione. Solent enim cinere plangentes aspergi et gaudentes coronis ornari. Multitudo discipulorum vocatur gaudium et corona magistri, sicut ait Paulus his, quos Christo acquisiverat : « Gaudium meum et corona mea sic state in Domino charissimi (*Philip.* IV, 1). » *Coronam* ergo *dedi eis pro cinere*, quia gaudere feci eos de salute D conversorum, qui prius lugebant de perditione peccantium. Et *pro luctu dedit eis oleum gaudii*, id est gratiam Spiritus sancti, qui mentes, quas replet, ungit et lætificat. Sed et *pallium laudis*, id est hilaritatem mentis dedit illis *pro Spiritu mœroris*. Pallium enim laudis habitus est cordis laudes Deo gratulanter solventis. Sequitur :

« Et vocabuntur in ea fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. » *In ea*, id est in Sion, *vocabuntur* non illi qui peccato fortes sunt, sed qui *fortes* sunt ut operentur *justitiam*. Hi sunt *plantatio Domini*, id est a Domino in charitate radicati et fundati. Et hæc plantatio facta est *ad glorificandum*. Sequitur :

VERS. 4. — « Et ædificabuntur deserta a sæculo, et ruinas antiquas erigent, et instaurabunt civitates desertas et dissipatas in generatione et generationem. »

Viri fortes justitiæ in Sion ædificabunt *deserta*, id est ponent in ædificio Ecclesiæ gentes, quas Deus deseruerat ab initio, *et ruinas antiquas erigent*, id est quod antiquitus per Adam ceciderat, nunc per Christum resuscitabunt. *Et civitates*, quæ in antiqua et nova generatione, id est ante adventum Salvatoris desertæ erant a Domino, et dissipatæ in pravis actionibus, nunc *instaurabunt* in melius, quam in principio fuerant, ut Creatorem suum recognoscant, et compositis moribus ei fideliter serviant et inhabitentur ab eo. Has enim *civitates* possumus figuraliter accipere vel gentium collectiones vel humanas mentes. Dominus vero conversa locutione ad prædictos fortes justitiæ, id est ad sanctos prædicatores ex circumcisione venientes subjungit :

VERS. 5. — « Et stabunt alieni, et pascent pecora vestra, et filii peregrinorum agricolæ et vinitores vestri erunt. »

VERS. 7. — « Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri dicetur vobis : fortitudinem gentium comedetis, et in gloria earum superbietis. »

Alieni quippe et a Deo prius et a conversatione Israel erant gentiles. Qui postquam steterunt in fide, multi eorum prælati sunt Ecclesiis, *et pavserunt pecora* istorum fortium justitiæ, id est populos, quos ad fidem apostoli converterant. *Filii* quoque *peregrinorum* illi fuerunt, qui carnaliter ab infidelibus parentibus geniti deseruerunt errores eorum venientes ad Christum. Qui facti sunt *agricolæ et vinitores*, quoniam agrum Dei, qui est populus fidelium, et vineam, quæ est homo, frugibus sanctæ prædicationis excoluerunt. Apostoli vero *sacerdotes Domini*, id est sacra ei dantes cum magno honoris privilegio sunt vocati, et *ministri* ejus dicti, qui a ipsi defertur auctoritas, ipsisque dantibus et ministrantibus quidquid habet, suscepit Ecclesia. Unde et illud est, quod dicunt : « Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei (*I Cor.* IV, 1).

Qui et *fortitudinem gentium* comederunt, quia universam gentilitatem sibi incorporaverunt trajicientes in viscera Ecclesiæ. Specialiter tamen fortitudo *gentium* triumphus est martyrum. *Et in gloria earum* superbierunt, id est auctoritatem exsultationis et fiduciæ sumpserunt, dicentes : « Quæ est spes nostra, aut gaudium aut corona gloriæ nisi vos ante Dominum? » (*I Thess.* II, 19.) Deinde nisi fallor ad perfidos sacerdotes Judæorum, qui persecuti sunt apostolos, id est veros sacerdotes vertitur sermo, cum subditur :

VERS. 7. — « Pro confusione vestra duplici et rubore laudabunt, partem eorum : propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. »

Digitized by Google

Vers. 8. — « Quia ego Dominus diligens judicium et odio habens rapinam in holocausto. »

Cum enim justus Judex apparuerit examinans cogitationes et opera singulorum, tunc principes sacerdotum, qui præcipiebant apostolis ne loquerentur in nomine Jesu, et Pharisæi hypocritæ omnes simul reprobi *dupliciter confundentur*, et erubescent, scilicet intus et foris, et in conspectu assistentium et in conscientiis suis. Et econtra *laudabunt* omnes *partem* apostolorum atque fidelium, ut ex confusione partis inimicæ major appareat gloria partis electæ.

Vel apostolis adhuc dicitur, quia pro eo, quod *duplicem* habebatis *confusionem* tam super populo Judæorum, qui a Deo recesserat, quam super nationibus, quæ idolis serviebant, videbitis eos ad timorem Dei conversos laudare *partem* suam, id est Deum, quem soli elegerunt. Et sicut reprobi dupliciter confundentur, ita justi *in terra sua*, id est in regno cœlorum *duplicia possidebunt*, quia non solum animarum, sed et corporum beatitudine gaudebunt perpetua, et pro temporali tristitia *erit eis sempiterna lætitia. In terra sua duplicia possidebunt*, ut in ipsa quoque carne gaudeant, in qua pro Domino dolores et cruciatus pertulerunt. Nec mirum, si ista commutatio ab utraque parte fiat, ut reprobi, qui exsultant atque gloriantur, duplici tunc confusione teneantur, et electi, qui nunc tristes et abjecti sunt, duplicia bona possideant : *quia Dominus* noster *diligit judicium*, et quod justum est utrisque reddet. *Et rapinam detestatur in holocausto*, ut sacrificia Judæorum respuat, quæ illi ex rapinis et per fraudem acquisita afferebant, et omnes eleemosynas et oblationes, quæ fiunt ex rapto, reprobet, quoniam « qui offert sacrificium ex substantia pauperis quasi qui victimat filium in conspectu patris sui (*Eccli.* XXXIV, 24). »

De prædictis autem Novi Testamenti idoneis ministris subjunxit :

« Et dabo opus eorum in veritate, et fœdus perpetuum feriam eis. »

Dedit enim *opus eorum in veritate*, ut nequaquam, *sicut* in lege, fieret umbra veritatis, sed esset ipsa veritas. *Et fœdus* sive pactum *sempiternum* percussit eis, non quale pactum Moysi dederat, quod præteriit, sed pactum Evangelii, de quo loquitur : « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (*Matth.* XXIV, 35). » De quibus et subjicit :

Vers. 9. — « Et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes enim, qui viderint eos, cognoscent illos : quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. »

Hoc enim manifeste cernimus. Nam in omnibus populis et nationibus cognoscitur genus Christianorum, quod ab apostolis disseminatum est, et scitur quia benedictio Dei est super eos omnes. *Qui viderint eos*, prima fronte *cognoscent*, *quia semen sunt*, *cui benedixit Dominus*. Quis enim ex ordine vitæ, mansuetudine, continentia, hospitalitate, cæteris virtutibus non intelligat populum Dei? Adhuc autem Salvator loquitur, dicens :

Vers. 10. — « Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis. »

Se gavisurum *in Domino* et beatam animam suam *in Deo* exsultaturam dicit, quia æternaliter in Patre gaudebit sedens ad dexteram majestatis in excelsis. Et quare gaudebit in eo? *Quia induit me vestimento salutis*, id est misit eum in similitudinem carnis peccati, ut contra omnes vitiorum languores *indumento salutis*, id est sacrosancta carne munitus esset, ne ad interiora ejus tentatio diabolica penetraret. *Vestimento salutis*, ac sanitatis est indutus, quia nihil contradictionis, nihil vitii tentantis in assumpta carne toleravit, et *indumento justitiæ* circumdatus est, quia omnem justitiam et sanctitatem habuit in carne, qua se induit. Et hoc indumento circumdatus est sicut Sponsus Ecclesiæ decoratus corona sempiterni regni. Quia vero una persona est ipse et Ecclesia, circumdatus est et quasi sponsa. Etenim caput et corpus, sicut hic liquido monstratur, unus est Christus. Nam unus idemque, sicut hic cernimus, loquitur ; « Indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis ; » non quia sine corpore non est integer, sed quia nobiscum integer esse dignatus est, qui et sine nobis semper integer est. Nam quomodo corpus ejus nos, si non et nobiscum unus Christus? Se itaque dicit *sponsum* secundum caput, *sponsam* secundum corpus. Duo videntur, et unus est. Unde et corpori debet convenire, quod dictum est : « Gaudens gaudebo in Domino, » etc. Gaudebit enim totus et anima et carne quisquis electus in Domino, qui gaudere noluit in sæculo, cum mortale hoc induerit immortalitatem. Nam dum hic viveret, indutus est *vestimento salutis* in mente, *et indumento justitiæ* circumdatus est in actione. Cum enim vestimento induimur, ex omni parte circumdamur.

Igitur *vestimento salutis* induitur, quisquis a languore peccati per Dei gratiam undique custoditur : et *indumento justitiæ circumdatur*, qui undique bono opere protegitur, ut nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquat. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi unum latus operuit, aliud nudavit. Qui ergo undique in cunctis operibus suis justus est, hoc *indumento justitiæ* circumdatus est. Et tali veste induta est electorum Ecclesia, vel æterni Regis sponsa pretiosis virtutibus, quasi *monilibus* adornata, et in capite suo, quod est Christus, diademate regio decorata. Bene autem subnectitur :

Vers. 11. — « Sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat : sic Dominus Deus germinabit justitiam, et laudem coram universis gentibus. »

Digitized by Google

Nam *sicut terra germen suum*, ita fidelis anima *germen* bonæ cogitationis *profert* in opus. *Et sicut hortus semen suum germinat*, ita mens electorum susceptum semen divini verbi producit in fructum actionis, sed hoc facere *Deus* dicitur, quia ipse dat electis suis, ut hoc faciant. Atque ita justitiam recte vivendi et laudem prædicationis omnibus, quæ sub cœlo sunt, gentibus electi pronuntiant. Post hæc Isaias personam omnium prophetarum gerens loquitur :

CAPUT LXII.

VERS. 1. — « Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur. »

Sion namque et *Jerusalem* plebs fidelium dicta est. Propter quam instruendam Isaias non tacuit, neque quievit prophetare, *donec* egrederetur *ut splendor justus ejus*, id est Christus. Quia « omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt, et ex eo regnum Dei evangelizatur (*Luc.* XVI, 16). » Prophetæ enim silere cœperunt tempore Joannis, ubi evangelica prædicatio sumpsit exordium. Quo tempore *justus*, quem Sion exspectabat, *ut splendor* egressus est de utero Virginis, quia mox pastoribus nativitatem ejus cum magna claritate apparens angelus nuntiavit, et magi stellam in Oriente viderunt. *Et ut lampas* accensus est, quia lumine miraculorum et doctrinæ clarus mundo resplenduit, atque fugata obscuritate peccati humano generi gratiæ suæ lumen intulit. Non cessavit ergo propheta loqui *propter Sion, donec* egrederetur *ut splendor justus ejus*, quia necesse fuit, ut fideles illius temporis haberent propheticum sermonem, cui benefacientes intenderent quasi lucernæ lucentes in caliginoso loco, donec dies adventus Salvatoris illucesceret, et sol justitiæ mundum irradiaret. Post cujusmodi futurum splendorem apte subjecit propheta dicens ad Sion :

VERS. 2. — « Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum. »

Gentes enim *et reges* totius orbis *videbunt* eum, quia sicut lampas accendetur, ut omnibus resplendeat. Sequitur.

« Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. »

Nomen novum accipies, quia Christiana vocaberis. Sequitur.

VERS. 3. — « Et eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui. »

Quia te Christus possidebit, ut ex te coronetur in gloria sua, videlicet diademate regio. Chorus namque sanctorum omnium *corona* Christi erit in illo beatitudinis regno. Sequitur :

VERS. 4. — « Non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea, et terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te (194). »

Olim vocabatur Sion *derelicta*, quia dicebatur quod propter Adæ peccatum Deus plebem suam dereliquerat, quam a paradiso depellens luce visionis suæ privaverat. Cujus *terra* mens ejus intelligi potest secundum illud : « Anima mea sicut terra sine aqua tibi (*Psal.* CXLII, 6). » Quæ scilicet *terra* vocabatur *desolata*, quia dicebat non habere consolationem, dum non inveniret Redemptionem. Sed ubi invenerit redemptorem, *non* vocabitur *derelicta*, quia nunquam Relinquetur ab eo, qui ait : « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Sed extunc nomen ejus vocatum est : *Voluntas mea in ea*, quia Deus in plebe sua voluntatem suam fatetur esse, ex quo ipsa per Christi gratiam implere consuevit mandata ejus, quæ, dum auxilio gratiæ destituta esset, implere nequiverat. *Et terra* cordis ejus *non vocabitur amplius desolata*, sed vocabitur *habitata*, quia consolationem sancti Spiritus habebit, *et inhabitabitur* ab eo, qui ait : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » Et hoc ita fiet ; *quia complacuit in ea Domino*. Secundum beneplacitum gratiæ suæ quasi terram animæ ejus inhabitabit. Sequitur :

VERS. 5. — « Habitabit enim juvenis cum virgine, et habitabunt in te filii tui, et gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. »

Juvenis habitabit cum virgine, id est Joannes apostolus cum matre Domini. Et *filii* Sion habitaverunt in ea, id est Ecclesia ; multitudo videlicet erat illa, quorum « credentium cor unum et anima una (*Act.* IV, 32). » Et gavisus est *sponsus super sponsam*, Christus super Ecclesiam, cum eam crescere ubique cerneret, et in religione proficere. *Et gavisus est* super Sion, id est super plebem fidelium *Deus* ejus. Quia vero post hoc in singulis locis per totum orbem constituti sunt rectores Ecclesiæ, convenienter subditur :

VERS. 6. — « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte perpetuo non tacebunt. »

Muri quippe Jerusalem munitiones disciplinarum Ecclesiæ sunt. *Super* quos *muros* Dominus *custodes tota die et tota nocte constituit*, quia in congregationibus religiosorum præpositos ordinavit qui diu noctuque custodiant observantiam disciplinæ, ne sacræ institutionis muros subjecti transgrediantur. Qui *perpetuo non tacent*, quia continuis exhortationibus cives, qui intra muros civitatis hujus commorantur, ad suimet custodiam monent, et contra spiritalium inimicorum insidias sedulo cautos reddunt. Vel per diem prosperitatis et per noctem tempus adversitatis intelligi potest. Dominus igitur *super muros Jerusalem die ac nocte custodes* posuit, quoniam Ecclesiæ prælatos dedit, qui et in prosperis et in adversis religionis muros pervigiles observent, ne

(194) Ita uterque cod.

Digitized by Google

civitatem sanctam ex parte qualibet hostis irrumpat. Ubi apte subjungitur : « Qui reminiscimini Domini, ne taceatis. »

VERS. 7. — « Et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra. »

Illi enim reminiscuntur Domini, qui frequenter eum ante sui cordis oculos pia meditatione reducunt. Antequam vero sancta Ecclesia in tantam auctoritatem ubique veniret, multa patiebatur ab infidelibus. Unde nunc eos, qui reminiscebantur Domini, id est spiritales viros propheta commonuit, ne tacerent a clamore precum, quoniam « oportet semper orare, et non deficere, neque darent ei silentium (*Luc.* XVIII, 1), » sed voces orationum suarum in aures ejus instanter ederent, *donec* stabiliret *Jerusalem*, id est statum firmitatis daret fluctuanti Ecclesiæ, et poneret eam *laudem in terra*, id est in hoc mundo, ubi ipsa fuerat opprobrium et subsannatio. Sed et nobis adhuc præcipitur, si Domini pio desiderio reminiscimur, ne taceamus indefessis precibus ad eum clamare, donec Jerusalem nostram, quæ fluctuat in pelago sæculi hujus, ipse stabiliat in terra beatæ solitudinis, et ponat eam ibi laudem et gloriam. Quia vero his, qui novam vitam ducunt, loquitur Dominus, audiamus, quid et de illis, qui pertinaciter in vetustate consistunt, promittat. Sequitur :

VERS. 8. — « Juravit Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ : Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis, et si biberint alieni vinum tuum, in quo laborasti. »

VERS. 9. — « Quia qui congregabunt illud, comedent, et laudabunt Dominum : et qui comportabunt (195) illud, bibent in atriis sanctis meis. »

Juratio namque Dei immobilis assertio ejus est. *Dextera* vero et *brachium fortitudinis* ejus Christus ejus est, *triticum Sion* pabulum sanctæ intelligentiæ, *inimici Sion* Judæi persequentes Ecclesiam, *vinum* ejus spiritalis scientia est, quæ fidelium mentes lætificat et inebriat. Judæi quoque sunt *alieni*, qui dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israel, alienati sunt retrorsum. *Juravit* ergo *Dominus in dextera sua, et in brachio fortitudinis suæ*, id est immutabiliter sanxit in Christo, qui est virtus ejus, dicens : *Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis*, id est non dabo amplius sacram intelligentiam Judæis in *cibum* animæ, quia jam Scripturas ulterius non intelligent, ex quo Christum, qui solus intelligentiam earum aperit, reprobaverunt. *Et si biberint alieni vinum tuum*, id est non bibent ultra Judæi tuum spiritalem sensum, quo cœlitus inebriaris, ut mente excedas Deo, quia *qui triticum tuum*, id est sacri intellectus frugem ex latissimo divinorum eloquiorum campo *congregabunt*, *comedent illud ore* cordis, et laudabunt Dominum dicentes : « Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum (*Psal.* XV, 7). » Qui *vinum* spiritalis sensus ex vinea Scripturæ sanctæ comportant, botros sententiarum coadunando, *bibent* illud *in atriis sanctis meis*, id est in Ecclesiæ conventiculis, et distributis fidelium ordinibus.

Vel dæmones sunt *inimici et alieni*, qui *triticum et vinum* Judæorum *comederunt*, *et biberunt*, id est omnes fructus laboris eorum devoraverunt, dum illi inter Deum et idola fluctuarent. Ecclesiæ vero *triticum et vinum* hostes non rapiunt, quoniam ipsa soli Deo placere quærens ex operibus bonis labores manuum suarum comedet, ac Deum æterna laude sustollet, atque *in atriis* æternalium mansionum apud Patrem *bibet*. Nam quia in agro et in vinea laboramus, ut triticum et vinum colligamus, recte per vinum et triticum fructus supernæ remunerationis exprimitur, quem assequimur pro labore, quem in corpore ducimus. Deinde fidelibus Hebræis præcipitur :

VERS. 10. — « Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, et eligite lapides, et elevate signum ad populos. »

Transite, inquit, *per portas*, id est per jussionem apostolorum, quæ portæ sunt, exite gentibus prædicare. Vel eis, qui foris sunt, dici potest, ut *per portas transeant*, id est per doctrinam apostolorum ingrediantur Ecclesiam. *Præparate viam populo venienti*, id est præmonstrate gentili populo viam fidei, qua venitur in Ecclesiam. *Planum facite iter*, id est offendicula dissensionum, et scrupulos dubitationum tollite de via fidelium, et quidquid impedire potest gressum eorum, ut ad supernam habitationem properent. *Et eligite lapides* pretiosos ac vivos, ut quisquis sæculo renuntiaverit, inter sæculares non maneat, sed frequentias eorum declinet, et cohabitationes fugiat. Sive *elegite lapides*, id est omnem emollite duritiam de cordibus credentium, *et elevate signum* crucis ad omnes populos, ut universus exercitus militum Christi videat illud, et sequatur.

VERS. 11. — « Ecce Dominus auditum fecit » de nomine suo etiam illis gentibus, quæ sunt « in extremis terræ. » Sequitur :

« Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit : ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram ipso. »

Vos, inquit, o prædicatores, *dicite filiæ Sion*, id est Ecclesiæ de gentibus, quæ filia est primitivæ Ecclesiæ : Noli timere, noli deficere, quia *ecce venit* ad judicium *Salvator tuus*, qui te a cunctis tribulationibus eripiens salute perpetua donabit. Et *ecce merces ejus*, quam tibi reddet, *cum eo* est, *opus illius coram ipso*, id est homo, quem creavit, ante tribunal ejus stabit judicandus. Sequitur :

VERS. 12. — « Et vocabunt eos : Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis quæsita civitas, et non derelicta. »

Hebræos, qui crediderunt, vocamus ita, ut dicamus : Iste est *populus sanctus*, et in sanctitate nutritus, qui etiam *redempti* sunt *a Domino*. Ecclesia

(195) Alias, *comportant et congregant.*

Digitized by Google

vero de gentibus licet et ipsa populus sanctus vocari possit, tamen quia prius in squalore gentilitatis conversata est, non ita populus sanctus vocari consuevit, sed specialiter appellatur *civitas quæsita et non derelicta*, quoniam Salvator eam utpote perditam quæsivit, et inventam non dereliquit. Sequitur :

CAPUT LXIII.

VERS. 1. — Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ. »

Hoc in persona primorum dicitur angelorum de Christi ascensione mirantium. Nam cernentes eum de hoc mundo remeantem ad superos, mirantur ad invicem vel intra se dicentes : *Quis est iste, qui venit de Edom?* id est qui de hoc terreno sæculo huc ad nos ascendit? Edom quippe *terrenus* interpretatur. *Tinctis vestibus*, id est cruenta carne sanguine passionis. Bosra namque *tribulatio* dicitur, et vestimentum Domini corpus ejus est, quod sumpsit ex Virgine, nec tamen aliud indumentum ejus est, atque aliud ipse. Nam nostrum quoque vestimentum caro dicitur, sed tamen ipsi nos sumus caro, qua vestimur. *Iste formosus in stola sua*, id est nullam prorsus in assumpta humanitate peccati deformitatem habens, mira sanctitatis pulchritudine fulget in ea. *Gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, id est multiplici sua virtute gressum operationis suæ potenter agens.

Vel : *iste formosus in stola sua*, id est speciosus in carne glorificata per resurrectionem. *Gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, id est cœlum sua virtute petens. Sic apud se supernæ virtutes primo deliberant, ostendentes quia discunt, et divinam scientiam appetunt. Unde quia dixerant : *Quis est iste?* mox ipse Jesus appropinquans respondet eis, et docet eas dicens :

« Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. »

Ego, qui loquor justitiam, id est qui hoc quod justum est in terris doceo, videlicet ut omnes persuasiones seductoris respuant, et voluntatem Creatoris faciant. *Et propugnator sum ad salvandum*, quia pro salute hominum pugno in passione contra hostem antiquum. Quo audito virtutes angelicæ quasi accepta loquendi cum eo licentia interrogant :

VERS. 2. — « Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? »

Cum tantæ sis, inquiunt, potestatis et justitiæ, *quare ergo rubrum est indumentum tuum*, id est, cur tua caro cruentata est? *Et vestimenta tua sicut calcantium in torculari*, id est corpus tuum cur simile est cæteris morientium corporibus? Quibus ipse respondet?

VERS. 3. — « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi. »

Torcular calcavi solus, id est mortem, quæ cæteros deprimit, ego solus resurgendo *calcavi*. *Solus* enim *torcular*, in quo calcatus est, calcavit, quia sua potentia eam, quam pertulit passionem, vicit. Nam qui usque ad mortem crucis passus est, de morte cum gloria surrexit. Bene autem subdit : *Et de gentibus non est vir mecum*. Quia hi, pro quibus pati venerat, passionis ejus participes esse debebant. Qui pro eo quod illo tempore necdum crediderant, de ipsis in passione queritur, quorum vita illa passione quærebatur. Quia vero gentes universas, quæ ante salutarem hanc ejus passionem de hoc sæculo migraverunt, sine misericordia damnavit apud inferos, paucissimis ut Melchisedech et Job evadentibus, *calcavi*, inquit, *eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea*. Eos namque calcavit *in furore* suo, quos in infernum iratus demersit. Et de gentibus nunc est sermo ejus. Quoniam autem peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum, ut peccato mortui justitiæ vivamus, adjecit : *Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea*, id est maculæ peccatorum eorum super carnem meam : *omnia indumenta mea*, id est totum corpus meum alienorum sordibus peccatorum *inquinavi*. Non quia ipse contaminatus sit nostris iniquitatibus, sed quia omnium nostrorum delicta solus, ut deleret, accepit, et passiones atque contumelias et abjectiones, quæ eis debebantur, pertulit.

Possunt tamen per *gentes* designari adversariæ fortitudines, quas ipse conculcavit atque contrivit. Et dicitur *aspersus sanguis eorum super vestimenta* ejus, non quia dæmones sanguinem habeant, sed talibus verbis ostenditur pugnasse contra illos, atque vicisse illos et occidisse. Qui adhuc subjungit :

VERS. 4. « Dies enim ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. »

Quando patiebatur Salvator, prævidebat in corde suo diem *ultionis*, quo se per Titum et Vespasianum de suis persecutoribus Judæis vindicaret, et annum, quo eis retribueret, venientem cernebat. Unde et eadem passione sua imminente prædixit discipulis : « Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes, et qui in medio ejus, discedant, et qui in regionibus non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt (*Luc.* XXI, 20). »

Potest et dies judicii *dies ultionis* intelligi, *annusque retributionis* spatium illud perpetuitatis, quod erit post finem sæculi, in quo justam meritorum suorum retributionem quisque sentiet. *Dies* ergo *ultionis* est *in corde* ejus, quia ipse novit, quando dies judicii veniet. Sed huic sententiæ potest objici, quod alias scriptum est : « De die autem illa et hora nemo scit neque angeli in cœlo neque Filius nisi Pater (*Marc.* XIII, 32). » Cui scilicet objectioni respondendum est, quod usitata Scripturarum locutione dicitur Filius diem illam ignorare, quia facit

Digitized by Google

ut omnibus ignota sit. Neque enim Pater aliquid novit, quod Filius ignoret, quia Filius est sapientia Patris. Sequitur :

VERS. 5.— « Circumspexi, et non erat auxiliator, quæsivi, et non fuit qui adjuvaret. »

Dominus in medio persecutorum positus circumspexit, et adjutorem non vidit, quia « discipuli omnes relicto eo fugerunt (*Matth.* XXVI, 56), » licet auxilium ei afferre non possent, etiam si starent. Vel circumspexit in tota mundi latitudine, *et non erat auxiliator*, quia nullus erat qui eum ad quærendam salutem humani patiendo adjuvaret. Sequitur :

« Et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. »

Ego quidem, inquit, auxiliatorem non inveni, sed *brachium meum*, id est virtus mea non solum me liberavit, sed et omnes, quos volebam, *salvavit*. Et *salvavit* eos non sibi ipsi sed *mihi*, ut jam non sibi vivant, sed ipsi, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. Qui enim peccatorum suorum remissionem percepit, vel aliquod periculum evasit, sed tamen adhuc sibi vivit, nondum Christo salvatus est, sed sibi. Qui peccatorum suorum veniam adeptus jam reliquum vitæ suæ spatium Deo dedicat, iste non sibi sed Deo salvatus est. Et qui de aliquibus adversis, quæ propter peccata sua patiebatur, ereptus jam deinceps religiose vivit, hunc sibi Christus salvavit.

Sed quid est quod addit : *Et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi*, nisi quod de Judæis Apostolus dicit, quia « delictum eorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium? » (*Rom.* XI, 12.) Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, profecto ira Dei, quæ super eos est, adjuvit nostræ salutis effectum. *Auxiliata est* igitur ei *indignatio* ejus, quia per hoc magis salutem mundi operatus est, quod Judæis fuerat iratus. De quibus et subjicit :

VERS. 6. — « Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione mea, et detraxi in terram virtutem eorum. »

Conculcavit per Vespasianum et Titum *in furore suo populos* Judæorum, *et inebriavit eos* amaritudine tribulationum, atque *in terram* dejecit, omnem virtutem eorum confringens sub Romanis, ne jam ab hac humiliatione sua usque ad adventum Eliæ resurgere valeant. Vel indignatio ejus, quæ contra dæmones erat, *adjuvit* salutem nostram. Quos ipse conculcavit in furore suo, et detraxit in terram virtutem eorum, ut nos liberaret.

Post hæc vates ex sua et populi persona loquitur enarrans in se beneficia Dei, et duritiam cordis populi, ob quam et Jerusalem incendio et Israel captivitati traditus sit. Nam sequitur :

VERS. 7. — « Miserationum Domini recordabor, et laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudine bonorum domus (196) Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum. »

Pressus, inquit, pondere malorum, in nullo alio nisi in Dei misericordia spem habeo, qui facit misericordiam in millibus diligentibus se, et extendit clementiam his qui noverunt eum. Hoc autem non potest dicere nisi qui intelligit se juste sustinere quod patitur. Sequitur :

VERS. 8. — « Et dixit : Verumtamen populus meus filii non negantes, et factus est eis Salvator. »

Deus, qui justo judicio captivitati tradidit populum istum, austeritatem justitiæ clementia mitigans dixit : « Genui quidem filios, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me (*supra*, I, 12). » Verumtamen quia *populus meus* sunt, et semel filii nominati, non peribunt in perpetuum, si me spernere et negare desierint, sed sentient Salvatorem Christum meum, qui factus est ex semine David secundum carnem, si in eum crediderint. Sequitur de Domino :

VERS. 9. — « In omni tribulatione eorum non est tribulatus, et angelus faciei ejus salvavit eos. »

Quod apte potest intelligi secundum illud, quod Job ait : « Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentium rideat (*Job.* IX, 23). » Flagellabat enim Deus, quia humanum genus pro peccatis eorum affligebat. Sed tandem occidit semel, quia ut geminam mortem nostram animæ scilicet et carnis destrueret, Christum sola carne mori fecit. « Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel (*Rom.* VI, 10). » Neque de pœnis innocentium jam risit, quia dilectum Filium suum exhibuit participem tribulationum eorum. Nam quasi ridebat de pœnis eorum, dum eis affectum compassionis suæ non ostenderet in afflictione redemptionis ipsorum. Similiter et hic dicitur, quia *in omni tribulatione eorum non est tribulatus*, dum afflictionem eorum cerneret, et Redemptorem necdum mitteret. Nam quod de pœnis innocentium risisse dictus est, ait nunc propheta, quoniam *in omni tribulatione eorum non est tribulatus*. Sed tandem *Angelus faciei ejus*, id est Filius ab eo veniens *salvavit eos*, quia qui flagellabat, occidit semel. Sequitur :

« In dilectione sua et indulgentia sua redemit eos, et portavit eos, et levavit eos cunctis diebus sæculi. » *In dilectione et in indulgentia redemit eos* sanguine Filii sui. « Commendat enim charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V, 8), »—« in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ suæ (*Ephes.* I, 7). »

Et portavit atque levavit cunctis diebus sæculi, id est præsentis vitæ, « quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* CV, 1). » Vel de Ægypto redemit, id est liberavit eos, et patienter portavit mores

(196) Alias, *domui*.

Digitized by Google

eorum, atque sustentans levavit eos cunctis diebus ab initio sæculi. Sequitur :

VERS. 10. — « Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, et afflixerunt spiritum Sancti ejus : et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. »

Afflixerunt spiritum Sancti, id est animam Christi ejus, *et ipse debellavit eos* per Titum et Vespasianum. Sed quia temporibus Eliæ pristinam reddet ei gratiam, aperte subditur :

VERS. 11. — « Et recordatus est dierum sæculi Moysi et populi sui. »

Id est fœderis sui *recordatus est*, quod per Moysen pepigit cum eis, quando eduxit eos de terra Ægypti, ut esset Deus eorum. Quia vero interim non respicit eos, sed diutissimis calamitatibus per totum orbem dispersos affligi permittit, congrue propheta subjungit :

« Ubi est, qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? » id est cum Moyse et Aaron. Qui enim Pharaonem cum exercitu suo projecit in mare, nunc vindictam in oppressores eorum non facit. Sequitur :

« Ubi est, qui posuit in medio ejus spiritum Sancti ejus? » *Qui Spiritum Sancti*, id est Christi sui, quondam *posuit* in isto populo, nunc ei nullam ejusdem Spiritus gratiam dat. Sequitur :

VERS. 12. — « Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum. »

Subaudi, ubi est? Nihil enim simile nunc eis operatur, sed recessit ab eis, et abscondit faciem suam. *Qui eduxit ad dexteram Moysen.* Quia dexteram ejus spiritalem tenuit, cum educeret eum in virtutis suæ ductu de Ægypto. Et *aquas* maris *scidit ante eos*, ut mirabilium operum ejus memoria perenniter celebraretur. Sequitur :

VERS. 13. — « Qui eduxit per abyssos quasi equum in deserto non impingentem. »

VERS. 14. — « Quasi animal in campo descendens. »

Sicut equus absque obstaculo incedit libere per plana deserti, et quodlibet animal per amplitudinem campi, sic iste populus ducente Domino per profunda maris transivit. Sequitur :

« Spiritus Domini ductor ejus fuit. » Per mare et per desertum fuit *ductor ejus Spiritus Domini*, sed modo nullum ei ducatum præstat. Ut autem ad eos spiritus iste redeat, subjungunt pœnitentes, et Christo dicunt :

« Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. » Adduxit enim eos tot miraculis de Ægypto in terram promissionis, ut nomen ejus longe innotesceret, et glorificaretur. Qui et precando subjiciunt :

VERS. 15. — « Attende de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ. »

Jam enim in cœlo Filium hominis esse confitentur suppliciter et *in habitaculo gloriæ suæ*. Sequitur :

« Ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? Super me continuerunt se. » *Ubi est zelus tuus*, quo me sicut sponsam diligebas, et *fortitudo* qua de manu adversariorum me liberabas? Diutissime enim jam *continuisti super* me *multitudinem viscerum* dilectionis et misericordiarum tuarum, quia nullo affectu pietatis et compassionis erga me motus es, ut de tam longa captivitate me eriperes. Sequitur :

VERS. 16. — « Tu enim, Domine, Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos; tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a sæculo nomen tuum. »

Tu es *Pater noster*, quia *Abraham* vel Jacob, cujus nos esse filios jactabamus, *nescivit nos*, nec dignatus est filios agnoscere, quia te offendimus. *Tu* es *Pater noster*, quia creasti nos et dignatus es dicere : « Filius meus primogenitus Israel (*Jer.* XXXI, 9). » Tu *Redemptor noster*, quia sanguinem pro nobis fudisti. *A sæculo nomen tuum.* Quia in principio refert Moyses Deum singula quæque per Verbum suum, quod es tu, fecisse, quando dixit : « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I, 3), » cæteraque similiter verbo creavit. Sequitur :

VERS. 17. — « Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis : indurasti cor nostrum, ne timeremus te? »

Errare fecit eos *Dominus*, quia justo judicio deseruit eos in superbia sua, et lumen intelligentiæ abstulit eis. *Et induravit cor eorum*, quia gratiam suam, qua molliri possent, juste subtraxit. Domino enim cor eorum indurasse est a duritia liberare noluisse, sed eamdem duritiam crescere permisisse. Non igitur ad Deum, sed ad eos culpa refertur erroris et indurationis eorum, quia sic excæcari et indurari meruerunt. Quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt, ipso suo tumore erraverunt, et indurati sunt, ut « ignorantes justitiam Dei, et suam volentes statuere justitiæ Dei non essent subjecti (*Rom.* X, 3). » Hoc quippe est *errare* et non timere eum. Quicunque enim tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment tribuendum, ut negent sibi necessarium divinum adjutorium ad bene vivendum, errant profecto a viis mandatorum Domini, et indurato corde non timent eum. Sequitur :

« Convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ. »

Convertetur Dominus propter eos, quando gratiam suam rursum eis dare cœperit. Sequitur :

VERS. 18. — « Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum : hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. »

Capta Jerusalem *conculcaverunt* Romani *sanctificationem* templi, et *quasi nihilum possederunt* vilem populum istum dispergendo per omnia regna, captivum perimendo atque dehonestando. Sequitur :

VERS. 19. — « Facti sumus quasi in principio,

Digitized by Google

cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos. »

Ex quo Christum regem populus iste negavit, et dominium terreni atque alienigenæ imperatoris elegit, dicens : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15), » factus est *quasi in principio*, cum serviret Pharaoni et Ægyptiis, quia extunc habere Deum regem desiit, neque Deo jam sed hominibus servivit. Sed tandem per hanc piæ confessionis humilitatem ac lamentationem revertitur ad gratiam sui regis. Unde jam confidenter novissimum ejus adventum exoptat, dicens :

CAPUT LXIV.

VERS. 1. — « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent. »

VERS. 2. — « Sicut exustio ignis tabescerent, atque arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis : a facie tua gentes turbarentur. »

Nam quasi quædam cœlorum diruptio fiet eo descendente, quia patentibus cœlis, ministrantibus angelis, consedentibus apostolis ipse Rex regum in sede majestatis suæ veniet, ut ab omnibus tunc electis et reprobis videatur. Et quoniam ignis ante ipsum ardebit. « Utinam, inquiunt, a facie tua montes defluerent, et sicut exustio ignis tabescerent atque arderent igni. » Nam ignis ille universos montes comburens æquabit vallibus, et omnem terram complanabit. Antequam vero Dominus veniat, Antichristus est regnaturus, qui ita humano generi tenebras suæ pravitatis infundet, ut pene nemo lucem veritatis inspiciat, sed eis etiam nomen Christi vertatur in ignorantiam, nec recordentur ejus nisi ad blasphemiam Domini. Sed ad hujus tetram caliginem depellendam velut fulgur quoddam ipse Christus veniet. Unde isti convenienter adjungunt : « Ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis, et a facie tua gentes turbarentur. » Tunc quippe et inimicis *notum* fiet *nomen* ejus, atque subito turbabuntur *a facie* ejus, quia tunc, sicut scriptum est : « Plangent se omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli (*Matth.* XXIV, 30). » In tanti autem pavoris magnitudine et omnes electi, qui adhuc in carne viventes inventi fuerint, valde formidabunt. Unde et subdunt :

VERS. 3. — « Cum feceris mirabilia non sustinebimus. »

Tunc enim *mirabilia* faciet, quæ vix ullus hominum sustinere possit. Quia « sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur (*ibid.* 29). » Quæ ergo mens, cum hæc fieri cœperint, non expavescet ? Sed quia metus electorum in securitatem vertetur, jam de præsentia Judicis gaudentes adjungunt :

« Descendisti, et a facie tua montes defluxerunt. »

VERS. 4. — « A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. »

VERS. 5. — « Occurristi lætanti et facienti justitiam. »

Descendisti ad judicium, *et* ignis ante faciem tuam discurrens montes consumpsit, ut terram coæquans renovaret. Per *montes* intelligamus superbos, qui tunc defluent, quando superbia eorum tabescet, ut « sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII, 3). » Homines autem in carne viventes *non audierunt*, id est non intellexerunt *a sæculo*, id est ab origine mundi usque nunc, *neque auribus* corporis *audierunt*, *nec* cujuslibet *oculus vidit absque te*, id est nisi tu solus, quæ sint præmia *quæ præparasti* his qui *te* exspectant, qui promissiones tuas longanimiter sustinent. Vel *absque te*, quia si quis illa videre potuit, te quoque pariter vidit. Nemo quippe nunc videre vel audire vel cogitare valet, quanta sit illa merces justorum, quam illi soli cognoscere potuerunt, qui possederunt ; omnem enim visum et auditum et cogitatum superat. Sed in die illa dignis se manifestabit, et tunc Deus omni, qui nunc lætus operatur justitiam, occurret gaudens, ut illum excipiat. Rursum de Judæis subditur :

« In viis tuis recordabuntur tui. » Et ipsi mox adjungunt : « Ecce tu iratus es, et peccavimus, et in ipsis fuimus semper, et salvabimur. »

In viis namque Domini *recordabuntur* illius, quando recognoscent, quod « non justificabitur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi (*Gal.* II, 16). » Nunc enim obliti sunt eum in viis ejus, quoniam non ex fide, sed ex operibus quærunt justificari. Sed cum cognoverint quod viribus suis implere mandata legis nequeunt, et auxilium gratiæ implorare cœperint, tunc *in viis* ejus *recordabuntur* illius. Sed quia oblivioni tradiderunt eum, *iratus* est eis, et deseruit eos, qui postquam obliti sunt, peccare non desierunt. Et hoc est quod deplorant dicentes : « Ecce tu iratus es, et peccavimus. » Sed rursum de observatione viarum Dei gloriantes dicunt : « In ipsis fuimus semper. » Hoc est enim quod idem populus alibi se jactat, dicens : « Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterivi (*Luc.* XV, 29). » *In ipsis*, inquiunt, *fuimus semper*, et in ipsis *salvabimur*. Quia « qui fecerit ea, vivet in illis (*Rom.* X, 3). » Mox autem resipiscentes subdunt lamentando »

VERS. 6. — « Et facti sumus sicut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. »

Facti sumus ut immundus, quia ejecti sunt de Ecclesia fidelium sicut immundus de castris, nolentes facere quod eos de Christo monuit Apostolus : « Accedamus, inquit, ad eum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corde ab conscientia mala, et abluti corpus aqua munda (*Hebr.* X, 22). » Propter quod et *universæ justitiæ* illorum factæ sunt *quasi pannus* mulieris *menstruatæ*, quia ex immunditia carnalitatis ipsorum inquinatæ sunt, ita ut omnis, qui tetigerit eas, inquinetur. Unde et Apostolus illas carnales

Digitized by Google

cæremonias arbitratus est « velut stercora, ut Christum lucrifaceret, et inveniretur in illo non habens suam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Jesu Christi (*Philip.* III, 8). » Ad quam et isti nunc accedentes panno *menstruatæ* comparant *justitias* suas, in quibus antea gloriabantur. In quo considerandum, quia justitia, quæ in lege est, ad comparationem evangelicæ puritatis immunditia nominetur. Sequitur :

« Et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. »

Universi ceciderunt sicut folium ab arbore patriarchici generis, quia secundum Apostolum « rami olivæ fracti sunt, et ceciderunt (*Rom.* XI, 17), » atque pro eis insertus est oleaster. Et *iniquitates* suæ *quasi ventus abstulerunt* eos velut ab arbore *folium*, quia dum de justitia falso gloriarentur, et iniquitatibus vere replerentur, separati sunt a fide patrum suorum, ut Salvatorem venientem non susciperent, quem illi venturum exspectaverant.

Hæc autem sententia non solum de Judæis, sed etiam de universo humano genere potest intelligi. Quid est enim homo nisi *folium*, quod in paradiso ab arbore cecidit? Quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur et desideriorum flatibus elevatur? Mens quippe humana quot tentationes patitur, quasi tot flatibus movetur. Hanc enim plerumque ira perturbat. Cum recedit ira, succedit inepta lætitia, luxuriæ stimulis urgetur, æstu avaritiæ longe lateque ambiendi quæ terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia levat, aliquando vero inordinatus timor in infimis ponit. Quia ergo tot tentationis flatibus humana corda elevantur et dejiciuntur, apte dicitur : « Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. » *Quasi ventus* quippe *nos iniquitas abstulit*, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem levavit. Bene autem homo *folium* appellatur, quia qui arbor fuit in conditione, folium a se ipso factus est in tentatione. Qui enim de alto cecidit, folium est. Sed ad Judæos redeamus; subjungunt enim plangentes :

VERS. 7. — « Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat et teneat te. »

Non enim *est* quispiam in eis, qui precibus nomen Domini invocans *consurgat* adversus motum indignationis ejus, *et* eum *teneat*, ne feriat, quia omnes injusti sunt, nullusque in eis invenitur, qui divinæ iræ possit obviare deprecando, sumens auctoritatem resistendi ex conscientia bene meriti, et eam, quæ in hunc populum sævit, cœlestem animadversionem retinere. Sequitur :

« Abscondisti faciem tuam a nobis, et allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. » Abscondit ab eis *faciem* suæ divinitatis vel cognitionis, dicens : « Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini (*Matth.* XXIII, 39). » *Et* allisit eos *in manu*, id est in actione *iniquitatis* eorum, qui propter malitiam suam passi sunt tam gravia. Sed jam ex toto pœnitentes omni humilitate precedunt, et cum obsecratione dicunt :

VERS. 8. — « Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum; et fictor noster, et opera manuum tuarum omnes nos. »

Ipse enim Christus *pater* eorum est, id est creator, illi *vero* sunt *lutum; et* ipse *fictor* ac plastes eorum, qui de limo terræ plasmavit eos, et ait : « Sicut lutum in manu figuli, et sic vos in manu mea, domus Israel (*Jer.* XVIII, 6); » qui in oratione subjungunt, dicentes :

VERS. 9. — « Ne irascaris, Domine, satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostræ, ecce respice, populus tuus omnes nos. »

Et de destructione Jerusalem, quæ per Titum facta est, addunt :

VERS. 10. — « Civitas sancta tua (197) facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. »

VERS. 11. — « Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustione ignis, et omnia desiderabilia versa sunt in ruinas. »

Ac deinde subjungunt :

VERS. 12. — « Nunquid super his continebis te, Domine, tacebis, et affliges nos vehementer? »

Quibus mox a Domino Jesu respondetur.

CAPUT LXV.

VERS. 1. — « Quæsierunt me, qui ante non interrogabant : invenerunt me, qui non quæsierunt me, » id est gentiles. « Dixi : Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum. »

Cœperunt enim gentiles post resurrectionem ejus quærere, et ipse sua sponte etiam non quærentibus se ipse offerre, ex quo a Judæis est reprobatus. De quibus subdit :

VERS. 2. — « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. »

VERS. 3. — « Populum (198) qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper. »

Si in eo quod ait : *Expandi manus meas*, crucis patibulum intellexerimus, quomodo intellecturi sumus : *Tota die?* Nunquid tota die pependit in ligno? Si vero diem pro tempore velimus accipere, maxime quod hoc nomen genere feminino posuit quod in Latino eloquio non nisi tempus significare solet, convenienter per extensas manus *tota die* continuationem bonorum operum intelligere possumus, a quorum nunquam intentione cessavit. Quæ scilicet opera, quia perfidus ille populus vidit, imo sensit, *ad populum incredulum* Dominus *manus suas* expandit. Possumus enim expansas manus et largitatem donantis accipere, quod nihil eis petentibus denegaret, sed statim roganti leproso sanitatem reddiderit (*Marc.* I, 40), et cæci a nativitate oculos ape-

(197) Alias, *civitas Sancti tui*, etc.

(198) Alias, *populus*.

Digitized by Google

rait (*Joan.* IX, 1). Significant expansæ manus et parentis clementiam suos filios in sinu recipere gestientis. Hæc ipse populo Judæorum exhibuit. *Qui graditur per viam* malæ actionis sequendo *pravas cogitationes suas, ac semper Deum ad iracundiam provocat*, dum superba mente voluntatem ejus facere contemnit. Et *provocat* eum *ante faciem* ejus *semper*, quia Dominus eum velut ante faciem suam posuit, cum ex omnibus populis hunc elegit. Sed ipse ab initio non cessat perverse agere peccans in conspectu Domini, cujus oculis patent omnia, vel in templo idolis sacrificans. Nam et de illis, qui quondam in eodem populo conversi sunt ad idola, subjungitur:

« Qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres. »

VERS. 4. — « Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt : qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum. »

VERS. 5.— « Qui dicunt : Recede a me, ne appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. »

Hæc enim et his similia faciebant antiqui Judæi cultores idolorum. Nam idololatriæ jungentes luxuriam in *hortis immolabant*, et pro uno altari, quod impolitis lapidibus lege constructum erat, *lateres* hostiarum sanguine cruentabant. *In sepulcris* quoque *habitabant, et in delubris idolorum* dormiebant, ubi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent, et quicunque simili errore non ducebatur, eum arbitrabantur immundum, contactumque ejus fugiebant.

Vel dicebant Deo : *Recede a me, et ne appropinques mihi*, dum hunc a se rejicere niterentur, ut more *gentilium* liceret eis vivere; atque dicebant ei : *Quia immundus es*, dum blasphemarent eum. Sed omnes *isti fumus erunt in furore* ejus, quia sicut fumus deficient a facie Judicis. Et erunt *ignis ardens tota die*, quia usque in æternum ardebunt sine intermissione. Ardebunt enim tota die æternitatis. Sequitur :

VERS. 6. — « Ecce scriptum est coram me : Non tacebo, sed reddam et retribuam in sinu meorum iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum, simul dicit Dominus. »

VERS. 7. — « Qui sacrificaverunt super montes, et super colles exprobraverunt mihi, et remetiar primum opus eorum in sinu eorum. »

Omne malum quod fecerunt, *scriptum est coram me*, id est quasi in libro manet assignatum in conspectu memoriæ meæ, et cum venerit dies judicii, *non tacebo* quod fecerunt illi filii vestri, *sed reddam in sinu*, id est in mente eorum, ut eos propria torqueat conscientia, *iniquitates vestras*, o pessimi patres, *et iniquitates patrum vestrorum simul*, id est mala quæ vos et patres vestri fecistis, retribuam filiis vestris, qui vestram et illorum perversitatem imitati sunt? et primo *remetiar primum opus eorum*, ut pro suis et vestris parentumque vestrorum iniquitatibus puniantur. Unde et alias scriptum est : « Ego Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me (*Exod.* XX, 5). » Isti autem idololatræ, quibus et novissimo die retribuetur, præcipue sub Nabuchodonosor exterminati sunt atque perempti. Sed quia non totus simul ille populus tunc erat delendus, licet ex maxima parte periturus esset, apte subjungit propheta :

VERS. 8. — « Hæc dicit Dominus : Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. »

Nam velut si ex botro granum eligatur ad reservandum, et botrus conteratur, ita populus ille tunc propter impietates suas deperiit. Sed tamen ex eo reliquiæ sunt dimissæ, quæ sicut *benedictio* reservarentur. Unde et sequitur :

VERS. 9. — « Et educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos, et hæreditabunt eam electi mei, et servi mei habitabunt ibi. »

VERS. 10. — « Et erunt campestria in caulas gregum, et vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me. »

Eduxit enim de *Jacob semen* Dominus, id est de decem tribubus, qui erant in captivitate, filios, qui reverterentur in terram suam, *et de Juda* qui captivus in Babylone tenebatur populum, qui rursus possideret *montes* ejus, et terram ejus inhabitaverunt *electi ejus*, de captivitate regressi. Et in campestribus manserunt greges ovium, atque in valle, ubi quondam lapidatus est Achan (199), qui peccaverat in furto anathematis, accubuerunt armenta boum, id est populus, qui Dominum in angustia captivitatis requisivit (*Josue* VII, 25). Sed postquam ipse bona hæc repromisit his, qui ad pœnitentiam erant revertendi, rursum idololatris, qui in hac tribulatione erant perituri, minatur dicens :

VERS. 11. — « Et vos, qui reliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, et libatis super eam. »

VERS. 12. — « Numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis pro eo quod vocavi, et non respondistis : locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis. »

Dereliquerunt enim *Dominum*, et adhæserunt idolis, atque *montem* Sion, ubi templum illius erat, *obliti* sunt non venientes illuc adorare vel immolare, sed ponebant *Fortunæ mensam*, et sacrificabant in ea. Fuit enim in multis urbibus et maxime in Ægypto et in Alexandria idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni ponerent mensam refertam variis generis epulis, et poculo mulso mistum, vel præteriti vel futuri anni fertilitatem aspicientes. Hoc et Judæi faciebant omnium simulacrorum portenta

(199) Cod., *Achor*.

Digitized by Google

venerantes, et nequaquam altari victimas, sed hujuscemodi mensæ libamina fundebant. Propter quod numerati sunt *gladio*, id est supplicio. Quidquid enim punit et percutit, torquet et cruciat, in Scripturis sanctis gladius appellatur. Nec ferro trucidatus est omnis ille populus, sed pœnis et cruciatibus deditus atque captivitati et servituti.

Vocaverat Dominus Judæos, quia collatis muneribus quasi emissis vocibus eos ad se ducere studuerat, sed non responderant, quia digna opera donis ejus reddere contempserant. Vocat enim nos Dominus, cum muneribus prævenit; respondemus vero vocationi ejus, cum digna juxta præcepta munera deservimus. Quia ergo Judæos vel etiam quosdam Christianos tot muneribus prævenit, dicit : *Vocavi.* Sed quia tot ejus munera contempserunt, subjungit : *Et non respondistis.* Vocaverat etiam eos per prophetas ad pœnitentiam, et non respondebant : loquebatur, et audire nolebant, sed magis irritabant.

Sed fortassis hæc ad tempus apostolorum referenda sunt. Ait enim : « Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur, ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. » Nam quasi *granum in botro* est inventum, quando pars, quæ doctrinam ecclesiasticam susceperat, reperta est in populo Judæorum. Sicut enim granum ad botrum, ita pauci credentes ex Judæis ad comparationem fuerunt reliquæ multitudinis illorum, quæ credere nolens disperiit. Et de hac minima parte electa dictum est : *Ne dissipes illud, quoniam benedictio est*, quando Patrem pro discipulis oravit. Et ideo Dominus populum illum non disperdidit totum, quoniam eos, qui fidem receperunt, a perditione salvavit, et ab excidio et captivitate illorum eripuit. De quibus et subdit :

Quia *educam de Jacob semen.* Illud scilicet semen de quo idem Apostolus ait, quia « nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus (*Rom.* IX, 29). » *Educam de Jacob*, id est de decem tribubus electionis filios, *et de* tribu *Juda* multitudinem credentium *possidentem montes meos*, id est prophetas et apostolos, quoniam « fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal.* LXXXVI, 1). » *Et hæreditabunt eam*, id est Ecclesiam, *electi mei, et servi mei habitabunt ibi*, quia non est jam locus, ubi extra Ecclesiam catholicam habitent. *Et erunt campestria in caulas gregum*, quia popularis multitudo fidelium plana et minus alta conversatione erit contenta. Quæ sunt enim *campestria* nisi hæc lata et infima conversatio infirmorum? Ubi tamen *caulas* gregum habemus, quia et intra caulas Dominicorum ovilium tenentur. Achor vero *turbatio* dicitur. Et quæ est *vallis Achor* nisi humiliatio pœnitentiæ conturbans mentem peccatoris? Quid autem nomine *armentorum* nisi multitudo magnorum atque robustorum fidelium exprimitur? *Erit* ergo *vallis Achor in cubile armentorum*, quia magni et fortes sancti jacent in humilitate pœnitentiæ, et de minimis offensis graviter conturbantur, et se affligunt. In hac enim valle jacebat ille magnus bos, qui dicebat : « Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (*I Cor.* XV, 9); » et ille, qui dicebat : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (*I Joan.* I, 8). » Et alius dicens : « Quia in multis offendimus omnes (*Jacob.* III, 2). » Et hæc pollicitus est Dominus populo, qui sive ex Judæis, sive ex gentibus ad fidem veniens *requisivit* eum.

Sed *vos*, inquit, o perfidi Judæi, *qui dereliquistis Dominum*, dicentes : « Regem non habemus nisi Cæsarem (*Joan.* XIX, 15). » Audite quid consecuti sitis. Vos *qui obliti estis montem sanctum meum*, id est altitudipem spiritalis conversationis, vel sublimitatem patriæ cœlestis; *qui ponitis Fortunæ mensam*, id est divitiis aram, *et libatis super eam*, hoc est qui vestra sacrificia facitis propter solam præsentis vitæ remunerationem; *numerabo vos in gladio* Romanorum vel novissimæ ultionis. *Et omnes in cæde corruetis* vel per Romanos, vel per pœnam extremæ percussionis. *Pro eo quod vocavi* vos ad fidem et gratiam, *nec respondistis* mihi, ut ad me venirctis : *locutus sum* vobis annuntians voluntatem Patris mei, et audire recusastis, et faciebatis malum in oculis meis, etiam cum inter vos corporaliter manerem, et Pharisæorum præcepta traditionis, *quæ nolui, elegistis.* Sequitur :

VERS. 13. — « Propter hoc hæc dicit Dominus : Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis. »

VERS. 14. — « Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis. »

Servi mei comedent et bibent, quia « ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (*Joan.* V, 35). » Sed *vos*, o Judæi, *esurietis et sitietis*, quia « mittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini (*Amos* VIII, 11). » Neque enim ulterius invenietis, qui vos scientia Scripturarum pascat aut potet. *Servi mei*, accepto Spiritu sancto, *lætabuntur*, sed *vos* qui me crucifixistis, *confundemini*, videntes gloriam meæ resurrectionis ubique innotescere. *Servi mei lætabuntur* in Ecclesiis *præ exsultatione* spiritalis gaudii, sed vos *præ dolore cordis ululabitis*, in miseriis, quas sustinebitis. Omnia hæc ita cernimus evenisse.

Quæ si ad futuram vitam referenda sunt, *servi Dei* tunc *comedent*, quia « faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis (*Luc.* XII, 37). » *Servi* ejus *bibent*, quia inebriabuntur ab ubertate domus ejus, et torrente voluptatis suæ potabit eos. Nam illa sanctorum convivia Dionysius exposuit (*Epist.* XIX *ad Tit.*), dicens : « Significant hæc communem quamdam, et æque invisibilem sanctorum in divinis bonis societatem, et Ecclesiam primigenitorum de-

Digitized by Google

scriptorum in cœlis, et Spiritus justorum omnibus optimis perfectos, et primum optimis repletos. Et recubitum requiem arbitror, et multis doloribus vitam illæsam, et conversationem divinam in lumine et in regione viventium omni sensu sacro repletam, et largissimorum et beatorum optimorum copiosam dationem, per quam lætitia omni replentur, hoc autem lætari et recumbere eos faciente Jesu et ministrante, et æternam requiem donante, et plenitudinem bonorum distribuente simul et infundente. » Bene itaque dicitur : Quia servi ejus comedent et bibent, qui tali convivio intererunt. Unde et a contrario satis claret, quia tunc Judæi omnesque reprobi esurient et sitient, qui ad hujusmodi epulas non admittentur. De quibus paterfamilias iratus ait : « Quia nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam (*Luc.* XIV, 24). » Et tunc servi Dei in illo perpetuæ beatitudinis gaudio lætabuntur, Judæi vero, cæterique reprobi in opprobrio sempiterno confundentur et erubescent. Tunc revera sancti laudabunt præ exsultatione cordis, et impii præ contritione spiritus ululabunt et mugient. Adhuc autem Judæis carnalibus dictum est, quod sequitur.

A

B

VERS. 15. — « Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis. »

Nomen quippe eorum est : *Judæus* vel Israelita. Et Judæus interpretatur *confitens* et *glorificans* sive *laudans*, Israel vero *videns Deum*. Carnales igitur Judæi *nomen* suum reliquerunt *in juramentum electis* Dei, quia jam ipsum nomen amiserunt, et omnes electi jurant in illud, id est firmiter definiunt ore confiteri ad salutem atque laudare Christum, et glorificare, ut ad ejus visionem mereantur pertingere. *Nam qui* Deum confitetur, sive Deo confitetur, et laudat eum, ipse virtutem habet Judaici nominis; et qui Deum vel nunc in ænigmate videt, in futuro sæculo facie ad faciem, habet rem nominis Israel. Hic enim perfidus Judæorum populus, ut dictum est, virtutem nominis hujus cum fide perdidit, et eam electis Dei, qui *juramento* suæ professionis ad ipsam pertingerent, reliquit. Vel *nomen eorum erit in juramentum electis* Dei, ut pro malorum exemplo eos habeant, et detestentur talia sustinere, et jurent : Si aliter fecero, contingat mihi sicut Judæis Romanorum occisis. Cui additur in comminatione :

C

D

« Et interficiet te Dominus. » Atque subjungitur : « Et servos suos vocabit nomine alio. »

VERS. 16. — « In quo, qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino amen; et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen, quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, et quia absconditæ sunt ab oculis nostris. »

Interficiet enim Dominus hunc populum gladio suo, cum venerit ad judicium.

Interfecit eum Dominus, qui est verus Deus, et vita æterna, cum se illi abstulit. Qui *et servos suos* non jam nomine, quo antiquitus appellaverat, *vocat*, sed *alio* quodam nobiliori vocabulo, quod novitatem et gratiam sonat. Licet enim servi ejus rem antiqui nominis habeant, ipso tamen nomine non vocantur, sed appellatione Christianitatis venerabiliter nuncupantur. « Neque enim nomen aliud est datum sub cœlo hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (*Act.* IV, 12). » Unde jam nullus servorum Dei, sicut dictum est, vocatur Judæus vel Israelita, sed omnes Christiani. *In quo* Christianitatis nomine, *qui benedictus est super terram*, id est qui benedictionem illam, quæ in baptismo datur, consecutus est in hac vita, si perceptam benedictionem bene vivendo custodierit, *benedicetur in Domino*, cum audierit : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV, 34). » *Et qui*, dum *in* hac *terra* manent, jurant in eo cum Psalmista dicente Domino : « Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ (*Psal.* CXVIII, 106), » jurabunt in eo *Amen*, id est asserent in illo beatitudinis regno vero : *quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores*, id est omnes afflictiones et necessitates, quibus in sæculo coarctabamur, *et quia absconditæ sunt* omnes *ab oculis nostris*, id est nec jam recordamur, nec videmus eas. Hoc enim tunc ille populus beatorum lætus proclamabit. Ubi ad confirmationem certissimæ veritatis interponitur *Amen*, quod interpretatur *vere* vel *fideliter*, ut ea quæ promittuntur, vere implenda monstrentur, et fideliter dignis reddenda. Sequitur :

VERS. 17. — « Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.

VERS. 18. — « Sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo. »

Cœlos novos et terram novam faciet Dominus in novissimo die. Unde et Joannes in Apocalypsi determinato judicio subjecit dicens : « Et vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est (*Apoc.* XXI, 1). » Utraque tamen hæc, id est cœlum et terra non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renovantur, quia per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed per essentiam sine fine subsistunt. « Præterit enim figura hujus mundi (*I Cor.* VII, 31). » Cœli igitur ac terra et transeunt, et erunt, quia et ab ea, quam nunc habent, specie per ignem purgantur, et tamen in sua semper natura servantur. Unde et per Psalmistam dicitur : « Mutabis eos, et mutabuntur (*Psal.* CI, 28). » Itaque *cœlos novos et terram novam* creabit, quando istos igne judicii purgans renovabit. *Neque ascendent super cor*, quia tanta erit pulchritudo eorum, qui tunc erunt, ut nemo jam istorum, quæ nunc sunt, recordari dignetur, sed pro nihilo quisque reputabit hæc, et in illis quæ videbit, delectabitur. Nam omnes electi tunc sine fine gaudebunt in illis, quæ tunc creata fuerint a Domino. Sequitur :

« Quia ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium. » *Jerusalem*, id est Ecclesia non solum exsultabit, sed etiam erit ipsa exsultatio. Et populus ejus non solum gaudebit, sed et ipse

Digitized by Google

gaudium erit. Nam et ferrum videmus in ignem converti, cum in igne positum valde succenditur. Sic et populus sanctorum, cum ingressus fuerit in gaudium Domini sui, commutabitur in gaudium. Sequitur :

VERS. 19. — « Et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo. »

Tunc gaudebit Dominus *in populo* suo, cum jam nullum in eis peccatum fuerit, et omnes eos immortales ac beatos reddiderit. Quandiu enim peccamus, et mortales ac miseri sumus, non potest in nobis gaudere. Neque enim gaudet in nobis, dum adhuc tales sumus, quales nos in principio condidit. Cum igitur jam in antiquum statum nos reformaverit, tunc in nobis gaudium habebit. Sequitur :

« Et non audietur ultro in eo vox fletus, et vox clamoris. » Hoc manifestum est, quod in populo sanctorum neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra. Sequitur :

VERS. 20. — « Non erit tibi amplius infans dierum, et senex, qui non impleat dies suos. »

Infans dierum est, qui jam diu vixit, sed adhuc mente parvulus est. Hujusmodi enim infantes increpat Sapientia dicens : « Usquequo, parvuli, diligitis infantiam? (*Prov.* I, 22.) *Senex* vero *qui non impleat dies suos*, est qui multum quidem vixit, sed ætatis suæ tempora in vanitate consumpsit. Ille enim dies suos implet operibus, qui sese in hac vita quotidie vigilanter pensare non negligit, et ad omne quod recte facere potest, inertia nulla torpescit. Et in præsenti quidem Ecclesia multi tales pueri ac senes sunt. Sed in illa electorum Ecclesia futura *non erit infans dierum, et senex, qui non impleat dies suos*, quia quisquis semper moribus [*deest forsan*, infans] esse perseverat, non perveniet ad illam, neque senex, qui dies vitæ suæ bonis operibus implere noluerit. Unde et subditur :

« Quoniam puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. » Centenarius perfectus est numerus, et ideo *centum annorum* nomine vel omne spatium vitæ præsentis, vel mora longi temporis exprimitur. Qui ergo centum annos explevit, et adhuc *puer* est, id est qui diu vixit, nec a factis puerilibus est correctus, *morietur* morte æterna. *Et peccator centum annorum*, id est qui nec temporis longinquitate compesci potuit a perpetratione peccati, *maledictus erit* in die novissimo, cum audierit : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV, 41). » De electis vero in hac vita adhuc degentibus subditur :

VERS. 21. — « Et ædificabunt domos, et inhabitabunt, et plantabunt vineas, et comedent fructus earum. »

VERS. 22. — « Non ædificabunt, et alius habitabit : non plantabunt, et alius comedet. »

Ædificabunt enim *domos* cordium suorum, *et habitabunt* in eis per cogitationem non vagando foras per cupiditates sæculi. Nam qui suæ mentis interiora deserit, et exteriora sectatur, id est visibilia cogitat, non manet in domo sui pectoris. *Et plantabunt vineas*, id est statuent sibi actiones bonas, in quibus quotidiano labore exerceantur. *Et comedent fructus earum*, id est satiabuntur in futuro retributione bonorum operum suorum. « Non ædificabunt, et alius habitabit. » Quia hostis antiquus domum conscientiæ eorum, quam cœlestibus disciplinis et virtutum lapidibus construent, habitare non poterit, sicut mentem negligentis, de qua dicit : « Revertar in domum meam, unde exivi (*Matth.* XII, 44). » *Non plantabunt, et alius comedet*, quia diabolus fructum actionis eorum non devorabit. *Alius* enim *comedet* fructum vinearum eorum, qui suis actibus fructum bonæ retributionis, quem exspectabant, non consequuntur, sed magis Satanas pœna eorum pascitur. Sed hoc electis contingere nequit.

Vel *domus* istæ sunt diversæ mansiones apud Patrem, quas jugiter possidebit, qui eas ædificaverit; et *vineæ* sunt plures Ecclesiæ, quarum fructus comeduntur et bibuntur, et lætificant cor hominis, et inebriant amicos Sponsi, atque in regno bibuntur quotidie, et æterna erit habitatio atque plantatio justorum, nec diaboli et satellitum ejus fraudibus supplantabitur. Sequitur :

« Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei, et opera manuum eorum inveterabunt electis meis (200). »

Secundum dies ligni erunt dies populi mei, quia sicut *lignum* in diebus suis gignit fructum suum, ita populus electorum, dum sibi status vitæ præsentis duraverit, fructum boni operis facere non desistet. *Et opera manuum eorum inveterabunt electis meis*, quia usque in finem tenebunt, et perficient opera bona quæ cœperunt. « Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). » Sequitur :

VERS. 23. — « Non laborabunt frustra, nec generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cum eis. »

Non laborabunt frustra, quia quidquid boni agere laboraverint adjuvante gratia mea perficient, et labores manuum suarum manducabunt. *Neque in conturbatione generabunt*, quia, ut verbo veritatis spiritales filios generare possint, omnes vitiorum perturbationes, et cupiditatum sæcularium tumultus eliminabunt a cordibus suis, quatenus purificato mentis oculo, quod justum est videre et loqui libere valeant. *Quia semen benedictorum Domini est*, id est filii apostolorum Christi sunt isti, *et nepotes eorum*, id est filii filiorum eorum *cum eis* sunt. Illi enim sunt *filii* nostri, quos spiritaliter genuimus; *nepotes* vero nostri sunt, quos jam nostri spiritales filii spiritaliter genuerunt. Quia ergo talis propagatio multipliciter fit in Ecclesia, apte dicitur de sanctis

(200) Alias, *inveterabunt. Electi mei non laborabunt*, etc

Digitized by Google

patribus : Quia *nepotes eorum cum eis sunt*. Sequitur :

VERS. 24. — « Eritque, antequam clament, ego exaudiam. »

Sicut scriptum est : « Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua (*Psal.* IX, 10). » Et item : « Scit enim Pater vester, quid vobis necesse sit, antequam petatis eum (*Luc.* XII, 30). » Adhuc illis in oratione loquentibus ego audiam. *Audiam* eos semper ad eorum salutem, non tamen semper ad eorum voluntatem, sicut audivi Paulum, ut gratia mea maneret in eo, non ut « stimulus carnis, » sicut ter rogaverat, « discederet ab eo (*II Cor.* XII, 8). » Hac promissione Dominus quantum electos Novi Testamenti diligat, ostendit, quorum petitiones tam libenter et tam cito facere semper se manifestat. Sequitur :

VERS. 25. — « Lupus et agnus pascentur simul, et leo et bos comedent paleas, et serpenti pulvis panis ejus ; non nocebunt et non occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus. »

Lupus, id est ille qui in sæculo fuerat, *et agnus*, id est qui semper fuit mitis et innocens, *pascentur simul* in Ecclesia uno cœlestis doctrinæ pabulo. *Et leo et bos comedent paleas*, quia sæcularis princeps et popularis homo pascentur eisdem eloquiis divinis. Paleæ vero simplicia verba Scripturæ sunt, triticum autem sensus interior. Et frequenter evenit, ut homines sæculi mysteria nescientes simplici Scripturarum lectione pascantur. Alio autem sensu *leo* Satanas est, « quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Pet.* V, 8). » *Bos* vero prædicatorem designat, sicut scriptum est : « Non alligabis os bovi trituranti (*I Cor.* IX, 9). » Paleæ sunt peccatores, de quibus Joannes ait : « Paleas autem comburet igni inexstinguibili (*Luc.* III, 17). » Et *leo* igitur *et bos comedent paleas*, quia peccatorum alios hostis antiquus devorat, alios prædicator quilibet convertit, et sibi incorporat mittens in viscera Ecclesiæ.

Serpens quoque idem hostis est, sicut legitur : « Serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas (*Apoc.* XII, 9). » *Pulvis* etiam peccator est, quia primus homo post peccatum audivit : « Pulvis es, et in pulverem reverteris (*Gen.* III, 19). » *Serpenti* ergo *pulvis* est *panis ejus*, quoniam diabolus devoratione peccatorum pascitur. Sed *in monte sancto* Dei, id est in excelsa justorum conversatione, *non nocebunt* hujusmodi leones et serpentes eisdem justis, licet affligant eos, *et non occident* quempiam eorum, id est venenum suæ malitiæ non spargent in eo. « Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur (*Ezech.* XV, 4), » sed ab hac morte immunis est electorum anima. Et ne eis nocerent hujusmodi bestiæ audierunt a Domino : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super bestias (*Luc.* X, 19), » scilicet serpentes et scorpiones, « et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit (*ibid.*). » Quia vero *montem* nominavit, ne Judaico sensu intelligeres montem, in quo fuit templum Judæorum, ostendit altiori ratione se non in parte rerum localiter esse, qui omnia replet, nec in ædificiis materialibus, sed in corde fidelium habitare. Sequitur enim :

CAPUT LXVI.

VERS. 1. — Hæc dicit Dominus : Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum; quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meæ ? »

VERS. 2. — « Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem aspiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? »

Nam cum dicit sedem suam *cœlum*, terram vero *scabellum pedum* suorum, ostendit se omnibus interiorem et superiorem esse, quia ubique est a summis usque ad novissima et infima. Cœlum quippe excellit inter materialia, cui subest aer, ubi ignis et aqua, ultima vero terra est. Nam quarta pars distinctorum membrorum hujus mundi, et ea novissima invenitur terra, ut a cœlo incipiens aerem numeres secundum, aquam tertiam, quartam terram. Cum ergo dicit quia *cœlum mihi sedes est, terra vero scabellum pedum meorum*, declarat se in omnibus elementis esse, juxta quod per Jeremiam loquitur : « Nonne cœlum et terram ego impleo? (*Jer.* XXIII, 23.) » Et quia in hoc universo mundi corpore maximam speciem cœlum habet, et terra minimam, tanquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis divina, minimam vero ordinet in extremis atque infimis, congrue Deus in cœlo sedere dicitur, terramque calcare, quia « cœlum sursum et terra deorsum, » ut Scriptura loquitur (*Prov.* XXV, 3). Quia vero tantæ magnitudinis est Deus, ut omnia impleat et excedat, apte Judæos increpat, dicens :

« Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi ? » Non enim in domo manufacta habito. « Et quis est iste locus quietis meæ? » Non enim alicubi localiter quiescere possum, ut vos in templo Salomonis me putetis habitare vel quiescere. Nam *omnia hæc*, quæ videtis, manus meæ fecerunt, *et facta sunt universa ista*. Sed egó in manufactis et materialibus habitaculum non habeo, quia cum sim Spiritus, spiritalem domum quæro. *Ad quem* enim *respiciam*, ut ad eum divertam, et in eo mancam, *nisi ad pauperculum*, id est ad humilem *et contritum spiritu*, id est qui flendo contrivit spiritum, id est duritiam cordis sui, et non contemnentem, sed *trementem sermones meos*? Quisquis talis est, adhuc sereno vultu respiciam, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus in templo non manufacto. Reprobato itaque materiali templo consequens fuit, ut et hostiæ carnales, quæ offerebantur in eo, respuerentur. Unde et subditur :

VERS. 3. — « Qui immolat bovem quasi qui interficiat virum, qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem, qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.

Digitized by Google

Postquam enim verus Dei Agnus est immolatus, et mysterium propheticum his bestiis desiit, non placatur per eas Deus, sed graviter offenditur præsertim destructo templo, ubi solummodo licebat eas offerri. Apte ergo dicitur : « Qui immolat bovem quasi qui interficiat virum. » Nam Moyses dixerat : « Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem aut ovem vel capram in castris vel extra castra, et non obtulerit oblationem Domino ad ostium tabernaculi, sanguinis reus erit, quasi sanguinem hominis fuderit, sic peribit de medio populi sui (*Lev.* XVII, 3). » Cum ergo tabernaculum jam vel templum nusquam sit, ubi talis oblatio offerri debeat, merito *qui bovem* adhuc *immolat* comparatur ei *qui virum* interficit, cum jam ad ostium tabernaculi oblationem ejus offerre non possit. Simili enim pœna uterque dignus est et bovem immolans et virum perimens. Sed et *qui pecus*, id est capram vel ovem *mactat*, æqualem facit abominationem, ac si super altare Dei cerebrum canis effunderet. Et *qui oblationem* quamlibet hujusmodi *offert*, tale crimen perpetrat, ac si *sanguinem* porcorum, quod nefas est, offerret. *Qui thuris* adhuc *recordatur* ad ponendum in sacrificio, par committit sacrilegium, ac si benediceret idolo. Paria enim sunt hæc sacrificia sacrificiis idolorum. Tantum enim perditionis est servire carnalibus observantiis. et salutem per eas quærere, quam [*f.* quantum] idola colere. Nam ponere spem salutis et justificationis, ubi non est, idololatria est.

Si quis igitur in his sanctitatem et justitiam putet esse, idololatra est, quærens salutem, ubi non est; et umbram adhuc servare, negare est veritatem advenisse. Nam si adhuc servantur, aut significatur non fuisse promissus Christus, aut adhuc promittitur venturus, et negatur venisse. Manifestumque est jam cæremonias hujusmodi et perniciosas esse et mortiferas, ut quicunque eas observaverit, non dubium sit in barathrum diaboli esse devolutum. Scriptum est enim : « Lex et prophetæ usque ad Joannem (*Luc.* XVI, 16). » Non igitur jam Deo, sed diabolo servit, quisquis legem ultra terminum, quem Deus ei posuit, producere quærit. « Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti (*Rom.* X, 4). » Sed de his, qui adhuc eam tenere volunt, perfidis Judæis subjungitur :

« Hæc omnia in viis suis elegerunt, et in abominationibus suis anima eorum delectata est. »

Respuentes enim præcepta vitæ, quæ audiebant a Salvatore, *elegerunt in viis*, id est in actionibus *suis omnia hæc* exsecranda, quæ nunc dicta sunt *et in* hujusmodi *abominationibus delectati sunt*, non in gratia Novi Testamenti, quæ eis offerebatur. Hinc namque ei, qui cæcus fuerat, dicebant : « Tu discipulis ejus sis, nos autem Moysi discipuli sumus (*Joan.* IX, 28). » Sequitur :

VERS. 4.—« Unde et ego eligam illusiones eorum, et quæ timebant adducam eis (*Joan.* XI, 45). »

Ipsi cogitaverunt contra Dominum dicentes : « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem (*Joan.* XI, 48). » Sed ex hoc, quod callide cogitaverunt adversus Dominum, illusit eis Dominus, quia ex eo, quod non dimiserunt eum, sic factum est, ut omnes crederent in eum. *Et quæ timebant, adduxit eis* quia fecit, ut venirent Romani et tollerent locum eorum et gentem, et hoc factum est propter abominandas carnales observantias, quas elegerant, quia idcirco a Romanis sunt exterminati, quod eis tributum pendere nolebant, dicentes injustum esse, ut populus qui decimas ac primitias et sacrificia Deo reddebat, hominibus quoque tributa solveret, cum Salvator eis jussisset ut redderent « quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII, 21). » Sequitur :

« Quia vocavi, et non erat qui responderet, locutus sum, et non audierunt, feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. »

Dominus, qui deinceps per apostolos vocavit nos, ipse primum vocavit Judæos. Sed illi non responderunt vocanti, quia bonis sermonibus, quos ab eo audierunt, opera bona non reddiderunt, nec per fidem accesserunt ad eum. *Locutus* est illis ea quæ in Evangelio scripta sunt, sed ipsi *non audierunt*, id est non obedierunt, sed incessanter *mala fecerunt in oculis* ejus, et carnalia litteræ præcepta, quæ ei displicebant, *elegerunt* atque vanas Pharisæorum traditiones. Deinde multitudinem sanctorum, qui tunc in Judæa et Jerusalem erat, Salvator alloquitur, dicens :

VERS. 5. — « Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus : dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum : Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra : ipsi autem confundentur. »

Unanimis enim illa multitudo primorum credentium non duro et insensibili corde, sicut nos, audiebat *verbum* divinæ prædicationis, sed cum tremore et reverentia excipiebant. Quorum pessimi *fratres* fuerunt cæteri Judæi, qui in perfidia manserunt, qui oderunt credentes, et de Synagoga vel finibus suis abjecerunt propter nomen Christi. Et dixerunt eis : *Glorificetur Dominus*, ut videamus eum, et vos lætemini. Quid vobis humilem introducitis Deum? quid crucifixum? Volumus eum, ut dicitis, in sua majestate conspicere regnantem, ut et vos gaudeatis in conspectu ejus. Hæc infideliter deridendo loquebantur putantes hos frustra sperare in Christo. Ipsi autem cum viderint gloriam justorum, *confundentur*, dicentes : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis (*Sap.* V, 3). » Sic loquentur dolentes atque confusi, cum glorificatus fuerit

Digitized by Google

Dominus in lætitia istorum, quos odientes abjecerunt propter nomen ejus. Sed et in præsenti vita confusi sunt, cum viderent omnes ad fidem ejus, quem crucifixerant, confluere, et omnem lingnam confiteri, quia Christus est in gloria Dei Patris, sibique necis crimen a cunctis objici. Unde et sequitur :

Vers. 6. — « Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. »

Vox enim *populi de civitate* resonabat laudes Dei ; et *vox de templo*, quia, sicut legitur : « Multa signa et prodigia per apostolos fiebant in Jerusalem, et metus erat magnus universis. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domum panem, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis collaudantes Deum (*Act.* II, 43). » Sed post secuta est *vox Domini* per Romanos *reddentis retributionem inimicis suis* Judæis. Unde et per se ipsum antea loquens : « Erit, inquit, pressura magna super terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes (*Luc.* XXI, 23). »

Aut certe *vox* clamoris et seditionis atque ploratus resonabat *de templo et civitate* Romano exercitu circumdata, et in tres partes seditionibus divisa, quando unus templum obtinuit, et omnia prius sancta possedit, et forinsecus contra hostes, intus contra cives dimicans, in urbe atque in templo tam sacerdotum et levitarum quam vulgi ignobilis, mulierumque ac puerorum ululatus auditus est, reddente illis Domino justam retributionem. Quia vero tunc ubique populum ad fidem Ecclesia facile generabat, apte subjungitur :

Vers. 7. — « Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit masculum. »

Parturire enim est ante partum dolere, *parere* vero partum effundere. Et Ecclesia *antequam parturiret peperit*, quia antequam persecutionis angustias pateretur, multiplicem spiritalium filiorum sobolem edidit. *Antequam veniret partus ejus, peperit masculum*, id est robustum et virilem populum, quia, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes mox ad vocem Petri ex populo circiter « tria millia (*Act.* II, 41), » et alia die « quinque millia » crediderunt (*Act.* IV, 4). *Antequam parturiret, peperit*, quia sicut ecclesiastica narrat Historia, absque ullo obstaculo in ipsis initiis evangelicus sermo usquequaque percurrebat. Unde et factum est, ut repente quasi cœlitus lumen ostensum aut radius quidam solis erumpens totum orbem claritate superni luminis illustraret (201), et, ex quo et per omnes civitates ac vicos immensæ multitudines, velut (202) messium tempore frumenta ad areas, ita ad Ecclesias congregabantur. Unde et sermo propheticus admirando subjungit :

Vers. 8. — « Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? »

Nunquam enim tale quid super terram accidit, nunquam huic rei simile quidquam auditum est aut visum, ut omnes in brevi tempore crederent nationes, et de universis gentibus gens una fieret Christianorum, et compleretur dictum Apostoli : « Vetera transierunt, et ecce omnia facta sunt nova (*II Cor.* V, 17). » Ubi et additur :

« Nunquid parturiet terra in die una, aut pariet gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos? » Quando enim prædicante Petro, sicut dictum est, crediderunt una die tria millia, et postmodum addita sunt multa millia, tunc fuit cernere gentem insimul natam sermone Dei una die, quam illustravit sol justitiæ, et sterilem repente parientem, cui dictum est : « Lætare, sterilis, quæ non paris, decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum (*supra* LIV, 1). » Ecclesia enim deserta erat a Deo ; habens autem virum Synagoga legem habebat et Deum. Sed postmodum sterilis et deserta multo fecundior effecta est, quam ea quæ viro juncta fuerat. *Parturivit* enim, *et peperit filios suos. Parturivit* eos exhortando, et *peperit* convertendo.

Vel quæ in exordio antequam parturiret, peperit, postea ut pareret, parturivit, quia ut filios Deo generare posset, multis conatibus enixa est, et multis doloribus cruciata verbum Dei prædicans, eos, quos intra uterum charitatis portabat, in fide vel in bona conversatione genuit. Sed quia ipse Dominus per se ipsum in terris prædicaturus erat, et hujusmodi filios generaturus, pulchre subjunctum est :

Vers. 9. — « Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem tribuo cæteris, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus. »

Ipse enim *alios parere* facit, sicut illum qui ait : « Filioli mei, quos iterum parturio (*Gal.* IV, 19). » Sed et *ipse* peperit, quoniam ad fidem apostolos prædicando generavit. Unde et filios suos nominat eos, cum dicit : « Nunquid possunt filii Sponsi jejunare, quandiu cum illis est Sponsus? (*Matth.* IX, 15). » *Generationem* ipse *tribuit cæteris*, sicut ei qui dicit : « In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui (*I Cor.* IV, 15). » Sed *nec ipse est sterilis*, quia « voluntarie genuit nos verbo veritatis (*Jac.* I, 18). » Quia vero post hæc, crescente fide ac religione per totum orbem, Ecclesia prosperitatem et gloriam erat habitura, congrue subjicitur :

Vers. 10. — « Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam : gaudete cum ea gaudio universi qui lugetis super eam. »

Vers. 11. — « Ut sugatis, et repleamini ab uberibus consolationis ejus : ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. »

(201) Uterque Cod., *illustret.*

(202) Uterque *vel.*

Digitized by Google

Vos, inquit, *omnes, qui diligitis Jerusalem*, id est Ecclesiam, *lætamini cum ea* de bonis quæ nunc habitura est, *et exsultate in ea*. Et vos, *qui lugetis super eam* propter tribulationes et mala quæ patitur, *gaudete* nunc *gaudio* magno *cum ea*, in bonis quibus jam replebitur, ut et vos effecti participes bonorum ejus, *sugatis* delectabiliter, et bibatis ac *repleamini ab ubere consolationis ejus*, id est ex poculo misericordiæ et dulcedinis ac beneficii, quo Deus eam modo consolabitur, quoniam « sicut socii passionum fuistis, sic eritis et consolationis (*II Cor.* I, 7).» Atque *mulgeatis ab omnimoda gloria ejus*, quam ubique jam est habitura, et *deliciis* inde tam corporalibus quam spiritalibus *affluatis*. Sequitur :

A

Vers. 12. — « Quia hæc dicit Dominus : Ecce declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quasi sugetis.»

B

Declinabo, inquit, id est descendere faciam super eam *quasi fluvium pacis*, id est plenam et perseverantem pacis affluentiam, *et quasi* magnum quemdam in vos *torrentem* deducam, qui inundanter afferet *gloriam* universarum *gentium ut sugatis*, id est velut lac bibatis eam, quia pace data confluent ad fidem omnes reliquiæ gentium.

Vel apostolis vel apostolicis viris lugentibus Jerusalem, quæ in Judæis corruit, et novam Jerusalem, quæ surrectura erat, præstolantibus jubetur ut in ea et cum ea gaudeant, quia nunc ædificanda sit vivis lapidibus. Qui vero parvuli sunt in eis, et lacte consolationis indigent, *sugant ab ubere consolatoriæ* prædicationis ejus; qui autem post lac consolationis ad solidum cibum profecerint, *deliciis* affluant veritatis et scientia omnimodæ gloriæ. Et tunc Dominus *declinabit super eam quasi fluvium pacis* de quo dictum est : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV, 5).» Ut pace omnia possidente et nationum bellis cessantibus torrens doctrinarum Dei riget viam credentium. Sequitur :

C

« Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. » *Ad ubera* potavit Apostolus illos, quibus ait : « Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam (*I Cor.* III, 2). » *Et super genua*, id est super exempla bonorum operum suorum *blandiebatur* eis, quibus dicebat : « Quæcunque vera sunt quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate; quæ et didicistis, et accepistis, et vidistis in me, et audistis, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum (*Philip.* IV, 8). » Similiter et cæteri sancti doctores potabant, et potant more matrum ad ubera doctrinæ parvulos filios suos, et in exemplis bonorum operum suorum velut in genibus fovendo sustentant eos, ac blandiuntur eis, ut proficiant. Nam quod in genibus opera designentur, ex historia Gedeonis agnoscimus, ubi trecenti viri, qui flexo recto genu aquam biberant, vicisse in prælio referuntur (*Judic.* VII, 5). Aqua enim Scientia sacra est. Sequitur :

D

Vers. 13. — « Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini. »

Vers. 14. — « Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra sicut herba germinabunt. »

Sicut parvulo suo flenti mater blanditur, ut a ploratu quiescat, ita ego vobis faciam, quia dum adhuc pusillanimes de malis, quæ propter correptionem patimini, vocem querelæ emittitis, multimoda consolatione blandiar vobis, et dulciter vos placabo. Sed et post transitum vitæ præsentis multo dulciorem invenietis consolationem, quia mox in supernam Jerusalem, ubi perpetualiter gaudeatis, ducemini, nec in infernum sicut antiqui patres descendetis. Et in illa Jerusalem, quæ non frustra *visio pacis* interpretatur, *videbitis*, sicut est, gloriam Creatoris, et ex medullis suis *gaudebit cor vestrum* in ejus aspectu. Cumque dies resurrectionis advenerit, tunc *ossa vestra* de pulvere *germinabunt sicut herba*, quia reviviscent atque virescent, et immarcessibili gloria vernabunt. Nam hæc ita debere intelligi, sequentia declarant, cum protinus subditur :

« Et cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. »

Vers. 15. — « Quia ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis. »

Vers. 16. — « Quia in igne Dominus dijudicabit, et in gladio suo ad omnem carnem. »

Tunc enim valida *manus Domini cognoscetur servis ejus*, quia in brachio virtutis suæ liberabit eos, *et indignabitur inimicis suis*, id est omnibus, qui ex corde eum non amaverunt. Ipse quippe *veniet igne* circumdatus, *et quadrigæ ejus*, id est virtutes angelicæ, in quibus sedet, venient *sicut turbo*, ut reprobos omnes subruant, et quasi paleas de mundo tormentis exagitantes rapiant. *Veniet*, inquam Dominus, ut impiis *furorem suum* cum magna *indignatione reddat*, et eos qui increpatione digni fuerint, *in flamma ignis* increpet. Nam « uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur (*I Cor.* III, 14-15).» Et præcipue reprobi tunc in igne erunt, ut increpentur, quia sancti mox rapientur in nubibus obviam Christo in aera, et in dextris ejus statuentur; peccatores vero relinquentur in terra, et in sinistris ponentur, et igne circumdati, qui inferiora hujus aeris omnia cremabit, sententiam Judicis exspectantes, asperitatem gehennalium tormentorum prægustabunt. Nam ignis ille tantum spatium istius aeris occupaturus est, quantum « occupavit aqua diluvii, quando quindecim cubitis altior fuit super montes quos operuerat sub universo cœlo.

Justis itaque in altum sublevatis et peccatoribus in medio ignis illius in imo derelictis *reddet* Domi-

Digitized by Google

nus eisdem peccatoribus, *in flamma* positis *increpationem suam*, dicens : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare ; nudus fui, et non operuistis me (*Matth.* XXV, 42). » Nam *in* illo *igne* atque *in gladio* oris sui *dijudicabit ad omnem carnem*, id est adversus omnes carnales ; quia tunc comprobabitur quam juste erga eos in omnibus semper egerit, imo quam pie, et e diverso quam injuste erga eum illi semper egerint, ideoque ferientur gladio ejus, cum audierint : « Discedite a me maledicti in ignem æternum (*ibid.* XLI). » *Omnem* enim *carnem* vocat omnes qui gloriam incorruptionis per illam, quæ sanctis dabitur, immutationem adepti non fuerint. De qua videlicet carne dicit Apostolus : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt (*I Cor.* XV, 50). » Hæc igitur caro, quæ regnum Dei non ingreditur, igni et gladio foris traditur. Sed post hæc sententia valde formidanda subjungitur :

« Et multiplicabuntur, inquit, interfecti a Domino. »

VERS. 17. — « Qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus. »

Quid enim per interiorem *januam*, nisi ingressus religiosioris et secretioris conversationis exprimitur, ut eorum, qui sæculo renuntiant, vel ad altaris officium accedunt, sive quid sacratius cæteris agunt? Et quid hortorum nomine nisi conversationes talium designantur adornatæ vitæ floribus et bonorum operum virtute vernantes? In quibus fructificantur, quia sanctitatis actiones faciunt, *et mundos se* putant, quia jam se purgatos a peccatorum sordibus æstimant atque munditiam sibi sanctitatis arrogant. Et quia de suis meritis præsumunt, idcirco veniente eo, qui omnem superbiam percutit, interficiuntur. Hinc namque est quod alias unicuique talium dicitur : « Quo pulchrior es, descende, et dormi cum incircumcisis (*Ezech.* XXXII, 19). » Omnis enim, qui feditatem suæ infirmitatis considerare negligit, sed per elationis suæ fastum virtutis suæ gloriam attendit, quo pulchrior est, inde descendit, quia se extollendo de suis meritis inde in ima interius corruit, unde gloriosum se esse judicavit. Qui descendens cum incircumcisis dormit, quia in æternam mortem cum cæteris peccatoribus deficit.

Bene ergo dicitur, quoniam *multiplicabuntur interfecti a Domino, qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis*, id est excultis virtutum plantariis *post januam intrinsecus*, id est post ingressum sanctioris vitæ, quia multi, qui religiosiores et Deo viciniores esse videntur, in illo die gladio animadversionis ejus interficientur. Quis enim Deo se propinquare non æstimat, cum supernis excrescere virtutibus vel muneribus agnoscit, cum vel prophetiæ donum vel doctrinæ magisterium percipit, vel ad exercendam curationis gratiam convalescit? et tamen sæpe mens, dum de virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario, inopinatæ culpæ telo perforatur, et in æternum longe a Deo fit, unde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquavit.

Recte itaque de omnibus his atque talibus dicitur, quia « multiplicabuntur interfecti a Domino, qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus. » Nec ignoramus Judæos his verbis juxta historiam denotari, imo Scribas et Pharisæos, qui juxta Domini sententiam mundantes, quod foris erat, calicis et paropsidis, intus pleni erant immunditia (*Matth.* XXIII, 25). Præceperat enim per Moysen Deus, ut, si quis præventus fuisset in peccato, vaccæ rufæ aspersus cinere, et aliis expiationum modis per sacrificia et victimas rediret ad templum (*Num.* XIX, 2) Quod illi negligentes in locis deliciarum et voluptatum, id est *in hortis* amœnissimis vel baptisteria exstruebant vel piscinas ad areolas irrigandas, adulteria et omnem libidinum turpitudinem simplicibus abluere aquis se putantes. Dum enim scortis hærerent in modum canum, et masculi in masculos turpitudinem exercerent, *sanctificabantur in hortis*, id est abluebantur et credebant se mundos, sed in adventu interni judicis occidentur. Illi quoque Judæi veteres his verbis arguuntur, qui latenter *in hortis* colebant idola, et ibi *sanctificabantur*, id est laudabantur *et mundos se putabant ;* sed, veniente Domino, interficientur. Confundentur enim ab idolis quibus sacrificaverunt, et erubescent super hortis quos elegerant.

Possumus etiam per idololatras hæreticos accipere, qui, se ab unitate Ecclesiæ separantes, errorum suorum figmenta quasi quædam simulacra colunt in conventiculis suis, velut *in hortis*, ubi, secundum quod eis visum est, sanctificantur jejuniis ac vigiliis et diversis abstinentiis, atque mundos se judicant, quia luxuriantibus et ebriosis atque perjuris aliisque criminosis, qui sunt in Ecclesia, non communicant, et nos, quia maluimus inter tales habitare, quam nos ab unitate Ecclesiæ scindere, contaminari, peccatis existimant. Sed dubium non est, quin omnis istorum multitudo, quæ impietate sanctificatur, et de munditia sua gloriatur, veniente judice, perimatur. Hoc est itaque quod dicitur, quia « multiplicabuntur interfecti a Domino, qui sanctificabantur, et mundos se putabant in hortis post januam intrinsecus. » Sequitur :

« Qui comedebant carnem suillam, et abominationem et murem : simul consumentur, dicit Dominus. »

Ait autem lex : « Sus, quoniam dividit ungulas et non ruminat, immunda erit (*Deut.* XIV, 8). » *Murem* quoque inter immunda reputat (*Lev.* XI, 29). Et quid est ungulam dividere et non ruminare, nisi scientiam quidem discretionis habere, cibos autem vitæ, id est verba justitiæ, non recogitare ac tractare, sed negligenter oblivioni tradere? Quid ergo est suilla caro, nisi corpus infirmæ conversationis eorum qui discretionis acumen habent, sed præcepta Dei in corde suo ruminare negligunt ad faciendum ea? Comedit igitur *carnem suillam*, qui exemplum immundæ actionis istorum quasi sapientiorum su-

Digitized by Google

scipit et imitatur. Abominatio autem est quodlibet exsecrabile peccatum.

Mus vero semper ob edacitatem laborat, eos denotans, qui ingluviem ventris sequuntur, et « quorum Deus venter est (*Philip.* III, 19). » Et ille *murem* comedit, qui exemplum nimiæ edacitatis ab aliquo suscipit. Abominationem vero *comedit*, qui exsecrabile factum in se admittit. Itaque quicunque comedunt *carnem suillam et abominationem et murem*, nisi quantocius per pœnitentiam mundati fuerint, *consumentur* omnes *simul* in die illa. Vel *simul* cum immunditiis quas edunt, *consumentur*, ut *simul* percant et qui præbent exemplum iniquitatis, et qui suscipiunt. Vel *simul* cum eis qui se mundos putant in hortis suis. Sequitur :

VERS. 18. — « Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis

Publicum tunc Dominus examen faciet, et in conspectu totius humani generis non solum *opera* singulorum, sed et *cogitationes eorum* ab initio usque in finem vitæ ipsorum, nisi quæ per pœnitentiam delcta fuerint, congregabit, ac manifestabit, et unusquisque secundum ea quæ cogitavit et operatus est, recipiet. De electis vero subjungit : « Et venient, et videbunt gloriam meam. » Peracto quippe judicio et reprobis in supplicium corruentibus, introducet justos in regnum suum, et ibi manifestabit eis se ipsum, ut gloriam divinitatis ejus in æternum, sicuti est, videant, et in ejus aspectu sine fine gaudeant. Sequitur :

VERS. 19. — « Et ponam in eis signum. »

Ponet *in eis signum*, quia juxta Joannis Apocalypsin : « Nomen ejus habebunt scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XIV, 1). » Vel ad tempora vitæ præsentis intelligi potest subito verba convertisse, quia nunc *signum* sanctæ crucis in omnibus qui ad fidem accedunt ponit. Unde et subdit : « Et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare in Africam, in Libyam (203) tenentes sagittam ; in Italiam et Græciam, ad Insulas longe ad eos, qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus. »

VERS. 20. — « Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis et in quadrigis, et in lecticis et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. »

VERS. 21. — « Et assumam ex eis in sacerdotes et in levitas, dicit Dominus. »

Ut enim Paulus de eo scribit : « Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis (*Tit.* III, 5), » id est per baptismum. Et item : « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII, 24). » Ex his qui baptismo et spe salvati fuerant, misit Christum *ad gentes*, ipsum Paulum et Barnaban cæterosque tales. *In mare* misit eos, id est ad insulas quæ sunt in mari. *Africam* vero, quæ est meridiana pars mundi et Libyam, quæ est superior, atque *Italiam*, quæ est ab occidente, et *Græciam*, quæ versus Aquilonem sita est, nominatim posuit sermo divinus, ac si meridiem et orientem, occasumque et aquilonem nominasset, et quia hæ principales sunt in orbe regiones. Sermo autem prædicationis vocatur sagitta, quia in eo, quod vitam ferit male viventium, corda transfigit. Præcones autem veritatis etiam *ad insulas* longius in Oceano missi sunt, et ad omnes qui *nihil* antea a Deo *audierunt*, *neque gloriam* mirabilium, quæ in carne gessit, *viderunt*.

Fratres vero credentium sunt omnes, qui ad fidem veniunt, et Deum cum eis Patrem habere incipiunt. Qui de cunctis gentibus *adducuntur Domino in equis et quadrigis et lecticis, et in mulis et in carrucis*. Nam quid *equos* nisi deiferos prædicatores appellat? Et quid *quadrigas* nisi prædicationes eorum, qui quatuor voluminibus Evangelii quasi quatuor rotis feruntur, vel in lege et prophetis, atque in Evangelio et apostolis velut in quatuor rotis innituntur? Unde et alias dictum est ei : « Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio (*Habac.* III, 8). » Lectica vero dicitur a lecti similitudine, et est gestatorium, in quo velut in curru super quatuor equos portari solebant filiæ nobilium coopertæ cortina desuper. Cui gestatorio simile fuit vas, quod ad Petrum de cœlo submissum est. Vidit enim Petrus in excessu mentis « descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ et volatilia cœli, et facta est vox ad eum : *Surge, Petre, occide et manduca* (*Act.* X, 11). » Lectica ergo idem significare creditur quod et illud vas, id est vehiculum prædicationis evangelicæ, in quo molliter feruntur, acquiescunt et nutriuntur delicatæ animæ fidelium, et a strepitu negotiorum sæcularium absconduntur. Lecticas autem plurali numero posuit, quia unusquisque prudens doctor et religiosus ex verbis et arte prædicationis suæ componit gestatorium hujusmodi ad nutriendum in secreto promovendumque fidelium animas quasi nobilium filias.

Quid autem per mulos sive per mulas, quæ semper sunt steriles, figuratur, nisi electorum sacerdotum perpetua castitas? Nam quod mula virginitatem seu continentiam significet, agnoscimus, cum Salomonem super « mulam David » imponi legimus, ut in regem super Israel constituatur (*III Reg.* I, 38). Quid enim per Salomonem nisi Christus, et quid per « mulam David, » nisi primitiva Ecclesia mente et corpore casta designatur? Super quam Salvator impositus rex est super universum Israel, id est super omnem populum credentium constitutus. *In mulis*

(203) Alias, *Lydiam, tendentes sagittam.*

Digitized by Google

ergo prælatos Ecclesiæ semper castos intelligamus. A Carrucæ autem et ipsa sunt nobilia vehicula, quæ a *Carro* nomen acceperunt. Et quid *in carrucis*, nisi jam dictæ prædicationes exprimuntur, quæ nos in via Dei portant, et ad cœlestia subvehunt : *In equis* itaque et *in quadrigis et lectulis atque mulis et carrucis adducuntur fratres vestri de cunctis gentibus ad montem sanctum Domini Jerusalem*, dum per sanctos prædicatores, ac per ministerium doctrinæ et actionis eorum adducuntur undique credentes ad Ecclesiam. Et *adducuntur sicut munus*, quod *in vase mundo* a filiis Israel inferri solebat *in domum Domini*, quia et ipsi sunt acceptabile munus atque in sancto vase prædicationis a doctoribus in Ecclesiam inferuntur.

Vel qui veloces sunt in fide, *equis* vehuntur, qui B vero multiplices in gratia, *quadrigis*, qui consolatione indigent, tectis *lectis* et umbraculis, ut audire mereantur : « Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (*Psal.* CXX, 6). » *In mulis* adducuntur continentes et steriles. Carrucæ vero illi intelligendi sunt, quibus loquitur Apostolus : « Invicem onera vestra portate (*Galat.* VI, 2). » Et in *vase mundo* casti corporis adducuntur Domino fratres vestri. Et ex his Dominus *in sacerdotes et levitas* assumit, quia non jam de sola tribu Levi, sed et de cunctis nationibus sacerdotes et levitæ digni Deo eliguntur. Quia vero hi quos sancti prædicatores ad Ecclesiam adducunt, Deo in æternum placent, et cum eo regnant, pulchre subjungit :

VERS. 22. — « Quia sicut cœli novi et terra nova, C quæ ego stare facio coram me, dicit Dominus : sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. »

Nam sicut in æternum stabunt *cœli novi, et terra nova*, quæ Dominus ante se stare faciet post diem judicii : *sic stabit* æternaliter coram eo *semen* prædicatorum, id est filii, quos per Evangelium genuerunt, et *nomen* eorum in Libro vitæ coram oculis Dei permanebit. Unde et beatus Apostolus de eo fidelibus scripsit : « Qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in adventu Domini nostri Jesu Christi (*Judæ* 24). » Sine fine ergo stabunt electi ante faciem ejus, ubi a se ipsis ad illum erigentur intuendum, raptique intentione cordis et dulcedine contem- D plationis, decorem vultus ejus semper aspicient. Sequitur :

VERS. 23. — « Et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato. »

Mensis pro perfectione positus est. Quid enim mensis, nisi perfectio dierum? quid vero *Sabbatum* nisi requies, in qua fieri opus servile non liceat? *Erit* ergo *mensis ex mense*, quia qui hic perfecte vixerint, illic ad perfectionem gloriæ perducentur. *Et Sabbatum erit ex Sabbato*, quia qui hic cessaverint a perverso opere, illic requiescent in cœlesti retributione. Et quia Dominus in die resurrectionis etiam corpora justorum in illam viventium patriam introducet, congrue subditur :

« Et veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus. »

Receptis enim corporibus, omnes electi ingredientur aulam perpetui regni, et ante sedem majestatis ejus venientes, procident in faciem suam, læti, gratias agentes, et adorabunt eum sicut ex Apocalypsi Joannis evidenter agnoscimus (*Apoc.* IV, 10). Mox ut incircumspectum lumen ejus viderint, quam angusta sint omnia, quæ creata sunt, deprehendent, et quid agatur in omni creatura, facile videbunt. Unde et subditur :

VERS. 24. — « Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me. »

Non tamen corporaliter eos de illa regione beatorum credimus egressuros, sed magnitudine visionis *egredientur*, quia mentis eorum amplitudinem latitudo cœli concludere non poterit, sed visus eorum limites patriæ cœlestis excedet, ut non solum ea, quæ intus, sed et ea, quæ foris fuerint, manifeste conspiciant. Nam luce visionis intimæ laxatur sinus mentis. Cumque in Dei lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur, tantumque expanditur in Deo, ut angusta ei videatur omnis creatura. Unde non loci mutatione, sed latioris ac purioris visus assumptione, dicuntur *egressuri*, ut *videant cadavera prævaricatorum*, id est corpora peccantium in suppliciis ardentia, quia dum incircumspectum lumen Conditoris aspiciunt, parum est, ut omnia, quæ in illo beatitudinis regno sunt, videant, nisi et cuncta quæ in universitate creaturæ fiunt, liberæ mentis C visu conspiciant. Justi itaque in tormentis semper intuentur injustos, ut inde eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt; tantoque majores ereptori suo gratias referant, quanto vident in aliis, quid ipsi pati, si essent relicti, potuissent.

Nec illam tantæ beatitudinis claritatem apud justorum animum fuscat conspecta pœna reproborum, quia ubi jam compassio misericordiæ non erit, minuere procul dubio beatorum lætitiam non valebit. Quid autem mirum, si, dum justi injustorum tormenta conspiciunt, hoc eis eveniat in obsequiis gaudiorum, quando et in pictura niger color substernitur, ut albus vel rubeus clarior videatur? Et quamvis eis sua gaudia ad perfruendum plene sufficiant, mala tamen reproborum ad augmentum lætitiæ absque dubio semper aspiciunt, quia, ut dictum est, qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. *Cadavera* autem appellat corpora reproborum, quia fetentia sunt et æterna morte deficiunt. De quibus et subjungitur :

« Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur. » *Ignis* enim ille gehennalis *nunquam exstinguetur*, sicut et Joannes asserit, dicens de Domino : « Paleas autem comburet igni inexstinguibili (*Matth.* III, 12). » In quo et *vermes* immortales esse credendi sunt, qui carnes impiorum sine fine comedant, ut non solum ab igne perpetualiter crucien-

Digitized by Google

tur, sed et a vermibus devorentur. Unde et Judith in Cantico suo ait : « Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant mala usque in sempiternum (*Judith.* XIV, 21). » Et alibi scriptum est : « Vindicta carnis impii ignis et vermes (*Eccli.* VII, 19). » Sicut ergo corporeus est ille ignis; sic et vermes sunt corporei, quia et iguis corpora reproborum concremat, et vermes ea dilacerant. Vel in verme putredo gehennæ designatur, et in igne ardor. Seu *vermis* dicitur sera scelerum pœnitudo, quæ nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit, ut ignis sit pœna extrinsecus sæviens, vermis dolor intrinsecus accusans. De quibus adhuc subditur :

« Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. »

Usque ad satietatem quippe *visionis* erunt, quia de eorum visione satiabuntur omnes justi, quos sine intermissione videbunt ante oculos suos perpetuæ ignominiæ mancipari. Nam omnem carnem vocat nunc omnes electos post resurrectionem corporum gloria incorruptionis vestitos.

His dictis propheticus liber finem accipit. Et pulchre beatus Isaias librum suum in hoc loco terminat, ut qui de his maxime, quæ in præsenti vita fiunt, hucusque locutus est, nunc illis, quæ in futuro complebuntur, finem dicendi faciat.

Nos quoque ad resurrectionis gloriam, quæ in fine hujus libri ostenditur, et octonario numero frequenter designari solet attingere cupientes dicta ejus, prout cœlestis inspiratio nobis aperuit, ac juxta sensum Catholicæ veritatis, quæ in omnibus libris orthodoxorum Patrum invenitur, et secundum rationem fidei, quam tenet Ecclesia, octo voluminibus compendiose pertractavimus non præjudicantes aliorum intelligentiæ, qui de his forsitan aliter senserunt, vel sentient, sed simpliciter, quod nobis visum est, ostendentes.

Nihil enim obest Scripturam sacram aliter atque aliter intelligi, dummodo veritas Catholica teneatur, et quod intellectum fuerit, pietatem nutriat, nec ab aliis Scripturæ sententiis improbari possit. Unde qui melius hæc interpretari poterit, manifestet impigre, quod multis utile novit, ne in novissimo pecuniam domini sui arguatur occultasse. Qui vero hæc melius non exposuerit, aut meliorem Libri hujus explanationem non habuerit, huic non detrahat, quam nostra exiguitas edidit. Nam quia opus erat expositore, ut propheticus iste liber tam utilis ac necessarius, quem et plus cæteris prophetarum libris frequentat Ecclesia, intelligi posset, et nusquam in regionibus nostris integram super eum explanationem inveniebamus, impulsus sum opus istud aggredi, ut quantulamcunque darem intelligentiam his qui prophetæ dicta legebant vel audiebant, et non intelligebant.

Qui ergo prophetam hunc non intelligit, et aliam ejus expositionem non habuerit, vel non invenerit, non dedignetur istam recipere, nisi semper Isaiam voluerit ignorare. Si quis vero hanc forte gratam sibi esse judicaverit, aut aliquem ex ea fructum perceperit, Auctori bonorum omnium inde grates referat, ipsumque precetur, ut tanti laboris mercedem in futuro sæculo mihi restituat. Qui vivit et regnat Deus in omnia sæcula sæculorum. Amen.

HERVEI
BURGIDOLENSIS MONACHI
COMMENTARIA
IN
EPISTOLAS DIVI PAULI.

(Edit. Opp. S. Anselmi, Coloniæ, anno 1573, apud Maternum Cholinum data, fol., t. II.)

PRÆFATIO.

De epistolis Pauli apostoli, adjuvante Domino, locuturi, primo videamus quid ipsum nomen epistola significet. *Epistola* Græce, *supermissa* Latine dicitur, sicut epigramma *super littera*, et epita-

Digitized by Google

phium *super sepulcrum* : *epi* enim græce, latine *super* ; *stola* vero *missa* dicitur. Et hinc epistolæ dicuntur supermissæ, eo quod super id quod fideles acceperant, sint eis missæ. Acceperant enim Evangelium et adhuc superadditæ sint illis Epistolæ, et ob varias causas directæ. Nam sicut prophetæ post editam legem Moysi, in qua omnia Dei mandata legebantur, semper doctrina sua compresserunt redivivapopuli peccata, et propter exemplum libris ad nostram etiam memoriam transmiserunt : sic et Apostolus post Evangelium; quod est legis supplementum, et in quo nobis exempla et præcepta vivendi plenissime digesta sunt, has epistolas voluit ad singulas ecclesias destinare, scilicet ut in initio nascentis ecclesiæ novis causis existentibus, et præsentia atque orientia resecaret vitia et post futuras excluderet quæstiones. Sicut ergo necessariæ fuerunt post legem prophetiæ, sic necessariæ sunt post evangelium epistolæ. Quoniam sicut ea, quæ in lege fuerant obscurissime dicta, per prophetas aliquantulum manifestabantur, et transgressores ejusdem legis per eos corrigebantur; sic quod in Evangelio obscure et generaliter dictum fuerat, apostolica instructione per partes elucidatum est, et transgressores evangelicorum præceptorum sunt correcti, et ad observantiam eorum incitati.

Hujus autem Pauli apostoli epistolæ sunt quatuordecim, quas legit Ecclesia, qui tamen et quintam decimam ad Laodicenses sine dubio scripsit. Et cum in prima, quam habemus ad Corinthios, dicit : *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis* (*I* Cor. v), videtur significare aliam epistolam se jam eis scripsisse. Cum ergo plurimas epistolas scripserit, non sine certa mysterii ratione patres voluerunt, ut quatuordecim tantum legerentur in ecclesia : decem videlicet ad ecclesias missæ, quatuor autem ad discipulos. Sed et ex ipso epistolarum numero ostendere voluerunt, quod doctor egregius, legis et evangelii secreta rimatus esset, denarius enim numerus legem significat, propter decalogum ejus ; quaternarius autem evangelium, propter quatuor ejus libros. Decem itaque tenentur, quas scripsit ad ecclesias, ut demonstretur Novum Testamentum a Veteri non discrepare, nec Apostolum in aliquo contra legem Moysi fecisse, cujus epistolæ ordinantur ad numerum primorum Decalogi mandatorum ejusdem legis ; et quot præceptis Moyses filios Israel instituit a Pharaonis jugo liberatos, totidem hic epistolis a diaboli et idololatriæ servitute ereptos edoceret. Per quatuor autem ad discipulos scriptas, Novum designatur Testamentum. Unde et iidem discipuli majoris perfectionis fuerunt, quam ecclesiæ, ad quas decem sunt missæ, ut significaretur imperfectio eorum qui sub lege fuerunt, et perfectio eorum qui evangelium custodiunt. Quod autem quatuor ad discipulos, post novem ad ecclesias posuere patres, et illam, quæ est ad Hebræos, ad ultimum locaverunt : certissime dat intelligi, quod Novum in Veteri Testamento continetur, et quod unum sine altero non prodest. Sicut enim quaternarius denario junctus explet hanc summam, id est quatuordocim, ita Novum et Vetus Testamentum unum quid operantur, et intendunt fidei veritatem ac morum honestatem intimare cordibus auditorum suorum.

Itaque quatuordeeim epistolis continetur doctrina Pauli, qua tam majores quam minores, quomodo vivant et credant, instruuntur, quoniam sancta ecclesia juxta ejus institutionem utrumque Testamentum custodiens, et tam secundum legis catalegum, quam secundum quatuor evangelii libros vivens, ad perfectionis culmen proficit.

His ita præmissis, videndum est qua ratione alio ordine a sanctis Patribns Spiritus sancti consilio istæ epistolæ in uno volumine sunt collectæ, quam ab Apostolo factæ. Quæ et nobis derelictæ sunt ad correctionem et exhortationem nostram, ut omnes quotquot vulnerati cadimus, ibi inveniamus quomodo resurgere queamus, et inde recuperare quod amisimus. Ideo quemdam gradationis ascensum in his notare possumus, quoniam ecclesiæ, quæ magis in fide et morum honestate quam declaratione illarum regitur, epistolæ sunt præpositæ, ut secundum quod minus perfectis ecclesiis missæ præcedunt epistolæ, et subsequentur ad perfectiores destinatæ, gradus quidam ascensionis a minoribus ad majora inveniantur. Nemo enim repente fit summus, sed a minimis quisque inchoat ut ad majora perveniat.

Epistola ergo ad Romanos prima est, quia cum fides prima virtus sit et fundamentum aliarum virtutum, et sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* xi), dignum fuit ut illa epistola in capite aliarum locaretur, in qua de prima virtute agitur, et in qua corriguntur, atque ad fidei perfectionem revocantur, quicunque Romanis secundum fidei imperfectionem sunt similes. Illa vero quæ est ad Corinthios, jure huic supponitur, quoniam eos qui fidem jam acceperant, in bono opere instruit. Primo enim jaciendum est fundamentum, id est fides, et inde bona opera sunt superædificanda. Propter quod in illa ad Romanos facta est omnibus fidelibus instructio secundum fidem ; in hac autem ad Corinthios, secundum operationem. Sic et cætera deinceps congruo ordine sunt positæ.

Fuerunt nonnuli tamen qui dixerunt epistolam ad Romanos ideo primam esse positam, quia Romani tam rudes erant, ut non Dei gratia, sed suis meritis crederent se esse salvatos. Sed hoc non ita declarat in omnibus textus ipsius epistolæ, quæ omnibus sensu profundior est. Ideoque magis credendum est quod illi qui membra epistolarum in uno corpore collegerunt, illam judicaverunt sedere in capite, quæ ad urbem directa est, quæ in illo tempore caput totius exstitit orbis, et quia usque hodie Romana ecclesia omnium ecclesiarum obtinet principatum.

Materia vero omnium epistolarum est fides, et

Digitized by Google

boni mores. Intentio autem est, ipsam fidem ac mores commendare, et ad illos provocare, videlicet suadendo bona, dissuadendo mala ; prave agentibus mala comminando, bene agentibus bona promittendo. Et propter quam finalem causam? Nulli dubium quin propter veram beatitudinem promerendam. Ad hanc igitur unam et generalem intentionem aliæ speciales reducentur intentiones, nec quidquam per omnes diversos tractatus interseritur, quod non ad instructionem fidei et morum vel principaliter, vel secundario operetur. Et idcirco ad ethicam pertinet tractatus earumdem epistolarum. Illa vero quæ est ad Romanos, quantum ex ejus textu intelligi potest, quæstionem habet talem : Utrum Judæis evangelium Christi venerit propter merita operum legis, an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit justificatio fidei quæ est in Christo Jesu, ut non, quia justi erant homines, crederent, sed credendo justificati, deinceps juste vivere inciperent.

In hac igitur epistola docere intendit Apostolus omnibus venisse gratiam evangelii Christi. Quam et idcirco gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuito datum. Cœperant enim nonnulli, qui ex Judæis crediderant, tumultuari adversus gentes, et maxime adversus ipsum Paulum, quod incircumcisus et a legis vetustæ vinculis liberos admitteret ad evangelii gratiam, prædicans eis ut in Christum crederent, nullo imposito carnalis circumcisionis jugo. Sed Apostolus tanta moderatione invicem utrosque conciliat, ut nec Judæos superbire permittat, tanquam de meritis operum legis, nec gentes merito fidei adversus Judæos inflari quod ipsi receperint Christum quem crucifixerunt (*II Cor.* v). Pro Christo enim, sicut alibi dicit, legatione fungens, id est pro lapide angulari utrumque populum tam ex Judæis quam ex gentibus connectit in Christo per vinculum gratiæ, utrisque auferens omnem superbiam meritorum, et justificandos utrosque per disciplinam humilitatis associans. Quod si quis quæsierit quomodo Judæi, qui Romæ erant conversi, murmurarent contra Paulum, quem necdum viderant, sciat ipsum non eis ignotum fuisse, quia fama prædicationis ejus ubique audiebatur, et quidam ex discipulis ejus atque ex discipulis Petri jam venerant Romam, et multos ibi tam ex Judæis quam ex gentibus ad fidem converterant. Sed inter eos nuper conversos erat, ut diximus, schisma et altercatio; Judæi enim gloriabantur de suis meritis et nobilitate generis, non intelligentes se ad fidem per gratiam Dei venisse, sed æstimantes hoc suis et patrum meritis accepisse; gentiles autem, licet non præcessissent merita eorum de quibus gloriari possent, ut se Judæis anteferrent, tamen Judæos quasi interfectores Christi ac prævaricatores legis despiciebant, et se sola ignorantia præpeditos fuisse, quod non antea crediderant, asserebant, scilicet viribus rationis et arbitrii sui, non æstimantes necessarium esse opus divinæ gratiæ. Utrosque ita contentiose viventes, sic corrigit Apostolus. Judæis enim ostendit fidem et cætera spiritualia bona nullis præcedentibus meritis evenisse, sed ex sola gratia, quoniam lex neminem justificavit, solummodo dans peccati notitiam. Sic etiam probat gentes non ex ignorantia, sed scienter ex studio multumque graviter Deum offendisse, quia licet scriptam legem non habuerint, naturalem tamen habuerunt. Et cum cognitum de creatura Creatorem, ut Deum venerari debuissent, gloriam ejus in manufacta simulacra mutaverunt. Utrosque etiam similiter veniam consecutos, æquales esse verissima ratione demonstrat, præsertim cum in lege prædictum sit, et Judæos et gentes ad Christi fidem esse vocandos. Quamobrem vicissim eos humilians, ad pacem et concordiam cohortatur.

Occasio itaque hujus epistolæ fuit eorum altercatio, circa quam totum versatur negotium. In quo tractatu intendit Apostolus superbiam et elationem utriusque partis reprimere, per quam ad invicem dissentiebant, ut nullo jure nullisque suis meritis glorientur, sed ad humilitatem potius revocentur, et totum quidquid boni habent, gratiæ Dei deputent, et ita per humilitatem in concordiam et pacem redeant.

Materia vero hujus epistolæ est ecclesia Judæorum et gentilium, ob supra dictas causas discordantium. Sed his jam explicitis, ad librum accedamus. Apostolus enim priusquam exponere incipiat quod intendit, prologum facit, quo auditores attentos, dociles ac benevolos reddit, salutatque, dicens :

EXPOSITIO IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, « segregatus in Evangelium Dei, quod ante promi- « serat per prophetas suos in Scripturis sanctis de « Filio suo, qui factus est ei ex semine David se- « cundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei « in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex « resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini no- « stri, per quem accepimus gratiam, et apostolatum « ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro no- « mine ejus, in quibus estis et vos vocati Jesu « Christi, omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei vo-

Digitized by Google

« catis sanctis : Gratia vobis et pax a Deo Patre, et « Domino nostro Jesu Christo. »

Jam primum videamus, cur is qui antea dictus est Saulus, nunc dicatur Paulus. Saul rex superbus et infrenis fuit, et persecutor sancti David, atque de tribu Benjamin natus. De qua tribu et iste Saulus fuit, atque nomen et sævitiam, velut hæreditatem, a Saule percepit. Saulus ergo nomen est superbi persecutoris. Sed et Saul atque Saulus, idem nomen est. Quod enim Saulus a nobis dicitur, hoc idioma græcum et latinum fecit, ut Hebræa nomina ad suorum casuum similitudinem declinaret; et sicut pro Joseph Josephus, pro Jacob Jacobus, ita Saul quoque Saulus in nostra lingua dicitur. Qui cum Paulum proconsulem Christo subjugasset, ipse quoque ex Saulo Paulus appellari voluit, ob tam clara pulchræ victoriæ insignia. Plus enim hostis vincitur in eo quem plus tenet, et de quo plures tenent (204). Plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, et de his plures nomine auctoritatis. Sicut ergo ille qui Africam subegit Scipio, dictus est Africanus; sic et Apostolus iste post Pauli subjugationem, semper vocatus est Paulus, qui antea solebat appellari Saulus. Nec immerito : nam Saulus sive Saul interpretatur *petitus*, eo quod ad debellandam Ecclesiam a diabolo fuerat postulatus. Paulus vero dicitur mirabilis, et digne ad prædicationem gentium missus. Nominatur Paulus, idem, mirabilis, ut mirabiliter lucrifaceret mercedem fidei. Est enim dux valde mirabilis, qui non in sapientia verbi, non in divitiis, non in eloquentia, non in vana sæculi gloria, sed in Christi passionibus gloriatur. Potest et alia ratio super hac re proferri, quia forsitan binomius fuit, scilicet ut et Saulus vocaretur et Paulus. Nam et hoc probabilius dici videtur, quia quod eum a Paulo proconsule quem Christo subjecit, Paulum vocari diximus, nulla talis consuetudo in divinis Scripturis deprehenditur. Sed in eisdem Scripturis invenimus nonnullos binis, alios etiam ternis usos esse nominibus, sicut Sedechiam, eumdemque Joachim; sicut Oziam eumdemque Azariam; sicut Salomonem, eumdemque Ididan sive Ecclesiasten, aliosque plurimos. Sed nec apostolis Christi mos iste defuit. Nam unus ex eis vocatus est Matthæus et Levi, alius autem Lebbæus et Judas Thadæus. Quia ergo moris erat binis vel ternis nominibus uti Hebræos, videtur et hic apostolus duplici usus esse vocabulo; et donec quidem genti proprie ministrabat, Saulus esse vocatus, quia hoc magis appellationi patriæ vernaculum videbatur (*Act.* XIII); Paulus cum Græcis et gentibus leges ac præcepta daret. Nam et hoc ipsum quod Scriptura dicit, Saulus autem qui et Paulus, manifeste videtur ostendere, non ei tunc primum Pauli nomen impositum esse, sed veteris appellationis id fuisse. Sive ergo ista, sive prior ratio sit verior, unum pro certo est, quia iste apostolus ex quo ad prædicandum gentibus cum Barnaba missus est, maluit Paulus vocari quam Saulus. Et hoc nomen suum celebre, et omnibus cognitum præponit in hac epistola, ut Romani, audito tanti viri nomine, attendant quid eis velit persuadere, quid dignetur præcipere, scilicet ut ad audiendum solliciti, et ad obediendum existant parati. *Paulus*, inquit, ac si diceret : Vos Romani pacem debetis inter vos habere, quia ille qui vobis scribit, est Paulus, id est non persecutor Christianorum, sed doctor; non dissipator Ecclesiæ, sed constructor; neque dissensionis, sed unitatis et concordiæ persuasor. Nec debetis in elationem tolli, quia ille qui vos docet, est *servus*, id est humilis, et non absque jugo Domini. Servus enim nomen humilitatis est, ut ad eam provocet. Sed cum Dominus electis discipulis dicat : « Jam non dicam vos servos (*Joan.* XV), » quomodo iste est servus? Sed sunt duo genera servitutis : unum timoris, alterum dilectionis; unum timentium servorum, alterum diligentium et placentium filiorum. Electi ergo discipuli non sunt servi secundum servitutem timoris, quem perfecta dilectio foras mittit (*I Joan.* IV), sed secundum servitutem casti timoris, quem perfecta charitas gignit. Paulus itaque servus est, non ex servili timore, sed ex casto amore serviens Deo. Qui personam suam et officium primo commendat, ut sermonibus suis et correctionibus Romani facilius acquiescant, et exemplum ab eo humilitatis et concordiæ sumant. Paulus enim, sicut diximus, interpretatur *mirabilis*. Et ipse revera mirabilis erat, quem Deus tanta meritorum prærogativa mirificaverat. Et tamen se in omnibus humiliabat, et se servum humiliter fatebatur, ut exemplum omnibus daret humilitatis, ne quisquam de suis meritis aut viribus gloriaretur, sed omnes gratiæ Domini reputarent, quidquid boni haberent : et se non superbe liberos, sed humiliter servos cognoscerent. Quod autem alii dicunt Paulum dici latine *modicum*, et Græce *quietum*, nos multum non approbamus, quia hoc nomen non est græcum aut latinum, sed hebraicum, ideoque juxta hebraicum sensum intelligendum.

Paulus servus Jesu Christi. Ac si dicat : Non me liberum facio, nec me domino meo æquiparo, sed ejus servum me reputo et subjectum, et quidquid boni habeo, ejus gratiæ totum ascribo. Vos autem non servos ejus, sed liberos constituitis, et donum gratiæ ejus, quod in vobis est, derogantes, meritis vestris et ingenii viribus ascripsistis. Servus, inquit, sum Jesu Christi. Et hoc ad commendationem personæ suæ valet, quia et servus et honestus, et Dominus incomparabiliter honestior. Ideoque tanti Domini tam honestus servus, libenter debet suscipi. Nondum se dicit apostolum, sed tantummodo servum, cum in aliis epistolis mox præferat nomen auctoritatis, quia nondum Romanis prædicaverat, nec adhuc apostolus esse videbatur. Et ideo eis

(204) Locus obscurus.

Digitized by Google

præponit nomen humilitatis, cum illos ad humilitatem invitaret, quod si per auctoritatis nomen ad obediendum constringeret.

Servus Jesu Christi. Aliam significationem habet Jesus, aliam Christus, cum sit unus Jesus Christus, Salvator noster (205). Jesus enim proprium nomen est illi, quomodo Moyses proprio nomine appellatus est, quomodo Aaron, quomodo Elias. Christus autem sacramenti nomen est, quomodo si dicatur legislator, quomodo si dicatur sacerdos, quomodo si dicatur propheta. Sic enim et Christus commendatur unus, in quo esset redemptio totius populi Israel. Quem Judæi venturum exspectabant, sed quia venit humilis, non cognoverunt eum.

Vocatus apostolus in Evangelium Dei. Vocatus est ab infidelitate ad fidem, quando pergenti ire ad Damascum Christus illi de cœlo est locutus (*Act.* IX). Et institutus est Apostolus, quod latine dicitur *missus*, quando post oranti in templo apparuit illi Dominus, dicens : « Festina et exi velociter ex Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Vade, quoniam ego ad nationes longe mittam te (*Act.* XXII). » Qui et *segregatus est in Evangelium Dei*, dicente post apud Antiochiam Spiritu sancto : « Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos (*Act.* XIII). » In his omnibus gloriari Paulus posset, quoniam hæc omnia, Domino apparente et loquente, consecutus est. Magnus enim ostenditur, quem sic Deus per seipsum promovere dignatur. Sed cum maximas gloriandi occasiones habeat, in omnibus tamen se humiliat, ut omnes exemplo sui ad humilitatem trahat. Et ideo servum se in prima fronte nominat. Vocatio autem, qua vocatus est, non illa est de qua dicitur : « Multi sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX), » sed illa potius de qua ipse loquitur : « Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit (*Rom.* VIII). » Qui et Apostolus, id est a Christo missus est, ut legatione pro eo fungens, omnes ad vitam vocaret. Et non sicut cæteri apostoli missus est, sed segregatus in Evangelium Dei. Cum enim unicuique apostolorum destinata esset ad prædicandum sua provincia, Paulo et Barnabæ commissum est officium prædicandi in omnibus gentibus. Et ita segregati sunt isti duo, id est seorsum a grege cæterorum prædicatorum, evangelizare missi. Vel segregati in Evangelium, quia de grege cæterorum prædicatorum, qui Antiochiæ morabantur, electi sunt a Spiritu sancto in opus prædicationis. Evangelium interpretatur *bonum nuntium*, quia ibi nuntiatur humana salus per incarnationem et mortem et resurrectionem Christi. Quod Evangelium non est hominum, sed *Dei*, id est non ab hominibus institutum vel inventum, sed a Deo.

Quod ante promiserat per prophetas suos. Ad commendationem prædicatoris, ponit commendationem Evangelii. Unde etiam prædicator ipse satis posset gloriari, quasi dicat : Segregatus sum in Evangelium, quod non est subitum nec improvisum, quia ante completionem promiserat illud Deus, ut cum desiderio exspectaretur, et veniens devote et absque ullo scrupulo susciperetur. Non est frivolum neque recens, quod Deus Pater promiserat gratis, et non noviter, sed ante, id est per multa prius sæcula. Promiserat illud ante per prophetas, neque per alienos prophetas, sed suos. Nam et prophetæ qui non fuerunt sui, nonnulla de Christo prædixerunt, sicut Sybilla et Virgilius. Sed Apostolus de illis prophetis loquitur qui fuerunt ejus, sicut Isaias et Jeremias. Promiserat, inquam, per prophetas, et hoc non verbis tantum, sed in *Scripturis*, non sæcularibus, sed *sanctis*, id est divinis. Nam in libris gentium inveniuntur testimonia veritatis, sicut idem Apostolus Atheniensibus loquens ostendit. Sed qui in eisdem libris etiam errores prædicantur, ideo non sunt sancti, quamvis aliquid in eis ad Christum pertinens, inveniatur. Sed Scripturæ illæ sunt sanctæ, quæ fuerunt Hebræorum populo divinitus creditæ, et in eis leguntur promissiones Evangelii dandi, quas per veros prophetas suos ab antiquis temporibus fecit. In eis Scripturis relictæ sunt promissiones scriptæ, ne oblivioni darentur, et ad notitiam posterorum non pervenirent. Scripturis dico, *de Filio suo*, quia omnes illæ de unigenito Dei sunt factæ, et omnes ejus divinitatem, per quam omnia facta sunt, prædicant ejusque humanitate omnia restauranda prænuntiant.

Qui factus est, id est qui manens quod erat, assumpsit quod non erat. Dico, factus est hoc non secundum divinitatem, sed *secundum carnem*, quia secundum divinitatem genitus est a Patre, non factus; secundum carnem vero factus est ei, id est ad honorem ejus, ut Pater glorificaretur per humilitatem incarnationis et obedientiæ illius. Factus est, et hoc non ex qualibet stirpe, sed *ex semine David*, quia incorrupta mater ejus, ex cujus sanctificato virginali utero ipse carnem assumpsit, orta est ex progenie David, cui Deus promiserat quod ex semine ejus rex æternus esset suscitandus. Sic enim dixisse legitur : « Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium (*I Paral.* XVII). » Secundum istam promissionem Filius Dei ex semine David factus est homo, ut ædificaret domum, quæ est ecclesia, et regnaret in sempiternum.

Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Prædestinatus, id est præordinatus a Deo Patre secundum humanitatem, hoc est sola gratia præelectus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David

(205) Locus obscurior.

Digitized by Google

esset tamen in virtute divinitatis Filius Dei, id est ita susciperetur humanitas a Verbo Dei in unitate personæ, ut idem homo Filius Dei esset propter unionem Verbi, Filius Dei esset *secundum Spiritum sanctificationis*, id est secundum quod Spiritus sanctus uterum virginis ex quo ille nasceretur, sanctificavit, sicut et angelus dixit: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Prædestinatus est, et hoc *ex resurrectione mortuorum*, id est ut præcederet resurrectionem mortuorum. Quorum mortuorum? *ejusdem Domini nostri Jesu Christi*. Ac si diceretur, suorum mortuorum, qui ad eum pertinent et membra ejus sunt. Hos enim præcessit, qui eum ad cœleste regnum, quo eos præcessit, secuturi sunt, et ad beatam incorruptionem. Ex resurrectione autem cæterorum mortuorum non est prædestinatus, quos non erat præcessurus, sed damnaturus, quia non præcessit illos, qui eum secuturi non erant ad gloriam vitæ æternæ, id est reprobos qui ad pœnas resurrecturi sunt. Vel ita: *Qui prædestinatus est secundum carnem*, quoniam Deus ab æterno prædestinavit, ut Verbum ejus caro fieret, quam et resuscitans glorificaret. Prædestinatus est, ut sit Filius Dei in virtute immortalitatis et potentiæ, de qua post resurrectionem ait: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Nam cum de electis ipse dicat, quia filii sunt Dei, cum sint resurrectionis, cur non ipse magis qui secundum divinitatem naturaliter est semper Filius Dei, in resurrectione secundum humanitatem factus esse dicatur Dei filius? Hoc enim docet idem Paulus, ubi de patre dicit in Actibus apostolorum: « Resuscitans Jesum Christum, sicut in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Act.* XIII). » Pater ergo resuscitans Christum, dixit ei: « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » ut illa resuscitatio, secundum Pauli sensum, intelligatur quædam generatio, quia et nostra resurrectio vocatur generatio, dicente Domino: « In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth.* XIX). » Christus itaque secundum humanitatem, qui, dum esset mortalis, erat Filius hominis, in resurrectione vestiens immortalitatem, factus est Dei, nec tamen destitit esse filius hominis, quia verus homo permansit, sed gloriam quam humanitus non habebat, accepit. Et hoc est quod nunc dicitur, quia prædestinatus est esse Filius Dei in virtute ex resurrectione, nec dicitur ex resurrectione sua, sed quod majoris virtutis est, ex *resurrectione mortuorum*, quia multos mortuos fecit secum resurgere. Et ne generalem bonorum atque malorum resurrectionem intelligeremus, quæ futura est in die novissimo, *mortuorum*, in *Jesu Christi*, id est solummodo electorum, ad Christum pertinentium, quia tunc non nisi sancti cum eo surrexerunt. Unde et Dominum nostrum vocat eum, quia qui in morte sua mortem nostram et hostem antiquam destruxit, in resurrectione debitum super nos dominatum accepit: sicut præmisimus, cum tunc dixisset: « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII). » Prædestinatus est, inquit, esse Filius Dei in virtute ex resurrectione, et hoc *secundum Spiritum sanctificationis*, id est secundum quod Spiritus sanctus eum sanctificavit ab ipso exordio conceptionis ejus. Nam per Spiritum quo sic sanctificatus fuerat, suscitatus est a morte, ut esset eo modo quo diximus, Filius Dei, quia et nobis dicitur: « Qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis (*Rom.* XLVIII). » Vel *prædestinatus est*, ut diximus, secundum humanitatem ut esset Filius Dei *in virtute*, id est in eadem potentia cum Patre per unionem Verbi, cui personaliter homo ille unitus, *secundum Spiritum sanctificationis*, id est secundum quod operatus est Spiritus sanctus conceptionem ejus in utero virginis. Qui Spiritus est sanctificationis, quia sanctificat omnes qui sanctificantur. Et hæc sanctificatio est a resurrectione mortuorum, id est incipit a remissione peccatorum. Qui enim mortui sunt in anima, prius resurgunt a morte peccati, et tunc sanctificantur per Spiritum sanctum. Et tales mortui qui sic ad vitam redeunt, sunt Jesu Christi Domini nostri. Præordinati enim sunt ad vitam ut sint membra Christi; ideo non perseverant in morte peccati, sed pœnitendo resurgunt. Itaque cum audimus, Filius Dei in virtute Jesu Christi, vel Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis Jesu Christi, vel Filius Dei ex resurrectione mortuorum Jesu Christi, cum dici potuisset usitate, in virtute sua, vel Spiritum sanctificationis suæ, vel ex resurrectione mortuorum ejus, vel mortuorum suorum, non cogimur intelligere aliam personam, sed unam eamdemque, scilicet Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, *per quem accepimus gratiam*. Ad commendationem suæ personæ commendaverat Evangelium quod ipse prædicat, et ad commendationem Evangelii commendavit Christum qui auctor ejus est. Et nunc, quid ipse per eum sit adeptus, indicat. Quasi dicat: Talis ac tantus est Christus, per quem mediatorem accepimus a Patre ego et Barnabas vel cæteri apostoli gratiam et apostolatum: *gratiam*, cum omnibus fidelibus; *apostolatum* vero, non cum omnibus. Si tantummodo apostolatum diceret se accepisse, ingratus esset gratiæ qua illi peccata dimissa sunt, et tanquam meritis priorum operum accepisse videretur apostolatum. Optime ergo tenet ordinem causæ, ut nemo audeat dicere meritis vitæ prioris ad Evangelium se esse perductum, cum nec ipsi apostoli accipere apostolatum proprie potuissent, nisi prius communiter cum cæteris gratiam, quæ peccatores sanat et justificat, accepissent. Prius itaque *gratiam*, qua purgarentur a peccatis et sanctificarentur, acceperunt; et post *apostolatum*, id est legationem ut excurrerent ubique prædicare ipsam Evanglii gratiam *ad obediendum fidei*, id est obediatur fidei,

Digitized by Google

pro nomine Christi, id est ut omnes credant in Christum, et signentur in ejus nomine qui salvari cupiunt. Et hoc fiat non in Judæis tantum, sed *in omnibus gentibus*, ubicunque per totius orbis amplitudinem diffusæ sunt gentes. Vel obediatur fidei ut faciant fideles quæcunque fides expetit, non solum credendo, sed etiam operando : et hoc *pro nomine* Christi, id est pro gloria *ejus*, non pro sua, scilicet ut in bonis quæ fecerint, non suam, sed Christi gloriam quærant ; nec suum, sed Christi nomen magnificare cupiant. Accepi, inquit, apostolatum *in omnibus gentibus*, ut in eis obedire faciam plurimos fidei *pro nomine Christi* glorificando. *In quibus* gentibus, super quas scilicet mihi datus est apostolatus, *estis etiam vos*. Hoc dicit ut familiarius admoneat. In quibus fidei obedientibus estis et vos, B o Romani ! qui per gratiam prædicationis estis ad fidem *vocati*, et estis non eorum qui vos vocaverunt, sed *Christi* ad quem vocaverunt.

Vocati enim Jesu Christi estis, id est ad hoc vocati ad fidem, ut sitis Jesu Christi, non Petri vel alterius. Hucusque dictum est,.quis esset qui scribit epistolam. Est enim qui scribit, *Paulus servus Christi Jesu, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei*. Sed quia occurrebat quod Evangelium, respondit : *Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo*. Item quia occurrebat de quo Filio suo, respondit : *Qui factus ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*. Et si diceretur, quomodo tu ad eum pertines? respondit : *Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus*. Item si diceretur, quæ igitur causa, ut scribas ad nos ? respondit : *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi*. Deinde adjungit ex more epistolæ, quibus scribat : *Omnibus*, inquit, *qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis*. Non sanctis ait, diligentibus Deum, sed dilectis dicitur, ut bonitatem Dei potius quam meritum illorum significaret (*I Joan.* IV). Prior enim dilexit nos ante omnia merita, ut nos dilecti eum diligeremus. Quos et gratuito suo munere prædicatores vocavit, atque per baptismum sanctificavit. Omnia ergo bona di- D vinæ gratiæ, non humanis meritis sunt ascribenda. Eos enim, qui odibiles et procul ac turpes erant dilexit et vocavit et sanctificavit. Vel, ut brevius concludam, dilexit, ut vocaret ad sanctitatem. Post hæc, ut compleatur usitatum epistolæ principium, salutat illos, dicens : *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et a Domino*, etc. Gratia et pax sit vobis a Deo, quia non omnis gratia neque omnis pax est Dei vel a Deo. Nam et judices mali præbent gratiam in accipiendis personis aliqua cupiditate illecti, aut timore perterriti, atque mala pax est, qua vitiis aut diabolo concordatur. Sed illa gratia est a Patre et Christo, qua nobis remittuntur peccata, quibus adversabamur Deo ; et pax, qua reconciliamur ei. A Cum enim per gratiam remissis peccatis, assumptæ fuerint inimicitiæ, restat ut pace adhæreamus ei, a quo nos sola peccata dirimebant. Gratia vocatur, quia non ex merito retributa, sed ex donante concessa est. Talis, inquit, gratia et pax sit vobis a Deo Patre nostro, qui nos in filios adoptavit et amari atque honorari vult a nobis ut pater, *et a Domino Jesu Christo*, id est a Filio qui nos de manu inimici redemit, et suo dominio mancipavit, et est Salvator atque rex noster. Gratiam et pacem optat a Patre et Filio, nec adjungit Spiritum sanctum, quia ipse Spiritus sanctus donum Dei est ; et donum Dei, gratia et pax est. Ideoque tota trinitas in hac salutatione ponitur, dum Pater et Christus a Patre nominantur, et Spiritus sanctus gratia et pace significatur. Nullo enim modo dari hominibus gratia potest qua liberamur a peccatis, et pax qua reconciliamur Deo, nisi in Spiritu sancto.

« Primum quidem gratias ago Deo meo per Je-
« sum Christum pro omnibus vobis, quia fides ve-
« stra annuntiatur in universo mundo. »

Commendata multis modis sua persona, et facta salutatione, sicut mos est in epistolis, iterum reddit eos benevolos, nimiam erga eos ostendendo se habere charitatem. Nam quia illos asperrime erat remorsurus, primo leniter inchoat, et illorum benevolentiam captat, ne si statim eos acriter reprehendere cœpisset, illorum impatientia reprehensiones illas graviter ferret, quasi dicat : Multa sum vobis C dicturus. *Et primum quidem*, antequam illa dicam, hoc vobis intimo, quia *gratias ago Deo meo pro omnibus vobis*, congaudens bono inceptui vestro. Ago, inquam, gratias Deo meo, qui cum sit natura et potestate Deus omnium merito et voluntate paucorum est. Ideo dixit : *Deo meo*. Non enim potest vox ista esse nisi sanctorum, quorum Deus dicitur, sicut Deus Abraham, et Deus Isaac et Deus Jacob. Non potest vox ista eorum esse, quorum Deus venter est, vel qui vitium aliud quodlibet fecere sibi Deum. *Ago gratias Deo*, id est sacrificium laudis illi offero, non per me, sed per magnum pontificem, id est Jesum Christum. Qui enim vult Deo sacrificium offerre, per manus pontificis debet offerre. Et ego tale sacrificium per hunc sacerdotem offero pro D omnibus vobis, ut et vos similiter faciatis, agentes semper Deo gratias pro beneficiis quæ vobis contulit. Agere enim Deo gratias est sentire omnia bona ab eo esse data, et pro his laudare corde, voce et opere. Agatis et vos gratias Deo per Jesum mediatorem, per quem vobis dedit Deus quidquid boni habetis, et per quem accipitis quidquid boni offertis. Vel ita : Ago gratias pro omnibus fidelibus. Et primum quidem pro omnibus vobis, scilicet quia vos primi estis, quoniam Romana ecclesia primatum habet inter omnes ecclesias. Et hic quoque patet quod hæc epistola debuit prima poni. Ago gratias Deo, quem digne colendo meum facio, non per legem, sed per Christum. Ago, inquam, gratias, primum quidem pro vobis, deinde pro cæteris. Fri-

Digitized by Google

mum pro vobis, de quibus magna omnibus utilitas venit, quia fides vestra, etsi nondum perfecta, jam tamen *annuntiatur in universo mundo*. Roma tunc erat caput mundi, et de toto orbe illuc conveniebant, atque Romanos suscepisse fidem Christianæ religionis ubique divulgabant, sicque jam securius cæteræ per orbem nationes eamdem fidem suscipiebant. Et hæc est laus fidelium Romanorum, quia tale de eis exemplum ubique spargebatur. Ideoque cavere debebant, ne sicut fama fidei ipsorum procul audita fuerat, ita rumor dissensionis audiretur, et multis noceret. Incitantur enim ad profectum per hoc quod fides eorum ubique renuntiatur. Fides est divinitatis confessio, et religionis solidum fundamentum, quia veraciter credimus id quod videre non possumus. Proprie vero nomen fidei inde vocatur, quia fiat quod dictum est aut promissum. Fides enim est dicta ab eo, quod fit illud quod inter utrosque placitum est, id est inter Deum et hominem, scilicet ut homo faciat opere quod dicit ore, et Deus reddat ei beatitudinem quam promisit.

« Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu « meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermis- « sione memoriam vestri facio semper in oratoni- « bus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando « prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi « ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid im- « partiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos « vos, id est simul consolari in vobis, per eam quæ « invicem est, fidem vestram atque meam. »

Dixi quia gratias ago pro vobis, et hoc non fallaciter dixi; nam Deus est mihi testis quod semper sum vestri memor in orationibus meis. *Deus*, cujus scientia non fallitur, ipse *mihi testis est*, qui novit arcana, qui veritatem considerat, ipse mihi testis est, quod vera sunt quæ dico. *Cui servio in spiritu meo*, id est in affectu mentis meæ, quia non per simulationem illi famulatum exhibeo, sed quidquid foris bene erga servitutem ejus operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio. Servio illi, et hoc *in Evangelio Filii ejus*, id est in prædicatione unigeniti ejus, per cujus incarnationem et mortem ac resurrectionem annuntio datam esse mundo salutem. Et ipse Pater mihi testis est, quod in orationibus meis semper facio memoriam vestri, id est quotiescunque oro pro me, oro et pro vobis; nec vestri obliviscor in precibus meis, sed jugiter memoro, et hoc sine intermissione. Ecce prior facit Apostolus, quod aliis præcipit: « Sine intermissione orate (*Thess.* v). » Et tamen quod ait, *sine intermissione memoriam facio vestri*, non sic accipiendum est, quasi semper hoc ageret, cum fragilitas humana hoc implere non possit, sed ita potius intelligendum est quod nullus dies pertransiret, in quo pro eis non oraret. Hoc etiam dicit ut eum diligant, et audire desiderent, quem tanto studio pro ipsis orantem cognoscunt. Memor vestri sum in precibus meis, *obsecrans*, id est ob sacra quæ percepistis: Deum orans, *si quo modo*, id est ut aliquo modo prospero vel adverso, *tandem*, id est post multa desideria, *aliquando*, id est saltem semel, si sæpius non potero; seu aliquando, id est aliquo tempore, sive æstatis, sive hiemis, *habeam iter prosperum*, id est efficax desideriorum meorum, *iter* dico *veniendi ad vos*, et hoc *in voluntate Dei*, quia tunc erit utilis adventus meus. Prosperum iter habeam in voluntate Dei, quoniam aliter prosperum iter non habeo, nisi voluntas Dei, quæ omnia novit, et bonis omnibus nos prævenit ac fovet, illuc me direxerit, ubi fructum aliquem habeam. Vel prosperum iter habeam in voluntate Dei, quia non semper prosperitas itineris in Dei voluntate perficitur, sicut eorum qui prosperis successibus ad malum currunt. Ideo venire ad vos obsecro, quia *desidero videre vos*, et hoc scilicet, *ut impartiar vobis aliquid*, id est ut faciam vos in aliquo participes spiritalis gratiæ, qui nunc carnali sensu ad invicem contenditis. *Impartiar vobis aliquid gratiæ spiritalis* quæ in me est, id est gratuiti beneficii Dei, videlicet prædicationis, vel miraculorum, *ad confirmandos vos*, id est ut vos confirmem, quia jam aliquid habetis, sed adhuc infirmi et vacillantes estis, ideoque spiritali gratia ad confirmationem indigetis per quam firmi esse possitis. Volo, inquam, vobis impartiri aliquid gratiæ spiritalis ad confirmandos vos in fide, id est volo simul consolari in vobis, *per eam quæ invicem est fidem*, ut per communem fidem invicem consolemur, et de gratia sancti Spiritus invicem gratulemur. Modo enim sum ego desolatus, et vos similiter, licet non sentiatis. Sed sic consolationem accipiemus ego et vos, si ego opus meum in vobis firmum et stabile videro, et si vos apostolicæ gratiæ fueritis participes. Et ita *simul*, id est vicario modo et ego in vobis, et vos in me, consolationem habebimus, *per eam fidem quæ est invicem*, id est communis, quod est Græce Catholica, *fidem*, dico *vestram atque meam*, id est si vestram fidem videro meam, et meam esse vestram, ut una eademque sit et vestra et mea fides, tunc simul consolabimur.

« Nolo enim vos ignorare, fratres, quia sæpe pro- « posui venire ad vos, et prohibitus sum usque « adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, « sicut et in cæteris gentibus Græcis ac barbaris, « sapientibus et insipientibus debitor sum, ita quod « in me promptum est, et vobis qui Romæ estis, « evangelizare. »

Credendum est quod dixi, me desiderium habere veniendi ad vos, quia, o *fratres* mei! id est ejusdem matris ecclesiæ filii, *nolo vos ignorare* quod non solum *volui*, sed *proposui venire ad vos*, et hoc *sæpe proposui*, sed efficere nondum potui, quia *prohibitus sum usque adhuc*, id est usque ad hoc tempus, vel a Spiritu sancto, vel a membris diaboli multa impedimenta mihi, dispensante Deo, ingerentibus. Ideo toties proposui ad vos venire, *ut habeam in vobis* aliquem fructum æternæ mercedis, *sicut et in cæteris gentibus*, id est ut pro labore prædicationis, quam vobis impendo, habeam fructum supernæ retributionis, sicut habiturus sum pro cæteris gentibus,

Digitized by Google

quibus hucusque prædicavi a Jerusalem in circuitu per universam Asiam usque in Illyricum, ubi Europa incipit. Exemplo gentium istarum, provocat Romanos. Vel *habeam fructum in vobis*, id est ut vos, accepto semine prædicationis, fructificetis virtutes et opera bona, quia fructum illum reputo meum. Volo, inquam, fructum in vobis taliter acquirere, sicut et in cæteris, quia in omnibus *sum debitor*, omnibus debitorem fecit me Deus, *Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus*. Græci duabus appellationibus omne hominum genus distinxerunt, dicentes unumquemque vel græcum esse vel barbarum. Nam quia ipsi Græci legibus utebantur, omnes reliquos tanquam sine legibus viventes, barbaros appellaverunt. Et Apostolus non solum Græcis, sed et barbaris, nec solum sapientibus, sed et insipientibus debitor est, quia omnibus prædicare missus est. Græcos dicit sapientes, apud quos omnis philosophia erat; barbaros autem vocat insipientes, velut imperitos. Sed quomodo his omnibus est debitor, qui nihil ab eis accepit, nisi quia per gratiam sancti Spiritus ei datum est, ut omnium istorum linguis loqui posset? Nam quia linguarum notitiam non pro se quis, sed pro his quibus prædicandum est, accipit, debitor omnibus illis efficitur, quorum accipit a Deo linguæ notitiam. Sapientibus autem debitor est per hoc quod accepit sapientiam in mysterio absconditam, quam perfectis et sapientibus loqueretur. Insipientibus quoque factus est debitor in eo quod patientiæ gratiam et longanimitatis accepit. Summæ etenim patientiæ est, ferre insipientium motus. Itaque debitor est Apostolus *sapientibus*, ut eos ad majora sapientiæ arcana promoveat; et *insipientibus*, ut illos erudiat, quod tandiu patienter ferat, donec ab illis insipientiam removeat. Possunt etiam justi nomine sapientium, atque peccatores appellatione insipientium designari. Et Apostolus debitor est *sapientibus et insipientibus*, quia prædicatoris est debitum, justos invigilare ne cadant, et peccatoribus ut resurgant; justos admonere ut viam justitiæ teneant, peccatores corripere ut viam iniquitatis deserant. Debitor sum Græcis et barbaris, atque sapientibus et insipientibus. *Ita et vobis qui Romæ estis*, sum debitor evangelizare, quia sicut aliis, sic et vobis debeo prædicare, quoniam ad omnes sum missus. De Judæis tacet, quia magister gentium est. Quod scilicet *evangelizare promptum est in me*, quia ad hoc agendum sum paratus et velox.

« Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim « Dei in salutem omni credenti, Judæo primum et « Græco. Justitia enim Dei revelatur in eo ex fide in « fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide « vivit (*Habac.* II; *Hebr.* X). »

Ideo sum promptus ad evangelizandum, *quia non erubesco Evangelium*, id est nulla est mihi erubescentia ex prædicatione evangelii, sicut nonnullis qui erubescebant prædicare Christum crucifixum, non intelligentes nihil dignius Deo, quam quod ad humanam salutem proficit. Nam insigne virtutis et pietatis est, quod Dominus propter salutem imaginis suæ dignatus est usque ad passionem crucis humiliari. Quod nunc Apostolus intuens, *non erubesco*, inquit, *Evangelium*. Et quare non erubescis? Quia ipsum Evangelium *est virtus Dei*, id est quod in Evangelio prædicatur, videlicet crux et mors et resurrectio Salvatoris, est virtus Dei, quamvis stultitia videatur incredulis. Nulla enim major virtus est, quam devicta morte, homini vitam perditam reddere. Talis *virtus est* Evangelium, videlicet quia virtutem victoriæ Christi annuntiat. Et *virtus est* quia gratiam præstat, per cujus auxilium valeamus facere quæ præcipit. Quod quia lex non fecit, infirma fuit. Virtus est valens, *in salutem omni credenti, Judæo primum, ac deinde Græco*, id est gentili, hoc est, omni credenti, tam de circumcisione quam de præputio, valet Evangelium ad æternam salutem. Judæus causa patrum, et quia prior cognovit Deum, præponitur gentili, quamvis non sit jam dignior propter hoc quod Dominus dixerat: Filius meus primogenitus Israel. Vere Evangelium est virtus Dei, *nam justitia Dei revelatur in eo*, quæ velata fuerat in Veteri Testamento. Vel ita: Vere Evangelium valet in salutem omni credenti, *nam justitia Dei revelatur in eo*. id est justitia fidei quæ tegebatur in lege. *Justitia enim Dei est* qua gratis justificat impium per fidem sine operibus legis. Quam revelat Evangelium, dum dat fidem homini, per quam justificatur qui credit Deum justum et verace in promissis, ut inquirentes se remuneret, et contra negligentes se damnet. Justitia dico, tendens *ex fide in fidem*, id est ex fide Veteris Testamenti in fidem Novi. Populus enim Israel in fide erat, quia crediderat Deo et Moysi famulo ejus. Ex qua fide nunc ad fidem evangelicam transit. Ejus quippe est justitia, qui transit de fide in fidem, ut libenter transeat Judæus, et quicunque alius ex fide Veteris in fidem Novi Testamenti. *Justitia enim revelatur ex fide* legis, ubi prædicatur unus Deus, *in fidem* Evangelii, ubi manifestatur Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Ex fide primi adventus Domini, in fidem secundi. Ex fide resurrectionis primæ, in fidem secundæ. Ex fide prædicatorum, in fidem populorum. Ex fide humanitatis Christi, in fidem ejus divinitatis. Ita revelatur in Evangelio ex fide justitia, per quam salvamur, sicut scriptum est in Habacuc: *Justus autem ex fide*, id est qui justificatus est ex fide, *vivit*, id est æternam vitam consequitur. Et ita ex fide justitia, et ex justitia vita. Vel justus vivit interim *ex fide*, dum est in hac peregrinatione, donec ad patriam perveniens, vivat ex specie. Per fidem vivere incipit anima, quæ per infidelitatem erat mortua. Fides autem qua vivitur, ipsa est quæ per dilectionem operatur; quoniam fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa (*Jacob.* II). Quod tamen de illis qui tempus operandi habent, intelligitur. Nam si quis mox ut per fidem in baptismo justificatus est, ex hac luce migraverit, hic sola fide sine ullis operibus vitam consequetur. Qui vero

Digitized by Google

tempus bene operandi habet, et operari negligit, frustra de fide præsumit. Quod Apostolus dixit, quia *justus ex fide vivit*. In propheta sic legimus : « Justus autem in fide sua vivet. » Sed ideo Apostolus magis translatione septuaginta Interpretum usus est, quia scribebat Romanis, qui Scripturas Hebraicas nesciebant : nec erat ei cura de verbis, cum sensus esset in tuto, et damnum ex eo præsens disputatio non haberet; quia et Hebræi qui Græcas litteras didicerant, editionem septuaginta Interpretum legebant. Ob hoc ergo et istud et alia plura testimonia quæ ponit, ab Hebraicæ veritatis translatione, qua nunc utimur, discordare videntur, quia aliquando sumit a septuaginta Interpretibus, aliquando sicut loquens eodem spiritu quo prophetæ, sensum sumit tantummodo, utens suis verbis suaque dispositione.

« Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem « impietatem et injustitiam hominum eorum qui « veritatem Dei in injustitia detinent, quia quod « notum est Dei, manifestum est in illis (*Galat.* III). « Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim « ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt « intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque vir- « tus ejus et divinitas, ut sint inexcusabiles. »

Nunc aggreditur gentiles secundum priorem statum, qui jactabant bonam naturam, et excusabant suas turpitudines per ignorantiam, ostendens eos et prius notitiam habuisse, et post per culpam perdidisse, atque bonam naturam sibi ipsis a Deo relictam, in omnia mala præcipitatam. Quasi dicat : In Evangelio *revelatur justitia Dei*, non solum qua justificat per fidem pœnitentes, sed et qua damnat in *malitia* perseverantes. Nam ira Dei quam juste peccantibus inferet, id est vindicta qua eos percutiet, revelatur in eodem Evangelio super eos ventura de cœlo. Vel ita : Ex fide est justitia, et inde salus, quia ex impietate est injustitia, et inde ira, id est pœna. *Nam ira Dei revelatur*, etc. Non dixit infertur, sed revelatur. Ubi enim revelatur, non infertur, non percutit; sed revelatur, ut terreat, et territis non inferatur. Revelatur per Evangelium, quæ ante erat occulta hominibus. Revelatur ira Dei, id est animadversio districti judicis. Revelatur *de cœlo*, ut noverint homines non solum beneficia, sed et plagas exspectare de cœlo. Vel *de cœlo*, id est de Ecclesia revelatur ira futuri judicii, quoniam ab Ecclesia manifestatur peccantibus ira judicis venturi de cœlis in fine sæculi, *super omnem impietatem et injustitiam hominum*, id est ad conculcandam in suppliciis eorum perversitatem, qui debitum cultum Deo denegant, et qui in luxuria cæterisque vitiis male vivunt. Impietas enim infidelitatem significat, injustitia vero criminosam conversationem. Impietatem hominum, eorum hominum dico, *qui veritatem Dei detinent in injustitia*. Omne quod mutari potest, veritas non est. Veritas Dei est invisibilis et incommutabilis ejus substantia. Quam detinent in injustitia, quicunque per visibiles et mutabiles creaturas, hominibus demonstraverunt colendam idolorum culturam. *Veritatem Dei*, id est quod ipse est verus Deus, *detinent in injustitia*, quia cum vere sciant uni Creatori Deo debere cultum summæ venerationis exhiberi, eum injuste exhibent creaturæ. *Veritatem Dei*, id est veram de Deo cognitionem, *detinent in injustitia*, id est in malo opere, malentes injuste morari in voluptatibus suis, nec pro Dei veritate quæ se illis sponte offert, volente a nequitia sua recedere, sed ipsam veritatem in nequitia, si fieri possit, detineri secum. Dixi quia detinent veritatem Dei, nec sinunt ut ad aliorum notitiam perveniat, dum simulacra pro Deo docent adorari. Nam illi noverunt ipsam veritatem, quam cæteris abscondunt, quia *quod notum est Dei*, id est quod naturali ingenio sciri potest de Deo, *manifestum est illis*. Multa enim sunt quæ de Deo per naturam sciri non possunt, sicut est mysterium Incarnationis et Passionis, quod latuit sapientes mundi. Sed hoc de Deo naturaliter sciri potest, quod ipse sit Deus, quia omnis creatura ostendit se non esse Deum, sed esse alium qui eam fecerit, cujus servitio parere necesse sit; ita quod notum est de Deo, manifestum est illis. Vel manifestum est in illis, id est in cordibus eorum, quamvis exterius in opere ipsorum non appareat. Habent enim in se unde noscant eum, scilicet naturalem rationem. Vere manifestum est in illis, sive illis, quia Deus per opus suum manifestavit illis quoniam virtus ejus occulta ex his quæ palam sunt, manifestatur. Dominus manifestavit, id est non solum naturalis ratio profuit, sed Deus quotidie adjuvit, ne sola natura sufficere videretur. Deus illis manifestavit ostensione creaturarum, quoniam naturali ingenio intellexerunt quia hoc non est Creator, quod creatura. *Nam invisibilia ipsius*, id est æternitas, virtus, divinitas et omnipotentia conspiciuntur *a creatura mundi*, id est ab homine, in quo per quamdam affinitatem omnes creaturæ sunt, quia commune habet esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Ab hac creatura mundi, id est ab homine, *conspiciuntur invisibilia* Dei, *intellecta per ea quæ facta sunt*, id est per creaturas. Nam si vigilanter exteriora conspicimus, per ipsa eadem ad interiora revocamur. Vestigia quippe Creatoris sunt mira opera invisibilis creaturæ, quoniam per hæc quæ ab ipso sunt, imus ad ipsum; menti enim nostræ peccato suo exterius sparsæ, necdum Deus sic interius innotescit; sed dum facturæ suæ decus foras proponit, quasi quibusdam nutibus innuit, et quæ intus sequamur ostendit, ac miro modo ipsis formis exterioribus nos ad interiora perducit. Viæ quippe ad Creatorem sunt opera considerata creaturæ, quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. Nam quocunque se verterit anima si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Dominum invenit, per quæ reliquit; ejusque potentiam eorum rursum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit; et per quæ adversa cecidit, per hæc conversa revocatur. Ubi enim lapsi sumus,

Digitized by Google

ibi incumbimus ut surgamus. Et quasi ibi surgendo manum considerationis figimus, ubi pede amoris lubrici corruentes, negligendo jacebamus. Quia enim ab invisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est ut ad invisibilia ipsis rursum visibilibus innitamur; et quo casu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad summa. Bene itaque dicitur, quod *invisibilia Dei conspiciuntur a creatura mundi*, id est ab homine; *intellecta per ea quæ facta sunt*, quoniam per visibiles facturas intelligitur invisibilis factor. Sic enim et gentiles, quamvis legem aut prophetas non haberent, cognoverunt Deum, per visibilem scilicet creaturam pervenientes ad intelligentiam invisibilis Creatoris. *Invisibilia ipsius a creatura mundi*, id est ab homine, qui omni creaturæ mundi præeminet; vel *a creatura*, id est a constitutione mundi, conspiciuntur intellecta per ea quæ facta sunt ab eo, *sempiterna quoque virtus ejus et divinitas*, quæ nihilominus sempiterna ex conjecturis agnoscitur creaturæ similiter (206). Virtus est quæ regit omnia, divinitas quæ replet universa. Potest etiam *sempiterna virtus ejus* intelligi Filius ejus, per quem facta sunt omnia, et qui nunquam cœpit esse, sed sempiternus, id est semper æternus est cum eo, divinitas autem Spiritus sanctus. Intelligitur itaque per visibiles creaturas invisibilis Pater, et sempiterna virtus ejus, quæ est Filius, ac divinitas, id est Spiritus sanctus, ad quem maxime sanctificatio pertinet. Ita ut et gentiles qui Scripturas divinas non habebant, sint inexcusabiles, quoniam non fuerunt veritatis ignari, sed ipsi veritati quæ se illis revelaverat, exstiterunt ingrati.

« Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum « glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanue« runt in cogitationibus suis, et obscuratum est in« sipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapien« tes, stulti facti sunt (*Ephes.* IV). Et mutaverunt « gloriam incorruptibilis Dei. in similitudinem ima« ginis corruptibilis hominis, et volucrum et qua« drupedum et serpentium. Propter quod tradidit « illos Deus in desideria cordis eorum in immundi« tiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in se« metipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in « mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ « potius quam Creatori, qui est benedictus in sæ« cula. Amen. »

Non possunt excusari de ignorantia, sicut volebant asserere. Qui revera per naturalem rationem cognoverunt Deum. *Et cum cognovissent eum*, non glorificaverunt eum sicut Deum, bene vivendo et colendo; aut etiam *gratias illi non egerunt* de cognitione ejus, quam, ipso donante, perceperant. Debuissent enim illum glorificare digne colendo et prædicando, atque voluntatem ejus faciendo, et gratias illi semper agere quod eorum cordibus notitiam sui dignatus esset infundere. Gratias agere, id est, pia devotione grati existere, ut recognoscerent se sapientiam et omnia bona ab illo habere. Sed non glorificaverunt eum, nec gratias ei reddiderunt, sed sibi tribuentes sapientiam, quam a se non habebant, et se putantes aliquid esse, cum nihil essent, evanuerunt in cogitationibus suis, quas a se, non a Deo conceperant; *et obscuratum est* paulatim *cor eorum*, donec omnino fieret insipiens. *Evanuerunt*, quoniam vani, et falsi fuerunt *in cogitationibus suis*, et ratio mentis eorum fumo superbiæ obscurata est, dum in se ipsis gloriarentur. Et vere evanuerunt, *nam dicentes se esse sapientes*, id est, jactantes se quasi proprio sensu sapientiam invenisse, *stulti facti sunt*, id est obscuratum est insipiens cor eorum. Cum enim quidam eorum non solum ad instituta utilissimarum artium, et doctrinam liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerint, non agentes tamen gratias Deo, nec confitentes illum sibi esse hujus facultatis auctorem, sed dicentes se esse sapientes, id est, non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis, atque rationibus propinquassent, *evanuerunt in cogitationibus suis*, quod, illuminante Dei gratia, invenerant, obcæcante superbia perdiderunt, relapsi a superna luce in tenebras suas, id est, ab incommutabili atque æterno bono, ad mutabilem corruptibilemque naturam. *Et mutaverunt* non solum sensu, sed et opere, quantum ad se mutaverunt *gloriam incorruptibilis Dei*, talem scilicet fingentes Deum, qualis non est, et non sicut eum cognoverunt tradentes hominibus, sed simulacra pro Deo coli censentes. Qui dum per cogitationum suarum vanitatem formas et imagines in Deo requirerent, Dei imaginem perdiderunt; et in tantas stultitiæ tenebras devoluti sunt, ut gloriam Dei ad corporalem et corruptibilem humanæ formæ effigiem verterent, et divinæ majestatis eminentiam ad brutorum animalium formas inclinarent.

Mutaverunt gloriam Dei, qui est incorruptibilis et æternus, *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, quasi similem facientes gloriam Dei, id est, gloriosum Deum, imagini hominis, et ipsam imaginem, velut Deum colentes. Nec solum in similitudinem hominis mutaverunt gloriam Dei, sed etiam in similitudinem *volucrum et quadrupedum et serpentium*. A dignioribus creaturis ad minus dignas gradatim descendit, ut ostendat illos in profundiores stultitiæ tenebras corruisse. Mos fuit ab antiquo Romanis adorare simulacra hominum, ut Romuli, Jovis et aliorum, maxime ab adventu Æneæ in Italiam; volucrum autem et quadrupedum atque serpentium, ex quo Alexandria ab Augusto victa est et Romæ subjugata. Consueverant enim colere deos omnium gentium quas superassent. In tam vilem formas mutaverunt, ut dictum est, gloriam Dei. *Propter quod Deus tradidit*. id est, dimisit, *illos*

(206) Locus obscurus.

Digitized by Google

desideria cordis eorum. Tradere enim dicitur Deus, dum non retinet delinquentes, propter arbitrii libertatem ad malum promptissimam. Manifestum quoque est Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo, nonnunquam aperto, nonnunquam occulto, semper autem justo. Nam, propter præcedentia peccata, multiplicantur sequentia. Et Deus qui peccatorem diu exspectat ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc ubi gravius impingat. Peccatum quippe quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati, aut peccatum simul et causa et pœna peccati. Omne enim quod prius male committitur, peccatum est. Sed si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum est simul et causa peccati, quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum vero quod ex peccato, id est, ex secundo sequitur, peccatum simul est et pœna peccati, quia, excrescente cæcitate, ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum. Fit vero nonnunquam ut unum idemque peccatum, et peccatum sit et pœna peccati simul et causa peccati. Quod bene Apostolus hoc loco demonstrat, dicens de infidelibus ac lubricis : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Ecce est peccatum et causa peccati. Ex qua causa quid sequitur adjungit : *Et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium.* Ecce est peccatum solummodo. Et pœna peccati esset, si non adhuc ex hoc peccato et aliud sequeretur. Nam post infidelitatem eorum subditur, *Propter quod tradidit illos Deus*, etc. Qui igitur cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, ex eo peccato et causa peccati ad hoc quoque perducti sunt, ut ad cultum serpentium et volucrum laberentur. Sed quia per hanc etiam cæcitatem usque ad immunditiam carnis et contumelias ceciderunt, ipsa infidelitatis eorum cæcitas præcedenti intellectui et peccatum est et pœna peccati; subsequenti vero immunditiæ, peccatum facta est et causa peccati. Prioris itaque peccati merito, peccatorum subsequentium fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps juste in aliis etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, ut culpis culpæ feriantur, quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Merito itaque post idololatriæ culpam subditur : *Propter quod tradidit illos Deus*, et cætera, quoniam Deus illos juste deseruit et propriis voluntatibus, qui sibi prætulerant idola, et sicut Scriptura loquitur : « Initium fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ est (*Sap.* XIV).» Tradidit igitur illos ob idololatriam, id est subtrahendo gratiam suam, permisit illos *in desideria cordis eorum*, id est ut inciderent in ea quæ cor eorum desiderabat secundum carnis ardorem; desideria dico tendentia *in immunditiam*, id est in carnis maculationem, usque adeo *ut afficiant corpora sua contumeliis*, id est ut scilicet ipsi applicent corpora sua *in contumeliis*, id est in contumeliosis operibus. Contumelia est quæ ingeritur alicui contra dignitatem personæ. Et isti corporibus suis ac naturæ grandem fecere contumeliam, subdendo se tam pudendis turpitudinibus. Contumeliis affecerunt corpora sua, et hoc *in semetipsis*, id est, se soli sine aliis maculantes. Illi sic afficiunt corpora sua, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, id est quod de Deo verum est, dederunt idolo, quando sicut Scriptura dicit : « Incommunicabile nomen imposuerunt lignis et lapidibus (*Sap.* XIV).» Nomen quippe deitatis est incommunicabile creaturis, quoniam solus Creator proprie et vere Deus nominatur. Sed gentiles hoc nomen imposuerunt lignis et lapidibus, quando idola lignea et lapidea instituerunt appellari Deus. Et hoc est quod nunc dicuntur in mendacium mutasse veritatem Dei. Veritas enim Dei, quod ipse veraciter Deus sit. Quam veritatem vertit in mendacium, qui idolum dicit vel putat esse Deum. Falsum est enim hoc. Nec solum ita veritatem mutaverunt in falsitatem, æstimantes idola deos esse, quod falsum est, sed etiam coluerunt ipsa idola, ne dicerent, non colo simulacra, sed res eorum, ut solem et cætera hujusmodi. Coluerunt non Creatorem, sed creaturam, id est, non Deum, sed idola, diligenter ornando coronis aureis ipsas imagines dæmonum, et eas, flexis genibus, adorando, *et servierunt* thura et sacrificia offerendo *creaturæ potius quam Creatori*, quasi esset melius servire creaturæ, id est idolis et dæmonibus, quam Deo, *qui est benedictus in sæcula*, id est in æternum, *amen*, id est, vere. Cui qui adhæserunt, et ipsi cum eo benedicti erunt in sæcula veraciter. Sed gentiles effecti sunt maledicti et temporales, qui benedictum in sæcula reliquerunt.

« Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes. »

Dixi quia servierunt creaturæ, *propterea tradidit illos Deus*, id est ire permisit *in passiones*, id est in voluptates, quæ, et si delectent, sunt passiones naturæ. Ecce iterum vindicta. Præcedens enim culpa qua servierunt creaturæ, vindicta est, subsequenti-

Digitized by Google

bus turpitudinum passionibus. Superius dicti sunt mutasse gloriam Dei in similitudinem imaginis volucrum et serpentium, nec tamen coluisse dixit eos illa. Et propterea ceciderunt in immunditiam carnis, vindice Deo, cujus gloriam in idola mutaverunt. Deinde, crescente errore, coluerunt pro Deo ipsa idola quæ fecerant, et servierunt eis, sicut Apostolus loquitur, ac propterea detestabilioribus adhuc immunditiis puniuntur. *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, id est in ardores voluptatum nec nominandarum. Ignominia enim dicitur, quasi sine nomine. Appellatur enim ignominia, eo quod desinat habere dignitatis nomen ille, qui in aliquo crimine deprehenditur. Et vere in ignominiosas passiones traditi sunt : *Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum.* Non dixit conjugalem usum, sed naturalem, eum volens intelligi qui fit in membris ad hoc creatis, ut per ea possit ad generandum uterque sexus commisceri. Ac per hoc cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est usus, nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea vero parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, etsi conjuge quis utatur, contra naturam est et flagitiosum. Ita immutaverunt feminæ eorum naturalem usum, in eum qui est contra naturam, quia ipsæ feminæ in feminas turpia exercuerunt. Nec solum feminæ contra naturam fornicatæ sunt, sed etiam masculi, similiter relictis feminis, quibus naturaliter possent misceri, exarserunt per iniquam voluptatem *in desideriis suis*, id est a se genitis. *Exarserunt* spiritu fornicationis invicem, et nequissima desideria compleverunt turpissimis operibus, *et mercedem quam oportuit erroris sui*, id est vindictam dignam et congruam peccato erroris sui receperunt *in semetipsis*, id est Deum vindicaverunt in natura sua. Ideo enim Apostolus ipsa crimina evidenter expressit, ut cognoscamus eos rationem perdidisse naturæ, qui tam amentes effecti sunt, ut omnia perverterent in Deum perversi. Neque enim ordinem naturæ servare poterant, qui auctorem naturæ dereliquerant. Idcirco feminæ in feminas, et viri in viros turpia egerunt, in quibus par culpa fuit, tam feminarum quam etiam virorum.

« Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui tale agunt, digni sunt morte ; non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. »

Prædicta mala fecerunt gentiles. Et quia necdum respicere voluerunt, adhuc in alia ceciderunt. Commiserunt enim abominanda quæ diximus, et non *probaverunt Dominum hæc habere in notitia*, id est cum multis rationibus possent probare Deum habere in notitia hæc crimina, tamen putaverunt Deum ignorare et negligere ea. Et sicut ex sua culpa hoc putaverunt, sic ex eadem culpa factum est, quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut putarent omnia reprobanda esse facienda ; et cum tam turpia operarentur, nescirent se malum operari. Vel ita : Non solum supradictas abominationes fecerunt, sed etiam *non probaverunt*, id est non elegerunt, Deum habere *in notitia*, id est ut cognosceret eum. Ille probat, id est probum et laudabile esse judicat, habere Deum in notitia, qui pia devotione studet eum in animo semper habere, et tanquam præsentem timet eum ac reveretur et peccare non audet. Sed hoc gentiles non fecerunt. *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia*, id est ut haberent eum in notitia sua, vel eum scirent nosse mala quæ faciebant, *tradidit*, id est dimisit *illos Deus in reprobum sensum*, ut jam nihil intelligant, nisi quod a probitate remotum est, *ut faciant ea quæ non conveniunt* rationi vel naturæ. Ea quæ non conveniunt facere, est illa agere quæ divinæ leges detestantur. Illos dico non parum habentes iniquitatis, sed repletos omni iniquitate. Cujus partes enumerantur, cum subditur : *Malitia, fornicatione*, etc. Genus enim præmittitur, et species subjunguntur, ut gentiles evidentius accusentur et terreantur. Malitia pertinet ad mentem, fornicatio ad carnem. Malitia enim est, qua quis machinatur lædere alium quocunque modo. Fornicatio autem dicitur a fornicibus, id est ab arcuatis, in quibus meretrices prostituebantur. Sed hoc in loco intelligitur fornicatio nominari, quidquid extra legale connubium committitur. Avaritia vero est insatiabilis amor habendi. Nequitia est temeritas vel præsumptio, quando quis audet quod nequit efficere. Vel nequitia dicitur a NEQUIDQUAM; et est defectio boni, quando quis ab amore cœlestium deficit, et in amorem terrenorum exardescit. Sic enim tendit ad nequidquam, id est ad vanitatem et ad non esse, recedens a vero Dei esse. Invidia vero est, quæ aliena felicitate torquetur, et in duplicem scinditur passionem, cum quis aut quod ipse est, alium esse non vult, aut alium videns esse meliorem, dolet se non esse consimilem. Homicidium autem, ex homine et cæde compositum est. Et pulchre homicidium invidiæ sociavit Apostolus, quoniam ipsa est prima hujus criminis materia. Nam primum homicidium et diaboli et Cain de invidia ortum est, et adhuc nonnunquam fiunt homicidia per invidiam. Contentio autem est, ubi non ratione aliquid, sed animi pertinacia defenditur ; et ubi non veritas quæritur, sed animositas fatigatur. Dolus vero est mentis calliditas, ab eo quod eludat. Aliud enim agit et aliud simulat. Dolus, inquam, est occulta malitia, blandis sermonibus adornata, cum aliud sonat in ore, et aliud latet in corde. Malignitas autem est mala voluntas, quæ malo igne

Digitized by Google

accensa, neminem vult amare, nec operari unde debeat amari. Inter malitiam et malignitatem hæc distinctio est, quod cogitatio prava mentis malitia dicitur; malitiæ autem votum vel opus malignitas appellatur. Susurrones vero sunt, qui in auribus alicujus loquuntur malum de alio. Detractores autem, qui virtutes ab aliquo suis verbis detrahunt vel minuunt. Susurro quippe a sono locutionis dicitur, quia non in facie alicujus, sed in aure loquitur secrete derogando. Detractio autem est, aliorum bene gesta opera vel in malum vitiose mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere, cum aut mala dicuntur quæ bona sunt, aut parva bona quæ magna sunt. Detrahere enim est, bona alterius deorsum trahere, id est inclinare et premere, vel de ipsis bonis aliqua trahere, ut pauciora seu minora quam sunt, ostendantur esse. Ne autem viderentur susurrones et detractores parum peccare, mox addidit: *Deo odibiles.* Odibiles enim sunt Deo, qui male susurrant de proximis suis vel detrahunt eis. Vel Deo odibiles dicuntur, qui seminant inter amicos discordias. Unde Salomon testatur (*Prov.* VI), quia sex sunt quæ odit Deus, et septimum quod detestatur anima ejus; ipsumque septimum est ille, qui seminat inter fratres discordiam. Contumeliosi vero vocantur, qui veloces sunt in verborum vel factorum injuriis. Contumelia enim dicitur factum vel dictum, quod indignum et inconveniens est illi, cui injuste et contumaciter infertur. Superbi sunt, qui judicant de se supra quam debeant esse. Superbia enim est, perversæ celsitudinis appetitio. Perversa autem celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodam modo fieri principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet, id est cum ab illo incommutabili bono deficit, quod magis ei placere debuit, quam ipse sibi. Elati quoque sunt, qui efferunt supra mensuram suam, vel qui majorum institutis non acquiescunt, dum nolunt pati priorem vel parem. Inventores malorum sunt, qui nova genera peccandi reperiunt, vel nova tormenta, quibus alios crucient, sive novas leges injustas, aut alia quælibet mala primi inveniunt. Hæc enim malis studiis illi solent agenda invenire, quibus non sufficit, ut faciant mala quæ priores sui fecerunt, aut quæ contemporaneos suos adhuc facere conspiciunt. Qui vero sunt parentibus non obedientes, feris sunt indomabiliores, quoniam feræ suis parentibus sunt subditæ et acquiescentes. Insipientes autem sunt, qui ab ipso fonte sapientiæ, qui Deus est, recesserunt. Et ideo incompositi, quia omnis insipiens inordinatus est. Incompositi sunt habitu, incessu et motu. Incompositio enim corporis indicat qualitatem mentis. Sine affectione sunt, qui viscera dilectionis, quibus erga alterum moveantur, non habent, sed durum et insensibile cor erga proximi dilectionem gerunt. Absque fœdere sunt, qui societatem omnium fugiunt, qui fœdus concordiæ et societatis habere cum nullo volunt. Sine misericordia sunt, qui non compatiuntur miseriis aliorum. Et omnia hæc mala fuerunt in gentilibus. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Per hoc quod eis naturaliter displicet malum, cognoverunt justitiam Dei. Et, licet hanc ita cognovissent, non intellexerunt eos qui talia faciunt, dignos esse perpetua morte. Quoniam si intellexissent, timuissent; si timuissent, nunquam talia commisissent. Amiserunt enim lumen intelligentiæ, ex quo deseruerunt fontem cœlestis sapientiæ. Et ideo, quamvis non intellexissent, non possunt excusari, quia præcedentibus culpis meruerant sic excæcari. Qui ne putarentur, his tantum pœnis affligi, quibus delectabantur, id est supradictis criminum turpitudinibus, addit ultimam mortem æternam Apostolus: *Digni sunt*, inquit, *morte qui talia faciunt.* Ubi cum magno timore notandum est, quia nonnulla quæ putantur levia, posuit inter ista pro quibus æterna mors acquiritur, sicut sunt ea quæ faciunt susurrones et detractores, et incompositi vel contentiosi. *Digni, inquit, sunt morte non solum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt facientibus*, ut nullus excusetur. Sunt enim quidam qui se reos non putant, si non operantur quæ mala sunt, consentiunt autem facientibus. Consentire autem est, si quis cum possit reprehendere, taceat vel aduletur. Sed facientes et consentientes, æternam mortem merentur. Hucusque vitia gentilium Apostolus detestando manifestavit, ne jam de pristinis actibus se excusarent; sed quales antea fuerant, humiliter recognoscerent, ne se Judæis superbe præferrent, sed tanto magis Deum diligerent, ac gratiæ ejus obnoxii fierent, quanto plura et majora peccata ab eo sibi esse dimissa considerarent.

CAPUT II.

« Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis « qui judicas (*Matth.* VII). In quo enim judicas « alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, « quæ judicas. Scimus enim quoniam judi- « cium Dei est secundum veritatem in eos qui « talia agunt. »

Omnes, inquit, et facientes, et assentientes, digni sunt morte. *Propter quod*, id est propter quam causam, *inexcusabilis es, o homo! omnis qui judicas* alios. Homo dico, non gentilis tantum, sed et omnis, sive gentilis, sive Judæus, sive major, sive minor. Cum enim dicit omnis, subintrat jam monstrare non solum gentilem, sed etiam Judæum, qui secundum legem volebat judicare de gentilibus. Communiter ergo nunc de Judæis et gentilibus agit, Judæus enim judicabat gentilem secundum pristinam conversationem, et gentilis Judæum. Uterque autem homo. Si Judæus gentilem judicat de idololatria, et multi Judæorum coluerunt idola. Si gentilis Judæum de legis prævaricatione, et ipse prævaricator est legis naturalis. *Inexcusabilis*, inquit, *es, o homo! omnis qui judicas.* Hic ostendit, quia unusquisque homo naturaliter scit, quamvis se hoc scire non advertat, scilicet se a Deo secundum actus

Digitized by Google

proprios judicandum. Quomodo enim ipse alium peccantem judicio suo damnaret, si Deum ita facturum naturali sensu non videret? Omnes enim per naturalem legem atque rationem norunt, et innocentiam præmium, et malitiam mereri supplicium. Inexcusabilis es, quia tu ipse testis es damnationis tuæ. Nam *in quo judicio judicas alterum* ad damnationem, *in eo condemnas teipsum*, quoniam eadem agis tu ipse, quæ judicas in altero esse damnabilia. Et sicut judicas de alio, sic potes scire quod Deus judicabit de teipso. Et vere judicaberis a Deo, sicut judicas alios qui faciunt ea quæ et tu facis, quia scimus quod judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia faciunt. Non enim accipiet personam in judicio; sed sive major, sive minor, sive Judæus, sive gentilis sit quisque, Deus illum vero judicio, prout dignum fuerit, judicabit. Notandum quoque, quod hæc sententia similiter damnandum manifestet etiam nostri temporis quemlibet judicem, vel ecclesiasticum, vel sæcularem, qui facit ea quæ in aliis judicat.

« Existimas autem hoc, o homo! qui judicas « eos qui talia agunt et facis ea, quoniam tu effu- « gies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus et « patientiæ et longanimitatis contemnis, ignorans « quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te addu- « cit? Secundum duritiam autem tuam et cor im- « pœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et re- « velationis justi judicii Dei, qui reddet uniquique « secundum opera ejus (*Matth.* XVI): his quidem, « qui secundum patientiam boni operis, gloriam et « honorem et incorruptionem quærunt, vitam æter- « nam; his autem qui sunt ex contentione, et qui « non acquiescunt veritati, credunt autem iniquita- « ti, ira et indignatio, tribulatio et angustia in om- « nem animam hominis operantis malum, Judæi « primum et Græci. Gloria autem et honor et « pax omni operanti bonum, Judæo primum et « Græco. »

Nos scimus judicium Dei esse in eos qui talia faciunt. Sed tu cum eadem facias, putas te evasurum illud judicium? Et hoc est quod increpative dicitur: *Existimas autem hoc, o homo! qui judicas*, id est judicio tuo damnas eos qui talia agunt, et facis ea, *quoniam tu effugies judicium Dei?* Quamvis enim potestatem nunc super cæteros habeas, et non sit qui te in hoc mundo judicet, non tamen existimare Deum tibi parciturum debes, si male egeris. Putare enim posset aliquis imperitus, quod tanto liberius sibi peccare liceret, quanto diligentius alios a peccato compesceret. *Existimas quoniam judicium ejus effugies*, id est nunquid tibi de impunitate blandiris, quia Deus in præsenti non reddit? *An contemnis divitias bonitatis ejus*, id est divitem et copiosam ejus bonitatem, quia nunc misericordiæ tempus est, *et divitias patientiæ ejus*, qua peccantes patienter tolerat, *et longanimitatis*, qua diutius illos ad pœnitentiam exspectat? Severe loquitur Apostolus, quia mala et dura mens non revocatur nisi terrore. Divitiæ autem bonitatis Dei in hoc manifestantur, quod tanta quotidie in terris mala faciunt homines. et tamen eis Deus solem suum producit, et pluvias ministrat, aliaque multa bona largitur (*Matth.* VII), blandiens, ut ad pœnitentiam per beneficia provocet. Dives esse monstratur et patientia ejus, qui tot et tanta mala facientes patienter sustinet. Dives est et longanimitas ejus, quoniam non statim punit eos, sed exspectat ad pœnitentiam per multa tempora. Sed has divitias bonitatis et patientiæ et longanimitatis comtemnit, qui non sic utitur eis ad pœnitentiam, ut Deus intendit, sed ad vanam securitatem vertit, æstimans Deum aut non curare humanas res, aut donare quod differt. An contemnis, inquit, has divitias, *ignorans*, id est non cogitans, *quoniam benignitas*, id est pia misericordia *Dei* adducit te, quantum in se est, *ad pœnitentiam*, dum tibi spatium adhuc temporis indulget? Ipsa te provocat ad pœnitendum. Sic tu *secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram*, quia durus es et in malitia tua pertinax, de qua nec corde pœnites. Sunt enim quibus mala quæ agunt, displicent. Sed tu nec in corde pœnitentiam agis, quia nimis induratum est in malitia cor tuum. Et *secundum hanc duritiam tuam thesaurizas tibi iram*, id est accumulas et reponis tibi vindictam exercendam *in die iræ*, id est in die ultionis extremæ. *Iram thesaurizas*, id est in occulto multiplicas tibi, deterius peccando per indultum temporis spatium. Nam qui converti non vis, etiam spatio temporis accepto, per hoc mala tua ad reatum auges, per quod ea diluere poteras, si converti velles. De benignitate enim Dei iram sibi reprobus thesaurizat, quia dum ad pœnitentiam tempus accipit et ad peccandum expendit, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde et omnipotens Deus, quia collata remedia conspicit ad culpæ argumentum trahi, ipsam benignitatem quam contulit, in judicii distributionem (207) vertit, ut inde plus feriat, unde modo amplius exspectat; et quia homo deserere malum non vult ut vivat, augeat unde moriatur. *Thesaurizas*, inquit, *tibi iram* venturam *in die iræ*, id est in die judicii, qua Deus videbitur iratus esse reprobis, licet nulla mentis perturbatione moveatur, *et in die revelationis justi judicii*, id est in qua revelabitur quod nunc occultum est, justum judicium Dei, qui tam juste judicabit, *ut reddat unicuique secundum opera ejus*. Et vere ita unicuique reddet, nam bonis bona, et malis mala. Et hoc est: *His quidem* reddet gloriam, qui sunt boni operis *secundum patientiam*, id est qui bona operantur, bene utentes patientia Dei, vel qui *secundum patientiam* bene operantur, id est mercedem boni operis sui per patientiam exspectant, perdurantes usque in finem in bono et patientia, ut bona

(207) Alias districtionem.

Digitized by Google

faciant et mala tolerent. His reddet *gloriam*, ut fulgeat sicut sol in regno patris eorum; *honorem*, ut sint ei similes sicut Johannes dicit : « Quia cum apparuerit, similes ei erimus (*I Joan.* III), » *et incorruptionem*, id est immortalitatem. Hæc reddet Deus illis, qui sunt secundum patientiam boni operis, *et hoc quærentibus vitam æternam*, id est illis solummodo, qui ex patientia et bona actione sua nil aliud quam vitam æternam quærunt. Etsi enim patientiam boni operis ostendunt, gloriam tamen et incorruptionem non recipient, si intentione cordis vitam æternam non quærunt. Istis quidem gloria dabitur. *Sed his qui sunt ex contentione*, sicut vos qui nunc contenditis adinvicem, *qui sunt ex contentione*, id est ex veritatis impugnatione, ubi quod asseritur, non ratione, sed animi pertinacia defenditur; *et qui non acquiescunt* evangelicæ *veritati*, cum eis annuntiatur, ut faciant quod veritas præcipit, *sed credunt iniquitati*, quam diligunt, promittentes sibi impunitatem malorum quæ faciunt. His reddetur *ira*, id est justa ultio Dei *et indignatio*, id est severitas ejus, *tribulatio* de reatu conscientiæ *et angustia* de vana pœnitentia, quando erunt inter se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes. Vel *ira*, id est pœna, *et indignatio*, qua sibi ipsis indignabuntur, quod male agentes iram Dei meruerunt. Hujusmodi *ira et indignatio* habitur corporibus et animabus eorum in futuro. Et antequam animæ eorum resocientur corporibus, interim veniet *tribulatio*, quantum ad exteriorem cruciatum; *et angustia* quantum ad conscientiam, quæ torquebit intrinsecus ipsas animas. Vel post resurrectionem *tribulatio* in corporibus, *et angustia* in animabus. Hæc pœna veniet *in omnem animam operantis malum*, quia anima prima peccat, et idcirco pœnam principaliter sentit. Superius etiam dictum erat, reprobum thesaurizare sibi iram in die judicii. Et nunc, ne quis putaret quod reprobi usque ad diem illam sine pœna essent, additur, pœnam esse dandam *in omnem animam hominis operantis malum*. Ac si dicatur : Non solum in illa die et deinceps sentiet iram malus, sed et ante. *In omnem animam operantis malum, Judæi primum et* deinde *Græci*, id est gentilis. Judæus gentili in culpa præfertur, quia præter naturalem legem, et Moysi legem scriptam habuit, ac prævaricatus est. Judæus semper ante ponitur, quia primus Deum cognovit : et credens, propter Abraham honorificentior est; diffidens autem, pejus tractandus, quoniam promissa patribus refutavit. Ostenso autem quod male operantes ex utroque populo sint puniendi, ostendit econtra quod bene agentes ex circumcisione et præputio sint glorificandi, ideoque sententiam præmissam repetit : Pœna erit male operanti. Sed *gloria*, id est splendor clarificati corporis, *et honor*, id est locus ad dexteram judicis, *et pax*, id est omnimoda qui est in regno, erit *omni operanti bonum;* non dico omni qui videtur operari bonum, sed qui veraciter operatur quod Deus bonum judicat. *Judæo primum.* Primum credulitatis tempore, non dignitate. Judæi enim primo crediderunt, ac bonum operati sunt, et postea Græci, per quos signantur gentiles, sed nunc utrique parem in regno locum beatitudinis habent.

« Non est enim personarum acceptio apud Deum. « Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege « peribunt. Et quicunque in lege peccaverunt, per « legem judicabuntur. Non enim auditores legis ju- « sti sunt apud Deum, sed factores legis justifica- « buntur. »

Jure æquipari Judæum et gentilem in pœna et gloria, quia Deus judicat non secundum personas, sed secundum merita. *Non enim est apud Deum acceptio personarum*, sed acceptio bonorum operum. Sive enim Judæus, sive gentilis, unusquisque secundum opera sua judicatur a Deo. Et vere Deus personam non accipit. *Nam quicunque peccaverunt sine lege*, sicut gentiles, qui legem scriptam non acceperunt, *peribunt sine lege*, id est non fiet de eis legale judicium, quia in gehennam sine judicio præcipitabuntur. *Et quicunque in lege peccaverunt*, sicut Judæi, qui legem Moysi non servaverunt, *per legem judicabuntur*, id est damnabuntur, quia ipsi audient verba judicis, ut pereant propter legem ejus quam acceperunt ac violaverunt. Vel hoc potest hæc sententia intelligi demonstrare, quod quicunque minus peccat, minus punietur; et qui magis peccat durius damnabitur. *Nam quicunque peccaverunt sine lege*, id est sine legis transgressione, sicut gentes, scilicet qui minus peccaverunt, *sine lege peribunt*, id est minus punientur, quia tantum propter peccata sua damnabuntur, non propter transgressionem legis Mosaicæ, quia non habuerunt illam. Et e diverso *quicunque peccaverunt in lege*, id est gravius peccaverunt legem transgrediendo, *per legem judicabuntur*, id est atrocius damnabuntur, quia et propter legis prævaricationem, et propter peccata sua punientur. Et vere per legem judicabuntur, ut pereant, quia propter solam legis notitiam non salvabuntur, quoniam solo legis auditu non justificantur, et sine justitia nemo salvatur. *Non enim* illi qui tantum *auditores* sunt *legis, justi sunt apud Deum*, quamvis apud homines æstimentur justi, *sed factores legis justificabuntur*, id est justi justificabuntur. Factores enim legis, utique justi sunt. Ac per hoc tantumdem est ac si diceretur : Factores legis creabuntur, non quia erant, sed ut sint, ut vel sic intelligerent etiam Judæi legis auditores, indigere se gratia justificatoris, ut possent esse factores. Vel *justificabuntur*, id est justi deputabuntur. Factores enim legis illi sunt qui credunt in Christum, quem lex promisit, et de quo Moyses ait : « Ipsum audietis tanquam me (*Deut.* XXIV). » Sed credere in eum et audire eum, id est obedire ei, nemo potest nisi donante ipsius gratia.

« Cum enim gentes quæ legem non habent, na- « turaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi le- « gem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui osten-

Digitized by Google

« dunt opus legis scriptum in cordibus suis, te- « stimonium reddente illis conscientia ipsorum, « et inter se invicem cogitationum accusantium, « aut etiam defendentium in die. qua judicabit Deus « occulta hominum secundum Evangelium meum « per Jesum Christum. »

Factores legis justificantur, quia etiam gentes. Et hoc est quod adjungit : *Cum enim gentes*, etc. Vel ita dixerat gentilem damnari si male operaretur, et salvari si bene. Sed cum legem non habeat, et quasi nesciat quid sit bonum, et quid sit malum, videretur neutrum sibi debere imputari. Contra Apostolus : Etsi non habet legem scriptam, habet naturalem, qua intelligit et sibi conscius est, quid sit bonum vel malum; et ideo credendus est bene vel male operari, et merito salvari vel damnari. Quod non est nisi per gratiam et fidem, quæ renovat naturalem imaginem Dei in homine scriptam, sine qua renovatione male operatur et damnatur, accusante eum conscientia. Et hoc est quod ait : *Gentes, quæ legem* Mosaicam *non habent, naturaliter*, id est naturali ratione suadente, *faciunt ea quæ legis sunt*, id est quæ lex fieri jubet, *non habentes legem ejusmodi*, id est scriptam, *ipsi sunt sibi lex*, id est naturalis ratio est eis lex, qui bona laudantes, et mala damnantes, *ostendunt opus legis esse scriptum in cordibus suis*, id est firmiter impressum rationi eorum. Nullus enim est qui facit alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Opus enim legis est, non occidere, non mœchari, non furari, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, patrem et matrem honorare, et his similia facere, unumque Deum Creatorem omnium credere (*Exod.* xx). Et hæc omnia naturalis ratio scripsit in corde gentilium. Et ita noverunt quid agendum esset, et quid vitandum, *testimonium reddente illis* in die judicii *conscientia ipsorum* de his quæ fecerunt, quia ipsi sibi testes erunt bonorum et malorum quæ gesserunt, scientes inde se merito salvari vel damnari. Nec solum conscientia operum, sed et *cogitationum* malarum vel bonarum, cogitationum dico *accusantium inter se invicem aut etiam defendentium* quia vicissim se accusabunt vel defendent ipsæ cogitationes in conspectu judicis, ut cogitationes nostræ omnes uno tempore congregatæ, justum judicem probent, dum aut accusat nos nostra conscientia aut excusat, utrum plura sint peccata, an bona opera; et utrum vetera an nova, utrum deleta pœnitentia an novis sceleribus instaurata. Ita vel accusabunt vel defendent nos cogitationes nostræ, non utique illæ, quæ tunc erunt, sed istæ, quæ nunc sunt in nobis. Cum enim sive bona sive mala cogitamus velut incerta, sic in corde nostro tam bonarum quam malarum cogitationum notæ quædam et signacula relinquuntur. Quæ in occulto nunc pectoris posita, in die illa revelabuntur ab eo, qui solus potest occulta hominum scire. Quarum notarum causas non latere Deum, etiam conscientia nostra contestabitur. Et quia non solum opera, sed etiam cogitationes in illo judicio tam subtiliter exquirentur; ideo fidelis quisque semetipsum debet introrsus discutere nunc, et vehementer ante judicium examinare, ut districtus iudex eo jam tranquillus veniat, quo reum suum discutere appetit, jam pro culpa punitum cernit. *Testimonium*, inquit, *reddente illis conscientia*, quoniam conscientia propria sufficit unicuique ad testimonium (208). Conscientia, subauditur operum, et *cogitationum inter se invicem accusantium vel etiam defendentium*. Non dicit quod eædem cogitationes accusant et defendunt, sed quod vicissim quædam accusant, et quædam defendunt contra malignorum spirituum accusationem. *Conscientia reddente testimonium in die qua judicabit Deus*, vel *in die*, id est in luce, *cum judicabit Deus, occulta hominum*, id est secreta cordis vel peccata latentia, per confessionem non manifestata, judicabit Deus; et hoc *secundum Evangelium meum*, id est secundum Evangelium quod ego prædico, et judicabit non per seipsum, sed *per Jesum Christum*, quia « Pater non judicat quemquam per seipsum. sed per Filium, quoniam omne judicium dedit Filio. » (*Joan.* v.)

« Si autem tu Judæus cognominaris, et re- « quiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti « voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus « per legem, confidis teipsum ducem cæcorum « esse, lumen eorum qui in tenebris sunt, erudi- « torem insipientium, magistrum infantium, ha- « bentem formam scientiæ et veritatis in lege. »

Postquam allocutus est gentium partes, vel communiter de Judæis et gentibus est locutus, nunc ad solos Judæos sermonem dirigit, cupiens eos humiliare, quoniam ex accepta lege superbiebant, et gentes quasi peccatrices despiciebant. Gravius enim accusat illos peccasse prævaricando legem. Quasi dicat : Gentilis habet tantum naturalem legem, sed tu si Judæus vocaris, et legem scriptam habes, majora dona divinitus accepisti, et majora bona debes operari; *si tu cognominaris Judæus*, id est si a tua cognatione trahis hoc nomen quod est Judeus, non habens nominis significatum, hoc est non rei veritate Judæus, sed solo nomine, quod tibi propter dignitatem vendicas a Juda, qui dignior fuit inter filios Jacob. *Et requiescis in lege*, id est delectaris in scriptura legis, quia non est tibi laborandum ad perquirendam veritatem, sicut gentilibus, qui legem non habent. *Et gloriaris in Deo*, non eo

(208) Locus obscurior.

Digitized by Google

modo quo postulat gratia, quæ non operum meritis, sed gratuita datur, sed velut qui solus merueris legem ejus accipere. *Et nosti voluntatem ejus*, id est quid ipse velit ab hominibus fieri, vel voluntatem ejus, de redemptione humani generis. *Et probas utiliora*, id est de utilibus utiliora scis eligere, *instructus per legem*, quia per naturam multa utilia probantur, per legem vero utiliora, et per gratiam perfectiora; si talis es, *confidis teipsum esse ducem cæcorum*, id est te posse ducere per viam justitiæ eos qui non intelligunt quid debeant agere, et te esse lumen eorum qui in tenebris sunt, quod scilicet possis eos illuminare. Cæcos in tenebris positos, intelligamus gentiles, qui et lumine rationis privati sunt; et si quid sciunt, tamen in tenebris sunt. Vel quoslibet mente cæcatos et in tenebris ignorantiæ constitutos accipiamus, quorum Judæus se non solum manuductorem, sed et illuminatorem esse gloriatur propter legis notitiam. *Et eruditorem insipientium*, id est quod imperitos Judæos ponere possit extra ruditatem, qua legem aliquo modo sciunt, sed quomodo eam debeant intelligere, dubii sunt, et inde inter se loquuntur, et *magistrum infantium* eorum Judæorum, qui neque fari sciunt de legis dubietatibus, *habentem formam scientiæ et veritatis in lege*, ut aliis exemplar scientiæ legis sit et veritatis. Quidam enim habent scientiam et intellectum alicujus libri, et ita sentiunt sicut auctor ipse sensit, non tamen habent inde veritatem, quia nesciunt quomodo sit verum, nec etiam verum esse sciunt. Sed Judæus habere se jactat et sensum legis, et scire verum esse illum sensum legis, ita ut aliis habere volentibus sit exemplar, tanquam qui ex legis littera formam scientiæ et veritatis acceperit. Et quia hæc omnia profitetur quidem, nec tamen vere tenet, ideo subjungitur:

« Qui ergo alium doces, teipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis « non mœchandum, mœcharis? qui abominaris « idola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, « per prævaricationem legis Deum inhonoras? No- « men enim Dei per vos blasphematur inter gen- « tes, sicut scriptum est (*Isa.* LII. XXXVI).

Quandoquidem ita gloriaris de lege, et alios te docere jactas, *ergo* tu *qui alium doces*, cur *non doces teipsum*, id est tu dux cæcorum, quomodo viam rectam non vides? Si enim videres, per ipsam utique ambulares. Tu lumen eorum qui in tenebris sunt, quomodo non abjicis opera tenebrarum? Eruditor insipientium, cur etiam timorem Domini, qui est initium sapientiæ, reliquisti? (*Eccle.* I.) Magister infantium, cur puer es sensu? Qui habes formam scientiæ et veritatis in lege, cur nec ipse sequeris, nec alios sequi malo tuo exemplo permittis? Quare non convenit vita tua doctrinæ tuæ, et opus tuum destruit fidem tuam? *Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis* A *non mœchandum*, id est non adulterandum, *mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium facis?* id est tu ipse facis, quod prædicas fieri non debere, dum fidem Christi a lege per malam interpretationem subripis, et legem adulteras, quum ablata veritate mendacium ponis; ac sacrilegus es, dum Christum, quem propheticus sermo significat, negas. Et cur hæc facis? Cur sensum de Christo furaris ex lege? Et cur mœcharis, id est adulteras, hoc est mentem tuam falsitate corrumpi facis, contemnendo veritatem Christianæ fidei quasi legitimum virum, et eligendo mendacium velut adulterum? Non enim est una mœchatio, sed omne quod totum Deo debes, si alii quam Deo reddideris, sive amorem, sive timo- B rem, sive servitium sive obedientiam, sive spem. Et ideo gravius ab illo delinquitur, a quo perfectio prædicatur. Et tu qui idola detestaris, cur sacrilegium facis, id est cur aufers Christum de sacro, hoc est a lege, negando eum ibi sonari? Sacrilegium enim vocatur sacri furtum, quia legere vel sublegere, furari dicitur. Sacrilegium quippe est, vel sacrum de sacro auferre, sicut reliquias de ecclesia, vel sacrum de non sacro, sicut crucem de domo laici; vel non sacrum de sacro, sicut capam laici de ecclesia. Et sacrilegium facit, qui sacrum Christi intellectum a sacra lege tollit. Sacrilegium enim est in hoc loco proprie, quod in Deum committitur, quasi sacri violatio, C vel mandatorum prævaricatio. Unde et additur: *Qui in lege gloriaris*, id est qui de lege quam solus ex omnibus populis qui sub cœlo sunt, accepisse te jactas, *cur Deum per prævaricationem* ejusdem *legis inhonoras*, faciendo furta et adulteria et sacrilegia? Nam secundum litteram multi Judæorum hoc fecisse reperiuntur, furta videlicet et adulteria et sacrilegia. Figuratur autem per hunc, quem ita nunc increpat Apostolus, quilibet doctor ecclesiæ, qui bona prædicat et mala facit, destruens moribus, quod astruit vocibus. Cui recte dicitur: *Qui alium doces, teipsum non doces*, etc. Deinde probat quod Judæi prævaricando legem, inhonoraverint Deum. Vere Deum inhonoras tu, et similes tui. *Nam nomen Dei*, id est gloria et fama nominis D Dei *blasphematur*, id est vituperatur, *inter gentes per vos*, id est per malam conversationem vestram. Sicut enim bona vita fidelium causa est, ut Deus glorificetur a videntibus sic quando illi qui legem Dei acceperunt, male vivunt, illorum prava conversatio causa est, ut Deus blasphemetur, *sicut scriptum est*. Ideo non apposuit ubi, vel quibus verbis hoc scriptum sit, quia Judæis loquebatur, qui legem et prophetas habebant; et ubi hoc scriptum esset, satis noverant, videlicet in Ezechiele, per quem Deus de illis qui in Chaldæa tenebantur captivi, conquestus est, dicens: « Ingressi sunt ad gentes, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis. Populus Domini iste est, et de terra egressi sunt (*Ezech.*

Digitized by Google

xxxvi). » Sic tunc per illos blasphemabatur nomen Domini, quod ipsi malis operibus suis polluerant in oculis gentium. Putabant enim gentes quod ea quæ Judæi faciebant, placerent Deo ipsorum, et ideo vituperabant eum. Similiter et per eorum nequitiam, qui tempore quo Paulus hæc scribebat, dispersi inter gentes erant, blasphemabatur Deus a gentibus. Sic et nunc per nonnullos religionis professores, dum pravitatis exempla de se ostendunt, blasphematur plerumque Deus ab imperitis et secularibus.

« Circumcisio quidem prodest, si legem obser-
« ves. Si autem prævaricator legis sis, circumcisio
« tua præputium facta est. Si igitur præputium
« justitias legis custodiat, nonne præputium illius
« in circumcisionem reputabitur, et judicabit id
« quod ex natura est præputium, legem consum-
« mans, te qui per litteram et circumcisionem le-
« gis prævaricator es? Non enim qui in manifesto
« Judæus est, neque quæ in manifesto in carne
« est circumcisio, sed qui in abscondito Judæus,
« et circumcisio cordis in spiritu, non littera,
« cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. »

Ostenderat legem non valere Judæis, et nunc ostendit nec circumcisionem illis prodesse. Probaverat eos non posse gloriari de lege, quia transgressi sunt eam, id est moralia præcepta ejus. Possent ipsi respondere, dicentes : Quamvis ipsa lex non proficiat nobis quia transgressi sumus illam, sicut tu dicis, tamen de circumcisione possumus gloriari, quia per eam præcellimus gentes incircumcisas. Et Apostolus : *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*, id est cum observantia moralium præceptorum in fide factorum. *Sed si sis prævaricator legis*, sicut es, ut probavimus, id est si quod circumcisio exigit, non impleas, tunc *circumcisio tua* carnalis, de qua multum gloriaris, *facta est præputium*, id est plus non valet tibi quam si circumcisus non esses. Prodest, inquit, suo tempore circumcisio, quia Judæum facit vivere et non exterminari. Prodest circumcisio, quia facit in lege esse. Prodest, quia obediendo Deo facit signum futuræ veritatis, dum populus rudis sub timore custoditur; carnis enim circumcisio vera cordis circumcisionem præsignat. Et ideo ante Salvatoris adventum prodest carnalis circumcisio, *si legem observes*, id est si et moribus circumcidaris. Non enim alia intelligitur esse vera circumcisio, quam animæ purgatio, et vitiorum abjectio. Et idcirco, prodest carnis circumcisio, si et mens per observantiam moralium præceptorum legis circumcisa sit. Signum prodest, si res adsit. Cæterum signum sine re superfluum erit. Hoc est enim quod subditur, quia *si prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est*, quoniam cum sis carne circumcisus, opere es incircumcisus. Similiter dici potest Christiano : Baptismus prodest, si Evangelium observes. Si autem prævaricator legis sis, id est Evangelii, baptismus tuus nihil tibi valebit. Sic et monacho cuculla prodest, si regulam observes. Si autem prævaricator regulæ sis, cuculla tua inutilis facta est. Deinde infertur a contrariis sic. Quando quidem si prævaricator legis fueris, circumcisio tibi non plus prodest quam præputium; igitur si præputium observet legem, tantumdem prodest ad salutem, quantum circumcisio cum observatione legis. Et hoc est : *Si præputium*, id est gentilis, qui in præputio carnis ad fidem Christi venit, *custodiat justitias legis*, id est præcepta moralia, per quæ justificatur homo, sicut : « Non mœchaberis, Non concupisces, Honora patrem et matrem, et, Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Exod.* xx), » *nonne præputium illius reputabitur in circumcisionem?* id est nonne ipse habens præputium, æquiparabitur Judæo habenti circumcisionem cum legis observatione? id est non oberit ei præputium habere, si legem spiritaliter observet, sed in filiis Abrahæ reputabitur; et quod circumcisio facit Judæo legem observanti, idem faciet ei præputium, postquam cum fide præcepta legis observabit. Et non solum æqualis erit Judæo, sed etiam Judæum judicabit, non potestate judicii, sed comparatione facti melioris; *præputium*, id est præputiatus; *consummans*, id est complens *legem*, te, o Judæe, *qui per litteram et circumcisionem es prævaricator legis.* Præputium, inquam, quod est ex natura, id est quod ita permanet ut natura dictavit, nec circumcidendo resecavit, quod sibi natura dedit, illud præputium custodiendo naturalem legem, quam tu prævaricaris in littera, *judicabit te*, id est comparatione sui judicabilem te ostendet. Ita sæcularis vir, si religiose vixerit, condemnabit respectu sui eum, qui religionis habitum et professionem habet, nec tamen religiose vivit. Dixi quod circumcisio tua præputium facta est, et præputium gentilis in circumcisionem reputabitur. Nec immerito : *Non enim est* verus *Judæus* ille *qui in manifesto Judæus est*, id est in vocabulo et natione et legis observantia carnali, neque est vera circumcisio illa, *quæ in manifesto*. id est quæ corporeis oculis videri potest *in carne*, id est in cutis ablatione; sed ille est verus Judæus, *qui in abscondito Judæus est*, id est in secreto cordis confitens et laudans Deum, et illa est vera circumcisio, quæ est cordis. Antiqui patres et circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, et circumcisionem cordis propter ipsam fidem. Sunt ergo Judæi in circumcisione carnis, et sunt Judæi in circumcisione cordis. Ab his patribus degenerantes isti, qui in nomine gloriantur et facta perdiderunt, remanserunt in carne Judæi, et in corde pagani. Qui idcirco maxime Judæi sunt appellati, quia Judas unus erat ex duodecim filiis Jacob, et de tribu ejus regnum veniebat Judæis, sicut et ipse Jacob prophetaverat, dicens : « Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est (*Gen.* xlix). » Nunquam ergo post David habuerunt regem Judæi, nisi de tribu Juda, donec Christus veniret, qui et ipse de tribu Juda nasci dignatus est, utpote verus rex. Herodes enim,

Digitized by Google

sub quo Dominus natus est, primus ex alienigenis regnavit in Judæa. Itaque ipso jam veniente Domino, eversum est regnum Judæorum et sublatum ab eis. Modo non habent regnum, quia noluerunt cognoscere regem verum. Qui ergo a Juda, de cujus stirpe regem habebant vocabantur Judæi, videamus si jam hoc nomine sunt appellandi. Ipse enim voce sua abdicaverunt se ab isto nomine, ut Judæi non sint digni appellari, nisi tantum carne. Cum enim sævirent in Christum, qui de Juda et de David rex eis datus fuerat, ait illis Pilatus : « Regem vestrum crucifigam? (*Joan.* XIX.) » At illi : Non habemus regem nisi Cæsarem (*ibid.*). » Si non habebant regem nisi Cæsarem, ablatum erat sceptrum ex Juda. Et si ablatum erat sceptrum ex Juda, jam venerat qui mittendus erat, et illi virtutem Judaici nominis perdiderant. Illi autem vere sunt Judæi, qui Christiani facti sunt ex Judæis. Cæteri vero Judæi, qui in Christum non crediderunt, etiam nomen ipsum perdere digni fuerunt. Judæa ergo vera, Christi ecclesia est, credens in illum regem, qui venit ex tribu Juda per virginem Mariam. Recte itaque dicit Apostolus non vere Judæum esse, qui in manifesto Judæus est, neque veram, quæ in manifesto in carne circumcisio est, sed eum qui in abscondito Judæus est, et eam circumcisionem, quæ est *cordis in spiritu, non in littera*, id est ut secundum spiritum, non secundum litteram lex intelligatur. Circumcisio cordis, est voluntas pura ab omni illicita concupiscentia. Quæ circumcisio non fit littera docente et minante, sed spiritu adjuvante et sanante. *Cujus*, circumcisionis vel Judæi, *laus non ex hominibus, sed ex Deo est*, quia non ex inani vocabulo laudatur ab hominibus, sed ex intima veritate a Deo, qui per suam gratiam præstitit ei, unde laudari possit et dicere : « In Domino laudabitur anima mea (*Psal.* XXXIII). » Nam etiamsi homines talem Judæum vel talem circumcisionem laudent, laus illa non ex hominibus est, sed ex Deo, id est non ex humanis meritis, sed ex Dei gratia. Non enim jure quisquam laudari potest solis meritis, si ei gratia superna defuerit, sed cuicunque gratia illa adfuerit, hunc vere laudabilem facit. Sic et nonnulli gloriantur apud homines de exteriori habitu religionis, qui tamen intus non habent quod foris ostendunt; alii vero moribus sunt religiosi, qui vestem non gerunt religionis; nec ab hominibus laudantur quasi religiosi, sed a Deo, qui novit quod sunt.

A

D

CAPUT III.

« Quid ergo amplius est Judæo? aut quæ utilitas « circumcisionis? Multum per omnem modum. Pri- « mum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. « Quid enim si quidam illorum non crediderunt? « nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacua- « vit? Absit! Est autem Deus verax, omnis autem « homo mendax (*Psal.* CXV), sicut scriptum est : Ut « justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum ju- « dicaris. »

Dixerat Apostolus quod circumcisio, si legem servet, utilis est; si vero prævaricetur, in præputium vertitur; et econtra, si præputium impleat legem, reputatur in circumcisionem. Nunc autem quia videt quod sibi possent objicere Judæi : Ergo nihil est amplius nobis, quam gentilibus, et sic Deus superflue fecit nos circumcidi, ipsemet ponit illam objectionem, ostendendo quid illis sit majus quam gentilibus. Quandoquidem circumcisio prævaricans legem, sit præputium; et præputium consummans legem, reputatur in circumcisionem, id est Judæus fit gentilis, et gentilis Judæus, *ergo quid amplius est Judæo*, qui dicitur peculiaris populus Dei quam gentili, qui dicitur canis immundus? *aut quæ utilitas est circumcisionis*, id est quid consecutus est de circumcisione? Huic interrogationi vel objectioni respondetur, quia *multum* amplius Judæo secundum priora tempora, et hoc *per omnem modum*, id est per corporalem et spiritalem modum. In utroque enim modo fecit Deus multa Judæis, quæ gentilibus non fecit; et ita secundum priorem statum sunt digniores, sed nunc in fide non excellentiores. Corporali modo pluit illis manna in deserto, et introduxit eos in terram promissionis, ac magnis opibus ditavit; spiritali quoque modo bene fecit eis, dans illis notitiam sui, et aperiens voluntatem suam, et justificans eos per fidem venturi Redemptoris. *Primum quidem*. Quasi dicat : Ut alia minora de temporalibus prætermittam, hoc primum et præcipuum pono, *quod eloquia Dei*, id est lex et prophetæ *illis* ut amicis *sunt credita*, per quæ intelligerent de futura incarnatione sapientiæ Dei, et redemptione hominum. Vel credita sunt ab illis, quia nos credimus veras esse Scripturas, quas illi tradiderunt nobis, et a nulla alia gente libros divinæ auctoritatis recepimus. Sive credita sunt ab illis, id est ipsi ea crediderunt, quæ prophetæ et lex de Christo prædixerunt : et ita facilius receperunt Christum, quem in ipsis eloquiis intelligebant promissum. Et vere *credita sunt illis*, hoc est illi ea crediderunt. *Quid enim* obest, *si quidam illorum non crediderunt?* Vel ita : Vere plus habuerunt in eo quod Deus credidit illis eloquia sua, quoniam propter hæc Christus ad eos venit, et ad fidem primos adduxit. Quid enim obfuit, si quidam illorum non crediderunt? *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit*, id est inanem fecit fidem Dei, qua credunt homines in Deum? Absit ut evacuaret eam! Non enim ideo minus factum est credentibus, si alii credere noluerunt, nec fides propter eos vacua remansit, sed repleta est credentibus. Vel fides Dei est fides promissionis, quam fecit Abrahæ de Christo et multitudine spiritalium filiorum. Et si quidam Judæorum non crediderunt, nunquid incredulitas illorum evacuavit fidem Dei? id est nunquid vacuam et inexpletam fecit promissionem Dei? Absit hoc ab humanis cordibus, ut divinam promissionem putent evacuatam! Licet enim aliqui fuerunt increduli, tamen alii crediderunt, in quibus completa est veritas promissionis. Non est evacuata fi-

B

C

Digitized by Google

des promissionum Dei, sed Deus est in promissionibus suis verax, quoniam veraciter illas adimplet. *Deus* quidem *verax est*, in omnibus quæ loquitur, sed *omnis homo est mendax*. Hoc addit, ut appareat promissionem Dei factam esse et completam, non propter aliquam hominum dignitatem, sed propter miseriam, ut gratia detur indignis, et commendatior sit gratia. Deus dicitur verax, id est invariabilis, tam in essentia quam in promissis. Homo autem mendax, nec verum esse habens, propter peccata defluens. Omnis namque homo mendax est, id est humana natura sic est ex primitivo casu corrupta, veneno serpentis infecta, ut sine mendacio peccatorum non existat in hoc sæculo. Non enim solummodo verbis, sed et factis est mendax. Sed nonnulli qui per gratiam Dei supra homines fiunt, etiam veraces per eamdem gratiam efficiuntur. Quibus de causis fidem suam Deus non permisit evacuari, tum propter suam immutabilem veritatem, tum propter venialem statum humanæ fragilitatis, quæ postquam a veritate decidit, sine peccatorum mendacio non potest existere. Ita est Deus verax, et homo mendax, *sicut scriptum est* in Psalmo : *Ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L), Quasi diceret Psalmista : O Domine, pronuntiasti quidem sine personarum acceptione te in peccatores vindicaturum ; et dum nunc mihi remittis, propitiationem tuam mendacium judicant. Sed vincis, dum judicaris injustus esse remittendo peccata mea, quia dum homo ipse culpam in se lamentando persequitur, indulgentia pietatis tuæ non injusta esse probatur. Cum in me reatum arguis per prophetam, probas te habere de nostris operibus curam, et vincis eos qui te incuriosum humanorum actuum judicabant. Sicque tu verax esse probaris, homines autem mendaces. Peccavi, et malum coram te feci, ut tu, mittendo Filium tuum de stirpe mea, sicut promisisti, justificeris sermonibus tuæ promissionis, id est justus et verax esse comproberis, non dimittendo propter iniquitatem meam quin Filium tuum, sicut locutus es, ex semine meo carnem suscipere facias, ut mundum redimat, *et vincas* implendo promissa, *cum judicaris* non debere implere propter peccata mea. Justificeris in sermonibus tuis, implendo illos. Justitia enim sermonum est veritas, et vincas reprehensores tuos mendaces, cum judicaris ab illis injustis, dum mihi parcis, et dignum me tua promissione facis. Hanc lineam Apostolus sequitur nunc, quasi dicens : Vel transgressi quidem Judæi fecerunt nomen Domini blasphemari, ut diceretur : Hæc erat illa gens sancta et populus electus, qui se nunc transgressione et inexpiabili sacrilegio et crimine impietatis involvit : ecce per scelus eorum vacuata sunt promissa Dei. Sed non ita est. Nam si transgressores a gratia exciderunt, veridicam Domini promissionem obedientia fidelium consequitur. Ac sic confusis illis, qui eloquia divina in irritum adducta jactabant, justificatur Deus in sermonibus suis, et vincit cum judicatur, dum gratiam ab incredulis repudiatam, credentibus confert.

« Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Nunquid iniquus est Deus qui infert iram ? Secundum hominem dico, Absit ! Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum ? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor ? Et non sicut blasphemamur, et sicut quidam aiunt nos dicere, faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio juxta est. »

Dixit quod Dominus est verax, et omnis homo mendax, quod indignis dat bona, in quo apparet commendabilior ejus justitia et gratia. Unde perversus aliquis dicens Deum uti malis quasi instrumento ad gloriam suam, ex eo deducit ut dicat iniquum Deum, qui peccata punit quæ sibi prosunt. Quod Apostolus removet. Vertitur enim hoc loco duarum ratio personarum, id est cujuslibet imperiti male interpretantis, et Apostoli refellentis. Nam propter sententiam, qua dictum fuerat, ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, videbatur ei pars diversa respondere : O Apostole, magnum peccatis nostris solatium contulisti, dicendo quod justificetur Deus innumerorum indulgentia delictorum, quia injuste peccata nostra puniuntur, quæ ad manifestandam Dei patientiam benevolentiamque proficiunt. Et Apostolus : Deus quidem justificatur in sermonibus suis. Sed *si iniquitas nostra*, sicut tibi videtur, *commendat justitiam Dei*, id est majorem declarat, dum remittit aut judicat, *quid dicemus* subaudi, de hoc inconvenienti quod inde oritur? Scilicet, *nunquid iniquus est Deus qui infert iram*, id est pœnam propter peccata, id est tunc est iniquus, si nos punit propter peccata nostra, quæ illius gloriam augent. *Secundum hominem dico*, id est secundum carnalem sensum, qui de superiori sententia tam imperite sentis. Qua enim justitia damnabit injustitiam, si juxta opinionem tuam humana iniquitate sit injustior? Sed *absit* ut putetur iniquus, dum peccatores punit. Non ergo iniquitas nostra justitiam ejus commendat, nec eum peccata, sed bonorum operum gesta glorificant. Et ideo peccata juste ulciscitur, qui sanctis operibus pie delectatur. Vere non est iniquus feriendo peccatores. Nam *alioquin*, id est si alio modo est, si hoc non est quod non sit iniquus, *quomodo judicabit ipse Deus hunc mundum?* Repugnat enim ut sit iniquus et judex fiat, cum omnis judex sit æquus. Non potest ergo Judex esse, si iniquus est, inferendo peccantibus iram. Restat igitur esse eum justum et æquum in ultione peccatorum, ac per hoc juste judicaturum, cum bona bonis et mala malis reddiderit, quia non profuerunt ad commendandam justitiam ejus iniquitates nostræ, sicut dicebas, nec glorificatus est per eas. Adhuc autem respondet Apostolus prædictæ objectioni, probans quod iniquitas nostra justitiam Dei non glorificat, nec ipse est injustus, si punit. Vere ita est. *Nam si veritas*, id est justi-

Digitized by Google

tia *Dei in meo mendacio*, id est per meum peccatum *abundavit*, id est crevit *in gloriam ipsius*, hoc est, si mendacium peccati mei fecit crescere veritatem justitiæ Dei, ut gloria ejus per hoc magis dilataretur secundum opinionem tuam, *quid adhuc*, postquam ita peccando, secundum te glorificavi Deum, etiam *ego judicor* nunc ab eo, non solum in futuro *tanquam peccator*, quod non sum, si peccata mea glorificaverunt Deum? Iniquitas est genus sive totum; mendacium vero, species sive pars iniquitatis. Similiter justitia, genus est vel totum; veritas autem species sive pars justitiæ. Et idcirco veritas pro justitia est posita, quoniam omnis veritas est justitia; mendacium autem pro iniquitate vel pro peccato, quia omne mendacium est iniquitas vel peccatum. Quid adhuc, inquit, judicor, si mendacium iniquitatis meæ, secundum quod tu putas, glorificavit Deum? Et quid, id est cur, non facimus *mala ut veniant bona*, id est cur non assidue peccamus, ut Deus assidue dimittat et laudabilior fiat? *sicut blasphemamur*, id est sicut a perversis hominibus imponitur nobis hoc sentire, *et sicut quidam aiunt* pravi *nos dicere*, id est prædicare, *faciamus mala ut veniant bona*. Hoc non dicebant apostoli, sed dicebant, quia ubi abundaverat peccatum, superabundavit et gratia (*Rom.* v). Sed perversi homines occasione verborum hujusmodi, asserebant eos dicere : *faciamus mala, ut veniant bona*, ut auctoritate prædicationis apostolicæ peccata sua foverent et defenderent. *Quorum damnatio est justa*, quia juste damnabuntur, qui sibi in peccatis suis inimica securitate blandiuntur, et ex verbis apostolorum in malis suis confirmantur. Potest et aliter intelligi discussa sententia : Vere Deus, si infert iram malis, non est iniquus. Nam si aliter est, quid adhuc etiam post conversionem ego, qui nunc tantus Apostolus sum, judicor a vobis tanquam peccator, id est tanquam qui peccavi in persecutione fidelium, hoc est, si Deus malis juste iram non infert, cur magnitudinem iniquitatis meæ judicatis ad pœnam? Dico quia judicor, et merito, si veritas Dei abundavit, *in meo mendacio*, id est si mendacium infidelitatis et negationis meæ a Deo magnum fuit, ut veritas divinæ promissionis et fidei commendabilior inde fieret in gloriam ipsius. Hoc est dicere : Merito judicor, utpote peccator, quia veritatem Christianæ fidei negabam, et veritatem supernæ promissionis exinanire laborabam persequendo fideles; et tamen veritas ipsa fidei vel promissionis, per sævitiam meam clarior facta est in his, quos martyrizavi, sicut in Stephano. Et cum ego de his merito judicer, constat quia Deus non est injustus, dum peccatores in judicio damnat. Et non est ita de nobis, *sicut blasphemamur*, id est injuste et falso vituperamur, *et sicut quidam* non nominandi *aiunt nos dicere*, id est aliis prædicare, *faciamus mala*, id est peccemus, *ut veniant* nobis a Deo *bona*, id est ut Deus remedia suæ misericordiæ nobis tribuat condonando peccata. *Quorum*, id est eorum qui talia de nobis garriunt, *justa est damnatio*, id est justo Dei judicio tales damnantur, nec est Deus iniquus, dum infert eis iram.

« Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub « peccato esse, sicut scriptum est : Quia non est « justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est « usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum (*Psal.* xi). Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces « pedes eorum ad effundendum sanguinem (*Isa.* « lxix). Contritio et infelicitas in viis eorum, et « viam pacis non cognoverunt; non est timor Dei « ante oculos eorum. »

Quia multum per omnem modum Judæo fuisse amplius quam Græco dixerat, ideo nunc Judæi volebant se præferre gentilibus, quasi qui per præcedentia justitiæ opera meruissent ad gratiam vocari. Sed ipse arrogantiam eorum deprimens, ostendit eos fuisse peccatores, sicut et gentiles. Quando quidem in priori statu multum fecit Deus per omnem modum amplius Judæo quam Græco. Igitur quid ex hac re videtur esse consequens, est inde consequens, *quia præcellimus eos*, id est Græcos, in gratia nova, quam nunc percepimus. *Nequaquam* est inde consequens, quod nos Judæi præcellamus eos, et digniores eis simus, quia et nos, sicut et illi, peccavimus. Nam *causati sumus*, id est multis causis et rationibus jam monstravimus, *Judæos et Græcos omnes* ante gratiam istam *sub peccato esse*. Et ideo nullus præcedit alium. Superius ostendit gentiles sub peccato esse, cum diceret : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, etc. Judæos autem, ubi dixit : *Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis?* etc. Ita diximus eos sub peccato esse *sicut scriptum est* de Judæis, de quibus minus videbatur, *quia non est justus quisquam* eorum, quoniam ex operibus legis sine gratia nemo justificatur, *non est intelligens*, quia nullus eorum Scripturas sanctas intelligit vel Christum, nec per verba, nec per miracula Deum esse intelligit. *Non est requirens Deum*, quamvis Christus Deus venisset eos quærere, ut ad æternam eos patriam reduceret; tamen nullus eorum requirit eum, cum jam sit quæsitus ab eo. Hoc enim de illis dictum est, qui nondum venerunt ad Christum. *Non est requirens Deum* vel Judæus, vel gentilis quisquam, ut scilicet quærat ac requirat quomodo voluntatem ejus impleat, quatenus ad inventionem visionis ejus pertingere mereatur, sed *omnes declinaverunt*, id est deorsum ab ejus requisitione se retraxerunt, ponentes cor in infimis, et occupantes sollicitudinibus corporis. *Et simul omnes facti sunt inutiles*, id est nihil utilitatis sibi conquirentes, quia non solum Gentiles, sed et Judæi, qui per legem sine Christo voluerunt salvari, frustra laboraverunt. Non est qui facit bonum, cum Judæus prævaricatio mandato-

Digitized by Google

rum gentes vero naturæ lex violata condemnet. Et ideo etiam non est inter eos qui faciat bonum, quia quidquid fit sine fide Christi, nequaquam est bonum quamvis bonum videatur esse. Non est usque ad unum, id est nec unus ex eis qui faciat bonum, quia si quis per singulos eorum numerando et inquirendo usque ad unum transeat, non inveniet qui operetur bonum. Vel non est in omnibus qui faciat bonum usque ad unum, id est donec veniatur ad eum qui unus et singularis est, id est ad Christum, cui nemo comparari potest. Christus enim tantummodo facit bonum, et in se et in suis. Non est ex eis qui faciat bonum, sed omnes ipsi multa mala faciunt. *Nam guttur eorum est sepulcrum patens* (*Psal.* XIII), quia sicut ex patenti sepulcro exit nimius fetor putrefacti cadaveris, sic ex aperto gutture eorum exit per mala colloquia fetor putentis conscientiæ ipsorum, ut inficiat et corrumpat mores audientium. Clausum enim sepulcrum esset guttur eorum, si pudor eos adhuc cohiberet, ne internum fetorem mortuæ suæ animæ foras in publicum loquendo proferrent. Sed patens sepulcrum est guttur eorum, quia quod in malis ultimum est, verecundiam perdiderunt, ut jam publice crimina sua loqui non erubescant, sed guttur suum impudenter aperiant, et ex eo fetorem mortuæ animæ circumstantibus proferant. Et etiam *linguis suis* suavia et blanda verba humiliter depromentes, *agebant dolose*, quoniam alia proferebant ore, et alia meditabantur in corde, juxta illud : « Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum (*Psal.* XXVII). » In verbis habebant bona, *sed venenum aspidum erat sub labiis eorum*, id est insanabile odium latebat sub dictis eorum. Aspidum quippe venenum perniciosius est quam cæterorum serpentium, ideoque per illud pessima designatur malitia. Et venenum aspidum tegitur sub labiis eorum, qui blanda loquuntur, sed morsu venenati verbi fraudulenter animam audientis necant, sicut detractores, sicut poetæ, sicut quilibet seductores. Hostes enim sunt animarum, licet se fingant amicos ; et idcirco per malitiam fraudis eas veneno suo inficiunt, ut interficiant. *Quorum os etiam maledictione plenum est et amaritudine*, quia non solum fictis verbis blandiuntur, sed etiam aliis pleno ore maledicunt et amara loquuntur. Hæ sunt enim artes pessimorum hominum, ut aliis adulentur, aliis maledicant, et aliis blandiantur, aliis amara loquantur. Nec dicuntur habere maledictionem et amaritudinem in ore, et os eorum plenum esse fertur maledictione et amaritudine, ut abundantia maledictionis et amaritudinis in ore ipsorum monstretur esse. *Pedes* quoque *eorum sunt veloces ad effundendum sanguinem*, quia cito currunt ad perpetrandum homicidium. Vel pedes, id est affectus, eorum sunt veloces, id est parati et festivi ad effundendum sanguinem, quia ex deliberatione faciunt homicidia. *Contritio et infelicitas est in viis eorum*, quia tam ipsi quam omnes qui in viis actionum ipsarum ambulant, conterentur gehennalibus suppliciis, et felicitate carebunt supernæ beatitudinis. Et hoc ideo, quia *non cognoverunt viam pacis*, id est viam justæ actionis, qua pervenirent ad quietem perpetuæ pacis. Nec mirum, si nesciunt viam qua tenderent ad æternam pacem, quia *timor Dei* « qui est initium sapientiæ (*Eccl.* I). » *non est ante oculos* cordis *eorum*. Nam quia initium sapientiæ abjecerunt, ad provectum sapientiæ nequaquam pervenerunt. Sicque superbia, qua timorem Dei ab intuitu suæ mentis removerunt, fecit ut viam pacis ignorarent, et viam mortis ambularent. Hæc de pravitatibus infidelium Judæorum atque gentilium, auctoritate prophetica, locutus est Apostolus, ut maxime Judæos, qui de legis operibus gloriabantur, convinceret multis peccatis irretitos fuisse. Non autem putandum est, eum ex solo tertio decimo psalmo ista posuisse, neque enim habentur in Hebræo simul ita per ordinem, sed potius ex diversis psalmis, et ex libro Isaiæ conjunxisse. Nam quod ait : *Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, ex tertio decimo psalmo sumpsit. Quod autem subjecit: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant*, in quinto psalmo legitur. Quodque mox addidit : *Venenum aspidum sub labiis eorum*, centesimi tricesimi noni psalmi est. Rursumque quod ait : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est*, de nono psalmo sumptum est, ubi singulariter dicitur : *Cujus maledictione os plenum est et amaritudine.* Quod autem sequitur : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt*, in Isaia reperitur. Et iterum quod in fine dicitur : *Non est timor Dei ante oculos eorum*, in tricesimi quinti psalmi principio sic est : *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus.* Nec in hoc cuiquam videatur esse diversum, si quod in suis locis numero dicitur singulari, ab Apostolo pluraliter ponitur, qui scribebat ad plurimos, et in unum sensum multa colligebat exempla. Patet itaque non tam Apostolum de psalmo tertio decimo sumpsisse, quod in Hebraico non habetur, nec in septuaginta Interpretibus, sed in editione Vulgata, quam eos, qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quæsisse aptum locum, ubi assumptum ab eo ponerent testimonium, quod absque auctoritate Scripturæ positum in epistola non putabant.

« Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, « his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex « operibus legis non justificabitur omnis caro coram « illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem « sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a « lege et prophetis. Justitia autem Dei per fidem « Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt « in eum. »

Ne dicerent Judæi : Hæc quæ protulisti, non sunt

Digitized by Google

dicta de nobis, sed de gentibus, ostendit Apostolus, quia quæ in lege scripta sunt, his qui sub lege tenentur, dicta sunt. Legem appellat hoc loco librum psalmorum, sicut et Dominus, ubi ait : « Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : Dii estis? » (*Psal.* LXXXI.) Vel totum Vetus Testamentum appellavit nunc legem. Quasi diceret : « Vos quidem ad alios vultis hæc detorquere, *sed nos scimus quia* non solum ista, sed etiam *omnia quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur*, id est Judæis, sive bona, sive mala. Quamvis ergo et in gentibus omnia mala hæc essent, quæ nunc Apostolus propheticis verbis descripsit, de Judæis tamen proprie dicta sunt omnia, quia non necesse erat scelera gentium, de quibus nemo dubitabat, propheticis testimoniis astruere, sed potius Judæorum, qui de transactis operibus justitiæ gloriari volebant. *Quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur*; quoniam omne quod in lege de gentibus dicitur, etiam ipsum hoc de Judæis dicitur, quia ipsorum principalis est causa. Omnia quæ lex loquitur, etiam dum pessima flagitia describit, loquitur sine dubio, *his qui sunt in lege* positi, et ad ipsos pertinet quidquid lex dicit, ita *ut omne os*, non solum gentium, sed etiam Judæorum, *obstruatur*, id est obmutescat, dum non habent unde glorientur, sed omnes sub peccato esse monstrantur. Vel ideo loquitur lex omnia his qui in lege sunt, ut *omne os* etiam Judæorum *obstruatur*, non inveniens quid de meritis suis jactet, cum lex dicat : « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (*Psal.* III). » Et ut *subditus fiat omnis mundus Deo*, ut sciat se sine gratia Dei salvum esse non posse, vel certe in confessione peccati speret misericordiam, cognoscens se esse in peccatis. *Omnis mundus*, id est omnes homines, qui in mundo sunt, non solum gentiles, sed et Judæi, fiant Deo subjecti. Quod debent humiliter facere, *quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro*, id est in carne vivens non justificabitur ex carnali observantia legis coram Deo, qui videt intima cordis, licet coram hominibus videatur justificari. Hic contra eos incipit Apostolus disputare magno diuturnoque conflictu, qui gloriabantur in lege, et per legem se justificari credebant, non per gratiam, docens per ordinem, legem non potuisse auferre, sed potius auxisse peccatum, quod aufert gratia, quia lex jubere novit, cui succumbit infirmitas, sicut gratia juvare, qua infunditur charitas. Et notandum, quia nunc legem quinque libros Moysi nominat. Et cujus legis operibus nemo justificabitur coram Deo, quia nihil ad perfectum adduxit lex, quæ timorem pœnæ incussit, non amorem justitiæ infudit. Qui enim timore supplicii non amore sanctitatis observabat legem, mallet utique non esse quod timeret, ut impune legem ei præterire liceret. Ac præterea licet ipsam legem actibus impleret, et in oculis hominum justus appareret, in oculis tamen interni inspectoris erat injustus, quia quod foris in opere demonstrabat, intus in voluntate non habebat. Non dicimus non justificatos fuisse eos qui fuerunt legi obedientes, sed dicimus : quia nisi ex gratia justificati fuissent, non essent vere obedientes. Vere ex legis operibus nemo veraciter justificatur, quia *per legem* est tantum *peccati cognitio*, non consumptio. Prohibet enim lex peccatum, non aufert, et prohibendo ostendit esse malum quod prohibet. Per legem fuit cognitio peccati, et per eam nemo sine gratia justificatus est; sed nunc in hoc tempore gratiæ *est manifestata gratia Dei*, quæ tempore legis fuit operta. *Manifestata est sine lege*, id est sine legis auxilio, *justitia*, non hominis, non propriæ voluntatis, sed Dei. Et justitia Dei, non qua justus est Deus, sed qua induit hominem, cum justificat impium. Et ut certius teneatur ista justitia, *testificata est a lege et prophetis*, id est testimonium ei perhibuerunt lex et prophetæ. Nam lex quidem dum juberet et minaretur, et neminem justificaret, satis indicavit dono Dei hominem justificari per adjutorium spiritus. Prophetæ autem, quia id quod prædixerunt, implevit adventus Christi. Et hæc justitia est sine lege, quia Deus eam per spiritum gratiæ credenti confert sine adjutorio legis, id est non adjutus a lege, quando quidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut, ad ejus misericordiam per fidem confugiens, sanetur. Dixi justitiam Dei esse manifestatam. Sed *hæc justitia Dei est per fidem Jesu Christi*, id est per fidem, qua creditur in Christum. Sic enim ista fides Christi dicta est, qua credimus in Christum, sicut illa justitia Dei, qua justificamur a Deo. Utraque enim nostra est. Sed idcirco Dei et Christi dicitur, quia ejus largitate donatur. Hæc justitia quæ confertur per fidem, fidesque ipsa, occulta inspiratione Dei et gratiæ dono infunditur, non labore humano, nec opere Veteris Testamenti acquiritur, quia ipsius donum est ut credamus. Est ergo justitia hæc *super omnes qui credunt*, cœlitus data, superans merita omnium et Judæorum et gentilium. Ideo etiam per fidem super eos est justitia, quæ per legem esse non potuit, quia fides impetrat quod lex imperat.

« Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per « gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in « Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem « per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium « delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem « justitiæ ejus in hoc tempore, ut sit justus, et justificans eum qui ex fide est Jesu Christi. »

Ideo dixi super omnes æqualiter esse justitiam per fidem, quia *non est distinctio* in accipienda illa justitia, sed sive Judæus sive gentilis fidem habuerit, justificabitur. Vere non est distinctio utrorumque, quia omnes et Judæi et gentiles peccaverunt, vel in se vel in Adam. Quoniam lex sive in paradiso data, sive naturaliter insita, sive in litteris promulgata, prævaricata est ab ipsis. *Omnes* ergo *peccaverunt et egent* adhuc quotidie *gloria Dei*, id est ut

Digitized by Google

Deus magis magisque glorificetur in eis, tribuendo beneficia gratiæ suæ per remissionem quotidianorum delictorum, et multiplicationem virtutum. Non gloria sua egent, ut glorientur quasi de suis meritis, sed egent gloria Dei, id est omnino necessarium est illis, ut gloria Dei dilatetur in ipsis. Si enim justitia ex operibus legis haberetur, jam ipsa justitia non esset gloria Dei, sed potius hominum legem observantium. Sed quia per gratiam, non per legem habetur justitia, illa justitia est gloria Dei, non hominum, ut quidquid habet homo, non sibi, sed Deo ascribat. Gloria Dei adhuc egent, jam tamen *justificati gratis*, id est sine ullis meritis. Et justificati non per legem, nec propriam voluntatem, sed *per gratiam*. Non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem, et sana voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege. Hoc totum idcirco Apostolus loquitur, ne fides ipsa superbire incipiat et dicat: Si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quam datur? Sed si quis dixerit: Ut merear justificationem, habeo fidem, respondetur ei: «Quid enim habes quod non accepisti? (*I Cor.* IV.)» Cum ergo fides impetrat justificationem, sicut unicuique Deus partitus est etiam ipsius mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, comitante, non ducente pedissequa, non prævia voluntate. *Justificati*, inquit, *per gratiam*, quæ non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Quæ gratia venit *per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, non in alio aliquo. In eo enim inventa est redemptio humani generis, id est in ejus sanguine, quæ in nulla alia re poterat inveniri. Non enim nos Christus, quia per naturam ipsius semper fueramus, sed redemit quia captivi peccato tenebamur. Qui enim aliquem redimit, suum docet fuisse quem redimit. Ita Christus nos redemit, quia ejus eramus. *Quem* Christum *Deus* Pater *proposuit*, id est longe ante præordinavit futuram *propitiationem*, id est expiationem peccatorum nostrorum, hoc est, ut per eum ipse Pater expiaret nos a peccatis, et propitius nobis fieret. Vel *proposuit*, id est in propatulo omnibus illum posuit *propitiationem in sanguine ipsius*, id est ut ipse esset non solum propitiator, sed etiam propitiatio, et illam propitiationem haberemus in sanguine ejus, qui in remissionem peccatorum effusus est. Nam absque sanguinis effusione, sicut iste dicit Apostolus, non fit remissio peccatorum, quia videlicet non nisi per sanguinem Christi dari valet propitiatio et remissio peccatorum. In cujus typo quotiescunque peccata in lege dimitti dicuntur, sanguis hostiæ offertur. Proposuit autem Deus Christum propitiationem per fidem, ut qui in eum crederent, ipsi propitiationem hanc haberent. Vel proposuit eum propitiationem per fidem in sanguine ipsius, quoniam aliter non erit ipse propitiatio alicui, nisi credat eum fudisse sanguinem suum pro redemptione generis humani, et subjungat huic fidei bona opera, prout poterit. Proposuit, inquit, eum, id est in publico posuit per prædicationem apostolorum, hunc esse propitiationem pro peccatis nostris; et hoc fecit *ad ostensionem justitiæ* suæ, id est ut per eum manifestaret hominibus suam veram justitiam, quæ prius latebat, dum putarent homines operibus legis se posse justificari. Veram ergo justitiam ostendit in Christo credentibus, et ostendit eam esse suam, non hominum, id est a seipso datam hominibus, non ab ipsis ortam, nec ex legis operibus habitam. Quam scilicet justitiam ostendit *propter remissionem præcedentium delictorum*, id est ut remitteret delicta, quæ præcesserant non solum in gentilibus, sed etiam in Judæis, qui veram justitiam necdum noverant. Omnes enim peccaverunt. Sed per ostensionem suæ justitiæ placuit Deo, ut remitteret illis præcedentes culpas, et justificaret eos, ut deinceps juste viverent. Præcedentia enim ob hoc Apostolus determinavit, ne quis intelligeret illa esse remissa, quæ post acceptam gratiam committit. Præcesserunt delicta, et hoc factum est, *in sustentatione Dei*, qui non statim percussit delinquentes, sed diu patienter sustinuit, ut ad pœnitentiam converteret. Sustentatione dico, prærogata *ad ostensionem justitiæ ejus*, id est ad hoc longanimiter sustinuit eos, ut tandem conversis ostenderet justitiam suam *in hoc tempore* gratiæ, quam prioribus temporibus non manifestaverat, dum putarent homines se per seipsos posse justificari. Ad hoc, inquam, sustinuit et justitiam suam qua justificari posset homines, ostendit, *ut sit ipse justus*, id est juste agens omnia. Justum namque fuit, ut qui in futuro sæculo judicaturus est singulos secundum opera eorum, in isto sæculo patienter eos sustineret, et quid agere deberent illis ostenderet. Justus ergo est in hac sustentatione et justitiæ ostensione, quoniam omnia quæ facere debuit, fecit. Et per hæc etiam est *justificans eum qui est ex fide Jesu Christi*, quia dum sustinet, et justitiam suam ostendit, infundit ipsam justitiam cordi credentis. Non justificat eum qui est ex lege, sed eum qui est ex Christi fide, id est ex fide qua creditur in Christum. Ex hac enim datur justificatio, et non ex operibus legis aut naturæ.

« Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per « quam legem? Factorum? Non, sed per legem fi- « dei. Arbitramur enim justificari hominem per « fidem sine operibus legis. An Judæorum Deus « tantum? Nonne et gentium? Imo et gentium. « Quoniam quidem unus est Deus qui justificat cir- « cumcisionem ex fide, et præputium per fidem. « Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed « legem statuimus. »

Quando quidem justitia est Dei, non hominis, et ex fide, non ex lege, *ergo ubi est gloriatio tua*, o Judæe? Id est ubi est elatio tua, in qua gloriabaris per legis opera te justificatum? hoc est, non habes materiam gloriandi in lege, quia exclusa est, id est ejc-

Digitized by Google

cta et ablata tibi causa gloriandi, eliminata est gloriatio, quam in corde habebas. Et attende per quid. Nam *per quam legem* putas eam exclusam? Putas per legem *factorum*, id est operum? *Non* est exclusa per legem factorum, *sed per legem fidei*, id est non per laborem operum, sed per facilitatem fidei. Lex enim fidei est, qua in Christum credimus, et auxilium gratiæ ejus ad bene agendum precamur. Lex fidei est in spiritu juvante, lex factorum in littera jubente. Quod lex operum minando imperat, hoc lex fidei eligendo impetrat. Lex operum dicit: « Non concupisces (*Exod.* xx). » lex fidei dicit: « Cum scirem quia nemo potest esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum et deprecatus sum (*Sap.* viii). » Ipsa est illa sapientia quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, « a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac.* i). » Colitur autem sacrificio laudis, actionibusque gratiarum, ut cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo; lege fidei dicitur Deo: Da quod jubes. Non ergo per legem operum excluditur gloriatio eorum, qui cum sibi juste videntur vivere, ita gloriantur quasi non acceperint, sed per legem fidei, quia per eam quisque cognoscit si quid bene vivit, Dei gratia se habere, et ut perficiatur in dilectionem justitiæ, non se aliunde consecuturum. In lege itaque factorum, est Dei jubentis justitia; in lege autem fidei, subvenientis misericordia. Hæc est enim lex fidei, qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus, ne ignorantes Dei justitiam et nostram volentes statuere, justitiæ Dei non simus subjecti. Vere, inquit, per legem fidei exclusa est gloriatio tua, qua de legis observatione tumebas, quia nos apostoli *arbitramur*, id est certi sumus, *justificari* quemlibet *hominem per fidem sine operibus legis* præcedentibus. Non ideo enim Apostolus hoc dicit, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari; sed ideo potius, ut nemo putet meritis priorum bonorum operum se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide. In hoc enim se gentibus in Christum credentibus Judæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum, quæ per legem sunt, pervenissse ad evangelicam gratiam. Ideoque scandalizabantur multi qui ex Judæis crediderant, quod incircumcisis gentibus Christi gratia traderetur. Unde nunc Apostolus dicit posse hominem sine operibus, scilicet præcedentibus, justificari per fidem. Nam justificatus per fidem, quomodo potest nisi juste deinceps operari, quamvis nihil antea juste operatus ad fidei justificationem pervenerit, non merito bonorum operum, sed gratia Dei, quæ vacare in illo non potest, cum jam per dilectionem bene operatur. Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit, nec consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur. Unde manifestum est, quia quod Apostolus dicit justificari hominem per fidem sine operibus, non ita debet intelligi, ut accepta fide, si vixerit, dicamus eum justum etiamsi male vixerit, sed ut sciat se quisque per fidem justificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum. De illis autem, qui post acceptionem fidei nolunt bene operari, testatur Jacobus, quia fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa (*Jacob.* ii). Post hæc Apostolus ut ostendat et gentiles ad istam gratiam debere suscipi sicut Judæos, ait: *An Judæorum Deus tantum?* Quasi dicat: Vos putatis quod ad vos tantum Deus pertineat, et vos soli gratiam ejus suscipere debeatis. Sed nunquid hoc verum est? An Judæorum tantum est Deus? *Nonne* est *etiam gentium* sicut Judæorum? *Imo*, id est magis hoc eligam dicere, quia est *et gentium* et Judæorum, id est omnes homines fecit, et similiter de omnibus cura est ei. Non solum vobis, sed et gentibus venit Christus, vobis ex lege promissus, sed ad illas missus. Propterea multo magis et gentium, quia ante legem sancti in præputio placuerunt Deo. Ob hoc enim dixit, *imo et gentium*, ut ostenderet magis gentes, quoniam ante fuerunt sancti præputiati quam circumcisi, et Abraham ante circumcisionem fide justificatus est. Sed Judæi tumendo dicunt: Gentes idola colendo, Deum dereliquerunt. Quibus respondetur: Et vos. Sed nos, inquiunt, convertimur. Et illi: Nobis, aiunt, Christus venit promissus (209). Et illis: Non ergo videtur tantum est (*sic*) Deus, quoniam ex Adam nati sumus, et per prophetas prædictum est, gentes Christo credituras. Vere gentium Deus est, sicut Judæorum. Quod cum aliis modis possit probari, hoc unum pono *quoniam quidem unus est Deus*, non plures dii. Et in hoc apparet unus esse omnium, quia justificat omnes per eamdem causam: Nam *circumcisionem*, id est circumcisos *justificat ex fide*, *et præputium*, id est præputiatos *per fidem*, hoc est enim ex fide, quod per fidem. Nam nec circumcisio, nec præputium sine fide justificatur. Et quando quidem homo justificatur per fidem sine legis operibus, *ergo legem destruimus per fidem? Non, sed statuimus*. Quod Judæus posset inferre, ipse Apostolus sub interrogatione infert, ut removeat. Quia, inquit, per fidem justificari dicimus quemlibet hominem sine legis opere, ergo per fidem destruimus legem? *Absit* ut destruamus eam! Sed potius *statuimus*, id est firmam et stabilem esse facimus *legem*. Per legem enim cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ a vitio peccati; per animæ sanitatem, libertas arbitrii; per liberum arbitrium, justitiæ dilectio; per justitiæ dilectionem, legis operatio. Ac per hoc lex non destruitur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur, gra-

(209) Locus obscurus.

Digitized by Google

tia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur. Vel ita : *Legem ergo*, etc. Quoniam Apostolus dicebat hominem justificari per fidem sine legis observantia, ne Judæi dicerent : Legem ergo destruis, in qua omnes qui crediderunt justi, circumcisi fuerunt. Non solvo, ait, non destruo, sed confirmo, dum hanc prædico circumcisionem, quam illa prædixit. « In novissimis, inquit, diebus circumcidet Dominus Deus cor tuum, et cor seminis tui (*Deut.* xxx). » Tunc destruerem legem, si illam mentitam dicerem, hoc est non cessaturam cum illa promiserit se esse cessaturam, sicut Jeremias ait : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manus illorum ut reducerem eos de terra Ægypti ; sed hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas (*Jer.* xxxi ; *Hebr.* viii). » Non destruitur lex, cum impleta cessat. Non eam destruimus, sed magis statuimus, id est stare facimus, dum probamus verum esse, quod dixit de antiquis justis et de gentibus credituris, et spiritalem circumcisionem venturam, dum hoc efficit fides, quod lex jubet.

CAPUT IV.

« Quid ergo dicemus invenisse. Abraham patrem « nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex « operibus justificatus est, habet gloriam, sed non « apud Deum. Quid enim Scriptura dicit ? Credi- « dit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justi- « tiam (*Gen.* xv). »

Revocat illos ad caput circumcisionis, ut quod in initio constiterit, id habeatur in toto. Quando quidem fide justificatur homo sine operibus, et nemo justificari valet absque fide, *ergo quid dicemus*, id est quid possumus dicere, *Abraham patrem nostrum*, quem imitari debemus, *invenisse secundum carnem*, id est secundum carnis circumcisionem vel secundum carnalia legis opera? Ac si dicat : Nihil justificationis dicere possumus eum invenisse secundum carnem, sed potius secundum mentem, circumcisio enim in carne est, fides autem in mente. Et ipse non per circumcisionem, sed per fidem legitur invenisse justificationem, sicut generaliter dictum est, omnem hominem posse justificari per fidem sine operibus. Vel secundum carnem est pater noster, quia ex eo carnis originem ducimus, et circumcisionem carnis ab ipso habemus nos Judæi. Secundum fidem vero, pater est credentium ex gentibus. Et quid dicimus eum invenisse per quod justus esset? Opera legis? Non. Quia si dixerimus quod ex operibus legis sit justificatus, hoc inconveniens incurremus, quod habet gloriam de suis operibus, sed non apud Deum, quod omnino falsum est, quia omnes scimus eum habere gloriam apud Deum. Non ergo ex operibus, sed ex fide justificatus est. Sicut enim fides sine subsequentibus operibus bonis vacua est, ita quælibet opera bona ante fidem. *Habet gloriam*, apud semetipsum vel apud homines, *sed non apud Deum.* Multi enim gloriantur de operibus, et multi pagani propterea nolunt fieri Christiani, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Et dicit aliquis talium, Bene vivere opus est. Quid mihi præcepturus est Christus, ut benc vivam ? Jam bene vivo. Quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor, non invenitur aliquid in vita mea quod reprehendatur, et qui reprehenderit, faciat me Christianum. Iste talis habet gloriam, sed non apud Deum. Non autem sic pater noster Abraham gloriatus est. Non enim ex operibus legis invenit justitiam, utpote qui ante legem fuit, sed potius ex fide, quia promissis Dei credidit. Vere non ex operibus est justificatus. *Nam quid dicit Scriptura* in Genesi ? id est unde dicit Scriptura justificatum Abraham? Ex fide. Testatur enim quia *credidit Abraham Deo* promittenti, quod semen ejus futurum esset multiplex et clarissimum sicut cœli, et quod ita firmiter credidit, *reputatum est illi* divinitus *ad justitiam*, id est per hanc credulitatem non solum liberatus est ab omni originali et actuali peccato, sed et justus est a Deo reputatus. Ergo ex fide justificatus est Abraham. Sed si fidem opera non præcesserunt, tamen secuta sunt. Nam qui prius ex fide justificatus est in conspectu Dei, postea et ex operibus est justificatus etiam in conspectu hominum. Unde et Jacobus apostolus in epistola sua contra eos qui nolebant bene operari, sed de sola fide præsumebant, ipsius Abrahæ opera commendavit, dicens : Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est ? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Nec est Jacobus in hac sententia contrarius Paulo dicenti, quia si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, ac per hoc asserenti quia non ex operibus est justificatus. Uterque enim verum dicit. Paulus quippe, commendans justitiam quæ ex fide est, adversus eos qui fidem negligentes, gloriabantur de justitia quæ est ex operibus, dixit Abraham non esse justificatum ex operibus, sed quæ fidem præcederent. Jacobus autem, ut dictum est, adversus illos qui percepta fide torpebant otio, et putabant se per eamdem fidem, utpote justificatos, posse salvari, etiam si bona opera non haberent, dixit Abraham ex operibus esse justificatum, sed quæ fidem secuta sunt. Unde ut ostenderet, se non dissentire a Paulo, sed potius concordare, protinus addidit : Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, ut ex operibus fides consummata est, et suppleta est Scriptura, dicens : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Gen.* xv), et amicus Dei appellatus est. Et adhuc subjecit : Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non

Digitized by Google

ex fide tantum? Manifestum est enim, eum loqui de operibus quæ fidem subsequuntur. Quia Paulus sine præcedentibus operibus dixit, hominem sola fide posse justificari. Nemo enim fidem suis præcedentibus meritis habere potest. Et ideo qui per fidem gratis sibi datam justificatur, non in se, sed in Domino gloriatur, quia dum non ex operibus, habet fiduciam, per omnia Deo se intelligit debitorem, nihil inveniens, quod sibi arrogare possit ex meritis.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur « secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei « vero qui non operatur, credenti autem in eum « qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam « secundum propositum gratiæ Dei, sicut et David « dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert « justitiam sine operibus: Beati quorum remissæ « sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum (*Psal.* XXXI). »

Dixi, quia Abraham justus est ex fide. Sed *ei qui operatur* opera legis quæ Abraham non fecit, vel aliqua bona ut gratiam mereatur, ut Judæus se fecisse dicebat, si merces est ei, non est ex gratia, sed ex debito meriti sui. Sed si quis quærere voluerit, ante gratiam, quid meruerit ut acciperet eam, mala sua poterit invenire, non bona. Gratia enim gratis datur, unde etiam nuncupatur. Si ergo gratia, non jam ex operibus. Alioqui gratia jam non est gratia. Errat igitur Judæus, vel quilibet alius, qui se putat merito præcedentium operum pervenisse ad gratiam Dei. Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei? Putat quod ipse prior dederit Deo, et pro mercede sui operis acceperit evangelicam gratiam, quod non ita est. Huic enim qui ante operatur, non gratia, sed debitum redditur. Illi vero qui non facit opera legis, sed absque præcedenti opere accedit ad fidem, sufficit ipsa fides ad justitiam. Ita attribuit Apostolus aliis, quod de Abraham dixerat, scilicet quod si est justus ex operibus, habet gloriam, sed non apud Deum, et ideo ex fide. Vel hoc modo fides in exordio justificat sine operibus. Sed qui sic justificatus est, non debet deinceps a bonis operibus torpere. Nam ei, qui post fidem quam gratis acceperit, operatur opera bona, *non imputatur merces*, id est non recompensatur æterna remuneratio *secundum gratiam*, id est secundum fidem tantum, sed *secundum debitum* operationis suæ. Ita fit ei, qui post acceptam fidem vivit et bene operatur: non enim aliter a Domino mercedem percipit. Sed *ei qui non operatur*, id est qui postquam baptizatus est, non habet tempus operandi, vel propter infirmitatem non potest operari, quanquam velit, sed absque opere de hac vita rapitur cum fide et bona voluntate, huic nihil operanti, sed tantummodo *credenti in eum qui justificat impium*, id est, in Deum, *reputatur fides ejus ad justitiam*, id est sola fides sufficit ei ad justitiam, et ita ad salutem *secundum propositum gratiæ Dei*, id est secundum quod Deus per gratiam suam longe ante proposuit, vel secundum gratiam Dei propositam omnibus credere volentibus. Credenti, inquit, in eum qui justificat impium. Aliud est credere eum, aliud est credere ei, aliud credere in eum. Credere eum, est credere quod ipse sit; credere ei, est credere quod ipse vera dicat: credere in eum, est credendo amare, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Et idcirco fides qua creditur in eum, ipsa est sola quam ille approbat. Credenti in eum qui justificat impium. Impius est, qui non recte credit etiamsi nihil cuiquam auferat, si pauperibus tribuat, si uxorem alienam non concupiscat, si nulli fraudem faciat, si depositum reddat, quia hæc omnia facit non ea intentione qua debuit; et idcirco bona non sunt, quoniam non de bona radice prodeunt. Quisquis ergo sine fide operari bona vult, impius profecto est. Sed credat in eum qui justificat impium, ut et ipse ex impio fiat pius: et per fidem justificatus, possit deinceps opera pietatis et justitiæ facere. Ei qui sic credit, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei, qui sic per gratiam suam proposuit et decrevit, ut, cessante lege, fides justificet. Et hoc dico ego ex gratia fieri, *sicut et David dicit* hic (*Psal.* XXXI) et in futuro esse *beatitudinem* illius *hominis, cui accepto*, id est ad gratiam assumpto, *Deus fert justitiam sine operibus* præcedentibus. Magna enim beatitudo est hominis, sine labore legis vel pœnitentiæ, fidem per solam gratiam promereri secundum propositum Dei, quo proposuit gratis peccata dimittere. Illi accepto fert Deus justitiam sine operibus, qui per fidem qua primum Deo credidit, et de præterito absolvitur, et de præsenti justificatur et ad futura fidei opera præparatur. Probare vult Apostolus, et in ipsa lege prædici, justitiam sine operibus prodesse, nec se hoc de suo defendere, sed prophetæ testimonio confirmare. *Beati*, inquit, sunt illi *quorum iniquitates sunt remissæ, et quorum peccata sunt* oculis Dei *tecta*. Iniquitas est, contra legem vel extra legem agere. Unde et Græce dicitur anomia, id est sine lege, quia lex νόμος, *nomos*. Iniquitas ergo est, a lege deviare, vel contra legem agere. Peccatum vero etiam illud dici potest, quod contra quam natura docet, et conscientia arguit, delinquitur. Et juxta hunc sensum iniquitas ad Judæos, peccatum autem ad gentes pertinere videtur. Sed utrorumque culpas Dominus per gratiam suam, si crediderint, abluit. Quod enim remittitur, non est; et quod tegitur, non apparet, et ideo non imputatur. Beati sunt illi, quorum iniquitates sunt remissæ in baptismo, vel etiam igne dilectionis postea liquefactæ et consumptæ, sicut illius peccatricis, cui remissa sunt peccata multa, quia dilexit multum (*Luc.* VII). Et quorum peccata superpositis actibus bonis sunt tecta. Omne enim quod tegitur, interius ponitur; et hoc unde tegitur, desuper ducitur. Quando igitur abdicamus mala quæ fecimus, et eligimus bona quæ facimus, quasi tegimen rei superducimus, quam erubescimus Judæi (*sic*). Et ita ante Dei oculos teguntur

Digitized by Google

peccata, dum eis superducuntur bona facta. Potest etiam ad gentes magis pertinere iniquitas, quæ dicitur anomia, id est sine lege, quia gentes sine lege erant. Et possumus totum in baptismo intelligere fieri, id est et iniquitates remitti, id est deleri, et peccata tegi, ut ultra non videantur ad pœnam. *Beatus* est etiam *vir* ille, *cui* credenti Dominus propter fidem suam *non imputavit* ad pœnam *peccatum* originale vel aliquod peccatum. Sicut enim Abrahæ reputata est fides ad justitiam, ita et omni credenti, cum fides ad justitiam in baptismo reputatur, peccatum utique non imputatur.

« Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum « manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia « reputata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo « ergo reputata est? In circumcisione, an in præpu- « tio? Non in circumcisione, sed in præputio. Et « signum accepit circumcisionis, signaculum justi- « tiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit pater om- « nium credentium per præputium, ut reputetur « et illis ad justitiam, et sit pater circumcisionis, « non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed « his qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præpu- « tio patris nostri Abrahæ. »

Quandoquidem David universaliter dicit, eum esse beatum, cujus iniquitates vel peccata Deus gratis remittit, *ergo hæc beatitudo* repromissionis peccatorum *manet tantum in circumcisione*, id est in Judæis, *an et in præputio*, id est in gentilitate? Id est cum constet quod beatitudo ista per fidem sit ex gratia, modo quæritur in quibus sit, in Judæis tantum, an etiam in gentibus? Quod ideo quæro, quia constat de Abraham, quod justus est per fidem. Et cum hoc constet, quæro in quo statu sit justificatus, postquam est circumcisus vel ante. Et sicut in eo videbitur, sic in aliis credi poterit. Et hoc est: Idcirco quærimus an sit etiam in præputio ista beatitudo, quia *dicimus* omnes et confitemur, *quia fides Abrahæ reputata est ad justitiam*, id est fide justificatus est. *Quomodo ergo reputata est* ad justitiam? *In circumcisione, an in præputio?* Id est cum omnes confiteamur, eum per fidem justificatum, videamus utrum propterea sit justus, quia est circumcisus: an ideo sit circumcisus, quia inventus est justus. *Non in circumcisione* est reputata fides ejus ad justitiam, *sed in præputio*. Id est ante justificatus est per fidem, quam circumcideretur. Non ergo propter circumcisionem justificatus est. Quomodo, inquit, reputata est fides ejus? Cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? Si enim fuisset tunc temporis in circumcisione, videtur utique a fidei hujus gratia exclusum esse præputium. Sed erat adhuc tunc in præputio. Et cum in præputio positus per fidem sit justificatus, jure princeps et pater dicitur omnium credentium in præputio. In præputio est justificatus. Cur ergo post circumcisus? Non hoc superflue factum est, sed *accepit signum circumcisionis*, non qua fieret, sed qua ostenderetur justus. In præputio per fidem justificatus est, et deinde accepit signum circumcisionis, id est circumcisionem exteriorem, quæ esset signum interioris. Signum enim dicitur, cum per hoc quod videtur, aliud aliquid indicatur. Bene ergo circumcisio signum appellatur in Abraham, quia et ipsa aliud videbatur, et aliud intelligebatur, quia jam tunc carnalis illa circumcisio signum erat spiritalis circumcisionis, quæ non in carne suscipitur, sed in corde. Et tale signum quod sit *signaculum*, id est habens similitudinem signatæ rei, ut sicut carne libidinis, sic spolietur omnibus primæ nativitatis sordibus. Et quia nondum dixerat cujus signum, subdit: *Justitiæ fidei*, id est, quæ est ex fide. Fidei dico, *quæ est in præputio*, id est quam ipse habuit existens in præputio. Vel *signaculum*, id est celans quoddam mysterium. Signaculum enim dicitur, cum alicui rei servandæ pro tempore custodia imponitur, quod nemo alius nisi ipse qui impressit, debeat resignare. Sic in circumcisione Abrahæ conclusum est pro tempore mysterium quoddam, quod celaretur inimicis, et servaretur amicis ad similitudinem sigilli, scilicet quod sicut jussum est Abrahæ ut octava die circumcideretur homo ex ejus semine, sic in octava post finem septem dierum sæculi auferretur omnis vetustas et corruptio ab electis Dei. Vel hoc mysterium sigillatum est in eo, quod Abraham primo justificatus est, et post accepit circumcisionem, quæ esset signaculum justitiæ fidei ejus, *ut ipse sit pater credentium per præputium*, id est in præputio, *et sit pater circumcisionis*. Effectus enim est utriusque generis pater, his qui sunt in præputio per fidem, et his qui sunt in circumcisione, per carnem. Et hoc Abrahæ sigillum tunc credimus resignandum, id est aperiendum, cum plenitudo gentium introierit, et omnis Israel salvus erit. Tunc enim patenter cognoscetur Abraham esse pater non solum gentium, sed etiam circumcisionis per fidem. Nam idcirco ante justificatus est in fide, dum adhuc esset incircumcisus, et post circumcidi jussus est, ut ostenderetur primo pater futurus multarum gentium, et postea illorum qui ex circumcisione crediturі sunt. Neque enim hi qui secundum carnem nascuntur ex Abraham, filii Abrahæ dicendi sunt, ni fidem et opera Abrahæ habeant. Hoc itaque sigillabatur in circumcisione Abrahæ, ut sit pater, id est exemplum omnium credentium per præputium, id est in præputio. Sic enim dicitur per præputium, pro in præputio, sicut dicere solemus, per illud tempus, pro in illo tempore, vel sit pater per præputium, id est per id quod datum est ei tempore præputii. Si enim post circumcisionem datum esset, diceretur ex ea hoc accepisse, per hoc quod accepit in præputio, id est per fidem sit pater credentium de gentibus, ut reputetur et illis credulitas ad justitiam, id est ut sicut Abraham in præputio justificatus est per fidem, ita et illi justificentur credendo, licet præputium non exuerint. Et circumcisionem ideo accepit, ut sit pater circumcisionis, id est Hebræorum. Nam ante in præputio justus fuit, ut esset incircumcisorum ju-

Digitized by Google

storum pater; et circumcisus justus permansit, ut circumcisorum justorum fieret pater. Fieret, inquam, pater, *non his tantum qui sunt ex* carnali *circumcisione*, id est Judæis; *sed* et *his* qui corde sunt circumcisi, non carne, id est, gentilibus, *qui sectantur vestigia* fidei Abrahæ, hoc est qui illum in fide imitantur, ut ita ample credant sicut ille. *Quæ* fides *est in præputio patris nostri Abrahæ*, id est apparet in patre nostro Abraham, dum ipse est adhuc in præputio. Ideo toties repetit de præputio, ut ostendat gentiles eodem modo per fidem justificari, sicut et Judæos.

« Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui ex lege hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est (*Gen.* XVII) : Quia patrem multarum gentium posui te ante Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. »

Vere Abraham est pater omnium credentium Judæorum et gentium, quia per fidem adeptus est hanc paternitatem, non per legem. *Non enim per legem* facta est ei *promissio*, quia lex nondum erat. Non per legem, *sed per justitiam fidei*, id est quam per fidem obtinuerat, facta est *Abrahæ* promissio, et *semini ejus*, id est Christo. Hæc scilicet promissio, *ut* ipse *esset hæres mundi*, id est possessor aliquorum de toto mundo, qui eum imitarentur; et in Christo qui ex eo nasciturus erat, possideret omnia. Abraham est hæres mundi, id est possidens totum orbem per fidem, quia ipse est omnibus exemplum fidei, et omnes sancti sunt filii ejus per fidem. Semen quoque ejus, id est Christus, est hæres, id est Dominus mundi secundum regiam potestatem, per quem benedictio filiis Abrahæ, et cui Pater dixit : « Dabo tibi gentes hæreditatem (*Psal.* II), » etc. Et hæc promissa fuerant Abrahæ et semini ejus, non per legem quæ nondum erat, sed per fidem qua ipse Deo crediderat. Et merito. Legis enim observantia pœnam tantummodo effugit, fidei vero meritum spem repromissionis expectat. Et præceptum servis imponitur, fides ab amicis quæritur. Vere non per legem, sed per fidem Abraham est hæres mundi, quia *si* illi *qui* sunt *ex lege*, id est carnales Judæi, *sunt hæredes*, id est possessores hæreditatis quam Deus Abrahæ promisit, tunc *fides est exinanita*, id est inanis et inutilis facta, cum gentes per eam non possit hæreditare cœlestem patriam, *et abolita*, id est deleta et in irritum ducta est *promissio* Dei qua dictum est Abrahæ, quia « in semine tuo, » id est in Christo, « benedicentur omnes gentes (*Gen.* XXII), » id est benedictionem hæreditate possidebunt. Nam si ex lege tantum

A fierent hæredes, ut Judæi volebant astruere, gentes quæ lege carent sine benedictione hæreditatis remanerent. Non ergo per legem Abraham est hæres mundi, quia nec filii ejus sunt per legem hæredes, id est æternæ hæreditatis possessores. Nam si hoc esset, inconvenientia sequerentur, quod scilicet superflua esset fides qua ipse justificatus est, et qua justificantur cæteri, cum per eam non posset hæreditas æterna acquiri, et promissio divina remaneret inexpleta, quæ promisit omnes gentes benedicendas, quoniam nullus gentilium benediceretur, et ita nulli essent hæredes. Et vere ex lege non est hæreditas. Nam *lex* potius *iram operatur*, quia peccantem in se aut lapidari continuo, aut igne cremari, aut alio genere supplicii jubet interfici. Lex iram operatur et
B prævaricationem. Ex ea enim est prævaricatio, nam sine ea non est. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*, id est transgressio. Qui ergo legem non acceperunt, iniqui dici possunt, prævaricatores non possunt. Judicantur utrique secundum merita sua, sed tamen ira Dei major est in prævaricatores qui per legem cognoscunt peccatum et tamen faciunt. Et ita non potest per legem hæreditas haberi, sed potius ira. *Ideo ex fide* sunt hæredes. Ex fide, quæ est donum misericordiæ et justificat credentes, habetur hæreditas, ita *ut secundum gratiam* Dei, non secundum merita hominum, *firma*, id est verax et rara *sit promissio* quam Deus fecit Abrahæ de multiplicatione filiorum, qui perpetuam hæreditatem essent
C possessuri. Non enim firma esset, sed potius infirma et irrita, nisi ipse per gratiam suam implesset eam. Ideo non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines. Quia, etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum potestate est; et quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Sed non ita fieri potest, per gratiam ergo Dei gratuito munere nobis concessam implentur ejus promissa, dum per donum suæ gratiæ facit ut credamus et bene operemur, sicque hæredes efficiamur. Firma sit promissio *omni*
D *semini* Abrahæ, id est non parti seminis, sed omni semini. Volebant enim Judæi ut quantum ad eos firma esset, et quantum ad gentiles cassa. Sed non ita Deus promisit, cum diceret : In semine tuo benedicentur omnes gentes. Firma sit omni semini, id est omni populo fidelium imitatori Abrahæ, *non solum ei qui ex lege est*, id est qui ex Veteri Testamento venit ad Novum, *sed et ei qui est ex fide Abrahæ*, id est qui non sibi promissa lege sequitur fidem Abrahæ, qui sine lege per fidem justificatus esse memoratur. *Qui est pater* non omnium hominum, sed *omnium nostrum*, id est non solum qui ex lege descendimus, sed et qui ex fide legi succedimus, scilicet et circumcisorum et præputiatorum credentium est pater, id est institutor et exemplum. Ita est

Digitized by Google

pater credentium, sicut in Genesi *scriptum est*, dicente Domino. *Quia patrem*, id est auctorem secundum fidem, non dico Judæorum, *sed multarum gentium posui te* (*Gen.* XVII). Multarum autem, non quarumdam, sed omnium. Si ergo pater multarum gentium futurus esse promittitur, recte non solum eorum qui ex circumcisione veniunt, sed eorum qui ex gentibus credunt, pater nominatur. In eo enim quod ipse dicitur pater multarum gentium, superbia confunditur Judæorum, quia Judæorum carne, gentium autem fide pater est. Ubi recte Apostolus ex sua interpretatione addidit, *ante Deum cui credidisti*, significans fidem in interiore homine esse in conspectu Dei, non in ostentatione hominum, sicut carnalis circumcisio; et per eamdem fidem, non per carnem eum esse patrem gentium, quas ante Dei oculos in fide generavit. *Qui* Deus, sicut Apostolus subjungit, *vivificat mortuos*, id est a morte animæ suscitat per baptismum Judæos, *et vocat*, ad fidem *ea quæ non sunt*, id est gentiles, de quibus scriptum est : Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Ipse enim vere est qui ait : « Ego sum qui sum (*Exod.* III). » A quo quisquis recedit etiam esse amittit, ut jure dicatur non esse. Et tales erant gentes idolis servientes. Sed ipse *vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*, id est gentiles ad fidem adducit, sicut Judæos qui ob unius Dei cultum dicuntur esse. Vel omnes peccatores sive gentiles, intelligamus mortuos. Et hos enim Deus per gratiam suam vivificat, ut ex fide vivant. *Et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Apud eum quippe factum est, quod ejus dispositione futurum est, quia de illo per prophetam dicitur : Qui fecit quæ futura sunt. Nondum erant quibus promitteretur, quando Abrahæ loquebatur, ne quisquam de meritis gloriaretur. Et quibus promissum est, etiam ipsi promissi sunt, ut totum corpus Christi dicat : « Gratia Dei sum id quod sum (*I Cor.* XV). » Dum enim Deus vocare dicitur ea quæ non sunt, sola gratia vocantis appareret, non aliquod meritum eorum, qui nec esse adhuc habuerunt quando vocantur. « Elegit, inquit, nos ante mundi constitutionem (*Ephes.* 1). » In mundo facti sumus, nec mundus erat quando electi sumus. Quis hoc explicare sufficiat? Eliguntur qui non sunt, nec erat qui elegit, nec vane elegit. Elegit tamen, et habet electos, quos creaturus est, eligendos. Habet autem apud semetipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua. Recte itaque dicitur vocare ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. De Abraham vero subditur.

« Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater « multarum gentium, secundum quod ei dictum est : « Sic erit semen tuum (*Gen.* XV) sicut stellæ cœli et « sicut arena maris. Et non infirmatus est fide, nec « consideravit corpus suum emortuum, cum fere « centum annorum esset, et emortuam vulvam Sa- « ræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffi- « dentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, « plenissime sciens, quia quæcunque promisit, po- « tens est et facere. Ideo reputatum est illi ad justi- « tiam, sed et propter nos, quibus reputabitur cre- « dentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum « Dominum nostrum a mortuis, qui traditus est pro- « pter delicta nostra, et resurrexit propter justifica- « tionem nostram. »

Incipit commendare fidem Abrahæ, ut imitemur. Sæpe enim jam dixerat eum credidisse, et ideo pergit nunc ostendere, quomodo et quam firmiter crediderit. Qui credidit in spem habendi filium per promissionem Dei, et hoc contra spem carnis suæ, quæ jam erat quasi per naturam deficiens et frigida *contra spem*, id est contra hoc quod prius sperabat se non amplius filium generare, *credidit* eundo *in spem*, id est ut speraret se posse generare, quia Deus promittebat. Dum enim viridi essent ætate, speravit secundum naturam ex juvencula uxore sobolem habere, nec potuit. Modo autem contrarium speravit, ut scilicet vetulus ex vetula et sterilli generaret per Dei potentiam. Sicque contra veterem spem credidit in novam spem. Majus est enim sperare contra aliquod insperatum quam simpliciter sperare. *Credidit* Abraham *ut fieret pater multarum gentium*, id est tam valide credidit, ut propter fidei meritum susciperet ex sua conjuge filium, de quo populus Hebræorum propagaretur, et ex illo populo Christus carnem assumeret, in quem omnes gentes crederent. Hoc enim ordine factus est Abraham pater multarum gentium. Et hoc juxta *quod dictum est ei* divinitus. *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli et sicut arena maris.* Non quod essent tot vel carnaliter vel spiritaliter ex eo processuri, quot sunt stellæ vel arena quæ numerari non potest, sed quod illi, qui ex eo sive carnaliter sive spiritualiter erant nascituri, ita futuri essent hominibus innumerabiles, ut stellæ et arena. Mystice vero per stellas intelliguntur spiritales filii cœlo inhærentes, et desuper lucentes fulgore virtutum; per arenam vero sive Judæi sive Christiani carnales, in infimis corde jacentes, et fructum boni operis non ferentes. Abraham credidit. Et quia posset ad horam credere et postea deficere, subditur, quia *non infirmatus est fide.* Credidit enim Deo promittenti, et in illa fide non est infirmatus, id est debilitatus, cum multas causas infirmandi haberet secundum humanam rationem, scilicet quod nec ipse jam nec uxor ejus idonei essent ad generandum. Ideo enim quod credidit, non *consideravit corpus suum emortuum*, et vere emortuum, *cum esset fere centum annorum.* Et licet tanto tempore vixisset, tamen non hoc attendit, nec etiam cogitavit *vulvam Saræ emortuam.* Sara enim sterilis erat, et cruore menstruo jam destituta, propter quod jam parere non posset, etiam si sterilis non fuisset. Porro si femina ita sit provectioris ætatis, ut ei solita mulierum adhuc fluant, de juvene parere potest, de seniore non potest, quamvis adhuc possit ille senior, sed de adolescentula gignere, sicut Abraham post mortem Saræ de Cethura potuit, quia vividam ejus ætatem invenit. Hoc ergo est quod mirum commendat Apo-

Digitized by Google

stolus, et ad hoc dicit Abrahæ jam fuisse corpus emortuum, quoniam non ex omni femina, cui adhuc esset aliquod pariendi tempus extremum, generare ipse in illa ætate adhuc posset. Ad aliquid enim emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia. Nam si ad omnia, non jam senectus vivi, sed cadaver esset mortui. Sara quoque magis erat destituta cunctis viribus generandi. Et tamen nihil horum consideravit Abraham, cum audiret sibi a Deo sobolem promitti, sed potentiam promittentis attendens, nihil difficile esse credidit in his, quæ promittebat Omnipotens. Ita fuit credulus in promissione qua dictum est ei, Quoniam qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem; vel quando audivit, Quia ex Sara dabo tibi filium cui benedicturus sum. *In repromissione etiam Dei*, id est quando Deus iterum ei promisit, Quia revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, et habebit filium Sara uxor tua, *non hæsitavit diffidentia*, id est non dubitavit ut diffideret de completione promissionum, *sed confortatus est fide*, id est omnino fortis et constans factus est in fide, *dans gloriam Deo*, id est glorificans Deum qui per munus gratiæ suæ daturus erat et filium contra naturam ex vetula sterili, et per illum filium in Christo populum credentium plenissime, id est multo intuitu veritatis et potentiæ Dei, *sciens quia quæcunque promisit, potens est etiam facere*. Deus igitur eos quos promisit bonos, facit ut ipsi faciant bona. Neque enim eos propterea promisit Abrahæ, quia præscivit a seipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham, sed dedit gloriam non humanis meritis, sed Deo, plenissime credens quia quæ promisit potens est et facere. Non ait quæ præscivit potens promittere, aut quæ prædixit potens ostendere, quæ promisit potens præscire, sed quæ promisit potens et facere. Ipse ergo facit bonos eos qui boni fiunt, et ipse facit in bono perseverare eos qui perseverant. Hoc enim promittit Deus quod ipse facit. Non enim promittit, et aliud facit. Quod jam non est promittere, sed prædicere. Cavendum est igitur ne homo se extollat adversus Deum, dicens se facere quod promisit Deus. Ipse enim et fidem gentium, sicut Abrahæ promiserat, facit qui potens est facere quod promisit, et omnia bona operatur in sanctis. Hæc ita credidit Abraham, *ideo et reputatum est illi ad justitiam*. Diceret aliquis : Quid ad nos quod Abraham credidit, quod per fidem justificatus est? Hoc illius gloria fuit. Et Apostolus : Ipse quidem ita per fidem magnificatus est. Sed tamen non est scriptum tantum propter ipsum, id est propter laudem et commendationem ipsius, hoc scilicet, qui reputatum est illi ad justitiam quod bene credidit, *sed etiam propter nos* instruendos, ut profectum fidei ex illa Scriptura caperemus, intelligentes quia si ita credamus Deo, ut ille credidit, etiam nobis *reputabitur* fides ad justitiam *credentibus in eum, qui suscitavit Jesum a mortuis*, id est a numero mortuorum perpetualiter separavit, suscitans eum amplius non reversurum in corruptionem, quod Judæi non credunt. Suscitavit eum a mortuis, ut nos a vitiorum sordibus faceret resurgere. *Qui* Jesus *traditus est* in mortem, ut nos possemus mori delictis nostris; *et resurrexit*, ut nos in virtutum honestatem resurgeremus justi. Etenim mors ipsius significat interitum veteris vitæ nostræ, resurrectio autem gratiam novæ conversationis. Traditus est in manus persequentium *propter delicta nostra* tollenda, ne nos propter illa traderemur in manus dæmonum cruciandi; et per mortem jure diaboli destructo, *resurrexit propter justificationem nostram*, id est ut nos justificando suscitaret a morte animæ, quatenus juste viveremus, quod aliter non poteramus. Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Sonat in ejus traditione delictum, sonat in ejus resurrectione justitia. Ergo moriatur delictum, et resurgat justitia.

CAPUT V

« Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad « Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, « per quem et accessum habemus per fidem in gra- « tiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe « gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et glo- « riamur in tribulationibus, scientes quod tribula- « tio patientiam operatur (*Jacob* 1), patientia autem « probationem, probatio vero spem. Spes autem « non confundit, quia charitas Dei diffusa est in « cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus « est nobis. »

Quandoquidem multis modis hactenus probatum est, non ex operibus legis, nec ex viribus liberi arbitrii, sed ex fide justificari hominem, *igitur ex fide* sumus *justificati*, non ex lege, nec ex nobis. Et nos ita justificati, *habeamus pacem ad Deum*, quam non habetis, dum invicem arrogatis falsam justificationem, alii per legem, alii per vires liberi arbitrii. Quasi dicat : Hæc dissensio contra Deum est, qua de meritis vestri gloriamini, quasi per vosmetipsos justificati. Sed justificatio quæ ex fide est, pacem cum Deo facit, quia inimicas præsumptiones humanorum meritorum expellit, et animum Deo humiliter subjicit, dum se sola gratia salvari cognoscit. Ex fide sumus justificati, et tamen gratis, quia et ipsa fides donum supernæ gratiæ est. Et cum fides impetrat justificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici comitante, non ducente pedissequa, non prævia voluntate. Ita ergo justificati, jam de cætero pacem habeamus ad Deum, quia reconciliati sumus ei per mediatorem Jesum. Non jam a divina voluntate discordemus, sed pacem ad Deum habere studeamus, *per Dominum Jesum*, id est non per nosipsos, sed per auxilium et gratiam reconciliatoris nostri, *per quem habemus* non solum ablutionem nostræ vetustatis in sanguine ipsius, ut sic ascendamus ad indumentum justitiæ et novitatis, sed etiam *accessum* habeamus per illum, *in istam*

Digitized by Google

gratiam, id est in hanc virtutum sublimitatem gratis datam, et hoc non per legem, sed *per fidem*. Hoc est dicere : Fides concessa nobis ex gratia, apud Deum impetrat et remissionem delictorum, et perfectionem omnium virtutum, per Christum qui est ostium, accessimus per fidem in gratiam istam, id est in bonæ vitæ observantiam, *in qua stamus*, id est statum rectitudinis habemus, qui in Adam cecideramus, quia qui manet in vitiis, non stat, sed prostratus jacet. Elias vero stabat qui ait : « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto (*III Reg.* XVII; *IV Reg.* IV). » Stamus, inquit, in hac gratia, non cadentes ab illa nec recedentes, *et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, id est in eo quod speramus gloriam quam habent filii Dei. Tantum enim est quod speramus, quantum ex se præsumere nullus auderet, quia in sola Dei virtute est ut homo in filiorum Dei numerum possit ascendere. Et magna valde gloria est, per fidem ac spem in numerum filiorum Dei ascisci. Quod adeo magnum est, ut a multis pro ipsa magnitudine incredibile videatur, eo quod speramus gloriam filiorum Dei nos consecuturos. *Non solum autem* gloriamur de spe gloriæ hujus, *sed* etiam *gloriamur* per Christi gratiam *in tribulationis*, per quas « oportet nos intrare in regnum cœlorum (*Act.* XIV). » Gloriamur sine periculo vanitatis de tolerantia tribulationum, quia novimus quanta merces inde sequatur. Et hoc est quod gradatim ascendendo prosequitur. Gloriamur in tribulationibus, quia sumus *scientes quod tribulatio operatur* in nobis *patientiam*, id est facit nos esse patientes. Nemo enim patiens esse potest, nisi in adversis; *patientia autem* operatur *probationem*, quia cujus patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur. Multi enim ante experimentum tribulationis putant se fortes esse, qui in ipso experimento deficiunt et imbecilles esse apparent, et multi prius se putant infirmos, qui in ipso articulo passionis apparent fortissimi, dum omnia viriliter patiendo superant. Et ita probationem operatur patientia, dum et sibi et aliis unumquemque liquido manifestat, qui antequam pati inciperet, et sibi et aliis ignotus erat; *probatio vero* operatur *spem*, quia unusquisque ex eo quod per tribulationes insuperabilis esse probatus est, incipit habere spem, id est certitudinem futuræ gloriæ, quæ humanæ rationi vana videtur, sed testimonio virtutis firmatur. Si quis enim nondum sibi probatur sperat præmium, non sperat, sed præsumit. Nam tribulationes quibus patientia fidelium probatur, non solum eas debemus intelligere quæ extrinsecus accidunt, id est de damnis vel languoribus, vel ex quolibet corporis cruciatu, sed eas etiam quas intus sibi faciunt aut perferunt, dum in requie positi semetipsos affligunt et atterunt, obsistendo voluptatibus suis, refrenando libidinem, etc., quæ ad bonum continentiæ vel abstinentiæ pertinent, *faciendo*. Ex quibus sine dubio nascitur patientia, quæ probabilis effecta, generat spem. Spes autem est bonorum exspectatio futurorum. Quæ exprimit humilitatis affectum et sedulæ servitutis obsequium, quæ non est inanis, quia non confundit, id est non generat confusionem sic speranti, quia quidquid speravit adipiscitur. Ille enim sua spe confunditur qui dicit : Ego quod sperabam non inveni. Vir autem qui per patientiam in tentationibus est probatus non confunditur sua spe, quoniam magnitudine præmii quod invenit, exsuperatur magnitudo spei ejus. *Spes non confundit*, quia in Deo posita est, qui fallere non potest, quia verax est; non in homine, qui falleret quia mendax est. In Deo posita est, et idcirco sequitur, *quia charitas Dei*, etc. Vel ita : Spes non facit erubescere, quia impletur. Et constat eam esse implendam ex eo quod jam Spiritum sanctum in arrham habemus, quo et late diligimus. Et hoc est : Quia charitas Dei, id est quam ex Deo habemus, postquam Deum et proximum diligimus, *diffusa est*, id est late et copiose data *in cordibus nostris*. Ubi enim charitatem, angustia esse potest, quia mox angustia excluditur, et cor dilatatur, ut tantum habitatorem, id est, Spiritum sanctum intra se possit habere. Non enim a nobis ipsis, sed a Spiritu sancto possumus habere charitatem. Nam cum dixisset, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, ne putaret quisque a se sibi esse quod diligit Deum, continuo addidit, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Ut ergo ames Deum, habitet in te Deus et amet se de te, id est ad amorem suum moveat te, accendat te, illuminet te, excitet te. Per Spiritum, inquit, sanctum qui datus est nobis, quia et Deus est et donum Dei. Et propter hunc divitem habitatorem faciebat Apostolus quod supra dixit : *Gloriamur in tribulationibus*. Quomodo enim in his gloriatur, si egestatem intus pateretur? Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat. Quid autem facit malus homo cum cœperit tribulari? Foris nihil habet, ablata sunt omnia, in conscientia nullum solatium est. Non est quo exeat, quia dura sunt; non est quo intret, quia mala sunt. Male secum torqueatur necesse est, quia sibi ipse tormento est. Ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua. Boni vero quidquid exterius patiuntur, facile per internam consolationem vincunt. Et si in hac vita, ubi tanta tormenta sunt, possunt boni et justi viri, cum talia patiuntur, non solum æquo animo tolerare, sed etiam in Dei charitate gloriari, quid cogitandum est de illa vita quæ nobis promittitur, ubi nullam de corpore molestiam sentiemus?

« Utquid enim Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? vix enim pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan quis audeat mori (*I Petr.* III). Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Multo magis igitur justificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. »

Cum Deus nos diligat, vel nos eum per Spiritum

Digitized by Google

sanctum, spes nostra implebitur. Nam nisi ita sit, frustra passus est Christus. Et hoc est: *Utquid Christus pro impiis*, id est pro dilectione impiorum *mortuus est*, nisi ut spes impleatur? Vel ita: Volens Apostolus ostendere plenius virtutes charitatis, quam per Spiritum sanctum diffusam in cordibus nostris dixerat, exponitur quibus causis diffusa sit in nobis, asserens Christum pro impiis esse mortuum. Impii namque eramus, antequam converteremur ad Deum Christum. Et Christus utique mortem pro nobis, antequam crederemus, excepit. Quod proculdubio non fecisset, nisi nimiam et abundantissimam erga nos charitatem habuisset, vel ipse Christus moriendo pro impiis vel Deus Pater unigenitum suum pro impiorum redemptione tradendo. Vere charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Nam quare mortuus est Christus pro nobis, nisi ut charitas Dei diffunderetur in nobis, ut diligeremus eum qui prior dilexit nos? *Utquid enim*, id est propter quid aliud *Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc essemus infirmi?* id est indigentes medico. Tam graviter enim ægrotabamus, ut non aliter quam medici morte sanari possemus. Mortuus est *secundum tempus*, id est non ut alii qui morte detinentur, sed ad horam pro nobis mortem sustinuit, resurgens die tertia, ne desperemus de ejus potentia, cujus apparet in morte benevolentia. Mortuus, inquit, est, et hoc non pro quibuslibet, sed *pro impiis*, id est pro fœdis et exsecrandis et a Deo penitus separatis. Et ipse tam magnum fecit, ut pro talibus mori temporaliter dignaretur, ut æternam mortem ab eis averteret. Hinc beneficiorum ejus apparet magnitudo, ut qui indebite ab eo tantum dilecti sumus, consideremus quantum eum diligere debeamus, aut si quid ei præponere debeamus, cum ille nobis impiis nec vitam suam præposuerit, nec mortem denegaverit. Pium enim Dominum usque ad mortem diligere debemus, quem pro impiis servis cruciatum mortis excepisse cognoscimus. Ubi et præsumptio humana reprimitur, ne suis meritis aliquid tribuat. Et vere miranda ejus bonitas, qui pro impiis dignatus est mori. *Vix enim pro justo quis moritur*, id est raro est ut aliquis pro justo moriatur, nedum pro impio, quoniam dubitat unusquisque mortem subire, etiamsi mortis sit causa justa. Raro dico, nam forsitan potest inveniri ut quis audeat mori pro bono, id est pro re bona vel pro bono viro. Quasi dicat: Difficile hoc invenitur, metu mortis cuncta terrente. Vel per justum intelligatur justitia legis; per bonum vero, bonitas evangelicæ gratiæ; et vix pro justo quis moritur, quia veteri lege in qua justitia est, vix pauci inventi sunt, qui suum in martyrio sanguinem fuderunt. *Nam pro bono forsitan quis audeat mori*, quoniam in Novo Testamento, in quo bonitas est atque clementia, innumerabiles exstiterunt, qui suas in mortem audacter animas tradiderunt. Sed tamen ad comparationem carnalium et mori pro Domino trepidantium tam pauci fuerunt, ut propter raritatem dicatur de eis, forsitan quis audeat mori. Forsitan, dicitur propter eos qui mori necdum audent, quis, propter raritatem eorum qui audent, licet sint innumerabiles. Nonnulli vero sic interpretantur: Si ille pro nobis impiis mortuus est et peccatoribus, quanto magis nos absque ulla dubitatione pro justo et bono debemus occumbere? Justum autem et bonum non putemus esse diversum, nec aliquam proprie significare personam, sed absolute justam rem et bonam; pro qua difficulter, sed interdum aliquis inveniri potest qui suum sanguinem fundat. Vix pro justo et bono quis moritur. Dominus autem noster pro impiis et peccatoribus est mortuus, in quo laudabilior charitas fulget. Neque enim merita nostra præcesserant, pro quibus Filius Dei moreretur; sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia. Diceret aliquis: Cum Deus sit omnipotens, et aliis modis nos potuisset liberare, cur Filium suum pro nobis mori voluit? Ad quod Apostolus: Non sine causa Deus id fecit, sed hoc modo *commendat charitatem suam in nobis*. Quando indebite aliquid redditur, tunc charitas commendatur. Et quid tam indebitum, quam ut sine peccato Dominus pius pro peccatoribus servis impiis moreretur? Et in hoc commendatur nobis charitas Patris, quia sic nos dilexit. Cur ergo non fieret mors Christi, imo cur prætermissis aliis innumerabilibus modis, quibus ad nos liberandos uti potuisset omnipotens, id potissimum non eligeretur ut fieret, ubi nec de divinitate ejus aliquid immutatum est, et de humanitate susceptа tantum beneficii collatum est hominibus, ut a Dei Filio mors temporalis indebita redderetur, quia eos ab æterna morte debita liberaret? Peccata enim nostra diabolus tenebat, et per illa nos merito tenebat in morte. Dimisit ea illi qui sua non habebat, et ab illo est immerito perductus ad mortem. Tantum enim valuit sanguis ille, ut neminem Christo indutum in æterna morte debita detinere debeat, qui Christum morte indebita vel ad tempus occidit. Commendat itaque Deus Pater nimiam charitatem suam in nobis, *quoniam cum adhuc peccatores essemus*, nihilque nobis nisi pœna deberetur, Christus pro nobis pœnam mortis excepit, ut nos a cruciatu perpetuæ mortis salvaret. Qui ergo peccatoribus donavit mortem suam, quid servat justis nisi vitam suam? Incredibilius est enim quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius est tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? Non est mortalis victurus in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum? Carne tamen sola mortuus est. Mortuus est pro nobis peccatoribus. Multo magis ergo salvabit justificatos. Nam qui fecit quod majus et difficilius est, multo levius faciet quod minus et facilius est, difficilius quippe est pro peccatoribus mori et peccata tollere, quam justos et cooperantes salvare. *Multo magis igitur* nos *justificati*, id est a peccatis omnibus liberati, *nunc* id est in hoc tempore gratiæ, *in sanguine ipsius* sine

Digitized by Google

culpa pro peccatis nostris enuso, *salvi erimus ab ira*, id est a pœna damnationis æternæ, *per ipsum* mediatorem et reconciliatorem.

« Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. »

Vere salvi erimus ab ira per ipsum. Nam *si cum essemus inimici*, id est per amorem iniquitatum Deo contrarii, *reconciliati*, id est in pacem reducti sumus Deo *per mortem Filii ejus*, tunc multo magis qui jam sumus reconciliati, erimus salvi in vita ipsius, quia qualem ipse jam secundum humanitatem habet vitam, talem et nos habebimus. In vita erimus salvi, qui per mortem sumus reconciliati. Dedit enim pro nobis mortem suam, et reconciliati sumus, qui alienati et inimici facti fueramus per transgressionem. Nemo enim reconciliatur, nisi ex inimicitiis. Inimicos autem nos Deo primi parentis fecit transgressio. Quos supra dixerat peccatores, hos nunc inimicos Dei nominat; et quos supra justificatos in sanguine Christi, hos nunc reconciliatos Deo per mortem filii ejus; et quos supra salvos ab ira per ipsum, eos nunc salvos in vita ipsius. Non ergo ante gratiam istam quoquo modo peccatores, sed in talibus peccatis fuimus, ut inimici essemus Dei. Sed reconciliati sumus ei per mortem Filii ejus. Quomodo per mortem? An cum irascerètur nobis, vidit mortem Filii sui pro nobis et placatus est nobis? Nunquid ergo Filius ejus usque adeo nobis jam placatus erat, ut pro nobis etiam mori dignaretur; Pater vero usque adeo adhuc irascebatur, ut nisi Filius pro nobis moreretur, non placaretur? Non. Superius enim dictum est : « Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. » Habebat ergo Pater erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adversus eum exercentes, deserviremus peccatis. Et in sequentibus epistolæ hujus dicitur : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Nunquid ergo si implacatus nobis esset, filium pro nobis traderet? Veraciter enim dictum est ei quia nihil odisti eorum quæ fecisti (*Sap.* II). Sed tamen nihilominus veraciter ei dictum est : « Odisti omnes qui operantur iniquitatem (*Psal.* V). » Proinde miro modo et diligebat nos, et oderat. Diligebat quales ipse fecerat, oderat quales per operationem iniquitatis fueramus per nos facti. Et quadam justitia Dei in potestatem diaboli traditum erat genus humanum, peccato primi hominis in omnes utriusque sexus commistione nascentes originaliter transeunte, et parentum primorum debito universos posteros obligante. Si ergo commissio peccatorum per iram Dei justam hominem subdidit diabolo, profecto remissio peccatorum per reconciliationem Dei beni gnam eruit hominem a diabolo. Non enim sicut hominis animi perturbatio, est ira Dei, sed justa vindicta vocatur ejus ira. Etsi justa divina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei, quæ non recte intelligitur, nisi cum talis ira finitur. Nec aliter inimici eramus Deo, nisi quemadmodum justitiæ sunt inimica peccata. Quibus remissis, tales inimicitiæ finiuntur, et reconciliantur justo quos ipse justificat. Quos tamen etiam inimicos utique dilexit, quandoquidem pro his cum adhuc inimici essent, Filium tradidit. Quod ergo reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, non sic intelligatur, quasi nos ideo reconciliaverit ei Filius, ut jam inciperet amare quos oderat, sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici et invicem diligant qui oderant invicem, sed jam nos diligenti reconciliati sumus ei, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Et per hanc reconciliationem a diabolo sumus erepti, qui non potentia Dei, sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius, vel cujus creaturæ potentia valet ei comparari? Sed cum diabolus vitio perversitatis suæ factus sit amator potentiæ et desertor oppugnatorque justitiæ, in quo homines magis eum imitantur, placuit Deo ut non potentia diabolus sed justitia vinceretur, atque ita et homines imitantes Christum, justitia quærerent diabolum vincere, non potentia.

Quæ est igitur justitia, qua victus est diabolus a Christo? Quia cum in eo nihil morte dignum inveniret, occidit eum tamen. Et utique justum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine ullo debito occidit. Hoc est quod justificari dicimur in sanguine Christi. Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum innocens ille sanguis effusus est. Hoc est quod reconciliati Deo dicimur per mortem Filii ejus. Remissis enim peccatis nostris, finiuntur inimicitiæ, et pacem cum Deo assequimur, a quo nos sola peccata dirimebant. Sic ergo per mortem ejus *reconciliati*, *multo magis salvi erimus*, *in vita ipsius*, qui in vita nostra perieramus. Nam si mors ipsius tantum potuit ut illud faceret quod difficilius erat, tunc vita, id est resurrectio et gloria ejus illud facere poterit, ubi minor difficultas est. *Non solum autem* salvi erimus in futuro, *sed etiam non gloriamur* spe *in Deo*, id est in eo quod consideramus nos cum Deo futuros in illa gloria. Vel non in nobis, sed in Deo gloriamur; nec per nos, sed *per Dominum nostrum Jesum Christum*, *per quem nunc* jam in præsenti vita *reconciliationem accepimus*, secundum ea quæ superius disputata sunt.

« Propterea sicut per unum hominem in hunc « mundum peccatum intravit, et per peccatum « mors, et in omnes homines pertransiit, in quo « omnes peccaverunt. Usque ad legem enim pecca« tum erat in mundo. Peccatum autem non impu« tabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab « Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non

Digitized by Google

« peccaverunt, in similitudinem prævaricationis « Adæ, qui est forma futuri. »

Nunc prolixius disputare inchoat de duobus hominibus : uno primo Adam, per cujus peccatum et mortem tanquam hæreditariis malis et posteri ejus obligati sumus; altero autem secundo Adam, qui non homo tantum, sed et Deus est. Quo pro nobis solvente quod non debebat, a debitis et paternis et propriis liberati sumus. Proinde, quoniam propter unum illum tenebat diabolus omnes per ejus vitiatam carnem concupiscentialiter generatos, justum est, ut propter hunc unum dimittat omnes per ipsius immaculatam gratiam spiritaliter regeneratos. Nam quia dixerat Apostolus, nos esse per Christum Deo reconciliatos, pergit ostendere quam convenienter per unum obedientem simus reconciliati, qui per unum inobedientem fueramus a Deo separati. Reconciliationem accepimus per Christum, *propterea*, id est quia per eum sumus reconciliati, idcirco *sicut per unum hominem intravit peccatum* in orbem, *et per peccatum mors*, ita subaudi per unum redemptorem reddita est justitia, et per justitiam vita. Per unum hominem qui primus peccavit, intravit originale peccatum in hunc miserum mundum, id est in universum genus humanum quoniam peccando omnem suam stirpem in seipso tanquam in radice vitiavit, ut quidquid prolis ex simul damnata per quam peccaverat conjuge (per carnalem concupiscentiam in qua inobedienti pœna similis retributa est) nasceretur, traheret peccatum originale. Sicut enim Christus, in quo omnes vivificabuntur, præter id quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis baptizatis; sic et Adam in quo omnes moriuntur, præter id quod eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabefecit in se omnes de sua stirpe venturos. Peccatum enim generationis hic intelligitur, non imitationis. Nam sicut a muliere initium peccati fuit, sic initium generationis a viro est. Prior enim vir seminat, ut fœmina pariat. Ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod a viro excipiens femina concipit. Opus hoc castum in conjuge non habet culpam, sed origo peccati trahit secum debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis non est, aut aliunde nisi peccato mortalis est. Itaque per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, quia si homo non peccasset, nunquam moreretur. *Et ita in omnes homines* peccatum sive mors *pertransiit*, ut nullus ex viro et femina genitus, immunis esset a peccato et morte. Notandum est enim quod dicitur, pertransiit. Inde est parvulus reus. Peccatum nondum fecit, sed traxit. Etenim illud peccatum non in fonte mansit, sed pertransiit in omnes per vitiatam carnem genitos. *In quo*, id est in primo homine *omnes peccaverunt*, quia quando ipse peccavit, omnes in illo erant, et tota humani generis massa in illo est infecta peccati veneno. Sic et in Christo justificantur omnes qui credunt in eum, propter occultam communicationem et inspirationem gratiæ spiritalis, quia quisquis adhæret Domino, unus spiritus est cum eo. Et sicut per peccatum primi hominis, quod in omnes pertransiit, amisimus vitam, sic per justitiam secundi hominis, quæ in omnes qui membra ejus fiunt diffunditur, recuperabimus vitam. Dixi quia peccatum in omnes pertransiit, et verum dixi. Nam ab Adam usque ad legem peccatum originale in omnibus fuit. De Judæis non probo quod fuerint sub originali peccato, quia legem habebant, et se esse sub illo per legem cognoscere poterant; sed de illis, qui ante legem fuerant, et peccatum originale non cognoscebant. Nam usque ad legem Moysi, peccatum illud erat in toto mundo. Erat quidem, sed non imputabatur, id est non intus in anima esse putabatur aliquod hujusmodi peccatum, cum lex non esset, quæ casum primi hominis, ex quo peccatum illud propagatum est, intimaret. In omnes itaque peccatum illud pertransiit, quia etiam ante legem, cum non ita videretur, lege non docente. Vel ita : Quoniam Judæi vellent dicere justitiam, et vitam esse redditam per legem potius quam per Christum, ut Apostolus docebat, ostendit Apostolus justitiam non potuisse reddi per legem, quæ peccatum auferre non valuit. Nam *usque ad legem*, id est quandiu lex mansit, *peccatum* originale *erat in mundo*, id est non fuit deletum per legem. Istud usque, non est terminale, sed comprehensivum, sicut cum dicitur : « Et vitam usque in sæculum (*Psal.* CXXXII). » Usque ad legem fuit peccatum, quia nec lex potuit illud auferre, quæ subintravit ut magis abundaret peccatum : sive naturalis lex, in qua quisque jam ratione utens, incipit peccato originali addere et propria; sive ipsa quæ scripta per Moysen populo data est. Quod igitur ait, quia usque ad legem peccatum erat in mundo, non idcirco dictum est quod deinceps non fuerit, sed quia non poterat per litteram legis auferri, quod solo poterat spiritu gratiæ. Ne quisquam ergo fidens viribus, non dico voluntatis, sed potius vanitatis suæ, putaret libero arbitrio legem potuisse sufficere, et Christi gratiam derideret, ideo ait Apostolus, quia usque ad legem peccatum erat in mundo. Et addidit : *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Non dixit : Non erat, sed *Non imputabatur*, id est ignorabatur, et peccatum esse non putabatur. Neque enim a Domino Deo tanquam non esset habebatur, sed ab hominibus cæcis nesciebatur, quia non erat lex, qua arguente demonstraretur sive lex rationis in parvulis, sive lex litteræ in populo. Ante legem non imputabatur peccatum, sed regnavit mors, secure possidente homines diabolo pro impunitate credita, usque ad Moysen, per quem rediit cognitio unius Dei. Prius enim aut ignorabant Deum homines, aut non putabant eum curare quid egissent.

Digitized by Google

Sed ubi lex data est, noverunt Deum curare humana et judicare. *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysen*, id est a primo homine usque ad ipsam etiam legem, quæ divinitus promulgata est quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre, quæ non regnat utique nisi per peccatum. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam æternam quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quæ pœnaliter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicunque antequam in carne Christus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis litteram, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebant. Quod autem dicit : Usque ad Moysen, id est usque ad finem legis, et initium gratiæ mortem regnasse, eo genere locutionis ait, quo dicimus, verbi gratia, fuerunt Huni usque ad Attilam. Non enim principium regni ejus, sed finem designamus. Sic et usque ad Moysen, id est usque ad finem legis et principium gratiæ, pestis late diffusa per orbem regnabat, quia medicus decrat. Ubi vero de cœlis medicus advenit, mors potestatem perdidit. Ergo in omnibus regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, qui Christi gratia non adjuti sunt, ut in eis regnum mortis destrueretur. Vere in omnibus, *etiam in eis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, id est, qui nondum sua et propria voluntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt. Quia in seipsis cum jam non nati essent, nec ratione adhuc uterentur, qua ille utebatur quando peccavit, nec præceptum accepissent, quod ille transgressus est, solo originali vitio tenebantur obstricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem, quod est occidi in gehenna. Potest et sic intelligi, ut cum dixisset, Regnavit mors etiam in eis qui non peccaverunt, quasi nos moneret, quare in eis regnaverit qui non peccaverunt, adderet in similitudinem prævaricationis Adæ, id est quia erat in horum membris similitudo prævaricationis Adæ : *Qui est forma futuri*, quia ipse formam mortis inflixit posteris suis. In illo enim constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur, ut ex uno in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salvatoris. Vel forma est futuri, id est Christi, partim a simili, partim a contrario. A simili, quia sicut Adam sine patre a Deo ex virgine terra factus est, ita Christus ex virgine Maria sine semine a Deo creatus est. Sicut ille est pater omnium secundum carnem, sic Christus secundum fidem. Dormivit Adam ut fieret Eva, mortuus est Christus ut fieret Ecclesia. Dormienti Adæ facta est Eva de latere, mortuo Christo lancea percussum est latus, ut profluerent sacramenta quibus formaretur Ecclesia. A contrario quoque est Adam forma Christi, ut quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per Christi obedientiam justi constituantur multi. Et sicut in illo omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificentur. Sicut enim manducatum est ad Adam, suadente diabolo, et omnes qui nascuntur ex eo, morti addicti sunt; ita jejunatum est a Christo, et omnes qui per eum renascuntur, vitæ æternæ restituuntur. Sicut ille communicare potuit filiis peccatum et mortem, sic iste suis justitiam suam et vitam. Sicut ille est pater præsentis sæculi, et princeps discordiæ, sic iste pater futuri sæculi et princeps pacis (*Isa.* IX). Sed non sicut delictum, ita et donum.

« Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipientes in vita, regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi. »

His verbis declarat Apostolus, qualiter Adam forma Christi sit a contrario, et qualiter eadem forma non sit ex omni parte conformis. Nam similes quidem a contrario sunt, sed tamen in hoc differunt, quod non sicut delictum Adæ, ita et donum Christi, quia plus boni Christus confert, quam ille mali. Similes enim sunt Christus et Adam, sed non sicut delictum, ita et donum, id est non sic est efficax peccatum Adæ ad damnationem, ut gratia Christi ad salvationem. Quamvis enim delictum et donum in hoc sint similia, quod sicut delictum operatur discordiam inter nos et Deum, et tandem in nobis mortem, ita donum reconciliationem et æternam beatitudinem, atque sicut per unum hominem intravit peccatum in omnes, et per peccatum mors, ita donum per unum venit in omnes et per donum vita; in hoc tamen differunt, quod delictum operatur in omnibus mortem temporalem, donum autem vitam sempiternam. Plus ergo præstat Christus regeneratis, quam nocuit Adam generatis. Et vere donum est majus et potentius quam delictum. Nam si delictum unius adeo potuit et efficax fuit, ut multos duceret in mortem, multo magis abundavit gratia Dei, id est remissio peccatorum, quam Deus gratis dat sine præcedenti merito humano; et donum, id est largitio virtutum. Hæc, inquam, gratia et donatio, abundavit in gratia unius hominis Jesu Christi, id est in perfectione virtutum quæ in homine Christo est, et abundavit in plures, id est in omnes suos abundanter venit. Non in plures transit gratia quam delictum, neque enim plures justificantur quam condemnantur, cum iniqui multo

Digitized by Google

plures sint ; sed in plures dictum est, velut si dicerétur, non in paucos. Neque enim pauci, sed plures sunt, in quos redundat ista gratia. Et multo magis abundat quam delictum, quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt. In eo autem quod præmisit. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, dum diceret *multi*, et non omnes, innuit se dicere de illis, in quibus delictum Adæ mortem animæ fecit. Sed *gratia Dei multo magis abundavit*, quia primus parens unum delictum in omnes misit, Christus autem etiam delicta illa quæ homines propria voluntate addiderunt originali, in quo nati sunt, gratia sua solvit, et justificationem atque vitam æternam dedit. Et *non sicut per unum* peccantem venit condemnatio, *ita et donum* gratiæ post datum est, quia majus est donum quam delictum. Ostenderat delictum et donum differre secundum effectum, quia delictum genuit mortem, donum autem vitam ; et nunc rursum ostendit quod alio modo differunt, quia non sic, sed copiosius est donum gratiæ per unum Christum donantem, sicut fuerat delictum per unum Adam peccantem. Non solum in hoc, inquit, non æqualis est forma, quia Adam temporaliter nocuit eis quos in æternum Christus redemit, sed etiam quia illius uno delicto posteri ejus, nisi a Christo redimantur, traduntur in condemnationem ; Christi autem redemptio etiam multa delicta dissolvit, quæ originali sunt addita. Et vere ita est. *Nam judicium quidem*, id est sententia divini judicii *ex uno* delicto Adæ ducit *in condemnationem*, sed *gratia*, id est gratuitum donum Dei *ex multis delictis* in baptismo liberans ducit *in justificationem*, quia non solum ignoscit, sed et justificat. Ideo dixit judicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. Quamvis enim condemnatio gravior eorum sit, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt, et tanto singulis gravior, quanto gravius quisque peccavit, tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantum a regno Dei separat, verum et a salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla esse alia potest præter regnum Dei, quo sola Christi societas introducit. Ac per hoc ad Adam in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traximus ; a Christo vero, in quo omnes justificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quæ ipsi addimus, peccatorum remissionem consequimur. Et ideo non sicut per unum peccatum, ita est donum. Nam judicium quidem ex uno delicto si non remittitur, id est originali, in condemnationem jam potest ducere ; *gratia vero ex multis delictis* remissis, hoc est non solum originali, verum etiam omnibus cæteris, *ad justificationem* perducit. Quicunque enim ex illo uno homine multi in seipsis futuri erant tamen in illo unus erant. Proinde illud peccatum solius esset, si ex illo nullus exisset. Porro autem in quo erat natura communis, ab ejus vitio nullus est immunis. Sed inde sola Christi gratia liberat, quæ non secundum merita hominum, sed gratis datur, quoniam Deus misericors est ; nec omnibus datur, quoniam Deus judex est ; et justo ejus judicio in aliis demonstratur quid in eis quibus datur conferat gratia. Non ergo simus ingrati ei, qui secundum placitum voluntatis suæ tam multos liberat de tam debita perditione, ut si inde liberaret neminem, non esset injustus, sed qui liberantur, gratiam diligant, qui non liberantur, debitum agnoscant. Si in remittendo debitum apparet bonitas, et in exigendo æquitas, laudent misericordiam qui liberantur, non culpent judicium qui puniuntur. Dixerat autem quod gratia nos a multis delictis emundans justificavit, et nunc consequenter adjungit, quod per illorum delictorum remissionem et justitiæ adeptionem non solum vivemus, sed et regnabimus, et hoc per Jesum Christum. Sed præmittit inde quasi quamdam probationem, quia si in peccato Adæ moriebamur, multo magis in gratia Christi vivemus. Et hoc est : Gratia Dei nos a delictis multis liberans et justificans salvavit a condemnatione cæterorum, qui per illam regnabimus. *Nam mors per unum* in cæteros transiens, *delicto*, id est ob delictum unius, *regnavit*, id est regnum occidendi omnes potenter obtinuit. Vel per unum regnavit, quia sic in omnibus regnum obtinuit, ut in illo uno qui primus peccavit, haberet initium regni sui. Sive per unum, ut diximus, in cæteros venit, quia quas vires in illo habuit, in omnes posteros exercuit. Et si mors ita per unum in delicto unius regnavit, tunc multo magis regnabunt, *per unum Christum accipientes*, id est non a se, sed a Deo habentes *abundantiam gratiæ*, id est remissionem peccatorum abundantem ; quia non solum originale, sed et actualia remittuntur, *et* abundantiam *donationis*, id est spiritualium charismatum, *et justitiæ*, id est bonæ operationis. Isti inquam, qui hæc divinitus consequuntur, regnabunt per unum Jesum Christum. Regnabunt multo magis quam in eis mors regnavit, quia ipsi regnabunt æternaliter, mors autem regnavit temporaliter. Itaque ob unius delictum mors regnavit per unum, quia mortis vinculo tenebantur omnes in illo uno, in quo omnes peccaverunt, etiam si propria peccata non adderent. Alioquin non ob unius delictum mors per unum regnavit, sed ob delicta multorum per unumquemque peccantem. Sed abundantiam gratiæ et donationis et justitiæ accipiunt, quia non solum eis peccatum illud, in quo omnes peccaverunt, sed etiam quæ addiderunt, gratia remissionis deletur ; eisque tanta justitia donatur, ut cum Adam consenserit ad peccandum suadenti, non cedant isti etiam cogenti. Qui multo magis in vita regnabunt, quia in æterna vita sine fine regnabunt magis quam in eis mors temporaliter, et cum fine regnavit. *Igitur sicut per unius*, etc. Quoniam multa interposuerat ad propositam probationem pertinentia, ostendendo donum efficacius esse quam delictum, et esse multiplicius quam delictum,

Digitized by Google

repetit antecedens, ut convenienter subinferat ipsum consequens. Et hoc est: Quoniam *per unius delictum* transiens *in omnes homines* perventum est ab hominibus *in condemnationem igitur* et *per unius justitiam in omnes homines* transeuntem, pervenitur *in justificationem*, quæ est causa *vitæ perennis*. Et sicut illud factum est, sic fit et istud, id est quam digne illud, tam digne et istud. Vel ita : Quandoquidem Adam est forma Christi, et quia majus est donum Christi atque plus confert, igitur sicut juste per delictum unius transiens in omnes homines, itum est in condemnationem corporis et animæ, sic justo judicio etiam per unius justitiam venientem in omnes homines electos, itum est in justificationem, ut participatione justitiæ Christi justificentur, quæ justificatio est causa vitæ sicut condemnatio causa mortis æternæ. Sicut ubi delictum solum sine actuali peccato omnes præcipitavit in condemnationem, et sic in mortem, ita sine nostro opere præcedente gratia Christi nos duxit ad justificationem, et sic ad vitam æternam. Eam quippe justificationem dicit, qua Christus justificat impium. Quæ justificatio transit in omnes homines, non quia omnes homines veniant ad gratiam justificationis Christi, cum tam multi alienati ab illa in æternum moriantur, sed quia omnes qui renascuntur in justificationem, non nisi per Christum renascuntur, sicut omnes qui nascuntur in condemnationem, non nisi per Adam nascuntur. Nemo est quippe in illa generatione præter Adam, et nemo in ista regeneratione præter Christum. Ideo dictum est, omnes et omnes. Nam si aliqui possent carne generari non per Adam, et aliqui spiritu regenerari non per Christum, non liquido omnes, sive hic, sive ibi dicerentur. Eosdem autem omnes, postea multos dicit. Possunt quippe in aliqua re omnes esse, qui pauci sunt. Sed multos habet generatio carnalis, multos et spiritualis, quamvis non tam multos hæc spiritualis quam illa carnalis. Sed tamen sicut illa omnes habet homines, sic ista omnes justos homines, quia sicut nemo præter illam homo, sic nemo præter istam justus homo, et in utraque multi. De quibus subditur : *Sicut enim per inobedientiam*, etc. Et determinat Apostolus delictum *unius* et justitiam unius, ut sicut ille merito peccati multos perdidit, sic et iste merito justitiæ inde liberasse videatur. Vere sicut delictum unius condemnavit omnes, sic justitia unius justificat omnes. Nam sicut per inobedientiam unius primi hominis, quæ est delictum ipsius, *peccatores constituti sunt multi*, id est omnes qui ex eo nati sunt, originale peccatum ex eo traxerunt, ita et per obedientiam unius hominis Christi, *constituentur multi justi*, id est justificabuntur fide incarnationis et passionis ejus, in qua fuit obediens usque ad mortem. Ideo hic Christum hominem dicit, cum sit et Deus, ne quis existimet vel antiquos justos, per Deum tantummodo Christum, id est per verbum quod erat in principio, non etiam per fidem incarnationis ejus, qua et homo est, potuisse justificari. Hic finitur disputatio de duobus, Adam scilicet et Christo, ex quibus alter nobis peccatum et mortem intulit, alter justitiam et vitam reddidit. Sequitur :

« Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. « Ubi autem abundavit delictum, superabundavit « gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita « et gratia regnet per justitiam in vita æternam, per « Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT VI.

« Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato « ut gratia abundet? Absit! Qui enim mortui sumus « peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? »

Supra dixerat, quia usque ad legem peccatum in mundo fuit, quod non originale tantum, sed omne peccatum intelligi voluit. Et ideo usque ad legem fuit, quia nec lex potuit illud auferre. Usque ad legem enim dictum est, ut etiam ipsam legem sententia ista concluderet, quomodo dictum est in Evangelio, omnes generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim (*Matth.* I). Non enim excepto David, sed ipso etiam computato numerus iste completur. Sic lex non est extra permansionem peccati, quod dictum est, usque ad ipsam fuisse. Imo sicut nunc dicitur, *lex subintravit ut abundaret delictum*. Intraverat enim in mundum ab initio peccatum sive delictum, sed lex subintravit, id est subsequenti tempore intravit, non ut per eam finiretur delictum, sed ut abundaret ex prævaricatione. Lex enim, sive naturalem intelligamus, quæ in eorum apparet ætatibus, qui jam ratione uti possunt; sive conscriptam, quæ data est per Moysen, non potuit vivificare aut liberare a lege peccati et mortis, quæ tracta est ab Adam, sed magis addidit prævaricationis augmentum. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Prævaricata ergo lege, quæ in paradiso data fuerat, nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis, de qua dicitur : « Video aliam legem in membris meis (*Rom.* VII), » etc. Quæ tamen nisi mala consuetudine postea roboretur, facilius vincitur, non tamen sine gratia Dei. Lege autem alia prævaricata, quæ est in usu rationis animæ rationalis, in ætate hominis jam ratione utentis, prævaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Prævaricata vero lege, etiam illa quæ data est per Moysen, multo amplius abundat delictum. Lex ergo subintravit ut abundaret delictum, sive cum homines negligunt quod Deus jubet, sive cum de viribus suis præsumentes, adjutorium gratiæ non implorant, et addunt infirmitati superbiam. Qui enim tales sunt, ignorant qua dispensatione lex data sit. Non enim data est lex, quæ posset vivificare, quia gratia vivificat per fidem. Sed data est lex ad ostendendum, quantis peccatorum vinculis constringerentur, quia de suis viribus ad implendam justitiam præsumebant. Et ideo peccata non minuit, sed adjecit. Non tamen propter hunc effectum data est, sed ex hominum pravitate hoc contigit. Non enim vitio legis, sed illorum sic abundavit peccatum, cum et concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, et peccantibus cog-

Digitized by Google

tra legem prævaricationis crimen accessit. Non ergo Judæi de lege glorientur, quia non sunt per eam justificati, sed abundantiori delicto gravati, ideoque magis humilientur et confugiant ad implorandam Christi gratiam, per quam et a peccato prævaricationis liberentur atque sanentur. Delictum enim abundavit per legem. Sed non ideo despiciantur Judæi, qui ad Christum venerunt, quia *ubi*, id est in quibus *abundavit delictum*, quoniam, accepta lege, non ignoranter, sed scientes delinquebant, *ibi*, id est in eis *superabundavit* gratia Dei, hoc est sic abundavit, et sic dona sua multiplicavit, ut deleret omnino delictum, et superior atque major existeret quam fuerat delictum. Superabundavit, quia et hos perficit quos diabolus vincere non potuit; et delictum ad tempus fuit, gratia vero in æternum. Ita superabundavit gratia, *ut sicut regnavit in mortem peccatum*, etiam quod non ex Adam traxerunt homines, sed sua voluntate addiderunt, *ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam*. Non tamen est aliqua justitia præter Christum, sicut aliqua peccata præter Adam. Ideo cum dixisset, sicut regnavit peccatum in mortem, hic non addidit, per unum, aut per Adam, quia supra dixerat etiam de peccato illo, quod subintrante lege abundavit, et hoc utique non est originis, sed jam propriæ voluntatis. Cum autem dixisset sic, et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, addidit: *per Jesum Christum Dominum nostrum*, quia generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum, regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum remissio peccatorum. Ita ergo superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, id est sicut prævaluit actuale peccatum, et efficax fuit ducere homines in mortem; sic et *gratia*, id est remissio peccatorum, et accumulatio virtutum *regnet*, id est prævaleat, et omnem voluntatem suam in nobis potenter compleat; *per justitiam*, id est per subsequentem bonam operationem nostram, ducens nos in vitam æternam, non per nos ipsos, neque per legem, sed *per Jesum Christum*. Post hæc quæstionem, quæ ab alio fieri poterat, ipse sibi facit; et quod opponi poterat, removet. Quasi dicat: Quoniam supra dixi, quia ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia, *ergo quid* ex hoc *dicemus*? *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet in nobis*, id est ut abundantiam gratiæ consequamur? *Absit!* ut in eo jam maneamus! *Nam qui jam sumus mortui peccato*, id est qui per baptismum jam exstincti peccato sumus, *quomodo adhuc vivemus in illo?* Obedire desideriis peccati, hoc est vivere peccato. Sed cum id gratia præstiterit, ut moreremur peccato, quid aliud facimus, si vivimus in eo, nisi ut gratiæ simus ingrati? Neque enim qui laudat beneficium medicinæ, morbos docet et vulnera, a quibus hominem illa sanat, sed quanto magis medicina prædicatur, tanto magis vulnera et morbi vituperantur. Sic laus et prædicatio gratiæ, vituperatio et damnatio est delictorum.

A

B

C

D

« An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus
« in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?
« Consepulti enim sumus cum illo per baptismum
« in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mor-
« tuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate am-
« bulemus.

Mortui sumus peccato per baptismum, quem in morte Christi percepimus (*Ephes.* IV; *Colos.* III), et an hoc ignoratis? *An ignoratis, quia quicunque*, sive servi, sive liberi, sive parvuli, sive magni, *baptizati*, id est tincti et abluti *sumus in Christo Jesu*, id est in nomine Christi *in morte ipsius baptizati sumus?* Ac si dicatur: Nunquid sacramentum ipsius baptismi ignoratis? In morte quippe Christi baptizamur, ut in ipsius morte credentes et imitantes quasi mortui vivamus. Mortui enim per baptismum peccato, non debemus ei iterum vivere, ut iterum mori ei necesse sit, quia in morte Christi, id est in similitudinem mortis Christi sumus baptizati, ut sicut ille semel mortuus est, et semper vivit, ita nos semel mortui malo, semper vivamus bono. Quomodo enim mortuus peccare non potest, ita et nos in Christo sumus commortui, et implicari peccatis capitalibus non debemus, quia qui crucifixus est, nihil aliud facit, nisi horam mortis exspectat, et spiritum suum Deo commendat, nihilque jam in hoc mundo appetit. Nam quemadmodum pedes et manus Christi cruci sunt affixi, ut in nullam partem moveri possent, ita manus et pedes nostri debent imitatione mortis ejus ligari, ut non possint ad peccatum moveri. Et ita nihil aliud intelligamus esse Christi baptismum, nisi mortis Christi similitudinem; nihil autem aliud mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem, ut quemadmodum in illo mors vera facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera rerurrectio est, ita et in nobis vera justificatio. Et si hinc ostendimur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus, profecto parvuli qui baptizantur in Christo, peccato moriuntur, quia in morte ipsius baptizantur. Nullo enim excepto dictum est, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et ideo dictum est, ut probaretur nos mortuos esse peccato. Cui autem peccato parvuli renascendo moriuntur, nisi quod nascendo traxerunt? Vel in morte Christi sumus baptizati, quia mors ejus est causa hujus purificationis. Vere in morte Christi sumus baptizati, id est in baptismo similes morti ejus effecti, quia etiam consepulti sumus illi per baptismum. Sicut enim nemo vivus potest sepeliri cum mortuo, ita nemo qui adhuc vivit in peccato, potest in baptismo consepeliri Christo. *Consepulti sumus cum illo per baptismum*, ut quemadmodum ipse fuit sepultus corpore, sic peccatum nostrum lateat et sepeliatur sepulcro aquæ; sicut ipse tribus diebus in sepulcro jacuit, sic nos tribus vicibus sepulcro baptismatis immergimur. Nam quod tertio mergimur, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus; et dum tertio ab aquis educimur, resurrectio

Digitized by Google

triduani temporis exprimitur. Quia in illo aquarum elemento sepelimur, ut renovati per Spiritum sanctum resurgamus. In aqua enim imago mortis, in spiritu piguus est vitæ, ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quodam tumulo corpus includit, ut per virtutem spiritus renovemur a morte peccati. Consepulti sumus cum illo per baptismum, et hoc *in mortem*, id est in defectum vitiorum, ut vitia in nobis sint mortua ad exemplum mortis ejus. Ad hoc sumus commortui et consepulti, *ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos* a vitiis surgentes ad bona opera, *ambulemus* de bono in melius *in novitate vitæ*. Id est ut quomodo glorificatur Pater per resurrectionem filii, ita et per conversationis nostræ novitatem glorificetur. Novitas autem vitæ est, ubi veterem hominem cum actibus suis deponimus, et induimus novum, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.

« Si enim complantati facti sumus similitudini « mortis ejus, simul et resurrectionis erimus, hoc « scientes quia vetus homo noster simul crucifixus « est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non « serviamus peccato (*Ephes.* IV; *Colos.* III). Qui enim « mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem « mortui sumus cum Christo, credimus quia simul « etiam vivemus cum illo. »

Debemus exemplo resurrectionis Christi ambulare in novitate vitæ, ut novam et incorruptibilem conversationem ducamus, nec jam vitiorum putredine corrumpamur. Nam *si sumus facti complantati*, id est a veteri ritu avulsi, et in novitatem conversationis translati, hærentes *similitudini mortis ejus*, id est imitantes pro posse nostro mortem ejus, ut abstineamus nos a peccato, quo ille prorsus caruit, *simul et resurrectionis* ejus similitudini *erimus* complantati. Arbor quæ plantatur, moritur antequam crescat, et demortua vivificatur, et vivificata fructificat. Sic et Christus, qui lignum vitæ est, juxta Salomonem (*Prov.* II), avulsus de præsenti sæculo, mortuus est, et per resurrectionem vivificatus, crevit in totam mundi latitudinem, in quo et multum fructum affert. Notandum autem quia non dixit Apostolus: si enim complantati sumus morti ejus, sed et similitudini mortis ejus. Christus enim semel ita mortuus est peccato, id est carni, ut peccatum omnino non fecerit. Nos autem ipsa morte quia ille mortuus est, peccato non possumus mori, ut omnino nesciamus peccatum, similitudinem tamen habere possumus, ut imitantes eum abstineamus nos a peccato. Hoc enim recipere potest humana natura, ut in similitudine mortis ejus fiat, dum ipsum imitando non peccat. Debemus ergo complantari similitudini, id est ad similitudinem mortis ejus, ut imitantes innocentiam mortis ejus, exstinguamur vitiis, et fructificemus in operibus bonis. Tunc enim et resurrectionis ejus similitudini complantabimur. Omnis enim plantatio post hiemis mortem, resurrectionem in vere germinat. Si igitur et nos in Christi morte complantati sumus per hiemen hujus sæculi, in vere futuri sæculi proferemus ex ipsa radice fructus justitiæ. In similitudinem resurrectionis ejus complantabimur, quando reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Complantemur, inquit, similitudini mortis ejus, *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est*, quoniam in illa morte Domini, peccati nostri figura pependit. Crucifixio quippe veteris hominis, pœnitentiæ doloris intelliguntur et continentiæ salubris cruciatus. Christus enim qui vixerat vetus homo secundum pœnam, id est secundum famem et sitim et hujusmodi, hoc modo vetustatem, id est nostræ mortalitatis infirmitatem finivit et deposuit, ut dolorem crucis sustinens, sic haberet membra distenta et confixa, ut ad priores actus moveri non possent, a quibus etiam sepultus, quievit humanis subtractus aspectibus, exigens a nobis ut vetustatem peccatorum cum dolore pœnitentiæ deponamus, et membra nostra per continentiam sint confixa, ne ad priora redeamus, a quibus ita perfecte quiescamus, ut nec eorum visio et memoria habeatur. Etsi jam ista complevimus, tunc vere vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est. Vetus enim homo, est vetusta conversatio, fomes et consuetudo peccati, et quidquid vitiorum ex primo parente sumpsit initium. Qui tamen noster est, quia ex nobis, non ex Deo. Et iste vetus homo cum crucifixione Christi ita debilitatus est, ut dominante ratione *destruatur corpus peccati*, id est tota peccatorum massa, ita *ut ultra non serviamus peccato*. Corpus peccati, id est peccatum, secundum omnia membra sua destruatur. Unum enim vitium, membrum est peccati; corpus vero, universitas delictorum, quorum principium est originale peccatum. Christus autem non ex parte, sed integer est crucifixus, ut nos ex toto moriamur peccato et vivamus Deo. Gratia enim Dei per baptismum Christi, qui venit in similitudine carnis peccati, id agit, ut destruatur corpus peccati. Destruitur autem, non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa et innata repente absumatur et non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Destruitur, non ut interim non sit, sed ut non cogamur ei servire. Hoc enim est quod ait, ut ultra non serviamus peccato. Et vere non cogemur peccato servire, quia justificati sumus; et vere justificati, quia mortui. *Qui enim mortuus est* cum Christo, *justificatus est*, id est liber effectus a *peccato* et alienatus, nec potest jam peccare, quia sicut et Joannes ait: « Omnis qui natus est ex Deo, non peccat (*I Joan.* III). » Crucifixus enim, omnibus membris dolore occupatis, peccare non potest, sed concupiscentiis et passionibus contradicit. Et qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* V). Ille est justificatus, qui mortuus est, id est qui seipsum pro Christo vitiis mortificavit, aut martyrium pertulit. Sed *si mortui sumus cum Christo*, id est si imitatione mortis ejus vitiis sumus mortificati, ut ultra non vivamus eis, *credimus* et pro certo speramus, *quia simul etiam*

Digitized by Google

vivemus cum illo, ut ubi ipse est, et nos simus ; et quomodo ipse in æternum et beatæ vivit ita et nos vivamus.

« Scientes quod Christus resurgens ex mortuis, « jam non moritur, mors illi ultra non dominabi- « tur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est « semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos « existimate, vos quidem mortuos esse peccato, vi- « ventes autem Deo in Christo Jesu. »

Vivemus cum Christo, qui sine fine vivit, nos dico jam *scientes quod Christus resurgens ex mortuis, jam amplius non moritur*, id est non dissolvitur, sicut et Lazarus et filius viduæ, quos ipse suscitavit, iterum mortui sunt. Non enim talis fuit ejus resurrectio, qualis eorum ; sed talis, ut amplius mori non possit, et talis etiam nobis promissa est. Jam non moritur Christus, et *mors illi ultra non dominabitur*, quæ ad horam illi per ipsius piam voluntatem dominata est in cruce. Hoc dictum est contra Manichæos, qui negant Christum veram carnem habuisse. Ad hoc enim humanitatem suscepit, ut mors ei temporalis in passione dominaretur, id est veraciter affligeret eum sicut verum hominem et occideret, sicque mors æterna dominium in nobis amitteret. Sed non ultra dominabitur ei mors aliqua passione, quia jam nihil molestiæ sustinebit. Impii vero licet post generalem resurrectionem jam non moriantur, tamen sine fine mors illis dominabitur, quia sicut scriptum est : « Mors depascet eos (*Psal.* XLVIII). » Et ad distinctionem talis immortalitatis, dicitur nunc Christus ita post resurrectionem suam immortalis, ut ei per alicujus molestiæ passionem mors ultra dominari nequeat. Nam et electis ejus similis incorruptio et impassibilitas tribuetur. Vere jam non moritur Christus, quia semel est mortuus, id est ita ut mortem ultra non iteret. Semel, quia pro peccato tollendo, quod una mors sufficit tolerare, et ideo non est opus repetitione. Et hoc est : *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Vel peccato mortuus est, id est carni, in qua erat non peccatum, sed similitudo peccati. Peccato enim mortuus est, quia similitudini carnis peccati mortuus est, quando moriendo exutus est carne, ut per hoc mysterium significaret, eos qui in morte ipsius baptizantur, mori peccato ut vivant Deo. Peccatum enim non inerat ei. Et tamen quodammodo peccato mortuus est, dum moreretur carni, in qua erat similitudo peccati, ut cum secundum vetustatem peccati nunquam vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reviviscentem vitam novam sua resurrectione signaret. Et ideo mortuus est semel, ut nos a duplici morte liberaret. Nos enim quia et mente a Deo recessimus, et carne ad pulverem redimus, pœna duplæ mortis astringimur. Sed ille pro nobis sola carne mortuus est, ut simplam mortem suam duplæ nostræ conjungeret, et nos ab utraque morte liberaret. Quod ergo mortuus est peccato, id est peccati similitudini, mortuus est semel, id est sola carne. Sed *quod* post resurrectionem *vivit, vivit Deo*, id est in æterna beatudine Patris, quia sicut vita Patris, ita et vita Christi nullam inquietudinem recipit. *Ita et vos*, id est sicut mors Christi semel peccato facta est, et vita Deo perenniter manet, ita vos semel peccato moriamini, ut jam amplius peccato non vivatis, ne iterum oporteat vos peccato mori, et Deo semper in bonis operibus vivatis. Et hoc est : *Ita et vos existimate, vos* imitatione Christi *mortuos quidem peccato*, id est alienatos a peccato tempore baptismatis, sed *viventes Deo* in virtutibus et novitate vitæ, quæ est prima resurrectio, ut adhæreatis Deo, et unus cum eo spiritus efficiamini ; et hoc non in viribus arbitrii vestri, sed *in Christo Jesu*, id est in ejus gratia et virtute, quia sicut Petrus ait : « Non est in alio aliquo salus (*Act.* IV). » Non sine causa autem dictum est, existimate, id est cogitate, vos mortuos esse peccato. Qui enim cogitat vel existimat apud semetipsum peccatum mortuum esse, non peccat, verbi gratia : si me concupiscentia mulieris trahat, si argenti, si auri, si prædii cupiditas pulset, et ponam in corde meo quod mortuus sim cum Christo, et de morte cogitem, exstinguitur continuo concupiscentia, et effugatur peccatum. Omnia hæc ad illam respiciunt quæstionem, ne videatur Apostolus dedisse locum peccandi in eo, quod ait : « Ubi abundavit peccatum, superabundabit gratia. »

« Non ergo regnet peccatum in vestro mortali cor- « pore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed ne- « que exhibeatis membra vestra arma iniquitatis « peccato, sed exhibete vos Deo tanquam ex mor- « tuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. « Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim « sub lege estis, sed sub gratia. »

Quia dixit mortuos esse peccato, et non debet revivere in eo, cum nemo sit sine peccato, determinat, a quibus maxime est cavendum, quasi concludat quod supra querebatur, permanebimus in peccato ? Quia, inquit, mortui estis peccato, et tamen non potestis in hac vita esse sine peccato, *ergo* saltem *non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Non ait, non sit, sed non regnet. Peccatum quippe in corpore mortali non prohibuit esse, sed regnare, quia in carne corruptibili non regnare potest, sed non esse non potest. Hoc ipsum namque de peccato tentari, ei peccatum est, quo quia quandiu vivimus perfecte omni modo non caremus. Apostolus, quoniam hoc expellere plene non potuit, ei de cordibus nostris regnum tulit, ut appetitus illicitus, etsi plerumque bonis nostris cogitationibus occulte se quasi fur ingerit saltem si ingreditur, non dominetur. Quum enim quælibet culpa cor iniqui pulsat, et resistens illud non invenit, sed suo Domino substernit, procul dubio regnat in eo, quoniam ad vitia mox ut pulsaverit, inclinat. Sed non ita fiat in vobis. Etsi *sic peccatum*, id est fomes et delectatio peccati, *in corpore vestro*, id est jam vestri juris, corpore dico mortali, et ideo non sine peccato, tamen *non regnet* in eo peccatum, id est non faciat

Digitized by Google

quod illicite cupit. In corpore mortali dictum est, quia in immortali corpore non erit peccatum. Inest modo peccatum cum delectaris, regnat si consenseris. Est itaque peccatum in corpore, sed non regnet, *ut obediatis concupiscentiis ejus*, quæ ex carnis infirmitate nascuntur. Si enim non obedieritis, etsi est peccatum in carne, quod suadeat, quod delectet ad malum, non obediendo facitis ut non regnet quod est, et ita fiet postea ut non sit quod erat, quando absorbebitur mors in victoriam. Et non solummodo non regnet in vobis per consensum, sed etiam non regnet per operationem. Et hoc est : Non obediatis per consensum illicitis concupiscentiis, *sed neque exhibeatis*, id est tribuatis *peccato*, id est fomiti peccati *membra vestra arma*, id est instrumenta *iniquitatis*, hoc est pravæ actionis, qua virtutes debellantur sicut quibusdam armis. Membra vocantur arma, quia his vel justitiæ, vel peccato militamus. Et unumquodque membrum, si officium suum in malos usus converterit, arma iniquitatis efficitur, ad justitiam expugnandam, si manus furto, linguaque mendacio sit intenta, si oculus concupiscentiæ serviat ad expugnandam pudicitiam, et cætera membra similibus vitiis sint occupata. Peccatum enim quod est in corpore nostro, quidam tyrannus est pugnans adversum nos, et membra nostra pro armis habere quærit ad debellandum nos. Non ergo sinamus eum membris nostris contra nos pugnare. Surgit ira? non demus iræ linguam ad maledicendum, manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris. Sed tollamus illi regnum, non habeat arma, quibus contra nos pugnet. Discet enim non surgere, cum arma cœperit non invenire. Ne exhibeatis, inquam, membra vestra peccato arma iniquitatis, id est quibus impleatur iniquitas, *sed exhibete vos Deo tanquam viventes ex mortuis*, id est velut jam a morte resuscitatis. Post resurrectionem enim non carnaliter vivitur, nec peccatur, sed divinis et spiritalibus intenditur, et vos qui a morte animæ surrexistis, jam spiritaliter et sancte et Deo vivere debetis, *et membra vestra* exhibere *Deo arma justitiæ*, ut per ea Deus pro justitia pugnet adversus regnum peccati. Deus enim est qui operatur in vobis, scilicet ut manus quæ ante rapiebat aliena, nunc tribuat sua : oculus qui ante videbat ad peccandum, nunc videat ad boni operis ministerium. Sic et cætera membra justitiæ serviant. Quod bene si vultis, impiere potestis. *Nam peccatum*, id est fomes peccati et delectatio iniquitatis, quæ in carne est, *non dominabitur*, id est non prævalebit *vobis*, ut olim solebat. Ideo non dominabitur, quia *non estis* modo *sub lege* jubente et non juvante, *sed sub gratia* liberante et juvante. Sub lege enim positis, non sub gratia dominatur peccatum, a quo non fit homo liber lege, sed gratia. Non quia lex mala est, sed quia illa non libera est, quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat, ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus, tantummodo erat legis auditor.

« Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus « sub lege, sed sub gratia? Absit! Nescitis quoniam « cum exhibetis vos servos ad obediendum, servi « estis ejus cui obedistis, sive peccati ad mortem, « sive obeditionis ad justitiam? Gratias autem Deo, « quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex « corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi « estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis « justitiæ. »

Quoniam sub gratia sumus, *ergo quid* faciemus? *Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?* id est, ergo cessante vindicta legis impune peccabimus? *Absit* ut peccemus! Lex enim peccantes mox interfici jubebat, gratia vero etiam post culpam exspectat ad pœnitentiam. Et ideo nunc isti volebant apostoli sententiam ad hoc inflectere, ut liceret eis peccare, quoniam exuti erant a legis terrore. Sed hoc ipse removet. Absit, inquit, ut ideo licentius peccemus, id est criminalia et capitalia peccata committamus, qualia lex damnare consueverat, nam sine minoribus peccatis hæc vita non potest duci. Vere non debetis peccare, sed potius bene operari, quia si peccaveritis, servi peccati eritis, sicut e contra si bene egeritis, servi justitiæ efficiemini. Et minus turpe est, ut cum Dei gratia nos a peccato liberaverit, rursum occasione ejus peccato serviatis. An *nescitis*, id est an ignoratis quia *cui exhibetis*, id est præparatis et præsentatis, *vos servos*, id est prono *ad obediendum, servi estis ejus*, id est voluntati ejus servire habetis, *cui obedistis*, id est cujus obeditioni colla vestra subjecistis? Postquam illi obedistis, servi ejus estis, etsi non antea, cum primum illi consentiendo vos exhiberetis. Cuicunque obedistis, servi ejus estis, *sive peccati* ducentis *ad mortem* æternam, *sive* sanctæ *obeditioni* ducentis *vos ad justitiam*, id est ad justitiæ consummationem. Qui enim per fidem primo justificati estis, nunc si divinis præceptis obedientes fueritis, ad summam justitiæ perfectionem ascendetis. Ejus estis servi, cui obedistis. Sed *gratias* ago *Deo*, quia licet prius fuissetis servi peccati, jam tamen non estis. Inde gratias refero, non vobis, non libero arbitrio vestro, *sed Deo*, per quem factum est, ut peccati servitutem evaderitis. Gratias, inquit Deo, quia *servi peccati fuistis*, sed ipso liberante et adiuvante jam non estis, quoniam *obedistis* Deo non ex timore legis, sed *ex corde*, id est ex bona cordis voluntate, vel non specie tenus, non simulatione, sed ex cordis puritate. Obedistis dico, tendentes *in eam formam*, id est regulam evangelicæ *doctrinæ*, in qua traditi estis. Hoc est in doctrinam informantem et commonentem mores vestros, in qua traditi estis a gratia Dei, non per vos accessistis, vel a doctoribus estis in ea traditi. Quæ scilicet doctrina est forma, quia imaginem Dei deformatam restituit. Nec solum obedistis, sed etiam *liberati* estis *a peccato* per Spiritum sanctum quem accepistis in baptismo, quia « ubi spiritus Do-

Digitized by Google

mini, ibi libertas (*II Cor.* III). » Et a peccati servitute liberati, *facti estis* consentiendo et operando *servi justitiæ* quod est summa libertas. Servi justitiæ estis, cui obedistis, id est Christi qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio.

« Humanum dico, propter infirmitatem carnis « vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra « servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, « ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ « in sanctificationem. »

Hactenus non esse peccandum, hinc quid deinceps sit agendum, de quo nullus possit se excusare, quia nullus est qui non possit bene operari, saltem voluntate, quod item est per gratiam. *Humanum*, inquit, *dico*, id est quod potestis portare dico, quod non excedat vires humanitatis et fragilitatis vestræ, sed quod satis complere potestis, et hoc facio *propter infirmitatem*, id est debilitatem et fragilitatem *carnis*, id est carnalitatis *vestræ*, quia video vos adhuc esse debiles secundum carnem, et ideo humane vos instruo. Vere est humanum, id est leve et non asperum quod dico, quia hoc præcipio : *Sicut exhibuistis*, id est præparavistis *membra vestra servire* operando *immunditiæ*, id est libidini, quæ carnem maculat : et *iniquitati*, id est iniquæ actioni, quæ etsi vestrum corpus non inquinat, proximo tamen nocere appetit, iniquitati dico, ducenti *ad iniquitatem* aliam majorem, ut per incrementa malorum proficeretis semper in pejus, *ita nunc* post conversionem cum sitis liberati, *exhibete*, id est præparate *membra vestra* quæ sunt vestri juris, *servire* operando *justitiæ* ducenti *in sanctificationem*, id est in boni consummationem, et ideo est serviendum justitiæ, ex qua provenit tanta utilitas et honestas. Hoc est, sicut tunc nullus timor coegit, sed voluptas peccati duxit, ita nunc delectatio justitiæ adultæ, etsi nondum perfectæ. Si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas, quos in carne validos habuit usus terrenæ voluptatis. Ita scilicet unusquisque vestrum virtutibus serviat, sicut vitiis serviebat. Multo enim amplius et multo intentius justitiæ, quam immunditiæ, serviendum est. Sed ego, inquit, humane ago. Eadem postulo, similia requiro, ut unumquodque membrum ministerium quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus; et actum quod exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctificationemque convertat. Si non plus potestis, vel tantum nunc agite quantum tunc egistis, ne fidem et doctrinam nostram quasi asperam et importabilem fugiatis. Quid est autem sicut illud, ita et hoc agite, nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati; sic ad juste vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed delectatio ducat, charitasque justitiæ; et quam fortiter et instanter illa egistis, tam fortiter et instanter ista nunc agite. Et hæc quidem nondum est perfecta justitia. Tantumne enim digna est justitia, quantum digna fuit iniquitas? Sic amanda est ista, quomodo amatur illa? Absit ut sic, et vitam vel sic. Ergo plus est amanda. In iniquitate enim secuti estis voluptatem, sed pro justitia debetis tolerare dolorem. Ecce nescio quis impudicus adolescens injecit oculos in conjugem alienam, adamavit, cupit pervenire, quærit tamen latere. Sic enim amat voluptatem, plus ut timeat dolorem. Suavitas enim illa voluptatis non est tanta, ut vincat etiam dolorem pœnarum. Pulchritudo autem et delectatio justitiæ tanta est, ut cuicunque amorem suum perfecte inspiraverit, faciat eum contemnere non solum quidquid in hoc mundo delectabat, sed et quidquid terret, quidquid cruciat. Ad hanc justitiæ perfectam delectationem hortari nunc volebat Apostolus, sed auditores suos minus idoneos vidit. Ideoque condescendit eorum infirmitati, et præceptum quod eis dabat temperavit. *Humanum*, inquit, *dico*, etc, usque *in sanctificationem*. Justitiam hic pro omnibus simul virtutibus nominavit, sicut econtrario iniquitatem pro omnibus simul vitiis posuit. Deinde addit justitiæ sanctificationem, quo videlicet castitatis partem et generaliter cum cæteris, et per semetipsam specialiter commendaret. Et monet auditores, ut si necdum pro justitia pœnas, dolores mortemque contemnere valent, saltem justitiæ delectationem præponant voluptatibus sui corporis, ut paulatim proficiant ad majora justitiæ merita, et fortius atque devotius serviant sanctitati quam luxuriæ prius servierant, nec jam aliquid pro justitia pati respuant. Sicut enim ille est iniquissimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis, ita ille est justissimus, qui nec pœnarum corporalium terrore revocatur a sanctis operibus luminosissimæ charitatis.

« Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis « justitiæ (*Joan.* VIII). Quem ergo fructum habuistis « tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis « illorum mors est (*Isa.* I; *Ezech.* XXXV.). »

Ideo justitiæ servire debetis, non immunditiæ, quia *cum essetis servi peccati*, id est cum peccatum dominaretur vobis, et regnaret in corpore vestro mortali, *liberi fuistis justitiæ*, id est caruistis dominio justitiæ, quia « nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI; *Luc* XVI). » Quandiu enim quis peccato servit, liber est justitiæ, id est alienus a justitia. Et notandum est esse et libertatem culpabilem, et servitutem laudabilem. Nam liberum esse justitiæ, crimen est; servum vero ejus esse, laudabile est. Liberum autem arbitrium usque adeo in pectoribus non periit, ut per ipsum peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, et amore peccati. Nam dicente Apostolo : *Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ*, ostenduntur etiam peccato non potuisse servire, nisi alia libertate. Liberi ergo a justitia non sunt, nisi arbitrio libertatis; liberi autem a peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris. Propter quod admirabilis doctor etiam verba ipsa discrevit. Liberos enim dixit justitiæ, non liberatos;

Digitized by Google

a peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissime maluit paulo superius dicere liberatos, referens ad illam Domini sententiam : « Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis (*Joan.* VIII). » Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Male libera est, quando eam peccare delectat. Liberaliter enim servit, qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad juste faciendum liber non erit, nisi a peccato liberatus, justitiæ servus esse cœperit. Ipsa est vera libertas propter recte facti lætitiam, simul et pia servitus propter præcepti obedientiam. Et quando quidem peccato servivistis, *ergo quem fructum*, id est quam utilitatem *habuistis tunc in illis* vitiorum actibus, *in quibus* majorem turpitudinem *erubescitis nunc*, cum sanæ mentis estis? Quasi dicat : Nullum fructum ibi tunc habuistis, vel si quem voluptatis fructum habere vos putatis, ille talis fuit, unde merito nunc erubescatis. Hæc remuneratio facit eos priora abhorrere, et magis obnoxios esse gratiæ. Merito nunc de præteritis erubescitis, *nam finis illorum*, id est exitus vitæ *est mors*. Vel ita : De fructu quæro, nam de fine patet, quia finis illorum est mors, non illa quæ communis est omnibus, sed illa quam nullus evadere valet, nisi qui convertitur ad justitiam, et de præteritis male gestis erubescit.

« Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti « Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, « finem vero vitam æternam. Stipendium enim pec- « cati, mors. Gratia autem Dei vita æterna in Christo « Jesu Domino nostro. »

De servitute peccati habuistis fructum confusionis, et in fine habituri eratis mortem æternam; sed de Dei servitio nunc habetis fructum sanctificationis, et in fine habebitis vitam sempiternam. Et hoc erat tunc quidem ita. Sed *nunc* cum conversi estis per Christi gratiam, *liberati a peccato* cui serviebatis, nec solum a peccati servitio erepti, *sed* etiam *facti Deo servi*, qui tunc eratis liberi justitiæ, ut jam libere possitis opera bona facere, et *habetis fructum vestrum*, id est vobis utilem et congruum, qui fructus procul dubio charitas est et opera ejus, quam nullo modo per nos habere possumus, sed per Spiritum sanctum qui datus est. Hunc fructum habetis donante Spiritu sancto, ducti in *sanctificationem*, id est in virtutum consummationem; nec solum hoc habebitis, sed etiam *finem* laboris, quem in Dei servitio sustinetis, percipietis *vitam æternam* corporis et animæ. Dixi quia finis illorum quæ prius faciebatis, est mors, et merito dixi. *Nam stipendium*, id est præmium *peccati* est *mors*. Sed rursus econtrario subjeci, quia pro nobis quæ nunc facitis, consequemini in fine vitam æternam, quoniam *gratia Dei* quæ misericorditer bene agentes remunerat, est *vita æterna*. Stipendium dicitur a stipe et pendo. Et quod est merces operanti, hoc est stipendium militanti. Stipendium ergo peccati merito mors dicitur, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Ubi cum posset Apostolus dicere, et recte dicere : Stipendium autem justitiæ vita æterna, maluit dicere : Gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. Cum enim dixisset, stipendium peccati mors, quis non eum congruentissime et consequenter addere judicaret, si diceret, stipendium autem justitiæ vita æterna. Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Sed adversus elationem caute militans, stipendium, inquit, peccati mors. Recte stipendium, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne justitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non a contrario retulit, dicens : Stipendium justitiæ vita æterna, sed gratia, inquit, Dei vita æterna. Et hæc ne præter mediatorem aliqua via alia quæreretur, adjecit, *in Christo Jesu Domino nostro*. Tanquam diceret : Audito quod stipendium peccati sit mors, quid te disponis extollere, o humana non justitia, sed nomine justitiæ plane superbia? Quid te disponis extollere, et contrariam morti vitam æternam tanquam debitum stipendium flagitare? Cui debetur vita æterna, vera justitia est. Si autem vera justitia est, ex te non est. « Desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac.* I), » ut haberes eam, profecto accepisti. « Quid enim boni habes, quod non accepisti? (*I Cor* IV.) » Quapropter si acceptus est vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est et ipsa justitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset justitia cui deberetur. Nunc vero de plenitudine ejus accepimus non solum gratiam (*Joan.* I), qua nunc juste in laboribus usque in finem vivamus, sed etiam gratiam pro hac gratia, ut in requie postea sine fine vivamus. Gratia enim nisi gratis esset, gratia non esset. Et ideo intelligendum, ut diximus, etiam ipsa hominis bona merita, esse Dei munera. Quibus cum vita æterna redditur, gratia pro gratia redditur.

CAPUT VII.

« An ignoratis, fratres (scientibus enim legem « loquor), quia lex in homine dominatur, quanto « tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vi- « vente viro alligata est legi (*I Cor.* VII). Si autem « mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. « Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit « cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, « liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fue- « rit cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos morti- « ficati estis legi, per corpus Christi, ut sitis alterius « qui ex mortuis resurrexit, ut fructificaremus « Deo. »

Dicerent Judæi : Cur dicis in Christo Jesu vitam æternam esse, et non potius in legis observantia?

Digitized by Google

Et Apostolus : Quia jam finem habet, et non dat vitam, sed auget peccatum. Hactenus enim de vi gratiæ locutus est, et nunc incipit difficultatem legis ostendere, et quod ultra non sit tenenda, ut illos hortetur sine timore sub gratia vivere. Ne enim mirarentur quod dixerat, non estis sub lege, sed sub gratia, inchoat per rationes demonstrare, legem esse finitam, et prius etiam non justificasse subditos, sed magis peccatores constituisse. Nam usque ad Christum fuit data, et ideo post acceptionem gratiæ non est tenenda. Quod in his sententiis ostenditur : *An ignoratis, fratres*, etc. Ordo est : *An ignoratis* hoc *quod lex in homine dominatur*, ut ei obediat *quanto tempore vivit*, id est quandiu statum habet ipsa lex. Quod non debetis ignorare, quia legem scitis, et *ego loquor scientibus legem*, in qua quod dico, manifestatur. Scientes legem, intelligamus Hebræos, quos secundum legem, de legis fine instruit Apostolus. Vel etiam gentiles Romani sciebant legem, quia non erant barbari, sed naturalem justitiam comprehenderant partim ex Græcis, sicut Græci ex Hebræis. Lex in homine dominatur, quanto tempore ipsa lex vivit, et idcirco cum mortua fuerit, non dominabitur illi amplius, sed liberum dimittet. Docet autem Dominus eam esse jam mortuam, id est cessasse juxta carnalem intelligentiam vel observantiam, dicens : « Lex et prophetæ usque « ad Joannem, ex eo regnum Dei evangelizatur « (*Matth.* xi). » Quod bene præfiguratum est, quando mortuus est Moyses, et Jesus suscepit principatum populi Israel. Moyses enim legem designavit, et Jesus Dominum Christum, atque gratiam evangelicam. Mortuo igitur Moyse, successit Jesus in principatum, quoniam mortua lege secundum carnales observantias, succedit evangelica gratia. Et hoc est quod Apostolus dixerat : Non estis sub lege, sed sub gratia, id est non estis sub Moyse, sed sub Jesu, quia Moyses mortuus est, et Jesus imperat. Justum ergo fuit, ut Moyses (id est, lex) dominaretur in quolibet homine subjecto quandiu viveret, et post mortem suam dominium amitteret, quatenus quicunque tempore legis serviliter cogebantur eam facere, post liberatoris adventum possent liberi ad evangelicam libertatem venire. Quod Apostolus per simile probat. *Nam mulier quæ est sub viro, vivente viro, alligata est legi* viri, ut non possit ab eo discedere. Sed *si vir ejus fuerit mortuus, soluta est a lege viri.* Sic etiam quandiu lex statum habuit, debet servari ; sed si lex statum amittit, solvitur homo ab ea. Et quia, vivente viro, alligata est legi, *igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Sic finita et sublata lege, liberatus est homo per gratiam, ut non prævaricetur, si ad Christum transierit, dimissis figuris. Hoc enim exemplo docet Apostolus, Christianum a lege factorum exutum, non ab omni lege, sicut mulier a lege viri exuitur, non a lege naturæ, nec ultra debere esse sub lege. Si enim lex ei vivit, adulter est, nec prodest Christianum dici. Nam si legem servat, adulter est in fide, et in lege, nec prodest ei Christus. Hæc etiam similitudo tota debet intelligi mystica, ut vir sit Moyses, hoc est, lex ; mulier, anima vel plebs. Nam mulier quæ est sub viro, id est plebs vel anima Judaica, quæ est sub Moyse, vivente viro, id est vivente Moyse, hoc est statum habente lege, alligata est legi, ut non possit recedere ab ejus carnali observatione. Si autem mortuus fuerit vir ejus, id est Moyses, quemadmodum supra docuimus, soluta est mulier a lege viri, id est plebs Hebræorum a jugo legis, ut non impediatur Christo copulari. Et quia nunc solummodo solvitur, igitur, vivente viro, id est vivente Moyse, durante legis actu, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, id est crimen incurrit adulterii, si carnalem legis observantiam deserens, solam spiritalem Christi doctrinam tenere voluerit. Non enim deserenda fuit suo tempore illa carnalis observatio legis, sicut et nunc non est assumenda. Sed si *mortuus fuerit vir ejus* Moyses, id est si lex, actu cessante, dormierit, *liberata est* ipsa plebs Hebræorum *a lege viri*, id est a contritione Mosaicæ institutionis, *ut non sit adultera*, sed casta, *si fuerit cum alio viro*, id est cum Christo, ut illi soli complexibus amoris inhæreat, et solam spiritalem doctrinam custodiat. Deinde Apostolus adaptat similitudinem. Quando quidem, inquit, vivente viro, alligata est mulier, et eo mortuo, soluta est, juxta sensum qui tractatus est, *itaque et vos, o fratres mei!* quemadmodum nos apostoli, *mortificati estis legi*, ut ulterius non vivatis in ea. Debuisset dicere, mortificata est vobis lex ; sed hoc inter Judæos dicere, adhuc intractabile videbatur, et ideo magis intelligendum reliquit. Et idem valet quod dixit : Lex enim mortua est, quando carnalis ejus actio penitus cessat. Et ille legi mortuus est, qui ab hujuscemodi actione cessavit. Caute ergo locutus est Apostolus, ne Judæos offenderet, eligens potius dicere, mortificati estis legi, quam mortificata est lex vobis, cum utrumque idem significet. Nihil, inquit, legi debetis, quæ data est usque ad Christum sed mortificati estis illi *per corpus Christi*, id est per hoc quod Christus carnem assumpsit. Ex quo enim ille corpus induit, lex mori cœpit in actione fidelium, quia lex et prophetæ usque ad Joannem, sicut ipse loquitur (*ibid.*). Dimissis ergo per novitatem gratiæ peccatis, cessante in vobis actione legis, mortificati estis legi per corpus Christi, id est per mysterium incarnationis ejus. Vel mortificati estis legi, id est figurativis umbris, per Corpus christi, id est per completionem solidæ veritatis, quæ est in Christo. Quantum enim distat inter umbram et corpus, tantum inter illa quæ fiebant in Veteri Testamento et ea quæ fiunt in Novo. Et ideo per corpus Christi mortuus est legi, quia per veritatem evangelicam cessavit ab umbratili actione legis. Mortificati estis legi, id est soluti a lege, mortuo vobis Moyse, *ut sitis* sponsæ *alterius* viri, cujus non pudet esse, *quia surrexit ex mortuis*, et superata morte in æternum vivit. Vel merito debetis ejus esse, quia vos

Digitized by Google

sanguine suo redemit, et, calcata morte, surrexit, ut vos possideat, quos moriendo adquisivit. Ideo surrexit, ut et nos a morte animæ faceret resurgere *ut fructificaremus*, id est fructum boni operis faceremus *Deo*, qui antea fructificabamus morti.

« Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. »

Vere nunc debemus fructificare Deo, cum simus lege mortificati, quoniam prius fructificavimus morti. *Nam cum essemus in carne*, quæ carnis sunt operantes, quod est sub lege esse, *passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris*. Cum essemus in carne, inquit, id est carnalibus desideriis astricti teneremur. Cum essemus in carne, id est præsumeremus de carne. Non enim qui loquebatur Apostolus, jam exierat de ista carne, aut eis loquebatur, qui jam exierant de ista carne, sed adhuc et qui loquebatur, et quibus loquebatur, in carne erant. Quid est ergo, cum essemus in carne, nisi cum de carne præsumeremus, hoc est, de nobis confideremus? De homine enim dictum est : « Videbit omnis caro salutare Dei (*Luc.* III). » id est omnis homo. Ergo cum essemus in carne, id est in concupiscentiis carnalibus versaremur, et ibi totam spem nostram tanquam in nobis poneremus, passiones peccatorum, id est incentiva vitiorum, quæ per legem erant, quia per legem accesserant (ubi enim non erat gratia liberatoris, augebat peccandi desiderium prohibitio peccatorum), illæ passiones operabantur in membris nostris, id est ducebant membra nostra ad mala opera. Et hoc ideo, quia eramus in carne. Passiones enim illæ peccatorum, id est vehementes concupiscentiæ, dictæ passiones, quia intrinsecus mentem affligunt, idcirco nos vicerunt, quia in malo loco nos invenerunt, hoc est in carne. Migrandum est ergo a carne, etiam dum adhuc vivimus in carne, ut non simus in carne, sed in spiritu, id est non in nobis, sed in Deo spem ponamus; nec in carnalibus, sed in spiritualibus delectemur. Nam qui in carne est, id est qui in se remanet, nec se transcendit ut ad Deum cor sublevet, non habet Deum adjutorem, et idcirco superatur, et fit non adimpletor legis, sed prævaricator. Et ita passiones peccatorum, id est concupiscentiæ vehementes et immoderata desideria operantur in membris eorum qui in carne sunt, id est ducunt ad effectum operis mala quæ cupiunt, dum manus agunt mala, os loquitur mendacium, oculi vident illicita, aures delectantur audire prava. Quæ passiones sunt per legem, quoniam ipsa legis prohibitio fuit causa, ut ille appetitus carnis adeo vehemens esset. Minor enim erat concupiscentia, quando ante legem securus homo peccabat. Multo autem major facta est quando legem Dei cœpit transgredi. Et hæ, sicut dictum est, passiones operabantur in membris nostris, *ut fructificarent morti*, id est ut facerent opera digna morte æterna. Fructus enim peccati, mors est. Et si damnandus erat peccator, quam spem habet prævaricator? Tunc quidem sub lege positi fructificabamus morti. Sed nunc cum simus mortificati legi per corpus Christi, soluti sumus per libertatem novæ gratiæ a lege. Quæ dicitur lex mortis, quia per medium, id est per peccatum fuit causa mortis, dum peccantes non ad pœnitentiam exspectaret, sed mox interfici juberet. Ideo etiam lex mortis, quia stipendium peccati, mors; aculeus vero mortis, peccatum; virtus autem peccati lex. Peccando enim ad mortem animæ labimur, et vehementius peccamus, lege prohibente, quam si nulla lege prohiberemur. Sed jam, remissis peccatis, *soluti sumus* ab hac lege *in qua detinebamur*, id est vi quadam necessitatis carnalia ejus mandata servare cogebamur, nec ad spiritalem libertatem assurgere permittebamur, quia nunquam solvi, nisi per gratiam Christi poteramus. Soluti, inquam, sumus, *ita ut serviamus Deo in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ*, id est spiritalis gratiæ præceptis obediamus, non litteram legis sequentes, quæ jam senuit, ut mori, id est cessare debeat. Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est. Et lex quid aliud est, quam sola littera eis qui eam legere noverunt, et implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis, quibus conscripta est. Sed quoniam in tantum nota est, in quantum scripta legitur, non in quantum dilecta perficitur, nihil est aliud talibus nisi littera. Quæ littera non est adjutrix legentium, sed testis peccantium. Ab ejus ergo damnatione liberantur, qui per Spiritum sanctum innovantur, ut jam non sint obligati litteræ ad pœnam, sed intellectui per justitiam copulati. Itaque serviamus in novitate spiritus, id est in novitate, quam dat Spiritus sanctus infundendo charitatem, et innovando interiorem hominem. Et sic in hac novitate serviamus, ut nihil addamus de legis operibus, quæ vetusta sunt, et sepulturæ magis tradenda,

« Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit! « sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam « concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non « concupisces (*Exod.* XX; *Deut.* V). Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum « est in me omnem concupiscentiam. »

Videbatur Apostolus per supradicta verba legem culpasse, et ideo sentiens contra obscuritatem dictorum suorum cogitationes hominum commoveri, prior ipse voluit dicere et removere, quod sibi aliquis poterat objicere : Quia dixi, inquit, passiones peccatorum esse per legem, quia dixi, soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, quia dixi, serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ, *ergo quid dicemus* ex his verbis meis? Dicemus ex his esse consequens quia *lex peccatum est? Absit* ut hoc dicamus, absit ut lex sit peccatum! Non est peccatum lex, quia non est mala, sed bona quantum ad se. Et quamvis bona, non tamen sufficiens

Digitized by Google

salutem sine gratia. Quod nunc Apostolus ingreditur ostendere, et loquitur voce humani generis: Lex, inquit, non est peccatum, sed index peccati, quia *peccatum non cognovi nisi per legem.* Quare intelligimus legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, neque ut exstirparetur, sed tantum ut demonstraretur, quatenus animam humanam quasi de innocentia securam, ipsa demonstratione peccati ream faceret, ut quia peccatum sine gratia vinci non posset, ipsa reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. Idcirco non ait. peccatum non feci nisi per legem, sed: peccatum non cognovi nisi per legem. Unde apparet, per legem peccatum non insitum, sed demonstratum esse. Et quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, et vel se interficiant, vel insidientur inimicis: sic lex data est, ut peccatorum venena monstraret, et hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improvidus, et per præcipitia labebatur, freno legis retineret, et compositis doceret incedere gressibus. Lex docuit hominem quid esset peccatum, quia prius nesciebantur quædam vel esse peccata, vel adeo gravia, vel esse punienda. Vere peccatum non cognovi, nisi per legem. *Nam concupiscentiam* esse peccatum *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Hoc ideo elegit Apostolus generale quiddam, quo cuncta complexus est, tanquam hæc esset vox legis, ab omni peccato prohibentis, quod ait: *Non concupisces.* Neque enim peccatum ullum, nisi concupiscendo committitur. Non ait: concupiscentiam non habebam, sed: nesciebam eam esse peccatum. Habebam quidem eam, sed tanquam naturale bonum esse credebam. Postquam autem lex dixit: *Non concupisces*, cognovi non naturale bonum, sed per peccatum accidens esse malum concupiscentiam. Per hæc et sequentia Apostolus in se solo generalem agit causam, et sub persona sua fragilitatem describit conditionis humanæ. Nesciebam, inquit, concupiscentiam esse malum, donec audivi eam prohiberi in lege. Sed *peccatum*, id est fomes peccati, *accepta occasione* stimulandi, *per mandatum legis operatum est in me omnem concupiscentiam.* Peccati enim nomine, vel fomes peccati nunc intelligitur, vel diabolus auctor peccati. Et talis est nostra carnalitas, ut ardentius desideret prohibita, quibus non memoratis, jaceret quasi sopita. Sed et diabolus videns legem in auxilium hominibus datam, magis exarsit, et magis institit, ut eam illis verteret in perniciem, cum prius quasi secure possidens, eos minus tentaret. Et sic occasione per mandatum accepta, fecit in me omnem concupiscentiam. Minor enim concupiscentia erat, quando ante legem securus peccabam. Minor erat, quando meam movebat libidinem. Omnis est, quando transcendit legem. Cum ergo putarem, quod propriis viribus, jubente lege, possem concupiscentiam libidinis vincere, majoribus urgebar ejus stimulis, et infirmante me, ejus cupiditas augebatur. Nam ubi Spiritus sanctus non adjuvat, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, id est diffundens in cordibus charitatem, profecto lex quamvis bona, auget prohibendo desiderium malum; sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus, vehementius per prona provolvitur. Similiter namque et fluvius concupiscentiæ, oppositis sibi legis obicibus, frenatus est, non siccatus: ac postmodum ruptis eisdem obicibus, vehementior exivit. Nescio enim quomodo hoc ipsum, quod concupiscitur, fit jucundius dum vetatur. Recte itaque dicitur, quia peccatum, occasione stimulandi accepta, per mandatum legis operatum est in me omnem concupiscentiam, quia ubi non est gratia Liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum; et lex dum concupiscentiam prohibet, quodammodo eam inflammat.

« Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego « autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum ve- « nisset mandatum, peccatum revixit, ego autem « mortuus sum, et inventum est mihi mandatum « quod erat ad vitam hoc esse ad mortem. Nam « peccatum, occasione accepta, per mandatum se- « duxit me, et per illud occidit. »

Vere per legem cognovi peccatum. Nam *sine lege erat peccatum mortuum*, id est latebat, non apparebat, et omnino tanquam sepultum ignorabatur. Vel ita: Jure dixi, per mandatum. Nam quando lex non erat, peccatum mortuum, id est debile et quasi sopitum erat, dum prohibitione legis non incitaretur. Peccatum quidem erat mortuum ante legem. Sed *ego vivebam sine lege aliquando*, id est prius quam data esset lex. Vivebam sine lege, id est nulla ex peccato morte terrebar, quia non apparebat, cum lex non esset. Patet quia non ex persona sua proprie, sed generaliter ex persona hominis loquitur Apostolus. Vivebam, id est vivere me arbitrabar, quia nesciebam animam meam per peccatum esse mortuam, dum me sine peccato esse putarem. *Sed cum venisset mandatum*, id est cum data esset lex, illico *peccatum revixit*, id est apparuit, sentire cœpit, rebellare adversum me cœpit. Revixit peccatum, quia aliquando vixerat. Non enim potest reviviscere, nisi quod vixit aliquando; vixerat enim aliquando peccatum in paradiso quando contra datum præceptum satis apparebat admissum. Cum autem a nascentibus trahitur, tanquam mortuum sit latet, ne repugnans justitiæ malum ejus prohibitione sentiatur. Cum enim aliud jubetur atque probatur, et aliud delectat atque damnatur, tunc peccatum quodammodo in notitia nati hominis reviviscit, quod in notitia primi facti hominis aliquando jam vixerat. Sic igitur, adveniente mandato legis, revixit peccatum, quod mortuum fuerat, id est occultatum, cum mortales nati sine mandato legis homines viverent, sequentes concupiscentias suas sine ulla cohibitione. Peccatum quidem revixit, sed *ego*

Digitized by Google

mortuus sum, id est mortuum me esse cognovi manifestatione peccati. Quia jam etiam prævaricatione peccat, qui videt per legem quid facere non debeat, et tamen facit. Mortuus sum in anima, quia prævaricator factus sum, et inde me mortuum esse perspexi. Vel ideo vidi me mortuum, quia reatus prævaricationis certum mortis supplicium comminabatur. *Et inventum est mihi mandatum quod erat* datum *ad vitam* consequendam, *hoc esse ad mortem* incurrendam. Quod enim, si custodiretur, proficiebat ad vitam, hoc neglectum perduxit ad mortem. Mandato enim si obediatur, utique vita est. Sed inventum est esse ad mortem, dum fit contra mandatum, ut non solum peccatum fiat, quod etiam ante mandatum fiebat, sed hoc abundantius et perniciosius, ut jam a sciente et prævaricante peccetur. Inventum est mihi, id est non Deus ad mortem dedit mandatum, sed visum est mihi tanquam mortiferum, eo quod illud virtute propria implere non possem, cum ego non mandati vitio, sed stimulo concupiscentiæ, morte percussus, morerer. Stimulus enim mortis peccatum est. Idem igitur mandatum quod erat datum ad vitam intentione dantis, quia bonum erat obedienti, inventum est, id est probatum, mihi peccanti esse ad mortem. Et vere ad mortem. *Nam peccatum*, id est fomes et delectatio peccati, *occasione accepta per mandatum*, quod erat contra se, *seduxit me* falsa dulcedine, id est seorsum a bono duxit, et in malum traxit, *et per illud occidit*, id est per mandati transgressionem ad æternam damnationem perduxit. Gladio enim quem portabam, id est mandato legis, occidit me inimicus, quia præsumebam de viribus meis, et ideo sum victus. Seduxit enim me peccatum, occasione accepta per mandatum, sive quia suasio delectationis ad peccandum vehementior est, cum adest prohibitio, sive quia, etiam si quid homo fecerit secundum jussa legis, si adhuc non sit fides quæ in gratia est, vult sibi tribuere, non Deo, superbiendo plus peccat. Peccatum itaque non legitime utens lege, ex prohibitione aucto desiderio, dulcius factum est, et ideo seduxit vel fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque majores pœnarum amaritudines sequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam consequentibus suavius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine; quia vero accedit etiam reatus prævaricationis, occidit. Hæc diximus, legem quæ per Moysen data est, intelligentes. Est autem et naturalis lex, quæ in corde scripta omnes continet nationes; et nullus hominum est, nisi qui adhuc expers est rationis, qui hanc nesciat legem. Unde et omnis mundus sub peccato, et universi homines prævaricatores legis sunt. Et idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis : « Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris (*Tob.* IV, *Matth.* VII). » Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum et omnem concupiscentiam esse malum, ex eo quod sibi nolit fieri? Si enim mala esse nesciret, nunquam sibi doleret illata. Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia; et peccans absque mandato, non tenetur lege peccati. Maledicit patri et parentes verberat, et quia necdum accepit legem sapientiæ, mortuum est in eo peccatum. Cum autem mandatum venerit, hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bona et vitantis mala, tunc incipit ei peccatum reviviscere, et ille mori reusque esse peccati. Atque ita fit ut tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoscimus ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, si agamus negligentius, et occasio sapientiæ seducat nos atque supplantet, et ducat ad mortem. Non quod intelligentia peccatum sit, lex enim intelligentiæ sancta et justa et bona est, sed per intelligentiam peccatorum atque virtutum mihi peccatum nascitur, quod priusquam intelligerem peccatum esse non noveram. Atque ita factum est, ut quod mihi pro bono datum est, meo vitio mutetur in malum.

« Itaque lex sancta quidem, et mandatum sanctum et justum et bonum (*I Tim.* I). Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit! Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. »

Quandoquidem lex dicit : « Non concupisces (*Exod.* XX), » et mandatum legis datum est ad vitam, *itaque lex quidem* est *sancta*, id est sine vitio, quoniam prohibenda prohibet, *et mandatum*, id est quidquid a me est jussum fieri, est *sanctum*, id est non reprehensibile, *et justum*, id est æquum, quia nil præter æquitatem mandat faciendum dum dicit : « Oculum pro oculo, pedem pro pede, dentem pro dente exiges, » et similia. Hoc enim valde justum est, *et bonum* (*Exod.* XXI) est mandatum, id est utile et fructuosum. Lex ipsa est sancta, id est pura a sorde omnis vitii, quia nihil inquinationis in se habet, sed absque vitio docet, dum dicit : « Non concupisces, Non mœchaberis (*Deut.* V), » et similia, quamvis per eam pravi homines magis inflammentur ad concupiscendum et mœchandum. Et mandatum, id est hoc quod per eam præcipitur, est sanctum in se et justum, id est justificans peccatorem; et bonum, id est utile, vitam acquirens. Lex enim in hoc loco dicitur secundum quod prohibet malum velut cum dicit : « Non concupisces, Non furaberis, Non falsum testimonium dices; » mandatum autem secundum quod præcipit facere bona, sicut est : « Honora patrem et matrem, et : Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Et notandum, quam patenter ab Apostolo nunc lex laudatur. Paulo ante verbo illo quo dixerat : Absit! defenderat eam a crimine, nondum laudaverat. Aliud est enim a crimine objecto defendere, aliud est debito præconio prædicare. Crimen objectum fuit; Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Defensio, Absit! Modo autem itaque lex quidem, etc. Lex quidem sancta est, sed illi non sunt sancti qui male utuntur lege. Nam in male utente vitium est, non in mandato ipso quod bonum est. Quoniam lex bona est, si quis ea legitime uta-

Digitized by Google

tur. Male autem utitur lege, qui non se subdit Deo pia humilitate, ut per gratiam lex possit impleri. Neque enim lex jubet delictum, ut, illa subintrante, abundaret delictum, sed superbos etiam adjectores prævaricationis effecit, ut eo modo humiliati discerent ad gratiam pertinere per fidem, ut jam non essent legi subditi per reatum, sed sociati per justitiam. Lex quidem sancta est, et mandatum bonum. Et cum hoc constet quod ipsa sancta sit, et mandatum ejus bonum, et tamen idem mandatum quod erat ad vitam, inventum sit mihi esse ad mortem, *ergo* mandatum *quod bonum est, factum est mihi mors?* Id est nunquid mandatum bonum, quod contra mortis opera datum est, in mortem mihi est commutatum? *Absit!* Ego videlicet quod morior, non mandati boni vitio morior, sed mandatum bonum vitio meo transgressus sum, et ita mortem merui. Non mihi mandatum per se causa mortis exstitit, sed ego mihi feci qui peccando morte digna commisi. Non mandatum est mihi efficiens causa mortis, *sed peccatum*, id est fomes peccati, qui bonam rem vertit in malum, est efficiens causa mortis. Nam peccatum, id est fomes peccati, et incentiva vitiorum, ac delectatio mala, vel diabolus auctor peccati, *operatum est mihi mortem*, id est fecit me operari opera digna morte, *per bonum*, id est per transgressionem boni mandati. Ita operatum est mihi mortem animæ, *ut* ipsum peccatum quod prius latebat in corde meo, *appareat* foris *peccatum* esse in manifesto opere. Ita scilicet appareat, *ut* idem peccatum, id est fomes peccati et concupiscentia, *fiat supra modum peccans peccatum*, id est plus quam antea *per mandatum* sine quo nec tantum ardebat, et per quod accrevit prævaricatio. Vel ita intelligendum est: Ut per legem appareat peccatum, quod per ignorantiam latebat; jam enim dixerat: sine lege peccatum mortuum erat, id est latebat et ignorabatur, tanquam in quibusdam ignorantiæ tenebris sepultum. Modo autem videamus quam vere dicat peccatum, ut appareat peccatum. Non enim dicit, ut sit, quia erat et quando non apparebat peccatum. Quid est, ut appareat peccatum? Quia concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: « Non concupisces, » non ait concupiscentiam non habebam; sed concupiscentiam nesciebam. Sic etiam hic non ait, ut sit peccatum; sed, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. Quam mortem? Ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Supra modum, quia accessit et prævaricatio. Quando enim delinquebam sine mandato, minus erat. Quando autem delinquo per mandatum, excedo modum. Lex enim modificaverat omnia, sed ego modum legis transgredior instinctu concupiscentiæ impulsus. Vel supra modum, quia valde immoderatius crevit peccatum per legem, dum per ejus prohibitionem magis inflammaretur, et eam scienter transgrederetur. Quod quidem ad hoc utile fuit, ut sentiret anima seipsam, non sufficere ad extrahendum se de servitute peccati, atque hoc modo de tumescente et exstincta omni superbia, subderetur Liberatori suo, et auxilium gratiæ ejus imploraret.

« Scimus enim quod lex spiritalis est, ego autem « carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod « enim operor, non intelligo. Non enim quod volo « bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud fa- « cio. »

Superius dixi, quia lex est sancta. Et vere est sancta, quia *scimus quod* ipsa *est spiritalis*, id est a sancto Spiritu data, et mandans spiritalia, atque spiritum hominis alens et instruens de divinis et cœlestibus. Sed *ego sum carnalis*, id est carni consentio, *et venundatus sum peccato*, id est peccans pretio temporalium voluptatum. Dulcedo enim mortiferæ voluptatis, pretium est quo se vendit unusquisque diabolo, ponens se sub peccato, id est faciens se servum peccati. Vere animam meam diabolo vendidi, accipiens pretium voluptatis et subdens me peccato. Nam *quod operor non intelligo*, quia aliud video me agere, et aliud per legem scire. Quod operor non intelligo, id est non agnosco in præceptis veritatis, ubi est vera scientia. Secundum hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus: « Non novi vos (*Matth.* VII). » Non enim eum aliquid latet. Sed quia peccata non inveniuntur in regulis præceptorum quas habet Veritas, ideo ipsa Veritas peccatoribus dicit: « Non novi vos. » Sicut enim tenebræ oculis non videndo, sic peccata mente ignorando sentiuntur. Vere non intelligo in lege faciendum esse, quod facio. Quia *bonum quod* secundum rationem *volo, non hoc ago, sed malum quod odi* secundum rationis judicium, *illud ago* secundum carnis appetitum. Nam ratio quidem naturaliter vult bonum, sed hæc voluntas semper caret affectu, nisi per gratiam fuerit adjuta. Et hæc quidem verba hoc modo conveniunt homini carnali et sub lege posito, sed melius intelliguntur esse etiam spiritalis hominis, jamque sub gratia constituti, vel ipsius Apostoli. Scimus, inquit, quod lex spiritalis est, id est spiritalia jubet. Hucusque legem excusaverat, quod non debet refundi in eam culpa. Hic ostendere incipit quod nec in principalem naturam debet refundi, et ita non in Creatorem, sed in homines qui ex se vitiati sunt, ut pravis nequeant motibus resistere. Lex spiritalis est, sed ego carnalis sum, id est carnale corpus adhuc gero, in quo et carnales motus sentio. Quandiu enim hic vivitur, sic est. Ita ergo, dixit Apostolus, ego autem carnalis sum, ideo quia nondum spiritale corpus habebat, sicut posset dicere, ego autem mortalis sum, quod utique non nisi secundum corpus intelligeretur dixisse, quod nondum fuerat immortalitate vestitum. Item quod adjunxit, venundatus sub peccato, ne quisquam eum nondum redemptum Christi sanguine existimet, hoc etiam secundum illud potest intelligi, quod ait: Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus adoptionem filiorum, exspectantes redemptionem corporis nostri. Si enim secundum hoc se dicit venundatum sub peccato,

Digitized by Google

quod adhuc non est redemptum a corruptione corpus ejus, vel venundatum aliquando in prima transgressione præcepti, ut haberet corpus corruptibile quod aggravat animam, quid prohibet hic Apostolum de se hoc dicere, quod ita dicit, ut etiam in ipso possit intelligi, etiamsi in sua persona non se solum, sed omnes accipi velit, qui se noverunt spirituali dilectione cum carnis affectione sine consensione confligere? (*Sap.* IX.) Venundatus, inquit, sum: quia quod operor non affectu consentiendi et implendi, sed ipso motu concupiscendi, non intelligo in regulis præceptorum cœlestium. Vel non intelligo, id est non approbo. Et vere non intelligo quod operor. Nam bonum quod volo, hoc non ago; sed malum quod odi, illud facio. Non hoc sic intelligamus tanquam vellet Apostolus esse castus, et esset adulter; aut vellet esse misericors, et esset crudelis; aut vellet esse pius, et esset impius. Sed ad quid? Volo non concupiscere et concupisco. Et si concupiscentiæ non consentio, et post concupiscentias meas non eo, tamen adhuc concupisco. Et hoc est, quia bonum quod volo, id est non concupiscere, hoc non ago; sed malum quod odi, id est concupiscere, illud facio, id est ex carne concupisco. Quandiu enim caro mortalis est, non potest a concupiscentiis penitus esse libera. Minui quidem quotidie possunt concupiscentiæ, sed ex toto non possunt auferri, quandiu hic vivitur. Et ideo non ago bonum quod volo, id est ut non concupiscam; sed facio malum quod odi, id est concupisco, quamvis non cedam, quamvis non consentiam, ut desiderio peccati non obediam.

« Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi « quoniam bona est. Nunc autem non jam ego ope- « ror illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio « enim quia non habitat in me, hoc est in carne « mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere « autem bonum non invenio. Non enim quod volo « bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. « Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor « illud, sed quod habitat in me peccatum.

Dixi me non facere quod volo, sed potius quod nolo. *Sed si ego illud facio quod nolo*, id est si ex carnis infirmitate concupisco quod nollem facere, *consentio legi*, quia nolo quod non vult. Dum quod nolo ago, id est dum nolo concupiscere et concupisco, consentio legi *quoniam bona est*, quia et ego ipse nolo quod lex. Quia nolo concupiscere, et lex dicit: « Non concupisces. » In hoc enim quod volo quod et lex vult, absque dubio consentio legi; concupisco tamen, quia non sum sine peccato. Non implet legem infirmitas mea, sed laudat legem voluntas mea. Ergo si quod nolo hoc ago, ideo consentio legi, quia nolo, non quia ago. Ipsum autem quod ago, concupiscere est, non concupiscentiæ consentire. Lex dicit: « Non concupisces (*Exod.* XX; *Deut.* V), » et ego nolo concupiscere, sed tamen concupisco, quamvis concupiscentiæ meæ assensum non præbeam, quamvis post illam non eam. Resisto enim, averto mentem, nego arma, teneo membra, et tamen fit in me quod nolo. Quod non vult lex, nolo; cum lege; ergo consentio legi. *Nunc autem jam non ego operor illud.* Nunc jam, id est jam redemptus, qui fui ante sub peccato venundatus, nunc jam sub gratia, quæ liberavit delectationem meæ voluntatis consensione cupiditatis, libera est mens, caro captiva. Non ego operor illud, quia non consentio, *sed peccatum quod habitat in me*, id est fomes peccati et concupiscentia quæ est in carne mea. Quando enim peccatum quod in nobis habitat operatur in nobis, tunc nos id non operamur, cum nequaquam ei voluntas nostra consentit, et tenet etiam corporis membra, ne obediant desideriis ejus. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibetur assensus, movetur quidem, sed nullus ei relaxatur effectus. Operatur ergo peccatum in nobis hæc desideria. Quibus si obedimus, et nos operamur. Si vero non eis obedimus, non nos illud operamur. sed quod in nobis habitat peccatum. Si autem desideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porro illiciti desiderii (cui non obediendo non id nos operamur) ideo nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor nostræ naturæ. A quo languore omnimodo salvi erimus, cum et animo et corpore immortales facti fuerimus. Languoris hujus et infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod peccatum appellat Apostolus, universus reatus sacramento baptismatis est solutus, cum omnibus quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitavimus. Nec nobis deinceps languor iste obesset, si desideriis ejus illicitis nullis unquam obedientiam præberemus, sive operatione, sive locutione, sive tacita assentione, donec etiam ipse sanaretur. Cum autem omne aliud peccatum sit voluntarium, ita ut præter voluntatem omnino fieri non possit: hoc solum de quo nunc agitur, etiam præter voluntatem fit eo modo quo exposuimus. Sed ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et pœna peccati est. Non ego, inquit, operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Multum autem fallitur, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, putat se adhuc posse dicere, non ego operor illud, etiamsi oderit, quia consentit. Nam concupiscit et consentit et agit, quomodo non in illud operatur, etiamsi se operari doleat et vi graviter ingemiscat? Dixi quia peccatum habitat me. Quod ideo dixi, quoniam scio quia bonum habitat in me, hoc est in carne mea. Aliter fort acciperetur, quod dixit, in me, et ideo exposuit, dens: Hoc est, in carne mea, ac per hoc ape sime ostendit unde loqueretur. Ac si diceret: C sum quod hæc concupiscentia, quæ est conatui adversa in corpore meo, non est bonum. Vitium nis in re bona, non est bonum. Quod cum ess sisterit, caro erit, sed jam vitiata vel vitiosa erit. Non dico caro mea non est bona; sed, b in carne mea non habitat, quam peccati de

Digitized by Google

consuetudo, quod vincere, nequeo. Vere in carne mea non habitat bonum, nam ideo non possum perficere bonum quod volo. *Nam velle adjacet mihi*, id est præsto est mihi bona voluntas *sed perficere bonum non invenio*, id est tam longe est a me perfectio boni, ut eam invenire non possim. Hoc est perficere bonum, ut ne concupiscat homo. Imperfectum autem bonum est quando concupiscit, etiamsi non concupiscentiæ consensit ad malum. Quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt; sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt quidem, sed non eis obeditur, nec malum perficitur, quia nec eis obeditur, nec bonum, quia sunt; sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur, et ex aliqua parte remanet malum quia concupiscitur (210). Ideo Apostolus non dixit, facere bonum non invenio, sed, perficere. Multum enim boni facit, quia facit quod scriptum est : Post concupiscentias tuas non eas (*Eccli.* XVIII), » sed non perficit, quia non implet quod scriptum item est : « Non concupisces (*Exod.* XX; *Deut.* V). » Erit autem quandoque perfectio boni, quandoque consumptio mali : Illud summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur. Tunc enim erit, quando mors non erit; et ibi erit, ubi vita æterna erit. Ad hoc igitur dixit lex : « Non concupisces, » ut nos in hoc morbo nosipsos invenientes jacere, medicinam gratiæ quæreremus, atque in eo præcepto sciremus, et quod debeamus in hac mortalitate, proficiendo semper in melius conari, et quod possit a nobis ad illam immortalitatem beatissimam, ubi concupiscentia non erit, perveniri. Nisi enim quandoque perficiendum esset ut non concupisceremus, nec malum desiderium ullum haberemus, nunquam fuisset jussum. Quod donec in nobis compleatur, semper nos debemus agnoscere peccatores et in bono imperfecto, atque pugnare adversus peccatum et in bono proficere. Non invenio perfectionem boni, quandiu in hac mortalitate vivo, quia non possum ex toto carere concupiscentia. *Non enim quod volo bonum, hoc ago*, etc. Volo enim non habere concupiscentiam, et tamen habeo. Eadem quæ superius dixerat, repetit inculcans, et tanquam tardissimis ostendit, somno eos excitans. *Non enim facio bonum quod volo, sed ago malum quod nolo.* Quia volo, ut dixi penitus carere concupiscentia, sed non valeo. Et nolo concupiscere, sed tamen concupisco ex carne, non ex mente. Quod nolo, illud facio; *sed si quod nolo, illud facio*, id est si invitus concupisco, *non ego operor illud*, quia mente non consentio, *sed peccatum quod habitat in me*, operatur illud, id est fomes peccati et concupiscentia habitans in carne mea, quæ scilicet concupiscentia et peccati libido vel delectatio, per transgressionem primi parentis ex vitiata natura mihi transfusa est.

« Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, « quoniam malum mihi adjacet. Condelector enim « legi Dei secundum interiorem hominem, video « autem aliam legem in membris meis repugnantem « legi mentis meæ, et capti vantem me in legem pec- « cati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! « quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia « Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igi- « tur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem « legi peccati. »

Quando quidem ego non operor malum, sed volo operari bonum, *igitur invenio legem mihi* esse bonam, *volenti facere* quod ipsa jubet, *quoniam malum adjacet.* Bonam invenio legem. Bona est lex, Unde probo? Quia implere eam volo. Igitur mihi volenti facere bonum invenio legem bonam, id est utilem invenio illam, dum docet quid fieri debeat et quid non. Vere bonum aliquid est lex, quoniam non ei, sed mihi malum adjacet ex concupiscentia, cui tamen non consentio. Malum pravæ delectationis adjacet, id est vitium mihi est et mihi incumbit, nec me sinit perficere bonum quod volo. Mihi malum adjacet, id est peccatum quod habitat in carne mea, videlicet carnalis concupiscentia, quæ peccati nomine appellatur, quoniam ex illa oriuntur cuncta peccata. Quidquid enim est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non oriuntur nisi ex mala cupiditate, non oriuntur nisi ex illicita delectatione. Hæc ergo illicita delectatio, cui tamen resisto, malum est quod adjacet mihi, id est carni meæ. Non enim caro mea, aut de alla substantia caro, aut de alio principio caro, aut anima ex Deo, et caro de gente tenebrarum, sed languor repugnat sanitati, quoniam semivivus jacet in via. Vere malum mihi adjacet, quia cum secundum interiorem hominem condelector legi Dei, video tamen aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vel ita : Vere consentio legi, et invenio illam esse bonum quiddam et utile, quamvis malum mihi adjacet. Nam *condelector legi Dei*, id est in hoc lex quam Deus dedit, delectatur, et ego delector, quia quidquid ei placet, et mihi simul placet, *secundum interiorem hominem*, id est secundum spiritus et rationis affectum. Condelector quidem ei secundum bonæ voluntatis affectum, sed tamen eam complere non sufficio, quoniam *video*, id est attendo, *aliam*, id est diversam a Dei lege, *legem*, id est pravam suggestionem *in membris meis*, quæ recte dicta est lex, quoniam legitime factum est ut homo qui noluit obedire Domino suo, non ei serviret caro ipsius. Nam supra hominem Deus est, et infra hominem caro. Et quia homo contempsit superiorem, torquetur ab inferiore. Tunc enim nata est hæc lex, quando in paradiso contempta et transgressa est ab homine prima lex. Ut enim vetitum cibum comedit, protinus illicitum carnis motum sentire cœpit (*Gen.* II). Video aliam legem, id est peccati pruriginem, in membris meis, ut in auribus ad audiendum

(210) Locus obscurus.

Digitized by Google

illicita, et in oculis ad concupiscendum. Hujusmodi legem, id est peccati fomitem qui male regit, video in membris meis *repugnantem legi mentis meæ*, id est rationi, quæ est lex naturaliter scripta in corde omnium, *et captivantem me*, id est captivare conantem, hoc est ad consentiendum implendumque cogentem *in lege peccati*, id est carnalem concupiscentiam *quæ est in membris meis*, et ibi movet illicita desideria, tantoque periculosior est, quanto vicinior. Quatuor leges ostendit Apostolus invicem dimicantes, legem Dei et legem mentis, quæ duæ in bono concordant, id est legem Moysi et legem naturæ vel fidei; itemque legem suggestionis et legem peccati, quæ in malo sibi consentiunt. Et in harum legum contrarietate et repugnantia est labor et conflictus omnium militum Christi, dum resistunt, ne pravis legibus consentiant. Possumus etiam istam aliam legem et legem peccati, non duas, sed unam intelligere, id est sarcinam mortalitatis, per quam fit sæpe, ut etiam injuste delectet quod non licet, et quod ait, captivantem me, id est captivantem carnem meam in legem peccati, id est in seipsam. Captivantem enim me, dixit, quia et in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam legem peccati vocat, non utique in ea ullum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret. Ex parte enim captivatur, et ex parte jam liber est, nam mens quæ interius habet alias delectationes suas, non consentit, sed repugnat delectationibus carnis. Condelector, inquit, legi Dei, delectat me lex, delectat me quod jubet lex, delectat me ipsa justitia secundum interiorem hominem. Ecce libertas ex parte superiore. Libertas enim delectat. Nam qui adhuc timore facit quod justum est, nondum Deus eum delectat, ideoque servus est. Cum vero non jam timuerit pœnam, sed amaverit justitiam, in ipso amore et delectatione justitiæ liber erit. Video autem, inquit, aliam legem in membris meis. Hæc est quæ remansit infirmitas. Et ex hac parte sentit homo captivitatem, ubi non est impleta justitia. Nam ubi cum delectatur legi Dei, non captivus, sed legis amicus est. Et ideo libet, quia amicus. Sed nondum tota, nondum pura est, nondumque plena libertas, quia nondum æternitas. Est in me quiddam mortuum, et quiddam vivum. Mors contendit, mens non consentit. Quid inde sperandum est? *Infelix ego homo*. Etsi non in mente, tamen in carne infelix homo. Non enim in mente homo, et in carne non homo; sed in mente homo, et in carne homo. Infelix sum ego homo. Ita qui se infelicem exclamat, lugendo implorat consolatoris auxilium. Nec parvus est ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suæ. Infelix ego homo. Et cum per me ab hac infelicitate non possim liberari, *quis me liberabit*, quis hoc facere poterit, nisi magnus aliquis, ut me liberet *de corpore mortis hujus*, id est de hoc corpore corruptibili, in quo mors est? Hæc est vox militis pugnantis et gementis in labore certaminis. Cui gementi et auxilium liberatoris imploranti, respondetur: *Gratia Dei* te Liberabit a corpore mortis hujus *per Jesum Christum Dominum nostrum*, quando corpus habebis immortale, ubi nulla concupiscentia remanebit. De corpore enim mortis hujus non omnes liberantur, qui finiunt hanc vitam, quoniam aliud est exire de corpore, quod omnes homines dies hujus vitæ novissimus cogit; aliud liberari de corpore mortis hujus, quod non lex, non vires propriæ, sed sola Dei gratia per Jesum Christum sanctis et fidelibus ejus impertit. Liberari enim a corpore mortis hujus, est omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, sed ad gloriam. Nam impii utique non liberantur a corpore mortis hujus, quibus eadem corpora redduntur ad æterna tormenta. Tunc enim corpus mortis hujus redit ad impium, nec inde aliquando solvetur. Et tunc non erit ei vita æterna, sed mors æterna, quia pœna æterna. Justus autem liberabitur a corpore mortis hujus, non ut hoc corpus non habeat, sed ut mortale et onerosum non habeat. Habebit enim ipsum corpus, sed immortale et leve et sine molestia. In his verbis, ut supra dictum est, recte intelligitur Apostolus, non quidem se solum in sua persona, sed etiam alios sub gratia constitutos significasse. Quandoquidem condelector legi Dei secundum interiorem hominem, et video aliam legem in membris meis; *igitur ego ipse mente servio legi Dei*, amando justitiam et resistendo concupiscentiæ, *carne autem* servio *legi peccati* concupiscendo. Ego ipse hæc facio. Non enim alius in mente, et alius in carne, sed ego ipse in mente, ego in carne, non duo, sed unus ex utroque. Mente servio legi Dei in libertate Christi, carne autem legi peccati ex vetustate Adæ. Novitatis gaudio suspendor, vetustatis onere prægravor. Est mihi bellum adversum me. Sed ex qua parte displiceo mihi, jungor Deo. Et ex qua parte jungor Deo, idoneus ero ad vincendum me, quia ille mecum est, qui omnia superat. Mente servio legi Dei, volendo quod ipsa vult, et nolendo quod non vult; carne aut legi peccati, non quidem dando membra committendis iniquitatibus, sed tantum concupiscendo, quamvis illicitæ concupiscentiæ non dem manus.

CAPUT VIII.

« Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt « in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo « Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. « Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus, Filium suum mittens in « similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. »

Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Et quidem ego, qui in me significo quemlibet justum sub gratia constitutum, mente

Digitized by Google

servio legi; Dei *ergo nihil damnationis est nunc*, etsi ante fuit, *his qui sunt in Christo Jesu*, in quo per baptismum soluta sunt illis omnia. Dum non essent in Christo, et consentirent concupiscentiæ, erat illis damnatio. Nunc autem, cum sint in Christo, et repugnent concupiscentiæ, nihil damnationis est illis, quanquam ex carne concupiscant, quia non pugnatores, sed victi damnantur; nec est damnabile si existant desideria carnalia, sed si eis ad peccandum obediatur. Nil damnationis est his qui sunt in Christo. Et ne putares hoc postea futurum, ideo additum est, nunc. Postea illud exspecta, ut nec concupiscentia sit in te contra quam contendas, quia nec ipsa erit. Nihil ergo damnationis est nunc illis, quanquam alia lex in membris eorum adhuc repugnet legi mentis ipsorum. His qui sunt in Christo, non est damnatio, his dico, *qui non ambulant secundum carnem*, id est qui non operantur secundum carnalem appetitum. Sunt enim nonnulli, qui dicuntur Christiani, et tamen secundum desideria cordis ambulant, ad quorum distinctionem dicitur nunc non esse damnatio illis Christianis, qui non secundum carnem ambulant, id est non carnaliter vivunt. Vere non est damnatio his qui sunt in Christo, *nam lex* non litteræ in monte Sina, sed *spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis*, per quam legem erat damnatio. Inest adhuc membris meis lex illa peccati, sed jam reum me non facit, quia liberatus sum ab illa, ideoque liber pugno contra illam. Lex Moysi est spiritalis, sed non vitæ, quia non vivificat dimissis peccatis. Lex autem quam Spiritus sanctus ponit, est vitæ, quia vivificat remittendo peccata. Lex Moysi est lex Dei, sed factorum; lex operum, lex quæ jubet, non juvat; lex quæ ostendit peccatum, non tollit. Lex autem spiritus lex est fidei, lex gratiæ, lex misericordiæ, lex quæ tollit peccatum, et liberat a lege membrorum, quæ non est Dei, sed peccati et mortis, quoniam reos facit et mortem operatur. Et hoc est, lex enim spiritus vitæ liberavit me a lege peccati et mortis. Lex illa bona liberavit me ab ista lege mala. Et hoc in Christo Jesu, id est in sanguine et gratia Jesu Christi. Me, id est quemlibet justum sub gratia constitutum liberavit in Christo, ut non consentiam legi peccati et mortis, id est concupiscentiæ. Et quomodo sim liberatus, ac damnationem evaserim, consequenter exponitur : *Nam quod impossibile erat legi*, Deus in Christo fecit, id est damnare peccatum et dare justitiam. Impossibile erat legi naturali vel scriptæ liberare a lege peccati et mortis, quia nec peccatum tollere, nec mortem vincere prævalebat, nec sibi obedientem aut perfectum quemquam facere poterat. Quod impossibile erat legi, Deus fecit, *in quo* impossibili *infirmabatur* ipsa lex *per carnem*, id est ab infirmis non poterat impleri per carnem, quia per spiritum impletur. Lex enim infirmari intelligitur, eo quod non impleatur, non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos faciat, minando pœnam, nec adjuvando per gratiam. Quæ infirmata esse per carnem dicitur, quia caro non implet, quod per spiritum impletur, id est per gratiam spiritualem. Nam caro ubi non erat gratia, invictissime resistebat. Et lex infirmabatur per carnem, id est per carnis desideria et per fomitem vitiorum, qui in carne est, quia caro nimium rebellabat, et audiens legem plus incitabat concupiscentiam. Infirmabatur ergo lex litteræ per carnem, id est non efficiebat justos deditos carni, quoniam caro fortiter obsistebat ne lex adimpleretur, et lex non habebat vires, quibus impetum carnis frangeret. Vel per carnem infirmabatur lex, id est per carnalem intellectum, et per carnalem observantiam erat imbecilla, non per seipsam. Sed quod lex infirma non poterat, Deus fecit, qui Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, etiam peccatum de peccato damnavit in carne. *Deus Filium suum*, id est sibi proprium et consubstantialem atque cœternum misit, id est incarnari constituit, ut manens quod erat, assumeret quod non erat. Misit eum *in similitudinem carnis peccati*, non quasi caro non esset, sed in similitudinem carnis peccati, quia caro erat, sed peccati caro non erat. Nostra enim caro est peccati caro, quia per libidinis usum generata est. Sola autem illius caro non fuit caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit. Tamen similitudo carnis peccati fuit, id est passibilis et mortalis, quæ nutriri et esurire et sitire et dormire et fatigari et mori potuit. Mors enim et infirmitas non est nisi de peccato. Et utique corpus illud mortale erat et infirmum, ut cæterorum corpora. Caro peccati habet mortem et peccatum, similitudo autem carnis peccati habuit mortem sine peccato. Si haberet peccatum, caro esset peccati. Si mortem non haberet, non esset similitudo carnis peccati. Talis venit Salvator. *Et de peccato damnavit peccatum in carne*, id est suscipiendo carnem hominis peccatoris, et docendo quemadmodum viveremus, peccatum in ipsa carne damnavit, ut æternorum charitate spiritus noster flagrans, non duceretur captivus in consensionem libidinis. Mortem enim non meruit Adam nisi peccando, et Christus carnem suscepit mortalem. Ergo sic dicitur mors peccatum, quæ facta est peccato, sicut dicitur lingua Græca, lingua Latina, non ipsum membrum carnis, sed quod fit per membrum carnis. Lingua enim Græca verba Græca sunt, non quia verba lingua, sed quia verba per linguam. Sic igitur peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit de massa ipsa, quæ mortem meruerat ex peccato. Et ut celerius dicam, Maria ex Adam mortua propter peccatum, nisi divinitus exempta fuisset et caro Domini ex Maria mortua propter delenda peccata. De peccato itaque, id est de morte quæ per peccatum accidit, damnavit peccatum in carne. Vel de peccato, id est de sacrificio pro peccatis oblato. Peccatum enim vocabatur in lege, sacrificium pro peccato. Et tale peccatum fuit caro Domini. De peccato igitur,

Digitized by Google

id est de sacrificio quod factus est pro peccatis, inde damnavit peccatum, *ut justificatio legis*, id est justificatio quam præcepit sive promisit, *impleretur in nobis* per spiritum qui adjuvat, hoc est lex litteræ impleretur in nobis per spiritum vitæ. In nobis, dico, *qui non secundum carnem ambulamus*, id est operamur, *sed secundum spiritum*. Caro de terra facta est, spiritus autem a Deo datus est. Utraque ergo desiderant illud unde sunt, caro terrena, spiritus cœlestia. Si igitur spiritus carnem superaverit, operantur in eo cœlestia. Si autem carni consenserit, prævalent ei terrena. Illi ergo non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, qui non terrenis et carnalibus, sed cœlestibus et spiritalibus sunt intenti, nec carnaliter observant legem, sed spiritaliter. Quid est enim secundum carnem ambulare? carnalibus concupiscentiis consentire. Et quid est secundum spiritum ambulare? adjuvari spiritu in mente et concupiscentiis carnis non obedire. Sic ergo impletur in nobis per Christum justificatio legis, non adhuc illa quæ dicit : « Non concupisces (*Exod.* xx), » sed interim illa quæ jubet : « Post concupiscentias tuas non eas (*Eccli.* xviii). »

« Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis « sunt sapiunt. Qui vero secundum spiritum, quæ « sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, « mors est; prudentia autem spiritus, vita et pax. « Quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Legi « enim Dei non est subjecta, neque enim potest. « Qui autem in carne sunt, Deo placere non pos- « sunt. »

Vere in illis impletur justificatio, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Nam *qui secundum carnem sunt*, id est qui carni consentiunt, et sequendo appetitum carnis vitam suam ducunt, *sapiunt ea quæ sunt carnis*, id est sciunt carnalia, et curiosi sunt in carnalibus, atque saporem delectabilem illis habere videntur temporalia et terrena, quæ carnis sunt vel ad carnem pertinent, ideoque tales non justificantur. *Sed* illi *qui* sunt *secundum spiritum*, id est qui sancto Spiritui consentiunt et ei concordant, ut spiritualiter vivant, *sentiunt ea quæ sunt spiritus*, id est divina et spiritalia bona sentiunt interius, et spiritali dulcedine replentur, ideoque justitia legis per charitatem in illis adimpletur. Vere illi qui sapiunt ea quæ sunt carnis, non justificantur, sed illi potius qui sentiunt ea quæ sunt spiritus. Nam finis rerum hoc indicat, cum sapientia carnis generet mortem, et sapientia spiritus, vitam. Pœna enim vel præmium evidenter declarant : et eos qui moriuntur non fuisse justificatos, et eos qui vitam adepti sunt implesse justitiam. *Nam prudentia carnis mors est* æterna; *prudentia autem spiritus, vita et pax.* Prudentia enim carnis est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur. Hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti et timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas, æquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur; hæc sibi obsequentibus præcipit bonorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valet, hoc impacifica bonitate simulare. Jure ergo talis prudentia mors animæ dicitur. Prudentia vero spiritus, id est justorum sapientia est, nihil per ostensiones fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere; pro veritate contumelias pati, lucrum putare. Et hæc prudentia est vita animæ et pax, non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsenti. Diffinitio autem prudentiæ, in appetendis bonis et vitandis malis explicari solet. Eadem namque animæ natura, et prudentiam carnis habet cum inferiora sectatur, et prudentiam spiritus cum superiora eligit, sicut aquæ natura et frigore congelascit, et calore solvitur. Per prudentiam carnis propterea Deum Judæi colebant, ut eis secundum carnem bene esset, ideoque secundum animam erant mortui. Per prudentiam autem spiritus justi Deum gratis colunt, id est quia ipse bonus est, non quia dat alia bona, quæ dat et non bonis. Et ideo per hanc spiritalem prudentiam vivunt etiam nunc in anima et pacem habent, concordantes voluntati divinæ, et amantes proximos, nec se vindicantes cum læsi fuerint. Multo magis autem in futuro vitam habebunt æternam, et pacem tranquillitatis perpetuæ. Et econtra, qui carnaliter sunt prudentes, id est qui appetunt temporalia bona, et timent temporalia mala, vel suas astute ulciscuntur injurias, et magis naturalibus credunt rationibus, quam divinis sententiis, mortem animæ et corporis æternam patientur. Et vere per talem prudentiam moritur anima et corpus. *Quoniam sapientia carnis*, id est quæ carnalibus intendit, et carnalia studiose agit, *inimica est Deo*, quem non sibi finem constituit. « Quicunque enim voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur (*Jac.* iv). » Inimica est Deo, dum nil putat, Dominum posse præter quod in naturis rerum videtur : inimica est Deo, quia ejus voluntati non obtemperat. *Legi enim Dei non est subjecta.* Et facere contra legem, hoc est inimicum Dei esse. Non quia Deo aliquid nocere potest, sed quia sibi ipsi nocet, quisquis resistit voluntati Dei. Quod ergo ait, sapientia carnis inimica est Deo, non sic accipiamus quasi inimica ista possit lædere Deum. Resistendo enim inimica est, non nocendo. Illi autem nocet, in quo est sapientia carnis, quia vitium est. Naturæ nocet in qua inest. Pellatur vitium, et natura sanabitur. Hæc carnalis sapientia non est subjecta legi

Digitized by Google

Dei, *neque enim potest* ei esse subjecta. Non dixi, homo non potest; non dixi : anima non potest; non dixi : caro non potest; sed dixi : quoniam sapientia carnis non potest, id est vitium non potest, non natura; quomodo si dicatur : claudicatio rectæ ambulationi non est subjecta, neque enim potest. Pes potest, sed claudicatio non potest. Tolle claudicationem, et videbis rectam ambulationem. Sed quandiu claudicatio est, non potest. Non sit sapientia carnis, et homo est. Sic dictum est : *Legi enim Dei non est subjecta, neque enim potest*, tanquam si diceretur : Nix non calefacit, neque enim potest. Quandiu enim nix est, non calefacit. Sed resolvi potest et fervere, ut calefaciat. Sed cum hoc facit, jam nix non est. Sic et prudentia vel sapientia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis temporalia bona concupiscit. Quandiu enim appetitus talis animæ inest, legi Dei subjecta esse non potest, id est non potest implere quæ lex jubet. Sed si spiritalia bona desiderare cœperit, et temporalia contemnere, desinet esse carnis prudentia, et spiritus non resistet legi. Sapientia carnis non subjicitur divinæ legi. Nec hoc tantum dico, sed etiam istud, quod illi *qui sunt in carne*, id est qui voluptatibus carnis acquiescunt, *Deo placere non possunt*. Ipsi enim in carne sunt, qui in carne confidunt, qui concupiscentias suas sequuntur, qui in his habitant, qui earum voluptatibus oblectantur, qui in earum delectationibus beatam felicemque vitam constituunt. Et ideo quandiu tales sunt, nihil Deo quod placeat, agere possunt.

« Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, « si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis au- « tem Spiritum Christi non habet, hic non est « ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus qui- « dem mortuum est propter peccatum; spiritus « vero vivit propter justificationem. Quod si spiri- « tus ejus qui suscitavit a mortuis Jesum, habitat « in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mor- « tuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter « inhabitantem spiritum ejus in vobis. »

Illi qui sunt in carne, non possunt Deo placere. Sed vos non estis in carne, et propterea Deo placetis. In hoc quidem sæculo adhuc vivitis, sed tamen in carne non estis, quia non in voluptate carnis jacetis, sed carnalia desideria supergressi estis. Ne quis enim illud quod præmissum est, quia qui in carne sunt Deo placere non possunt, de his dictum putaret qui de hac vita nondum exierunt, opportunissime subjunxit : *Vos autem non estis in carne.* Utique adhuc in vita hac constitutis loquebatur, et tamen dixit eos non esse in carne. Romanis quidem scribebat, sed universæ electorum Ecclesiæ dixit : tritico dixit, non paleæ : massæ latenti, non stipulæ apparenti. Non estis in carne quia non facitis opera carnis, consentiendo concupiscentiæ carnis. *Sed* estis *in spiritu*, quia secundum interiorem hominem condelectamini legi Dei. Et hoc est, *si tamen spiritus Dei habitat in vobis*. Nam si spiritu vestro præsumitis, adhuc in carne estis. Sic ergo non estis in carne, ut in spiritu Dei sitis. Nam si recedit spiritus Dei, pondere suo spiritus hominis revolvitur in carnem. Redit ad facta carnalia, redit ad concupiscentias sæculares. Sic igitur habete liberum arbitrium, ut imploretis auxilium. Non estis in carne. Et hoc viribus vestris? absit. Unde ergo? Si tamen spiritus Dei habitat in vobis, tunc enim in carne non estis, sed spiritum Dei habitatorem habetis. Sed *si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, id est non possidetur a Christo, nec est membrum Christi. Spiritum Dei dixerat, et spiritum Christi subjunxit, quia non sunt duo Spiritus sancti tanquam singulorum, unus Patris et alter Filii, sed unus potius Patris et Filii. Sicut autem anima mea, id est spiritus meus vivificat omnia membra corporis mei; sic spiritus Christi vivificat omnia membra corporis Christi, id est omnes electos ejus. Si quis autem spiritum Christi non habet, id est si quis non vegetatur spiritu Christi, si quis non vivit spiritu Christi, hic non est membrum Christi, nec possessio Christi, sed diaboli. Charitas vero testis est esse spiritum Christi in eo corde quod ipsa repleverit. Nunquid enim spiritum Christi habet ille, cujus mentem odia dissipant, elatio inflat, ira usque ad divisionem mentis exasperat, avaritia cruciat, luxuria enervat? Non utique. Quia spiritus Christi ubi habitat, facit amicos et inimicos diligi, terrena despici, pro cœlestibus æstuari, carnem propter vitia conteri, mentem a concupiscentiis frenari. Et iste spiritus est quasi quidam titulus divinæ possessionis. Quo quisquis ex toto caret, ad Christum non pertinet. *Sed si Christus est in vobis*, qui ibidem habitat ubi spiritus ejus est, et non alibi; *corpus quidem mortuum est*, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ pulvere factum est, sed *propter peccatum*. Non dico mortale, sed mortuum. Nam antequam immutaretur in illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum, sicut hoc nostrum potest esse ægrotabile, quamvis non ægrotaturum. Cujus enim caro est quæ non ægrotare possit, si etiam alio casu priusquam ægrotet occumbat? Sic et aliud corpus primi hominis jam erat mortale et antequam peccasset. Quam mortalitatem fuerat assumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine justitia, id est obedientia permaneret. Sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum, quia mox, ubi præceptum transgressus est homo, ejus membris velut aliqua ægritudo lethalis mors ipsa concepta est. Quam ægritudinem mortis et in nos omnes ipse transfudit, ac per eam necessario morituri sumus. Corpus ergo nostrum non tantum moriturum est propter animæ abscessum, qui futurus est, sed etiam mortuum est propter infirmitatem carnis et sanguinis. Habet quidem adhuc vitam, sed tamen comparatum corpori illi, quod in resurrectione futurum est, invenitur mortuum, quamvis adhuc habens animam. Corpus quidem ita mortuum est ad

Digitized by Google

huc propter peccatum, sed *spiritus* jam *vivit propter justificationem*. Et hæc vita ex fide facta est, quoniam « justus ex fide vivit (*Habac.* II; *Rom.* I; *Hebr.* XII). » Anima enim jam pia, quæ fuit impia, propter justitiam fidei dicitur ex morte revixisse atque vivere. Et hoc interim nobis præstitit gratia Salvatoris, ut anima jam per justitiam vivat, sicut per peccatum mortua fuerat. Hoc enim dictum est, ne ideo putarent homines vel nullum vel parvum se habere beneficium de Christi gratia, quia necessario morituri sunt corpore; attendere quippe debent, corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditione mortis obstrictum est, sed jam spiritum cœpisse vivere propter justitiam fidei, qui et ipse fuerat quadam morte infidelitatis exstinctus. Non igitur, inquit, parum vobis muneris putetis esse collatum, per id quod Christus in vobis est, quod in corpore propter peccatum mortuo, jam propter justitiam vester spiritus vivit. Nec ideo de vita quoque ipsius corporis desperetis, sed credite *quod si spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra*. Vel ita continuatur: Spiritus quidem vester jam vivit, sed si Spiritus Dei habitat in vobis, corpus quoque vestrum vivet, sicut corpus Christi, quod jam suscitatum est, vivit. Dixerat: *Si autem Christus in vobis est;* subjecit: *Quod si Spiritus pacis habitat in vobis*. Quem Spiritum Christi dixerat, hunc Spiritum pacis adjunxit: quia ubi Christus, ibi sine dubio Spiritus sanctus habitat, atque unus est Spiritus Christi et Dei. Quia vero in illa resurrectione futura mutatio non solum nullam mortem, quæ facta est propter peccatum sed nec mortalitatem habitura est, quod corpus animale habuit ante peccatum; nunc ait: *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra*, ut scilicet jam non solum non sint mortua, sed nec mortalia, cum animale resurget in spirituale, et mortale hoc induet immortalitatem, et absorbebitur mortale a vita. Cum enim præsentis temporis gratiam determinans, diceret mortuum esse quidem corpus propter peccatum, quia vero nondum per resurrectionem renovato peccati meritum manet, hoc est necessitas mortis, spiritum ait vivere propter justitiam; quia, licet adhuc corpore mortis hujus oneremur, jam secundum interiorem hominem cœpta renovatione in fidei justitiam respiramus; tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiam ipsum quod propter peccati meritum in præsenti sæculo dixerat mortuum, in futuro propter justitiæ meritum dicit vivificandum, nec sicut tantum ex mortuo vivum fiat, verum etiam ex mortali immortale. Dono enim Dei quod animæ datur, id est Spiritu sancto, non solum anima cui datur, salva et pacata et sancta fit, sed ipsum etiam corpus vivificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Vivificabit, inquit, mortalia corpora vestra, non propter merita vestra, sed propter munera sua, id est *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. His gradibus homine perfecto, nulla substantia invenitur malum. Neque lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis jacet, ut per fidem implorato Liberatoris auxilio et solvi et erigi et firmissime constitui mereatur. In prima ergo actione quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur. In tertia quæ est sub gratia, pugnamus et vincimus. In quarta quæ est in resurrectione, non pugnamus, sed perfecta et æterna pace requiescimus, quia nihil nobis tunc resistit non resistentibus Deo. Subjungitur enim nobis, quod inferius nostrum est, quod propterea non subjungebatur, quia superiorem nobis deserueramus Deum.

« Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut « secundum carnem vivamus. Si enim secundum « carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. »

Dixi qui in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis, et si Christus est in vobis, et quia Deus vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. *Ergo, fratres*, accepto adjutorio, porrecto nobis desuper divino auxilio, brachio Domini, porrecto nobis auxilio a Spiritu sancto, *debitores sumus*, id est ex debito servire nos oportet, *non carni*, sed Spiritui divino, qui in nobis habitat et tanta bona præstat. Debitores, inquam, sumus, sed non carni, *ut secundum carnem vivamus*, id est secundum carnis voluptates et illecebras vitam ducamus. Hoc enim modo fiet, ut propter inhabitantem Spiritum Dei vivificentur et mortalia corpora vestra, id est ut vita in se mortem mortificando convertat, si non secundum carnem, sed secundum spiritum vivere studueritis. Promissa est nobis et carnis immortalitas, propter Spiritum Dei, quem habemus in nobis. Ergo, fratres, si hanc immortalitatem adipisci volumus, debitores sumus non carni, ut secundum ejus illecebras vivamus, quia ipsa nos ad mortem trahit, sed potius Spiritui sancto, ut secundum eum vitam nostram dirigere studeamus, quia ipse nobis vitam præparavit æternam; et sic perveniemus ad illam, si nunc ejus voluntatem secuti fuerimus. Et vere ita se habet effectus utriusque partis. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini*, id est si secundum mortem vixeritis, totum morietur; si secundum carnis concupiscentias vixeritis, moriemini perpetualiter et carne et anima. *Si Spiritu* sancto *mortificaveritis facta carnis*, id est secundum Deum vivendo, voluptates carnis et desideria ejus exstinxeritis, *vivetis* in æternum beati. Hoc est opus nostrum in hac vita, spiritu mortificare quotidie facta carnis, affligere, minuere, frenare, interimere. Quam multa enim proficientes jam non delectant, quæ antea delectabant. Quando autem delectabat, et non ei consentiebatur, mortificabatur. Si jam non delectat, mortificatum est.

« Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii

Digitized by Google

« sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis « iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptio- « nis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater. Ipse « enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, « quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : « hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chri- « sti, si tamen compatimur, ut et conglorifice- « mur. »

Vere vivetis, si Spiritu sancto opera carnis mortificaveritis. Nunc enim filii Dei estis, et cum eo in perpetuum regnabitis. Et hoc est quod hæc Apostoli verba demonstrant. Vivetis, quia filii Dei estis. Nam quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Cum dixisset Apostolus : *Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, id est illas concupiscentias carnis, quibus non consentire magna laus est, et quas non habere perfectio est, metuendum erat, ne quisquam ad mortificanda facta carnis, de Spiritu sancto præsumeret. Ergo ne hic se extolleret humanus spiritus, et ad hoc opus se idoneum firmumque jactaret, subjecit et ait : *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.* Non qui secundum carnem suam vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur, non qui lege aguntur, sed quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Spiritus ergo Dei quo aguntur, ipse est spiritus, quo facta carnis mortificantur, quia ipse dat continentiam qua frenetur et dometur atque vincatur concupiscentia. Aguntur autem Spiritu Dei, ut et ipsi quod agendum est agant, et cum egerint, illi a quo aguntur, gratias agant. Spiritus enim Dei qui eos agit, agentibus est adjutor et ductor. Aguntur ergo ut agant, et ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut hoc sicut agendum est agant, id est cum delectatione et delectatione justitiæ : quia qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur et excitantur. Non ergo littera, sed spiritu ; non lege præcipiente, minante, promittente ; sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante aguntur. Non quia ipsi nihil agant, sed ne nihil agant boni, a bono aguntur ut agant. Nam tanto magis efficitur quisque filius bonus, quanto largius ei datur a Patre spiritus bonus. Plus vero est agi quam regi. Qui enim regitur, aliquid agit, et ideo regitur, ut recte agat. Qui autem agitur, agere ipse vix aliquid intelligitur. Quod ergo Spiritus Dei sanctus agit, hoc est quod Deus operatur omnia in omnibus. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se commendet qui male agere non potest. Dixi quia filii Dei estis, si Spiritu Dei agimini. Et vere filii. Non enim accepistis spiritum servitutis, sed filiationis. *Non accepistis spiritum servitutis iterum*, id est sicut olim in lege. Non est vobis iterum spiritus iste servitutis, sed libertatis. Idem enim spiritus est legis et Evangelii, sed propter diversa opera dissimiliter appellatur. Judæis fuit spiritus servitutis, sed Christianis est spiritus libertatis. Quia eodem spiritu, id est digito Dei quo lex in tabulis lapideis scripta est, timor incussus est eis qui gratiam non-

A dum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per legem convincerentur, et lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Christi. Et timor ille servilis erat, quia per eum non tam justitia diligebatur, quam pœna timebatur. Jam ergo vobis non in timorem datur spiritus, sed in dilectionem, ut non servi, sed filii simus. Qui autem adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, et Deum non amat, nondum est inter filios. Mandatum enim Dei si timore fit pœnæ, non amore justitiæ, serviliter fit, non liberaliter, et ideo nec fit. Non enim bonus fructus est, qui non de charitatis radice procedit. Non accepistis in Novo Testamento spiritum servitutis iterum *in timore*, sicut quondam in Veteri, *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, id B est qui vos Deo adoptavit in filios *in quo* spiritu *clamamus*, id est toto mentis affectu dicimus, *Abba Pater*. Ipse spiritus facit nos Deum vocare Patrem nostrum. Et si ille est Pater noster, ergo nos filii ejus. Filii clamant, Abba Pater. Hoc est Abba, quod Pater. Abba enim Hebraice dicitur, *pater* autem Græce vel latine. Sed propter utrumque populum, circumcisionis videlicet et præputii, qui ad angularem lapidem, id est ad Christum accessit, posita sunt hæc duo nomina idem significantia. Hebræi enim fideles clamant, Abba ! gentiles autem, Pater ! Clamor iste cordis est, non faucium, non labiorum. Intus sonat auribus Dei. Cum autem clamant, aliquid petunt. Et quid petunt, nisi quod de illis dictum est. « Beati qui esuriunt et C sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur ? (*Matth.* v).» Quæ est ista petitio, nisi esuries sitisque justitiæ ? Huc ergo transeant qui sub lege sunt, ut ex servis filii fiant, nec sic tamen, ut servi esse desistant, sed ut tanquam filii Domino et Patri liberaliter serviant. Accepimus spiritum adoptionis, per quem vocamus Deum Patrem nostrum, nam *ipse spiritus* divinus *testimonium reddit spiritui nostro*, id est recognoscere et intelligere facit spiritum nostrum, quia sumus filii Dei. Ad ipsum enim pertinet quia efficimur unum corpus unici filii Dei. Et per hoc quod ipse Spiritus sanctus charitatem nobis infundit, quæ nos facit imitatores esse divinæ bonitatis, ut diligamus inimicos nostros et benefaciamus his qui oderunt nos (*Luc.* vi), sicut Pater « cœ- D lestis solem suum oriri facit super bonos et malos, atque pluit super justos et injustos (*Matth.* v),» evidenti testimonio declarat menti nostræ nos esse filios Dei, cujus bonitatem pro modulo nostro sequimur. Filiorum enim est imitari patrem suum. Spiritus Dei dum facit nos bene agere, testatur quoniam *sumus filii Dei. Sed si filii sumus*, erimus *et hæredes*, id est ejusdem gloriæ participes. Non enim inaniter filii sumus, sed magnum inde commodum habebimus, quia hæredes Patris nostri erimus, imo ipse erit hæreditas nostra, sicut in Psalmo canimus : « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* xv).» *Hæredes quidem Dei* erimus. Sed si hoc parum videtur, audiamus adhuc unde amplius gaudeamus, quia erimus *cohæredes Christi*. id est simul cum

Digitized by Google

Christo hæredes, eamdem scilicet quam ipse possidet, beatitudinis hæreditatem cum eo possidentes. Hæredes quidem Dei efficiemur, cum ea quæ Dei sunt possidere cœperimus, id est incorruptionis et immortalitatis gloriam atque thesauros sapientiæ et scientiæ reconditos (*Colos.* II). Cohæredes autem Christi efficiemur cum reformaverit ipse corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* III). Hæredes autem Dei erimus, sed non ejus morte hanc hæreditatem adipiscemur, cum ipse mori non possit, imo cum ipse sit hæreditas, quam ab eo percipiemus. Sed quoniam cum vocati sumus adhuc parvuli, et ad spiritalia contemplanda minus idonei, usque ad humilitatem nostræ cogitationis se misericordia divina porrexit, ut quomodocunque cernere niteremur, quod non evidenter atque perspicue cernebamus, ipsum moritur quod in ænigmate cernebamus, cum facie ad faciem cernere cœperimus (*I Cor.* XIII). Convenienter ergo dicitur moriturum esse quod auferetur. Cum autem venerit quo perfectum est, auferetur quod ex parte est (*ibid.*). Ita nobis quodammodo moritur Pater in ænigmate, et idem ipse fit hæreditas cum facie ad faciem possidetur, non quia ipse moritur, sed imperfecta in eum nostra visio perfecta visione pervenitur. Et tamen, nisi illa prior nos nutriret, ad aliam plenissimam et evidentissimam non efficeremur idonei. Cohæredes etiam erimus Christi, cum in fine sæculi absorpta fuerit mors in victoria (*I Cor.* XV). Non timuit ille habere cohæredes, quia hæreditas ejus non fit angusta si multi possederint. Homo enim si habeat unicum filium, gaudet ad illum magis, quia solus omnia possessurus est, et non habebit fratres, qui cum eo dividant hæreditatem, et pauper remaneat. Deus vero unicum, quem genuerat et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos qui cum eo possiderent hæreditatem vitæ perennis. Hæreditas, inquam, in qua cohæredes ejus erimus, non minuitur multitudine filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Cohæredes ejus erimus, ita *tamen si compatimur*, id est si cum eo patimur, si passionum ejus nunc participes efficimur; si qualia pro nobis ille pertulit, nos talia pro nomine ejus pati non recusamus; si non pro humano favore vel temporali commodo, sed pro amore illius adversa perferimus, *ut et conglorificemur*, id est cum eo glorificemur, facti cohæredes ejus et participes gloriæ ipsius. Conglorificabimur enim, si hoc ejus nobis gratia concesserit, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III).

« Existimo enim quod non sunt condignæ passio-
» nes hujus temporis ad futuram gloriam quæ reve-
» labitur in nobis. »

Ne cui videretur grave, quod dixerat nos debere compati, mox addidit non esse condignas passiones hujus temporalis ad futuram gloriam quæ revelanda est in nobis. Ostendit enim per hæc quod illa respicit quæ non videntur, id est gaudia sempiternæ beatitudinis, omnem tribulationem, quæcunque ei acciderit, quamvis sæva, quamvis diuturna videatur, levem ducit et momentaneam, etiam si tormentis subjiciatur et eculeis et ungulis. Nam eo tempore quo suppliciis corpus ejus atteritur, si aspiciat ad futuram gloriam et consideret quomodo per hæc tormenta corpus humilitatis suæ transformabitur, ut fiat conforme corpori gloriæ Unigeniti Dei, tribulationem præsentem pro minimo reputabit, remunerationem vero futuræ beatitudinis inæstimabiliter magnam judicabit. Et quanto magis multiplicari sibi tribulationem et pœnas viderit, tanto amplius sibi pondus et magnitudinem gloriæ intelliget cumulari. In eo autem quod Apostolus nunc dicit *existimo*, non dubitat ipse, sed dubitantes increpat, sicut et alibi ad quosdam contemptores suos loquens : « Puto autem, inquit, quod et ego spiritum Dei habeam (*I Cor.* VII). » Qui enim dicit, puto vel existimo, dubitare videtur. Sed ille increpat, non dubitat. Et ipse Dominus qui omnia scit, increpans infidelitatem futuram generis humani : « Cum venerit, inquit, Filius hominis, putas inveniet fidem in terra? (*Luc.* XVIII). » Nam et homines de his rebus quas certas habent, aliquando increpative dubitant, id est verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitent, velut si quis indignetur servo suo et dicat : « Contemnis me? Puto quia dominus tuus sum. Ita et nunc Apostolus dicens existimo, increpat illos qui hoc non æstimabant, vel non existimant. Nonnulli enim dum futura gaudia minus attendunt, putant intolerabilia esse præsentia mala, quæ perferunt. Et illorum pusillanimitatem vel infidelitatem increpat nunc Apostolus : *Si compatimur*, inquit *et conglorificabimur*. Et vere per passionem perveniemus ad glorificationem. Nam ego existimo, quod vos non æstimatis, id est ego indubitanter scio *quod passiones hujus temporis*, quod tam breve est, *non sunt condignæ*, id est omnes simul non sunt dignæ *ad* promerendam *gloriam futuram, quæ revelabitur in nobis*, id est quæ ita manifestabitur, ut sit in nobis, quia in unoquoque nostrum manebit, et foras apparebit. Hoc est, si quis pateretur omnes pœnarum acerbitates, quæ in tempore præsentis vitæ sufferri possunt, non essent omnes illæ passiones dignum meritum ad consecutionem futuræ gloriæ, quæ, ablato omni velamine, revelabitur in nobis, quando percipiemus illud « quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). »

« Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum
» Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est
» non volens, sed propter eum qui subjecit eam in
» spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servi-
» tute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum
» Dei. »

Vere gloria revelabitur in nobis, qui nunc pro Deo molestias sustinemus, quia hæc gloria est ut filii Dei apparcamus. Hanc enim exspectamus. *Nam*

Digitized by Google

exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Quod est dicere : Nam et hoc ipsum quod in nobis dolet, cum facta carnis mortificamus, cum esurimus, vel sitimus per abstinentiam, dum frenamus delectationem concupiscentiæ per castitatem, dum injuriarum lacerationes et contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum, neglectis atque rejectis voluptatibus nostris, pro fructu matris Ecclesiæ laboramus, quidquid in nobis in hac et hujusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus et anima, quæ utique creatura est, et exspectat revelationem filiorum Dei, id est exspectat quando appareat quod vocatum est in ea gloria, ad quam vocatum est. Quia enim Filius Dei unigenitus non potest appellari creatura, quando quidem per ipsum facta sunt omnia quæcunque Deus fecit, distincte etiam nos vocamur creatura ante illam evidentiam gloriæ, et distincte vocamur Filii Dei, quamvis hoc adoptione mereamur. Nam ille Unigenitus natura filius est, non adoptione. Exspectatio ergo creaturæ, id est exspectatio nostra revelationem filiorum Dei exspectat, id est quando appareat quod promissum est, quando re ipsa manifestum sit, quod nunc spe sumus « Filii enim Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III.)» Ipsa est revelatio filiorum Dei, quam nunc exspectat exspectatio creaturæ. Non quod creatura revelationem exspectet alterius naturæ, quæ non sit creatura, sed ipsa qualis nunc est, exspectat quando sit qualis futura est. Tanquam si diceretur : Operante pictore, subjectis sibi coloribus, et ad opus ejus paratis, exspectatio colorum manifestationem imaginis exspectat, non quia tunc alii erunt aut non colores erunt, sed tantum quod aliam dignitatem habebunt. Dixi quod exspectatio creaturæ exspectat ut revelentur filii Dei. Quod recte dixi. Nam ipsa *creatura* adhuc *subjecta est vanitati*, id est temporalibus rebus, quæ sunt vanitas, quia quod promittunt, implere non possunt, et evanescunt id est deficiunt et transeunt. Ait enim Salomon : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole? (*Eccle.* I.) » Cui ut a Domino dictum est : « In labore manducabis panem (*Gen.* III), » ita ergo subjecta est humana creatura vanitati. Et subjecta est *non volens*, quia homo sponte peccavit, sed non sponte damnatus est. Peccatum enim fuit voluntarium, id est contra præceptum facere veritatis, peccati autem pœna, id est subjici fallaciæ, non voluntaria. Sponte, ut dixi, peccavit creatura hæc, et inimica facta est veritati; sed ut merito puniretur, non sponte subjecta est vanitati. Diligit homo sponte vanitatem, cum deserta soliditate veritatis, opinabilia sequitur, id est mutabilia. Vanitates enim sunt quæ mutantur et transeunt. Cum autem inde meritas pœnas luit, subjicitur non sponte vanitati, sicut subjecta est in homine peccante. Vanitati enim creatura non volens subjicitur, quia homo qui ingenitæ constantiæ statum volens deseruit, pressus justæ mortalitatis pondere, nolens mutabilitatis suæ corruptioni servit. Non ergo sponte creatura vanitati subjecta est, *sed propter eum qui subjecit eam in spe*, id est propter ejus justitiam atque clementiam, qui neque impunitum peccatum reliquit, neque insanabilem voluit esse peccantem. In spe est subjecta vanitati, propter misericordiam liberantis per remissionem peccatorum et adoptionem gratiæ. Ergo in spe, qua sperat se adhæsuram contemplandæ veritati, subjecta est interim vanitati. *Quia et ipsa creatura*, id est ipse homo, cum jam signaculo imaginis propter peccatum amisso, non tamen tota penitus imagine deleta, remansit tantummodo creatura, et ipsa creatura, id est et ipsa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, sed tantum creatura, *liberabitur a servitute corruptionis.* Quod itaque ait, et ipsa liberabitur, facit intelligi, et ipsa quemadmodum nos, id est et de ipsis non est desperandum, qui nondum vocantur filii Dei, quia nondum crediderunt; sed tantum creatura, quia et ipsi credituri sunt, et liberabuntur a servitute corruptionis, quemadmodum nos qui jam filii Dei sumus, quamvis nondum apparuerit quid erimus. Liberabitur ergo a servitute corruptionis, *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est erunt et ipsi ex servis liberi, et ex corruptibilibus incorrupti in vita perfecta, quam habebunt filii Dei. Tunc enim creatura hoc a servitute corruptionis eripiet, cum ad filiorum Dei gloriam incorruptam resurgendo sublevabitur. Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat. Et quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filiis de libertate nil ostenditur, tantum ad subsequentis libertatis gloriam tunc in eis de servitute nil apparet. Creatura ergo servitute corruptionis exuta, et dignitate libertatis adepta, in filiorum Dei gloriam vertitur, quia, unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est, transisse ac subegisse declaratur. Eique ita tunc inhæret, ut illi de corruptione quæ per resurrectionem vincitur, nihil jam in suo amore contradicat, sed unita gloriæ sui Redemptoris fiat. Cujus Redemptoris respectu potest intelligi dictum, quia et ipsa liberabitur, scilicet jam a corruptione liberatus est ipse Dominus.

« Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit « et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, « sed et nos ipsi spiritus primitias habentes, et ipsi « intra nos gemimus adoptionem filiorum, exspe- « ctantes redemptionem corporis nostri. »

Vere non volens subjecta est creatura vanitati. Nam inde gemit : *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit.* Vel liberabitur a servitute corruptionis. Nam ideo gemit, quia non est adhuc inde liberata. In uno quoque autem homine, omnis creatura non universaliter, sicut est cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, sed generatim quodammodo intelligi potest, quia rationalis in illo est, quam habere cre-

Digitized by Google

duntur angeli; sensualis, qua et bestiæ non carent, utuntur enim sensibus et sensualibus motibus ad appetenda utilia et vitanda contraria, et vitalis privata sensu qualis adverti in arboribus potest. Nam et in nobis sine sensu nostro fiunt corporis incrementa, et capilli nec cum præciduntur sentiunt, et tamen crescunt. Jam vero corporalis creatura evidentius apparet in nobis, quæ licet ex terra facta atque formata sit, insunt tamen illi ex omnibus hujus corporei mundi elementis quædam particulæ ad temperiem valetudinis. Nam et calore membra vegetantur, qui est ab igne, cujus etiam lux per oculos emicat; et aere venarum decursus, quas arterias vocant, atque spiramenta pulmonis implentur; et humor nisi esset, nulla spiramenta confluerent, vitamque assumeret siccitas. Nam et ipse sanguis humido lapsu alias venas replens, quasi rivis et fluminibus per cuncta diffunditur. Ita nullum est creaturæ genus, quod non homini possit agnosci. Ac si omnis creatura in eo congemiscit adhuc. Propter quod et Dominus Evangelium jussit omni creaturæ prædicari (*Marc.* XVI), quia in uno quoque homine (sicut disseruimus) est omnis creatura. Omnis itaque creatura gemit in homine. Non tanta, sed omnis. Tanquam si dicatur quod solem omnes vident, qui sunt incolumes, sed non toti vident, quia tantum oculis vident, ita et in homine omnis creatura est, quia et intelligit et sentit et vivit et corpus habet; sed non tota creatura in ipso est, quia sunt præter ipsum et angeli qui intelligunt, et pecora quæ sentiunt, et arbores quæ vivunt, et lapides qui tantummodo sunt. *Scimus* ergo *quod omnis creatura*, id est homo fidelis *ingemiscit*, id est in interiori suo gemit ac gemitum semper recentem habet, quandiu subjecta est vanitati, *et* etiam *parturit*, id est cum summa difficultate et onere bonum opus facit. Nam sicut mulier magnis doloribus et conatibus profert filium, ita fidelis homo nisibus magnis et laboribus producit fructum boni operis. Laborat enim et affligitur vigiliis, et jejuniis, aliisque sanctis actionibus. Et hoc facit usque adhuc. Nam, etsi sunt aliqui jam in sinu Abrahæ, et latro ille cum Domino in paradiso constitutus, illo die quo credidit, gemere destiterit, tamen *usque adhuc* omnis creatura ingemiscit et parturit in illis sanctis, qui adhuc in præsenti vita laborant. *Non solum autem illa* ingemiscit, *sed et nos ipsi*, id est non solum in homine corpus et anima et spiritus simul dolent ex difficultatibus corporis, sed et nos ipsi, exceptis corporibus, in nobis ipsis ingemiscimus, nos dico *primitias spiritus habentes*, id est quorum jam spiritus tanquam sacrificium oblati sunt Deo, et divino charitatis igne comprehensi. Hæ sunt enim primitiæ hominis, quia veritas primum spiritum nostrum obtinet, ut per hunc cætera comprehendantur. Jam ergo habet primitias oblatas Deo, qui dicit: « Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati (*Rom.* XVII), » et de quo dicitur: « Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (*Marc.* XIV). » Non solum, inquit, omnis creatura, id est cum corpore, sed etiam nos ipsi habentes primitias spiritus, id est nos animæ, quæ jam primitias mentes nostras obtulimus Deo, *in nobis ipsis ingemiscimus*, id est præter corpus, *adoptionem filiorum exspectantes corporis nostri redemptionem*, id est ut etiam ipsum corpus accipiens beneficium adoptionis filiorum, qua vocati sumus, totos nos liberatos, transactis omnibus molestiis, ex omni parte Dei filios esse manifestet. Non solum illa ingemiscit, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, id est qui jam spiritu ideo servimus, qui jam mente Deo credimus, et in ipsa fide primitias quasdam dedimus ut primitias nostras sequamur. Et nos ipsi primitias spiritus habentes, id est qui nondum quidem ex toto quod sumus, sed ex ea parte qua peccatoribus meliores sumus, Deo, non vanitati subditi sumus; hoc est, per primitias spiritus et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Videtur etiam specialiter designare apostolicam dignitatem in eo quod ait, *et nos ipsi primitias spiritus habentes*, id est qui primi Spiritum sanctum accepimus et digniora ejus dona habemus. Non solum, inquit, omnis creatura, id est omnis Ecclesia creata in operibus bonis, quæ subdita est nobis, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, id est nos apostoli qui ad hoc electi sumus, ut primitias spiritus acciperemus, et per hoc majores sumus quod ejus primitias habemus, vel quia primo venit in nos, vel quia dignius et evidentius dona sua declarat in nobis per genera linguarum, per sanationem infirmorum, per resurrectionem mortuorum, et per similia opera, et nos ipsi qui tanti sumus, qui jam primitiis sancti Spiritus acceptis lætamur, adhuc gemimus miserias habentes ut alii; gemimus intra nos, quia in nobis est unde gemamus. Vel quamvis non coram hominibus, tamen intra nos, id est in interiore nostro gemimus; nec fictus est gemitus noster, sed intra mentis arcana resonat. Et gemimus exspectantes adoptionem filiorum, quia nec dilatione nec adversitate frangimur, sed longanimiter et fortiter exspectamus adoptionem filiorum, id est ut secundum corpus accipiamus gloriam adoptionis, ut et anima et corpore toti simus immortales, et beati atque in omni substantia nostra appareamus adoptioni filii Dei. Hanc adoptionem exspectamus, scilicet redemptionem corporis nostri, id est ut et ipsum quod adhuc corrumpitur, incorruptibile fiat et immortale. Hæc est enim redemptio nostri corporis, ut ab omnibus molestiis redimatur, id est liberetur et veram salutem consequatur. Nondum enim habet salutem. Nam esuries et sitis interficit, si subventum non fuerit. Medicamentum enim famis est cibus, et medicamentum sitis est et potus, et medicamentum fatigationis est somnus. Si sepositis istis non sunt morbi, est sanitas. Si autem habes aliquid quod te possit interficere nisi manducaveris, noli gloriari de sanitate, sed gemens exspecta redemptionem corporis tui. Gaude redemptum, sed nondum re. Spe securus es. Etenim si non gemueris in spe, non pervenies ad rem.

Digitized by Google

« Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ « videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid « sperat? Si autem quod non videmus speramus, « per patientiam exspectamus. »

Quasi diceretur Apostolo : Quid tibi profuit Christus si adhuc gemis? et quomodo Salvator salvum te fecit? Qui enim gemit adhuc, ægrotat, subjunxit atque ait : *Spe enim*, etc. Ideo gemimus quia *spe salvi facti sumus*, ideo speramus nos salvandos, et quod speramus, jam quidem exspectamus, sed nondum tenemus; et donec teneamus, in tempore suspiramus, quia desideramus quod nondum tenemus. Nondum re salvati sumus, sed adhuc spe, quia nondum venit nostri gaudii plenitudo, nondum habemus corpus cœleste et spiritale, id est corpus angelicum in societate angelorum, sed speramus. Sed quidem jam habemus hanc salutem, hanc gloriam. Sed *spes quæ videtur, non est spes*. Et ideo nondum in re videmus ipsam salutem, quam in spe habemus. Certitudo quæ præsentialiter videtur, non est spes. Nam *quod videt quis, quid sperat?* Quod enim videtur, quare speratur? Non speratur, sed scitur. Sed *si* nos *speramus quod non videmus*, id est redemptionem corporis nostri et societatem angelorum, *per patientiam exspectamus* illud. Spes enim ad augmentum meriti operatur in nobis exspectationem futuræ salvationis, et etiam in ipsa exspectatione patientiam, quia invisibilem salutem, spe nos confortante, exspectamus longanimiter patiendo mala præsentia, et ideo gemere cogimur. In malis enim si quisquam patitur, non in bonis quibus fruitur, opus est patientia.

« Similiter autem spiritus adjuvat infirmitatem « nostram. Nam quid oremus sicut oportet nesci- « mus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus « inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit « quid desideret spiritus, quia secundum Deum po- « stulat pro sanctis. »

Spes nos adjuvat ut patienter exspectare possimus, similiter autem et spiritus. Et ideo de exspectatione vel patientia nihil nobis attribuimus, sed totum Deo, cujus beneficiis hæc possumus. Non solum enim spes nos adjuvat, sed etiam *Spiritus sanctus similiter adjuvat infirmitatem nostram*, quia charitatem nobis infundit, per quam nostra corroboratur infirmitas, ut patienter exspectare valeat salutem quam sperat. Similiter ut spes, adjuvat nos charitas, id est Spiritus sanctus non solum in adversitatum tolerantia, sed et in orationibus, quia nec bene orare sine eo possumus. Nam quia ingemiscimus et petimus liberari, spiritus adjuvat ne vel ante tempus liberari petamus, vel contraria nobis dari. Adjuvat infirmitatem nostram docens et faciens orare. *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse postulat pro nobis.* Nescimus prout oportet quid orare debeamus, quia molestiæ tribulationesque temporales plerumque prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ, et ad probandam exercendamque patientiam, cui probatæ et exercitatæ clarior merces superiorque servatur, vel ad quæcunque flagellanda et abolenda peccata, et tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni optamus tribulatione liberari. Quid enim nobis expediat, non satis scimus. Aliquando quod putamus obesse, prodest; et quod putamus prodesse, obest. Infirmi enim sumus; et quæ medicamenta nobis sint utilia, medicus quidem novit, nos autem ignoramus. In his ergo tribulationibus, quæ possunt et prodesse et nocere, quid oremus sicut oportet nescimus, et tamen quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infirmitatis sunt, universali humana voluntate, ut a nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc devotionis debemus Domino Deo nostro, ut si ea non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potius pia patientia malorum bona speremus ampliora. « Sic enim virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII). » Vel etiam dum beatam vitam petimus, in qua sumus immortales atque incorruptibiles corpore et spiritu, quantum ipsa est pax, quæ præcellit omnem intellectum, etiam ipsam in oratione poscendo, quid oremus sicut oportet nescimus; sed quidquid cogitationibus occurrit, abjicimus, respuimus, improbamus, non hoc esse quod quærimus novimus, quamvis illud nondum quale sit noverimus. Est ergo in nobis quædam, ut ita dicam, docta ignorantia, sed docta Spiritu Dei, qui adjuvat infirmitatem nostram. Nos nescimus quid oremus sicut oportet, sed ipse spiritus postulat pro nobis, id est postulantes nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Postulare enim nos facit, inspirans nobis desiderium etiam adhuc incognitæ tantæ rei, quam per patientiam exspectamus. Et facit postulare gemitibus inenarrabilibus. Quomodo enim narratur, quando desideratur, quod ignoratur? Quod utique si omnimodo ignoraretur, non desideraretur. Et rursus si videretur, non desideraretur, nec gemitibus quæreretur. Minor vero est qui postulat, quam qui postulatur. Quomodo ergo spiritus postulare dicitur qui minor non est? Indigentis enim certissimum indicium est, postulare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem, fas est credere Spiritum sanctum. Sed juxta quod præmisimus ipse postulat, qui ad postulandum eos quos repleverit, inflammat. Et ipse dicitur gemere, eo quod nos gemere faciat desiderio futuræ beatitudinis. Ita enim dictum est, postulat, quia postulare nos efficit, nobisque postulandi et gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio : « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* X). » Neque enim et hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus facit. Usitati enim sunt tales locutionum modi, quando per efficientem significatur id quod efficitur; sicut frigus pigrum dicimus, quia pigros facit; et diem tristem vel lætum, quia tristes vel lætos facit. Sic et Dominus Abrahæ dixit. « Nunc cognovi quod timeas Deum (*Gen.* XXII), » id est nunc

Digitized by Google

ut cognosceres feci. Secundum quam locutionem ipse qui est Dei sapientia, dixit se nescire diem vel horam finis sæculi (*Matth.* xxv). Quid enim potest esse quod ipse nesciret? Sed quia hoc utiliter discipulis occultabat, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram et Patrem solum scire dixit ipsum diem, quia eumdem Filium scire faceret. Eodem locutionis modo et Spiritus sanctus postulare vel gemere dicitur, quia eos in quibus habitat, postulantes et gementes facit. Vel appellatione Spiritus sancti designatur charitas, quæ per Spiritum sanctum diffusa est in cordibus nostris. Sanctus ergo Spiritus interpellat et pro nobis gemit, id est charitas interpellat, charitas postulat, charitas gemit, charitas orat. Contra hanc aures claudere non novit qui illam dedit, sed *qui scrutatur corda*, id est Deus, qui in occulto cogitationis suæ omnia cordium arcana videt, *scit quid desideret spiritus*, id est approbat et implet hoc quod spiritus facit nos desiderare, *quia secundum Deum*, id est secundum Dei voluntatem, *postulat pro sanctis*, id est postulare sanctos facit pro seipsis, vel spiritus, id est charitas, secundum Deum postulat pro sanctis, quia nihil petit charitas, nisi quod Deo gratum est, et ideo ipse scit, id est approbat desiderium seu petitionem ejus.

« Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et magnificavit. »

Dum patimur adversa, nescimus sicut oportet quid orare debeamus. Sed hoc pro certo *scimus quia diligentibus Deum*, ita ut ipsam dilectionem operibus probent, *omnia* vel adversa vel prospera *cooperantur*, id est simul fiunt *in bonum*. Passivam enim significationem hoc loco habet quod dictum est, cooperantur. Et dilectoribus Dei omnia cooperantur, id est simul fiunt cuncta in bonum, quia in bonum vertuntur illis omnia quæcunque ipsis accidunt, non solum illa quæ appetuntur ut molesta. Usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis, proficiat in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores, et robustius atque cautius post insistunt bonis actibus. Vel diligentibus Deum omnia cooperatur ipse Deus in bonum, sive Spiritus sanctus, de quo supra dictum est, qui et Deus est. Cooperatur enim Deus, id est cum electis suis operatur, dum illi agunt et ipse cum eis. Et ita cooperatur eis, ut omnia vertat in bonum et utilitatem eorum. Sed quia nonnulli diligunt Deum, et in eo bono quod cœperunt non permanent usque in finem, mox determinando subditur : *his qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Hi enim in eo, quod diligunt Deum, permanent usque in finem ; et qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant quod in bono esse cœperunt. Nam secundum propositum occultissimæ justitiæ bonitatisque suæ Deus quos prædestinavit, ipsos vocat et justificat et glorificat. Proposuit enim Deus illos ad vitam venire, cujus propositum mutari non potest. Secundum hoc propositum, non secundum suum meritum vocati sunt a Deo per prædicatores ut sancti sint. Et vere secundum Dei propositum, nam quos præscivit, etc. Ordo est : *Nam quos præscivit conformes fieri imaginis Filii*, id est imitatores futuros Christi, *etiam prædestinavit*, illos hoc fore, ita ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, id est primatum habens in collegio sanctorum, et jure hæreditatem patris obtinens, aliisque fratribus dispertiens. Secundum propositum sunt vocati, id est quod vocati sunt, non aliunde est quam a præordinatione Dei. Nam Deus, quos ab æterno præscivit fieri conformes Filii sui, etiam prædestinavit, id est per appositam gratiam præparavit illos, ut verbo prædicationis crederent. Prædestinatio est gratiæ præparatio, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus. Unde dictum est : Fecit quæ futura sunt, præscire autem potest etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ, ut dixi, præparatio est. Gratia vero est ipsius prædestinationis effectus. Hæc est prædestinatio sanctorum, præscientia scilicet et præparatio beneficiorum Dei, de quibus certissime liberantur quicunque liberantur. Ex his enim qui prædestinati sunt nullus cum diabolo perit, nullus usque ad mortem sub diaboli potestate remanebit. Horum enim si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia falli non potest qui prædestinavit eos. Quod autem ait prædestinatos conformes fieri imaginis Filii Dei, potest secundum interiorem hominem intelligi, ut in mente conformemur illi. Potest et sic accipi, ut quemadmodum nobis ille mortalitate, ita nos illi efficiamur conformes immortalitate. Secundum hanc imaginem Filii, cui per immortalitatem conformamur in corpore, etiam illud agimus quod item dicit Apostolus : « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est (*I Cor.* xv), » ut scilicet qui secundum Adam mortales fuimus, secundum Christum immortales nos futuros fide vera et spe certa firmaque teneamus. Sic enim nunc eamdem imaginem portare possumus nondum in visione, sed in fide ; nondum in re, sed in spe. De corporis quippe resurrectione tunc loquebatur Apostolus, cum hæc diceret, deinde *ut sit*, inquit, *ipse primogenitus in multis fratribus*. Secundum id quod unigenitus est, non habet fratres; secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes qui post ejus et per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum. Primogenitus enim dicitur respectu fratrum consequentium in id quod ipse præ-

Digitized by Google

cessit. Unde et alio loco primogenitum eum a mortuis dicit, ut sit ipse primatum tenens, quia resurrectio mortuorum, ut jam non moriantur, ante illum nulla; post illum autem, multorum sanctorum est. Dixi quia quos præscivit et prædestinavit, *quos autem prædestinavit, hos et vocavit.* Hic subaudire debemus, secundum propositum. Sunt enim et alii vocati, sed non electi, ac per hoc non secundum propositum vocati, *et quos vocavit*, hoc est secundum propositum, *hos et justificavit.* Quomodo si aliquis imperator disponeret aliquem infimum sublimare ad consulatum, et daret illi sumptus quibus se præparet idoneum, et ornaret ut digne promoveri posset ad tantum honorem; ita Deus illis quos prædestinavit ad vitam, dat virtutum et bonorum operum gradus, per quos ad tantam sublimitatem possint erigi. Vocat enim illos et justificat et magnificat. Et hæc sua dona quibuscunque ipse donavit, procul dubio se daturum esse præscivit, et in sua præscientia præparavit. Quos ergo prædestinavit, ipsos et vocavit vocatione illa de qua dictum est, sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei. Nam in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera sua disponere, in Domino nec aliud quidquam est prædestinare. Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos et vocavit; nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos et justificavit; nec alios, *sed quos* prædestinavit et vocavit *et justificavit, illos et magnificavit*, sive glorificavit. Prædestinatio nostra in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in ejus præscientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt, vocatio et justificatio et magnificatio. Vocamur prædestinatione pœnitentiæ, justificamur innovatione misericordiæ et timore judicii, magnificamur profectu virtutum, sive glorificamur æterna beatitudine. Ista omnia jam facta sunt, prædestinavit, præscivit, vocavit, justificavit, magnificavit, quoniam omnes jam præsciti ac prædestinati sunt, et multi jam vocati atque justificati et magnificati sunt, quamvis adhuc usque in finem sæculi multi vocandi et justificandi sint atque magnificandi. Verba tamen præteriti temporis, posita sunt de rebus etiam futuris, tanquam jam fecerit Deus, quæ jam ut fierent, ex æternitate disposuit qui fecit quæ futura sunt. Quicunque ergo Judæi providentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, justificati, magnificati vel glorificati sunt; non etiam nondum renati, sed etiam non nati, jam filii Dei sunt, et omnino perire non possunt. Talibus ipse Deus omnia cooperatur in bonum.

« Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, « quis contra nos? Qui etiam proprio Filio non pe- « percit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo- « modo non etiam cum illo omnia nobis donavit. »

Quoniam quidem Deus tot et tanta beneficia nobis contulit, non pro meritis nostris, sed pro gratia, *ergo quid dicemus ad hæc* tam magna ejus dona? Videlicet dicemus ulterius, quod aliquid a nobis habeamus? Non, sed omnia gratiæ Dei ascribemus. Et si Deus gratuito munere suo tanta nobis confert, A quis poterit nobis quidquam horum auferre? vel quis poterit ejus voluntati resistere, qui nos ad gloriam præordinavit perducere? *Si Deus pro nobis, quis contra nos erit?* Deus pro nobis ut prædestinaret nos, Deus pro nobis ut magnificaret sive glorificaret nos. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Si Deus in his omnibus pro nobis est, qui nobis vult adversari, paret se, si potest bellare adversus Deum. Non enim lædit nos, nisi qui Deum vincit. Et quis est qui vincit Omnipotentem? Quicunque reluctari voluerit, sibi nocet. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Etiamsi totus mundus contra nos insurgat et omni genere tormentorum in nos sæviat, quid totus mundus, quando pro nobis est per quem factus est mundus? Quid est omnis qui Deo nititur resistere B paranti nos ad regnum perducere? *Qui etiam Filio proprio*, id est non adoptivo, sed naturali et consubstantiali *non pepercit, sed pro nobis omnibus*, id est pro nostrum omnium salute, *tradidit illum*, id est exposuit in mortem. Et qui illud quod majus est dedit nobis, id est Filium, etiam illud quod minus est dabit nobis, id est regnum suum. Nam qui Filium dedit quomodo aliquid negare potuit? *Quomodo non etiam omnia donavit nobis cum illo?* Ubi enim dedit nobis illum in quo omnia bona sunt, ibi cum illo omnia nobis utilia dedit, id est fidem, remissionem peccatorum, perfectionem virtutum, diversa dona sancti Spiritus, et in futuro sæculo beatitudinem sempiternam. Et tunc qualis erit spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec sub quo jaC ceat, nec cui cedat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet pacatissima virtute perfectus? Rerum ibi omnium quanta, quam speciosa, quam certa scientia, sine errore aliquo vel labore, ubi Dei sapientia de ipso suo fonte potabitur cum summa felicitate, sine difficultate? Quale erit corpus, quod omni modo spiritui subditum, et eo sufficienter vivificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine ulla carnali corruptione, substantiam. Cum enim beatitudinem illam obtinuerimus, tunc habebimus omnia. Nostra quippe erunt ad vivendum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad damnandum inferiora. Sic enim D habentur ibi omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum.

« Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui « justificat. Quis est qui condemnet? Christus Je- « sus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui « est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro « nobis. »

Vere salutem et omnia bona cum Christo Deus nobis donavit, et habebimus illa. Nam quis nos accusabit, ut faciat nos his privari? Quis adversus, id est quis contrarius accusabit electos Dei, quos secundum immutabile propositum vocavit? Vel *quis accusabit*, id est quis accusationem deferet *adversus electos Dei?* Nullius accusatio nocere illis poterit. Diabolus quidem nititur eos accusare. Sed quis est

Digitized by Google

diabolus, vel quæ ejus accusatio adversus eos, quos Deus eligit? ejus accusatio contra eos non valet. Quis ergo accusabit eos? *Deus?* Non; quia ipse *justificat eos*. Et repugnans est, ut quos justificat, illos accuset. Deus non vult illos accusare, alius non potest. Et cum nullus accuset, *quis est qui condemnet* eos? Nullus. Num condemnabit eos *Jesus Christus?* Nequaquam rex salvator condemnabit eos, *qui mortuus est* ut ipsi vivant. Dico mortuus est, ut nos peccato moriamur; imo ut majus beneficium designem, dico quia etiam *resurrexit* ut nos cum eo resurgamus, et primæ resurrectionis participes simus. Qui et in cœlum sublimatus est *ad dexteram Dei*, ut nos post se elevet, et dexteram partem, quæ perpetuam beatitudinem designat, tenere faciat (*I Joan.* II). Potens est subvenire suis, quia est ad dexteram Dei, id est omni creaturæ prælatus, et in honore positus in quo Pater est, *quia etiam interpellat pro nobis*, quia hunc habemus apud Patrem advocatum et intercessorem. Unigenitum enim Filium pro hominibus interpellare, est apud coæternum Patrem, seipsum hominem demonstrare; eumque pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione; quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberavit.

« Quis ergo nos separabit a charitate Christi? « Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, « an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, « æstimati sumus ut oves occisionis (*Psal.* XLIII). « Sed in his omnibus superamus propter eum qui « dilexit nos. »

Quandoquidem Christus pro nobis mortem pertulit, et adhuc interpellat pro nobis, *ergo quis separabit nos a charitate Christi?* id est quis poterit separare nos ab amore quo diligimus Christum? Nullus hoc facere poterit. Num faciet hoc *tribulatio*, id est corporis afflictio? Nequaquam. *An angustia*, id est mentis anxietas hoc facere poterit, ut non diligamus Christum? Minime. *An persecutio*, id est de loco ad locum expulsio, separabit nos a Christi dilectione? Non. Etsi omnimodam tribulationem sustineamus, etsi animi angustia torqueamur, etsi nos adversarii per diversa loca persequantur, nunquam a Christi amore divelli poterimus. *An* nos ab eo *fames* separabit, id est desiderium comedendi sine abundantia cibi? Absit! *An nuditas*, id est penuria vestis hoc faciet? Nequaquam. *An periculum*, id est apparatus mortis nos dividet a Christo? *An gladius*, id est ipsa mors gladio facta valebit hoc facere? Nequaquam. Per hæc septem designantur universa quæ nos in hoc sæculo possunt affligere, quia septenarius universitatem solet exprimere. Sed nullum horum poterit nos ab amore Christi separare, si electi sumus. Et hoc dico *sicut scriptum est* de nobis, ubi vox nostra exprimitur, dicens Christo: *Quia propter te mortificamur* quoniam a te separari non possumus. Non propter crimen, non propter humanum favorem, sed propter te mortificamur. Hæc est causa martyrum. Propter te a quo nolumus separari, mortificamur, id est variis pœnis affligimur, *tota die*, id est toto tempore illuminationis nostræ, ex quo de tenebris ad lucem venimus. *Æstimati* enim *sumus* ab adversariis nostris *sicut oves occisionis*, id est æstimant nos sine respectu misericordiæ debere occidi, cum nec resistamus eis, sed in simplicitate et mansuetudine nostra innocenter mori simus parati. Hæc omnia pro Christo patimur, nec ab his superamur, *sed in omnibus his superamus*, id est superiores et victores efficimur, non propter nostras vires, sed *propter eum qui dilexit nos*, quia dum in illius amore pendemus, sensum doloris non recipimus. Illius enim charitas qua nos dilexit, et nostrum ad se affectum rapuit, cruciatum corporis et dolorem sentire nos non sinit.

« Certus sum enim quia neque mors, neque vita, « neque angeli, neque principatus, neque virtutes, « neque instantia, neque futura, neque fortitudo, « neque altitudo, neque profundum, neque creatura « alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est « in Christo Jesu Domino nostro. »

Vere nihil nos separabit a charitate Dei, nam inde certus sum. Non opinor, sed *certus sum*, id est pro certo et constanti firmiter teneo quod *neque mors* ulla, *neque vita* temporalis promissa, nec aliquid eorum quæ subduntur, poterit nos separare ab amore Christi. Nemo nos separabit inde minando mortem, quia id ipsum, quod diligimus, Deum, mori non potest. Nemo inde separat nos pollicendo vitam, nemo enim ab ipso fonte separat nos aquam pollicendo. Non separat inde qui minatur mortem, quia qui credit in Christum, licet moriatur, vivit. Neque qui pollicetur vitam, quia Christus vitam dat æternam. Et ideo temporalis vitæ pollicitatio, æternæ comparatione, contemnenda est. *Neque angeli* separant inde, sive boni sive mali, quia etiam si boni angeli dicerent ut Christum non amaremus, quod nunquam docent, non eis acquiesceremus. Licet, inquit, angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod accepistis, anathema sit (*Gal.* I). Non igitur angelus aliquis inde separat, quia non est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. *Neque principatus*, id est illi angeli qui habent principatum super alios, sive bonos, sive malos. In utrisque enim præminent alii aliis. Et Dominus contrarios principatus exspoliavit, triumphans illos in semetipso. Boni vero principatus nunquam nos ab illo separare volent, quorum maximum studium est, subjectos ad eum reducere. Nec etiam *virtutes* inde separant, id est adhuc sublimiores angelicæ fortitudines, quia si bonæ sunt, favent nobis ut conjungamur Deo; si vero malæ, reprimuntur ab eo. Enumerabo omnibus adversis quæ in terra sunt, ascendit in cœlum; et ostendere volens quia parum est si contemnat terrena supplicia propter Christum, adjungit etiam hoc, quia *neque angeli*, *neque principatus*, *neque vir-*

Digitized by Google

tutes, etc. Quod autem dicit, tale est : Non solum homines abstrahere me non possunt ab amore Christi, sed ne angeli quidem neque omnes simul cœlorum virtutes, si conveniant in unum, nec si a regno decedere me necesse sit, aut etiam in gehennam trudi pro Christo. Quod enim ait, altitudo et profundum, et vita et mors, regnum cœlorum et gehennam designare videtur. Hæc autem dicit, non quod angeli affectare possint aliquando eum a Christo separare, sed etiam ea quæ impossibilia sunt, fieri posse dicit magis quam se a Christi amore sejungi, ut per hæc quanta in eo vis esset Dei charitatis, ostenderet. *Neque instantia* adversa separant nos inde, hoc enim leviora eo sentimus, quo ei, a quo nos separare moliuntur, arctius inhæremus. *Neque futura*, id est futurorum promissio, separat inde, quia quidquid boni futurum est, certius promittit Deus; et nihil est ipso Deo melius, qui jam profecto bene sibi inhærentibus præsens est. Neque instantia, id est aliqua imminentia præsentialiter adversa vel prospera, neque futura bona vel mala separant nos a Christo, hoc est nec præsentia nec futura temporalia, quæ vel delectant, vel premunt, vel spem dant, vel timorem incutiunt. *Neque fortitudo* alicujus fortiter nobis violentiam inferentis separat inde, quia ille cui inhæremus fortior est omnibus. *Neque altitudo*, id est si quis nos in altum levaverit, ut durius præcipitet. *Neque profundum*, id est si quis nos in profundum maris demerserit, aut in imum carceris deposuerit. Sive altitudo, id est sublimitas mundani honoris promissa; et profundum, id est ultima dejectio extremæ calamitatis, quæ in hoc mundo perferri potest, comminata. Vel altitudo et profundum, id est sublimitas eloquentiæ sæcularis, et profunda perscrutatio naturalium rerum. Sive etiam altitudo et profundum, id est inanis curiositas earum rerum, quæ vel in cœlo vel in abysso sunt aut esse putantur. Sed quocunque modo sublimitas et profundum intelligatur, non poterit nos ab amore Christi separare. *Neque creatura alia*, id est creatura visibilis, quia et nos sumus quidem creatura, sed visibilis. Et ideo alia creatura, id est diversa ab interiori homine nostro, quo Christum diligimus, non nos ab amore ejus dividet, quia amor corporum qui per creaturam aliam exprimitur, non hoc faciet. Vel alia creatura melius intelligitur de his dici, quæ non sunt. Et ea ergo quæ non sunt commemorat, ut ostendat quia etiam si essent ea quæ non sunt, se tamen movere a proposito aut mutare non possent. Certus sum, inquit, quia nihil horum quæ enumeravi, *poterit nos separare a charitate Dei*, qui omnibus melior est, et tot tantaque beneficia nobis contulit *quæ* charitas est nobis *in Christo Jesu Domino nostro*, quia nobis charitatem suam in Christo Pater ostendit, quem pro nobis tradidit; et nemo Patrem diligere potest, nisi Christum dilexerit.

A

B

C

D

CAPUT IX.

« Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior, « testimonium mihi perhibente conscientia mea in « Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna, « et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego « ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, « qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt « Israelitæ, quorum adoptio est filiorum et gloria et « testamentum et legislatio et obsequium et pro- « missa, quorum patres, ex quibus est Christus se- « cundum carnem, qui est super omnia Deus bene- « dictus in sæcula, amen. »

Modo nihil potest me et alios electos a Christo separare, sed olim fui ab eo separatus, et optabam semper esse alienatus, unde nunc doleo, sicque mala vertuntur in bonum. *Nam veritatem dico*, etc. Vel ita continuatur: Certus sum quod nihil poterit nos ab amore Christi separare, cum ex supradictis beneficiis, quia nos præscivit et prædestinavit et vocavit et justificavit; tum ex hoc quod cum essem persecutor Ecclesiæ Dei, nullo modo potui fideles ab ejus charitate quantumcunque laboravi divellere, ut modo multum inde doleam, quod tantam crudelitatem in eos exercuerim. Nam ego existens *in Christo*, id est in corpore Christi, *dico vobis veritatem* ita puram quod *non mentior* sicut nonnulli qui dum vera loquuntur, intermiscent falsa. Et quia nonnulli vera loqui videntur, qui non ita habent in corde, adjungo me veritatem ore proferre, *testimonium perhibente mihi conscientia mea*, quia, etsi vos non creditis, mea tamen conscientia mihi testis est quia verum dico; et testatur hoc non in sua auctoritate, sed in Spiritu sancto, qui facit eam hoc testari. De hoc dico tam firmam veritatem, *quia tristitia est mihi* non exigua, sed *magna et dolor* non horarius, sed *continuus cordi meo*. Et cur est mihi nunc tanta tristitia et tam longus animi dolor? Inde scilicet quia *ego ipse* qui modo sum tantus apostolus, ante fidem non solum volebam, sed et *optabam esse anathema*, id est alienatio aliorum *a Christo*, ut alienatos et divisos vel separatos a Christo facerem illos. Et hoc optabam *pro fratribus meis*, id est pro Judæis, qui mei sunt fratres in lege, quorum legem volebam defendere, *qui sunt cognati mei secundum carnem*, et ideo amplius juvandi erant, quia omnium commoda quærere debemus, sed maxime consanguineorum. Sed ego male juvabam eos, quia impediebam illos, ne in Christum crederent, *qui sunt Israelitæ*, id est de genere Israel descendentes. Vel aliter: Affectum suum erga Judæos ostendit Apostolus, dicens et juramento confirmans, se eorum causa plurimum contristari, quod Christo credere noluerunt, qui eis fuerat repromissus et ad eos venit missus. Tristitia, inquit, est mihi non levis, sed magna et dolor continuus cordi meo, non qui ad horam pungat et transeat, sed qui jugiter maneat. Doleo genus meum beneficio Christi privari. Optabam enim, id est jamdudum optare cœpi ego ipse esse anathema, id est alienatus a Christo pro fratribus meis Judæis, ut ipsi adhærerent Christo; optabam perire, ut illi salvarentur. Juxta hunc sensum

Digitized by Google

et beatus Michæas, cum multa mala Judæis ventura prophetaret, ait: « Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer. » (*Mich.* II.) Amore enim gentis suæ voluit se alienum esse a Spiritu sancto et falsiloquum, dummodo plagas illas et captivitates et exitia, quæ ipse sua vaticinatione prædixerat, plebs Judaica evaderet. Sicut ergo Michæas a Spiritu sancto alienus fieri voluit præ amore plebis suæ, ita Paulus anathema, id est alienus optavit fieri præ nimietate dilectionis fratrum suorum. Par est enim alienum esse a Spiritu sancto, et alienum a Christo. Moyses quoque pro eodem populo mirabiliter intercessit, objiciens semetipsum pro eis, dicens: « Si dimittis eis peccatum, dimitte; si autem non vis, dele me de libro tuo, quem scripsisti (*Exod.* XXXII). » Ubi demonstratum est, intercessio sanctorum quantum pro illis valeat apud Deum. Securus enim Moyses de justitia Dei quæ eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos quos juste posset, deleret. Intercessit ergo paratior deleri pro ipsis quam ipsos, sciens apud misericordiam se id agere, quæ quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis parceret propter ipsum. Sed si consideremus Moysis vocem interœdentis, perspiciemus eumdem et Moysis et Pauli erga creditum sibi gregem affectum. « Pastor enim bonus ponit animam suam pro ovibus (*Joan.* X). » Et hoc ipsum est dicere: « Optabam anathema esse a Christo; » et: « Dele me de libro quem scripsisti. » Qui enim deletur de libro Dei, anathema fit a Deo. Simulque cernamus Apostolum, quantæ charitatis in Christo sit, ut pro illo cupiat mori et solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem non in perpetuum, sed inpræsentiarum. Vult perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur. Anathema enim interdum occisionem sonat, sicut et hoc loco. Optat ergo pro salute fratrum anathema esse, imitari volens Dominum, qui et ipse, cum non esset maledictio, pro nobis factus est maledictio. Scriptum enim de illo fuit: « Maledictus a Deo qui pendet in ligno (*Deut.* XXI; *Gal.* III). » Et sicut Christus fuit maledictus a Deo, sic Apostolus anathema a Christo. Hoc est etiam hic anathema, quod ibi maledictus; et hoc est hic a Christo, quod ibi a Deo. Christus enim in cruce pendens fuit maledictus, id est morti addictus a Patre, et Paulus in passione martyrii fuit anathema a Christo, id est alienatus atque privatus vita, volente Christo. Optabam enim anathema esse a Christo pro fratribus meis, ut illi non essent a Christo alieni, qui sunt cognati mei, non secundum spiritum, sed secundum carnem, quia in spiritu sunt a me alieni. Affectum suum, ut diximus, circa illos ostendit, et multa de illis præconia enumerat, ut omnibus pro illis dolorem incutiat, quia tanto pejores sunt etiam gentibus. *Quorum*, inquit, *est adoptio filiorum*, de quibus quondam Dominus loquebatur: « Filius meus primogenitus Israel (*Exod.* II); » et: « Filios enutrivi et exaltavi (*Isa.* I), » *et quorum gloria*, ut de cunctis gentibus eligerentur in peculiarem populum Dei, *et quorum testamenta*, unum in littera, alterum in spiritu, ut qui prius in carne servierant cæremoniis legis abolitis, postea servirent in spiritu mandatis Evangelii sempiterni. Testamenta enim ad illos præcipue pertinent, quia et Vetus Testamentum illis est datum, et Novum in Veteri figuratum, *et quorum est legislatio*, id est Veteris ac Novi Testamenti datio, quia in Veteri datum est eis et Novum. Vel legislatio, id est Mosaicæ legis datio, *et quorum est obsequium*, id est exsecutio mandatorum cœlestium, et cultus Dei, *et quorum sunt promissa divina*, ut quidquid promissum est patribus, compleatur filiis, nisi culpa eorum obstiterit. Multæ enim de Christo promissiones factæ sunt patribus eorum, *quorum patres* sunt illi nominatissimi, quos Vetus Scriptura laudat, et quod majus est omnibus, *ex quibus est Christus secundum carnem* de Maria virgine natus. *Quorum patres*, ecce laus a prioribus; *et ex quibus Christus*, ecce laus a posterioribus. Ex eis, id est ex genere eorum, est Christus secundum carnem, *qui* factus est ex semine David secundum carnem, sed ex natura suæ divinitatis, in qua est æqualis Patri, *est ipse super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* Per hoc enim quod Deus super omnia dicitur, Deus naturaliter esse ostenditur. Deus enim aliquando nuncupative, aliquando vero essentialiter dicitur. Nuncupative, sicut Moysi dictum est: « Ecce constitui te Deum Pharaonis (*Exod.* VII). » Essentialiter sicut ait: « Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob (*Exod.* III). » Qui vero nuncupative dicitur Deus inter omnia, qui autem essentialiter dicitur Deus, super omnia. Ut ergo Paulus ostenderet Christum naturaliter Deum, non hunc Deum tantummodo, sed super omnia Deum memoravit. Quia et electus quisque, sicut præmisimus, vel in exemplo prærogando positus, dici Deus potest, sed inter omnia, quantum nuncupative; Christus autem Deus super omnia, quia naturaliter Deus. Et hoc *Amen*, id est vere. Et propterea est dolor cordis Apostolo, quia iste tantus ac talis non recipitur a Judæis, de quorum stirpe generatus est. Et in quibus tanta fuerunt bona, dolet cur tanta nunc mala sint. Nihilominus tamen laudat judicii veritatem, ne sententia Dei in propinquos et fratres suos displicere videatur, et vel austera esse vel nimia. Nam subdit:

« Non autem quod exciderit verbum Dei. Non « enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: ne- « que qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in « Isaac vocabitur tibi semen. Id est non qui filii « carnis, hi filii Dei; sed qui sunt promissionis, « æstimantur in semine, promissionis enim verbum « hoc est: Secundum hoc tempus veniam, et erit « Saræ filius. »

Doleo, inquit, de perditione istorum, sed non ideo *quod exciderit verbum Dei*, id est non propterea quod evanuerit promissio Dei, qui semen Abrahæ

Digitized by Google

salvari promisit. Non ob hoc tamen contristor, quod A exciderit verbum Dei, quia non excidit, non irritum est deductum, sed ratum et stabile manet, licet quidam illorum non crediderint, quia verbum promissionis non est factum Judæis tantum, sed electis. *Non enim omnes qui* sunt *ex Israel*, id est ex carnali stirpe Jacob, *hi sunt Israelitæ*, id est per meritum fidei et justitiæ in Israelitica sorte numerandi; neque quia semen sunt secundum carnem, idcirco omnes filii sunt. Multi enim ex eo carnaliter procreati sunt, qui non censentur ejus filii, sicut omnes quos Cethura peperit vel filius Agar. Itaque verbum Dei excidere, esset promissa non impleri. Sed volens Apostolus ostendere quia non excidit verbum divinæ promissionis, non enim omnes, inquit, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: *neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen.* Hic enim declarat illos, qui non crediderunt, non esse Israelitas vel filios Abrahæ, nec Deum promisisse vel decrevisse illos fore salvandos. Et ideo incipit ratiocinari, quare alto et justo judicio Dei, repulsis illis gentes sint intromissæ. Non omnes illi sunt filii, et idcirco habituri hæreditatem aut salutem, sed in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen, *non qui filii carnis, hi sunt filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* In Isaac quippe, qui Abrahæ promissus est filius, præfigurati sunt; non qui se justos ipsos, sed quos Deus fuerat ipse facturus. Propter quod et filii promissionis dicuntur, ac per hoc ipsi filii promissionis, C ut sint semen Abrahæ, in Isaac vocantur, id est in Christum, vocante gratia, congregantur. Filii enim carnis pertinent ad terrenam Jerusalem, quæ servit cum filiis suis; promissionis autem filii ad eam quæ sursum est, liberam matrem nostram æternam in cœlis. Hi ergo vere sunt filii Abrahæ, qui gratuito Dei munere sicut Isaac promittuntur, et gratuito ejus munere boni efficiuntur. Nam sicut Isaac non meruit, ut nasciturus promitteretur, sic et isti. Et vere promissus est Abrahæ filius. Nam *hoc est verbum promissionis*, id est in hoc verbo promisit Deus: *Secundum hoc tempus veniam*, id est revoluto anno, ostendam me tibi adesse in effectu virtutis, et erit tunc *Saræ filius* in utero. Secundum hoc, inquit, tempus veniam, ut verbi gratia, si tunc D ver erat vel autumnus, sequenti anno veniret in vere vel autumno. In hac sententia contendit Apostolus ostendere, quomodo Isaac non filius sit carnis, sed Filius Dei, rediens ad ea quæ de ipso in Genesi scripta sunt. *Promissionis*, inquit, *verbum*, etc. Non ergo per ordinem nativitatis carnalis, Isaac natus est, quippe cum et Abraham emortui jam corporis haberetur, et vulva Saræ esset emortua, sicut superius ostensum est; sed per virtutem ejus qui dixit: *Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ filius*, id est habebit Sara filium. Merito igitur non carnis, sed Dei Filius esse dicitur, qui et adventu et sermone Dei nascitur, ac propterea spiritales Ecclesiæ filios aptissime præsignat.

« Non solum autem, sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri (*Gen.* xxv). Cum « enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent « boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet minori, « sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio « habui (*Malac.* i). »

Isaac qui promissus est, utique nullis operibus promeruerat ut nasciturus promitteretur, ut in Isaac vocaretur semen Abrahæ, id est illi pertinerent ad sortem sanctorum, quæ in Christo est, qui se intelligerent filios promissionis, non superbientes de meritis suis, sed gratiæ vocationis deputantes, quod cohæredes essent Christi. Cum enim promissum est B ut essent, nihil utique meruerunt qui nondum erant. Promissus, inquam, est Isaac. Sed *non solum* ille promissus est, qui reprobato Ismaele solus possideret hæreditatem patris, *sed et Rebecca* promissionem similem divinitus accepit, *habens* in utero geminos *ex uno concubitu Isaac patris nostri* quem ut patrem habemus imitari. Ex uno concubitu habuit eos Rebecca, ut non solum de suis, neque de parentum meritis, sed nec de ipsius quidem unius patris mutata sorte in melius voluntate gloriaretur Jacob, dicens ideo se a Creatore dilectum, quia pater ejus quando eum seminavit, melioribus laudabilioribusque moribus fuit. *Ex uno*, inquit, *concubitu*. Unum tunc ad seminandos eos meritum patris, unum ad concipiendos meritum matris. Simul enim ambo sunt uno tempore concepti. Promissio facta Saræ vel Abrahæ, ostendit quod nullus propter genus salvatur; ista Rebeccæ, quod propter nullum meritum suum vel parentum aliquis eligitur, sed sola gratia. Vel ne quis diceret quod Ismael ex ancilla concubina genitus non debuit hæres fieri, sed Isaac ex libera uxore natus, quod scilicet ille per indignitatem matris sit hæreditate privatus, et iste non per Dei gratiam, sed per matris meritum et dignitatem sit hæres effectus, proponit Apostolus exemplum de aliis duobus, id est de Esau et Jacob, in quibus unum fuit meritum patris et matris, et ex quibus alter reprobatus est, alter vero sola gratia electus. Et hi duo sicut duo filii Abrahæ, tenuerunt figuram reprobandorum et salvandorum. Diximus quod Rebecca geminos in utero portans, accepit divinitus promissionem, in qua declaratum est, quod alter eorum reprobandus esset, et alter eligendus. Nam dictum est ei, quia major serviet minori. Et tunc facta est hæc promissio, quando nec boni nec mali quidquam adhuc fecerant filii. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni vel mali*, quia et in utero videri possent aliquid meruisse luctando, dictum est ei, id est matri, quia « major serviet minori (*Gen.* xxv). » Ideo tunc dictum est, *ut propositum*, id est præfinitio vel præordinatio Dei, *maneret*, id est impleretur et rata constaret *secundum electionem*, id est secundum gratiam, qua eligit quos eligit. Et dictum est, *non ex operibus* patris vel matris,

Digitized by Google

nec ex futuris operibus filiorum, *sed ex vocante*, id est ex Deo qui per gratiam vocabat Jacob. Nam si futura opera vel bona hujus vel mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vellet Apostolus intelligi, nequaquam diceret, non ex operibus, sed diceret, ex futuris operibus, *dictum est ei*, inquit, *quia major* id est Esau qui erat primogenitus, *serviet minori*, id est Jacob. Hic jam servitus unius, et libertas alterius prænuntiata est. Et utique servitus actionem iniquitatis hoc loco designat, libertas vero actionem justitiæ. Nam si ad corpoream servitutem respiciamus, magis videbitur Jacob illi servisse, quam ipse Jacob. Jacob quippe de Mesopotamia rediens, obtulit ei multa munera, et dominum eum vocavit, et humiliter adoravit. Quomodo igitur servivit ei Esau, nisi affligendo eum et premendo ac persequendo? Unde Salomon ait: « Qui stultus est, serviet sapienti (*Prov.* XI). » Quia contra sapientis vitam dum stultus præeminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine urendo purgat. Stultus ergo sapienti et dominando servit, quem ad meliorem statum premendo provehit. Et juxta hunc modum Esau fratri suo servivit. Secundum litteram autem Esau, id est populus Idumæorum, qui de Esau descendit, servivit minori, id est subditus fuit populo Judaico. Allegorice vero Esau, id est populus Judæorum, qui fuit primogenitus, servivit minori, id est populo Christianorum, qui secutus est. In qua sententia beatus Apostolus etiam testimonium Malachiæ longe posterioris assumpsit, ut intelligeremus hoc apertum postea per prophetam, quod antequam illi nascerentur, erant Judæi prædestinatione per gratiam. Ita, inquit, dictum est, « quia major serviet minori » *sicut scriptum est*, id est sicut in Genesi legitur, et sicut Malachias (*Malac.* I) longe post de hac re antiquum Dei consilium declaravit, dicentis: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hoc enim quod dicitur, sicut scriptum est, et ad librum Genesis, et ad scripturam Malachiæ refertur. Quid vero Deus diligebat in Jacob antequam fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Quid autem oderat in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam nec in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat. Nam antequam nascerentur, nihil boni vel mali fecerant. Quo dicto declaratur quia nec in utero peccaverunt, aut justitiam fecerunt, nec in cœlo animæ ipsorum ante corporum societatem conversatæ sunt, secundum fabulas gentilium. Nam si animæ illorum in cœlo fuissent antequam corporibus sociarentur, fecissent utique ibi aliquid boni vel mali. Sed nihil fecerant. Unde patet, nec illorum animas in cœlo unquam ante nativitatem fuisse. Nihil egerant, et quantum ad originale peccatum attinet, ambo pares erant, quantum autem ad proprium ullius eorum, nullum erat. Et tamen unus eorum eligitur, alter reprobatur; unus succedit in hæreditatem, alter exhæredatur. Non facit Deus populum suum de Esau, sed facit de Jacob. Semen unum, diversi qui concepti sunt; unus uterus, diversi qui nati sunt. Dum essent in utero, dictum est matri, « quia major serviet minori; » et dictum, non ex operibus, sed ex vocante, id est ex eo qui vocando ad fidem gratis justificat impium, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ vel naturæ, compar enim esset in utroque mortis damnationisque conditio, sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed facit. Propositum justificationis manet non secundum debiti, sed secundum gratiæ electionem, qua eligendos facit Deus, non invenit, quia nequaquam invenit opera bona in hominibus quæ eligat, sed facit ut ipsi faciant opera quæ possit eligere. Nemo autem eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur. Et propterea electionem præcedit justificatio. Et tamen ex his duobus antequam aliquid egissent, alter electus est, et alter repulsus, ut intelligat Jacob ex illa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem, cum quo habuit communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.

« Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud « Deum? Absit! Moysi enim dicit: Miserebor cui « miserebor, et misericordiam præstabo cui misere- « bor (*Exod.* XXXIII). Igitur non volentis neque « currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scri- « ptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut « ostendam in te virtutem meam, et annuntietur « nomen meum in universa terra (*Exod.* IX). Ergo « cui vult miseretur, et quem vult indurat. »

Cum rem stupendam proposuisset Apostolus, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni vel mali, recte dici potuerit, quod unum Deus dilexerit, et alterum odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris. *Quid ergo dicemus*, inquit, *Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit!* Vidit enim quod his auditis humana posset infirmitas, vel ignorantia cogitare, et eamdem quæstionem sibi proponit. Si, inquit, Esau et Jacob necdum nati erant, nec aliquid boni aut mali egerant, ut vel promererentur Deum vel offenderent, et electio eorum atque abjectio, non merita singulorum, sed voluntatem eligentis et abjicientis ostenderet, ergo quid dicemus? Nunquid inferemus quod iniquitas sit apud Deum, qui alterum eligit, et alterum abjicit, cum uterque sit æqualis meriti, imo nullius meriti? Absit ut apud eum sit iniquitas! Et quare absit? Quia hunc per misericordiam eligit, illum per justitiam reprobat, in quo neutro est iniquitas. Hunc per misericordiam, quia ita, *dicit Moysi: Miserebor* ut credat, *cui miserebor*, ut eum vocem: *et misericordiam præstabo*, ut bene operetur, cui misertus fuero ut credat. Vel miserebor vocando, cui miserebor prædestinando; et misericordiam præstabo, vitam perennem dando, *cui miserebor* bona

Digitized by Google

opera largiendo. Vel miserebor inspirando bonam voluntatem, cui miserebor secundum prædestinationem; et misericordiam præstabo secundum bonæ voluntatis exsecutionem, dando gratiam ad omne opus bonum peragendum, cui miserebor peccata dimittendo. In quibus verbis docemur, ex illa massa primi hominis, cui mors merito debetur, non ad merita hominum sed ad Dei misericordiam pertinere, quod quisque liberatur; atque ita non esse iniquitatem apud Deum, quia neque remittendo, neque exigendo quod debetur, injustus est. Ibi enim gratuita est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta, ut hinc evidentius appareret a pœna debita liberato et gratis justificato, quantum beneficii conferatur, quod alter æqualiter reus sine punientis iniquitate punitur. Non enim iniquus est Deus, sive judicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno. Ambo itaque gemini natura filii iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis sed originaliter ex eodem vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit: Miserebor cui miserebor, Jacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero agnovit alter non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate. Similiter et omnis quicunque misericordiam consequitur, de propriarum virtutum meritis gloriari prohibetur, dicente Domino: *Miserebor cui miserebor*. Non enim ait: Miserebor talibus vel talibus, sed: Cui miserebor, ut neminem præcedentem bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstret. In eo autem quod addidit, et misericordiam præstabo cui miserebor, intelligendum fortasse est, quod aut ipsius misericordiæ suæ firmitatem Deus ista repetitione monstravit, sicut: Amen amen, sicut, Fiat fiat, sicut repetitio somnii Pharaonis, pluraque similia: aut in utrisque populis, id est gentibus et Hebræis, hoc modo prænuntiavit misericordiam se esse facturum. Et quando quidem nullo præcedente merito Deus per misericordiam elegit Jacob, et sic cæteros, *igitur non volentis neque currentis*, id est operantis, est ut perveniat ad vitam, *sed miserentis est Dei* qui præstat illi misericordiam. Si hoc, inquit, recipimus ut faciat Deus quodcunque voluit, et absque merito et operibus, ut eligat aliquem vel condemnet, igitur non est volentis neque currentis hominis, sed miserentis Dei. Non ergo ideo misertus est Deus, quia voluit et cucurrit Jacob, sed ideo voluit et cucurrit Jacob, quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas a Domino, et a Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet (*Psal.* xxxvi). Dein quia propter Jacob dicta est ista sententia generalis (*Psal.* xcviii), non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, datur etiam exemplum de Pharaone propter id quod dictum est; *Esau autem odio habui*, et subditur: *Dicit enim Scriptura*, etc. Esau per justitiam Deus reprobavit, quia hoc dicit Scriptura, inducens Deum loquentem Pharaoni per Moysen, *quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*. Non feci te malum, sed excitavi. Malus enim eras, sed quasi sopitus. Ego autem ostendens tibi signa, et mandans ut populum meum dimitteres, excitavi te in eamdem malitiam ut deterior fias. Hoc enim justum est, ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* xxii). » Neque hoc est inutile, quod excitatus es, sed ut in te obdurato et resistente ostendam virtutem meam, multiplicando signa mea, et ad ultimum te submergendo atque populum meum potenter liberando. *Et annuntietur nomen meum in universa terra*, id est fama et gloria nominis mei resonet ubique terrarum, et omnes gentes notitiam mei discant, fama virtutis operum meorum ubique divulgata, scilicet quomodo valida manu populum meum eduxerim de medio inimicorum suorum, et ipsos a tergo persequentes in mari Rubro submerserim, ut nec unus superesset. Post hæc ad utrumque, id est ad illud quod dictum est de Jacob, et ad illud quod de Esau vel de Pharaone, concluditur. Quando quidem, inquit, Deus sola misericordia Jacob elegit, Esau autem juste reprobavit, vel Pharaonem excitavit in perniciem ipsius, quia utrumque sic voluit, *ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat*. Miseretur utique gratuito dono, indurat autem justissimo merito. Miseretur secundum gratiam quæ gratis datur, non meritis redditur; indurat autem secundum judicium quod meritis redditur. Miseretur magna bonitate, indurat autem nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur. Sola enim gratia Redemptoris discernit a perditis, quos in unam perditionis concreverat massam, ab origine ducta causa communionis. Cum ergo totus mundus justissime posset damnari, Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat, id est non miseretur ei, nec emollit cor ejus, nec tamen injusta est ejus voluntas volentis alii misereri, alii que non volentis. Quis enim dicat aliquem potentem injuste agere, si ex duobus reis unum juste velit interimere, et alterum misericorditer liberare? Sic et Deus in nullo potest reprehendi, sive damnet, sive misereatur. Meritum enim misericordiæ nullum est, meritum autem indurationis est peccatum totius massæ damnatæ. Nec indurat Deus impartiendo duritiam, sed non impartiendo misericordiam, sicut nec digni sunt. Quod facit æquitate occulta, ab humanis sensibus remota.

« Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? Vo-
« luntati enim ejus quis resistit? O homo, tu qui es
« qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei
« qui finxit se, quid me fecisti sic? (*Isa.* xlv; *Jer.*
« xviii). Annon habet potestatem figulus luti ex ea-
« dem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero
« in contumeliam? »

Ex prædicta sententia prævidit Apostolus moveri audacem infirmitatem eorum, scilicet qui secundum conjecturas cordis humani, inscrutabilem altitudinem judiciorum Dei cogitare conantur, et de culpis

Digitized by Google

suis se excusare nituntur, et hanc sibi ex adverso opponens, ait : Quoniam dixi, quia Deus cui vult miseretur, et quem vult indurat, *itaque*, id est ergo *dicis*, id est objicis, *mihi : Quid adhuc queritur* Deus de nobis? Nam *voluntati ejus quis resistit?* Hoc est dicere : Quid de nobis sit querela, quod Deum offendamus male vivendo, cum illius voluntati nemo possit resistere, qui nos obduravit misericordiam non præstando? Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos quod nolunt credere et recte vivere (*Luc.* I). Unde et fideles ac facientes voluntatem ejus, conversari dicuntur sine querela, eo quod de illis non queratur Scriptura. De diversis autem queritur. Sed cur, inquiunt, queritur atque causatur nos non vel bona fecisse vel mala fecisse, cum in potestate illius sit et voluntate, absque bonis vel malis operibus, vel eligere aliquem vel abjicere, præsertim cum voluntati ejus humana fragilitas resistere non possit? Cur querelam faceret de peccatis hominum, cum nequeat vitare quod ipse vult? Sic solent carnales in voluptatibus viventes adversus Deum murmurare, et voluntati ejus, non suo vitio quod mali sunt, deputare, validamque contra eum talibus verbis calumniam parare. Quos redarguit Apostolus ab hujusmodi præsumptione, et quæstionem eorum brevi sermone dissolvit, dicens : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Et est sensus : Et ex eo quod respondere vis, Deo calumniam facis, et quia de Scripturis tanta perquiris, ut loquaris contra Deum, et justitiam voluntatis ejus inquiras, ostendis te esse liberi arbitrii, et posse recte agere si volueris. Quidam autem stulti putaverunt hoc loco Apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendæ rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est : *O homo, tu quis es*, etc., et in talibus quæstionibus ad suæ capacitatis considerationem revocare hominem verbo quidem brevi, sed reipsa magna, est redditio rationis. Si enim hæc non capit, quis est qui respondeat? Si autem capit magis, non invenit quid respondeat. Videt igitur, si capit, universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiam si nullus inde liberaretur, nemo recte Dei posset vituperare justitiam; et qui liberantur, sic oportuisse liberari, ut ex pluribus non liberatis atque in condemnatione justissima derelictis, ostenderetur quid commeruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subvenisset, ut volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur, et qui gloriatur, in Domino glorietur. *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Quis sit ille, attende; quis sis tu, attende. Ille Deus est, tu homo. Sed justitiam loqui videris tu, et fons ille justitiæ siccatus est? Satis sit interim tibi ex fide adhuc viventi, et nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, nosse vel credere quod neminem Deus liberet nisi gratuita misericordia, et neminem damnet nisi æquissima justitia. Cur autem illum potius quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest judiciorum ejus tam magnum profundum, sed caveat præcipitium. Tu enim homo quis es ut respondeas Deo? Respondere enim Deo non posse convincitur, qui homo nominatur; quia per hoc quod de humo sumptus est, judicia superna discutere dignus non est. *O homo*, id est carnalis pertinens ad Adam, tu luteus, *quis es*, id est cujus valentiæ, *qui respondeas Deo*, id est qui rationibus contra Deum agas, quod injuste eligat et reprobet; sive causas judiciorum ejus inquiras, cur istum eligat et illum reprobet. Deus per opera sua quodammodo te interrogat, et tu si causas et rationes operum ejus intellexeris, respondebis ei, quia consilium voluntatis ejus intelliges. Sed tu homo quis es ut hoc facias? Excede hominem, excede carnalitatem, excede mores et sensus humanos, si vis hoc attingere. Esto prius unus ex illis, de quibus dicitur : « Sapientiam loquimur inter perfectos (*I Cor.* II), » et tunc demum recte et non præpostere audies, si qua sunt de animarum meritis, et de gratia vel justitia secreta omnipotentis Dei. Peccatores enim credere jubentur, ut a peccatis credendo purgentur. Nesciunt enim quod recte vivendo visuri sunt. Quapropter cum videre non possint, nisi recte vivant, nec recte vivere valeant nisi credant, manifestum est a fide incipiendum, ut præcepta quibus credentes a sæculo hoc avertuntur, cor mundum faciant ubi videri Deus possit. Ideo recte dicitur hominibus in vetustate vitæ manentibus, et propterea tenebrosum oculum animi gerentibus, *o homo tu quis es*, etc. Non enim sanctos hoc loco Apostolus prohibuit a quærendo, de quibus ait : « Spiritalis autem judicat omnia (*ibid.*), » sed luteos atque terrenos homines, qui adhuc imaginem illius portant, qui primus factus est de terra terrenus; et quia ei a quo factus est, obtemperare noluit, in id lapsus est, unde factus. Talibus ergo dicitur : *O homo, tu quis es qui respondeas Deo?* Et additur : *Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti?* Ubi ostenditur quasi a simili et etiam a minori, quia Deus nihil injuste facit, si unius miseretur et ab alio misericordiam avertit. Si, inquit, figmentum formatum in immundum usum, non potest accusare de justitia fictorem suum, cum figmentum multo dignius opus sit quantum ad figulum, quam tu homo ad Deum; tum ille qui verus figulus, id est creator et artifex et formator noster est, habet potestatem salva justitia cujus vult misereri, et quem vult indurare. Sed tu quandiu figmentum es, nondum perfectus es filius, quia nondum habuisti plenissimam gratiam, quia nobis data est potestas filios Dei fieri (*Joan.* I), ut possis audire. « Jam non dicam vos servos, sed amicos (*Joan.* XV), » et tamen jam vis respondere Deo et nosse consilium ejus. Qui si hominis tibi æqualis consilium nosse voluisses, impudenter faceres, nisi prius in amicitiam recipereris. Si ergo consilium Dei nosse vis, prius stude per meritum sanctitatis amicus ejus fieri, ut non sis luteum figmentum, sed

Digitized by Google

vir spiritalis. Nam ut manifestum sit, non sanctificato Spiritui, sed carnali luto ista dici, mox subditur : *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Ex quo enim in paradiso natura nostra peccavit, jam a Dei providentia non secundum cœlum, sed secundum terram, id est non secundum spiritum, sed secundum generationem mortalem formamur, et omnes ex una massa luti facti sumus, quod est massa peccati. Cum ergo meritum peccando amiserimus, et misericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus nisi æterna damnatio debeatur, quid sibi homo de hac massa vult, ut Deo respondeat et dicat : *Quare sic me fecisti?* Hæc massa si esset utique media, ut sicut nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum vero per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerint, procul dubio quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ attribuendum est; quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ nulla est, sed judicio deputandum est. Qui figulus est, cum fragiles, infirmos et terrenos facit. Et ex eadem massa, quæ tota in Adam periit, facit secundum voluntatem suam alia vasa in honorem per misericordiam, alia in contumeliam per judicium.

« Quod si volens Deus ostendere iram, et notam « facere potentiam suam, sustinuit in multa patien- « tia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divi- « tias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præpa- « ravit in gloriam, quos et vocavit nos non solum « ex Judæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee « dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam; « et non misericordiam consecutam, misericordiam « consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis : « Non plebs mea vos ibi vocabuntur filii Dei vivi. »

Ostensum superius est, quia, etsi Deus nihil boni det, non tamen iniquus est, nec potest ei homo respondere. *Quod* id est, sed ipse quibusdam etiam bona dedit, quid ei respondebis? Quid dices, si Deus bona illis impendit, scilicet cum essent apti in interitum, sustinuit eos in multa patientia, et interim dum exspectaret, ostendit multis indiciis, vel ipsos nonnunquam puniendo, vel alios coram eis, futuram iram ut sibi caverent, et in hoc quod sustinuit et iram ostendit, notificavit potentiam, quia per malos purgat bonos? Quasi dicat : Potes dicere, quod juste subtrahit gratiam, et damnat illos, qui ita exspectati noluerunt resipiscere, sed hac gratia abusi sunt, *si volens Deus ostendere* in perditis *iram* reddendo illis vindictam, et notificare *potentiam suam* bene utendo malis, quia tam potens est ejus bonitas, ut bene utatur etiam malis, *sustinuit in multa patientia*, id est diutissime patienter toleravit *vasa iræ*, id est homines qui pleni ejus ira sunt; vasa dico *apta in interitum*, id est idonea æternæ morti, si hoc fecit Deus, non est inde accusanda ejus patientia, sed eorum pertinacia, qui diu exspectati noluerunt converti. Nam ideo sustinuit eos, cum sciret non convertendos, ut fierent inexcusabiles, et per eorum malitiam purgarentur boni. Idcirco sustinuit eos, *ut* in futuro sæculo *ostenderet divitias gloriæ suæ*, id est largifluas opes beatitudinis æternæ, venturas *in vasa misericordiæ*, id est in electos homines plenos misericordia ejus *quæ* electa vasa ipse *præparavit in gloriam*, cum econtrario vasa iræ sint apta in interitum cadere. Quia quod a vasis iræ exigit justitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit pietas liberantis, et insuper gloriam ejus largitur gratia salvantis. Notandum autem, quia in eo quod superius ait, figulum habere potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ostendit mystice Creatorem non posse reprehendi, si ex eadem humanæ naturæ massa alios creat ad honorem sanctitatis, alios autem sic creat, ut abire sinat in contumeliam nequissimæ operationis et justæ damnationis. In eo autem quod nunc dicis, quod si volens Deus, etc. Declarat quia non potest accusari, si diu viventes in carne malos patienter tolerat, ut eos in malitia perseverantes postmodum acerbius puniat; et bonos eorum pravitate vexari permittit, ut eis pro patientiæ merito majorem gloriæ coronam reddat. Si eos, quos indurat patienter sustinet ut eos justius damnet, postquam diu sustinuerit, non ejus accusanda est patientia et infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate ejus in perditionem abuntuntur. Alioqui unus est solis calor, et secundum essentias subjacentes alia indurat, alia liquefacit, alia dissolvit, alia constringit. Liquatur enim cera, et induratur lutum, et tamen caloris non est diversa natura. Si et bonitas Dei atque clementia vasa iræ, id est populum Judæorum et cæteros reprobos indurat; vasa vero misericordiæ, id est electos, liquat. Non potest figmentum fictori suo dicere : *Cur me fecisti sic?* quia et ipse fictor habet potestatem facere ex eodem luto, prout voluerit, alia vasa ad honestos usus, alia ad inhonestos. Quod, id est si Deus volens ostendere iram, sustinuit in multa patientia vasa iræ, *tu quis es qui respondeas Deo?* Voluit Deus ostendere iram suam, non utique animi perturbationem, sicut est quæ circa homines nuncupatur, sed justam vindictam, et notam facere potentiam suam ad quam pertinet damnare iniquos. In hoc quoque demonstratur ejus potentia, quod et malis bene uti optimus possit. Ostendere ergo voluit hanc potentiam, qua bene utitur etiam malis, multa illis naturalia et temporalia bona largiens, eorumque malitiam et comparationem ad exercendos et admonendos bonos accommodans, ut in eis discant agere gratias Deo, quod ab eis non suis meritis quæ in eadem massa paria fuerunt, sed illius miseratione discreti sunt. Si enim soli hi crearentur ex Adam, qui essent per gratiam redimendi, et præter hos qui ut Judæi in filios adoptantur, nulli alii homines nascerentur, lateret beneficium quod donaretur indignis, quia nullis ex eadem damnabili stirpe venien-

Digitized by Google

tibus debitum supplicium redderetur. Volens itaque Deus ostendere iram et notificare potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, id est reprobos homines, in quibus latet ira ejus, qui aptati sunt in perditionem, longanimiter toleravit, ut ordinate disponeret eos, et uteretur illis ad instructionem salutis eorum quorum miseretur, ideoque vasa misericordiæ vocantur. Non quod illi essent necessaria sive angelica, sive humana peccata, cui nec justitia creaturæ cujusquam est necessaria, sed ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, ne se in bonis operibus tanquam de propriis extollerent viribus; sed humiliter intelligerent, nisi illis Dei gratia non debita, sed gratuita subveniret, id fuisse reddendum meritis suis, quod aliis in eadem massa redditum cernerent. Ita enim quid sibi præstetur dicunt gratis justificati, dum non suo merito, sed gloria ditissimæ Dei misericordiæ discernuntur a damnatis, cum quibus eadem justitia fuerant et ipsi damnandi; cæteri autem homines ad istam gratiam non pertinentes, quorum tamen et animam et corpus Dei bonitas operata est, et quidquid habet ipsa natura præter vitium, quod eidem infixit superbientis voluntatis audacia, propter hoc a Deo (qui illos ita peccaturos, ut æterno essent igne damnandi, sine dubitatione præscivit) creati sunt, ut in his ostenderet liberum desertoris arbitrium sine sui gratia quid valeret, et in eorum justis ac debitis pœnis vasa misericordiæ, quæ non suorum operum meritis, sed gratuita Dei gratia discreta sunt ab illa concreatione, quid sibi collatum esset, addiscerent « ut omne os obstruatur (*Rom.* III), » etc. « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* I). » *Ut ostenderet*, inquit, *divitias gloriæ suæ*, qua glorificatur in sanctis, bene faciens eos operari, *in vasa misericordiæ*, id est in homines quos replet sua misericordia, *quæ*, id est quos homines electos *præparavit*, id est præordinavit ad *gloriam* æternam. *Quos et vocavit* scilicet *nos, non solum ex Judæis*, ut ipsi Judæi volebant, *sed etiam ex gentibus*, ut ex utrisque fieret unus credentium populus. Ex quo ostenditur, non gentes eligi vel Judæos, sed hominum voluntates divinitus illuminatas. Quos et vocavit nos, pro eo positum est, ac si dixisset : Sicut nos quos vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus. Superiora enim quasi de Pharaone et Ægyptiis, qui fuerunt vasa iræ, et de filiis Israel qui erant vasa misericordiæ, disputare videtur. Nunc autem ne solum illi antiqui Israelitæ intelligerentur vasa misericordiæ, ostendit quia et nos qui ad novam gratiam vocati sumus, non solum ex illo Hebræorum populo, sed etiam ex gentilitate, vocata vasa sumus ejusdem misericordiæ. Etiam ex gentibus vocavit nos Deus *sicut* ipse *dicit* loquens in Osee : *Non plebem meam*, id est gentilitatem quæ non erat plebs mea, *vocabo plebem meam*, id est vocabulum peculiaris populi mei dabo illi in gratiam nominis Christiani, *et non misericordiam consecutam*, id est eamdem gentilitatem quæ misericordiam consecuta non fuerat, sed sine misericordia perditioni relicta erat, vocabo *consecutam misericordiam*, id est hoc vocabulum illi dabo, ut appelletur consecuta misericordiam, ut nomen indicet beneficium. *Et erit* istud in tempore gratiæ *in loco*, id est in terra gentium, ubi *dictum est eis* divinitus. *Non plebs mea* estis *vos ibi*, id est in eadem gentium regione *vocabuntur*, qui ibi fuerint, *filii Dei vivi*. Per hoc quod Deus gentiles ad cultum suum non vocabat, sed in errore reliquerat, dicebat eis : *Non plebs mea vos*. Sed in loco gentium ubi hoc antea dictum est, ibi postmodum prædicata per apostolos Evangelii gratia, vocati sunt qui illic crediderunt, filii Dei non mortui, sed vivi. Coluerunt enim prius multos deos mortuos, id est homines mortuos, quos sibi deos constituerant, sicut Jovem et Apollinem et Herculem, et ideo ne quis talium intelligeretur, nunc Deus a propheta dicit, cum de gentilibus sermo esset, cognominavit Deum vivum.

« Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient (*Isa.* X). Verbum autem consummans et abbrevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus (*Isa.* I). »

Quia hos dixerat vocatos non solum ex Judæis sed etiam ex gentibus, et gentium vocationem, de quibus minus videbatur, astruxerat prophetico testimonio, vult similiter auctoritate prophetica Judæorum vocationem ostendere. Osee dicit de gentium conversione, sed *Isaias clamat*, id est aperte et publice testatur *pro Israel*, id est pro conversione Judæorum. *Si fuerit numerus*, etc. : Hoc est, etiam si multitudo non crediderit, tamen pauci credent. Et revera, si legamus Josephum, quanta hominum in Jerusalem et in Judæa fuerit multitudo quando passus est Dominus, intelligemus vix paucos in apostolis et in apostolicis viris salvatos esse ex Judæis. Sed non quia fracti sunt infideles et superbi, ac per hoc infructuosi rami, ut insereretur oleaster gentium, ideo perire potuit radix patriarcharum et prophetarum. Quia *si fuerit*, inquit, *numerus filiorum Israel* sicut *arena maris*, id est si fuerint tot Judæi, ut non possint numero comprehendi, sed omnem] supputationem vicerit multitudo eorum, sicut arena quæ non potest numerari, *reliquiæ salvæ fient*, id est illi quos sibi Dominus relinquet, quando alios abjiciet, salvabuntur. Vel si numerus eorum fuerit sterilis et gravis ut arena maris, reliquiæ quæ erunt fulgentes et cœlo inhærentes sicut stellæ, salvabuntur. Utrumque enim promissum est Abrahæ. « Erit, inquit, semen tuum sicut stellæ cœli, et velut arena quæ est in littore maris (*Gen.* XXVIII). » Vere salvabuntur, nam *verbum* erit *consummans et abbrevians in æquitate*. Ideo salvabuntur, quia verbum Evangelii quod eis tradetur, erit consummans hominem in justitia, id est perfectionem justitiæ

Digitized by Google

dans, et ea consummans ac perficiens quæ lex non poterat. Et abbrevians, id est in uno geminæ charitatis præcepto comprehendens omnia, quæ lex multiplicibus præceptis instituerat. Et erit abbrevians in æquitate, secundum illud : « Quod tibi non vis ab alio fieri, tu alii ne feceris (*Tob.* IV). » Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter (*Matth.* VII). Vel in uno Christo abbrevians omnia legalia, et hoc in æquitate, quia æquum est hoc verbum breviari, ut nihil desit ad justitiam de omnibus præfiguratis. Sive in æquitate, quia quæ æqua sunt, retinet, ut moralia; quæ jus est tolli, tollit, ut figuras. Vere novum verbum erit abbrevians, *quia verbum breviatum faciet Dominus* Jesus *super terram*, id est ut compendio fidei per gratiam salvos faciat credentes, non per innumerabiles observationes, quibus Judæorum plebs serviliter onerata premebatur. Hoc verbum fecit Dominus super terram conversans inter homines. Dictum fuit, reliquias esse salvandas ex multitudine pereuntium. *Et sicut* iterum *prædixit Isaias : Nisi Dominus Sabaoth*, id est exercituum, cui serviunt exercitus angelorum et hominum, *reliquisset nobis* Judæis *semen*, id est electos filios qui disseminarentur per orbem, *sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus*, id est sicut in Sodoma et Gomorrha post discessum Loth soli reprobi remanserunt qui simul perirent; ita et nos in Jerusalem post Christi resurrectionem soli reprobi et perituri remansissemus. Hi enim qui ex circumcisione crediderunt, vocantur semen, quia sparsi per terras multiplicati sunt, et velut grana seminis copiosam segetem fidelium germinaverunt. Et propter istos non fuerunt Judæi sicut Sodoma et Gomorrha, quia non omnes fuerunt reprobi, nec omnes perierunt, quoniam isti sunt electi atque salvati de multitudine illorum.

« Quid ergo dicemus ? Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, « justitiam autem quæ ex fide est : Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis, « sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem « offensionis, et petram scandali, et omnis qui « credit in eum, non confundetur (*Isa.* VIII). »

Ab auctoritate utriusque prophetæ infert : Quandoquidem, inquit, Osee de gentibus dicit : « Vocabo non plebem meam, plebem meam (*Ose.* II), » et Isaias de filiis Israel clamat, quia reliquiæ eorum salvabuntur, id est pauci de multitudine, *ergo quid dicemus*, id est quid per hæc prophetarum dicta de gentibus et Judæis diffiniemus? Istud possumus ex prædictis oraculis inferre et asserere, *quod gentes, quæ* neque per hostias, neque per voluntatem *sectabantur justitiam Dei, apprehenderunt justitiam*, non quamcunque, non eam quæ est ex lege, sed eam *justitiam quæ est ex fide*, id est per gratiam, quia non superbierunt, sed in Christum crediderunt, sed *Israel*, id est carnalis populus Judæorum, *sectando* per carnales observantias *legem justitiæ*, id est legem quæ est justitiæ bene intellecta, *non pervenit in legem justitiæ*, id est venit quidem aliquantulum in legem justitiæ, sed non pervenit in eam, quia quamvis opera legis faceret, non tamen ex amore justitiæ fecit ea, sed ex timore pœnæ, et ita cordis innocentiam habere non potuit. Ubi probatur vera esse supradicta sententia, quia non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quoniam gentes, ut dictum est, quæ justitiam non quæsierunt, justitiam invenerunt; et Israel qui legem justitiæ sectabatur, non potuit in eam pervenire. « Terribilis ergo Deus in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV), » et judicia ejus occulta sunt, non injusta. Gentes quæ non sectabantur justitiam, quæ ex lege est, quasi propriam suam apprehenderunt justitiam, quæ est ex fide. Israel autem sectans per opera legem justitiæ, non pervenit corde in legem justitiæ. Et *quare?* Quasi diligenter hoc attendamus, cur in eam pervenire non potuit. *Quia non ex fide*, id est quia non speravit in Deum, non illam petivit a Deo, non credidit in eum qui justificat impium. Non ex fide, *sed quasi ex operibus*, id est quasi justitiam per semetipsum operans, non in se credens operari Deum. Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate. Sed Israel non quærebat justificari ex fide, sed quasi ex operibus, quia fidem non putavit esse causam et principium justitiæ, sed opera carnalium observationum justitiæ principium esse credidit, et glorians quasi de operibus, exclusit a se gratiam; ac quasi de sanitate præsumens, respuit medicinam. Vere non ex fide justificari quæsivit populus Judæorum, sed velut ex operibus, nam *offenderunt in lapidem offensionis*, id est Christum humilem per superbiam suam calcare volentes, gressum suæ rectæ actionis læserunt, et quassati corruerunt. Quasi ipsa sua justitia offenderunt in Christum, quia velut de justitia timuerunt, et fidem Christi spreverunt. Qui ad similitudinem parvi lapidis, a quo non cavetur, fuit eis habilis ad offendendum, latens in humilitate. Omnibus quoque malis est ipse Christus lapis offensionis, quia quidquid dicit, amarum est illis, et commoventur ex dictis ejus. Ita offenderunt in hunc lapidem, *sicut scriptum est* apud Isaiam dicente Patre : *Ecce pono in Sion lapidem offensionis*, id est per incarnationis mysterium pono Christum in Sion, hoc est in Ecclesia fundamentum, qui Judæis erit lapis offensionis, quia non sibi cavebunt ab illo humili et parvo, propter suæ mentis cæcitatem, sed offendent in eum et corruent, et pono ibi *petram scandali*, id est eumdem Christum, qui in passione erit illis petra scandali, id est deformis et asper et durus, in quo scandalizabuntur irascentes et indignantes, cum se Flium Dei dixerit. Lapis vocatur politus et lubricus, quando si calcatur, pes cito labitur; petra vero dicitur, quando est inculta et aspera. Christus ergo in nativitate vel in conversa-

Digitized by Google

tione et prædicatione sua Judæis lapis fuit offensionis, et in passione petra scandali, quia qui prius in ortu et humana conversatione visus est eis contemptibilis et conculcabilis, postmodum in passione nimium deformis et asper illis apparuit. Plus autem est scandalum, quam offensio, quia scandalum dicitur a Græco, quod est scandalizo, et est proprie impactio pedum. Ita ergo Judæi offenderunt in Christum, ut omnino impingerent pedem ibi et confringerent. Non solum enim contempserunt eum, sed et crucifixerunt. Pono hunc lapidem offensionis, quantum ad reprobos; et propter electos subjungo, quia *omnis* sive Judæus, sive gentilis, sive servus, sive liber, *qui crediderit in eum, non confundetur*, id est non erubescet in futuro cum ille venerit ad judicium. Qui enim crediderit in eum, non habebit suam justitiam, quæ est ex lege, quamvis sit bona lex, sed implebit ipsam legem non sua justitia, sed data ex Deo. Ita enim non confundetur. Nam qui in se gloriatur, confundetur, non enim sine peccatis invenietur. Ille autem tantummodo non confundetur, qui in Domino gloriatur. Quicunque illum fide exspectant, cum venerit, gaudebunt. Qui sine fide sunt, cum venerit quod nunc non vident, erubescunt; quomodo solent confundi qui inveniuntur in aliqua culpa, et eis insultatur ab omnibus; sed tamen non transiet illa confusio nec delebitur. Notandum autem, quia hoc testimonium Apostolus ex duobus locis libri Isaiæ, conjunxit. Ita enim ibi legitur : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, lapidem angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet (*Isa.* XXVIII). » Atque alibi in eodem libro : Et erit, inquit, vobis in sanctificationem : in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel (*Isa.* VIII). » Unde perspicuum est, apostolos in interpretatione Veterum Scripturarum sensum quæsisse, non verba, nec magnopere de ordine, sermonibusque curasse, cum intellectui res pateret.

CAPUT X.

« Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obse-
« cratio ad Dominum fit pro illis in salutem. Testi-
« monium enim perhibeo illis, quod æmulatio-
« nem Dei habent, sed non secundum scientiam.
« Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quæ-
« rentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti :
« finis enim legis Christus ad justitiam omni cre-
« denti. »

Hinc jam incipit de spe Judæorum loqui, ne etiam gentes superbire audeant adversus eos. Sicut enim Judæorum superbia refellenda erat tanquam ex opere gloriantium, sic et gentibus occurrendum est, ne tanquam Judæis prælati superbiant. Dixi quia non pervenerunt in legem justitiæ, sed offenderunt in lapidem offensionis, non quia illos odio habeam, nec quia de illis omnino desperem. Nam sciatis, *fratres*, quia intima *voluntas cordis mei fit pro illis in salutem*, id est ex corde volo illorum salutem. Voluntas quidem cordis mei pro illis optat, ut accipiant salutem, quamvis illorum voluntas adhuc obsistat. Potens est enim Deus corda illorum convertere. Non solum voluntas, sed etiam *obsecratio*, id est oratio cum obtestatione sacrorum, fit a me pro illis ad Deum in salutem, id est ut efficacior sit oratio mea pro illis, facio eam cum adjuratione sacrorum, in salutem illorum dirigens intentionem, hoc est, ut credant, et per fidem consequantur salutem. Non enim aliter salvari poterunt. Quamvis Apostolus eis instanter evangelium prædicaret, parum tamen esse credebat, nisi pro illis etiam oraret ut crederent, quoniam voluntas ut ad vera credenda moveatur, non sibi sufficit, nisi per gratiam Deus illi opituletur, nec ipsa conversio fieri potest sine Dei adjutorio. Obsecro, inquit, pro illis, et justum est ut obsecrem, nam æmulationem Dei habent. Nam ego qui olim similis fui, et idcirco novi intentionem cordis ipsorum, *perhibeo illis testimonium, quod æmulationem Dei habent*, id est bono zelo movetur ad defendendam legem, *sed non secundum scientiam*, quia imprudenter agunt, dum nos quasi prævaricatores legis persequuntur. Nesciunt enim quia nos potius quam ipsi legem adimplemus, qui spiritualiter eam observamus ; et idcirco bona quidem intentione volunt legem contra prævaricatores defendere, sed non secundum scientiam, quia nesciunt qui sunt illi contra quos moventur. Hoc et Dominus sic prænuntiavit : « Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI). » Putabant enim se Deo placere ex eo quod Christianos velut ex defensione legis interficiebant, quia æmulationem Dei habebant, sed non secundum scientiam. Vere non secundum scientiam. Nam *ignorantes justitiam Dei*, id est quæ a Deo datur per fidem Christi, *et quærentes statuere suam justitiam*, id est quam suis viribus per observantiam legis putant se facere, *non sunt subjecti justitiæ Dei*, id est Christo. De se enim præsumentes, gratiam repellebant, et in Christum propterea non credebant, ignorantes justitiam Dei, et suam volentes statuere ; justitia Dei hic dicitur, non quam justus est Deus, sed quam dat homini, ut justus sit homo per Deum. Justitia autem illorum erat, quia de suis viribus præsumebant, et quasi impletores legis seipsos ex sua virtute dicebant. Ignorabant ergo justitiam Dei, id est quam dat homini Deus, qui solus est justus atque justificans ; et volebant constituere suam, id est velut a se sibi paratam, non ab illo impertitam ; et ideo justitiæ Dei non erant subjecti, quia superbi erant, de suo putantes, non de Dei placere posse se Deo. Vere ignorabant justitiam Dei, nam *Christus* quem cæci respuebant, est *finis*, id est consummatio *legis*, quia in eo lex consummatur et perficitur. Finis, id est perfectio legis, est Christus *ad justitiam* complendam *omni* in se *credenti*, quia omnis qui in Christum credit, habet ipsum Christum consummationem legis, ut per eum faciat justitiam. Sunt enim opera quæ videntur bona

Digitized by Google

sine fide Christi, et non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona. Talia erant opera istorum, qui suam justitiam quærebant statuere, quia ipsum quod datur : « Non concupisces (*Exod.* xx), » et cætera hujusmodi mandata sancta et bona ipsis tribuebantur, quæ ut possit homo facere, Deus operatur in homine per Christi fidem, qui finis est ad justitiam omni credenti, cui per spiritum incorporatus factusque membrum ejus, potest quisque illo incrementum intrinsecus dante operari justitiam, de cujus operibus etiam ipse dixit, quia sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv). » Finis enim dicitur ipse Christus, quia quidquid agimus, ad illum referimus; et cum ad eum pervenerimus, non habebimus ultra quod quæramus, sed ibi permanebimus. In eum namque dirigitur nostra intentio. Ad quem cum pervenerimus, non erit ultra quo tendamus, quia ibi est omnium bonorum plenitudo.

« Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ « ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea (*Levit.* « xviii). Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : « Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum? « (*Deut.* xxx) id est Christum deducere, aut quis « ascendit in abyssum? hoc est Christum ex mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope « est verbum in ore tuo et in corde tuo. Hoc est « verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis « in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum excitavit a mortuis, « salvus eris. »

Vere Christus est finis legis ad veram justitiam, nam in ipsa lege antequam ad Christum veniatur, est quædam umbratilis justitia. Moyses enim ita scripsit. Probat Apostolus auctoritate Moysi duas esse justitias, quia dixerat Judæos esse ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere. Vere sunt duæ, una per legem, altera per Christum. *Moyses enim scripsit*, quia *homo qui fecerit justitiam quæ ex lege est, vivet in ea*, legem hoc loco pro ipsis operibus ponens. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique, ne si non ea fecissent, lapidationem vel combustionem vel aliquid hujusmodi paterentur. Ergo qui fecerit, inquit, ea, vivet in illis, id est habebit præmium ne ista morte puniatur; non ergo apud Deum, ex cujus fide si quis in hac vita vixerit, cum hinc exierit, tunc eum magis habebit præsentissimum præmium. Non itaque ex fide vivit, quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit vel timet, quia fides Dei ad invisibilia pertinet, quæ post dabuntur. Nam est et ista quædam in operibus justitia, quando sine suo præmio relicta non est, ut qui fecerit eam, vivat in illa. Unde et superius dictum est, quia etsi Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Aliud est ergo, non justificari apud Deum; aliud, non justificari. Qui omnino non justificatur, nec illa servat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum; qui autem in operibus legis justificatur, non apud Deum justificatur, quia temporalem exinde exspectat visibilemque mercedem. Sed tamen etiam ista est, ut dixi, quædam terrena carnalisque justitia. Hæc Moyses de justitia legis. Sed *quæ est ex fide justitia, sic dicit ipse : Ne dixeris in corde*, etc. Vel si justitia legis, in qua vivitur, est vera justitia intelligenda, quæ vitam præstat æternam, ideo proponitur justitia legis, quod qui fecerit eam, vivet in illa, ut cum quisque infirmitatem suam cognoverit, non per suas vires, neque per litteram legis ipsius, quod fieri non potest, sed per fidem concilians justificatorem, perveniat et faciat et vivat in ea. Opus enim quod qui fecerit, vivet in eo, non fit nisi a justificato. Justificatio autem ex fide impetratur, et ita per justitiam fidei completur vera justitia legis. De cujus fidei justitia sic dicit Moyses, vel ipsa dicit in corde hominis : *Ne dixeris in corde tuo*, id est ne saltem cogites, *quis ascendet in cœlum?* id est nullus homo ascendet, quia *hoc est Christum deducere*, quantum ad te, id est si hoc cogitaveris, Christum ascendisse negabis. Aut non dixeris in corde tuo, *quis descendet in Abyssum?* id est nullus pro contempta lege descendet in infernum, quia *hoc est Christum a mortuis revocare* quantum ad te, id est hoc cogitare, est non credere quod Christus pro nobis mortuus sit, et in infernum pro liberatione justorum, qui ibi tenebantur, descenderit. Vel ita : Cum audieris post resurrectionem prædicari Christum ascendisse in cœlum, noli dicere in corde tuo, mendacium est, quis enim ascendet? Quia hæc infidelitas, quantum in te est, Christum de cœlo ad terram deducit. Aut cum audieris prædicari quod ad infernum descendit, noli dubitare et putare hoc incredibile, quia hæc incredulitas, quantum ad te, revocat Christum a mortuis, id est negat Christum fuisse mortuum. Nam si in abyssum descendisse dubitetur, nec mortuus esse creditur, quia sicut mortuus est ut mortem occideret, sic in abyssum descendit ut suos inde retraheret. Et hæc est justitia fidei, distans a justitia mortalitatis legis, ut non dubitet quis de spe Dei, quæ in Christo est, ut non diffidat Christum spoliasse infernum, et cum sanctorum animabus cœlum ascendisse, quia qui hoc credit, ex hoc efficitur justus. Potest et ita intelligi : *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum?* id est quis illuc ascendet Christum inde ad nos deducere, aut quis descendet in abyssum? hoc est quis in infernum descendet Christum inde ex mortuis revocare? Non enim exspectavit Christus ut aliquis homo ascenderet in cœlum ad deducendum eum, quod impossibile erat; sed ipse sua sponte descendit, a paterna sede veniens quærere, et salvum facere quod perierat. Neque fuit necesse vel possibile ut aliquis in abyssum descenderet ad revocandum inde Christum a mortuis, quia ipse sua virtute, ligato forti adversario et spoliato inferno, resurrexit a mortuis (*Luc.* xix). Ne dicas, inquit, quis ascendet in cœlum Christum deducere? quasi et in terra non sit Christus, qui per divinitatem est ubique;

Digitized by Google

aut quis descendet in abyssum Christum ex mortuis revocare? quasi Christus in abysso contineri possit, qui nullo loco continetur, sed omnia continet; vel inter mortuos morari possit, qui vita est. Hoc ne dixeris. *Sed quid dicit Scriptura* per Moysen (*Deut.* xxx) de Christo? *Prope est verbum*, id est Christus qui est verbum et sapientia Dei (*I Cor.* i) est prope, hoc est, non longe est a natura animorum et loquendi ratione. Prope est *in ore tuo* ad confitendum, *et in corde tuo* ad credendum. Et ideo non per loca quæras eum, qui sicut verbum et veritas et sapientia ubique est, et in corde justorum manet atque in ore; sed credas quia verbum quod personaliter unitum est humanitati, prope nos est, quoniam non a locutione nostra remotum est, neque ab intellectu. *Hoc* verbum quod Moyses dicit ita esse prope, *est verbum fidei quod prædicamus*, id est Christus, in quo nostra fides constat, quem annuntiamus. Hoc prædicamus de illo, quia si confitearis, etc. Vel ratio redditur, cur in ore et in corde verbum hoc debeat esse. *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris.* Non est laus fidei Christianorum, quia credunt mortuum Christum, sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum et paganus credit. Hæc est laus fidei quia credimus eum resurrexisse, et speramus nos quoque per eum resurrecturos esse. Non enim ait, si confessus fueris; quia eum Deus tradidit ad occidendum; sed si confessus fueris, quia Deus eum suscitavit a mortuis, tunc salvus eris. Intantum salvus, inquantum justus. Quare autem credimus et mortuum? Quia credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Pertinet autem ista confessio præcipue ad martyres, qui coram tyrannis Christum confitebantur, et pro ejus confessione moriebantur. Nam nostro tempore facile est, ut quisque Christum voce confiteatur, ideoque vox sola non sufficit sine operibus.

« Corde enim creditur ad justitiam, ore autem « confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : « Omnis qui credit in illum, non confundetur (*Isa.* « xxviii). Non est enim distinctio Judæi et Græci. « Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui « invocant illum. Omnis enim quicunque invocave- « rit nomen Domini, salvus erit (*Joel.* ii). »

Vere si resurrectionem Christi corde credideris, et ore confessus fueris, salvus eris, nam *corde creditur ad justitiam*, sed *ore confessio fit ad salutem.* Hoc est, qui corde credit, habet in præsenti justitiam, quia justus ex fide vivit (*Habac.* ii); et qui ore confitetur, habet in futuro salutem. Et idcirco oportet nos esse et justitiæ memores et salutis, quandoquidem in sempiterna justitia regnaturi, a præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur quod corde gestamus. Credere enim dat salutem, quia justitiam parit, quæ est causa salutis, si quod cor credit, os confiteatur. Hoc est enim confiteri, A dicere quod habes in corde. Si autem aliud in corde habes, et aliud dicis, loqueris, non confiteris. Noli erubescere de spe tua in conspectu hominum. Quomodo vivit in corde tuo, sic habitet in ore tuo, quia non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. Parum est ergo in corde habere Christum, et nolle confiteri dum timetur opprobrium. Qui enim salutem cupit habere, debet fidem suam ore proferre, quia ore confessio fit ad salutem. Alioquin credulitas cordis non dat salutem, quamvis corde credatur ad justitiam, vere fides ore prolata perducit ad salutem, nam *Scriptura dicit* in libro Isaiæ : Omnis non solum Judæus, sed et gentilis, *qui credit in illum*, hoc est in Christum, B *non confundetur*, id est non erubescet in die judicii, quia salutem quam credit, consequetur. Et vere omnis. *Non est enim distinctio Judæi et Græci*, id est propheta neque Judæum, neque gentilem nominavit : sed in eo quod ait, omnis, ostendit de utroque populo, quia quicunque sincera fide rectisque operibus Deo ingemuerit, salvus esset possit. Vere non est distinctio. *Nam idem Dominus est omnium*, sive Judæorum, sive gentilium, *dives in omnes*, id est sufficiens ditare omnes *qui invocant illum*, id est qui pia devotione in seipsos vocant illum, præparando se dignos tali habitatore. Illis est dives qui invocant, non modo credunt, quia credere dat remissionem peccatorum, invocare impetrat promissa Dei. Orans invocat, sed hoc non potest nisi prius credat. Jure C dixi quia est dives in omnes, non in quosdam, vel in paucos invocatores suos, quia sicut Joel testatur, cum gratiæ tempus prænuntiat, *omnis quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Nullus excipitur, nulli gratia hæc denegatur; sed omnis Judæus et gentilis, cujuscunque gradus et conditionis sit, quicunque piis precibus invocaverit nomen Domini, præparans se dignum ad excipiendum in sui cordis templum habitatorem Deum, salvus erit æterna salute.

« Quomodo ergo invocabunt in quem non credi- « derunt? Aut quomodo credent ei quem non au- « dierunt? Quomodo autem audient sine prædi- « cante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur, « sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evange- D « lizantium pacem, evangelizantium bona (*Isa.* lii; « *Nahum* i). »

Probato quod de utroque populo assumuntur qui salvi fiant, ostendit quod per missionem ad utrosque factam assumuntur, quam qui non recipit, inexcusabilis est. « Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Joel.* ii). » Ergo oportet credere. Quia *quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Invocatio, inquit, salvat. Nemo autem invocat qui non credit. Nisi enim crediderint, non invocabunt; et nisi invocaverint, non salvabuntur. Hoc maxime de gentibus dicitur, ne quis Judæos tantum putaret ad fidem vocandos. Quomodo invocabunt Christum in quem non crediderunt? Prius oportet ut credant. *Aut quomodo credent in quem non audierunt?* Prius enim

Digitized by Google

necesse est ut ab ore alicujus audiant illum. Credere namque est ex auditu. Sed *quomodo audient eum sine aliquo prædicante?* Necesse est ut aliquis prædicet, a quo cæteri audiant quid credere debeant. Non enim audient nisi prædicatum fuerit. Sed *quomodo* doctores *prædicabunt nisi mittantur?* Non possunt prædicare nisi missi fuerint, quia non sunt veri apostoli nisi missi. Et inanis est hominum conatus, nisi Deus missos suos juverit. Nec eis annuntiandi virtus ulla subsistit, nisi adfuerit illis ipse qui misit. His dictis refutat Apostolus eos, qui negabant ad incircumcisas gentes mittendos esse prædones Christi, et ostendit salutem per Dei gratiam omnibus advenisse. Salus, inquit, est ex invocatione, invocatio ex fide, fides ex auditu, auditus ex prædicatione, prædicatio ex missione, ut ita totum descendat ex fonte gratiæ. Omnia ergo non ex nobis, sed ex Dei gratia sunt nobis, qua præmissi sunt prædicatores nostræ salutis, *sicut* in Isaia *scriptum est : Quam speciosi,* id est admirabiliter pulchri, *pedes,* id est gressus apostolorum mundum illuminantium, in quo apparet eos a Deo missos, quoniam aliter hoc facere non possent. Speciosi sunt, id est pulchritudine virtutum, et claritate miraculorum ac prædicationis decorati sunt; pedes, id est incessus apostolorum *evangelizantium,* id est bene nuntiantium hominibus *pacem,* id est reconciliationem et concordiam ad Dominum, et *evangelizantium bona* regni cœlorum.

« Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim « dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? (*Isa.* « LIII; *Joan.* XII.) Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. »

Apostoli quidem omnibus evangelizant pacem, sed non omnes obediunt Evangelio, ut pœnitentiam de præteritis agentes, et de cætero recte viventes, studeant habere pacem cum Deo. Nam cum auditus sit ex gratia, necessaria est et alia quæ cor moveat, quia nil foris proficit sermo docentis, si Deus intus cor non tetigerit audientis. Et vere *non omnes obediunt Evangelio,* sed pauci. Nam Isaias voce prædicatorum dicit, querimoniam faciens de raritate auditorum : *Domine, quis,* id est quam rarus est *qui credidit auditui nostro,* id est auditui prædicationis, quam a te audivimus et eis nuntiavimus? Raro ex multis invenitur aliquis qui credat. Et qui non credunt, manifestum est, quia non obediunt. Auditui prædicationis crediderunt pauci de multitudine, *ergo fides est ex auditu;* quia ex eo quod audivimus a doctoribus, incipimus credere; sed *auditus* est non per merita nostra, sed per *verbum* prædicationis *Christi* quod ab ejus gratia doctores perceperint.

« Sed dico : Nunquid non audierunt? Et quidem « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines « orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII). »

Isaias dicit quod pauci crediderunt, *sed* ego *dico : Nunquid non audierunt?* Utique audierunt, et ideo inexcusabiles sunt qui non crediderunt. *Et quidem* audire potuerunt non solum proximi, sed et remotissimi. Nam *in omnem terram exivit sonus,* id est fama *eorum,* id est apostolorum, *et in fines orbis terræ,* id est in omnes mundi terminos in circuitu processerunt ipsa *verba eorum,* ut veritas non solum per famam audiretur, sed et per ipsa prædicantium dicta cognosceretur. Quod tamen ex toto necdum fuerat impletum, quando scribebat Apostolus; sed verbis præteriti temporis locutus est, sicut et propheta quod futurum erat, et ex magna parte jam completum fuerat.

« Sed dico : Nunquid Israel non cognovit? Primus « Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam « in non gentem, in gentem insipientem, in iram « vos mittam (*Deut.* XXXII). Isaias autem audet et « dicit : Inventus sum a non quærentibus me, pa- « lam apparui his qui me non interrogabant. Ad « Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas « ad populum non credentem, sed contradicentem « mihi (*Isa.* LXV). »

In omnes gentes usque ad orbis terminos processit fama Christiani nominis. *Sed dico : Nunquid Israel non cognovit* quod totus mundus audivit? Non ignoravit Israel hanc salutem, sed cognovit quia posset audisse et cognovisse. Cognovit, quia contradicere non potuit. Sed non vere cognovit, ut in mente ejus bene sederet. Cognovit ad testimonium suæ damnationis, non in adjutorium suæ salvationis. Vere cognovit, quia *Moyses primus* doctor eorum *dicit* hoc, et omnes prophetæ post eum similia loquuntur. Hoc enim innuitur in eo quod Moyses nunc primus appellatur, quem alii secuti sunt in eodem sensu. Moyses voce Dei dicit Judæis in cantico, dum infidelitatem eorum prænuntiat : *Ego adducam vos ad æmulationem in non gentem,* id est tale quid faciam genti paganorum, quæ nec gens dicenda est, propter stultitiam idololatriæ, unde vos æmulationem, hoc est, invidiam habebitis, invidia namque tabescunt Judæi, dum gentes Deum eorum suum dicant et legem atque prophetas ad se pertinere dicunt. Et ita adducti sunt ad invidiam in non gentem, hoc est contra gentilem populum, de quo dictum erat : « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo (*Isa.* XL). » Vel in non gentem, quæ cum esset gens, gentilitatem credendo deposuit; et facta est non gens, id est plebs Christiana per baptismum. Quandiu enim fuerat infidelis, fuit gens, sed in Ecclesia dicitur populus acquisitionis (*I Petr.* II). Ita, inquit, mittam vos in æmulationem in non gentem, id est contra conversam gentilitatem, quæ fidem apprehendet quam vos respuetis, in gentem insipientem, id est contra eamdem gentilitatem, quæ Dei sapientiam ignorabat, et stultitiam idololatriæ prædicabat, *et mittam vos in iram,* id est in indignationem, hoc est permittam vos irasci et indignari, hoc est tanta beneficia gentilitati tribuam, ut vos inde irascamini. Hoc Moyses dixit, et hanc Scripturam Judæi legunt et legerunt, ideoque præ-

Digitized by Google

dicationem Christi in gentibus per orbem esse cognoscunt. Hoc Moyses, sed *Isaias audet et dicit*, id est audacius loquitur de salute gentium, quia quamvis sciret sibi imminere periculum, audacter tamen verbum Dei prædicabat. Manasses enim rex, ut Hebræi testantur, serra lignea post serravit eum. Sciebat igitur Isaias contemnendum se esse ab impiis et interficiendum, et tamen abjecto timore prædicabat Dei gratiam, et ex persona Christi dicebat : *Inventus sum a non quærentibus me*, id est sponte me obtuli gentilibus, et per fidem me ab illis inveniri feci, qui me quærere non noverant, nec in Scripturis adventum meum scrutabantur sicut Judæi, qui adhuc in libris suis adventum Messiæ quærunt et exspectant, *palam*, non pet ænigmata et figuras, sicut in lege, sed manifesta veritatis cognitione *apparui his* gentilibus *qui me non interrogabant* ab aliis, quia interrogare non didicerant. Ita ad gentes, sed *ad Israel*, carnalem *dicit : Tota die*, id est toto tempore quo cum eis in terra conversatus sum, illuminans mundum, *expandi manus meas*, id est ampliavi operum meorum beneficia, *ad populum* Judaicum *non credentem* mihi, et quod pejus est, *contradicentem*. Convenienter enim per extentas manus tota die, continuatio bonorum operum intelligitur a quorum intentione Salvator nunquam cessavit, sed infideli populo semper exhibuit, ac sicut nutrix parvulum expansis manibus excipere paratus fuit. Significant enim expansæ manus, et parentis clementiam suos filios in sinum recipere gestientis. Possunt et largitatem donantis exprimere, quod nihil eis petentibus denegaverit, sed roganti leproso mox sanitatem reddiderit (*Matth.* VIII), et oculos cæcorum rogantium protinus aperuerit (*Luc.* XVIII), sicque cætera petentibus dederit.

CAPUT XI.

« Dico ergo : Nunquid repulit Deus populum « suum ? Absit ! Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Benjamin. Non repulit Deus « plebem suam quam præscivit. »

Quia tot auctoritatibus confutavit Judæos, ne insultarent eis gentiles, et dicerent eos ex toto esse repulsos, incipit rursum de eorum salute loqui, ostendens non omnes esse reprobatos. Commemoraverat enim prophetæ testimonium de prænuntiata futura incredulitate populi Israel. *Tota die expandi manus*, etc. Et ne quis male intelligens, universum illum populum crimine incredulitatis et contradictionis arbitraretur esse damnatum, continuo subjecit : *Dico ergo*, etc. Hic ostendit quam plebem dixerit utique Israeliticam. Quam si totam Deus reprobasset atque damnasset, non utique esset ipse Christi apostolus, ex semine Abrahæ et tribu Benjamin. Quia, inquit, dixi *populum non credentem et contradicentem*, ergo dico et hanc quæstionem facio : *Nunquid* propter multitudinem incredulorum et contradicentium *repulit Deus populum suum*, ut evacuaret promissiones quas patribus eorum fecerat? *Absit* ut repelleret eum, qui tot millia credentium A inde elegit! Vere non omnem populum illum repulit, *nam et ego* qui hæc loquor, *sum Israelita*, id est sum ex eodem populo Judæus, non proselytus, *ex semine Abraham*, id est descendens ex Abraham, *de tribu Benjamin*, id est per lineam Benjamin. Non me repulit Deus, qui ita sum ex illa gente. Similiter non repulit plebem suam ex Israel, quam præscivit, id est prædestinavit. Prædestinatio enim hoc loco significatur nomine præscientiæ. *Non repulit*, inquit, *Deus plebem suam quam præscivit*, id est ad vitam prædestinavit. Atque ut ostenderet Dei gratia fuisse relictas Israeliticæ gentis reliquias, non meritis operum eorum, secutus adjunxit valde necessarium testimonium, dicens :

« An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quem- B « admodum interpellat Deum adversus Israel? Do- « mine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suf- « foderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt « animam meam (*III Reg.* XIX). Sed quid dicit illi « responsum divinum? Reliqui mihi septem millia « virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. « Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ secundum « electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gra- « tia, jam non ex operibus. Alioquin gratia jam non « est gratia. »

Inde, inquit, potest videri quod Deus multos sua gratia reservavit, quos non repulit, quoniam tempore Eliæ tam pauci fuerunt, ut ipsi Eliæ nulli viderentur esse quos non repulerit, et tamen tunc in tanta bonorum oppressione fuerunt multi quos in gratia Dei sibi reservavit. Et hoc est, quod interrogando dicit ad increpationem eorum, qui totam plebem Israeliticam a Deo repulsam esse putabant : *An nescitis quid Scriptura* tertii libri Regum *dicit in Elia*, id est in gestis Eliæ, scilicet *quemadmodum ipse interpellat Deum adversus Israel*, id est inter se et illos judicem eum *interpellat*, et contra perfidos provocat? *Domine*, inquit, *prophetas tuos* præcepto impiissimæ reginæ Jesabel *occiderunt*, et *altaria tua suffoderunt*, id est a fundamentis subverterunt, *et ego relictus sum solus* ex tuis *et quærunt animam meam*, id est me occidere. Quasi dicat : Non debes eis parcere, quia tanta mala fecerunt. Ipse sic interpellabat, et se solum putabat. *Sed quid dicit illi responsum divinum?* id est quid respondet ei Dominus? *Reliqui mihi septem millia virorum*. Non ait, relicta sunt mihi ; aut, reliquerunt se mihi, sed *reliqui mihi*. Ubi non humanum opus, sed divina gratia patenter ostenditur. In septem vero millibus virorum, perfecta summa viriliter agentium exprimitur : *Reliqui*, inquit, *mihi*, id est per gratiam reservavi, *septem millia virorum*, quia tunc erant multi quos Deus sibi reservaverat, quamvis nesciret Elias, quoniam grana latebant sub acervo palearum. *Qui non curraverunt genua ante Baal*, id est non adoraverunt dæmonium, quod adorabat populus Israel sub rege Achab. Ubi omnem populum simul propheta putaverat refutatum, inventa sunt septem millia virorum qui permanserunt in Testamento Dei. *Sic ergo*

Digitized by Google

et in hoc tempore gratiæ facilius *salvæ factæ sunt reliquiæ*; hoc est quandoquidem ante tempus gratiæ Deus tot millia ex sua gratia reservavit contra opinionem tanti prophetæ; ergo sic, id est, simili modo etiam in hoc tempore gratiæ et prædicationis Evangelii credendum est multos esse quos Deus præscivit et suos esse prædestinavit, et hoc non secundum humanum meritum, sed *secundum electionem gratiæ*, quam nulla operum merita præcesserunt. In hac ergo electione et in his reliquiis est illa plebs, quam propterea Deus non repulit, quia præscivit. Præscivit enim reliquias quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus, hoc est prædestinavit. Dixi quia secundum electionem gratiæ sunt salvatæ. Sed *si gratia* salvatæ sunt, *jam non ex operibus* eorum processit illa salus. *Alioquin*, id est si aliter est, *gratia*, id est gratuitum donum Dei *jam non est gratia*, id est gratuitum donum, sed debitum. Si enim gratia ullis bonis meritis datur, jam non gratis datur, sed debita redditur. Ac per hoc non vero nomine nuncupatur, ubi merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si autem vera est gratia, id est gratuita, nihil invenit in homine cui merito debeatur. Quod bene intelligitur in eo quod dictum est « pro nihilo salvos facies eos (*Psal.* LV). » Ipsa enim dat merita, non meritis datur; et prævenit etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt.

« Quid ergo? Quod quærebat Israel, non est con-
« secutus, electio autem consecuta est; cæteri vero
« excæcati sunt, sicut scriptum est : Dedit illis Deus
« spiritum compunctionis, oculos ut non videant,
« et aures ut non audiant, usque in hodiernum
« diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum coram
« ipsis in laqueum et in captionem, et in scandalum,
« et in retributionem illis (*Psal.* LXVIII). Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum
« semper incurva. »

Quandoquidem non ex operibus, sed gratia Dei tantum salvatæ sunt reliquiæ de multitudine Israelitarum, *ergo quid* dicendum est? Hoc scilicet, quia *quod quærebat Israel*, id est justitiam vel salutem, quam quærebat in lege populus Judæorum, *non est consecutus* per opera legis, sed *electio*, id est illa pars quæ ex eodem populo est electa, *consecuta est* per gratiam justitiam et salutem. Electio consecuta est, sed *cæteri* qui non pertinent ad sortem electionis, *excæcati sunt* justo Dei judicio, *sicut scriptum est : Dedit illis Deus*, id est juste permisit ut illi haberent, *spiritum compunctionis*, id est spiritum malignum, quo compungerentur et stimularentur ad malum. Malam enim significat hic compunctionem, quia sæpe fit ut bonum homini sit molestum, ut Pharisæis doctrina Christi. Et dedit eis justo judicio *oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem*, id est usque ad præsens tempus. Hic enim oculos et aures interioris hominis debemus intelligere, quibus excæcati et surdi effecti sunt, qui Christum videntes in corpore et audientes in doctrina ejus, neque credere operibus quæ videbant, nec obedire verbo quod audiebant, voluerunt. Quicunque enim cum intellexisset, credere noluit id quod verum est, debet consequi quod vult, ut de cætero non possit credere. In voluntate ergo sua adjuti sunt, ut quia scientes verum dicebant esse falsum, de cætero non intelligerent. Cæci itaque sunt oculi cordis eorum, ut lucem veritatis Christi nequeant videre; et aures surdæ, ut spiritales Scripturarum sensus non possint audire. Ubi autem scripta sit hæc sententia, non satis apparet. Tamen beatus Hieronymus dicit eam in Isaia scriptam, ubi nos legimus : « Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros qui vident visiones, operiet (*Isa.* XXIX). » Ego autem si aliud quam tantus doctor auderem dicere, magis in Deuteronomio illam inveniri putarem, ubi Moyses loquitur : « Non dedit vobis Dominus cor intelligens et oculos videntes et aures quæ possint audire, usque in præsentem diem (*Deut.* XXIX). » Hæc vel Isaias vel Moyses de excæcatione et surditate eorum loquitur. Et David inde dicit (*Psal.* LXVIII) : *Mensa eorum*, id est Scriptura quæ variis sententiarum ferculis consuevit eos pascere, *fiat in laqueum*, id est vertatur eis in laqueum ut illaqueet eos, *coram ipsis*, id est videntibus ipsis, ut iniquitatem suam agnoscant, et in ea pertinacissime perseverent; tantumque valeat animi ipsorum præsumptio, ut coram ipsis laqueus sit, et incidant in eum. Hæc non optantis, sed prophetantis sunt verba; non imprecantis ut hoc fiat, sed prædicentis quod hoc fiet. Fiat ergo, quia non potest aliter, nisi ut talibus ista eveniant, esse. Fiat illis mensa in laqueum, ut Scriptura male intellecta illaqueet eos et faciat inhærere litteræ, ne veniant ad Christum et ad Evangelium, et fiat illis *in captionem*, ut capiat eos et teneat, ne recedere possint a vetustate; et fiat illis *in scandalum*, ut per eam scandalizentur in Christo Sabbatis operante virtutes, et fiat illis *in retributionem*, ut per eam recipiant malorum suorum vicissitudinem, id est æternam damnationem. *Obscurentur oculi* cordis *eorum, ne videant*, ut quoniam sine causa viderunt, fiat illis et non videre. Et post oculorum obtenebrationem *incurva semper dorsum eorum*, ut postquam cessaverint superna cognoscere, semper de inferioribus cogitent; qui enim supernis intendunt, curvum dorsum non habent, quia erecti stant, dum spem repositam sibi in cœlo exspectant. At vero qui futuræ vitæ spem non intelligunt, jam excæcati de terrenis et infimis cogitant, et hoc est habere dorsum curvum, quia terram semper intuetur qui curvus est. Et tales sunt nunc omnes Judæi, similes scilicet brutis animalibus, quorum vultus in terram pronus est ventri intentus.

« Dico ergo : Nunquid sic offenderunt ut cade-
« rent? Absit. Sed illorum delicto salus gentibus,
« ut illos æmulentur. Quod si delictum illorum di-
« vitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ
« gentium, quanto magis plenitudo eorum? »

Digitized by Google

Quoniam Judæos auctoritate prophetarum docuit excæcatos esse, et scandalum, id est offendiculum et impactionem pedum pertulisse, ne gentiles his verbis haberent occasionem spernendi eos, ingreditur iterum loqui de salute eorum. Quia, inquit, aspere locutus sum de excæcatione eorum, et offensione, *ergo* ne quis desperet de salute eorum, *dico : Nunquid sic offenderunt*, id est pedibus impegerunt, *ut caderent ?* id est ut tantummodo caderent quasi ad pœnam suam solum. *Absit.* Quasi non ceciderunt, quia nec omnes ceciderunt; et quidam ex his qui ceciderunt, Judæi prædestinatione semper stantes fuerunt, et ex casu cæterorum mundus est erectus. Non enim irreparabiliter et sine utilitate ceciderunt, sed casus eorum prodest, et ipsi possunt restitui. Absit ut ex toto caderent. Non ita ceciderunt, *sed illorum delicto salus est gentibus.* Ipsum eorum lapsum talem esse dicit, non ut illi caderent, sed ut delicto suo salutem gentibus darent. Deinde incipit ex hoc loco Judæorum populum commendare, et de ipso casu infidelitatis, ut non superbiant gentes, quia etiam casus Judæorum tam pretiosus exstitit pro salute gentium, sed magis caveant, ne dum superbiunt, similiter cadant. Absit, inquit, ut caderent, sed illorum delicto salus est gentibus. Non dixit quia non ceciderunt, sed quia illorum casus non fuit inanis, quoniam ad salutem gentium profecit, dum prædicatores Evangelii a se repellerent, et ad gentes migrare facerent. Delicto illorum salus est gentibus, quia propter necem Salvatoris dispersi, per omnes gentes gerunt Scripturas sanctas, et testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Christo, et fidem gentium corroborant. Illorum delicto salus est gentibus, *ut illos æmulentur Judæi*, hoc est imitentur. Hoc sæpe factum est, et plenius [*al.* sane] fiet in fine sæculi, quando Judæi Christianos sequentur in fide Christi. Nam sicut nunc illorum lapsus salutem gentibus dedit, ita nunc gentium fides et conversatio Judæis æmulationem conversionis confert et salutis. Potest etiam intelligi, ut gentes Judæos æmulentur, id est ut credant sicut et ipsi credebant, ut Dei æmulatione contra opera eorum mala moveantur. Dixi delictum eorum prodesse, *Quod si*, hoc est, sed si *delictum*, id est quod Christum occiderunt, vel verbum prædicationis repulerunt, *divitiæ sunt mundi*, id est ditavit mundum fide et religiosis operibus et moribus, *et diminutio eorum*, id est paucitas ad fidem conversa; hoc est, pauci de eis conversi, *divitiæ sunt gentium*, id est ditaverunt gentes fide et virtutum perfectione, ac Spiritus sancti charismatibus, *quanto magis plenitudo eorum*, quæ in fine mundi convertetur, ditabit mundum ? id est, si malum eorum vertit Deus in bonum, hoc est in divitias mundi, multo magis bonum eorum, cum in fine multitudo vel plenitudo eorum conversa fuerit, ditabit gentes doctrina et exemplo. In quo ostendit nec inutilem, nec irreparabilem casum eorum. Mirabiliter enim dispouit omnia Dei sapientia, apud quam nec ipsa delicta, nec lapsus inutiliter cedunt. Nam cum unusquisque ex propositi sui libertate delinquat, dispensatio divinæ sapientiæ per hoc ipsum, in quo illi damno suæ negligentiæ pauperes fiunt, alios divites facit, sicut nunc delictum Judæorum ditavit gentes, ut eorum sine labore legis fierent cohæredes et concorporales. Potest et ita intelligi quod ait, si diminutio eorum divitiæ sunt gentium, quanto magis plenitudo eorum ? id est si pauci eorum credentes tantum profuerunt gentibus ut eas spiritalibus divitiis replerent, quanto magis si plurimi vel omnes credidissent, prodesse illis poterant ad doctrinam? Duobus enim modis diminutio eorum versa est in divitias gentium, vel quia gentes ab illis paucis sumpserunt exemplum credendi, vel quia cum ipsi pauci credidissent ex Judæis, ventum est ad gentes, ut major fieret numerus credentium.

« Vobis enim dico gentibus : Quandiu quidem « ego sum gentium apostolus, ministerium meum « honorificabo, si quo modo ad æmulandum pro- « vocem carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex « illis. »

Dixi quia plenitudo eorum convertetur. Bene enim poterunt converti, nam et ego pro conversione eorum laboro. *Vobis enim dico gentibus*, qui mihi specialiter estis commissi. *Quandiu quidem ego sum apostolus gentium*, quod semper sum donec vivo, *honorificabo ministerium meum.* Gentium sum apostolus, non Judæorum, et tamen et horum minister. Et quandiu sum apostolus gentium, ad quas specialiter missus sum, honorificabo, id est honorabile faciam ministerium meum per conversionem Judæorum. Quia cum sim positus ad prædicandum gentibus, non solum illis prædicabo, sed etiam ut Judæi convertantur laborabo. In quo honorabile ministerium meum facio, superaddendo ultra quam debeo. Ille vero ministerium suum reddit honorabile, qui quidquid sibi præceptum est et plus facit. Ille vero qui minus et remissius quam debet operatur, ministerium suum vituperabile reddit, honorificabo, inquam, ministerium meum, tentans *si quo*, id est aliquo *modo provocem carnem meam*, id est Judæos, ex quorum genere venio, *ad æmulandum*, id est ad imitandum me, si quocunque modo talem me exhibeam, ut illi me æmulentur et desiderent tales esse. Si hac non potero via, aggrediar alia, id est nunc docendo, nunc exhortando, nunc scribendo, nunc bona exempla monstrando, nunc orando, nunc miracula faciendo, tentabo si aliquo modo provocare possim ad æmulandum me eos, qui sunt caro mea, ut et in spiritu mihi fiant fratres, *ut* ita *salvos faciam* saltem *aliquos ex illis.*

« Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi, « quæ assumptio nisi vita ex mortuis? Quod si « delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, « et rami. »

Ideo laboro, ut aliquem ex illis ad fidem convertam, quia utilis erit eorum conversio. Nam *si amissio illorum*, id est quod Deus propter infidelitatem

Digitized by Google

amisit eos, et reliquit in manu hostis antiqui, *est reconciliatio mundi*, id est causa ut gentes de toto mundo reconciliarentur Creatori suo, *quæ erit assumptio*, id est quod Deus assumet eos in fine sæculi, qui tunc erunt, *nisi vita ex mortuis?* Si hujus gentis abjectio reconciliationem præstitit mundo, et tanta fuit in hac gente gratia, quæ sublata ab ea, mundum universum Deo reconciliare sufficeret, quantum putemus tunc Deum misereri mundo, cum gens ista reconciliari meruerit Deo? Et quid sit, quod ex reconciliatione Israel mundus acquirat, breviter ostenditur, id est vita ex mortuis. Tunc enim erit assumptio Israel, quando jam mortui vitam recipient, et mundus ex corruptibili incorruptibilis fiet, et mortales immortalitate donabuntur. Absurdum namque videtur, si cum offensio eorum reconciliationem mundo donaverit, assumptio eorum non magis aliquid mundo et præstantius largiatur. Assumptio eorum erit vita ex mortuis. *Quod*, id est sed *si delibatio* eorum *sancta est, et massa*. Ne dicatis, inquit, fieri non posse ut multitudo eorum assumatur, quasi totum genus sit repudiatum, quia si delibatio, id est pauci de illis assumpti, ut apostoli et alii discipuli, si illa delibatio sancta est, tunc et massa (id est gens tota), potest sanctificari. Ostendit per simile, quia sicut illi pauci qui tempore apostolorum conversi sunt, dulces fuerunt, sic erit et multitudo eorum quæ in fine convertetur. Nam sicut delibatio alicujus panis est dulcis et bona similiter et ipsa massa quæ remanet, dulcis esse credenda est et bona. Est enim delibatio, parva ex aliqua re assumptio ad experimentum totius massæ, ut ex cibo vel potu. Sed si delibatio sancta est, et massa, quia sapor sanctitatis, qui in paucis primis inventus est, *invenietur* et in multitudine novissimorum; *et si radix* est *sancta*, id est patriarchæ, a quibus trahunt humorem fidei, tunc *et rami* sancti sunt, qui de genere eorum excreverunt.

« Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem « cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius « radicis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari « adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem « portas, sed radix te. »

Sancti sunt et rami, *quod*, id est sed *si aliqui ex ramis fracti sunt*, id est ab arbore sanctæ plebis Dei per superbiam et infidelitatem excisi, noli gloriari. Putata est oliva, non amputata, et inde superbi rami fracti sunt, ipse est blasphemus et impius populus Judæorum. Manserunt tamen rami boni et utiles, nam inde apostoli et multi alii. Et cum ibi rami utiles relicti essent per Dei misericordiam, insertus es et tu gentilis, *cum esses oleaster*, id est agrestis et sterilis naturaliter, *insertus es in illis*, id est aliena operatione conjunctus radici in loco illorum. Illi enim amiserunt radicem, tu tenes eam. Hujus enim arboris radix Abraham et Isaac et Jacob, unde effloruit populus Dei; et isti nunc sunt in requie apud Deum in honore magno. Videamus ergo quemadmodum et ipse Dominus prænuntiet et insertionem oleastri et fractionem ramorum. « Multi, inquit, venient ab Oriente et Occidente (*Matth.* VIII). » Tam late terram occupaverat oleaster, amara silva et sterilis. Sed qui veniunt, jam præcisi sunt de silva. Ubi inserendi sunt ne arescant? Et recumbent, inquit, cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum. Et quid erit de illis qui venerunt ex stirpe Abrahæ? Quid fiet de ramis quibus erat plena arbor? Quid, nisi quia præcidentur et arescent ut isti inserantur? « Filii, inquit, regni ejicientur in tenebras exteriores (*ibid.*). » Hoc itaque commemorat Apostolus factum, quod Dominus prædixit faciendum. *Si*, inquit, *aliqui ex ramis fracti sunt*, id est aliqui ex filiis a sanctitate et promissione patrum abscissi, ut arescant et comburentur, sed *tu cum esses oleaster, insertus es in illis*, id est operatione divinæ pietatis in loco ipsorum plantatus, *et factus socius radicis*, id est patriarcharum in fide et moribus, *et pinguedinis olivæ*, id est spiritalis gratiæ fructiferi populi Hebræorum ante adventum Domini, nunc factus es socius et particeps, *noli gloriari adversus ramos* fractos, id est noli insultare malis aliorum. Gentes enim jam in Christum credentes, erigebant se contra Judæos, quia crucifixerant Christum, cum et de ipsis veniret alius paries ad angularem lapidem, et ideo reprimit illas Apostolus : *Noli*, inquiens, *gloriari adversus ramos. Quod*, id est sed *si gloriaris* adversus eos, scito quia *non tu radicem*, quæ est in patriarchis et prophetis, *portas* et sustines, *sed radix te*, id est non tu fundamentum et sustentatio es radicis, sed radix tui. Gens illa nihil a te, sed tu ab illa fidem habes. Non es stabilis, sed illos per quos stas, destruis.

« Dicit ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. « Bene. Propter incredulitatem fracti sunt, tu autem « fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim « Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec « tibi parcat. »

Quoniam dixi aliquos ex ramis fractos, te vero cum esses oleaster, insertum loco ipsorum, *ergo* propter verba mea hæc *dicis* mihi : *Fracti sunt rami*, ob hoc *ut ego inserar* loco fracturæ ipsorum. Et ad hoc increpative tibi respondeo, quia *bene* dicis. Quod est dicere : Non bene dicis, quia jactanter dicis, et falsum dicis. *Fracti sunt* enim *propter incredulitatem suam*, non propter insertionem tuam, sed *tu fide stas* in radice, de qua sunt præcisi. Nullis enim tuis meritis fidei [*al.* fide] insertus es gratis. ne putes quod personam tuam Deus acceperit, et illos sine causa projecerit. Dei est enim beneficium, non meritum tuum. Fide enim stas, id est non merito tuo, sed gratia Dei. Neque enim propter justitiam tuam vel meritum tuum fracti sunt rami, sed propter infidelitatem suam. Suo vitio fracti sunt, et inde tibi provenit opportunitas salutis, non propter te, sed propter Dei misericordiam. Et ideo *noli altum sapere*, id est superbire noli, quia insertus es, *sed time* ne frangaris per infidelitatem aut superbiam, sicut illi fracti sunt, quia in Christum credere no-

Digitized by Google

luerunt, qui semper in illa radice et in illa arbore prædicatus est. Et ideo fracti sunt inde, qui in eum venientem non crediderunt; et tu insertus es ibi, quia in eum credidisti. Noli ergo altum sapere, id est noli extolli, sed time ne gratiam quam accepisti perdas. Time non servili timore, quam charitas expellit (*I Joan.* IV), sed timore casto, qui permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII). Illo enim timetur, ne incidatur in tormentum supplicii; isto autem, ne dimittatur gratia beneficii. Illo mens pœna terretur, non justitia delectatur; isto anima timet ne amittat gratiam, per quam in ea factum est, ut eam non peccare delectet, timens ne Deus eam deserat; etiam si nullus dolorum cruciatibus puniat. Ilic timor castus est, nec cum ejicit charitas, sed asciscit. Itaque noli altum sapere, sed timore isto time, quia qui altum sapit, et ideo non timet, utique perniciose non timet : Timor virtutum custos est; securitas ad lapsum facilis. Time offendere, time eradicari. Nam *si Deus naturalibus ramis non pepercit*, id est illis qui secundum patrum suorum instituta fuerunt in hac fidei radice plantati, et de hac patriarcharum stirpe naturaliter originem ducebant, timendum est *ne forte* contingat ut *nec tibi parcat*. Putas enim quod tibi adventitio parcat, si eum offenderis, qui nec naturalibus pepercit? si eos ob culpam incredulitatis percussit et fregit, cave ne et te percutiat et conterat.

« Vide ergo bonitatem et severitatem Dei. In eos « quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem « tem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate. « Alioqui et tu excideris. Sed et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim « Deus iterum inserere illos. »

Quandoquidem justo Dei judicio fracti sunt rami, tu vero sola Dei gratia ipsorum loco insertus es, *ergo vide*, id est considera et attende ex una parte *bonitatem* divinæ pietatis qua donantur peccata conversis, et ex alia *severitatem Dei*, id est districtam justitiam, qua frangitur infidelis superbia naturalium ramorum. Salubriter enim non solum bonitas, sed etiam severitas Dei videtur, quoniam et amatur utiliter Deus, et timetur. Et Apostolus gentilem populum, ut in fide stabilis firmusque permaneat, præcepto monet et exemplo terret. Vide, inquit, piam bonitatem et rectam severitatem Dei, dum alios misericorditer eligit, alios juste repellit, et per utrumque disce humiliari. *In eos quidem* ramos qui fracti *ceciderunt* vide *severitatem* justæ percussionis, sed in te qui loco illorum misericorditer insertus es, et agnosce *bonitatem* gratiæ *Dei*, *si tamen permanseris in bonitate*, ut bonis operibus humiliter insistas usque in finem. *Alioqui*, id est nisi permanseris et perseveraveris in bona et religiosa conversatione, *et tu excideris* ab arbore gentis sanctorum, in qua es insertus. Notandum quod hi qui ex propria oliva deciderunt, fracti dicuntur; hi vero qui ex oleastro inseruntur, si iterum peccaverint, non frangendi, quod utique esset levius, sed excidendi asseruntur. In quo acrior profecto Dei severitas demonstratur, si cum esset oleaster, ex peccatorum silva collectus est, et ad radicem fidei, atque sanctitatis adductus, postea rursum amaros malitiæ succos proferat. Si, inquit, bonus esse desieris, tu quoque excideris a bona radice. Nec solum tu, si ad malitiam redieris, excidium patieris, *sed* etiam *illi inserentur*, sicut tu jam insertus es, *si non permanserint in incredulitate*. Quod bene potest fieri. *Potens est enim Deus iterum* per fidem revocare *illos* ad radicem suam et *inserere*.

« Nam si tu naturali excisus es oleastro, et « contra naturam insertus es in bonam olivam, « quanto magis hi secundum naturam inserentur « suæ olivæ? »

Vere potest Deus iterum illos inserere, qui potuit te. Nam *si tu excisus es* ferro verbi Dei *ex naturali oleastro*, id est ex agresti gentilitate in qua natus eras, *et contra naturam insertus es in bonam olivam*, id est in fructiferam plebem Dei, *quanto magis hi secundum naturam*, id est sub lege nati, et per legem docti cultum Dei, *inserentur suæ olivæ*, id est unientur suæ plebi? Contra naturam insertus es in olivam, quia oliva solet in oleastrum inseri, non oleaster in olivam. Nam quisquis hoc fecerit, non inveniet fructum nisi oleastri. Quod enim inseritur, hoc crescit et ejus rei fructus. Sed Deus omnipotentia sua fecit, ut oleaster in radice olivæ inseretur, et non silvestres baccas, sed olivæ fructum daret. Id enim contra naturam dixit, quod est contra consuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit, ut oleaster insertus in olea, non oleastri baccas, sed olivæ pinguedinem ferat. Deus autem creator et conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim non incongrue dicimus Deum contra naturam facere, quod facit contra id quod novimus in natura. Hinc enim etiam appellamus cognitum nobis cursum naturæ. Contra quem Deus cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur. Contra illam vero summam naturæ legem a notitia remotam, sive impiorum, sive infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra seipsum non facit. Populus itaque gentilis excisus est de oleastro, id est de ritibus sterilium gentium, et insertus est in bonam olivam, id est unitus per fidem patriarchis, ut fructum olivæ faciat contra naturam, id est contra institutiones patrum suorum, quoniam idololatria et hujusmodi opera gentibus ex usu sunt natura. Nomen autem olivæ ex libro Jeremiæ sumptum est, ubi Israeliticæ plebi dictum est : « Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum (*Jer.* II). »

« Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, « ut non sitis vobisipsis sapientes, quia cæcitas ex « parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium « intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, sicut « scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob (*Isa.* LIX). Et hoc illis a

Digitized by Google

« me testamentum, cum abstulero peccata eorum. »

Dixi quia fracti rami inserentur suæ olivæ. Et verum est, quia interim quidam, et in fine plenitudo eorum inseretur. Quod volo vos scire ut in spe salutis eorum gaudeatis. Nam *nolo vos, o fratres, ignorare hoc mysterium*, id est secretum divini judicii sacramentum, *ut non sitis vobisipsis sapientes*, id est ne putetis vos vestro judicio et ingenio id posse discutere, vel ne superbiatis de vestra electione et illorum abjectione. Qui enim secundum Deum sapit, in beneficiis Dei non insultat abjectis, sed cum timore gratias agit misericordiæ largientis. Non vobis, sed Deo sitis sapientes, ut non vobis, sed Deo militet vestra sapientia. Hoc mysterium divini consilii nolo ut ignoretis, *quia cæcitas contigit in Israel* non ex toto, sed *ex parte*, id est Israelitæ cæcati sunt, non omnes, sed quidam, hoc est legis defensores, legis tractatores, legis doctores, legis intellectores auctorem legis ignoraverunt et crucifixerunt. Ipsa est cæcitas quæ ex parte contigit in Israel, ut crucifigeretur Christus. Ignoraverunt eum Judæi, et crucifixerunt. Ita contigit in eis cæcitas, mansura in ipsis *donec plenitudo gentium intraret* ad fidem, *et sic*, id est postquam plenaria gentium multitudo conversa esset, *omnis Israel* æmulando gentes *salvus fieret*, credens in Christum prædicante Elia. Terminus enim cæcitatis Israel erit, ubi plenaria multitudo ex omnibus gentibus ingressa fuerit, quia tunc Judæi qui inventi fuerint, credent, et lumen oculorum mentis recipient ad prædicationem Eliæ et Henoch. Salvus fiet Israel accepta Christi gratia, *sicut scriptum est* in Isaia (cap. LIX) : *Veniet ex Sion*, id est nascetur Christus ex populo Judæorum, speculante a longe futuram salutem et humani generis redemptionem. Sion namque *speculatio* dicitur. Veniet, inquam, ille, *qui* cum quadam vi *eripiat impietatem a Jacob*, id est infidelitatem ab eis, de quorum stirpe nascetur. Quod fit interim, quia vix aliquis convertitur ex illis; et in fine *avertat*, quia tunc facile. Cultus Judæorum a passione Domini est impietas. Et hanc impietatem ab illis, qui de Jacob crediderunt, eripuit Christus quadam difficultate, videlicet multis prædicationibus et signis, multis novæ gratiæ præconibus. Hoc Christus in eis, qui tempore suo vel apostolorum ac deinceps crediderunt, fecit, et adhuc quotidie in his qui ex eodem populo fidem suscipiunt, et cum magno labore convertuntur, facit. Et plenius avertet ab eis impietatem, qui per Eliam et Henoch avertuntur ab infidelitate et idololatria, ne Antichristum ut Deum recipiant, sicut gentes. *Et hoc testamentum*, id est firma et stabilis promissio, ait Dominus, complebitur *illis a me*, scilicet ut impietas ab eis avertatur per Christum, *cum abstulero peccata eorum* in baptismo. Hoc est, tunc per Christi mei gratiam avertetur ab eis iniquitas, cum per ejusdem Christi sanguinem delevero peccata eorum. Hæc sententia sic legitur in Isaia : « Et venerit Sion redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob (*Isa.* LIX), » dicit Dominus : « Hoc est fœdus meum cum eis (*ibid.*), » dicit Dominus. Nam quod in translatione nostra dicitur : « Venerit Sion redemptor, » Apostolus ait : *Veniet ex Sion qui eripiat.* Et quod additur. Et eis qui redeunt ab iniquitate Jacob, ipse posuit, *Et avertat impietatem a Jacob.* Et quod sequitur. « Hoc est fœdus meum cum eis, » ipse interpretatus est : *Hoc illis a me testamentum*, et auctoritate apostolica addidit : *Cum abstulero peccata eorum.*

« Secundum Evangelium quidem inimici propter « vos, secundum electionem autem charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona et « vocatio Dei. »

In fine convertentur, sed modo sunt inimici. Superius enim cum diceretur, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, patuit quia pars illius populi excæcata est, et pars fidei lumine illustrata. Quod ideo accidit, quia alii ex ipsis facti sunt inimici Christo, et alii charissimi. *Secundum Evangelium quidem* sunt *inimici*, id est secundum quod Evangelii nova prædicatio evacuare videtur circumcisionem et Sabbatum, et carnales legis cæremonias. Et sunt inimici *propter vos*, qui ad fidem suscepti estis, quia inde graviter sunt irati, quod vos ad Dei cultum estis adducti. Vel propter vos, id est ut vobis locus intrandi fieret, permissi sunt ad inimicitias erumpere. Secundum Evangelium quidem inimici sunt propter vos, quia eorum inimicitia qua occiderunt Christum, Evangelium (sicut videmus) sine dubitatione profecit. Et hoc ex Dei dispensatione venit, qui bene uti novit etiam malis, non ut ei prosint vasa iræ, sed ut ipso illis bene utente prosit vasis misericordiæ : est ergo in malorum potestate peccare. Ut autem peccando hoc vel hoc ex eorum malitia sequatur bonum, non est in eorum potestate, sed dividentis tenebras et ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntate Dei. Tanta quippe ab inimicis Judæis adversus Jesum manus Dei et consilium prædestinavit fieri, quanta necessaria fuerant Evangelio propter vos. Ita secundum Evangelium sunt inimici propter vos, sed *secundum electionem* alii ex ipsis sunt *charissimi*, non propter merita sua, quia gratis sunt electi, sed *propter patres* quibus ista sunt promissa. Secundum electionem, quæ facta est de ipsis secundum gratiam, non secundum debitum, id est secundum hoc quod Deus elegit illos ab æterno, sunt charissimi propter patres, id est propter complendas promissiones patrum, scilicet ut Deus compleret in filiis quod patribus eorum promiserat. Jure dico, secundum electionem, non secundum opus eorum, quia dona Dei spiritalia, quæ suis fidelibus tribuit, et vocatio qua vocat eos ad fidem, sunt sine pœnitentia eorum, quoniam misericordia Dei prævenit omnem bonam voluntatem eorum vel actionem. Nec requirit divina gratia in baptismo gemitum vel planctum vel aliquod opus eorum, nisi solam fidem, sed omnia gratis condonat. Hoc ideo dicit, ne putent

Digitized by Google

illos non posse accipere misericordiam, quia eos dolere non vident. Vel ita potius : Secundum electionem sunt electi propter patres, quoniam dona virtutum quæ Deus præbet electis, et vocatio qua vocavit eos ab æterno, sunt sine pœnitentia ejus, id est sine mutatione stabiliter fixa sunt, sine mutatione consilii ejus permanent. Nam quia omnes pœnitentes mutare solent illud, unde pœnitentiam agunt, pœnitentia pro mutatione, ut causa pro effectu poni consuevit. Unde Scriptura testatur Dominum pœnituisse quod constituisset Saul regem (*I Reg.* xv), et dixisse de his, quos in diluvio erat deleturus : « Pœnitet me fecisse eos (*Gen.* vi). » *Sine pœnitentia* ergo *sunt dona*, id est promissa Dei gratuito facta, *et vocatio* ab æterno, quia non mutabit Deus vocationis vel largitionis suæ sententiam, sed quos ante mundi constitutionem in prædestinatione sua elegit (*Ephes.* i), hos fructum boni operis afferre faciet in tempore suo (*Psal.* i), et fructus eorum manebit, nec eum nisi manentem vitæ hujus inveniet finis, quia perseverantiam habebunt in benefactis. Non enim vocatione illa vocati sunt, de qua dictum est : « Multi vocati, pauci electi (*Matth.* xx); » sed illa, qua soli vocantur electi, qui intus audiunt a Patre et discunt, et veniunt ad Filium (*Joan.* xviii), istorum nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdit ex eo quidquam. Quisquis ergo inde est, omnino non perit, nec erat inde qui perit. Propter quod dictum est : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (*I Joan.* ii). »

« Sicut enim aliquando et vos non credidistis « Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis « propter illorum incredulitatem, ita et isti nunc « non crediderunt in vestram misericordiam, ut et « ipsi misericordiam consequantur. Conclusit « enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium mi- « sereatur. »

Vere cum plenitudo gentium ingressa fuerit, tunc omnis Israel salvus erit, quamvis modo sint inimici. Nam *sicut*, id est qua ratione *vos* scilicet ne causam superbiæ haberetis, *aliquando*, id est, longo tempore plus quam isti, *non credidistis Deo*, quod ad hoc valuit, ut modo humiles credatis, sed *nunc* id est nuper sive tempore gratiæ *consecuti estis misericordiam propter incredulitatem eorum* quæ aliqua causa est vestræ misericordiæ, *ita*, id est eadem ratione, *et isti*, ne postea cum fuerint conversi, habeant materiam in lege gloriandi, *nunc* in tempore gratiæ *non crediderunt* venientes *in vestram misericordiam, ut et ipsi* in fine humiliati *misericordiam consequantur*. Hoc est, sicut vos gentes quondam non credidistis Deo, nec tamen idcirco penitus reliquit vos Deus, præsertim cum in vocatione temporis Israel nunquam exclusi sitis, sed semper vobis in proselytis janua patuerit revertendi, et aliquando plenam misericordiam ad ultimum consecuti estis, occasio tamen conferendæ in vos misericordiæ et populi incredulitas exstitit, ita etiam hi qui nunc de populo Israel non crediderunt, et pro incredulitate sua derelicti sunt, ut ad nos Dei misericordia flecteretur, non usquequaque derelinquentur in incredulitate sua, sed postquam plenitudinis gentium fuerit impleta dispensatio, etiam ipsi misericordiam consequentur; et quotidie patet eis ostium misericordiæ, si converti voluerint. Cum enim misericors Deus gentes traxit, iratus Judæam repulit. Actumque est ut sicut dudum ad percipiendam fidem gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem gentilitate suscepta, Judæa perfidiæ torpore duresceret. Hæc itaque sententia Apostoli primum quidem de vocatione Judæorum et repulsione gentium subtiliter est prolata. Ideo ita de utrisque actum est, quia *Deus conclusit*, id est concludi permisit *omnia*, id est Judæos et gentes in *incredulitate*, ut incredulitas concluderet eos ac detineret, quoniam aliter ex superbia ruerent, ut *omnium* id est Judæorum et gentium *misereatur*, non quod nullum damnaturus sit, quod quidam false opinati sunt. Omnium itaque miseretur vasorum misericordiæ. Quid est omnium? Et eorum scilicet quos ex gentibus, et eorum quos ex Judæis prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit. Deficiente enim ab utrisque fide, nisi judicium suum potestas divina differret, universitas hominum sententiam damnationis exciperet. Sed in misericordiam ira translata est tunc præcipue, quando nemo poterat de suis meritis gloriari. Considerans igitur Apostolus tantas divitias bonitatis Dei, et tam magnum opus sapientiæ ejus erga rationales creaturas, qui tantum dives est in misericordia, et cujus tanta est bonitas et patientiæ longanimitas, dum immensitatem earum cordis oculis intuetur, repente stupore simul et pavore percussus exclamat, subjungens :

« O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei. « Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et « investigabiles viæ ejus? Quis enim cognovit sen- « sum Domini? (*Sap.* ix; *Isa.* xl; *I Cor.* ii). aut « quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit « illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ip- « sum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula « sæculorum. Amen. »

Nam quia superius multa posuerat, unde quæstiones istæ possent fieri, quare Jacob elegit, Esau vero reprobavit, et cur alios indurat aliisque miseretur, et quare prius Judæos quam gentes elegit, et post Salvatoris adventum quare Judæos populum suum reprobavit et gentes assumpsit, rursumque circa finem sæculi cur omnem Israel salvabit, et multitudinem gentium perire sustinebit, ne quis inde quæreret solutionem unde nunquam perveniretur ad finem, prorumpit in admirationem, in qua illa non esse humanis sensibus intelligibilia ostendit. Ne quis enim quæreret, quare sic salvantur cum multa alii modi salvationum sint, hoc non posse sciri per admirationem innuit Apostolus : *O*, in-

Digitized by Google

qult, *altitudo*, etc., ac si dicat : Hic standum est, hic humana ratio deficit, nec secreta divinæ sapientiæ penetrat, ut intelligere possit cur ita divinitus agatur de singulis, ut isti eligantur et illi reprobentur, et nunc Judei, nunc gentiles ad fidem ingrediantur. Nam o quanta est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, qui secreto consilio suo sic disponit omnia, ut servata unicuique arbitrii libertate, et mala aliorum vertat aliis in bonum, per incredulitatem aliorum operetur aliorum salutem. Tanta est hæc altitudo, ut exsuperet omnem sensum, quia educit super omnia in obscuritatem omnem intellectum et omnem rationem. Et hæc altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; magnas enim divitias habet sapientia et scientia ejus, quæ novit omnia et sapienter disponit omnia (*Sap.* VIII). Sapientia de divinis et spiritualibus dicitur, scientia de humanis atque corporalibus. Est enim sapientia in Deo, et de ipso et de Angelis, atque de omnibus supercœlestibus creaturis, quoniam has præter ipsum Deum nemo perfecte cognoscit. Neque enim vel ipsi angeli seipsos perfecte cognoscunt, inquantum Deus illos perfecte intelligit usque ad plenum. Scientia quoque de omnibus humanis et mundanis rebus est in eo perfecta. Per hanc sapientiam et scientiam gubernat et disponit ipse sapienter omnia cœlestia et terrena, licet nos absconditas causas operum ejus ignoremus. Juxta beatum Gregorium, publica sapientiæ supernæ sunt opera, cum omnipotens Deus regit quos creat, perficit bona quæ inchoat, et aspirando adjuvat quos visitationis suæ lumine illustrat. Cunctis enim liquet quia ipse perficit quod ipse ex munere suæ benignitatis inchoavit. Secreta vero sapientiæ supernæ sunt opera, cum Deus quos creavit deserit; cum bona quæ præveniendo cœperat, nequaquam prosequendo consummat; cum claritate nos suæ illustrationis illuminat, et tamen permissis carnis tentationibus, tenebris cæcitatis pulsat; cum dona quæ contulit minime custodit; cum et mentis nostræ ad se desideria excitat, et tamen occulto judicio difficultatem nostræ imbecillitatis angustat. Quæ nimirum secreta ejus sapientiæ pauci valent inquirere, sed nullus invenire. Quia quod super nos de nobis ab immortali sapientia non injuste disponitur, justum profecto est ut a nobis adhuc mortalibus ignoretur. Sed hæc ipsa sapientiæ illius secreta conspicere utcunque, jam incomprehensibilitatis ejus est potentiam videre, quia dum in ipsa consiliorum ejus inquisitione deficimus, deficiendo verius discimus quem timeamus. Ad hæc igitur sapientiæ illius secreta se extendens Apostolus, ait : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Mira est enim celsitudo tantarum divitiarum divinæ sapientiæ et scientiæ, quam nihil latere potest vel effugere, sed ipsa uno intuitu conspicit omnia, et virtute suæ omnipotentiæ continet universa. *O quam incomprehensibilia sunt judicia ejus*, id est, dispositiones de omnibus rebus, *et investigabiles viæ ejus*, per quas ambulat in cunctis operibus suis, quoniam judicia ejus, quibus unamquamque animam atque omnem naturam rationalem dispensat, penetrare nemo sufficit; nec vias ejus quibus providenter incedit, investigare quispiam valet, id est nec homo, nec angelus. Valde ergo parvum sensum habemus ad discutiendam justitiam judiciorum ejus, ad discutiendam gratiam gratuitam nullis præcedentibus meritis, non iniquam quæ non tam movet, cum præstatur indignis, quam cum æque indignis aliis denegatur. Viæ autem ejus investigabiles illæ sunt, de quibus in Psalmo canitur : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV). » Misericordia igitur et veritas ejus investigabiles sunt, quia cujus vult miseretur, non justitiæ, sed misericordiæ gratia; et quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Per has enim vias venit ad omnes, et investigari non potest cur ad hunc veniat per viam misericordiæ, ad illum vero per viam veritatis vel justitiæ. Nulla enim creatura perscrutari valet cur ipse misereatur huic potius quam illi. Vere sapientia et scientia ejus est mirabilis, et judicia ejus incomprehensibilia. *Nam quis cognovit sensum Domini* in sapientia et scientia? Id est quis perfecte novit secreta sensus illius? quis arcanorum mentis ejus fuit conscius? Nullus, *aut quis consiliarius ejus fuit* in dispositione rerum, cujus consilio aliquid ageret, vel qui ejus consilium sciret? nullus. Hic versus ex libro Isaiæ sumptus est, cujus auctoritate probat Apostolus non debere talia investigari ab hominibus, quæ etiam propheta se ignorare demonstrat. Si quis novit consilium alterius, vel per hoc novit quod ipse consultus, id est interrogatus sibi dedit, vel quia quod ille invenit, sibi revelavit. Quare nulli datur scire occultum Dei consilium, cum ipse nec aliquem consuluerit, nec inventum alicui revelaverit. Nam sicut sensus ejus non potest cognosci, ita consilium ejus non potest sciri. Quis fuit consiliarius ejus: *aut quis prior dedit illi* quidquam, et per hoc *retribuetur ei* ab ipso? Nullus, quia ipse prævenit omnes. Hoc probat investigabiles esse vias ejus, quia cum sit initium omnium bonorum, investigari non potest cur ipse aliis gratiam suam gratuito munere tribuat, et aliis non tribuat, sicut cernimus factum in Jacob et Esau. Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Id est quis prior fecit aliquid boni sine Deo, cujus bonitatis est etiam quod sumus et vivimus? Nullus enim Deum meritis antecessit, ut tenere eum quasi debitorem possit; sed ipse potius omnes, ut dictum est, sua gratia prævenit, ut subsequi possint eorum bona opera. *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Et ipsum igitur initium fidei nostræ ex ipso est; neque enim hoc excepto ex ipso sunt cætera. Ex ipso sunt omnia, id est bona voluntas et bona actio et omnes naturæ. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturaliter subsistentia non sunt, sed bene conditam substantiam vitiant. Ex ipso autem, non hoc significat quod de ipso. Quod enim de ipso est, potest dici ex ipso; non autem omne quod ex

Digitized by Google

ipso, recte dicitur de ipso. Ex ipso enim cœlum et terra, quia ipse fecit ea; non autem de ipso, quia non de substantia sua. Sicut aliquis homo si generet filium et faciat domum, ex ipso filius et ex ipso domus, sed filius de ipso, domus de terra et ligno. Sed hoc ideo quia homo est qui non potest aliquid etiam de nihilo facere. Deus autem ex quo omnia, et per quem omnia, et in quo omnia, non opus habet aliqua materia, quam ipse non fecerat, adjuvari potentiam suam, et ideo cuncta fecit de nihilo. Ex ipso potest intelligi ex Patre omnia; et per ipsum, per Filium omnia; et in ipso, in Spiritu sancto omnia. Per has præpositiones, *ex*, *per*, *in*, ostenditur diversitas personarum; per idem pronomen quod est ipse, designatur identitas substantiæ, dum dicitur, ex ipso et per ipsum et in ipso. Nec solum eadem substantia Patris et filii et Spiritus sancti, sed et æqualitas per hoc demonstratur, et tota Trinitas omnia creasse et continere declaratur. Et ideo *ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Dicendo ter, ipsum, distinxit, ut diximus, personas; et subjungendo, ipsi gloria, non divisit substantiam. Possumus et absque personarum distinctione hæc de eodem, qui est Trinitas, intelligere. Sic enim exponit Ambrosius. Quid est ex ipso? Quod ipsius voluntate natura omnium sit, et ipse sit auctor omnium quæ esse cœperunt. Per ipsum, quid est? Quia per ipsum institutio et perseverantia omnibus impertita videtur. In ipso quid est? Quia omnia admirabili quodam desiderio et inenarrabili amore auctorem vitæ et ministratorem gratiæ suæ ac muneris intuentur, secundum quod scriptum est: « Oculi omnium in te sperant, et aperies manum tuam, et implebis omnem animam bona voluntate (*Psal.* CXLIV). » Et quoniam ita sunt ex ipso, et per ipsum et in ipso omnia, idcirco ipsi gloria in sæcula. Illi autem nolunt ut sit ipsi gloria in justificandis impiis gratuita gratia, qui ejus ignorantes justitiam, volunt suam constituere, ut sui meriti præcedat aliquid, quasi priores volentes dare ut retribuatur eis ab illo, et sua putantes præire merita ad illum ex quo omnia.

CAPUT XII.

« Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam « Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, « sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium ve- « strum. »

Ab hoc loco incipit moralis admonitio post tractatum legis et fidei, ac naturam Judaici populi et gentilis. Cum enim per omnem textum hujus epistolæ in superioribus docuisset Apostolus, quomodo a Judæis ad gentes, a circumcisione ad fidem, a littera ad spiritum, ab umbra ad veritatem, ab observantia carnali ad spiritalem, religionis summa translata sit, et hæc ita futura propheticis ostendisset vocibus designata, jam nunc spiritales observantiæ hujus, ad quam cultus Dei ritum docuit esse translatum, aggreditur mores et statuta sancire, et ad bonam vitam utrumque simul populum monere. Hucusque enim ostensum est, ne alter adversus alterum superbiret; nunc ut alter de alterius utilitate laboraret, quasi dicat: Hactenus vitia exstirpavi, nunc itaque virtutes plantare disposui. Et ideo *obsecro vos, o fratres*, etc. Vel ita continuatur ad proximum. Quando quidem ex Deo sunt omnia, et ex gratia ejus habemus quidquid boni habemus, *itaque obsecro vos, fratres*, id est quod rogo, fraternitas exigit. Non per potentiam impero, nihil enim proficit legis imperium; sed quasi qui officium susceperim reconciliandi vos Deo, obsecro *per misericordiam Dei*, id est per misericordiam vobis a Deo factam. Quia enim omnes sub peccato conclusi sunt, non jam meritis hominum, sed misericordia Dei salus humana consistit. Ad quam misericordiam pertinet et sacrificium, quo se quisque Deo mactat exstinguendo vitia, quia et in seipsum facit misericordiam sicut scriptum est: « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* XXX). » Et ideo per misericordiam rogat Apostolus exhiberi corpora hostiam. Obsecro, inquit, *ut exhibeatis*, id est offeratis *corpora vestra hostiam viventem*. Hostia quippe et immolatur et viva est, quando et ab hac vita homo non deficit, et tamen se a carnalibus desideriis occidit. Hostia enim occiditur ut offeratur. Sed hostia vivens est, corpus pro Domino afflictum. Quod et hostia dicitur, et vivens, quia vivit in virtutibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum; vivens autem, quia cuncta quæ prævalet, bona operatur. In lege corpora brutorum animalium hostia mortua, sed in Evangelio corpora hominum offeruntur hostia viva. Tunc hostia occidebatur, ut homines causa peccati subjecti, morti ostenderentur; nunc quia a peccato sunt liberi, viva offertur in signum vitæ æternæ. Qui enim membra sua mortificant ab incentivo libidinis, et actus corporis sui Deo placitos habent; hostiam viventem offerunt, et legem sacrificiorum, quæ in Levitico lata est, spiritaliter complent. Sic exhibete corpora vestra, hostiam viventem, *sanctam*, id est a peccati contagio mundam, et *Deo placentem*, id est virtutum meritis acceptabilem. Et *obsequium vestrum* in Dei cultum exhibete *rationabile* ut rationabiliter omnia faciatis, nec sit quidquam in actionibus obsequii quod Deo impendatis, unde rationem reddere non possitis. Vel rationabiliter, id est cum discretione facite omnia, ne quid nimis aut imprudenter agatis, sed cuncta moderate et sapienter (*Ephes.* V; *I Thess.* IV).

« Et nolite conformari huic sæculo, sed refor- « mamini in novitate sensus vestri, ut probetis « quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens, et « perfecta. »

Ita vosipsos sacrificium facite. *Et nolite conformari huic sæculo*, id est nolite formam hujus sæculi vobis imprimere, ut similes efficiamini huic sæculo nequam, *sed reformamini*, id est rursum formamini ad imaginem Dei, quæ in vobis per peccatum deformata est, ut incipiat illa imago ab illo

Digitized by Google

reformari, a quo formata est. Non enim reformare A reipsam potest, sicut potuit deformare. Ab ea deformitate, qua per cupiditates sæculares conformamini huic sæculo, reformamini nunc in novitate sensus vestri, ut sensus mentis vestræ semper igne charitatis ut aurum innovetur. Sicut generalis, prohibitio est in lege : « Non concupisces (*Exod.* xx); » et generalis jussio est : Diliges; ita nunc apud Apostolum prohibitio est : *Nolite conformari huic sæculo;* jussio autem, sed reformamini in novitate sensus vestri. Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam ; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim, vetustate exspoliamur; et diligendo, novitate induimur. Reformatur autem sensus noster per exercitia sa- B pientiæ et emundationem verbi Dei, ac legis ejus intelligentiam spiritalem. Et quanto quis quotidie ex Scripturarum proficit lectione, tanto altius intellectus ejus ascendit, tantoque semper et quotidie magis novus efficitur, et secundum hanc pulchritudinem reformatur ad imaginem Dei. Justitia enim cum in nobis est, vel quælibet virtus, qua recte sapienterque vivitur, interioris hominis pulchritudo est. Et anima quæ se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ sæcularis amittat, ei tanquam incommutabili formæ subdita reformatur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit. Reformamini, inquit, *in novitate sensus vestri ut probetis quæ sit voluntas Dei.* Nisi enim a Domino renovatus sit sensus noster, et Dei sapien- C tia illuminatus, probare non potest quæ sit voluntas Dei. In multis enim putatur esse voluntas Dei et non est; ubi errant et falluntur, qui sensum non habent divinitus reformatum. Probetis quæ sit voluntas Dei *bona* in his qui bona inchoant, *et beneplacens* in his qui perseverant, *et perfecta* in his qui consummant. Vel bona, quantum ad conjugatos; beneplacens, quantum ad continentes; perfecta, quantum ad virgines.

« Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam « oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut « enim in uno corpore multa membra habemus, om- D « nia autem membra non eumdem actum habent, ita « multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem « alter alterius membra. »

Voluntatem Dei, quæ in præceptis ejus est, probetis, ut secundum eam recte vivatis, nam dico vobis, id est præcipio, ne inscrutabilia ejus arcana discutere præsumatis. *Dico enim per gratiam quæ data est mihi*, id est per apostolatum gratis mihi datum, *omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere*, id est non plus investigare de mysteriis *quam oportet sapere.* Datur intelligi, fuisse quosdam inter eos, qui se intromittebant de illis quæstionibus quas superius denotavit, et conabantur rimari illa secreta Dei. Quos nunc apostolica auctoritate corrigit, dicens eis, non plus sapere, id est non plus inquirere de occultis Dei, quam oportet, id est quam ad fidem et religiosos mores pertinet; *sed sapere ad sobrietatem*, ut mens eorum non inebrietur, ut sensum perdat nimietate sapientiæ, dum in his quæ supra vires humanæ rationis sunt, se immerserit, sed moderato intelligentiæ poculo sobria sit. Obediendum valde est huic præcepto. Si enim pro viribus suis alatur infans, fiet ut crescendo plus capiat. Si autem vires capacitatis suæ excedat, deficiet antequam crescat. Et ideo non est supra modum exquirenda sapientia, sed in hujusmodi inquisitionibus servanda est temperantia. Vel quod ait, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, hoc est quod supra dixerat : « Noli altum sapere, sed time (*Rom.* xi). » Videt enim adhuc superbientes ramos oleastri insultare ramis, qui de bona oliva fracti sunt; et ideo præcipit eis non plus sapere quam oportet, id est non plus de se sentire quam expedit, non plus de se gloriari propter casum aliorum. Superbia enim semper sibi videtur esse sapiens, et ideo plus quam oportet sapere, hoc est superbire. Dico, inquit, omnibus, qui sunt inter vos, non supra modum sapere, sed ad sobrietatem, *et unicuique* dico sapere, *sicut divisit Deus* singulis *mensuram fidei*, quia Deus unicuique mensuram dedit fidei, ut ab alio minus, ab alio amplius haberetur, et unicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleretur. Vel sapiat unusquisque sicut ei Deus divisit mensuram fidei, id est intelligat unusquisque quæ in eo sit mensura gratiæ Dei, quam consequi meruit per fidem. Interdum enim accipit quis a Deo, ut sapiat in officio visitandi infirmos, aut erga misericordias pauperum, aut erga viduarum aut pupillorum defensionem, aut erga hospitalitatis sollicitudinem. Hæc ergo singula divisit unicuique Deus secundum mensuram fidei. Sed nisi is, qui accepit gratiam, ut de uno aliquo horum saperet, intellexerit mensuram gratiæ sibi datæ, sed voluerit præsumere de sapientia Dei, de verbo doctrinæ, de profundioris scientiæ ratione, in qua gratiam non accepit, et non tam discere quam docere quæ nescit, iste cum minus sapiat, plus vult sapere quam oportet. Non enim sapit ad sobrietatem, ut custodiat quomodo Deus divisit unicuique mensuram fidei. Verum ut evidentius adhuc de his Apostolus assignet, introduxit exemplum et dicit. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Ordinatissime enim tali exemplo componit omne corpus Ecclesiæ. Sicut, inquit, membra corporis singula quæque proprios habent actus, et officiis suis unumquodque membrum deservit, nec tamen possibile est ut non consensu mutuo sibi invicem cedant, sic in Ecclesia quæ est corpus Christi, diversos singuli habemus actus. Verbi gratia : Alius studet sapientiæ et verbo doctrinæ, et est oculus in hoc corpore. Alius est deditus mini-

Digitized by Google

sterio fratrum et curæ indigentium, et est manus hujus corporis; alius est studiosus auditor verbi Dei, et est auris hujus corporis; alius ad visendos decumbentes, et requirendos tribulatos, et eruendos in necessitatibus positos est impiger, et est corporis Ecclesiæ pes. Et ita invenitur unusquisque erga unum aliquid officium specialius operam dare. Nec tamen unum debet sufficere, sed secundum formam propositi exempli, sicut verbi gratia, oculus speciale officium habet ut videat, unum tamen est ex omnibus et in omnibus membris, et cum singulis agit omnia, et cum ipso singula quæque agunt omnia, ita et qui per gratiam fidei unum aliquod donum speciale meruerit, illud quidem principaliter administrat, in omnibus vero actibus aliorum habetur et particeps. Et hoc est quod dicit : *Vere divisa est unicuique mensura fidei*, et diversa sunt dona fidei, nam ita est etiam in cæteris donis gratiæ. *Sicut enim in uno*, etc. Vel ideo mensurate divisit Deus donum fidei, quia *multi unum corpus sumus;* et ideo omnia necessaria sunt danda, sed non uni membro, ut nec Ecclesia indigeat, et sit subserviendi materia, ut sit mutua dilectio, dum alter opus habet altero. Sicut enim corpus nostrum est unum, et in ipso multa habemus membra, ita unum est corpus Christi quod est Ecclesia, et in ipso sunt multi fideles quasi varia membra, quia multi unum corpus sumus in Christo. Nullus rejicitur major vel minor. Et sicut in corpore humano non omnia membra habent eumdem actum, sed diversa diversos, et non omnia habent omnes actus in se, sed per alia supplentur; eodem modo in Ecclesia singuli quique nostrum sumus membra alter alterius, ut invicem serviamus. Sicut enim manus servit oculo, oculus pedi, sic in Ecclesia omnium servitus debet esse communis. Nos multi per diversa dona vel opera sumus unum corpus per unitatem charitatis et concordiæ in Christo, sed singuli sumus membra alter alterius, id est aliis servientes et aliis indigentes, ut hoc modo charitatis inter nos vinculo conjungeremur, quoniam singuli singulis indigemus, et quod huic in seipso deest, suppletur per alium.

« Habentes autem donationes, secundum gratiam « quæ data est nobis, differentes. »

Singuli sumus membra, alter alterius, non uno quidem modo, sed *habentes* diversas *donationes* spiritalium numerum *differentes* ab invicem *secundum gratiam quæ data est nobis* a Deo, qua secundum quod unicuique Deus dedit gratis, habet iste hoc donum, et ille aliud.

« Sive prophetiam secundum rationem fidei; sive « ministerium, in ministrando; sive qui docet, in « doctrina. »

Nunc differentiam donationum incipit exponere, ac velut diversorum membrorum actus enumerare. Et quasi oculis visum, ita menti quæ interior est oculus, prophetiæ assignat mysterium. Et alii tanquam manui ministerium [*al.* officium] ascribit, et alii tanquam linguæ doctrinam tribuit. Simili modo et cætera dividit. Singuli sumus invicem membra, ad hoc habentes dona differentia, *sive* habentes *prophetiam*, id est futurorum vel quorumlibet occultorum manifestationem, membra sumus aliorum, ut illis prophetemus, ut quemadmodum oculus aliis membris, ita et nos aliis fidelibus per prophetiam serviamus, prævidendo illis futura, quatenus ad evitanda imminentia mala reddamus illos cautiores. Nos dico, habentes hanc prophetandi gratiam *secundum rationem fidei*, ut nihil extra fidei regulam loquamur aut sapiamus. Vel secundum rationem fidei, quia prout fides credentium sive auditorum exigit capacitas seu salus, datur gratia prophetiæ. A prophetia incipit enumerare spiritales donationes, quia credentes accepto Spiritu sancto, mox prophetabant. *Sive* habentes *ministerium* sicut diacones, ut ministremus sacris altaribus, *in ministrando* sumus membra aliorum pro quorum utilitate ministramus. Vel ministerium, ut terrena alimenta sanctis ministremus, in ministrando sumus eorum membra. *Sive* ille *qui docet* ignorantes *in doctrina*, id est in exhibitione doctrinæ fit membrum eorum.

« Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in « simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui mi- « seretur in hilaritate (*Amos* v). Dilectio sine simu- « latione (*I Petr.* II). »

Qui exhortatur alios ut faciant bonum quod ipsi non faciunt, sed sciunt et negligunt, *in exhortando* fit membrum eorum. *Qui tribuit* de suo aliis, *in simplicitate* fit membrum eorum, id est si nihil repetat ab illis quibus dedit, sed tantum a Deo qui remunerator est omnium bonorum. Vel qui tribuit indigentibus, in simplicitate cordis hoc faciat, hoc est, ne videatur manibus bene facere indigentibus, et corde laudem quærat ab hominibus. Simplicitas excludit hypocrisim. Qui eleemosynam tribuit, faciat hoc in simplicitate supernæ intentionis, non in duplicitate præsentis et futuræ gloriæ. *Qui præest* fratribus vel Ecclesiæ, *in sollicitudine* præsit, ut sollicitus vigilet super custodiam gregis sibi commissi, non in sollicitudine humanarum causarum, aut sæcularium rerum, hæc enim sollicitudo abjicienda est ab his qui Ecclesiæ præsunt, sed in hujusmodi sollicitudine, qualem habebat Apostolus, gerens sollicitudinem omnium Ecclesiarum. Qui ergo præest Ecclesiæ, talem habere sollicitudinem debet, et illam sæcularem habere omnino non debet. *Qui miseretur, in hilaritate* hoc faciat; hoc est, qui misero pie compatitur, impendens illi beneficium misericordiæ, in hilaritate mentis hoc agat, quia « hilarem datorem diligit Deus. (*II Cor.* IX). » Qui enim res suas prærogat, si infidelis sit et recepturum se desperet, contristatur tanquam qui eas perdidit. Qui vero cum fide et spe hoc agit, in hilaritate et lætitia hoc agit, certus quod pro parvis magna recipiet, et insuper æternam consequetur vitam. Opera enim misericordiæ non ob aliud fiunt, nisi ut a miseria

Digitized by Google

liberemur, juxta illud : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* v). » Quod contra Jacobus ait : « Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam (*Jac.* II). » Nam quia in multis offendimus omnes, suggeritur opus misericordiæ tanquam quotidiana medicina quotidianis, etsi levioribus, tamen vulneribus. Misericordia vero multiplex est, scilicet peccanti ignoscere, oppresso subvenire, esurientem pascere, nudum vestire, et similia facere. Et ideo qui miseretur, in hilaritate hoc faciat, ut ex hilaritate vultus et animi gratum magis fiat beneficium ejus tam Deo quam hominibus. Jam dixerat : *Qui tribuit in simplicitate*, et nunc dicit : *Qui miseretur in hilaritate.* Et utriusque sententiæ forsitan videtur unum opus esse, non tamen et operis ipsius unus affectus. Aliud est enim dare indigenti, aliud affectum misericordiæ cum indigente partiri. Et aliud est simplicitas, aliud hilaritas, quoniam simplicitas duplicem excludit intentionem, hilaritas ostendit fretum animum spe cœlestium præmiorum. *Dilectio* quoque *sine simulatione* sit in vobis. Omnis dilectio quæ non est secundum Deum, simulata est et non vera, quia Creator animæ Deus, idcirco ei cum cæteris virtutibus etiam affectum dilectionis inseruit, ut diligat Deum et ea quæ vult Deus. Cum ergo hoc opus dilectionis Deus in anima dederit, quicunque aliud dilexerit quam Deum et quæ Deo placent, charitas in eo ficta et simulata dicenda est. Sed et si quis proximum suum diligat, et cum errantem viderit, non commoneat nec corrigat, simulata charitas ista dicenda est. Et ideo nihil adulatorium, nihil fucatum habere charitas debet.

« Odientes malum, adhærentes bono, charitatem « fraternitatis invicem diligentes, honore invicem « prævenientes, sollicitudine non pigri, spiritu fer- « ventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tri- « bulatione patientes, orationi instantes, necessita- « tibus sanctorum communicantes, hospitalitatem « sectantes (*Hebr.* XIII). »

Sitis *odientes* omne *malum* et *adhærentes bono.* Odit malum, qui non solum non vincitur voluptate, sed etiam odit opera voluptatis. Et adhæret bono, quem nulla tentatio nullaque adversitas separare valet a bono. Et ita debetis ex ordine proficere, ut primum oderitis et in vobis et in aliis omne malum ; deinde firmiter adhæreatis bono, ne unquam divellamini ab eo. Sitis *diligentes invicem charitatem fraternitatis*, id est amate inter vos fraternam charitatem, diligite et habere studete ipsam dilectionem, quæ vos mutuo fœderat ut fratres. Iste erga illum, et ille erga istum diligat hanc charitatem fraternitatis et servare studeat. Et sitis alii alios *invicem prævenientes honore* ut unusquisque festinet alium magis honorare quam honorari ab illo, et majorem ei reverentiam exhibere, sibique illum præferre, et ille similiter huic faciat. Sitis etiam *sollicitudine non pigri*, id est, et solliciti corde et impigri opere, ut et de vestra aliorumque salute sitis solliciti, et quod ad salutem pertinet, agere non sitis pigri. Sitis etiam *spiritu ferventes* ut etsi actu semper implere non potestis quod pie desideratis, spiritus tamen igne charitatis ferveat in vobis, ut nihil remissum, nihil tepidum sit in vobis. Sitis etiam *Domino servientes* ut nulli vitiorum serviatis, sed Domino, cui servus vitiorum servire non potest. Domino servite, ut quidquid boni feceritis, ad Domini gloriam referatis; et quidquid pro ejus amore proximis feceritis, ei vos facere credatis. Sitis *spe* cœlestium bonorum *gaudentes*, ut non respiciatis ea quæ videntur, sed exspectetis ea quæ non videntur. Sitis et *in tribulatione patientes* ut patienter propter cœleste præmium toleretis omnem tribulationem, ut nec conturbemini ira, vel odio contra persecutorem, neque murmuretis contra Deum. Et ut possitis adversa patienter sustinere, sitis *orationi instantes*, ne deficiatis in tribulatione. In quo enim non sufficit humana fragilitas, auxilium Dei orationibus implorandum est. Sitis *necessitatibus sanctorum* vestra bona *communicantes*, id est honeste et decenter non quasi eleemosynam indigentibus præbentes, sed sensum vestrum quodam modo cum ipsis habentes communem. Sitis et *hospitalitatem sectantes* non solum venientes ad domum vestram hospites suscipiatis, sed etiam sectemini ac perquiratis eos ubique, ne forte in plateis alicubi sedeant, ne extra tectum jaceant.

« Benedicite persequentibus vos, benedicite, et « nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, flete « cum flentibus. Idipsum invicem sentientes, non « alta sapientes, sed humilibus consentientes. »

Benedicite persequentibus vos, id est bona illis orate qui mala vobis fecerint; *benedicite* illis *et nolite maledicere*, id est nec saltem voluntatem maledicendi habeatis in corde. Removet eos a communi consuetudine, dum prohibet adversariis maledicere. Et quia grave et velut intolerabile erat eis hoc præceptum, quo jussit persequentibus benedicere, ideo repetit ut magis mentibus eorum ingerat, et ut benedictio eis sit absque maledictionis admistione, dicens : *Benedicite, et nolite maledicere.* Scriptura vero sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum judicio justitiæ profertur, sicut Abrahæ dicitur : « Maledicam maledicentibus tibi (*Gen.* XII). » Rursum, quia maledictum livore vindictæ promitur, Apostolus nunc admonet : *Benedicite*, inquiens, *et nolite maledicere.* Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine et virtute justitiæ. *Gaudere* subauditur debetis, *cum gaudentibus* de spirituali profectu, *et flere cum flentibus* de spirituali detrimento. Non enim quibuscunque gaudiis gaudio nostra sunt socianda, nec quibuscunque fletibus lacrymæ nostræ jungendæ. Neque enim præceptum habemus, ut cum illis qui de acquisitione pecuniæ vel hujus-

Digitized by Google

modi rebus gaudent, gaudeamus; sed potius cum illis, qui spe supernorum bonorum gaudent, vel de accepta remissione peccatorum et gratia Spiritus sancti lætantur, et de similibus bonis. Similiter nec cum illis flere jubemur, quos flere facit tristitia sæculi, quæ mortem operatur, sed cum illis potius, qui pro suis vel aliorum peccatis flent, aut qui præ desiderio vitæ æternæ seu pro quibuslibet causis hujusmodi fundunt lacrymas. *Idipsum* sitis *invicem sentientes*, id est quod iste sentit, idipsum sentiat ille; et item quod ille sentit, idipsum sentiat iste, ut nulla dissensio sit inter vos, sed unanimis concordia, vos dico *non alta sapientes*, id est non in corde tumentes, non superbientes, *sed humilibus consentientes*, id est voluntati humilium acquiescentes, ut vos quoque sitis humiles. Consentientes sitis eis, quod non fit ore, sed corde, quia tunc vera humilitas est, cum non est in sola lingua.

« Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. »

Id est nolite prudentiam vobis arrogare. Qui enim sibiipsi prudens esse videtur, hic cum arrogantia stultus est. Nec potest veram sapientiam Dei scire, qui suam stultitiam quasi sapientiam colit (*Prov.* III). Qui ergo apud seipsum prudens est, apud Deum prudens esse non potest, quoniam « scientia inflat (*I Cor.* VIII). »

« Nulli malum pro malo reddentes. »

Qui enim malum pro malo reddit, aut simile peccatum, aut gravius facit. Nam ille qui malum prior intulit, non sensit forsitan malum esse quod fecit. Qui autem malum reddit, eo ipso quod ad ulciscendum motus est, probatur sensisse malum esse quod reddidit. Et ideo nullus se vindicet, ne deterius quam hostis ejus peccet.

« Providentes bona non tantum coram Deo, sed « etiam coram omnibus hominibus. »

S tis *providentes bona*, id est provida discretione considerantes, ut ea quæ feceritis sint bona, *non tantum coram Deo* qui videt conscientiam; *sed etiam coram omnibus hominibus* fidelibus et infidelibus, qui vident actionem, ne possint eam reprehendere. Providenda sunt enim bona coram cunctis hominibus, non ut placeamus singulorum vel vitiis vel moribus, ne simus contrarii sententiæ qua dicitur: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (*Gal.* I). » Sed qui vitæ suæ et morum actuumque libram sic tenet, ut non possit ab ullo homine reprehendi, iste bona coram omnibus hominibus providet, sive illis placeant quæ bona sunt, sive non placeant. Et ideo providendum est, ne ex bonis nostris fiat hominibus scandalum, sed bonum exemplum. Sunt enim nonnulli qui non curant quidquid dicatur de eis, dum modo ipsi intentionem bonam habeant. Sed qui salutem proximi negligit, crudelis existit.

« Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus « hominibus pacem habentes (*Hebr.* XII). »

Sitis *habentes pacem cum omnibus hominibus, si fieri potest*, quia difficile est ut fiat, *quod* tamen *est ex vobis*, id est habere pacem cum omnibus non remanet a vestra parte, quia vos erga nullum pacem violatis. Vel si bonum quod a vestra parte est, videlicet observatio justitiæ, potest fieri, ut non impediatur ab illis hominibus, sitis habentes pacem cum cunctis hominibus. Juxta beatum vero Gregorium, direxit Apostolus hoc præceptum ad rectores ecclesiæ. Hortaturus enim ut pacem cum omnibus haberent, præmisit dicens: *Si fieri potest*, atque subjunxit, *quod ex vobis est*. Difficile quippe erat, ut si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent. Sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, inviolata necesse est in nostro corde servetur. Recte itaque ait, *quod ex vobis est*. Ad si diceret: Quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur, expellitur, integra tamen in vestra qui corripitis, mente teneatur.

« Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed « date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, « et ego retribuam, dicit Dominus (*Deut.* XXXII). »

Dico, pacem habeatis, si fieri potest, cum omnibus, *non defendentes vosmetipsos charissimi*, si quis vos aggressus fuerit, id est non percutientes eum qui vos percusserit; *sed date locum iræ*, id est sinite iram persecutoris in vobis expleri, ille enim dat locum iræ, qui adversarium permittit facere quod vult. Vel ille dat locum iræ, qui iram superbientium humiliter fugiendo declinat, non se contra acceptas contumelias erigens, sed de loco pia humilitate recedens. Vel date locum iræ, id est judicio Dei. Non præcipit ut nolint vindicari, sed ut nosipsi vindicantes, demus locum iræ Dei, qui dixit: *Mihi vindictam, et ego retribuam* (*Deut.* III; *Hebr.* X). Neque enim propter exsaturandum odium desiderant sancti vindictam, quod ab eorum perfectione longe est. Nam justus quisque magis cupit inimicum suum corrigi quam puniri. Et cum in eum videt a Domino vindicari, non ejus delectatur pœna (*Psal.* LVII; *Psal.* CXXXIX), quia non eum odit; sed divina justitia, quia Deum diligit. Sic quippe inimicus diligitur, ut non displiceat Dei justitia qua punitur. Et sic placet justitia qua punitur, ut non de malo ejus, sed de bono judice gaudeatur (*Luc.* XVIII). Ait itaque: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ*. Ac si dicat: Quid opus est vosipsos vestras ultum iræ injurias, qui nec corda hominum nosse, nec aquita eorum scelera tranquillo valetis animo judicare? Quin potius quod in vos peccatur, quasi fratribus et proximis ex corde remittite, ut et vobis Deus vestra peccata remittat (*Matth.* VI), scientes quia si corrigi voluerint, eos socios bonorum habebitis; sin aliter, rectius divino judicio, quod errare non potest, sicut nec irasci potest, quam vestro damnabuntur. Et vere judicium ejus debetis exspectare, *scriptum est enim* in Ezechiele (*cap.* IX.) Nam ubi nos legimus secundum Hebraicam veritatem: Appropinquaverunt visitationes urbis, septuaginta Interpretes transtulerunt, *mihi vindictam, et ego*

Digitized by Google

retribuam, dicit Dominus. Et ideo patet Hebræos qui Romæ crediderunt, habuisse in auctoritate translationem septuaginta Interpretum, juxta quam Apostolus eis profert testimonium; non enim proferret eis testimonium ex Scriptura, quam non reciperent. Ob hoc, inquit, Dominum exspectate, quia ipse sicut scriptum est, dixit: *Ego retribuam mihi vindictam*, id est omnia mala quæ vobis irrogantur, mihi fiunt, licet sim impassibilis; sed ego vindictam mihi pro his retribuam, puniens æternaliter eos qui temporaliter vos affligunt.

« Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si « sitit, potum da illi (*Prov.* xxv). Hoc enim faciens, « carbones ignis congeres super caput ejus. Noli « vinci a malo, sed vince in bono malum. »

Non defendes te ab adversario ut referias eum, et malum illi pro malo reddas, sed potius bonum illi pro malo repende, ut juxta Salomonis præceptum, *si esurierit inimicus tuus* pascas *illum*, si sitierit, potes illum. Et quare? quia *hoc faciens, congeres super caput*, id est accumulabis super mentem *ejus carbones ignis*, id est ferventes et urentes pœnitentiæ dolores. Beneficiis enim tuis victus, dolebit se injurias tibi fecisse, a quo bona recipit, et convertetur ad pœnitentiam, sicque lucraberis eum Christo. Vel carbones ignis, id est charitatem igne sancti Spiritus ferventem congeres super cor ejus. Hoc est dicere: Sicut carbones ardentes incendunt corpus super quod congeruntur, sic bona facta tua inflammabunt ad dilectionem cor ejus qui te persequebatur, sicque ad fervorem sancti Spiritus exemplo tuo provocabis eum ut bene agat. Absit enim ut credamus Salomonem vel Apostolum docere voluisse, ut eo animo bona faciamus inimicis nostris, ut ipsi in his ingrati persistentes, majora tormentorum incendia perpetuo sustineant. Non est hoc benefacere his qui oderunt nos (*Matth.* v), sed male illis facere. Sed hoc potius in hac sententia jubemur, ut misericordiam facientes egentibus inimicis, emolliamus fomentis beneficiorum duritiam cordis eorum, et ad redimendum nos in Domino studeamus inflammare illos, adhibito dilectionis igne, ut virtutem mansuetudinis et patientiæ nostræ mirantes incipiant imitari, rejectisque vitiis, ad virtutum opera convertantur. Unde ne quis hæc Salomonis verba Judaico sensu vellet intelligere, mox Apostolus subdidit: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quomodo enim potest vincere in bono malum, qui in superficie bonus est, et in abdito malus; qui opere parcit et corde sævit, in animo mitis, voluntate crudelis? *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Contende cum malo, sed bonitate. Ipsa est enim vera contentio, vel certamen salubre, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali. Si tu jam non es malus, obsta malo ut sis bonus. Si displicet tibi malus, noli fieri malus. Nam si repercutis, malo vis vincere malum. In sensibus vel motibus animorum ille dicitur vicisse, qui alterum ad suam traxerit partem, sicut hæreticum aut paganum. Si ergo mali vicissitudinem a te receperit ille, te vicit, et passionis similitudine vitio suo succubuit. Si autem per patientiam tuam cessare eum ab ira vel injuria feceris, tu vicisti, et de peccato ad salutem lucrando proximum triumphasti.

CAPUT XIII.

« Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita « sit. Non est enim potestas nisi a Deo (*Sap.* VI). Quæ « autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit « potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem « resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. »

Sicut superius reprehendit illos qui gloriabantur de meritis, ita nunc ingreditur illos redarguere qui, postquam erant ad fidem conversi, solebant subjici alicui potestati. Videbatur enim quod infideles Dei fidelibus non deberent dominari, etsi fideles deberent esse pares. Quam superbiam removet, dicens: *Omnis anima*, id est omnis homo *sit* humiliter *subdita potestatibus* vel sæcularibus, vel ecclesiasticis *sublimioribus* se; hoc est, omnis homo sit subjectus superpositis sibi potestatibus. A parte enim majore significat totum hominem, sicut rursum a parte inferiore totus homo significatur, ubi propheta dicit: « Quia videbit omnis caro salutare Dei (*Isa.* XL). » Et recte admonet, ne quis ex eo quod in libertatem vocatus est, factusque Christianus, extollatur in superbiam, et non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, et potestatibus quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, non se putet esse subdendum. Cum enim constemus ex anima et corpore, et quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium ejusdem vitæ utamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est res humanas cum aliquo honore administrantibus; ex illa vero parte qua Deo credimus, et in regnum ejus vocamur, non debemus subditi esse cuiquam homini id ipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum sive tributum, aut non esse honorem exhibendum debitum eis, quæ hæc curant, potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in majorem errorem labitur. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præcepit, ut reddamus « Cæsari quæ sunt Cæsaris, et Deo quæ sunt Dei (*Matth.* XXII; *Luc.* XX). » Quamvis enim ad illud regnum vocati simus, ubi nulla erit potestas hujusmodi, in hoc tamen itinere conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine debemus tolerare, nihil simulate facientes, et in hoc non tam hominibus quam Deo qui hoc jubet, obtemperantes. Itaque omnis anima sit subdita sublimioribus potestatibus, id est omnis homo sit subditus primum divinæ potestati, deinde mundanæ. Nam si mundana potestas jusserit quod non debes facere, contemne.

Digitized by Google

potestatem, timendo sublimiorem potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus adverte. Si aliquid jusserit procurator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsulem jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Non hinc debet minor irasci, si major prælata est. Rursus si aliqnid proconsul jubeat, et aliud imperator, nunquid dubitatur, illo contempto, huic esse serviendum? Ergo si aliud imperator, et aliud Deus jubeat, quid faciemus? Nunquid non Deus imperatori est præferendus? Ita ergo sublimioribus potestatibus anima subjiciatur, id est homo. Sive idcirco ponitur anima pro homine, qui secundum hanc discernit, cui subdi debeat, et cui non. Vel homo qui promotione virtutum sublimatus est, anima vocatur a digniore parte. Vel, non solum corpus sit subditum, sed anima, id est voluntas · hoc est non solum corpore, sed et voluntate serviatis. Ideo debetis subjici, quia *non est potestas nisi a Deo*. Nunquam enim posset fieri nisi operatione solius Dei, ut tot homines uni servirent, quem considerant unius secum esse fragilitatis et naturæ. Sed quia Deus subditis inspirat timorem et obediendi voluntatem, contigit ita. Nec valet quisquam aliquid posse, nisi divinitus ei datum fuerit. « Potestas omnis est a Deo (*Joan.* XIX). » Sed *ea quæ sunt a Deo, ordinata sunt*, ergo potestas est ordinata, id est rationabiliter a Deo disposita. *Itaque qui resistit potestati*, nolens tributa dare, honorem deferre et his similia, *Dei ordinationi resistit*, qui hoc ordinavit ut talibus subjiciamur. Hoc enim contra illos dicitur, qui se putabant ita debere uti libertate Christiana, ut nulli vel honorem deferrent, vel tributa redderent, unde magnum poterat adversus Christianam religionem scandalum nasci a principibus sæculi. De bona potestate patet, quod eam perfecit Deus rationabiliter. De mala quoque videri potest, dum et boni per eam purgantur, et mali damnantur, et ipsa deterius præcipitatur. Qui potestati resistit, cum Deus eam ordinaverit, Dei ordinationi resistit. Sed hoc tam grave peccatum est, quod *qui resistunt ipsi*, pro contumacia et perversitate *sibi damnationem* æternæ mortis *acquirunt*. Et ideo non debet quis resistere, sed subjici.

« Nam principes non sunt timori boni operis, sed « mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum « fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister « est tibi in bonum. Si autem male feceris, time. « Non enim sine causa gladium portat. Dei enim « minister est, vindex in iram ei qui male agit. Ideo- « que necessitate subditi estote, non solum propter « iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim « et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc « ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita « (*Matth.* XXII); cui tributum, tributum; cui vecti- « gal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, « honorem. »

Merito acquirunt sibi damnationem qui resistunt potestati, quia *principes non sunt* his *timori* qui sunt *boni operis*, sed qui sunt pravi, id est non bene operantibus, sed male agentibus. Principes ducit, qui propter corrigendam vitam et prohibenda adversa constituuntur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint cæteri homines. Qui non sunt timori bene agentibus, sed male, quia non ad bonos, sed ad malos puniendos sunt instituti. Naturaliter enim omnes norunt et innocentiam præmio, et malitiam supplicio dignam esse. Et princeps, si est bonus, bene operantem non punit, sed diligit. Si autem malus est, non nocet bono, sed purgat eum. Ideoque non est quod timere debeat, qui bene agit. Qui vero mala operatur, debet timere, quia principes ad hoc sunt constituti, ut mala puniant. Ille timeat. Sed si *vis non timere potestatem*, do tibi consilium, *Bonum opus fac et habebis laudem ex illa*. Bonum fecere apostoli et martyres, tamen non eos laudaverunt, sed potius interfecerunt potestates. Ideoque voluit Apostolus dicere: Bonum fac, laudabit te potestas; sed temperavit verba, et ait: *Bonum fac et habebis laudem ex illa*. Si enim justa est potestas, habebit laudem ex illa in ipsa laudante. Si autem iniqua est, mortuus pro fide, pro justitia, pro veritate habebit laudem ex illa, in illum sæviente. Ex illa enim habebit, non ipsa laudante, sed ipsa tibi laudis occasionem præbente. Hæc Augustinus. Gregorius vero sanctus sic ait: Paulus cum infirmum auditorem suum perpenderet, aut prava adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait: « Vis non timere potestatem? Bonum fac et habebis laudem ex illa. » Neque enim ideo bona agenda sunt, ut potestas hujus mundi nulla timeatur, aut per hæc gloria transitoriæ laudis quæratur. Sed cum infirmam mentem ad tantum robur ascendere non posse pensaret, ut et pravitatem simul vitaret et laudem, prædicator egregius etiam monendo aliquid obtulit, et aliquid tulit. Concedendo enim lenia, subtraxit acriora, ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quodam suo animus familiariter relinquitur, a quodam suo hac dolore tolleretur. Laudem habebis ex potestate, quia ille potens, sive bonus, sive malus sit, *est Dei minister* proficiens *tibi in bonum*. Nam si bonus fueris, nutritor tuus est; si malus fueris, tentator tuus est. Et nutrimenta libenter accipe, et in tentatione ut aurum probare. Si bene feceris, non timebis principem. *Si male feceris*, tunc *time* illum. Et timendus tibi est, quia *non sine causa gladium portat*, sed ut malos puniat. Gladium habet materiale, vel gladium, id est judiciariam potestatem, ut reos feriat. Nec mirum, quia *Dei minister est*, *vindex in iram ei qui male agit*, ut loco Dei vindicet in malos. Est enim vindex ei, id est ad damnum ejus qui male agit. Est *vindex in iram*, id est propter iram Dei vindicandam, vel vindex in iram Dei ostendendam. Quia hæc punitio indicat persistentes in malo gravius puniendos. Nam si homo judex amore justitiæ peccata subditorum punit, considerandum est qua animadversione Deus judex, qui sine peccato est, et puram justitiam habet, peccata perversorum puniet.

Digitized by Google

Ideo princeps sæculi est minister Dei, ut vice ejus interim ultionem faciat, et judicium ejus præfiguret, quoniam fortia quæque crimina, quæ vindicari vult Deus, non per antistites et rectores ecclesiarum, sed per mundanos judices voluit vindicare. Et hoc sciens Apostolus, recte eum ministrum Dei nominat et vindicem in eum qui male agit. Dei minister est. Et *ideo subditi estote* illi *necessitate* quia necesse est propter hanc vitam subditos illi vos esse, nec resistere, si quid auferre voluerit ex rebus huic tempori necessariis, in quas sibi data est potestas. Subditi estote *non solum propter iram*, ut effugiatis offensionem hominum, *sed etiam propter conscientiam* ut non simulate quasi ad oculum hominum ista faciatis, sed pura dilectionis conscientia propter Deum, qui omnes homines vult salvos fieri et in agnitionem veritatis venire (*I Tim.* II). Non solum propter iram principum vitandam subjiciamini illis, quod potest etiam simulate fieri, sed etiam propter conscientiam, ut in vestra conscientia certi sitis illorum dilectione vos id facere, quibus vos Deus subjici voluit. Et debetis esse subditi, quia etiam *ideo*, id est propter obedientem subjectionem *tributa præstatis* illis quasi reddituris, dum pugnant pro patria et agunt judicia. Tributa præstatis, et merito, quia *ministri Dei sunt* qui vobis eos constituit. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu reges constituuntur, apti his qui eo tempore ab ipsis reguntur. Quidam enim illorum ad correptionem et utilitatem subjectorum et conservationem justitiæ dantur, quidam autem ad timorem et pœnam et increpationem, quidam vero ad illusionem et contumeliam et superbiam. Ministri Dei sunt, *in hoc ipsum servientes* ei, quod tributa exigunt a vobis, et potestatem exercent ad utilitatem bonorum, et detrimentum malorum. Vel vos præstatis illis tributa, in hoc ipsum Deo servientes, quia ministri Dei sunt. Aut certe illi qui tributa a vobis exigunt, in hoc ipsum vobis sunt servientes, quia propter illa quæ a vobis percipiunt, utilitati vestræ subserviunt, dum patriam defendunt et res vestras custodiunt. Et qui ministri Dei sunt, qui vos illis subjecit, *ergo reddite omnibus* illis *debita* sicut et Dominus pro se et Petro censum reddidit, significans quod potestas spiritalis potestati sæculari non aufert suum jus. Omnibus reddite debita, ut sic laudetur ecclesiastica doctrina. *Cui tributum* debetis, reddite *tributum*; et *cui vectigal*, reddite *vectigal*. Tributum est redditus vel pensio. Et dictum est tributum, eo quod olim per tribus singulas exigebatur, sicut post per singula territoria. Sic enim per tres partes divisus erat Romanus populus, ut qui præerant in singulis partibus, tribuni dicerentur. Unde etiam sumptus quos dabant populi, tributa nominarunt. Vectigal quoque redditus est vel pensio, sive tributum fiscale. Sed tamen vectigal a vehendo, id est a portando dictum est. Tributum illi census dicuntur, qui dantur de terris, et quos homines de capitibus suis dant; vectigal vero, quod advehitur de longinquis regionibus. Tributum, quod a præsentibus datur; vectigal quod ex remotis provinciis mittitur. Tributum, quod regiones solvunt; vectigal, stipendium quod datur dominis quando per patrias vehuntur. Tributum, quod domi solvitur statutis temporibus; vectigal, quod a transeuntibus et sua negotia vehentibus datur pro rebus suis conservandis. *Cui timorem*, debetis, *timorem* reddite, ut revereamini dominos atque timeatis, et *cui honorem*, ut honoretis regem, sive parentem aut senem, vel hujusmodi personam, *honorem* reddite. Per hæc præcepta ordinat Apostolus ecclesiam Dei, ut nihil adversus principes sæculi gerens, per quietem et tranquillitatem vitæ opus justitiæ et pietatis exerceat. Si enim ponamus, verbi gratia, credentes in Christo potestatibus sæculi non esse subjectos, tributa non reddere, neque vectigalia solvere, nulli timorem, nulli honorem deferre, nonne per hæc regum et principum merito in semetipsos arma converterent, et persecutores quidem suos excusabiles, semetipsos vero culpabiles facerent? Non enim fidei, sed contumaciæ causa impugnari viderentur, et essent eis causa quidem mortis digna, meritum vero mortis indignum. Sic namque Judæi perire meruerunt gladio Romanorum.

« Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem di-
« ligatis. Qui enim diligit proximum, legem imple-
« vit. Nam : Non adulterabis, Non occides, Non
« furaberis, Non falsum testimonium dices, Non
« concupisces, et si quod est aliud mandatum, in
« hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum
« sicut teipsum (*Matth.* XXII; *Gal.* V; *Jac.* II). Di-
« lectio proximi malum non operatur. Plenitudo
« ergo legis est dilectio. »

Sic reddite omnibus debita, quamvis *nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Cætera enim cum reddita fuerint, non debentur, dilectio autem tanto magis debetur, quanto amplius impenditur. Ipsa quippe exigit debitum, ut fraternæ charitati servientes, eum qui se adjuvari recte velit, in quo possumus, adjuvemus, semper existentes debitores charitatis. Ipsa est enim quæ semper redditur et semper debetur. Debetur namque, etiam si reddita fuerit, quia nullum tempus est, quando impendenda non sit. Nec cum redditur amittitur, sed potius reddendo multiplicatur, quoniam habendo redditur, non carendo. Quoniam pecunia cum recipitur, accedit ad eum cui datur, sed ab eo recedit a quo datur. Charitas vero non solum apud eum crescit, qui hanc ab eo quem diligit, exigit, etiam si non recepit, sed etiam ille a quo eam recipit, tunc incipit habere cum reddit. Et ideo cætera sic solvite, ut non debeatis; charitatem vero ita solvite, ut semper habeatis et debeatis. Et merito semper est habenda, quia *qui diligit proximum, legem implevit*. Sola enim charitas justitiam legis adimplet, quam timor implere non poterat. Hoc loco sola dilectio proximi ad perfectionem præcipi videtur, et taceri dilectio Dei, cum in utroque præcepto lex pendeat

Digitized by Google

et prophetæ. Sed qui proximum diligit (*Matth.* XXII), consequens est ut ipsam dilectionem præcipue diligat. Nam nec proximum vere sine Deo, nec Deum vere sine proximo potest diligere. Sed cur Apostolus solam proximi dilectionem commemorare maluit, qui legem dixit impleri, nisi quia in dilectione Dei possunt homines mentiri, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum scilicet inique omnibus vel aliquibus agunt? Cum ergo alterum dilectionis præceptum sine altero teneri non possit, etiam unum eorum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus justitiæ, sed opportunius illud, de quo quisque facilius convincitur. Itaque dilectione proximi lex impletur. Et hoc per partes probatur. *Nam* omnia hæc præcepta complentur amore proximi. *Non adulterabis.* Quis enim adulterat uxorem ejus quem diligit? *Non occides.* Quis occidit eum quem diligit? *Non furaberis.* Quis furatur res ejus, quem sicut seipsum diligit? *Non falsum testimonium dices.* Quis falsum profert testimonium contra eum, quem sicut se diligit? Omnia igitur hæc mandata, *et si quod est aliud mandatum* simile his in lege, *instauratur*, id est adimpletur et perficitur *in hoc verbo* quo dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, id est recto amore quo te diligis. Qui enim se ut oportet diligit, ac deinde proximum tanquam se, necesse est ut cuncta præcepta hic custodiat. Nam hæc præcepta malum prohibent. *Dilectio proximi malum non operatur.* Qui ergo amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, amare debet. Sic enim et seipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit. Sic enim diligit proximum tanquam seipsum sine ullo periculo. Qui enim aliter diligit se, injuste se diligit, quoniam ad hoc se diligit, ut sit injustus, ad hoc ergo ut sit malus, ac per hoc jam non se diligit. « Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* X). » Tenenda est igitur vera dilectio, per quam omne malum opus vitatur, et omne bonum opus impletur. Et quando quidem qui proximum diligit, singula quæque præcepta legis implevit, quia nec malum operatur, et bonum facit; *ergo dilectio est plenitudo legis*, id est plenaria legis adimpletio, quia plene legem adimplet, dum et ab his abstinet quæ lex prohibet, et ea facit quæ lex jubet.

« Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos « de somno surgere. Nunc enim propior est nostra « salus, quam cum credidimus. »

Dixi ut nemini quidquam debeatis nisi dilectionem, quia per eam potestis universam legem implere; et nunc dico, ut sitis *scientes*, id est cognoscentes et intelligentes *hoc tempus* gratiæ in quo Spiritus sanctus datur credentibus, per quem charitate repleantur, qua legem impleant, sicque vitam æternam merito percipiant. Sciatis hoc tempus, in quo per adventum Salvatoris gratia Dei mundo illuxit, *quia hora est*, id est opportunum, sed breve spatium temporis; *jam nos de somno surgere*, id est ut surgamus ad bene agendum a torpore negligentiæ vel ignorantiæ Hora est, id est breve spatium, quia qui hodie habemus horam, nescimus si cras habuerimus vitam. Et ideo jam, id est cum celeritate quadam sine dilatione, surgendum est a somno desidiæ, ut mente vigilemus et bonis operibus occupemur. In vitiis nostris requiescebamus torpentes, et veluti quodam sopore detenti, sed nunc scire debemus quod sit hoc tempus in quo sumus, quia hora est ut jam ab illo somno mentis surgamus, et amodo in bonis operibus laboremus. Vere amplius non est nobis jacendum in somno, sed potius surgendum est, quia *nunc est propior nostra salus* æterna quam tunc erat *cum credidimus*, id est cum credere cœpimus, quoniam morti jam viciniores sumus, in qua retributionem percipiemus. Et cum magis ac magis ad salutem nostram propinquemus, et omnia ruant ad occasum, jam omnis torpor bene operandi a nobis excutiatur, et ad salutem quæ jam instat, cum alacritate festinemus, cum hæc vita ad præsens finiatur. Turpius est enim, si non surgimus qui jam saluti propinquamus quæ nostra erit, si surrexerimus; alioquin salute carebimus. Vel nunc, id est quando surgimus, propior est nostra salus, id est nobis vicinior; hoc est magis ad nos pertinens, et magis nostri juris, quam tunc erat cum primum credidimus. Si enim tunc moreremur, salus et vita prope nos esset; sed nunc ad nos magis attinet, quoniam tunc ex sola misericordia erat venia, nunc vero ex gratia et meritorum nostrorum actione corona. Nam bene operans est vicinior æternæ vitæ. Baptismus vero est ad veniam, vita autem bona ad coronam.

« Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur « arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus. »

Vere propinquior est nostra salus quam antea. *Nox* enim infidelitatis et iniquitatis *præcessit*, sed *dies* fidei et justitiæ *appropinquavit*. Noctis enim tenebris premimur, cum perpetratione iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur, cum erroris nostri obscuritas veritatis cognitione radiatur. Nox in lucem vertitur, cum erroris nostri obscuritas veritatis cognitione radiatur. Nox in lucem vertitur, cum corda nostra justitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ deprimebat. Hoc nunc diluculum discipulorum mentibus oriri viderat Apostolus, cum dicebat: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Qui enim post discessum noctis, non jam venisse, sed appropinquasse diem insinuat, esse procul dubio ante solem post tenebras adhuc auroram demonstrat. Nondum enim in splendore suæ claritatis apparuit sol justitiæ Christus, sed jam vicinus ejus instat adventus. Et ideo nondum perfectum diem, sed adhuc diluculum et auroram habemus. Vita enim fidelium, quæ in hac carne et in hoc sæculo ducitur, in comparatione vitæ infidelis et impiæ, non irrationabiliter lux et dies appellatur, sed tamen in comparatione illius diei, quo æquales angelorum

Digitized by Google

lis facti, videbimus Deum sicuti est (*I Joan.* III), adhuc nox est. Nox et dies. Dies in comparatione infidelium, nox in comparatione angelorum. Habent enim diem angeli, quem nos nondum habemus, sed tamen jam habemus, quem non habent infideles. Recte igitur prætermisso, quem nunc habet vita fidelium, dicitur, quia nox infidelitatis præcessit, et dies æternitatis appropinquavit. Dies æternæ beatitudinis appropinquavit, quia jam remissa sunt peccata, justificati jam credentes. Et quia nox præteriit, et dies appropinquavit, *ergo abjiciamus opera tenebrarum*, id est illa facta quæ solebamus agere dum tenebris ignorantiæ premeremur, *et induamur arma lucis*, id est virtutes quas exigit lux divinæ cognitionis, per quas impugnemus *opera tenebrarum* et principes talium operum, id est dæmones; minus enim decorum est, sub tempore novæ lucis opera veterum tenebrarum gerere, id est opera mala, quæ in tenebris ignorantiæ venerunt, vel tenebras amant et ad tenebras ducunt. Opera vero lucis, non tam opera quam arma vocantur, quia dum recte agimus, dum lucem fidei bonis operibus sequimur, hostes nostros armis talibus debellamus. Induamus ut ornamentum opera lucis, id est opera quæ fides exigit; et acceptis hujusmodi armis, *ambulemus honeste sicut in die*, id est pergamus in via mandatorum Dei laudabiliter sicut decet in die fidei. Jam enim, sicut diximus, vita fidelium in comparatione vitæ infidelium, dies est. Et ideo nos qui jam in die sumus, debemus sicut in die honeste ambulare, ut honestas virtutum undique nos adornet in via nostræ actionis, quos illustrat dies fidei et notitia veritatis, in qua videmus quid honestum sit, et quid inhonestum. Quæ sint autem opera tenebrarum, quæ abjicienda sunt consequenter ostenditur, cum dicitur :

« Non in comessationibus et ebrietatibus, non in « cubilibus et impudicitiis, non in contentione et « æmulatione (*Galat.* V; *I Petri* II). »

Et de armis lucis quæ induenda sunt subditur :

« Sed induimini Dominum nostrum Jesum Chri- « stum. »

Et post adjungitur :

« Et carnis curam ne feceritis in desideriis. »

Ambulemus honeste sicut in die, nos dico existentes, *non in comessationibus*, id est superfluis manducationibus, *et ebrietatibus*, id est nimiis vini ingurgitationibus, *non in cubilibus*, id est pigritiis dormiendi *et impudicitiis*, id est libidinibus quæ in nimiis epulationibus et potationibus atque cubilibus nutriuntur. Comessationes enim sunt inhonesta et luxuriosa convivia, quibus necessaria comes est turpissima temulentia. Et quid aliud subsequitur, nisi cubilia et impudicitiæ? A fœdis cubitationibus cubilia sunt appellata, quæ non tam rationalibus hominibus, quam feris et belluis conveniunt. In cubilibus enim et impuditiis agunt qui communes habent stratus, et more ferarum illicite commiscentur ibi. Notandum est, in his Romanos fuisse, et ideo non esse illis jus gloriandi. Et hæc quatuor vitia carnis sunt, duo autem quæ ad animum pertinent, subduntur, cum dicitur : *Non in contentione et æmulatione.* Agebant vero Romani in contentione et æmulatione, quia contendebant adinvicem, et se alii aliis præferebant, in quo minoribus majores invidebant. Horum autem morborum, id est contentionis et æmulationis, mater superbia est, et humanæ laudis aviditas, nec adhuc sanari potest, nisi qui superbiam calcaverit, et humanas laudes contempserit. In his non invenlamini, quia hæc sunt opera tenebrarum, *Sed induimini Dominum Jesum Christum*, quia hoc est arma lucis indui : Christus enim sapientia est et justitia et sanctificatio et veritas et omnes simul virtutes (*I Cor.* II). Quas qui assumpserit, Christum dicitur indutus esse. Christum induimini, id est formam Christi sumite vestem, ut habitus et forma illius undique fulgeat, et repræsentetur in nobis. Cum vestem induimur, ex omni parte circumdamur. Christum igitur est indutus, qui undique bono opere protegitur, ut nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquat. Nam qui in aliis actionibus justus est, in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit. Nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur. Qui ergo undique Christianus apparet in cunctis operibus suis, hic Christum dicendus est esse indutus. Christum induimini, *et carnis curam ne feceritis*, non dico, in necessariis, sed *in desideriis.* In necessariis enim permittitur fieri, quia « nemo unquam carnem suam odio habuit (*Ephes.* V); » sed in desideriis prohibetur (*I Petr.* II), quoniam carnalia desideria militant adversus animam. Neque enim mortali in carne adhuc viventibus funditus cura carnis abscinditur, sed ut discrete serviat, temperatur. Discretione enim magni moderaminis frenanda est, ut serviat, et non principetur; nec quasi domina animum vincat, sed subacta mentis dominio quasi ancilla famuletur; et ad necessitatem salutis fiat, non ad desideria voluptatis. Quæ enim in desideriis fieri prohibetur, procul dubio in necessitate conceditur. Quia videlicet mens nostra a carnali delectatione superanda est, sed a carnis cura necessaria separanda non est.

CAPUT XIV.

« Infirmum autem in fide assumite, non in di- « sceptationibus cogitationum. Alius enim credit « manducare se omnia. Qui autem infirmus est, « olus manducet. Is qui manducat, non manducan- « tem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet. Deus enim illum assumpsit; » quis es qui judicas alienum servum? (*Jac.* « IV.) Suo domino stat aut cadit. Stabit autem. « Potens est enim Deus statuere illum. »

Iterum quia erat inter Romanos aliud genus contentionis, redarguit eos inde, et ad concordiam

revocat. Contendebant enim de differentiis ciborum, quia quidam illorum cum integra fide omnes cibos comedebant; alii vero a quibusdam abstinendum esse credebant, et inde ab invicem dissentiebant. Illi enim qui ex gentibus crediderant, extollebant se in libertate fidei, quia nihil commune vel immundum esse crederent, adversus eos qui ex circumcisione venientes, observabant adhuc traditione legis ciborum differentiam. Et inde reprimit eos Apostolus, et monet ne insultent eis, quibus longa consuetudo in observandis cibis discretionem adhuc aliquam et cunctationem movebat. Et unum quemque talem vocat infirmum in fide, quia non credit omnia licere manducari. Perfecta enim fides nullum cibum Judaico sensu credit respuendum, quia omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sed quisquis ita non credit, adhuc infirmus est in fide, si jam illem habet. Sed tamen hunc non abjici, sed assumi jubet Apostolus, nec quasi infidelem judicari. Aliud est enim infidelem esse, aliud infirmari in fide, quia infidelis non habet, infirmus autem jam habet, sed adhuc ex parte dubitat. Et ideo non est repellendus, sed assumendus. Et hoc est quod ait : *Infirmum autem*, etc. Quod sic continuatur : Ea quæ superius dixi, ita ut docui, facite in vobis ipsis, id est induite Christum, et his similia facite; sed hæc quæ nunc dico, facite erga proximos, scilicet infirmum in fide assumite ut sanetis eum, sicut Christus medicus peccatores, id est male habentes suscepit sanandos. Assumite eum non in disceptationibus cogitationum ejus, id est non de occulto cogitationum judicetis eum. Forte dubitat aliquid novitas ipsius. Amate abundantius dubitantem. Amore vestro curate de corde infirmi dubitationem. Et si incognitum nobis est quo animo id faciat, non inde disceptemus. Non nobis usurpemus dijudicare cogitationes aliorum, sed Deo probemus cogitationes nostras etiam pro illis, de quibus forte aliquid dubitamus. Vere infirmus est assumendus ab eo qui firmus est. Nam *alius credit* licere *manducare omnia* genera ciborum, et est firmus iste, atque infirmum debet assumere; alius vero non credit ita licere, et infirmus est, ac indiget assumi. Hoc videtur debuisse dicere. Sed ponit consilium de illo, per quod satis intelligitur, dicens : *Qui autem infirmus est*, id est qui non credit omnia esse manducanda, *olus manducet*, id est relinquatur arbitrio suo, ne cum scrupulo edat, ut si voluerit, non solum ab omni carne, sed etiam a cæteris cibis abstineat, et olera tantum comedat. Alius credit manducare omnia, id est gentilis quisque ad fidem conversus omnes cibos indifferenter posse comedi judicat; sed qui infirmus est, id est Hebræus quilibet adhuc in fide pusillanimis et titubans, qui alias carnes mundas, et alias arbitratur immundas, olus manducet, in quo nulla est suspicio immunditiæ, sed indifferenter comeditur ab omnibus. Melius est enim ut permittatur illa solum comedere, quæ ritus legis in qua nutritus est, non prohibuit, et cum pusillanimitate retineatur in fide, ut paulatim crescendo ad sublimiora proficiat, quam ut de pusillanimitate eradicetur, et discedat penitus a fide. Et ideo *is qui manducat* omnia, id est gentilis qui nullum cibum credit immundum, *non spernat*, id est non vilem reputet *non manducantem*, id est Hebræum qui adhuc propter legis consuetudinem quosdam cibos respuit. *Et qui non manducat*, id est, Judæus qui se abstinet ab aliquibus, ne ritum legis violet; *non judicet*, id est non damnet *manducantem*, id est gentilem omnes cibos indifferenter sumentem. Gentiles enim quos carnalis intellectus legis a fide non retrahebat, firmiter credebant nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, et ideo spernebant Judæos infirmiores in fide, quos adhuc videbant propter antiquam legis observantiam cibos discernere. Et econtra Judæi cum viderent illos alimenta illa percipere, quæ ipsi putabant immunda esse, graviter eos inde judicabant. Ideoque jubet illis Apostolus, ne istos quasi infirmos et hebetes spernant; et istos, ne illos quasi gulosos et immundos judicent. Erant etiam nonnulli inter eos, qui non propter legem, sed propter sobrietatem se abstinebant a carnibus et vino, et spernebantur a cæteris, quasi qui Dei creaturas rejicerent. Ipsi vero judicabant cæteros quasi voraces et gulosos. Et idcirco præcipit Apostolus, ut is qui manducat omnes cibos, nec jejunat, non spernat non manducantem, id est jejunantem et a carnibus abstinentem, cum in voluntate uniuscujusque sit edere vel non edere; et rursus is qui non manducat, sed abstinet et jejunat, manducantem bis in die, et carnibus vescentem vel hujusmodi cibis non judicet, id est non de illo male existimet, cum possint bono animo et simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicunque humani cibi indifferenter sumi. De talibus enim rebus, quæ bono animo possunt fieri, quamvis etiam possint non bono, volebant illi cum homines essent in occulto cordis ferre sententiam, de quibus solus Deus judicat, De manifestis enim judicare possunt homines, sed de his quæ incertum est quo animo fiant, quia possunt et bono et malo animo fieri, judicium relinquendum est Deo, ut non audeat quisque de alterius conscientia, quam non videt, judicare. Non enim damnandus est cujus cogitatio aperta non est, et de quo nescitur, qualis postea sit futurus. Jejunans non judicet manducantem, id est non credat peccare, cum nesciat quo animo manducet. Et quare? Quia *Deus illum assumpsit* ut suus esset. Et cum sit a Deo assumptus ut Dei sit et Deo serviat, *tu quis es*, id est cujus valentiæ, *qui judicas*, id est damnandum affirmas, *alienum servum?* Cum enim non tuus servus sit, sed alterius, in eo quod illum judicas dominum illius præcipue offendis, quia

Digitized by Google

servum ejus ipso prohibente judicare præsumis. Nam qua conscientia edat vel non edat quisque. Dominus est judex. Et idcirco non est ab homine judicandus, quia non homini, sed *suo Domino stat aut cadit*, id est ad honorem domini sui stat, si stat; et ad dominum suum pertinet et casus ejus, si cadit, quia potest illum vel erigere, vel judicare. Ideo dico, stat aut cadit, quia ambiguum est : fortasse enim stat qui putatur cadere, vel cadit qui putatur stare. *Stabit autem.* Hic innuitur quod ambigua debemus in meliorem partem vertere, et plus salutem hominis quam mortem optare; atque in futuro de illo spem boni habere, etiam si aliter sit in præsenti. Stabit, quia *Deus est potens illum statuere*, id est stare facere illum. Non ipse, sed Deus est potens hoc facere. Voluntate enim sua cadit qui cadit, sed voluntate Dei stat qui stat, vel surgit qui surgit. Nam per se potest cadere, sed per Deum resurgere. Quamvis de omnibus regeneratis et pie viventibus loqueretur Apostolus dicens : *Tu quis es qui judicas alienum servum, suo domino stat aut cadit*, continuo tamen respexit ad prædestinatos et ait : *Stabit autem.* Et ne hoc sibi arrogarent, potest enim, inquit, *Deus statuere illum.* Ipse enim ergo dat perseverantiam, qui statuere potens est eos qui stant, ut perseverantissime stent, vel restituere illos qui ceciderint. Possunt hæc forsitan et de spiritali esu, vel jejunio sic intelligi. Infirmum autem in fidem assumite, ut infirmitatem ejus paulatim sanetis, non in disceptationibus cogitationum, id est non ut de cogitationibus ejus disceptetis et disputetis, sed Deo judicandas relinquite illas, qui potest emendare quidquid ibi videtur sibi displicere. Alius enim, id est diversus ab isto infirmo et robustus, credit manducare omnia, id est credit se debere pro posse suo et intelligere, et operibus exercere omnia quæ in Scripturis dicuntur. Qui autem infirmus est, id est quem adhuc cordis et operis infirmitas detinet, olus manducet, id est infirmitati suæ congruos Scripturarum sermones comedat, per quos a vitiis carnis et ægritudine mentis satietur. Is qui manducat, id est qui intelligit arcana Scripturarum, non spernat non manducantem, id est eum qui hæc non valet intelligere. Et qui non manducat, id est qui non intelligit, non judicet manducantem, id est intelligentem. Solent enim hi qui aliquantulum videntur in scientia proficere, spernere et nihil ducere eos qui altioris intelligentiæ minus capaces sunt, et econtra imperiti et indocti judicare, id est incusare et condemnare eos qui altiora et profundiora perquirunt, quæ ipsi capere vel assequi nequeunt. Et ideo Apostolus resecare volens culpam ex utraque parte nascentem, illis quidem præcipit ne inferiores spernant atque despiciant; his vero, ne superiores judicent, cum peritiam judicandi non habeant. Qui non manducat, ore cordis non præsumat judicare manducantem, id est intelligentem, quia Deus cum qui sic manducat, assumpsit sibi in servum. Et tu, imperite, quis es qui alienum servum judicas, id est qui Dei servum damnabilem esse censes? Suo Domino stat in bono opere, vel cadit in prava actione, quia si in bono steterit, Domino suo peribit, vel per Dominum suum resurget. Stat aut cadit. Sed stabit etiam si nunc jacet, quia potens est Deus illum erigere. Hoc contra indoctos dicitur, qui doctos reprehendunt, vel dijudicant de quibusdam actionibus suis infirmis

« Nam alius judicat diem inter diem, alius autem « judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu « abundet. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui « manducat, Domino manducat. Gratias enim agit « Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. »

B Jure dixi quia stabit ille qui comedit, sive qui abstinet, quia quod agit, ex judicio agit. *Nam alius* eorum *judicat diem inter diem* abstinentiæ ducendum, id est deputandum; *alius autem judicat omnem diem* in abstinentia ducendum, id est alius certis diebus, alius omni die judicat abstinendum. Quidam enim in animo suo judicant et statuunt, ut diem in abstinentia ducant, id est ut alio die abstineant, et alio non abstineant, sicut qui quarta et sexta feria jejunant et cæteris diebus comedunt; alii vero quia considerant vitam hanc esse brevem, judicant ut omnem diem, id est continuum vitæ suæ tempus transigant in abstinentia : *unusquisque*, id est ille qui nonnullis diebus, et iste qui omni die judicat C abstinendum, *abundet*, operibus bonis, *in suo sensu*, id est faciat quod sentit faciendum, quia utrumque acceptum est apud Deum. In suo sensu abundet, id est suo consilio remittatur, ne scandalum passus, a charitate, quæ est mater omnium, recedat. Et debet permitti abundare, quia *qui sapit diem* vel omnem, vel aliquem esse dandum abstinentiæ, *Domino sapit*, hoc est ad honorem Domini se placere putat. *Et qui manducat*, id est qui non abstinet, *Domino manducat*, id est ad laudem Domini, cujus omnia creata credit munda, et qui serviturus sustentatur ex eis. Vere Domino *gratias enim agit Deo* pro collatis sibi beneficiis. Effectus indicat, quia Domino manducat, dum illi gratias agit. *Et qui non manducat*, id est qui jejunat et abstinet, *Domino non manducat*, id D est ad honorem Domini jejunat, *et gratias agit Deo*, qui sibi dedit tolerantiam abstinentiæ. Ad hoc quippe additum est, *et gratias agit Deo*, ut ostenderetur quid esset, Domino facit, id est in ejus laudem facit. Tunc enim recte, tunc juste, tunc pie fit cum opus bonum in ejus fit laudem, cujus gratia donatur ut fiat. In quo affectu proficiens, quidquid boni facit, Domino facit : hoc est, in ejus laudem, cujus gratia percipit ut faciat. Gratiæ igitur Deo ab utroque referuntur, ab illo pro libertate vescendi, ab hoc autem pro fructu abstinentiæ, et idcirco neuter reprehendendus est. Aliter : Dixi quia stabit ille qui manducat ore cordis cibum doctrinæ sanctæ. Nec mirum si ad standum erigitur. Nam alius ex his ita manducantibus judicat diem inter diem alius ju-

Digitized by Google

dicat omnem diem, hoc est dicere : Alius quidem nonnulla intelligit, alius vero omnia ad intellectum possibilia, ita ut sunt videndo, cognoscit. Si enim ignorantiæ obscuritas nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Vel non de duobus hominibus, sed de homine et Deo accipiatur hæc sententia. Nam alius est qui judicat diem inter diem, alius qui judicat omnem diem. Homo enim judicat diem inter diem, id est præsens, quod est inter præteritum et futurum ; Deus autem judicat omnem diem, id est præteritum, præsens, et futurum. Et ideo stabit qui non stare videbatur, quia Deus potens est statuere illum, qui omnem diem judicat ; et novit si cras steterit, qui hodie jacet. Qui judicat diem inter diem, homo est, quia potest hodie aliud, et cras aliud judicare, id est ut quem hodie malum, convictum confessumve damnaverit cras bonum inveniet cum se correxerit ; et quem hodie justum laudaverit, cras inveniet damnatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est ; quia non solum qualis quisque modo sit, sed etiam qualis fuit, et qualis omni die futurus sit, novit. Et ideo secundum præscientiam, qua novit quos ante mundi constitutionem prædestinavit. Multi etiam qui aperte mali videntur, multis bonis meliores sunt. Quid enim sint hodie videmus, quid cras futuri sint ignoramus. Et Deo quidem apud quem sunt præsentia quæ futura sunt, etiam quod futuri sunt jam sunt ; nos autem secundum id quod in præsenti est, quemque hominem judicare possumus ; unusquisque igitur in suo sensu abundet, id est quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat judicare, nec sublimiora sacramentorum arcana temere discutiat, sed in eo sensu quem habet, bonis operibus abundare curet ; neque Dei sensum usurpet ut de futuro judicet, sed suo sensu contentus sit, quo de præsenti tantum judicare potest. Qui sapit diem, Domino sapit, id est qui contentus est tantum præsentia judicare, nihil contra Deum usurpat, quia hoc ipsum quod præsentem diem bene judicat, Domino sapit, id est ad honorem Domini. Hoc est autem bene judicare diem, ut noveris de ejus correctione non esse desperandum in futurum, de cujus manifesta culpa judicaveris in præsenti. Et qui manducat intelligendo cibos sapientiæ, Domino, id est ad honorem Domini manducat, quia gratias agit dicens : « Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum (*Psal.* xv). » Et qui non manducat, id est qui fortiores sensus Scripturarum non capit, Domino non manducat, quia humilior inde fit. Et hoc est gratias agere, nihil de se præsumere, sed in humilitate Deo se prosternere.

« Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi « moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : « sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivi- « mus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim « Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuo- « rum et vivorum dominetur. »

Dixi quia manducans ad honorem Domini manducat, et non manducans ad honorem Domini non manducat. Quod juste dixi. Nam omnes sive manducantes sive non manducantes, Domini sumus. *Nemo enim nostrum sibi vivit*, sed Domino, *et nemo nostrum sibi moritur*, sed Domino. Nemo sibi vivit, quia qui lege frenatur, non sibi, sed Deo qui legem dedit, vivit. Si lex non esset, tunc sibi quisque viveret. Modo autem paret mandato cœlitus sibi dato, et vivit ei qui dedit. Et nemo sibi moritur, sed Deo, quo judice vel coronatur vel damnatur. Nam *sive vivimus Domino*, id est ad honorem Domini *vivimus*, cui servimus ; *sive morimur*, id est præsentem vitam dissolutione corporis et animæ terminamus, *Domino morimur*, id est ad gloriam ejus et secundum voluntatem ejus, quia non nostram, sed ejus gloriam et vivendo et moriendo quærimus. Et quia utrumque Domino facimus, *ergo sive vivimus, sive morimur, Domini sumus*, ut possideamur ab eo et viventes et mortui. Et si semper ipsius sumus vel in vita vel in morte, semper ad laudem ipsius fit, quidquid a nobis vel de nobis fit. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus, quia Christus morte sua et resurrectione dominium acquisivit super omnes fideles, sive dum vivunt, sive dum mortui sunt. *In hoc enim mortuus est Christus et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur.* Domini sumus et port mortem, quia pretio sanguinis sui nos redemit et mortuus. Quomodo enim perdit servos mortuos cujus est mors pretium eorum? Non enim tenebit regnum mortis eos, pro quibus est mortuus liber in mortuis. Dominatur vivorum et mortuorum, ne putetur tantum judicare de mortuis, quasi commissum sit super eos judicium hominibus dum vivunt, sed post mortem Christo. Nam et nunc et tunc dominatur ipse et judicat, atque sancti et nunc cum illo regnant et tunc, quia et nunc conversatio eorum in cœlis est, et ipsi postmodum in cœlis erunt. Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi, et cum eo nunc primum regnat in vivis et mortuis. Vel ita : Et manducans, et non manducans, ad gloriam Domini hoc facit, quia nemo nostrum sibi vivit in virtutibus, non enim suam, sed Christi gloriam quærit, a quo sic vivere habet, et nemo sibi moritur peccatis, quia non se per hoc, sed Christum glorificare quærit, qui sibi dedit ut semetipsum peccatis mortificare possit. Sive enim vivimus, id est in novitate vitæ ambulamus, Domino vivimus, id est Domino vita nostra deputatur, quia non a nobis, sed ab illo est et ad ejus laudem fit ; sive morimur, id est mundo et peccato mortificamur, Domino morimur, id est ad honorem Domini vitiis morimur, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Sive ergo morimur peccato sive vivimus justitiæ, Domini sumus, ut et exstinctio mali, et vivificatio boni fiat in nobis ad ejus gloriam. In hoc enim Christus et mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Illorum scilicet mortuorum, qui mortificant membra sua quæ sunt super terram, et morti-

Digitized by Google

ficationem Christi in corpore suo circumferunt; vivorum quoque illorum, qui resurrectionis ejus exemplo novam et cœlestem vitam in terris agunt (*Colos.* III; *II Cor.* IV). Istorum dominatur Christus, quia tales digni sunt dominio ejus.

Tu autem quid judicas fratrem tuum? (*Jac.* IV.) « aut quare spernis fratrem tuum? Omnes enim « stabimus ante tribunal Christi (*II Cor.* V). Scri- « ptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus (*Isa.* XLV), « quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lin- « gua confitebitur Deo (*Philip.* II). Itaque unusquis- « que nostrum pro se rationem reddet Deo. Non « ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate « magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scanda- « lum. »

Christus ita dominatur omnium. Sed *tu quid*, id est cur *judicas fratrem tuum* manducantem, cum nescias qua necessitate manducet, aut quo animo? *aut* tu manducans *quare spernis fratrem tuum* non manducantem, cum ignores quam pia devotione servet abstinentiam? Non debes judicare vel spernere quia judicandus es. *Omnes enim* nos abstinentes et manducantes *stabimus* judicandi *ante tribunal*, id est ante sedem judicialem *Christi*. Judicantis enim est sedere, judicandorum vero ante judicem stare. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Qui ergo fratrem judicat, tantum crimen elationis incurrit, ut Christi tribunal sibi videatur assumere, et ejus judicium prævenire. Cujus judicii species, ut notior fieret hominibus judicandi forma ex his quæ inter homines geruntur assumpta est, quatenus agnosceremus, quia sicut judex terrenus celsior est, et quemdam locum qui tribunal appellatur ascendit, ut ex eo altior et eminentior sit cæteris qui judicandi sunt, ne conspectum ejus lateant vel supplicia reorum, vel allegationes innocentium; ita et judex omnium Christus natura et majestate cunctis eminentior, introspicit corda et conscientias singulorum, ac manifestabit occulta, ut bonis laudem tribuat, et mali pœnam quam merentur, accipiant. Omnes astabimus Christo judici. *Scriptum est enim* apud Isaiam de Christo in persona ipsius: *Vivo ego, dicit Dominus* (*Isa.* XLV), Christus, *quoniam mihi flectetur omne genu*, id est qui fui mortuus, vivo perpetualiter, ut jam mori non possim; et quod ego sic vivo, causa est quoniam mihi flectetur omne genu, id est omnis rigor et fortitudo humiliabitur meæ potestati, ut per flexionem genuum intelligatur subjectio omnium, *et omnis lingua*, id est omnis conscientia *confitebitur Deo* quidquid egit sive bonum sive malum. Hoc fiet in judicio. Et quandoquidem, teste Scriptura, omnis lingua confitebitur Deo, *itaque unusquisque nostrum reddet* Deo judici *rationem pro se*, id est respondebit Deo pro his quæ fecit, et cur ea fecerit. Hoc est enim reddere rationem Deo, quod est confiteri Deo. Et quia unusquisque respondebit pro se Deo judici, *ergo non amplius judicemus invicem* ex opinione, sicut hactenus fecimus. Deo sunt enim, in quibus temerarium judicium cavere debemus, cum incertum est quo animo quidquam factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam (verbi gratia) conquestus de stomacho, jejunare noluit, et tu id non credens, edacitatis vitio id tribueris, temere judicabis. Item si manifestam edacitatem, ebrietatemque cognoveris et ita reprehenderis quasi nunquam illa possit corrigi atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. Maxime autem hi temere judicant de incertis et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare et corrigere. Quod vitium vel superbia est, vel invidentia. Non amplius invicem judicemus, id est neque abstinens manducantem, neque manducans abstinentem; *sed hoc magis judicate*, id est hoc potius decernite et præfinite in cordibus vestris, *ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*, id est ne faciatis per escam et jejunationem vestram unde frater offendatur, vel scandalum incurrat. Hoc potius statuite, ne per observantiam ciborum offensiones fratribus vel scandalum generetis. Eos qui ex gentibus edebant monet, ne scandalizent Hebræos cibo suo, qui adhuc in fide infirmiores erant, et cibos discernebant. Gentiles enim qui firmioris erant fidei, omnes cibos indifferenter sumi credebant; sed Judæi scandalizabantur inde, cum viderent eos coram se vesci communibus escis. Erant et nonnulli ex eis qui scientes nihil esse idolum, et omnem creaturam Dei bonam esse, comedebant idolothyta. Quod alii videntes, et aliquid sanctificationis putantes esse in illis carnibus, quia idolis erant immolatæ, ex eis comedebant et peribant, cæteri vero irascebantur inde. Et hoc est quod dicit, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum, id est ne faciatis coram fratre unde pereat vestro exemplo idem faciens, vel contristetur. Offendiculum enim esset, si tali exemplo corrueret a fide Christiana; scandalum vero, si ad tristitiam vel iram provocaretur. Si enim videret a Christiano idolothytum manducari, offenderetur, id est moveretur a fide, quia putaret idolum esse aliquid. Si autem videret ab eo comedi cibum quem putaret immundum, scandalizaretur, id est ad indignationem et iram compelleretur.

« Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil « commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid « commune esse, illi commune est. Si enim propter « cibum frater tuus contristatur, jam non secun- « dum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum « perdere, pro quo Christus mortuus est. »

Non ideo dico offendiculum vel scandalum, quod cibus sit immundus, aut quod ego more Judaico suadeam observare ciborum differentiam, quia *scio et confido in Domino Jesu* nihil esse commune, id est scio nihil esse commune per hoc quod mihi fiducia est in Domino Jesu, quia postquam venit, absol-

Digitized by Google

vit a lege. Populus Judæorum partem Dei se esse jactans, communes cibos vocat, quibus omnes vescuntur homines, suillam carnem, ostreas, lepores et istiusmodi animantia, quæ ungulam non findunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt (*Lev.* xi). Commune ergo quod cæteris hominibus patet, et quasi non est ex parte Dei, pro immundo appellatur, et sicut vasa in ministeriis templi segregata, non communia, sed sancta dicebantur, ad quorum distinctionem reliqua vasa humanis usibus dedita, vocabantur communia; sic et ad distinctionem illorum ciborum, quos quasi mundos et secundum legem edendos Scriptura segregavit, reliqui omnes appellati sunt communes. Sed Apostolus jam a littera legis liberatus, dicit *quia nihil commune est per ipsum*, id est per seipsum. Nihil enim in creaturis Dei immundum est natura sui. Omnia namque a bono Deo creata, bona esse constat et munda. Nec tamen in his distinctionem legis accusat, ut absolute dicat, nihil esse commune eorum, quæ lex definivit immunda. Præmittit enim causam, cur per seipsum id est natura sui, nihil commune sit. *Scio*, inquit, *et confido in Domino Jesu*. Manifestum est enim Salvatoris beneficio omnia munda esse, qui de sub jugo legis eruens homines, reddidit eis statum pristinum libertatis (*Matth.* vii). Itaque vel propter Dei creationem, vel propter Salvatoris adventum, nihil in creaturis est naturaliter immundum. Unde et ipse dicit, quia « non quod intrat in os, coinquinat hominem (*Matth.* xv). » Nihil est commune, *nisi ei qui existimat aliquid commune esse, illi* enim *commune est* propter æstimationem, qua putat illud esse commune, id est immundum; cogitatio enim mentis cibum, qui natura sui non est communis vel pollutus, facit pollutum, cum econtrario cibum vere pollutum (vere enim est pollutus, qui idolis immolatur) simplicitas mentis, quæ nullam cogitationis scrupulositatem habet, ab omni suspicione contaminationis absolvat. Et rursum, etiamsi mundus sit cibus, suspicionem tamen aliquis patiatur, quasi quod idolis immolatus sit, pollutus dicitur pro conscientiæ scrupulo. Dixi, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum, ideo scilicet, quasi *si propter cibum tuum* saltem *contristatur frater tuus, jam non secundum charitatem ambulas*, id est jam hujus operationis tuæ gressus non tenet viam fraternitatis; et idcirco graviter peccas, quia charitatem deseruisti, sine qua nihil placet Deo. *Noli cibo tuo illum perdere*. Non debes eum cibo tuo vel contristare. Plus autem cave, ne taliter eum perdas. Noli pro cibo tuo, pro tam vili re, tam cito peritura, perdere rem tam magni pretii, et tam dignam, pro qua Christus sustinuit mortem. Cum definisset apostolico dogmate, per Dominum Jesum nihil commune vel immundum natura sui putandum, et dedisset erga usus ciborum fidelibus quibusque absolutissimam libertatem; rursus ad ædificandam auctoritatem fratrum amoris, licentiam revocat libertatis, et dicit: Etiamsi commune nihil est, et omnis usus ciborum licenter admittitur, tamen tu si propter cibum quem licitum putas fratrem qui nondum scientiæ hujus capax est scandalizas, jam non secundum charitatem agis, nec affectum in te fraterni amoris ostendis. Et ideo ne lædas aut contristes eum, etiam a licitis abstinere debes, tibi enim abstinere a licitis, crimen nullum est; illi vero, in quibus discernit et putat non licere, contaminabilis usus est. Qui enim discernit, si manducaverit, damnatus est. Quod si facias, tu utique fratrem tuum spernis et perdis, *pro quo Christus mortuus est*, et tu ei causam perditionis acquiris.

« Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non « est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia et « pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in « hoc servit Christo, placet Deo, et probatus est « hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur: « et quæ ædificationis sunt invicem custodiamus. »

Quandoquidem frater noster contristatur cibo nostro aut perditur, *ergo*, caveamus *ne bonum nostrum blasphemetur*. Blasphematur enim bonum nostrum, si propter escas contentiones oriuntur, quoniam bona in se comestio blasphemabilis est, dum aliis nocet. Et quia nocet, abstine. Et abstinendum est, quia *non est regnum Dei esca et potus*, id est regnum Dei propter quod laboramus et currimus, neque per escam, neque per potum constat, sed aliena sunt hæc a regno Dei, et ab illa sanctorum conversatione futura. Non erunt ibi carnales epulæ, *sed justitia et pax et gaudium*. Et quia solent homines multum gaudere corporeis cibis, addidit *in Spiritu sancto*. Ideoque nos in his virtutibus exerceamus, quæ nobiscum possint transire ad regnum cœlorum, id est in justitia, pace et gaudio spiritali. Has enim tres virtutes idcirco posuit, quoniam ad intentionem suam, et ad Romanorum correctionem specialiter militare vidit. Justitiam, ut unusquisque non faciat alii quod sibi non vult fieri; et quod sibi exoptat recte fieri, faciat alii. Pacem, ut illis quies et concordia sit, non gloriatio et discordia. Gaudium, ut unusquisque de bonis fratris sui gaudeat, sicut de suis. Et istæ virtutes sunt regnum Dei, quoniam virtutibus hujusmodi consistit [*al.* constat] regnum supernæ beatitudinis. Vel regnum Dei sunt, quia etiam in præsenti vita regnat Deus in illis, in quibus sunt hæ virtutes. Vere istæ in Spiritu sancto sunt regnum Dei, nam *qui in hoc*, id est in Spiritu sancto, *servit Christo*, ut accepta Spiritus sancti gratia, studeat obedire mandatis Christi, *placet Deo* Patri qui de Christo dixit: « Ipsum audite (*Matth.* xvii; *Luc.* ix; *II Petr.* i). » *et probatus est hominibus*, qui videntes opera ejus bona, glorificant Patrem ejus qui in cœlis est (*Matth.* v). Placet Deo secundum gaudium, quod est in Spiritu sancto, probatus apparet hominibus secundum justitiam et pacem. Et quia pax et gaudium est regnum Dei, atque per hæc placere potest quisque tam Deo quam ho-

Digitized by Google

minibus, *itaque sectemur* semper *ea quæ pacis sunt* et concordiæ, non quæ belli et discordiæ; *et custodiamus ea quæ sunt ædificationis*, id est observemus ea quæ ad ædificationem pertinent, *invicem*, id est Judæus ad gentilem, et gentilis ad Judæum, ut semper alterutrum magis ac magis ædificemur vel alii per nos.

« Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per « offendiculum manducat (*Tit.* I; *I Cor.* VIII). Bo- « num est non manducare carnem, et non bibere « vinum, neque in quo frater tuus offenditur aut « scandalizatur aut infirmatur. Tu fidem habes pe- « nes temetipsum? habe coram Deo. Beatus qui « non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui « autem discernit, si manducaverit, damnatus est, « quia non ex fide. Omne autem quod non est ex « fide, peccatum est. »

Quæ sunt ædificationis custodire debemus, et ideo *noli propter escam tuam destruere* in aliis *opus Dei*, id est subvertere fidem et charitatem, quas in eis operatus est Deus. Solvit enim opus Dei et ædificium destruit charitatis, qui propter ciborum intemperantiam scandalum fratribus ponit. *Omnia quidem* genera ciborum *munda sunt*, sed tamen non nulla sunt intermittenda, ne per hæc destruatur opus Dei, quia *malum est homini qui per offendiculum* aliorum *manducat*, id est qui ita manducat, ut alii per ejus manducationem cadant et a fide deficiant. Quod ergo sui natura bonum est, ex offensione efficitur malum, ex eo quod offenditur frater te utente his cibis, in quibus ille scandalum patitur. Omnia enim naturaliter munda sunt, quamvis lex Moysi quædam munda et quædam immunda significaverit, ut populus qui sub lege censebatur, discerni per hujusmodi observantias a cæteris gentibus videretur. Et quandiu quidem populus ille sanctus et segregatus a cæteris nationibus habebatur, æqua discretio de mundis et immundis necessaria videbatur, quæ populum illum secerneret a nationibus, quas ignorantia Dei et cultus idolorum faciebat immundas. Nunc vero gentilibus cunctis ad fidem ingressis non necesse est distantias hujusmodi observare, sed omnem creaturam Dei, sicut revera est, bonam æstimare. Omnia itaque munda sunt et bona, sed in malum convertuntur eis qui per offensionem fratrum comedunt ea. Et ideo ne frater offendatur, abstinendum est ab eis. Nam *bonum est non manducare carnem*, *nec bibere vinum* per offensionem fratris, *neque* aliud *in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur*, *aut infirmatur*. Alioqui manducare carnem et non manducare, vel bibere vinum et non bibere, neque malum neque bonum est, sed medium et indifferens. Potest enim non manducare carnem et non bibere vinum etiam malus homo et a fide alienus, ut sæpe etiam nonnullos idolorum causa hoc facere contingit. Sed ne frater offendatur vel offendat, ideo non manducare carnem et non bibere vinum, nor jam medium vel indifferens, sed vere bonum est. Bonum est enim abstinere a carne et vino, si in eis frater offenditur. Omnia enim ob hoc fieri oportet, ne destruatur opus Dei. Ideo et manducandum est, si in eo frater ædificatur; et non est manducandum, si per hoc decrescit opus Dei. Et bibendum est, si per hoc proficiat frater ad fidem; et non bibendum, si per hoc aut frater damnum fidei, aut tu detrimentum charitatis incurras. Sunt et aliæ causæ, propter quas a talibus cibis plerique religiosorum abstinent, sed nunc tacentur ab Apostolo, quia rudibus loquitur. Ob hoc enim solummodo suadet nunc abstinendum, ne frater offendatur, aut scandalizetur, aut infirmetur. Offenditur enim, si propter comestionem aut bibitionem offensus recedit a fide. Vel offendit perturbatus nesciens quid teneat. Scandalizatur, si contristatur. Infirmatur in fide, si quamvis non recedat, dubitare incipit. Et ne frater ista propter cibum tuum patiatur, abstinere debes. Quod bene potes facere, quia de tuo bono nihil perdis. *Tu enim habes penes temetipsum*, id est in corde tuo, unde nullus auferre potest, *fidem*, quia credis licitum manducare omnia, *habe* illam *coram Deo*, id est serva illam intra conscientiam, nec jactes illam coram hominibus, ne magis in ostentatione fiat quod credis quam in virtute. Sufficit tibi habere coram Deo hujusmodi fidem. Non tamen idcirco cogendus est et alius ut omnia manducet, qui nondum habet talem fidem, ut credat omnia esse manducanda. Et ideo noli apud homines gloriari de hac fide tua, spernendo cæteros qui nondum sic credunt, sed in oculis interni arbitrii eam retine. Nam *beatus est qui non judicat semetipsum*, id est qui non facit damnabilem seipsum nocendo aliis, *in eo quod probat*, id est in eo facto quod laudat et bonum judicat. Beatus qui non aliud facit quam quod utile probat. Nam ille semetipsum judicat, id est proprio judicio se damnat, qui quod dicit non debere se facere, facit. Bona enim est fides, qua credimus omnia esse munda, et hanc probamus apud nosmetipsos veraciter esse bonam. Sed si hoc fidei bono male usi fuerimus, ut per offendiculum infirmorum fratrum manducemus, nosmetipsos judicamus, quia scienter hoc facimus, quod non esse faciendum mens nostra judicat. Ille quidem beatus est, qui non ita se judicat. Sed ille *qui discernit*, id est qui discretionem habet in cibis, putans alios esse mundos et alios immundos, si tali conscientia *manducaverit*, *damnatus est*, *quia non ex fide* manducat. Et ideo non debemus eum cogere ut manducet, nec exemplo nostro ad manducandum provocare, sed nos potius propter eum a talibus escis abstinere. Si manducaverit, jam conscientia arguente damnatus est, quia non ex fide manducat, dum cibum illum nequaquam credit esse mundum, et tamen comedit. Digne enim subjacet damnationi, quoniam aliter credit agendum, et aliter agit. Ille non ex fide comedit. Sed *omne* opus *quod non est ex fide*, *peccatum est*. Igitur quia comestio illius peccatum est, rite damnatur. Omne quod non est ex fide,

Digitized by Google

peccatum est, quia etiam illud quod est bonum, si putetur esse malum et tunc fiat, peccatum est. Velut si quis (verbi gratia) castitatem crederet esse malum, et viveret castus, profecto peccaret. Et propterea omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum est sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.

CAPUT XV.

« Debemus autem nos firmiores imbecillitates in-
« firmorum sustinere, et non nobis placere. Unus-
« quisque nostrum proximo suo placeat in bono, ad
« ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit,
« sed sicut scriptum est : Improperia improperan-
« tium tibi ceciderunt super me (*Psal.* LXVIII). »

Infirmus si edit, damnatus est, sed nos firmiores debemus sustinere talium imbecillitates. Vel ita : Offendiculum vel scandalum fratri ponere non debemus, sed potius *nos qui firmiores* sumus *debemus sustinere imbecillitates infirmorum*, ut ea in quibus alii pro infirmitate delinquunt, nos robustiores patienter feramus, et non continuo spernentes, abjiciamus et abhorrescamus illos, si forte in aliquo infirmitatis vitio vincuntur, neque sub specie purioris vitæ, a conventu fratrum et ecclesiæ societate depellamus eos. Cum enim non possint se ad nos erigere, debemus nos patienter eorum imbecillitates sustinere, id est portare et erigere, non abjicere et despicere. Quoniam si portetur infirmus, aut erubescit diutius portari, et corrigit consuetudinem delinquendi; aut si se corrigere noluerit, qui eum portat præmium patientiæ habebit; et ille deterius peribit. Debemus, inquam, eorum imbecillitates sustinere, ne cadant qui titubant, *et non nobis placere*, id est privato amore diligere, ut diligentes nos ipsos, de aliis non curemus; et propria commoda quærentes utilitatem aliorum negligamus. Hoc nullus faciat. Sed *unusquisque nostrum proximo suo* non in consensu nequitiæ ipsius, vel in alio quolibet malo *placeat*, sed potius *in bono* opere et sermone *ad ædificationem* illius. Non enim propter humanum favorem proximo placere debemus in bono quod agimus, sed propter illius ædificationem, ut verbis et exemplis ædificemus eum. Non nobis placeamus, sed proximo in bonis ad utilitatem ejus. *Etenim Christus* qui est caput nostrum et dux noster sic fecit, *non sibi placuit*, quia « cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (*Philipp.* II). » Sed volens hominibus placere, ut eis exemplum bene agendi tribueret et ad salutem eos reduceret, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, *et sicut scriptum est*, improperia sustinuit. *Ceciderunt*, inquit, *super me improperia improperantium tibi* (*Psal.* LXVIII), o Pater. Dum enim mihi improperarent, improperabant tibi quia sicut « qui me recipit, recipit eum qui me misit (*Luc.* IX); » et « qui me spernit, spernit eum qui me misit (*Joan.* XIII); » qui mihi improperat, improperat ei qui me misit. Improperia ergo Judæorum, hoc modo tibi improperantium ceciderunt super me, id est onere mortis oppresserunt me. Dixerunt enim me blasphemare in te, et ob hoc occiderunt (*Matth.* IX; *Marc.* II; *Joan.* X). Sicque peccata peccantium in te ceciderunt super me, quia innocens a peccatoribus occisus sum quasi blasphemus : et tu qui me miseras, es exhonoratus.

« Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram do-
« ctrinam scripta sunt, ut per patientiam et conso-
« lationem Scripturarum spem habeamus. »

Dixi quia Christus quem nos sequi debemus sustinuit, sicut scriptum est, improperia pro salute hominum, et non sibi placuit, sed aliis, ut salvi fierent. Et vere nos per hanc psalmi scripturam docemur exemplo ejus non nostra, sed aliorum commoda quærere. *Quæcunque enim* in Veteri Testamento *scripta sunt, ad nostram doctrinam*, id est ut nos per hæc doceamur, *scripta sunt*. Ostendit Apostolus utilitatem lectionis Veterum Scripturarum. Quas quia Judæi non intellexerunt, nos autem Christo aperiente intelligimus, non ad illorum, sed ad nostram doctrinam scripta sunt quæ ibi leguntur. Quæ enim scribuntur, propter eos sine dubio scribuntur, qui intellecturi sunt et utilitatem ex eis capturi. Et ideo propter nos scripta sunt omnia quæ in lege et prophetis leguntur, ut nos qui intellecturi eramus, doceremur per ea quid credere et agere deberemus vel sperare, ut scilicet *per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*, per patientiam habeamus spem, quoniam patientia operatur probationem, probatio vero spem (*Rom.* XV; *Jac.* I). Et per consolationem Scripturarum habeamus spem, quia dum Scripturæ nos in adversis consolantur, in spem supernæ beatitudinis mentem nostram erigunt. In ipsis Scripturis docemur per patientiam, ut communicemus passionibus Christi, et pro salute proximorum libenter sustineamus, sicut ille sustinuit pro nobis. Et ibi percipimus consolationem, id est mœroris et afflictionis allevationem, ne nimia absorbeamur tristitia. Consolatio enim non doloris ablationem significat, sed temperantiam et quamdam mitigationem. Et hanc ex Scripturis habemus, atque per hanc spem, quia dum præsentem tristitiam nostram Deus per Scripturarum suarum sententias levigat et in hilaritatem vertit, dat spem perveniendi ad illud gaudium, cui tristitia non erit admista. Consolatio nobis datur in recreatione passionum Christi, quia dum legimus vel audimus quot et quanta ille sine culpa sustinuit, intelligimus nos peccatores omnia debere libenter sustinere, ac deinde sequitur spes, quia per has afflictiones speramus ad illam beatitudinem pervenire, ad quam Christus merito suæ passionis pervenit.

« Deus autem patientiæ et solatii det vobis id-
« ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum
« Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum
« et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter
« quod suscipite invicem, sicut et Christus susce-
« pit vos in honorem Dei. »

Digitized by Google

Scripturæ nos docent, sed Deus vobis tribuat, ut possitis agere quod Scripturæ docent. Deus luce et virtute suæ gratiæ vestram imbecillitatem corroboret, ut operari velitis et possitis quod in Scripturis auditis. Deus dico patientiæ et solatii id est a quo est patientia et solatium, sicut et cæteræ virtutes. Cum dicitur Deus patientiæ, hoc intimatur, quia Deus cum his est, qui habent in se virtutem patientiæ; sicut et cum dicitur, Deus justitiæ, ostenditur in illis esse Deus, qui servant justitiam. Similiter et Deus solatii cum dicitur, ostenditur esse cum illis, qui ex Scripturis divinis per intelligentiam spiritualem capiunt solatium. *Deus patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum.* More patriarcharum et prophetarum tribuit nunc Romanis Apostolus benedictionem. Grandis enim est ista benedictio, qua precatur illis divinitus dari, ut idipsum sapiant in alterutrum, hoc est ne jam sit in eis ulla dissensio, sed unum idemque sapiant omnes atque sentiant; et sicut sibi, ita et proximo suo velit unusquisque. Bene autem addidit, *secundum Jesum Christum.* Potest enim fieri, ut et in malitia aliqui unum vicissim sapiant et consentiant. Qui autem secundum Christum sapiunt, sine dubio omne quod sapiunt, bonum est. Det, inquit, vobis idipsum sapere invicem, id est det vobis tantam concordiam invicem, ut quod unus sentit, sentiat alter, et sapientiæ sensus transeat in alterutrum, id est de isto in illum, et de illo in istum. Et hoc secundum Christum, id est in omni bono per quod regem nostrum sequimur, non in malo per quod ei contraimus. Ita sapiatis, *ut unanimes,* id est unum omnes animum habentes, *uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Uno ore dicitur, quando unus atque idem sensus et sermo per diversorum ora procedit. Idem sapiatis, ut unanimes uno ore Deum honoretis, quoniam aliter eum honorare non potestis. Non enim honoratur nisi ab illis qui idipsum in Christo sapiunt, ut unanimi voluntate atque eadem oris confessione laudent eum. Qui secundum humanitatem Christi, est Deus ejus; et secundum divinitatem ejus, est pater ipsius. Uno sensu et concordi vita debetis eum honorare. Propter quod, id est ut eum concorditer honoretis, *suscipite invicem* alii alios, ne jam alter alterum abjiciat, causa mundorum vel immundorum ciborum dissentiens ab eo. Ubi pro eis orationem præmisit, ostendit quia non ex viribus et meritis hominum, sed ex Dei gratia salus est. Ubi vero admonitionem subjungit, ut se invicem suscipiant, liberum arbitrium in eis demonstrat; et quod ex suo arbitrio per præcedentem Dei gratiam corroborato, salutem suam operari possint, indicat. Nam si nihil possent ex viribus suis, non eos admoneret; et si solo arbitrio sufficerent, Deum pro ipsis non oraret, sed solummodo exhortaretur eos. Suscipite vos invicem, *sicut et Christus suscepit vos,* qui nullius horruit immunditias, nec reputavit alicui delicta sua. Nihil ergo de immunditia animalium judicetis, sicut nec ille immunditias credentium reputavit. Suscepit autem vos *in honorem Dei,* quoniam ad hoc vos suscepit, ut juxta præceptum ejus, videant homines opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* v,).

« Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse « circumcisionis, propter veritatem Dei ad confir- « mandas promissiones patrum, gentes autem super « misericordia honorare Deum, sicut scriptum est. « Propterea confitebor tibi in gentibus, et nomini tuo « cantabo (*II Reg.* XXII, *Psal.* XVII). Et iterum dicit: « Lætamini gentes cum plebe ejus (*Deut.* XXXII). Et « iterum : Laudate omnes gentes Dominum (*Psal.* « CXVI), et magnificate eum omnes populi. Et rursum « Isaias dicit : Erit radix Jesse, et qui exsurget re- « gere gentes, in eum gentes sperabunt (*Isa.* « XI). »

Vere suscepit vos Christus, nam Judæos propter veritatem, gentiles propter misericordiam. *Dico enim Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis,* id est ego cui indubitanter credendum est, ego qui non ab homine, sed ab ipso Christo didici, ego qui tantus apostolus sum, dico quia Christus fuit minister circumcisionis, id est apostolus et prædicator eorum qui sunt ex circumcisione, sicut ait : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV), » et hoc *propter veritatem Dei* complendam, qui locutus fuerat Abrahæ et David, quod ex eorum semine Christus esset venturus (*Gen.* XXII; *Psal.* CXXXI), *ad confirmandas promissiones patrum,* id est ut ratas et firmas redderet promissiones, quæ de ejus adventu factæ patribus in Scripturis leguntur. Ad illos enim venire debuit, quorum patribus fuerat promissus. Non autem clausit Deus fontem bonitatis suæ etiam in alienigenas gentes, sed per eumdem redemptorem misericorditer eas salvavit. Vel pro eo quod circumcisionem in carne sua Christus suscepit, dicitur minister fuisse circumcisionis, ut aperte declararet quod ex semine Abrahæ veniens, cui Deus promiserat, quia in semine ejus benedicentur omnes gentes, compleret in semetipso quæ patribus fuerant promissa, ut per hoc gentiles intelligerent non esse penitus judicandos eos, qui in legis observationibus demorantur, cum etiam Christus in carne sua circumcisionis minister, id est observator exstiterit. Dico Christum fuisse ministrum circumcisionis propter veritatem Dei, *sed gentes* dico *honorare Deum,* id est dico quod gentes ad fidem conversæ bonis operibus et religiosis moribus honorant Deum *super misericordia,* id est de misericordia aut pro misericordia sibi ab eo collata. Veritas enim in Judæis, misericordia in gentibus. Veritas ibi, ubi erant eloquia Dei; misericordia in illis qui dimiserant Deum et converterant se ad diaboli cultum, nullamque promissionem divinitus acceperant, et nullum justitiæ meritum habebant. Ita per solam misericordiam vocavit Deus gentes ad honorandum et glorificandum se, sicut in psalmo scriptum est in persona

Digitized by Google

Christi (*Psal.* xvii) : *Propterea*, id est propter resurrectionem meam et ascensionem, quia ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me, o Deus qui subdis populum sub me, *confitebor tibi in gentibus*, id est, tibi per me confitebuntur gentes, *et nomini tuo cantabo*, id est cantantes faciam. Ostendit a gentibus majores Deo gratias referendas. « Cui enim plus dimittitur, plus diligit (*Luc.* vii).» Et Judæis arrogantiam tollit, dum et gentium salutem similiter docet esse prædictam. Quod Dominus ait : *Confitebor tibi in gentibus*, declarat ut ipse confitetur in eis, sicut et loquitur in eis, utpote in membris suis. Confessio autem non tantum peccatorum est, sed et laus Dei. Et quod ait : Cantabo, hoc est illud canticum novum, de quo dicit alius psalmus : « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra (*Psal.* xcv).» Ipse quippe cantat in nobis, cujus gratia cantat in nobis. Intus est gaudium, ubi vox laudis et canitur et auditur, qua voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, tota anima, et tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia Spiritus sancti. Hæc de gentium salute David in psalmo (*Psal.* xvii). *Et iterum* Moyses in cantico Deuteronomii, ubi nos habemus : « Laudate gentes populum ejus (*Deut.* xxxii),» juxta septuaginta Interpretes dicit : *Lætamini gentes cum plebe ejus*, id est cum Judæis unum ovile in Christo factæ gaudete. Et iterum David : (*Psal.* cxvi), *Laudate, omnes gentes, Dominum* quia auxit plebis suæ numerum nobis omnibus associatis, *et magnificate eum*, id est magnum et gloriosum vestris operibus ostendite *omnes populi* Judæorum, id est duodecim tribus et omnes familiæ Israel. *Et rursum Isaias* ait (*Isa.* xi), quod ad idem pertinet : *Erit radix Jesse*, id est principium regalis familiæ, et ex hac radice erit Christus, *qui exsurget* a mortuis *regere gentes*, id est ut regat gentes per fidem et bona opera ; et ideo *gentes sperabunt in eum* venturum ad judicium, ut recipiant ab eo coronam gloriæ. Vel quia ipse Christus in Apocalypsi Joannis dicit : Ego sum radix et genus David (*Apoc.* xxii),» ipse potius est intelligendus radix Jesse, id est originem carnis per David et Mariam trahens ex Jesse. Radix, inquit, erit Jesse, id est erit filius Jesse, erit ducens genus Jesse, et ipse erit qui de morte exsurget regere gentes, et in eum, ut diximus, gentes sperabunt, ut cum redierit, percipiant ab eo regnum (*Matth.* xxv).

« Deus autem spei repleat vos omni gaudio et « pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute « Spiritus sancti.»

Pulchre qui dixerat in Isaia scriptum esse, quod in eum gentes sperabunt, subjungit : *Deus autem spei*, velut si scriptum fuisset, quod in eum gentes crederent, et adjecisset, Deus autem spei. Deum autem spei invocat super eos qui sperant in eum, a quo eis benedictionis munus precatur augeri, quasi dicat : Ego Scripturarum testimoniis ostendi vos tam gentiles quam Judæos per Christum ad fidem pertinere, sed Deus qui potest omnia adimplere quæ dixi, Deus spei, id est qui dat spem, vel in quo speramus, *repleat vos omni gaudio* spiritali, ut nullus vestrum jam contristetur, sicut solebatis in lite (211) mutuo contristari, sed de profectu vestro et spe gaudeatis, et repleat vos *pace*, id est concordia *in credendo*, ne in vestra credulitate sit ulla discordia, sed pax ad invicem, *ut abundetis* bonis operibus *in spe* futuræ remunerationis *et virtute Spiritus sancti* qua nunc confortamini. Vel abundetis per opera bona, id est certius speretis æternam beatitudinem, et abundetis in unitate et virtute Spiritus sancti, id est abundantius repleamini ejusdem Spiritus fortitudine, ut ad omnia satis robusti

« Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de « vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti « omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.»

Ne videretur omnes intelligere discordes, et ad corrigendum insipientes removet illud. Quod ideo incipit, ut admoneat perfectiores de correptione minorum, et inde proponit se exemplum qui laborabat de aliis. Et opus est ut hoc isti faciant, cum ipse aliis impeditus, ad eos venire nondum possit. Moneo, inquit, vos invicem suscipere et concorditer vivere, non tamen omnes, sed *certus sum* de vobis majoribus, *o fratres mei, et ego ipse*, qui ita loquor, *quoniam* non ego solus, sed vos *ipsi pleni estis dilectione*, qua velitis aliis prodesse, et *repleti omni scientia*, qua possitis implere quod vultis erga profectum aliorum. Repleti omni scientia veteris et novæ legis, etsi non plenarie, tamen ex parte, *ita ut possitis alterutrum monere*, id est in tantum didicistis omnem Scripturæ scientiam, ut possitis per eam invicem alterutrum monere ad bene agendum, nisi in vestra culpa remanseritis.

« Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte « tanquam in memoriam vos reducens, propter « gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister « Jesu Christi in gentibus, sanctificans evangelium « Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata « in Spiritu sancto.»

Certus sum de vobis, et vos scientia repletos esse novi, sed tamen *audacius* quam fortasse putaretis, *scripsi vobis*, *o fratres*, et scripsi *ex parte*. Cum nunc Apostolus, a quo scientiæ sermo nobis transfusus est, ex parte se dicat scripsisse, credendum est quod quamvis ipse alibi dicat : « Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus (*I Cor.* xiii),» plura tamen et multo plura sciret quam scripserit. Tanquam enim ipse multa sciret, nec tamen auderet multa proferre, audacius se fecisse dicit, ut salutem aliquam per Scripturam eis dirigeret. Quod vero ait, *tanquam in memoriam vos reducens*, indicat fuisse quidem sibi jam sermonem de talibus, et se frequen-

(211) Al. deest *in lite*.

Digitized by Google

ter disseruisse de mysteriis; sed quia quæ solo sermone dicta sunt facile intercipere posset oblivio, per hæc pauca quæ scripsit, revocat illos in memoriam eorum, quæ latius sæpe disseruerat. Vel audacius scripsi vobis, reprehendendo audacius quosdam vestrum male se habentium, scripsi dico, non quasi putans vos insipientes, sed quasi in memoriam vos reducens, id est quasi faciens vos memores quid agere debeatis. Per laudem eos revocat ad meliora, more exhortantis. Unde nec dicit se docere eos, sed monere, quasi quod sciatur, sed subterfugiat animo. Ubi tamen latenter eos arguit, quasi oblitos quod mente sedula retinere debuissent. Scripsi, inquit, vobis, et hoc *propter gratiam* apostolatus *quæ data est a Deo*, quasi dicat : Pro officio meo omittere non potui. Ob hoc data est mihi gratia, *ut sim minister Christi in gentibus*, id est ut ministrem et serviam Christo, prædicans illum gentibus. Non temere scribit, sed Apostolus gentium constitutus, audet scribere omnibus gentibus. Sum minister Christi, quem ipse, non alius instituit, ego dico *sanctificans Evangelium Dei*, id est exemplo meo sanctum ostendens, quod cum tanta reverentia ministro, *ut fiat oblatio gentium accepta*, id est ut omnes offerantur Domino, tanquam acceptabile sacrificium, cum in Christum credentes per Evangelium sanctificantur. Vel fiat oblatio gentium accepta, id est ut gentes quas offero, sint acceptæ Deo fidei perfectione, *et sanctificatæ* bona operatione *in Spiritu sancto*, id est in Spiritus sancti gratia.

« Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. « Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me « non efficit Christus in obedientiam gentium verbo « et factis; in virtute signorum et prodigiorum, in « virtute Spiritus sancti, ita ut ab Jerusalem per « circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelio « Christi. »

Dixi quia sum minister Jesu Christi, sanctificans Evangelium Dei. *Igitur habeo gloriam in Christo Jesu*, cui ministro, *ad Deum*, cujus Evangelium sanctifico. In Christo gloriam istam habeo, quia nullus apud Deum gloriam habere potest, nisi in Christo. Christus enim veritas et sapientia et justitia, et sine his nemo gloriam habet apud Deum. Habeo gloriam in Christo, et recte, quia *non audeo* ut pseudoapostoli *loqui aliquid eorum quæ per me non efficit Christus*, id est dedecus grande putarem, si aliquid loquerer quod per me Christus non operetur, *in obedientiam gentium*, id est ut gentes ei obediant *verbo* meæ prædicationis *et factis* meæ operationis, *in virtute signorum et prodigiorum*, id est potentia mysticorum et simplicium miraculorum, factorum *in virtute Spiritus sancti*. Quæ loquor, inquit, non sunt alieni operis verba; nec aliorum gestorum laudator efficior, sed quæ Christum per me fecisse novi, hæc scribo vobis, quæ per obedientiam gentium verbo in me et opere explevit, verbo doctrinæ, opere autem signorum et prodigiorum. Signa appellantur, in quibus cum aliquid sit mirabile, indicatur etiam aliquid futurum. Prodigia vero, in quibus tantummodo mirabile aliquid ostenditur. Signa autem et prodigia, quasi quæ utrumque contineant, dixit. Scriptura vero divina interdum tenet istas proprietates, interdum abusive et prodigia pro signis, et signa pro prodigiis ponit. Hæc ideo per se facta dicit Apostolus, ut probet se nihil minus posse quam priores apostolos, qui cum Christo fuerant. In virtute autem Spiritus sancti potest illa potestas intelligi, qua manus imponebat super credentes, et accipiebant spiritum sanctum, vel super infirmos et sanabantur. Ita, inquit, operatur in me Christus, *ut a Jerusalem usque ad Illyricum repleverim Evangelio Christi* omnes populos per circuitum, vel Evangelium Christi repleverim, id est plene prædicaverim usque ad Illyricum, quæ est regio magna, incipiens a principio Europæ, et habens provincias decem et novem, ex quibus Dalmatia ex utraque Pannonia, Epirus et Achaia, Macedonia et Thessalia.

« Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi « nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est : Quo- « niam quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; « et qui non audierunt, intelligent. Propter quod « impediebar plurimum venire ad vos. Nunc autem « ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis « jam præcedentibus annis, cum in Hispaniam pro- « ficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, « et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte « fruitus fuero. »

Replevi omnia Evangelio per tam longa terrarum spatia, nec post alios id feci, sed *sic prædicavi hoc Evangelium*, ut omnes anticiparem, quia prædicavi illud *non ubi nominatus est Christus*, id est non in locis in quibus ab aliis prædicatus fuerat, *ne super alienum fundamentum ædificarem*, id est ne super fundamentum fidei ab alio positum adderem meæ prædicationis ædificium, et alieni operis gloriam subripere viderer, *sed sicut* in Isaia (*Isai.* LII) *scriptum est* feci, ubi legitur : Quia *quibus non est annuntiatum de eo*, id est de Christo, *videbunt* eum oculis cordis; *et qui* antea *non audierunt* prædicationem de eo, *intelligent* quæ de ipso dicuntur. Secundum hoc prophetiæ testimonium observavit diligenter Apostolus, ut illis Christum nuntiaret, quibus a nullo fuerat nuntiatus, et illi de eo intelligerent, qui a nullo ante didicissent. Nam quia sciebat pseudoapostolos sub nomine Christi falsa dicere, quod postea corrigere maximi erat laboris, ideo erat sollicitus prævenire, et veritatem integre tradere, ubi Christus nondum erat nuntiatus; utque verus de eo esset intellectus, festinabat gentes veritate imbuere, quatenus contra pseudoapostolorum commenta cautos omnes faceret. Tot, inquit, gentibus prædicavi Christum ignorantibus. *Propter quod*, id est quia detinebar occupatione fundandi ecclesias, et in illis locis fundandi, ubi nullum fidei

Digitized by Google

fundamentum præcesserat, dum per circuitum irem, et pseudomagistros prævenirem, *impediebar plurimum venire ad vos*, quos sicut in principio epistolæ dixi videre desidero. Sed *nunc ulterius non habens locum*, id est causam morandi *in his regionibus*, quia omnes notitia Dei replevi, *sed cupiditatem diu habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, cum cœpero proficisci in Hispaniam*, ad quam difficile itur a pseudoapostolis, et ideo tardare licuit: *spero quod præteriens videam vos*. Videtur hæc in Achaia positus dicere apud Corinthum. Quæ utique Achaia vicina et cohærens est Macedoniæ. In quibus locis degens, cum singula quæque peragrasset, Evangelium prædicans in his duntaxat finibus, ubi Christus, ante non fuerat prædicatus, et agnitione Dei replesset omnia, dicit se ulterius locum non habere in his regionibus, id est nullum sibi superesse Christi prædicatione vacuum, et tempus jam adesse, quo desiderium suum videndi Romanos debeat implere, quod conceptum ex multis annis gerebat, sed propter alios assidue convertendos, distulerat. Nec falsum loquitur, qui se in Hispaniam profecturum pollicetur. Profectus est enim, sicut Hieronymus et Beda cæterique doctores testantur. Unde et Narbonam præteriens, quemdam discipulum suum nomine Paulum, fertur ibi reliquisse episcopum. Pervenit igitur usque ad Hispanias, et a mari Rubro usque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab oriente usque ad occasum, ut ante ei terra deficeret quam studium prædicandi. Quia ergo et apud Hispanias pseudoapostolos prævenire festinabat, cum in Hispaniam, inquit, proficisci cœpero, spero quod videam vos, quasi dicat: Ex me nil possum, sed spero quod Deus dabit ut vos videam, *et* hoc præteriens, quia non indigetis longa mora, et alii prorsus indigent adventu meo. Spero quod videam vos, *et a vobis deducar illuc*, si interim vos præparatis, ne me a cæteris retardetis, videlicet *si vobis primum fruitus fuero*, id est si primum de vobis fructum habuero, si primum de vestro fructu lætatus fuero, et hoc ex parte vestrum, id est ex illis qui nondum talem fructum faciunt, qualem oportet. Quod ait, spero quia præteriens videam vos, non ita accipiendum est, quasi tam parvo amore erga Romanos teneretur, ut eos in transitu solummodo et aliquo pergens judicaret visendos. Unde subjungit, si vobis primum ex parte fruitus fuero. In quo utique in ipsorum potestate videtur ponere, quandiu pro eis debeat relaxare propositum alio pergendi; et hoc quodammodo amorem ipsorum erga se invitat et nutrit, ut ipsi insatiabili erga Apostolum teneantur affectu, sciant etiam ipsum id habere propositi, ut non prius ab eis discedat, neque alio quam charitatis ipsorum gratia perfruatur; non tamen ex integro, sed ex parte satisfiet eidem charitati. Præmonet enim quod præferenda sit eis necessitas evangelizandi pluribus. Et bene his quos nondum secundum carnem viderat, et ad quos nondum in corpore venerat, præsentiam sui et retardationem moderatius pollicetur. Desiderabilius enim suscipimus bona quæ cito metuimus auferenda; securius vero negligimus, quæ nos diutius contenturos credimus.

« Nunc ergo proficiscar Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritalium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis (*I Cor.* IX). Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, proficiscar per vos in Hispaniam. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam. »

Quandoquidem hic amplius non habeo locum et vos desidero, igitur non indilate *proficiscar Jerusalem*, ut inde veniam ad vos. Proficiscar *ministrare sanctis*, qui rerum suarum venditarum pretia posuerunt ad pedes apostolorum (*Act.* IV). Et habeo quod illis ministrem, quia *probaverunt*, id est probum justificaverunt, *Macedonia et Achaia*, id est Macedones et Achaici, *collationem aliquam facere*. Non ergo coegi, sed ipsi probaverunt facere aliquam collationem pecuniæ *in pauperes sanctorum*, id est in illos sanctorum *qui sunt* pauperes in *Jerusalem*. Non enim omnes sunt pauperes, sed illi qui omnia vendiderunt, et ad pedes apostolorum, ut diximus, pretium posuerunt. Hic subtiliter et verecunde, dum laudat Græcos, hortatur Romanos, facilius enim devotæ mentes, ad bene agendum exemplis quam sermonibus invitantur. Et qui per misericordiam Dei vivunt, misericordes debent esse confratribus. Probaverunt, inquam, facere rerum suarum collationem, quam sanctis egentibus mittant, quia *placuit eis* hoc facere, et merito placuit, quia *debitores sunt eorum*. Similiter et Romani sunt debitores eorum. Adeo vult Apostolus esse misericordes, ut et hoc deberi dicat ab eo, qui misericordiam exspectat. Debitores sunt. *Nam si gentiles facti sunt participes spiritalium eorum*, id est spiritalium bonorum quæ habent Hebræi, qui prædicatores eis miserunt, *debent* ipsi gentiles *ministrare eis in carnalibus* bonis. Isti se totos dederant divinis obsequiis, nihil mundanum curantes, et exemplum bonæ conversationis dabant credentibus. Ideoque gentiles qui non poterant omnia quæ mundi sunt relinquere, constituit illis Apostolus tanquam stipendiarios, provinciales, ut ex rebus suis victum eis ministrarent. Et quia illis hoc placuit, *igitur cum ego consummavero* hoc ministerium, *et assignavero*, id est sub signo uniuscujuscunque ecclesiæ vel regionis tradidero *eis fructum hunc* ex bona arbore natum, *proficiscar per vos in Hispaniam*, et ideo interim vos corrigite, per vos transibo, nec inutiliter, sed *scio*, id est certus sum *quoniam veniens ad vos, veniam in abundantia benedictionis Christi*, id est multum vobis prodero. Hoc non nisi per spiritum prophetiæ pollicetur. Supra hominem namque est scire de futuris, quod non

Digitized by Google

solum in benedictione Christi, sed et in abundantia benedictionis venturus sit ad eos, ubi et venientis gratia, et suscipientium merita pariter designantur.

« Obsecro igitur vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritus « sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris ad « Deum, ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, « et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem « sanctis, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. »

Quandoquidem iturus sum Jerusalem, ac deinde ad vos migraturus, *igitur obsecro vos, fratres*, ut si me vultis videre, impetretis orando ut possim liberatus ad vos venire. Obsecro vos *per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti*, id est quam Spiritus sanctus dat, ut si Dominum Jesum diligitis, et si in vobis est charitas quam Spiritus sanctus facit, *adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum*, ut quod ego solus obtinere nequeo, vestris adjutus orationibus obtineam. Multi enim in unum dum congregantur unanimes, fiunt magni, et multorum preces impossibile est ut non impetrent. Adjuvetis me *ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa*, ne me diutius teneant, et salutem vestram aliorumque retardent, nec victum quem sanctis defero, tollant. Orate ut liberer ab his incredulis, ut *oblatio obsequii mei*, id est mihi injuncti, *fiat accepta*, id est sufficiens, non diminuta, *sanctis in Jerusalem*. Vel accepta, grata et placens eis, ut intelligentes charitatem meam erga se, mecum unanimes gratias agant. Magnus enim mihi profectus erit, si meo ministerio lætificati, Deum laudaverint. Orate ut hæc ita compleam, sicque venire possim *ad vos in gaudio* futuri profectus vestri *per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum*, id est requiescam in pace et concordia vestra. Non enim refrigerium habeo in vobis, si dissidentes fueritis. Licet per prophetiam dixisset superius, quia veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam, nihilominus tamen sciebat etiam in his quæ manifeste futura cognoverat, orationem esse necessariam. Quæ utique nisi fuisset adhibita, sequeretur sine dubio non impleri quæ fuerant prophetata. Quis ergo est qui hæc legens vel audiens quod Paulus deprecetur eos qui Romæ sunt orare pro se, contemnat orationes Ecclesiæ postulare, etiam si inferiores meritis esse videantur hi, a quibus oratio postulatur? Ecce enim Paulus apostolicis præditus meritis, discipulos humiliter hortatur ut orent pro se. Notandum etiam quia sunt nonnulli qui dicunt : Quare laboremus bonis operibus ad vitam pervenire? Nam si prædestinati sumus, sine dubio ad eam perveniemus. Quorum errorem destituit, dum Romanos hortatur ut orent impleri ea, quæ ipse per spiritum prophetiæ futura prædixerat. Deus enim multa sic prædestinavit futura, ut sancti ea cum labore obtineant; et ideo qui laborare neglexerit, non apprehendet illa. Videamus quam validis, quamque religiosis sacramentis semper astringat. Obsecro, inquit, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa. Non tamen pati meruit ab incredulis ea pro Christo, quæ ad apostolatus ejus gloriam pertinent, sed impediri veretur, ne diutius obstaculis retentus vel minus gratum exhibeat sanctis ministerium, vel desiderium ejus quod erga Romanos habet visendos, diutius differatur. Si enim hæc ita gesserit, tunc pro bene gestis gaudens rebus, cito veniet ad eos per voluntatem Dei, et refrigerabitur cum eis, id est requiescet in charitate et bonis operibus eorum. Ibi enim refrigerium habet Apostolus, ubi requiescit Spiritus sanctus.

« Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. « Amen. »

Ego, inquit, cito venire cupio. Sed sive cito, sive tarde venero, *Deus pacis sit cum omnibus vobis, Amen*, qui vos omnes in pace custodiat, id est Christus qui se usque in finem sæculi cum suis futurum promisit. Pulchre autem in pace finivit, duobus populis in concordiam revocatis, ostendens quia non nisi in pacificis Deus pacis inhabitat. Ex hoc autem loco incipit multos proponere, quibus Romani debeant credere. Nam subdit :

CAPUT XVI.

« Commendo autem vobis sororem nostram Phœ- « ben, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est Cen- « chreis, ut eam suscipiatis digne in Domino san- « tis, et assistatis ei in quocunque negotio vestri « indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit multis et « mihi ipsi. »

Cenchreæ dicitur locus Corintho vicinus, id est portus Corinthi. Phœbe autem et nobilissima et ditissima mulier erat, quæ ecclesiam in loco Cenchreis sua substantia sustentabat. Et tunc temporis pro aliquo negotio Romam profecta est, et ideo eam Romanis commendat Apostolus, ut suscipiant eam digne sanctis, ut dignum est sanctos suscipi, et per eam fortasse misit hanc epistolam. Docet etiam feminas locus iste apostolica auctoritate in ministerio ecclesiæ constitui, in quo positam Phœben Apostolus nunc magna laude commendat, enumerans etiam gesta ejus præclara, et dicens quia intantum omnibus astitit, et in necessitatibus præsto fuit, ut etiam mihi ipsi in necessitatibus meis apostolicis devotione mentis astiterit. Ostendit etiam quia hi qui bono operi in ecclesiis dant operam, vicem recipere debent a fratribus et honorem, ut in quibuscunque necesse fuerit, sive spiritalibus, sive etiam carnalibus officiis, adjuventur; et honorifice habeantur.

« Salutate Priscam et Aquilam adjutores meos « in Christo, qui pro anima mea suas cervices « supposuerunt, quibus non solus gratias ago, sed « et cunctæ ecclesiæ gentium, et domesticam eo- « rum ecclesiam. »

Prisca, quæ in Actibus apostolorum Priscilla no-

Digitized by Google

minatur, uxor erat Aquilæ. De nis enim dicit Lucas : « Egressus ab Athenis Paulus venit Corinthum (*Act.* xviii). » Et invenit quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscellam uxorem ejus, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma, accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur. Erant autem scenofactoriæ artis, id est artifices tabernaculorum, videlicet sutores. Creditur autem quod quia illo tempore pulsis ex urbe Judæis per præceptum Cæsaris Corinthum venerant, rursum mitigata principis sævitia, Romam regressi essent quando Paulus hanc misit epistolam. Hi ergo *adjutores ejus in Christo*, id est in Christi prædicatione, quia recte crediderant, et apostolici laboris se socios fecerant, ut et ipsi hortarentur cæteros ad fidem rectam, denique Apollo quamvis exercitatus esset in Scripturis, ab his tamen in via Domini diligentius est instructus. Quos et apparet Judæorum insidiis, Paulo periclitante, semetipsos subjecisse, ut ille liber abscederet. Et hanc eorum laudem ipse non silet, sed omnibus eam ecclesiis admirandam tradit. *Supposuerunt*, inquit, *pro anima mea cervices suas quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ ecclesiæ gentium.* Merito enim gentium ecclesiæ his gratias agebant, qui seipsos morti obtulerant, ut doctor gentium liber evaderet, et ad opus prædicationis excurreret. Unde Romani eis obedire debent, quia pro exhortatione ad confirmationem eorum Romam reversi sunt. Hos, inquit, salutate, *et domesticam eorum ecclesiam*, id est familiam ipsorum, quia sanctitatem eorum imitatur.

« Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ in Christo Jesu. »

Iste primus omnium ex Asia credidisse intelligitur, et ad Romanorum confirmationem venisse Romam. Sic et alii quos salutat Apostolus, intelliguntur illuc venisse pro fratrum ædificatione.

« Salutate Mariam, quæ multum laboravit in « vobis. »

Et hæc pro utilitate Ecclesiæ non exiguum, sed multum et magnum laborem instituit.

« Salutate Andronicum et Juniam cognatos et « concaptivos meos, qui sunt nobiles in apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo Jesu. »

Hi secundum carnem cognati fuerunt Pauli, et cum eo causa fidei captivitatem pertulerunt. De quibus et hoc fortasse potest intelligi, quod ex septuaginta duobus discipulis Domini fuerint, qui et apostoli jure nominantur. Ideo *nobiles* dicuntur *in apostolis*, id est in illis septuaginta duobus, *qui et* ante Paulum *fuerunt in Christo*, id est in Christi fide. Vel ipsi duo fuerunt ante eum in Christo, quia secuti sunt priores apostolos, et ideo nobiles in apostolis dicuntur, id est inter prædicatores, qui discipuli erant apostolorum.

« Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Do« mino. »

Quamvis nihil egregium præ cæteris huic videatur ascribi, tamen hoc ipsum quod dilectissimus est Apostolo, manifestat eum laudabilem et salutatione dignum esse.

« Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Chri« sto Jesu, et Stachyn dilectum meum. »

Et istos salutatione dignos cæteris conjungit, sed Urbanum in laude præfert. Illum enim *adjutorem* apostolorum *in Christo*, id est participem apostolici operis; Stachyn vero *dilectum suum*, id est amicum proprium, etsi non adjutorem, dicit.

« Salutate Apellen probum in Christo. »

Hic, etsi non specialis amicus erat Apostoli vel particeps apostolici operis, tamen per tentationes inventus est fidelis in Christo. Intelligitur enim per multas tribulationes patienter et fortiter tentatas transisse, et ideo probus ab Apostolo pronuntiari, juxta quod superius ait, quia « tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem (*Rom.* v, *Jac.* i). »

« Salutate eos qui sunt ex Aristobuli domo. »

Aristobulus fuisse congregator fratrum in Christo intelligitur. Cujus factum sic probat Apostolus, ut eos quos ille congregabat, dignos salutatione sua designaret.

« Salutate Herodionem cognatum meum. »

Hic tantum cognatus Apostoli dicitur; nullum ejus evidenter meritum ostenditur, nisi quod religiosus in Christo fuisse declaratur, cum ab Apostolo salutatur.

« Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui « sunt in Christo. »

Narcissus dicitur fuisse presbyter, qui peregrinando confirmabat fratres exhortationibus. Et quia præsens tunc non erat, suos Apostolus salutat. Quia vero non omnium illorum merita noverat, discernit qui sunt in Domino, id est eos, qui digni sunt salutatione mea propter meritum quod habent in Domino.

« Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ labo« rant in Domino. »

Labor istarum non pro hoc mundo fiebat, nec pro vita præsenti, sed pro spe quam habebant in Domino. Intelliguntur autem in ministerio sanctorum laborasse.

« Salutate Persidem charissimam, quæ multum « laboravit in Domino. »

Hæc longe præfertur istis duabus, quia et charissima dicitur, et non solum laborasse, sed et multum laborasse in Domino asseritur.

« Salutate Rufum electum in Domino, et ma« trem ejus et meam. »

Hunc credo, sciebat Apostolus esse de numero non multorum qui vocati sunt, sed paucorum qui electi sunt (*Matth.* xx). Vel electus, id est promotus erat ad ecclesiasticas res agendas, ut in aliquo gradu honoris præesset. Cujus et mater tantum meritum habuit, ut etiam Apostolus suam hanc nominaverit matrem, unumque cum eo partitus sit

Digitized by Google

matris affectum, sicut Joannes cum Christo (*Joan.* XIX). Eadem enim femina et Rufi mater erat secundum carnem, et Pauli secundum charitatem ac beneficentiam. Vel fortasse carnalis mater Apostoli erat tunc Romæ degens cum ista.

« Salutate Assyncritum, Philegontem, Hermam, « Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt fra- « tres. »

Isti quos nominat intelliguntur simul habitasse, et in Christiana amicitia unanimes fuisse, atque famosi in religione, et secum alios fratres habuisse, qui non tanti meriti erant vel tantæ famæ. Puto autem quod Hermas iste scriptor sit libelli illius, qui Pastoris appellatur.

« Salutate Philologum et Juliam, Nereum et so- « rorem ejus, et Olympiadem, et omnes qui cum eis « sunt sanctos. »

Et hi simul unanimes erant, et qui nominatim exprimuntur, majores fuisse designantur. Omnes autem quos hucusque salutavit, intelliguntur præclari fuisse fide et meritis, ut eos jure deberent honorare Romani, et credere verbis eorum.

« Salutate invicem in osculo sancto. »

Vos ipsos *invicem salutate in osculo* non ficto, non subdolo, non libidinoso sed *sancto*, religioso et casto. In osculo sancto, id est in pace Christi vos salutate, ut non simulata vel carnalia, sed religiosa sint oscula vestra. Ex hoc præcepto et aliis similibus, mos ecclesiæ traditus est, ut post orationem osculo se invicem suscipiant fratres.

« Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. »

Per hoc dictum intelligitur Ecclesias posse dici, quæ non sunt Christi. Unde Psalmista : « Odivi Ecclesiam malignantium (*Psal.* XXV). » Omnium autem illorum locorum Ecclesias dicit Romanos salutare, ut crescant in fide et religione.

« Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui « dissensiones et offendicula præter doctrinam « quam didicistis, faciunt, et declinate ab illis. « Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, « sed suo ventri (*Philip.* III), et per dulces sermones « et benedictiones seducunt corda innocentium. »

Nunc monet Apostolus ut super omnia caveant a pseudoapostolis. Quasi dicat : Eos quos præmisi, salutate et imitamini, sed hos notate et vitate. Jussi ut illos salutetis, sed rogo ut istos caveatis. *Rogo vos, o fratres*, filii matris Ecclesiæ, *ut observetis*, id est discernatis et notetis *eos qui faciunt dissensiones*, id est mentium et sensuum discordias, et *offendicula*, id est fratrum invicem offensiones, ut alius offendat alium. Vel offendicula, id est culparum præcipitia præparant, ut incautos ruere in opera nequitiæ faciant. Et hæc agunt *præter doctrinam quam* vos a bonis prædicatoribus *didicistis*, quoniam talia opera transgressiones sunt sanctæ doctrinæ quam accepistis. Idcirco observate eos *et declinate ab illis*. Et quare? quia *hujusmodi* homines in subdola prædicatione quam faciunt, *non Christo, sed ventri suo serviunt;* quoniam non amore audientium prædicant, sed intentione accipiendi ab eis cibos, *et per dulces sermones*, quibus venenum nequitiæ suæ dulciter infundunt *et per benedictiones* fallaces *seducunt corda innocentium*. Hoc enim est proprium hæreticorum, et eorum qui decipiunt audientes, ut dulciter eis loquantur. Semper insidiosa, callida, blanda est adulatio : pulchreque adulator apud philosophos definitur blandus inimicus. Possunt dulces eorum sermones intelligi peccatorum allevationes, dum dicunt ea non esse gravia, et securitatem peccandi præbent stultis, promittentes eis impunitatem ex Dei misericordia, crebroque benedictiones illis dant, ut sancti eis appareant. Sicque seducunt, id est seorsum a via rectitudinis ducunt corda innocentium, id est simplicium cavere nescientium. Non enim Romanis tantum qui tunc in carne erant, sed magis omnibus ubique fidelibus usque in finem sæculi jubet Apostolus ut diligentius considerent et perspiciant, qui sint qui dissensiones et offendicula in ecclesiis generant. Dicit namque dissensiones et offendicula commovere, præter Christi doctrinam esse quam didicimus. Et ideo alienus a nobis sit, nec omnino recipiatur inter nos, quisquis certamina commovet, quisquis servit jurgiis, quisquis lites excitat et studia contentionis exercet. Qui enim tales sunt, Christo Domino, qui est pax nostra, non serviunt, sed ventri suo potius obsequuntur. Cur enim jurgia et lites in ecclesiis suscitentur. Spiritus sanctus per Apostolum nunc indicat. Ventris, inquit, gratia, id est quæstus et cupiditatis. Unde et nonnuli circumeunt domos, loquentes ad gratiam cum omni deceptione adulationis, non ut verbo Dei ædificent animas ad virtutes, sed ut per adulationes dulcesque sermones perimant, ut etiam proficere hortentur in vitiis, laudantes et benedicentes ea quæ correctione sunt digna.

« Vestra enim obedientia in omnem locum divul- « gata est. Gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sa- « pientes esse in bono, et simplices in malo « (*Matth.* X).

Ideo, inquit, vos moneo ut vitetis deceptores, quia non solum fides, sed *et obedientia vestra* ubique audita est, quoniam estis in capite mundi ; et sic exemplo vestro jam alii corrumpi possent, si essetis seducti. Vel rogo ut eos vitetis, quia leviter obeditis, sicut ubique jam divulgatum est. Subtiliter indiscretam et facilem eorum obedientiam, non in omni re laudat, sed divulgatam dicit. Et ne eos rursum inobedientes efficeret, si hoc apertius corrigeret, addidit. *Gaudeo igitur in vobis*, quasi dicat : Facile obeditis, et hoc bonum est, atque hinc gaudeo quia sic obeditis. *Sed* tamen *volo vos sapientes esse in bono et simplices in malo*, id est volo ut sitis sapientes in bono discernendo et sine aliqua parte mali, ut sapienter discernatis quibus bonum obedientiæ præbere debeatis, ne si incaute perversis obedientes fueritis, bono vestro se misceat malum duplicitatis. Non enim simplex sed duplex erit quod

Digitized by Google

egeritis, si et propter obedientiam bonum fuerit, et propter indiscretionem malum. Simplices sitis in malo, id est sine aliqua plicatione, hoc est sine aliqua admistione vel associatione sitis, ne bono vestro se malum aliquod adjungat. Sapientes etiam in bono estote, ut bonum sapienter et caute faciatis. Simplicitati enim adjungere prudentiam debetis, quatenus sic securitatem de simplicitate possideatis, ut circumspectionem prudentiæ non omittatis. Simplicitas enim et ignorantiam quamdam significat, ut sitis in malo simplices, id est nescii, videlicet malum nescientes per actionem.

« Deus autem pacis conterat Satanam sub pedi-
« bus vestris velociter. »

Volo ut sitis sapientes ad cavendum malum. Sed *Deus pacis* largitor et amator *conterat velociter Satanam*, id est omnem qui vobis adversatur in via Dei. Satanas enim *adversarius* interpretatur. Quo nomine hostis antiquus designatur, vel quilibet perversus, qui sanctis ad Deum tendentibus contraria molitur. Sed Deus pacis eum cito conterat *sub pedibus* eorum, ut suggestio antiqui adversarii, mox ut mentem ipsorum pulsaverit, conculcetur et conteratur, atque in nihilum redigatur, et omnis pseudoprædicator vel quilibet pacis dissipator, cito conteratur aut de mundo tollatur. Satanam sub pedibus ecclesiæ Deus pacis contrivit, quia membra ejus, in quibus ecclesiam persequebatur, ad fidem convertens, ipsi Ecclesiæ subjugavit.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.
« Amen. »

Ut Satanas conteratur, gratia Christi sit vobiscum custodiens vos et adjuvans.

« Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius
« et Jason et Sosipater, cognati mei. Saluto vos
« ego. Tertius, qui scripsi hanc epistolam in Do-
« mino. »

Timotheus consors laborum Apostoli fuit, qui multo tempore cum eo ad prædicandum perrexit, et tandem episcopus ab eo factus, magna sollicitudine gubernabat ecclesiam. Sed de Lucio scriptum est, quia erant in ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ et doctores, in quibus Barnabas et Simeon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis; Jason vero ille est Thessalonicensis, qui in Actibus apostolorum legitur (*Act.* XIII, XX, XXIV), et Sosipater Berrhœensis. Hi, inquit, vos salutant. Ac si diceret: His estis curæ. Et ego qui scripsi epistolam, saluto vos in Domino. Tertius nomine, non numero, ut Timotheus qui specialis adjutor designatur, primus intelligatur; deinde Lucius et Jason et Sosipater, quasi unus accipiatur, secundus, sicque scriptor epistolæ tertius. Vel post Jasonem et Sosipatrem tertius, qui videlicet scriptor vel ipse Apostolus est intelligendus; vel ut aliis visum est, notarius Apostoli. Nam melius est ut Tertius intelligatur nomen proprium, quia Tertius interpretatur *adjungens*, id est applicans se.

« Salutat vos Gaius hospes meus, et universa
« Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et
« Quartus frater. »

Ex his verbis apparet epistolam de Corintho scriptam. De hoc enim Gaio dicit Corinthiis : « Gratias
« ago Deo meo, quia neminem vestrum baptizavi,
« nisi Crispum et Gaium (*I Cor.* I). » Et de Erasto scribit ad Timotheum : « Erastus remansit Corinthi (*II Tim.* IV). Videtur autem indicari de Gaio, quoniam hospitalis fuerit, ut non solum Paulum ac singulos quosque adventantes Corinthium hospitio receperit, sed et Ecclesiæ universæ in domo sua conventiculum præbuerit. Hoc enim patenter innuere videtur Apostolus, qui, cum dixisset : *Salutat vos Gaius hospes meus*, mox addidit : *et universa Ecclesia* : illa videlicet Corinthiorum Ecclesia, quæ apud Gaium conveniebat. Nam et Joannes cuidam Gaio scribit (*III Joan.* I), qui forsitan iste est, laudans eum quia fratribus ministrabat. Erastus autem ab arca dicitur arcarius, quia dispensator civitatis erat quasi curator, quia dictante justitia civitatem gubernabat, maxime in moderandis pretiis. Ad laudem Ecclesiæ Corinthiorum scribitur de isto Romanis, quod is qui princeps erat civitatis, non erubesceret in Christum credere crucifixum, et credentibus in eum salutationem dirigere. Hos omnes Apostolus enumerat nominatim in salutatione Romanorum, ut scirent quales et quanti viri congauderent bono incœpto eorum.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus
« vobis. Amen. »

Tot et tanti salutationem vobis mandant, sed gratia Christi vobiscum maneat. Hoc paulo ante dixerat, sed præ nimietate æstuantis amoris repetit quod valde exoptat.

« Ei autem qui potens est vos confirmare juxta
« Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi,
« secundum revelationem mysterii temporibus æter-
« nis taciti, quod nunc patefactum est per Scriptu-
« ras prophetarum, secundum præceptum æterni
« Dei ad obeditionem fidei in cunctis gentibus co-
« gniti, soli sapienti Deo per Jesum Christum,
« cui honor est et gloria in sæcula sæculorum.
« Amen. »

Ego vos in hac epistola sic instruxi et monui, sed ei qui potens est vos confirmare, soli sapienti Deo sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Deo a quo sunt omnia, dat gloriam, ut cœptum Romanorum (quia potens est) dignetur complere, confirmando in fide et charitate animas eorum, in quo epistolæ summa notatur. Et sit gloria *qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi*, id est qui potest vos ad tantum perfectionem ducere, quantam ego evangelizo; et quantam Christus prædicavit et prædicando instituit. Quod Evangelium et quæ prædicatio sit *secundum revelationem mysterii*, id est secundum quod revelatum est de occulto Dei consilio ipsum mysterium incarnationis Christi, mysterii dico, *taciti æternis temporibus*, id est spatiis quæ fuerunt ante

Digitized by Google

mundi constitutionem, quia soli Deo notum erat quod unigenitus patris humanitatem pro hominum salute esset assumpturus. Sed et facto jam mundo, tacitum est, hoc mysterium Christi incarnationis, et humanæ reparationis, quia licet aliquatenus esset antiquis patribus notum, nulli tamen eorum plenarie fuit cognitum. *Quod nunc patefactum est per Scripturas prophetarum*, id est adventu, Christi revelatum est, Scripturis prophetarum ab eo reseratis, quæ testimonium dant huic prædicationi. Patefactum est *secundum præceptum æterni Dei*, id est secundum quod præcepit Deus, qui hoc ab æterno ordinaverat. Et est patefactum *ad obeditionem fidei in cunctis gentibus*, id est ad hoc manifestum est nunc in universis nationibus, ut omnes obediant fidei bene operando. Mysterii dico olim taciti aliis, sed *cogniti soli sapienti Deo*, quia, etsi sit hominibus modo revelatum, tamen soli Deo cognitum est, qui solus novit cur ita factum est. In quo reprimit Apostolus inquisitores, qui quærunt cur distulit Deus tantum, cur tot gentes perire permisit. Solus autem sapiens Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, quoniam Trinitas unus Deus est. Qui propterea solus sapiens dicitur recte, quoniam solus secundum sapientiam suam et substantiam sapiens est, non secundum accidentem vel accedentem participationem sapientiæ, sicut sapiens est rationalis quæcunque creatura. Trinitas, inquam, est solus sapiens Deus, qui omnino nec potuit unquam esse insipiens, nec poterit, non per gratiam particeps sapientiæ, sed sapiens immobilitate naturæ. Soli igitur sapienti Deo gloria sit *per Christum Jesum*, hoc est clara cum laude notitia, quia innotuit gentibus Deus Trinitas. Ideo per Jesum Christum, quia ut alia taceam, ipse præcepit baptizari omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI), ubi præcipue commendata est hujus individuæ gloria Trinitatis. Quod vero additum est : Cui, ut diceretur, cui gloria, cum sufficeret, si dictum esset, ei autem gloria, inusitatam nostræ linguæ locutionem indicat, non sensum quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat. Quid sensui deperit, si dicamus, et gloria cui per Jesum Christum gloria? hoc namque est ei, per Jesum Christum cui gloria, quod est, cui per Jesum Christum gloria. Sed alter horum inusitatus, alter usitatus ordo verborum. Vel dictum est, ei gloria cui per Jesum Christum gloria, sive ei gloria per Jesum Christum, cui gloria, ut intelligeremus eum qui in seipso semper gloriosus est, per incarnationem et resurrectionem Christi apud homines glorificari. Vel ei qui potens est vos confirmare, id est Trinitati, sit gloria per Jesum Christum, *cui* Jesu Christo et secundum humanitatem *est honor et gloria*, sicut in Psalmo canitur : « Gloria et honore coronasti eum (*Psal.* VIII.)» Quod subjunxit, *in sæcula sæculorum*, moris est Scripturæ divinæ, immensitatem per hoc temporum designare. Vel in sæcula sæculorum, in æterna sæcula, quæ digniora erunt labentibus sæculis, sicut Sancta sanctorum et Cantica canticorum præstantiora sunt cæteris sanctis et canticis; vel sicut Rex regum et Dominus dominorum cæteris regibus et dominis est præstantior. *Amen* autem quod interpretatur *vere* vel *fideliter*, quasi ad confirmationem omnium quæ superius scripta sunt, in fine posuit, per quod vernaculo Hebræorum sermone vera et fidelia esse, quæ sunt scripta, signaret.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Corinthus est civitas metropolis, caput Achaiæ, decus Græciæ. Ad quem Paulus veniens, multos civium convertit ad fidem. Ubi et Dominus ei nocte per visionem dixit : Noli timere, sed loquere, et ne taceas. Propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac civitate. Sedit ergo annum et sex menses docens apud eos verbum Domini. Post cujus abscessum, subversi sunt quidam eorum a pseudoapostolis, quidam etiam a mundanæ eloquentiæ sectatoribus, nonnulli vero judaicis traditionibus depravati. Quidam etiam eorum attendentes dignitatem personarum in baptismo, putabant quod plus gratiæ et remissionis peccatorum accepissent, si a dignioribus et sanctioribus viris baptizati fuissent. Et per hoc se aliis præferre volebant, qui tam dignos baptizatores non habuerant. Multaque alta in eis erant schismata et vitia. A quibus omnibus intendit Apostolus eos corrigere et modum illos Christianæ conversationis docere, scribens ab Epheso. Hæc epistola post illam ad Romanos jure locata est, licet ante illam scripta sit, quia quisquis in fide jam instructus est, de qua cum Romanis agitur, debet consequenter a subrepentibus vitiis corrigi, et in virtutibus plenius informari, sicut nunc corriguntur et instruuntur Corinthii. Ob hoc etiam posita est hæc post illam, quoniam in materia quamdam habet affinitatem cum illa. Ut enim illi de meritis suorum antecessorum gloriabantur, et suam salvationem non gratiæ deputabant, sed quidam legis observationibus, quidam vero facultati ingenii et libertati arbitrii; sic et isti de sanctitate suorum baptizatorum gloriantes, et quidquid boni habebant illi ascribentes, alii aliis præferri volebant. Sed veniamus ad litteram.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

« Paulus vocatus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. »

Paulus interpretatur *mirabilis*. Et vere mirabilis doctor, cui nullus comparari potest in scientia; mirabilis operarius, qui plus omnibus laboravit. Hoc ergo nomine jam reddit attonitos auditores suos, et tanti nominis auctoritate comprimit, ne verbis sequentibus audeant contradicere, vel inobedientes resistere. Qui et vocatum se dicit, ut majoris appareat auctoritatis, quia non sicut cæteri ab hominibus est ad fidem vocatus, sed a Christo ipso de cœlo (*Act.* IX). Qui etiam *apostolus*, id est missus *Jesu Christi*, a quo audivit : « Vade ego longe « ad gentes mittam te (*Act.* XXII). » Apostolus Jesu Christi est *per voluntatem Dei*, id est a Christo missus ad gentes per voluntatem Patris. Per quod tangit etiam illos, quos neque Christus miserat, neque per voluntatem Dei prædicabant. Paulus talis et tantus scribit Corinthiis, *et Sosthenes frater*. Etiam istum adjungit ad confirmationem omnium quæ scribit, quia magnæ erat apud eos auctoritatis, utpote qui princeps ibi synagogæ fuerat, et ad fidem conversus, multas a Judæis persecutiones ante tribunal Gallionis proconsulis viriliter sustinuerat (*Act.* XVIII). Paulus et Sosthenes scribunt *Ecclesiæ* non baptizantium, sed *Dei quæ est Corinthi*. Ideo scribit Ecclesiæ, quia adhuc singulis Ecclesiis rectores non erant constituti. Paulus Ecclesiæ Dei, videlicet *sanctificatis*, id est baptismo regeneratis *in Christo Jesu*, id est in figuratione mortis et resurrectionis Christi Jesu. Sanctificatis in Christo, non in Petro vel Paulo, vel alio quolibet baptizatore, quia Christus sanctificationem istam æqualiter operatur per omnes suos ministros, et ideo nulli gloriandum est in meritis sui baptizatoris. Ecclesiæ se dixit scribere, et addidit sanctificatis in Christo, ut ostenderet omnem Ecclesiam sanctificatam fuisse in Christo, sed quosdam illorum post male cœpisse conversari. Scribit etiam *vocatis* prædicatione evangelica, et *sanctis* bona conversatione sua. Vel vocatis sanctis, id est vocatis ad hoc ut sint sancti; hoc est, ut non recedant a regula sanctitatis, declinantes in aliquem errorem vel in malum, actionem; vel etiam vocatis ab æterno divinitus, id est prædestinatis ante mundi constitutionem, et sanctis in tempore conversationis suæ. His scribit Paulus *cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro*, id est conversis ad fidem Judæis jungit et gentes, quia salus ex Judæis est (*Joan.* IV), « ut in omni loco, et ubi gentes quæ invocant nomen Domini, et ubi tales Judæi sunt similiter sint omnes unum. Vel ita potius Corinthiis scribit, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum Corinthiorum, id est subjecto eis, hoc est cum omnibus suffraganeis Corinthi, cum omnibus qui subjecti Corintho ut metropolitanæ civitati. Cum omnibus qui Deum invocant in omni loco ipsorum Corinthiorum, id est famulante illis, et nostro, id est ad nos similiter pertinente, sicut ad eos. De nostro namque apostolatu sunt illi qui sunt in locis Corintho subjectis, et ideo scribimus eis sicut Corinthiis. Deum autem invocat, qui suis precibus nihil aliud ab eo quam ipsum Deum quærit. Quid enim invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat, sed illud quod vult ad se venire. Quid enim est invocare, nisi in se vocare? Nam cum dicis Deo, da mihi divitias, non vis ut Deus ipse in te veniat, sed vis ut divitiæ veniant ad te. Quod vis ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipsum haberes divitias. Ergo illi qui propter sæcularia commoda, qui propter terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum. Sed illi invocant Deum, illi invocant nomen Domini, qui nihil ab eo quærunt nisi ipsum, qui hoc ab eo pie postulant, ut ipse dignetur in eos venire et in eis habitare, eosque templum suæ gloriæ facere. Meritoque tales ubicunque maneant, sociantur illis quibus scribit Apostolus. Quos simul omnes salutat, dicens : *Gratia vobis* sit, qua vobis peccata remittantur et virtutes conserventur. Gratia lapsis ut resurgant, stantibus ut maneant. *Et pax* sit vobis, qua reconcilientur Deo, qui per peccata ejus facti sunt inimici; et qua stabiliter ei inhæreant, qui non recesserunt ab ejus amore. Quæ scilicet gratia et pax sit vobis, non a baptizatoribus vestris, vel ab aliis hominibus, sed *a Deo Patre nostro*, qui nos in filios adoptare dignatus est, *et a Domino Jesu Christo*, id est salvatore, rege, Domino nostro, id est qui de potestate Satanæ nos eripuit, et suo dominio nos mancipavit. Servi namque ejus sumus, licet Pater ejus nos in filios adoptaverit, quia ipse est Filius per naturam, nos per gratiam; ille Creator, nos creatura; ille sine peccato, nos liberati a peccato.

« Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quia « in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi « confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit « in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini « nostri Jesu Christi, qui et confirmabit vos usque « in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. Fidelis Deus (*I Thes.* V), per « quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu « Christi Domini nostri. »

Hæc epistola cum ad unius scribatur populum civitatis, pro varietate habitantium, id est sanctorum et peccatorum, nunc laudat eos, nunc corripit, nunc docet, nunc reprehendit, ut unusquisque in ea intelligat, quid pro se, quid adversum se dicatur, ut, cum laudat eos, sciant boni ad se verba dirigi; et cum reprehendit, sciant qui male egerunt, ad se hæc dici. Ecce enim a perfectis inchoat, quos multa

Digitized by Google

laude prosequitur, ut postmodum ad infirmos veniat, quos reprehensurus est. Alloquitur primo perfectos, ostendendo eos commendatione dignos, ut qui hactenus boni permanserunt, meliores fieri studeant; et cæteri qui in aliquo errore deciderunt, erubescant et conentur ut his similes fiant. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo semper pro vobis*. Deo qui omnium est, sed tamen speciali privilegio sanctitatis, quam mihi contulit, meus est, ago pro vobis semper gratias, quia quidquid boni habetis, ab illo vobis datum esse scio, non ab hominibus. Gratias ago *in gratia Dei quæ data est vobis*, id est propter gratiam quam Deus contulit vobis *in Christo Jesu*, non in Petro vel Paulo. Gratia enim data est in Christo, quia hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christo, salvus sit sine opere, sola fide, et gratis accipiat remissionem peccatorum. Nec hoc solum isti perceperant, sed et charismata spiritualia fuerant illis multa divinitus concessa. Vere magna gratia vobis data est in Christo, *quia divites in illo facti estis in omnibus* donis spiritualibus, ut abundetis omnibus divitiis spiritualibus. Et suppono partes aliquas divitiarum, scilicet *in omni verbo*, id est in omni genere linguarum, ut Græca et Latina et Hebraica lingua, cæterisque linguis omnibus loqui possitis. Vel in omni verbo, id est in omni modo prædicandi parvulis tenuiter, et mediocribus mediocriter, ac perfectis perfecte, *et in omni scientia*, id est Scripturarum intelligentia, quæ est secundum historialem et mysticum et moralem sensum. Ditati estis in omni verbo prædicandi et scientia intelligendi, *sicut testimonium Christi*, id est quod Christus de semetipso moriendo et resurgendo testatus est, *confirmatum est in vobis*, id est in vestra vita, in vestris moribus. *Ita* estis donis omnibus ditati, *ut nihil desit vobis in ulla gratia* Spiritus sancti, quia prophetiam habetis, genera linguarum, virtutem curationum et cætera charismatum dona. Nihil deest vobis, quod nec esse sit habere, quia si non habetis omnia quæ habent apostoli, omnia tamen habetis quæ necesse est ut habeatis. Ita repleti estis, ut nihil vobis desit, vobis dico *exspectantibus*, id est cum desiderio præstolantibus et digne paratis excipere *revelationem Domini nostri Jesu Christi*, quando revelabitur in flamma ignis ad judicium veniens, et apparebit omnibus. Hanc revelationem impii timent et venire nolunt; pii vero, qui propter meritum bonæ conversationis suæ sperant se cum Christo regnaturos, totis desideriis cupiunt ut revelatur, quia sperant in ejus revelatione ad visionem gloriæ ejus pertingere. Et ideo infatigabiles in bonis operibus perdurantes exspectant eam; et cauta circumspectione invigilant ne, cum venerit, reprehensibiles in aliquo inveniantur. Sic exspectatis revelationem Domini, in qua ipse bonis et malis se in judicio manifestabit. *Qui* et per auxilium gratiæ suæ faciet ut ab hac exspectatione non deficiatis, quia *confirmabit vos* in virtutibus et bonis operibus *usque in finem*, id est usque ad obitum uniuscujusque

A vestrum. Confirmabit, inquam, vos in bonis, *sine crimine*, id est sine ullo criminali peccato vel animi vel carnis. Nonnulli enim exspectant revelationem Domini, quasi de justitia securi, et tamen in criminibus manent, id est in invidia, detractione, odio, dissensione, et his similibus. Sed vos ab his et talibus immunes Dei gratia conservabimini *in die adventus Domini nostri Jesu Christi*, id est ut in illo die sine ullius criminis reatu inveniamini. Qualis enim quisque moritur, talis in illo die invenitur. Et etiam mortis dies est unicuique dies adventus Domini, sicut ipse declarat, dicens: « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Matth.* XXIV). » Alacri animo confisus de spe istorum Apostolus, securus est, quia inviolati usque in

B diem novissimum erunt. Qui enim inter tot discrimina sensuum et perturbationes diversitatum mutari non potuerunt, procul dubio se in sua bonitate permansuros ostendunt. Quos dum laudat Apostolus, cæteros qui errore pseudoapostolorum depravati fuerant, invitat. Dum enim istorum fidem et sanctitatem prædicat, illos ad pœnitentiam vocat. Dixi quia vos confirmabit usque in finem. Et vere confirmabit, quia *fidelis*, id est verax est in promissis suis *Deus*, quia fideliter reddet quidquid promisit. Promisit salutem æternam et beatam vitam cum angelis sine fine, et hæreditatem immarcessibilem, gloriam sempiternam, dulcedinem vultus sui, domum sanctificationis suæ in cœlis, resurrectionem a mortuis, ubi nullus deinceps moriendi metus

C erit (*I Petr.* I). Talia promisit, et in horum redditione fidelis erit, quia sine mendacio reddet ea illis quibus promisit. Fidelis Deus *per quem vocati estis*, quia qui aversos vocavit, jam facilius confirmabit. Vocati estis *in societatem* non modo apostolorum vel angelorum, sed etiam *filii ejus Jesu Christi Domini nostri*, ut sitis participes hæreditatis et gloriæ quam possidet Filius ejus. Hoc enim dedit vobis esse, quod credidistis, ut quia credidistis Christum esse Filium Dei, vos quoque efficeremini filii Dei, mansuri in eadem dignitate in qua manet Christus. Societas enim fraternitatis est. Et vos fratres ejus et socii facti estis, quem Dei Filium firmiter credidistis.

Hucusque præfatio cum laude. Hinc jam dissen-

D sionis causam exsequitur, subdendo:

« Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? »

Si qualiter quid dicatur, et quibus dicatur, non vigilanter aspicitur, valde periculosum est. Verecundæ etenim mentes, si quas fortassse culpas admiserint, leniter arguendæ sunt, quia si asperius

Digitized by Google

increpentur, franguntur potius quam erudiuntur. Quod nunc bene demonstrat Apostolus, qui cum Corinthios cognosceret pro amore personarum in schismate divisos, eorum verecundiæ consulens, locutionem suam eis a gratiarum actione et laudibus incœpit. Et quos in omni verbo et in omni scientia laudaverat, quibus nihil deesse in ulla gratia dixerat, paulisper loquens, et ad increpandum leniter veniens, divisos erga seipsos reprehendit. Et quorum prius salutem narraverat, postmodum vulnera patefecit. Peritus enim medicus vulnus secandum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpavit, et subito percussit. Prius blandam manum laudis posuit, et postmodum ferrum increpationis fixit. Nisi enim verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant quod in consolationem sumant, per increpationem protinus ad desperationem cadunt. Non autem mentitus est Apostolus, ut prius eis nihil deesse in omni gratia diceret, quibus postmodum dicturus erat unitatem deesse. Sed quia erant inter eos quidam omni gratia repleti, et erant quidam in personarum favoribus scisci, cœpit, ut dictum est, a laudibus perfectorum, ut modesta invectione ad reprehensionem pertingeret infirmorum. Et in hoc quoque ad medicinam cordis, a medicina corporis usum traxit. Nam cum feriendum vulnus medicus aspicit, prius ea membra quæ circa vulnus sana sunt, palpat, ut post ad ea quæ vulnerata sunt, leniter palpando perveniat. Cum ergo Paulus perfectos in Corinthiis laudavit, sana membra juxta vulnus tetigit; cum vero infirmos de divisione reprehendit, vulnus in corpore percussit. Sed jam verba ejus tractemus. Videtur enim dicere: Pro perfectis qui in bono permanserunt gratias ago; sed *vos fratres*, qui seducti estis et meritis hominum gloriamini, *obsecro per nomen Domini nostri Jesu Christi*, qui vos solus redemit, et in cujus nomine baptizati estis, *ut idipsum dicatis omnes*. Idipsum, videlicet quod dicunt illi quos laudavi, dicatis omnes vos uno ore, *et non sint in vobis*, id est inter vos vel in cordibus vestris, *schismata*, id est divisiones. Hæc schismata intelliguntur aliquorum in fide divisiones, dum diversa sentirent, quia cum deberent omnes dicere se esse Christi, dicebat alius. Ego sum Pauli; alius, Ego sum Petri. Non sint in vobis schismata, sed *sitis perfecti in eodem sensu*, id est in eadem voluntate, in qua sunt illi quorum laudem præmisi; *et in eadem scientia*, id est in eadem Scripturarum intelligentia, in qua sunt illi. Vel idipsum dicatis, id est unam fidem catholicam omnes pariter loquamini; et non sint in nobis schismata, id est mentium aut verborum discissiones, sed sitis perfecti in eodem sensu, quem vobis tradidi de Christo, ut omnes perfecte sentiatis in eo solo gloriandum, non in hominibus; et in eadem scientia, quam vobis de Christo tradidi, ut perfecte sciatis vos ejus sanguine redemptos et in ejus nomine per baptismum sanctificatos. Potest sensus ad Christi divinitatem referri, scientia vero ad humanitatem, ut vos omnes eumdem sensum atque intellectum de ejus divinitate, et eamdem scientiam de humanitate firmiter teneatis, quatenus omnes simul idem de divinitate et humanitate illius credatis. Hæc ideo dico, quia *significatum est mihi de vobis* per litteras, *o fratres mei, ab his qui sunt Chloes*, id est in illo loco qui sic vocatur, *quia contentiones sunt inter vos*. Quamvis aversi fuissent, fratres tamen vocat eos Apostolus, ut per id non dissentirent ab eo cui conventus fratrum qui habitabant Chloes intimavit quia contentiones essent inter eos, per quas manifestabatur diversitas mentis eorum de disciplina Dominica. Fratres illi significaverunt mihi vestras contentiones. Nec solum illas scio, sed etiam verba quæ dicitis. Sed *hoc dico quod unusquisque vestrum dicit*, id est nullus ex vobis est qui non dicat unum horum quæ subjicio. Nam alius quidem dicit: *Ego sum Pauli*; alius autem, *Ego* sum *Apollo*, id est filius peritissimi doctoris; alius vero, *Ego* sum *Cephæ*, id est Petri; alius autem qui solus sapit, dicit: *Ego* sum *Christi*. Sicque divisi estis in partes, ac si alii ex vobis essent Pauliani, alii Apollani, alii Petriani et alii Christiani. Et ita secundum vos *divisus est Christus*. Quasi dicatur: Multos facitis Christos, id est datores gratiarum. Vel qui operatur idem in omnibus, divisus est, dum creditur in isto plus gratiæ operari, in illo minus. Vel divisus est, id est abscissus et separatus est a vobis, qui caput vestrum erat, quia ab illo vos subtraxistis, quando meritis hominum causam vestræ salutis ascribere cœpistis. Errorem quidem ostendit Apostolus, sed auctorum nomina non prodidit. Neque enim in loco stabant, sed circuibant ad eversionem simplicium. Nam hi quos nominavit, sine dubio boni erant doctores, sed horum specie falsos apostolos tangit. Si enim in his gloriandum vetat, quanto magis in malis doctoribus, quorum doctrinam pravam in subjectis significat? Inter eos tamen hos perseverantes designat, qui dicebant se Christi esse, non hominis, quos superius laudavit, et ad horum similitudinem alios invitat. Divisum autem Christum dixit, quia gloriam ejus homines sibi partiti sunt, sicut hæretici, qui se aut Photinianos aut Arianos vel Manichæos vocari non horruerunt. Nam et Corinthii diversis hæreticorum nominibus subjici cœperant, ut viderentur loco Christi homines venerari. Qui diversa de Christo accipiunt, Christum dividunt. Unus enim hominem tantum accipit Christum, alter Deum purum sine corpore profitetur. Alius per prophetas prædictum Christum dicit, alius negat prophetas de Christo locutos. Cum ergo Christus unus sit Deus et homo, isti sibi dum alius aliud, et alius aliud de eo vindicat, dividunt Christum,

« Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in « nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo meo « quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum « et Gaium, ne quis dicat quod in nomine meo ba- « ptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ do-

Digitized by Google

« mum. Cæterum nescio, si quem alium baptizave- A rum, a quo se baptizatos cognoscerent. Noluit ergo
« rim. »

Non debetis dicere, ego sum Pauli, quia *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis*, ut vos sanguine suo redimeret, et auctor salutis esset, *aut in nomine Pauli baptizati estis*, ut invocatio nominis Pauli mundaret vos a peccatis in baptismo? Nequaquam Paulus, sed Christus pro vobis crucem justus pro injustis pertulit; et non in Pauli, sed in Christi nomine baptismum susceptistis. Modeste et humiliter sanctus Apostolus zelans Ecclesiam, sed sponso, non sibi, et horrens eos qui voluerunt dicere, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, suam personam potius assumpsit quam calcaret et contemneret, ut Christum glorificaret. Repulit a se, sed ut mittat ad Christum. Non vult a sponsa amari pro sponso. Id- B circo enim seipsum maluit contemnere ad commendandum Christum, ne forte si alios nominatim contemneret, ideo putaretur eorum refutare personas, ut suam commendaret. Si, inquit, pro vobis Christus mortuus est, et in nomine ejus sanctificationem baptismi percepistis, quomodo ad ejus injuriam nunc gratiam et beneficium ipsius imputatis ulli hominum? Nam quia de baptizatoribus gloriamini, *gratias ago Deo meo* ex hoc *quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Gaium*, qui non sunt de contentione vestra, non quod malum sit baptizare, sed *ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis*, de quo magis gloriaremini. Non solum non estis in nomine meo baptizati, sed nec in meo ministerio, et C inde gratias ago Deo meo, qui me noluit hujus occasionem esse erroris. Non baptizavi nisi Crispum archisynagogum et Gaium, qui nobiles erant, et in primis crediderunt; nec gratiam baptismi deputabant ulli hominum, sed soli Christo, et intelliguntur ex illis esse, qui superius sunt laudati. Nec solum hos, sed *baptizavi et domum Stephanæ*, id est familiam illius nobilis matronæ, de quibus in postremis epistolæ hujus dicitur, quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos. De his, inquit, certus sum quod eos baptizavi, sed præter hoc *nescio si quem alium* ex vobis *baptizaverim*. Per quod ostendit se non esse salvatorem. Nam si aliquos salvaret a se justificatos non ignoraret. Baptizasse se quosdam dicit, non tamen eo D modo, quo ille consuevit baptizare, de quo dictum est: « Hic est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). » Baptizavit enim Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas. Baptizavit autem Christus tanquam potestas. Et potuit hanc potestatem servo dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quod servi, ut quomodo dictum est, baptismus Joannis, sic diceretur, baptismus Petri, baptismus Pauli, baptismus Jacobi, et cæterorum. Ergo ne tot baptismi dicerentur, quot essent servi qui baptizabant accepta potestate a Domino, sibi tenuit baptizandi Dominus potestatem, servis ministerium dedit, ut in illo spes esset baptizato-

servum spem ponere in servo. Et ideo sibi soli retinuit hanc potestatem. Quam si vellet, potuit vel alicui vel unicuique servorum suorum dare, ut tanta vis esset in baptismo servi, quantam vim habet baptismus a Domino datus, sed noluit, ideoque non differt sive bonus sive malus, cui contingit ministerium ut baptizet, quia quisquis sit minister, Christus est Dominus qui baptizat; propter quod tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per apostolum datus.

« Non enim misit me Christus baptizare, sed
« evangelizare, non in sapientia verbi, ut non eva-
« cuetur crux Christi. Verbum enim crucis per-
« euntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi
« fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est
« enim : Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*Isa.* XXIX ; *ibid.* VIII).
« Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi? (*Isa.* XXXIII.) Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia
« non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere
« credentes. »

Ideo tam paucos baptizavi, quia non ad hoc missus sum. *Non enim Christus*, cujus ego minister sum, *misit me baptizare, sed evangelizare*, id est prædicare. Quoniam majus est evangelizare quam baptizare, quia non omnis qui baptizat, idoneus est evangelizare. Quia igitur et minores possunt baptizare, qui sapientiam et virtutem prædicandi non habent, ideo non baptizare missus sum, ne retardarer a prædicatione, sed Evangelii semina spargerem. Quo dicto illi humiliantur, quibus Corinthii multum dabant eo quod ab illis baptizati fuerant, dum innotescit non magnum esse baptizare. Missus sum evangelizare, et hoc *non in sapientia Verbi*, quia prædicatio Christiana non indiget pompa et cultu sermonis. Ideoque piscatores, homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent, ut doctrinæ veritas ipsa se commendaret teste virtute, ne hominum versutia et calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate, sicut disciplinæ ab hominibus inventæ, in quibus non ratio, non virtus, sed verborum compositio quæritur. Ac per hoc gloriam suam quærit, qui fidem Christi verbis exornare studet, quia obscurat illam splendore verborum, ut non illa sed ille laudetur. Sicut et pseudoapostoli ne stulti viderentur prudentibus mundi, in sapientia hominum prædicabant Christum, devitantes ea quæ mundus in nobis stulta judicat, ut neque incarnatum Dei Filium et de Virgine natum docerent, neque morte ejus homines salvari prædicarent; neque carnis nostræ futuram resurrectionem, quia mundanæ sapientiæ ratio judicat hæc stulta. Hoc enim habet physicalis sapientia, quod Deus non fiat homo, quod invisibilis non fiat visibilis quod immortalis non fiat mortalis, quod virgo concipere et parere non possit, quod mori non possit auctor vitæ, quod

Digitized by Google

mors unius non possit multos vivificare, quod mortuus aperto sepulcro resurgere nequeat, quod verum corpus humanum clausis januis intrare non possit in domum. Nos autem hæc omnia de Christo prædicamus. Ideo Apostolus non in sapientia hominum evangelizat, quæ sapientia est verbi, id est locutionis ornatæ secundum dialecticam et rhetoricam. Non sum missus, inquit, evangelizare in sapientia verbi, id est ut secundum humanam calliditatem verbis compositis auditores ad fidem argumentando cogerem, sed simpliciter veritatem omnibus annuntiarem. Ideo non in sapientia verbi hominum, *ne evacuetur crux Christi*, id est ne vacua, ne otiosa putetur passio Christi, sed plena hominum redemptione et salute. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium sufficit sibi, quemadmodum sæculi sapientes dicunt, et ad cognoscendum quomodo vivere debeat, et ad bene vivendum, ergo Christus gratis mortuus est, et crux ejus ab omni utilitate vacua est. Sed impossibile est crucem ejus vacuam ac superfluam esse, quia salus humana non nisi per crucem illam poterat evenire. Ergo stulta est sapientia verbi sæcularis, quæ hoc ignoravit. Vere evacuaretur crux in sapientia verbi, quia *verbum crucis*, id est prædicatio crucifixi Christi *est*, id est videtur esse *stultitia pereuntibus*, id est sapientibus mundi, quorum sapientia perit ac falsa ostenditur ; et ipsi damnandi inde sunt, quia spem suæ salutis in cruce Christi non constituunt. Stultitia enim videtur illis, Dei Filium dicere crucifixum, et ideo sunt in perditione, quia infernæ morti non sunt erepti. Incredulis et pereuntibus est stultitia, sed *his qui salvi fiunt, id est nobis* credentibus, *est virtus Dei* ipsa crux. Credimus enim non infirmitatem esse crucem Christi, sed virtutem, intelligentes mortem victam in cruce; cujus signum qui habent sunt fortes et salvi fiunt, quia teneri a morte non possunt. Non enim in verbo crucis Christi dicitur aliquid, ubi virtus et fortitudo Christi non appareat, quia moriendo mortem vicit et diabolum atque infernum et peccatum, hominemque liberavit, et ignem portæ paradisi sanguine suo exstinxit credentibus, omniaque mundi regna superavit, et regnum cœlorum aperuit. Nulla ergo est tanta virtus, quanta est in omnibus quæ de Christo crucifixo dicuntur. Non prædico in sapientia verbi, ne taliter crux evacuetur; quæ evacuaretur, si aliquo modo præter illius sacramentum ad justitiam vitamque æternam pervenire homines posse dicerentur, quia *scriptum est* in Isaia quod Deus perditurus esset sapientiam mundi. Ideo enim non misit me Dominus evangelizare in mundana sapientia, quoniam ipse (sicut Scriptura testatur) prædixerat quod eam non reciperet in prædicatione evangelica, sed perderet et reprobaret de collegio prædicatorum suorum. Unde ait: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Non suam sapientiam Deus in eis perdit et reprobat, quam ipse donavit, sed quam sibi arrogant, qui non habent ipsius. Notandum enim sapientiam autem esse in subtili excogitatione rerum, prudentiam vero in exspolita ipsarum rerum explanatione. Vel sapientiam, qua de Deo humanis rationibus disputant, et incarnationem mortemque ejus velut stultam contemnunt ; prudentiam vero quam habent in moribus, vel qua excogitant aliquid probandum. Et Deus perdidit, id est irritam fecit et destruxit sapientiam sapientium, atque reprobavit prudentiam prudentium, quando fecit illa quæ illi negant posse fieri, et piscatores ad prædicandum misit. Ubi enim fecit ut Dei Filius incarnaretur de Virgine et crucifigeretur pro humana salute, obviavit sapientiæ sapientium et destruxit eam. Et ubi illiteratos et idiotas fecit prædicatores, ut per eos simplicibus verbis ad fidem converteret dialecticos et rhetores, reprobavit a sua prædicatione prudentiam prudentium, et astutiam moresque eorum rejecit. Sciendum vero quod hæc sententia juxta Hebraicum sic dicitur in Isaia de populo Judæorum : « Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium abscondetur (*Isa.* xxix). » Quod completum est post adventum Domini, quando uno eodemque tempore succensa est Jerusalem templumque destructum, et omnis majorum scientia ablata. Nam quia sapientes illius populi Christum qui est Dei sapientia, non receperunt, periit ab eis omnis sapientia eorum. Et quia prudentes astutis machinationibus studuerunt contraire eidem sapientiæ Dei, inter homines corporaliter conversanti, absconditus est ab oculis cordis eorum omnis intellectus, quem habebant in Scripturis, ne scilicet Christum reperiant qui in littera continetur. Quod et huic loco epistolæ multum congruit, quia ex illis infatuatis doctoribus Judæorum erant pseudoapostoli, contra quos nunc Paulus agit, qui se per mundum sparserant, loquentes in sapientia mundi ad subversionem eorum qui nuper ad fidem venerant. Post propheticum vero testimonium subdit Apostolus : *Ubi sapiens*, etc. Ac si dicat : Ita olim prophetatum est, et nostro tempore videmus illud completum. Nam *ubi* est *sapiens?* id est in qua Ecclesia de Judæis aut gentibus aliquis rhetorum vel dialecticus est prædicator Evangelii constitutus? Si enim prædicator in Ecclesia esse voluit, sapientiam sæculi abjicere oportuit. Et *ubi* est electus ad prædicandum *scriba?* id est qui de moribus vel artibus præcepta dat aut libros componit. Et *ubi* est electus ad docendum in Ecclesia *inquisitor hujus sæculi?* id est qui secreta naturæ rimatur. Scribæ sunt, naturalium et moralium librorum auctores, et artium sæcularium scriptores, id est de ipsis artibus præcepta dantes. Inquisitores autem sæculi, qui constellationibus agi mundum credunt, et duodecim signis ortus et occasus fieri decernunt, nihil omnino sine horum motu putantes fieri posse; qui sapientia sua inquirunt et discutiunt atque investigant de occultis rebus ac naturis singulorum. Sapiens generale vocabulum utriusque est. Hos reprobatos et adnihilatos esse perhibet Apostolus, non quod doctri-

Digitized by Google

nam eorum ex toto improbet, in multis enim concordant sacris litteris, sed quia quædam senserunt et scripserunt contraria Christianæ religioni, et maxime de cultura pluralitatis deorum. Tales non recepit Deus, sed stultos fecit. Insultat ergo Apostolus sapientiæ et astutiæ, probatæ falsæ et reprobæ, cum dicit : *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor hujus sæculi?* quasi dicat : Nil valet talium astutia, et est invectio in Judæos et gentiles. Nam Judæorum scribæ et legis doctores, Deum Filium habere, stultum putant credi. Simili modo quotidie et gentes istud risui deputant. Sed Judæi, quia hoc non tam aperte in lege significatum est, diffidunt. Gentiles vero quia mundi ratio istud non recipit, nihil enim dicit posse gigni sine commistione duorum, stultum judicat. Sed ubi sunt, inquit, tales dogmatizatores ? quasi dicat : Confusi sunt et retrorsum pulsi, vel in nihilum redacti. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus*, id est quæ est secundum rationes hujus *mundi*, utique stultam fecit eam, faciens illa quæ dicebat non posse fieri. Et ita quæ se sapere putabat, inventa est insipiens. Quod enim illa impossibile judicabat, possibile declaratum est. Stultam fecit Deus talem sapientiam, quia per stultitiam dedit salutem credentibus. *Nam quia in Dei sapientia*, hoc est, in luce divinitatis filii Dei *mundus*, id est, quilibet mundi amator vel mundanæ sapientiæ sectator per superbam sæculi sapientiam *non cognovit Deum*, quoniam Creatorem invenire non potuit, multiplicibus disputationibus et solertissima inquisitione, qua pervenit ad investigationem creaturæ, propterea *placuit Deo salvos facere credentes per stultitiam prædicationis*, id est per rem prædicatam quæ stulta videtur, hoc est per incarnationem et humilitatem Filii sui. Verbum quippe Dei, sapientia est. Sed stultitia hujus sapientiæ, dicta est caro Verbi. Vel quia carnales quippe per carnis suæ prudentiam pertingere non valebant ad sapientiam, per stultitiam prædicationis, id est per carnem Verbi prædicatam sanarentur. Et hoc est, quia in Dei sapientia non cognovit mundus, etc. Ac si dicatur : Cum Deum qui est sapientia, nequaquam per sapientiam suam mundus inveniret, placuit ut Deum hominem factum per humanitatis stulta cognosceret, quatenus ejus sapientia ad nostra stulta descenderet, et lucem supernæ prudentiæ luto carnis suæ illuminata, nostra cæcitas videret, sicut ille cæcus, qui luto super oculos accepto illuminatus est (*Joan.* IX).

« Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sa-
« pientiam quærunt; nos autem prædicamus Chri-
« stum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gen-
« tibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis
« atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sa-
« pientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius
« est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius
« est hominibus. »

Ideo mundus non cognovit per sapientiam Deum, quia Judæi signa potentiæ quærunt, consueti ab antiquo ; et Græci sapientiam, utrum quod prædicatur, natura patiatur ; et nos contra prædicamus Christum crucifixum, quod non est Judæis signum potentiæ, sed scandalum, quia irascuntur contra præcones rubore sceleris sui, et gentilibus est stultitia, quoniam secundum mundanam rationem non congruit ut Deus pro hominibus moreretur. Et hoc est : *Judæi signa petunt*, id est non physicas vel argumentosas rationes, sed miracula postulant : et non diffidunt posse fieri contra naturam, sed an factum sit quærunt, scientes virgam Aaron aridam germinasse et fructum attulisse (*Num.* XVII), scientes Jonam post tres dies de ventre piscis vivum exiisse (*Jon.* II), et alia multa divinitus facta esse, et ideo signa consueverunt petere (*Matth.* XII). *Græci* vero *sapientiam quærunt* quia nolunt audire ea quæ mundi ratione non possibilia sunt, quoniam contra naturam nihil posse fieri putant, et ideo secundum physicas rationes diligenter inquirunt, si possit fieri quod audiunt, eam quæ ingenio hominis sapientia videtur, invenire cupiunt. Judæi et gentiles sic agunt, *sed nos* contra *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Judæi enim turbantur et indignantur atque irascuntur, dum audiunt Dei Filium prædicari eum, quem ipsi crucifixerunt. Gentiles vero stultitiam putant, immortalem potuisse mori, et eum qui in potestate habebat persecutores una voce prosternere, pertulisse ab illis se flagellari, conspui, teneri, spinis coronari, crucifigi. Stultum quippe gentilibus videtur, ut pro hominibus auctor vitæ moreretur, quia hoc mundanæ sapientiæ non congruit. Christum crucifixum pro mundi redemptione prædicamus, quod ut diximus, scandalum Judæis incredulis est, et stultitia Græcis. Sed *ipsis Judæis atque Græcis*, qui hoc prius putabant scandalum et stultitiam, *vocatis*, id est postquam sunt ad fidem vocati vel conversi, vel vocatis ad vitam non communi vocatione, sed qua soli prædestinati sunt ante mundi principium vocati, prædicamus *Christum Dei virtutem*, quia mortuus vicit, *et Dei sapientiam*, qua prudenter fefellit diabolum. Virtutem nunc ad signa retulit Apostolus propter Judæos, sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est gentiles. Hæc enim virtus sufficit Judæis signa quærentibus, si crediderint ; et hæc sapientia sufficit Græcis sapientiam petentibus. Credentes enim intelligent hæc signa virtutis in Christo quod mors ejus mortem nostram destruxit, et mortuus ipse vitam nobis dedit æternam. Græci quoque, si crediderint, in eo videbunt magna sapientiæ documenta, et suam sæcularem sapientiam intelligent esse stultitiam. Videbunt enim quam provido et sapienti consilio nos, qui per superbiam ceciderамus, ipse per humilitatem suam erexit. Ob hoc etiam vocatur Christus Dei virtus, quia per ipsum omnia fecit Deus ; et Dei sapientia, quia per ipsum cognitus est Deus. Unde et apparet idem Filius coæternus et coæqualis Patri. Cum enim ipse Filius sit Dei virtus et Dei sapientia, si aliquando fuit Deus

Digitized by Google

sine filio, fuit sine virtute et sapientia, id est fuit infirmus et insipiens. Item si quis dicat quod Dei virtus sit minor illo, aut ejus sapientia minor illo, magnam deo contumeliam ingerit, cum nec quilibet homo potens id sibi dici æquanimiter ferret. Nec mirum si Christus crucifixus, est credentibus Dei virtus et Dei sapientia, *quia quod stultum est Dei*, id est humilitas et passio, *sapientius est hominibus*, id est quam homines possint videre et esse, et quod infirmum est Dei, id est incarnatio, *fortius est hominibus*, quia victus vicit mortem, quam nullus gigas evasit. Quia nos cum ad divinam sapientiam venimus, sapienter facimus; ipsa cum ad nos venit, ab hominibus superbis, quasi stulte fecisse reputata est. Et nos cum ad illam venimus, convalescimus; ipsa cum ad nos venit, quasi infirma existimata est. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur (*Gen.* III). Sed sicut illa vocatur sapientia, erat autem stultitia contemnentibus Deum, sic ista quæ vocatur stultitia, sapientia est vincentibus diabolum. Non enim vere stultitia est, sed ab hominibus dum rationi mundanæ non convenit, putatur stultitia, cum sit ratio spiritalis. Nam hæc stultitia superat omnes sapientes, quia salutem humano generi sapienter reddit, quam nullus sapientium invenire sciebat. Hæc, inquam, stultitia omnem hominum sapientiam supergreditur, quia qui sapientia sua liberari non poterant, per crucis mysterium salvantur, Sed et infirmum Dei non est infirmum, quia infirmitas Christi magna victoria est. Vicit enim fortem armatum qui vicerat omnes (*Luc.* XI), et ideo fortior est hæc infirmitas Dei cunctis hominibus, quia superavit illum qui cunctos superaverat, et mortem quam nec gigantes evadere potuerunt, crucifixi infirmitas vicit.

« Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non « multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ sunt stulta mundi « elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi « elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi « et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, « ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis « caro in conspectu ejus (*Jer.* IX). Ex ipso autem « vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio, ut quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur (*II Cor.* X). »

Vere stultum et infirmum Dei, est sapientius et fortius hominibus, quia in vobis potestis hæc experiri, insipientes enim et infirmos vos vocaverunt. Nam *videte vocationem vestram, fratres*, id est videte per quos vocati estis, *quia non multi* ex illis sunt *sapientes secundum carnem*, id est secundum humanam sapientiam, *non multi potentes* secundum sæculi potentiam, *non multi nobiles* secundum carnis nobilitatem. Et primo nulli ex vocationibus fuerunt tales. Non multi forsitan propter se dicit, qui solus inter apostolos sæcularium litterarum peritus, terrenarum opum dives, Romanæ dignitatis parentela conspicuus fuit, qui tamen hæc nihili pendit, nec usus est eis. Erant jam et aliqui alii prædicatores sancti ex illis, qui fuerant sapientes secundum carnem, et potentes et nobiles, sicut Dionysius Areopagita et alii. Vel ita : Videte vocationem vestram, id est in vobis ipsis probate quod dico, quia non multi ex vobis sapientes secundum carnem vocati sunt ad fidem, sed potius pauci sapientes crediderunt. Per superbiam enim sapientiæ sæcularis, multi sapientiæ Dei contempserunt esse subjecti. Vix enim istiusmodi homines ad fidem possunt adduci. Nec multi potentes in hoc sæculo vel nobiles inter vos, ad Christum sunt vocati. Difficile enim potentes et nobiles ac divites, et multo his difficilius eloquentes, credunt Deo. Obcæcatur enim mens eorum divitiis et opibus, atque luxuria vel superbia; et circumdati vitiis, non possunt videre virtutes; simplicitatemque Scripturæ sanctæ non ex majestate sensuum, sed ex vilitate verborum judicant. Non multi tales vocati sunt, *sed quæ stulta sunt mundi*, id est ignaros homines mundanæ sapientiæ *elegit Deus* ut per eorum doctrinam *confundat*, id est erubescere faciat, et ad insipientiam redigat *sapientes* sæculi. Confunduntur enim sapientes, dum ea quæ ipsi negant, vident multos confiteri, id est partum virginis et crucem Filii Dei et resurrectionem a mortuis, cæteraque similia. Stulta mundi elegit Deus, id est ineruditos liberalibus disciplinis et omnino (quantum ad sæculi doctrinas pertinet) impolitos, non peritos grammaticæ, non armatos dialectica, piscatores fecit suos prædicatores, ut videlicet cunctis in eis ostenderet, quod ad vitam credentes populos, non sermo, sed causa suaderet. *Et infirma mundi*, id est pauperes et impotentes *elegit Deus*, ut per eorum virtutem *confundat fortia*, id est superet et erubescere faciat potentes. Nam dum elati divites novas virtutes in humilibus peccatoribus aspicerent, eorum quorum prius contemnebant vitam, postmodum obstupuere miraculis, unde mox pavidi ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia, quia dum in veneratione vita surgit humilium, elatio cecidit superborum. *Et ignobilia mundi et contemptibilia*, id est homines in hoc mundo plebeios et abjectos *elegit Deus*, *et ea quæ non sunt*, id est non computantur, scilicet illos homines qui nihil esse videbantur, *ut ea quid sunt*, id est magna putabantur, *destrueret*, id est vincendo humiliaret. Elegit ergo indoctos, infirmos, ignobiles et pauperes; non quia reliquit sapientes, firmos, nobiles et divites; sed si ipsos primos elegisset, merito sapientiæ suæ vel potentiæ, seu natalium aut divitiarum suarum sibi eligi viderentur, atque inflati de his rebus, salutem humilitatis non reciperent. Si enim primo sapientes elegisset, doctrinæ eorum merito elegisse illos putaretur, et ita illorum scientia laudaretur, et laus Christi gratiæ minueretur. Si potentes elegisset, videretur eos merito dignitatis eorum elegisse, et similiter divites merito

Digitized by Google

divitiarum. Et ideo istos qui de semetipsis in semetipsis poterant gloriari, non quidem omisit nec contempsit, sed aliquantulum distulit; et illos primo eligere maluit, qui nihil in seipsis habebant unde gloriari possent. Quia nimirum ad prædicandum tales venire debuerunt, qui de laude propria nihil haberent, ut tanto solius veritatis cognosceretur esse quod agerent, quanto et aperte cerneretur quia ad hoc agendum per se idonei non fuissent. Tales ergo primitus elegit, ut per eos humiliaret cæteros, et ad fidem adduceret, *ut non glorietur omnis caro*, id est omnis homo *in conspectu ejus*, id est coram ipso, vel non glorietur omnis caro in conspectu ejus, id est in se nullus glorietur eum conspiciens. Non glorietur utique de meritis suis. Non, enim gloriantur injusti, qui non habent unde glorientur; nec justi, quia ex ipso habent unde gloriari debeant; nec habent gloriam suam, nisi ipsum cui dicunt: « Gloria mea et exaltans caput meum (*Psal.* III). » Ac per hoc ad omnem hominem pertinet, sive justum, sive injustum, quod nunc dictum est, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, scilicet neque de meritis, neque de sapientia, neque de potentia, neque de nobilitate, nec de divitiis aut alia re propria quisquam glorietur. Nullus ex se potest gloriari, sed vos in Deo gloriamini, quia *ex ipso* Deo, id est ex ipsius dono *vos estis in Christo Jesu*, non ex vobis. Ex ejus gratia processit ut sitis in Christo, non ex vestris meritis, quia ejus propositum fuit ut essetis membra Christi. Si ergo ex ipso estis, nolite illos admirari quos ipse non elegit. In Christo estis, *qui factus est* vobis *sapientia*, ut ejus participatione sapientes efficeremur percipientes ab eo sensum prudentiæ, et factus est *nobis justitia*, ut nos ejus participatione justificaremur per opera virtutum *et sanctificatio*, ut nos sanctificaret in baptismo, faciens immunes a peccato, *et redemptio*, ut nos redimeret pro nobis seipsum dando. Sapientia ergo nobis factus est, id est illuminans nos ad veritatem et Dei cognitionem, et quia prius justificat bona operatione, per hoc justitia, quia prius emundat in baptismate; et hoc, quia prius redemit sua passione. Ipse qui in seipso est æterna et incommutabilis sapientia, etiam nobis fit sapientia, cum nos ejus participatione efficimur utcunque sapientes ad recte sapiendum. Ita ipse cum in se sit ipsa justitia, quæ vivit in seipsa et incommutabiliter vivit, etiam nobis fit justitia, cum nos ei cohærentes juste vivimus; et tanto magis minusve justi sumus, quanto illi magis minusve cohæremus. Similiter cum ipse sit in seipso æterna sanctitas, etiam nobis fit sanctificatio, cum nos sanctificat sui participatione. Factus est ergo nobis a Deo sapientia et justitia et sanctificatio, quia nos ad illum convertimur temporaliter, id est ex aliquo tempore, ut cum illo maneamus in æternum, et ipse ex quodam tempore « Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Hæc omnia nobis a Deo factus est, *ut qui gloriatur*, non in se, sed *in Domino glorietur*, sicut *scriptum est*, in Jeremia: « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, quia facio miricordiam et judicium et justitiam in terra (*Jer.* IX). » Videte quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam, abstulit nostram, ut daret suam; abstulit inanem, ut daret plenam; abstulit nutantem, ut daret solidam. Quanto enim gloria nostra fortior et firmior quæ in Deo est, quam quæ in nobis? Non ergo glorietur quisquam in sapientia sua, vel in fortitudine, vel in divitiis aut hujusmodi rebus; sed si gloriari voluerit, glorietur in Domino qui facit misericordiam et judicium et justitiam. Ille enim in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, sed etiam ut non nisi ab illo bene sit sibi, a quo habet ut sit; et qui in omnibus quæ facit, non suam, sed Domini gloriam quærit. Et ideo gloriandum est in Domino, quia non poterit confundi qui gloriatur in eo; confundetur autem, qui gloriatur in hoc sæculo vel in seipso.

CAPUT II.

« Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non « in sublimitate sermonis aut sapientiæ annuntians « vobis testimonium Christi; non enim judicavi « scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, « et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et timore « et tremore multo fui apud vos, et sermo meus et « prædicatio mea non est in persuasibilibus humanæ « sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum « sed in virtute Dei. »

Dixi superius, quia infirmos et stultos prædicatores elegit Deus. *Et ego*, quoque talis apparui vobis, quia veniens ad vos *veni non in sublimitate sermonis*, id est non in rhetoricis et dialecticis disputationibus, ut artificiose et composite prædicarem vobis secundum logicam, nec in sublimitate *sapientiæ*, id est humanarum rationum secundum physicam, quod laudatis in pseudoapostolis, qui per eloquentiam suam commendant pravam doctrinam suam, et per sapientiam mundi evacuant crucem Christi. Non in sublimitate sermonis aut sapientiæ veni, sed potius in humilitate, quia qui minus capacibus sublimiora loquitur, non illorum utilitatem, sed sui ostentationem facit. Veni *annuntians vobis testimonium Christi*, id est quod de ejus incarnatione, passione et resurrectione testati sunt prophetæ, vel quod ipse de semetipso moriendo et resurgendo testatus est, aut quod nos apostoli testamur de illo. Veni, inquam, non in sublimitate sæcularis eloquentiæ vel sapientiæ, quia nec in sublimitate illius quæ de Deo est. Et hoc feci ex judicio, *non enim judicavi me aliquid scire inter vos*, qui minus capaces vos videbam, *nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum*, id est nisi salvatorem regem, et hoc per crucifixionem quod est dicere: Quia vos capere divinitatis

Digitized by Google

ejus mysteria non posse pensavi, sola vobis infirma humanitatis ejus locutus sum : hoc enim inter illos Apostolus nesciebat, quod ipsi per illum scire non poterant; et hoc solum se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat. Eo autem genere locutionis nescire quisque; dicitur quod occultat, quomodo dicitur fossa cæca quæ occulta est. In Christo autem crucifixo non parva scientia est, sed multa in eo discuntur; et maxime quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato (*Rom.* IV). Nam ad ejus crucem pertinet, quod etiam nos in ejus corpore crucifigimur mundo, ubi intelligitur omnis coercitio malarum concupiscentiarum. Ac per hoc fieri non potest, ut eis qui in cruce Christi informantur, furta, adulteria vel alia crimina permittantur. Omnia enim vitia carnis ac spiritus mortificat crux Christi, ut vivere faciat in virtutibus; quia ipse pro peccatis nostris crucifixus est, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et cruciatibus æternis salvaret. Hæc et alia multa discuntur in Christo crucifixo. Ita humilia et infirma vobis prædicavi. *Et ego* humilis et infirmus sui, quia *apud vos fui in infirmitate*, id est quasi nullius essem virtutis aut potentiæ vel in infirmitate, id est in tribulatione *et timore*, id est anxietate animi, *et tremore* corporis propter afflictiones pœnarum. Christum enim in stultitia humanæ sapientiæ prædicans, odium mihi Judæorum atque gentilium et persecutiones provocabam, quasi rem vanam annuntians, et Deum mortuum prædicans; et dum ita conversarer vobiscum, *sermo meus* de moribus *et prædicatio mea* de Christo, vel sermo privatim coram paucis, et prædicatio publice coram omnibus, *non fuit in persuasibilibus verbis humanæ sapientiæ*, id est in verbis quæ per humanam sapientiam suaderent credere quod dicebam, *sed* fuit *in ostentione spiritus et virtutis*, id est in eo quod ostendebam me habere Spiritum sanctum religiose vivendo et prophetando, et per manuum impositionem ipsum aliis impetrando, et ostendebam me habere virtutem miracula faciendo. Ideo sic feci, *ut fides vestra* non sit fundata *in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, id est secundum humanam sapientiam, non quærat rationes eorum quæ debet credere, sed omnia imputet virtuti divinæ possibilia, sciens Deo nihil esse impossibile.

« Sapientiam autem loquimur inter perfectos. « Sapientiam vero non hujus sæculi neque princi« pum hujus sæculi, qui destruuntur; sed loquimur « Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, « quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam « nostram, quam nemo principum hujus sæculi co« gnovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum « gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est : « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in « cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his « qui diligunt eum (*Isa.* LXIV). Nobis autem revela« vit Deus per Spiritum suum. »

Quia supra dixerat : Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, ne cui stultus videretur, et in prædicatione sua nihil sapientiæ continere, ostendit quod ipse qui simpliciter istis est locutus, aliis eructat profunda sapientiæ. Inter vos, inquit, simpliciter locuti sumus, sed *inter perfectos* non cognitores, quibus opus non est ut loquamur, sed auditores non capaces, *loquimur sapientiam*, id est de secretis Dei, ac si diceret : Et nos habemus sapientiam, sed vos eam capere non potestis, quia et adhuc lacte nutrimini, atque parvi in sensu comprobamini. Sed inter perfectos eam loquimur, id est inter eos qui crucem Christi virtutis testimonio sapientiam fatentur. Omnes enim perfecti viri intelligunt esse summam sapientiam, quod vos putatis abjectionem, videlicet quod Deus homo factus est, quod esuriit, quod fatigatus, quod crucifixus est. Hæc enim omnia inter excæcatos prædicata, videntur esse stultitia ; sed inter perfectos lumen cordis habentes, est summa sapientia. Loquimur sapientiam, sed *sapientiam non hujus sæculi*, id est non humanis rationibus constantem, non hujus sæculi, sed futuri; *neque principum hujus sæculi*, id est regum et philosophorum, qui in hoc sæculo primatum sapientiæ tenere videbantur. *Qui* principes *destruuntur*, id est sapientia eorum dissipatur, quia Christianitas errores quos illi inseruerunt, excidit, id est idololatriam, avaritiam et cætera vitia. Non illorum sapientiam loquimur, *sed* potius *Dei sapientiam* de redemptione hominis per incarnationem et passionem Unigeniti ejus, *loquimur eam in mysterio*, id est in occulto sensu propheticorum dictorum vel operum reseramus, ut in immolatione Isaac (*Gen.* XXII), vel in victoria David de Philistæo (*I Reg.* XVII). *Quæ* sapientia *abscondita est* a sapientibus et prudentibus sæculi, et ideo stultitia putatur ab eis, quia nesciunt illam. Abscondita est, dum non in verbis, sed in virtute est; non humana ratione possibilis, sed spirituali efficacia credibilis. Vel loquimur eam in mysterio, id est in occulto sacramentorum, quod nequit intueri oculus rationis nostræ sine labore investigationis, et illuminatione Spiritus sancti quæ abscondita est in corde Patris, quia « Verbum erat apud Deum (*Joan.* I), » *quam* sapientiam quæ est Verbum Patris, *prædestinavit Deus*, secundum futuram ejus humanitatem, hoc est præordinavit *ante sæcula*, id est antequam mundus esset, ut Unigenitus suus in plenitudine temporis homo fieret (*Galat.* IV); et crucifigeretur ac resurgeret, *in gloriam nostram* qui credimus, sicut et in confusionem illorum qui non credunt, et crucem ejus stultitiam putant *Quam* sapientiam divinitatis ejus *nemo principum hujus sæculi cognovit* a Deo absconditam esse; id est nemo superborum philosophorum aut legis doctorum aut sæculi potentum eam cognoverat quando hæc loquebatur Apostolus. Vel sapientiam Dominicæ incarnationis et passionis prædestinavit Deus in gloriam nostram, ut scilicet humanitas et mors ejus fieret nobis gloria sempiterna, quam sapientiam ne-

Digitized by Google

mo principum hujus sæculi, id est nullus malignorum spirituum cognovit, quia nunquam aliquis illorum intellexit, quod per passionem ejus redimendum esset genus humanum. Inde apparet quod non cognoverunt, quia *si cognovissent* dæmones illam passionis ejus sapientiam valere ad redemptionem humani generis, *nunquam crucifixissent*, id est nunquam crucifigi fecissent *Dominum gloriæ*, id est nunquam suggessisset diabolus illum crucifigi, per quem jus suum perderet. Sed nec homines eum crucifixissent, si Deum gloriæ illum esse cognovissent, qui in forma servi crucifixus, tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, et hominem Deum. Quod tamen propter quid et secundum quid dicatur, adjuvante Domino prudens et diligens et pius lector intelligit. Quia recte dicitur et Deus crucifixus, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis : una est enim persona Deus et homo. Quem qui crucifixerunt, ignoraverunt; fideles autem cognoverunt eum. Non noverunt eum, sed contingit ex hoc fieri, *sicut* in Isaia *scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus* (*Isa.* LXIV) diligentibus se, sed *nobis revelavit* ea *per Spiritum suum*. Sicut enim illa carnales homines juxta prophetiam latent, sed tamen nobis spiritualibus revelata sunt per Spiritum Dei ; sic sapientia divinæ incarnationis, et nostræ per ejus mortem redemptionis, latuit infideles, sed manifestata est fidelibus. Ea quæ Deus in regno cœlorum præparavit his qui puro corde diligunt eum, tanta sunt et tam præclara atque tam spiritualia, quod oculus non vidit, quanta vel qualia sunt; nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Oculus non vidit, quia non est color; auris non audivit, quia non est sonus, in cor hominis non ascendit, quia non est terrena cogitatio. Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis erat. Ideo in cor ascendit, quia supra illud est cor quo ascendit. Præmium vero quod in cœlo servatur electis non ascendit in cor hominis, sed ascendit ad illud cor hominis. Oculus non vidit illud corporeo visu, nec auris audivit corporeo auditu, nec in cor hominis ascendit, id est nec cognosci potuit ratione ejus qui carnalis est, non spiritualis. Nam in eo quod dicitur, in cor hominis non ascendit, intelligi potest quod non sit homo, sed supra hominem, in cor ejus ascendit. Res namque dicitur ascendere in cor, quando intrat ut prudenter intelligitur, et bene intellecta placeat. Notandum vero quod hæc sententia non eisdem verbis, sed eadem sensuum veritate legitur in propheta. Sic namque ibi scriptum est : « A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt : oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te (*ibid.*). » Tamen propheta et Apostolus dicit similiter, oculus non vidit. Sed quod Apostolus ait, nec auris audivit : hoc propheta, nec auribus perceperunt. Et quod Apostolus, nec in cor hominis ascendit : hoc propheta, non audierunt, id est non intellexerunt. Quodque posuit Apostolus, his qui diligunt eum : hoc propheta dixerat, exspectantibus te. Sed sicut præmisimus, idem sensus est in Apostolo, qui et in propheta. Homines enim a sæculo non audierunt, hoc est non intellexerunt præmia justorum, quia in cor hominis non ascendit quanta sint, id est cogitatio humana non comprehendit ea. Neque auribus perceperunt, quia auris humana non audivit ea loquente aliquo, et oculus non vidit ea, quoniam quæ promittuntur in futuro, non cernuntur in præsenti. Spes enim quæ videtur, non est spes, sed jam certa promissio. Sic fuerunt illa a sæculo hominibus ignota, sed nobis qui supra homines sumus, revelavit ea Deus non per industriam ingenii nostri (*Rom.* VIII), sed per Spiritum suum, quo mentem nostram illuminavit, ut intelligeremus illa ineffabilia bona, quæ ipse suis amatoribus præparavit. Quæ illi tunc habebunt, quando erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV). Deus ergo est omnia illa bona, quæ ipse præparavit diligentibus vel exspectantibus se.

« Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum quæ sunt « hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? « Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus « Dei. »

Hæc nobis per spiritum sunt revelata, nec mirum, quia *Spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei*, id est quæ in Deo latent longe remota a creaturarum cognitione. Scrutatur non utique ut quod nescit inveniat, sed quia nihil relinquit omnino quod nesciat; profunda Dei scrutatur, quia ejus secreta et arcana novit ; ac per hoc Deus esse manifestatur, qui omnia Dei occulta scire ostenditur. Scrutari omnia perhibetur, quia in nobis manens, facit ut nos ea scrutemur. Et quod nos dono ipsius facimus, ipse dicitur facere, quia sine illo nos non possumus facere. Vere ipse Dei Spiritus occulta discrutatur, sicut et spiritus hominis occulta hominis. Nam *quis hominum scit ea quæ sunt occulta hominis, nisi spiritus* ipsius *hominis qui est in ipso?* Unusquisque enim homo habet in se proprium spiritum. Animus enim cujusque, proprius ejus est spiritus. Et ea quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus ejus. Non enim novi quid cogites, aut tu quid cogitem. Ipsa enim sunt propria nostra, quæ in animo cogitamus. Et cogitationum uniuscujusque hominis, ipsius spiritus testis est. Alius nescit quid in illo agatur, sed spiritus ejus novit. *Ita et quæ Dei sunt* occulta, *nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Non tamen sapientia Dei excluditur, quæ Filius est, ab hac secretorum notitia, quoniam Spiritus accipit a Filio omnia, sicut ipse discipulis ait : « Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI). » Propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Et nos accepto Spiritu Dei discimus et quid agatur in Deo, quia cum per ejus Spiritum scimus, etiam sic nemo scit nisi Spiritus Dei. Sic autem scit ipse in nobis, sicut loquitur in eis quibus dicitur : « Non enim vos

Digitized by Google

estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x). »

« Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur, sicut scriptum est : Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum? (*Isa.* XL ; *Rom.* XI). Nos autem sensum Christi habemus. »

Solus Spiritus Dei novit ea quæ Dei sunt. Sed nos non spiritum mundi, sed Spiritum Dei accepimus, quo doceremur, non quæ mundi, sed quæ Dei sunt. Quia spiritus mundi non potest scire, quæ ab hoc nobis insinuata sunt. Spiritus enim mundi est, quem phitonem appellant, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt, qui solet conjecturis quæ mundi sunt divinare, qui per verisimilia fallitur et fallit. Qui et per Sibyllam locutus est sensum nostrorum secutus, locum volens inter cœlestes habere, ipse et in pseudoapostolis erat, atque eos mundanam sapientiam sectari faciebat. Sed *nos non spiritum hujus mundi accepimus*, quo doceamur sapientiam mundi, *sed Spiritum qui ex Deo est*), per quem doceamur ea quæ ex Deo sunt. Spiritum qui ex Deo est accepimus, id est divinum quemdam radium illuminantem nos, *ut* per eum *sciamus* beneficia *quæ sunt nobis a Deo donata*. Spiritus enim Dei mentem quam replet, illuminat; spiritus autem mundi excæcat. Quem qui habent, non intelligunt Dei dona quæ perceperunt, neque a quo perceperunt. Sed nos per Spiritum ejus novimus et dona ejus nos habere, et ab eo accepisse. Ab ipso enim quidquid boni est, donatur. Et ipse nobis dedit Christum suum, atque in eo redemptionem et peccatorum remissionem, virtutumque multiplicationem et æternæ beatitudinis spem, et quidquid habemus vel sumus. Intelligimus hæc nos habere, et ab eo percepisse. *Quæ et loquimur*, ut hinc appareat scire nos hæc, quia et loquimur ea ut et alii discant ipsa. Loquimur *non in verbis humanæ sapientiæ doctis* ratione vel ornatu, *sed in doctrina spiritus*, quia mentes audientium, loquentibus nobis, docentur a sancto Spiritu. Verba enim humanæ sapientiæ hunc sensum non capiunt, nec litteratura studii apprehenditur, sed per fidem spirituali ratione concipitur. Ideoque Spiritus Dei per Evangelium spiritualiter docet corda hominum, excitans ea ad cognitionem sui Creatoris. Dico quia loquimur, et hoc facimus, *comparantes spiritualia* verba *spiritualibus* viris, id est ita moderantes ea quæ dicimus, ut conveniant capacitati singulorum, quia pro varietate sensus auditorum distinguimus ea quæ loquimur, et comparamus intellectui uniuscujusque, attendentes quid cui dicamus. Hoc faci-

A mus spiritualibus, quod vos non estis; et ideo culpa vestra est, non nostra, quod majora non diximus vobis. Nos scimus quæ Dei sunt, et loquimur ea spiritualibus. Sed *animalis homo*, quales sunt pseudoapostoli, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, ut partum virginis, ut resurrectionem mortuorum. Animalis homo dicitur, qui animalium more versatur, qui putat nihil esse post mortem. Animalis jure vocatur, quia fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coerceat intra metas naturalis ordinis, quia et ipse se non subdit regendum Deo. Animalis enim ab anima dicitur, sicut a carne carnalis. Iste talis non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, id est quid gratiæ credentibus conferat crux Christi, et sic audit quæcunque audit

B de Dei natura, ut aliud quam corpus cogitare non possit, quamlibet amplum, summum vel immensum, quamlibet lucidum ac speciosum, corpus tamen. Ob hoc etiam dicitur non percipere, id est non intelligere ea quæ sunt Spiritus Dei, quia sola præsentis vitæ bona carnalia cogitat et appetit, spiritualia vero et æterna non intelligit *stultitia enim est illi* quidquid de talibus audit, *et non potest intelligere*. Pecoribus enim similis sensum suum in terra deprimit, et ideo non assequitur nisi quæ videt, nec putat aliud posse fieri quam quod ipse scit; propterea quidquid aliter audit quam novit, stultum judicat. Ideo non potest hæc intelligere, quia *spiritualiter examinatur*, id est invisibiliter a Deo judicatur,

C ut justo Dei judicio spiritualia intelligere non sinatur. Vel spiritualiter examinatur, id est per spiritualia tantum probatur, quod animalis est, quia audita hæc improbat, et non ob aliud ei proponuntur. Sive ideo non potest intelligere, quia res illa quam ipse stultitiam reputat, spiritualiter examinatur, id est per Spiritum sanctum dijudicatur et intelligitur. Animalis non potest intelligere, sed *spiritualis*, id est ille cujus mens illuminatur luce Spiritus sancti, et spiritualiter vivere docetur, *judicat*, id est, dijudicat et discernit *omnia*. Judicat enim et approbat quod recte, improbat autem quod perperam invenerit in operibus moribusque fidelium. Judicat omnia, sed *ipse a nemine judicatur*, id est a nullo homine, sed sola ipsa lege, secundum quam ju-

D dicat omnia, quoniam verissime dictum est. « Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi (*II Cor.* v). » Omnia ergo judicat, quoniam super omnia est, quando cum Deo est. Et a nemine judicatur, quoniam ipse supra cæteros est, et inferiores non possunt judicare superiorem. Et vere a nullo judicatur, utrum bene an male intelligat vel operetur. Quia *quis* animalis *cognovit sensum Domini* quem vir spiritalis habet? Nullus. Et ideo non potest inde judicare, quia de incognitis nemo recte judicat. Et *quis* est qui *instruxit eum?* id est docuit Dominum quid agere debuerit. Nemo homines enim Spiritum Dei non habentes, Dominum instruere volunt dum secum dicunt : Deus nunquam mori debuisset ut creaturam suam a potestate diaboli liberaret, sed

Digitized by Google

solo præcepto ut omnipotens, suos salvare debuisset. Et quia eum sic instruere volunt, inde contingit quia sensum ejus non cognoscunt. Nesciunt enim quia Deus justus non debuit in hac re uti virtute potentiæ, sed ratione justitiæ. Vel taliter littera secundum alios codices potest legi. *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum?* Sensus namque Domini est, quo hæc fecit, per quæ sapientia mundi probatur stulta, negans posse fieri quæ facta sunt. Quem sensum nullus est qui cognoverit, ut si displiceat illi, emendare velit consilium Dei. Quia quicunque cognovit, laudat sapientiam et potentiam Dei. Quis cognovit sensum Domini nostri Jesu Christi? Sed nos spirituales *sensum Christi habemus*, id est participes facti sumus scientiæ Christi per acceptionem Spiritus sancti. Et ideo animales homines vel pseudoapostoli, nos judicare non possunt, qui sensum Domini habemus, quem illi ignorant.

CAPUT III.

« Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi « spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. « Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim estis carnales. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, « et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis « dicat : Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego « Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis. Et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. « Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Qui plantat « autem et qui rigat, unum sunt. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*Psal.* LXI; *Galat.* VI; *Matth.* XX). »

Nos spiritualibus spiritualia comparamus, quia sensum Christi habemus. Et tamen *fratres vobis non potui* ego *loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*, quia vidi vos non posse capere spiritualia propter imbecillitatem sensus vestri. Et ideo sic locutus sum vobis, quomodo audire poteratis; nec propter ignorantiam vestram, sed propter infirmitatem vestram, arcana Dei vobis reticui. Non enim audientium animi sunt ultra vires tradendi, sed alta quæque et eminentia debent multis auditoribus contegi, et vix paucis aperiri. Et inchoantibus quidem vel infirmis non alta et mystica, sed quædam quæ capere possint prædicanda sunt, perfectis vero profunda et mystica sunt dicenda. Sed timendum et cavendum est, ne sub hac occasione dicta pseudoapostolorum vel quorumlibet hæreticorum, velut ea quæ carnales capere non possunt, non solum excusatione dealbanda, sed etiam laudanda videantur. Unde sciendum est, quia ipse Christus crucifixus, quo velut lacte parvulos aluisse se dicit Apostolus, id est ipsa vera caro, in qua facta est vera mors ejus, et vulnera vera confixi, sanguinisque percussi, non eo modo a carnalibus, quo a spiritualibus cogitantur. Et illis est lac, istis cibus. Quia, etsi non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utrisque recipitur. Hoc igitur primitus cognito, quod ea ipsa quæ simul audiunt spirituales atque carnales, pro suo quique modo capiunt, illi ut parvuli, isti ut majores, illi ut lactis alimentum, isti ut sibi solidamentum, nulla videtur esse necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur et abscondantur fidelibus parvulis, dicenda seorsum majoribus, id est intelligentioribus, nisi quod solidus cibus, qui perfectis congruit, parvulis non proficit, dum non capitur ab eis, et ea quæ fortes sublevant, infirmos gravant, hoc enim ipsum quod Apostolus se non judicavit scire in eis nisi Christum Jesum et hunc crucifixum, ipsis non potuit loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quia id sicut spirituales capere non poterant. Quicunque autem spirituales inter eos erant, idem quod illi qui tanquam carnales erant, audiebant, spirituali intellectu ipsi capiebant, ut sic intelligatur quod ait : *Non potui loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*, ac si diceret : Non potuistis quasi spirituales, sed quasi carnales capere quod loquebar. Quasi carnalibus, inquit, locutus sum vobis. Et hoc tam diligenter feci, quod *tanquam parvulis* cognitione *in Christo dedi vobis potum lac*, id est facilem doctrinam, dulcem et nutrientem, *non escam*, id est non robustam spiritualium rerum doctrinam, fieri tamen, sicut præmisimus potest, ut id quod dicitur, et parvulis lac, et grandibus esca sit; sicut in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I), et parvuli bibunt, et grandes mandunt. Lac tamen præcipue per carnem Salvatoris est expressum parvulis. Quomodo enim mater cibum comedit, ut per carnem trajiciat ad infantem lac factum, sic cibus angelorum Dominus Verbum caro factum est, et factus est lac. Lac quippe nostrum Christus humilis est : cibus noster, idem ipse Christus æqualis Patri. Lacte nutrit, ut pane pascat. Qui parvulus est, sugat ab uberibus Ecclesiæ lac omnium sacramentorum temporaliter pro æterna nostra salute gestorum, ut nutritus atque roboratus perveniat ad manducandum cibum æternæ divinitatis. Talibus nunc dicitur : *Lac vobis potum dedi, non escam.* Et quare? Quia *nondum* poteratis escam percipere, quandiu vobiscum eram, *sed nec nunc quidem potetis*, quia *adhuc estis carnales*, id est potius sensum carnis quam spiritus sectamini. Isti propterea quod sæculi adhuc voluptatibus serviebant, carnales erant, quamvis jam baptizati essent, et Spiritum sanctum accepissent. Nam quia post baptismum ad veterem vitam relapsi fuerant, ideo carnales appellantur. Ubi vero dicitur nondum vel non adhuc, profecto non desperatur, si eo tenditur, ut si aliquando quod nondum est. Adhuc enim, inquit, estis carnales, et ostendens unde sint carnales, *cum enim*, inquit, *sit inter vos zelus*, id est invidia *et contentio*, id est litigatio verborum,

Digitized by Google

nonne carnales estis, qui in carne, id est in homine confiditis, *et secundum hominem ambulatis?* id est in pejus proficitis. Ac si dicat : Qui discordes mentes ducitis, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis? Homo enim hoc loco per culpam nominatur. Cum autem dixisset eos carnales, non ait, secundum carnem ambulatis, sed secundum hominem, quia et hoc voluit intelligi, secundum carnem. Nam utique si culpabiliter quidem secundum carnem, laudabiliter autem secundum hominem ambularetur, id est viveretur, non exprobrans diceret, secundum hominem ambulatis. Nam secundum hominem ambulare, hoc est carnalem esse. Qui autem non ambulat secundum hominem, sed secundum Deum, profecto non ambulat et secundum seipsum, quia et ipse est homo. Qui vero non secundum se, sed secundum Deum ambulant, non homines, sed dii vocantur (*Psal.* LXXXI; *Joan.* X). Et vere, inquit, zelus et contentio est in vobis, et secundum carnem ambulatis. Quia *cum quis vestrum dicat, ego quidem sum Pauli, alius autem* dicat, *ego sum Apollo, nonne homines estis?* Sicut enim gloriantes in Deo et omnem gratiam ab ipso sperantes, dii vocantur a Deo adoptati, ita et qui in homine gloriantur, homines dicuntur. Deos enim vel angelos esse cupit Apostolus, quos arguit quia homines sunt, id est in his contentionibus non quæ Dei sunt, sed quæ hominis sapiunt. A sua vero persona incipit, ne forte putaretur per invidiam magis personas aliorum destruere, ostendens magnum errorem esse, et ad Dei contumeliam pertinere, quando Deo prædicato, gloria datur hominibus; et spes quæ in Deo ponenda est, ponitur in hominibus : dicente Scriptura : « Maledictus homo qui spem ponit in homine (*Jer.* XVII). » Quid enim minus est a gentilitate, dum gloriam quæ danda est Creatori, datur creaturæ, id est homini? Et quando quidem alius vestrum dicit : *Ego sum Pauli, alius autem* : *Ego Apollo*, atque in his doctoribus vano errore gloriamini, igitur respondete mihi, *Quid est Apollo, quid vero Paulus*, qui adhuc major est. Et si vos respondere nescitis, ego respondeo quod non sunt Deus qui det, sed per quos Deus det, quia *ministri* sunt *ejus cui credidistis*. Et quia ministri sunt, spes in his ponenda non est, sed in Deo cujus ministri sunt. Illi enim gratiarum actio deferenda est, cujus donum est, non servis quos et invitos oportet dispensare. Ministri sunt, et hoc non uno modo, sed *sicut Dominus dedit unicuique*, id est sicut voluit et sicut divisit singulis officia ministerii. Nam *ego* ipso dante *plantavi*, id est evangelizando vos ad fidem converti, et *Apollo rigavit*, id est utpote episcopus vester imbre sui eloquii, postquam in fide fundati estis, corda vestra rigavit. Non tamen nos, *sed Deus incrementum dedit* proficiendi vobis. Nos enim qui forinsecus loquimur ad aures vestras ita sumus quasi operarii adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare. Ille autem qui vos creavit, et redemit et vocavit per fidem et Spiritum sanctum, habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa nos perstrepimus. Interior ergo magister est, qui docet. Christus docet, inspiratio ipsius docet, ubi illius inspiratio et illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba, nam et agricola arborem potest plantare, aquam foris adhibere et diligentiam culturæ, sed non potest folia pomaque formare. Excedit enim hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem nec omnino pertinet nisi ad Creatorem, et quia solus Deus dat incrementum, *itaque neque qui plantat*, id est qui in fide fundat, *est aliquid* dando quidquam ex se, *neque qui rigat*, id est qui vel baptizat, vel postea mores instruit, *sed Deus qui dat incrementum*, ipse valet ad salutem, id est illius unctio quæ vos docet intrinsecus. Frustra quippe operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi Creator intrinsecus latenter operaretur. Neque plantator, neque rigator est aliquid ad salutem eorum quæ rigantur sive plantantur, quia et plantata solent mori, et rigata ad effectum fecunditatis non pervenire, nisi det Deus vegetantem gratiam. Quantum ergo ad honorificentiam pertinet Dei, nihil est homo. Quantum vero ad ministerium pertinet, necessarius est ut honorificetur quasi servus, non ut aliquid de illo speretur ad injuriam Dei. Deus solus est, in quo gloriandum est, quia dat incrementum. *Sed qui plantat et qui rigat, unum sunt*, id est ambo ministri sunt, quamvis diversa sint illorum officia, unum sunt, id est ambo sunt homines, et idem concorditer de Deo sentiunt. Unum sunt, id est indifferentes. Posses enim videri quod etsi nihil ex se dant, tamen magis Deus per hunc quam per illum daret. Ideo dicitur quia unum sunt, id est non plus gratiæ confert unus quam alter, quia solus Deus dat per eos. In dando non differunt, sed in labore et mercede, quia *unusquisque* eorum *accipiet propriam mercedem* a Domino *secundum suum laborem*, id est qui magis laboravit, majus præmium hebebit; et qui minorem pertulit laborem, minorem percipiet remunerationem. Deus enim reddet unicuique secundum opus ejus (*Rom.* II). Unde patet neutrum illorum esse auctorem salutis, et ideo non esse gloriandum in eis.

« Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, « Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ « data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter « id quod positum est, quod est Christus Jesus. « Si quis autem superædificat super fundamentum « hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, « fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum « erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne « revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis « probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, « detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic « tamen quasi per ignem. »

Digitized by Google

Mercedem percipiemus, quia *Dei adjutores sumus* in colendo agro illius. Nam ei quem ipse per internam gratiam infundit, nos exhortationis voce concurrimus; hoc quod ille per spiritum agit intrinsecus, nos exterius ministerio vocis adjuvamus : et tunc solum nostra exhortatio ad perfectionem ducitur, si in corde fuerit Deus qui adjuvet. Nos sumus adjutores Dei, et vos *estis cultura* agri Dei, et *ædificatio* templi *Dei*. Et nos eum adjuvamus, dum agrum cordis vestri, quem ipse per internam gratiam excolit, nos aratro prædicationis excolimus; ac nostræ mentis ædificium, quod ipse ad inhabitandum sibi construit, et nos construere laboramus. Ager enim Dei colitur, dum vitia de populo exstirpantur fidelium, et virtutes inseruntur ut crescant et fructificent. Ædificatio ejus instruitur, quando Ecclesia exstruitur his qui fundamento fidei superponuntur, ut in altum surgant aliis alios portantibus, vel quando mens fidelium construitur impositione virtutum, ut dignum Deo fiat habitaculum. Dixi quia Dei ædificatio estis, et hujus ædificationis *fundamentum* ego *posui*, et hoc non a me feci, sed *secundum gratiam Dei quæ data est mihi*, ut dignus essem prædicare Evangelium Dei, et in humanis cordibus ponere fidei fundamentum. Unde apparet hoc Dei esse quod feci, non hominis. Secundum gratiam Dei, id est secundum apostolatum a Deo gratis mihi datum. Posui in ædificio vestræ mentis fundamentum, id est fidem Christi, et hoc utens discretione, *ut sapiens architectus*, id est princeps ædificii qui fundamentum domus ædificandæ ponit in loco firmo ex fortibus et quadratis lapidibus. Sapiens architectus est, qui juxta disciplinam auctoris collocat fundamentum, id est qui juxta traditionem Salvatoris evangelizat fidem. *Alius autem superædificat*. Superædificat quisquis prædicationem apostolorum superveniens aut bonus aut malus doctor prædicat. Sed *unusquisque videat quomodo superædificet*, id est ut superpositum ædificium congruat fundamento, ne si obliquum fuerit et frivolum, ruinam faciat manente incolumi fundamento. Quia si etiam male ille docuerit, Christi nomen permanet, quod est fundamentum, doctrina autem mala peribit. Videat, inquam, quomodo superædificet, non quomodo fundamentum ponat, nam *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod* a me *positum est, quod est Christus Jesus*, id est fides Christi Jesu. Ideo nemo potest ponere aliud fundamentum, quia nec hæretici docere valent nisi sub Christi nomine. Aliter enim commenta errorum suorum commendare non valent, nisi interposito Salvatoris nomine prædicent, ut res contrarias et absurdas nominis dignitas acceptabiles faciat. Fundamentum permanet, sed quod superædificatur, si inutile fuerit, non stabit, sed tantum illud quod utile est, si superaddatur, permanebit. Quia *si quis superædificat super hoc* Christi nominis *fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos*, per quæ tria designatur præclara doctrina, vel *ligna, fenum, stipulam*, per quæ significatur varia et frivola et corrupta doctrina, *unuscujusque opus* in novissimo die *manifestum erit*, id est uniuscujusque doctrina in judicio erit omnibus manifesta, utrum bona an mala fuerit. *Dies enim Domini* hoc *declarabit*. Dies judicii vocatur dies Domini, non quod omnes dies non sint ejus, sed per excellentiam hoc dicitur, et ad differentiam humani diei. Dies enim præsentis temporis est dies hominis, quia in isto agit homo quod vult; sed ille dies erit Domini, quia in illo faciet Dominus quod justum erit, reddens unicuique secundum opus ejus (*Matth.* XVI), et ideo declarabit ille dies qualitatem uniuscujusque operis, *quia in igne revelabitur*, id est manifestabitur idem dies, qui nunc omnes latet, et tunc omnibus erit notus. Cum enim viderint omnes ignem illum ante faciem judicis per totum diffundi orbem, scient adesse diem judicii. Vel Dominus in igne illo revelabitur, id est apparebit omnibus bonis et malis. Unde et Thessalonicensibus dicitur : « In revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus in flamma ignis (*II Thess.* I). » *Et ignis* ille *probabit quale sit opus uniuscujusque*, id est an sit firmum an solubile. Ignis probabit opus, id est doctrinam uniuscujusque. Quia enim per ignem examinatio fiet, si in aliquo non invenerit quod exurat, manifestabit illum bonum fuisse doctorem. Mala vero et adultera doctrina idcirco per ligna et fenum et stipulam significata est, ut ostenderetur fore ignis esca. Vere ignis opera singulorum probabit. Nam *si cujus opus quod* ipse *superædificavit, manserit, mercedem accipiet*. Quia sicut aurum et argentum et lapides quos ignis non consumpserit, ita et bonus magister incorruptibilis permanebit. Cumque nihil in illo sordis inventum fuerit et pravæ doctrinæ, accipiet cum gloria mercedem remunerationis perpetuæ. *Si* vero *cujus opus arserit*, id est alicujus doctrina prava in igne defecerit, talis operarius *detrimentum patietur*, id est deorsum atterctur suppliciis. *Ipse autem salvus erit*, quia non interibit substantia qua constat : sicut et doctrina ejus mala peribit, quæ est accidens. Quod tamen non de hæretico doctore debet intelligi, sed de catholico qui non recte docuit. Nam et in libris sanctorum doctorum quos authentice legit Ecclesia, nonnunquam inveniuntur quædam prava vel hæretica, non tamen pro his vel libri vel auctores damnantur. Perlegat eorum libros prudens lector, et inveniet esse verum quod dico. Et ipse salvus erit, *sic tamen quasi per ignem*, ut salus hæc non sine pœna sit. Salvus quidem erit, sed tamen pœnam ignis patietur, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perditi, æterno igne in perpetuum torqueatur, ut ex parte prosit illi in perpetuum credidisse. Potest et aliter intelligi verius : Ego fundamentum, inquit, posui, alius autem superædificat. Ac si dicat : Posito fundamento, id est fide fundata in vobis, nihil ulterius ad me pertinet ut superædificem, sed alterius est superædificare, id est, ejus qui fidem habet est ut bona opera superædificet. Credentis est superædificare. Sed unusquisque videat quo-

Digitized by Google

modo superædificet, id est cujusmodi opera superaddat, scilicet utrum maluerit contemplativæ vitæ adhærere, et continenter absque jugo uxoris vivere, quod quidem melius est et laudabilius consilium, an magis expetat activam vitam et uxoris vinculum, quod infirmum est et minus laudabile. De superædificatione bonæ operationis, solummodo videndum est qualem quisque velit eam eligere, quia multa sunt genera bene operandi; sed de fundamento eligendo nulli datur potestas, quia non est nisi unum fundamentum, id est una fides, quam nemo valet mutare, sicut nituntur pseudoapostoli. Fides Christi Christus est in nobis, qui per fidem habitat in cordibus nostris (*Ephes.* III). Et hoc est fundamentum, ex quo surgit totum bene vivendi ædificium. Neque enim fides hæc intelligenda est otiosa (*Jac.* II), sed quidquid boni poterit, operabitur per dilectionem (*Galat.* V). Non enim fides dæmonum, qui et credunt et contre miscunt, ac Filium Dei confitentur Jesum (*Matth.* VIII; *Marc.* V; *Luc.* VIII), potest accipi in fundamentum, quia non est quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque Christi, fides gratiæ Christianæ, id est ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. Sed si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Quisquis bene vivit ac Deum honorat et laudat, non inhærens ex dilectione terrenis rebus; sed desiderans æternam patriam, et aut vendens omnia sua, distribuensque pauperibus (*Luc.* XVIII), aut possidens tanquam non possideat, et utens hoc mundo tanquam non utatur (*I Cor.* VII), iste superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos. In auro sensus occultus designatur, in argento sermo docens, in lapidibus pretiosis opera Deo placentia. Aurum sapientiæ, quod in occulto sensu ejus est et in cordis arcano, splendet vero lumine Dei, superædificat iste; et argentum, id est nitorem sanctæ eloquentiæ qua docet alios; et lapides pretiosos, id est exempla virtutum et bonorum operum, quibus adornat ea quæ loquitur sive cogitat. Qui vero amat adhuc sæcularia, et negotiis terrenis implicatus est, ac vinculis quibusdam et affectionibus carnis deditus est, domui suæ et conjugi ac possessioni (*ibid.*), et tamen Christianus est, ita ut cor ejus non recedat a Christo, et nihil præponitur fundamento, iste superædificat ligna, fenum, stipulam, per quæ non absurde possunt intelligi rerum sæcularium licite concessarum tales cupiditates, ut amitti sine dolore non possint; per ligna scilicet duræ et graves, per fenum vero et stipulam, parvæ et leves. Sed uniuscujusque opus manifestum erit in fervore tentationis. Dies enim Domini declarabit, dies utique tribulationis (*Soph.* I). Præsentis enim temporis tribulatio cruciat electos divino disponente judicio, quia tempus est ut incipiat judicium de domo Domini (*I Petr.* IV). Propterea dies tribulationis appellatur dies Domini, id est dies judicii. Quia, A inquit, in igne revelabitur. Eamdem tribulationem vocat ignem, sicut alibi legitur. « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII). » Et uniuscujusque opus quale sit probabit ignis tribulationis. Ignis enim iste talis debet intelligi ut ambo per eum transeunt, id est et qui ædificat super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, et qui ædificat ligna, fenum, stipulam. Ignis enim tribulationis in hac interim vita probat opus utriusque, si duobus accidat fidelibus, uni scilicet cogitanti quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, id est ædificanti super Christi fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos : alteri cogitanti quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori (*I Cor.* VII), id est ædificanti super fundamentum B ligna, fenum, stipulam. Illius enim opus non exuritur, quia non ea dilexit, quorum amissione cruciatur. Exuritur autem hujus, quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Et hoc est quod dicitur, si cujus opus manserit. Manet opus, quando quisque cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Quod superædificavit, mercedem accipiet, id est unde cogitavit, hoc sumet. Nec solum post mortem, sed et in hac vita habet suam requiem anima contemnentis omnia. Si cujus opus arserit, id est igne tribulationis consumptum fuerit, detrimentum patietur, quia quod dilexit, non habebit. Ipse autem salvus erit, quia nulla eum tribulatio ab illius fundamenti stabilitate semovit. Sic tamen quasi per ignem, quia quod sine illiciente C amore non habuit, sine urente dolore non perdet. Qui enim ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cœlorum, id est super Christum, ardebit amor temporalium rerum, et ipse salvus erit, si in fundamento firmus permanserit, id est si Christum ante omnia sic dilexerit, ut ab ejus amore separari non possit. In rerum temporalium amissione patietur detrimentum, et per ignem quemdam doloris perveniet ad salutem. A quo dolore atque detrimento, tanto est quisque securior, quanto temporalia vel minus amaverit, vel tanquam non habens habuerit. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, nonnullos scilicet fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona temporalia dilexerunt, tanto citius salvari. Nam de quibusdam levibus culpis esse ante corporum resurrectionem purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit, quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro (*Matth.* XII). In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam autem in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Sed tamen hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui qualiter culpa declinari debeat, sciunt, caveri possunt, aut

Digitized by Google

in non gravibus rebus error ignorantiæ. Quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis non fuerint relaxata. Nam pensandum sollicite est, quia et Apostolus illum dixit per ignem posse salvari, non qui super hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et idcirco duriora, atque tunc insolubilia, sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque leviora, quæ ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac vita adhuc positus, ut illic obtineat, promereatur. Sciendum est etiam quia gravior est ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita. Omnia enim tormenta quæ hic sunt, multo faciliora sunt. Et tamen homines ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit jussum, faciunt. Quanto melius est, ut faciant quæ jubet Deus, ne illa graviora patiantur?

« Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei « habitat in vobis? (*II Cor.* VI.) Si quis autem tem- « plum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Tem- « plum enim Dei sanctum est, quod estis vos. »

Dixi vos esse ædificationem Dei, et me posuisse fundamentum hujus ædificationis: unde patet vos esse templum Dei. Et hoc nescitis? *Nescitis quia templum Dei estis?* Templum Dei estis secundum fidem, templum Dei eritis aliquando secundum spiritum. Templum Dei estis, ut ipse in vobis per fidem maneat, et perfectionem sapientiæ ac cognitionis secretorum suorum in vobis ponat. Templum Dei estis, *et spiritus Dei habitat in vobis.* Non ait, et Spiritus Dei sanctificat et purgat vos, ut Deus habitet in vobis, sed ait: *Spiritus Dei habitat in vobis.* Utique in templo suo Deus habitat. Nam quid templum *Dei* est, nisi habitaculum Dei? Deus ergo est Spiritus sanctus, cujus sumus templum et habitaculum. Neque enim templum haberet, nisi Deus esset. *Nescitis*, inquit, *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* De his supra dixerat, quia « animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*supra* II). » Non ergo percipiebant cognitionem Dei Spiritus, qui habitabat in eis; et habitante in se Spiritu sancto, adhuc animales, nondum spirituales erant, quia nondum poterant habitatorem suum spiritum cognitione percipere. Habitare autem ideo et in talibus dicitur, quia in eis occulte agit ut sint templum ejus. Idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit. Nec mirum videri debet quod quisque aliquid habeat, quodque habet ignoret: ut enim taceam de omnipotentis divinitate, quis facile scientia percipit quid sit anima? et quis non habet animam? Postremo, ut certissimi noverimus quod parvuli in Christo non percipientes quæ sunt Spiritus Dei, id est non intelligentes, habent tamen Spiritum Dei, eos ipsos quos supra dixerat animales, ut præmisimus, et parvulos increpat nunc, dicens: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Non enim hoc ignorare debuissent. Templum enim Dei estis. Sed cavete ne templum ejus violetis, quia *si quis templum Dei violaverit*, id est sive suum, sive alterius corpus corrumpendo, sive populum Ecclesiæ scindendo, *disperdet illum Deus*, id est diversis suppliciis illum perdet et corpore et anima. Ideo cavete corporalia peccata, ne offendatis eum cujus estis templum, ne recedat a vobis, et in ruinam vertamini, cavete et pravam doctrinam pseudoapostolorum, ne per eam violetur mens vestra. Et merito Deus violatorem sui templi disperdet, quia *templum Dei est sanctum*, ex quo Dei templum esse cœpit, id est a tempore baptismi, *quod* templum *estis vos.* Hoc repetiit ut illos compungeret, qui turpiter viventes corpora sua violando corruperant.

« Nemo se seducat (*Coloss.* II). Si quis inter vos « videtur esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat ut « sit sapiens (*Rom.* I). Sapientia enim hujus mundi « stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Com- « prehendam sapientes in astutia eorum (*Job.* V); et « iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, « quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII). »

Itaque nemo glorietur in hominibus. Templum Dei estis, et ideo *nemo se seducat*, id est nemo sibi blandiatur propria vanitate deceptus, ut de violatione templi Dei impunitatem sibi in futuro promittat, quasi Deus peccata carnis negligat. Vel nemo se seducat, id est nemo seipsum ducat seorsum a veritate catholica in vanos errores, declinando post pseudoapostolos, quasi sapientiam eorum diligens. Hoc nemo faciat. Sed *si quis videtur inter vos esse sapiens in hoc sæculo*, id est si quis ex vobis stulta sapientia sæculi, quæ est commentum hominum, putatur esse sapiens, *stultus* apud se *fiat*, id est vanam sapientiam abjiciat, et nihil sibi scire videatur, *ut sit* in Deo veraciter *sapiens.* Ad veram enim sapientiam venire non potest, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipitur, sicut pseudoapostoli, qui volentes videri in mundo sapientes, neque Deum habere Filium, neque incarnationem veram esse, neque carnem posse resurgere prædicabant. Unde nunc bene doctor egregius illos Corinthiorum, quos carnaliter sapientes invenerat, ut sapientiam veram possint comprehendere, prius fieri stultos admonet. Et subdit quare: Quia scilicet *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*, id est quod mundus sapientiam, hoc Deus stultitiam judicat. Et dum facit Deus quod fieri posse negat mundus, sapientiam illius monstrat esse stultitiam, et vere stultitiam. Nam *scriptum est* in libro Job: *Comprehendam*, id est undique coarctabo, et quasi juxta retedistrictionum mearum concludam, *sapientes* mundi *in astutia eorum*, ut nihil eis astutia valeat ad effugiendam manum meam, vel ad faciendum quod contra me machinantur, sive ad impediendum quod ego contra sapientiam eorum facere disposui. Hanc sententiam Eliphaz sic protulit: « Qui apprehendit sapientes in astutia eorum (*Job* V). » Divina tamen sapientia reprehendit amicos Job de locutione, dicens: « Non estis locuti coram me rectum, sicut

Digitized by Google

servus meus Job (*Job* XLII). » Cur ergo Paulus illorum sententiis tanta auctoritate utitur, si hæ ipsorum sententiæ Dominica reprehensione quassantur? Vel quomodo dicta eorum quasi prava respuimus, quæ Paulus ex auctoritate astruit? Aut quomodo attestatione Pauli recta putabimus, quæ per semetipsum Dominus non recta definivit? Sed utraque hæc citius, quod non sint diversa cognoscimus, si ejusdem Dominicæ sententiæ subtilius verba pensamus, qui cum diceret : « Non estis locuti coram me rectum, » illico adjunxit, « sicut servus meus Job. » Liquet ergo quia quædam in dictis eorum recta sunt, sed melioris comparatione superantur. Nam inter aliqua quæ irrationabiliter dicunt ad beatum Job, fortes multas sententias proferunt; sed comparatæ dictis fortioribus, vim fortitudinis amittunt. *Et iterum* de eadem re scriptum est in Psalmo : *Dominus novit cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt*, scilicet hominum, quia et ipsi sapientes judicabant se solos esse homines, cæteros autem quasi bruta animalia. Sapientes sæculi non noverunt cogitationes Dei, quoniam justæ sunt; Dominus autem novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. Nihil valet eis astutia eorum contra Deum, quia ipse novit cogitationes eorum. Quæ vanæ sunt, id est inanes et falsæ, quia putant esse vera quæ falsa sunt, et falsa quæ vera sunt. Vanæ sunt cogitationes sapientium, qui hic beati esse et a seipsis beati fieri mira vanitate voluerunt. Et quando quidem humanæ cogitationes sunt vanæ, atque consilia sapientium improvida sunt et infirma, qui se sibi vel aliis prodesse sine Deo putant, itaque nemo glorietur in hominibus, quasi melius ab uno quam ab alio possit accipere. Nihil enim recte sapiunt, nihil possunt homines per seipsos; et ideo non in ipsis gloriandum est, sed in illo per quem sapiunt et possunt.

« Nemo glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, « sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, « sive futura, omnia enim vestra sunt, vos autem « Christi, Christus autem Dei. »

Nemo glorietur in hominibus, doctoribus vel baptizatoribus. Non in quibusdam doctoribus gloriari debetis, nec singulos vos defendere, cum omnibus utamini. Nam non solum isti, sed et *omnia sunt vestra*, id est ad serviendum vobis data, et non est gloriandum nisi in rebus excellentioribus. Et ideo in solo Christo, qui super vos est, vobisque subdidit omnia, gloriandum vobis est, non in his quæ subjecta sunt vobis. Omnia enim vestra sunt, ut vestræ utilitati serviant, etiam illa quæ inter homines sunt digniora, quoniam *sive Paulus* eligatur, *sive Apollo*, vestri sunt, ut vobis ministrent, *sive* etiam *Cephas*, id est Petrus, qui primus est omnium apostolorum. Et ita patet omnes apostolos esse vestros; cum primus sit vester. Ad hoc enim missi sunt omnes apostoli et prædicatores, ut vobis vel fratribus vestris qui sunt per orbem, verbum salutis ministrent. Et quod fratribus vestris faciunt, vobis facere credendi sunt, quia et vobis prosunt. Omnia sunt vestra, sive prædicatores, *sive* etiam *mundus*, si de illo secundum Dei voluntatem sentitis, et decretos cursus in Dei voluntate ponitis, *sive vita*, præsens est vestra, si modeste illam et cum Dei gloria transigitis, *sive mors* vestra est, id est dissolutio corporis et animæ vobis servit, quoniam vobis transitus est de hac miseria ad æternam beatitudinem, *sive præsentia*, si sic eis utimini, ne offendatis, *sive futura*, si ea credentes magis optatis, utpote meliora et æterna. Vel mundus est vester, id est quatuor elementa mundi serviunt vobis, quoniam ad hoc sunt condita, et vita vobis præsens servit, si in ea emendamini, et æternam salutem promeremini, et mors, si pro Christo mori libenter parati estis spe futuræ promissionis. Et præsentia bona, quibus sustentati Deo servire possitis; et futura, quorum spe serviatis. Hæc sunt vestra, *omnia enim*, quæcunque *sunt*, *vestra* sunt ad possidendum. Sed *vos* estis *Christi* possessio, non hominis, ut quomodo omnia judicio vestro concessa sunt et vobis subjecta, sic et vos Christo subjiciamini, quia per ipsum esse cœpistis et in prima origine, et in regeneratione. Cur ergo ad injuriam Christi de hominibus speratis, cum ipse vobis et homines et omnia subjecerit, ut illi subjiciamini, et in illo spem omnem ponatis. *Christus autem Dei* est, ut proprius Filius faciens voluntatem ejus, ut et vos Christi voluntatem faciatis. Vos estis Christi, Christus vero Dei, et ita mediante Christo, vos estis Dei. Subditur autem Christus Deo, non tanquam dissimilis aut alterius naturæ, sed, ut dictum est, tanquam Patri Filius. Hactenus de gloria pseudoapostolorum locutus est Apostolus, hic de suo contemptu incipit loqui, quoniam minus de illo sentiebant aliqui Corinthiorum. Ideoque monet ut hoc de illo sentiat homo, quod et Deus qui illum elegerat, et dicit :

CAPUT IV.

(I *Cor.* IV.) « Sic nos existimet homo, ut ministros « Christi et dispensatores ministeriorum Dei. Hic « jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis « inveniatur. »

Ita, inquit, divinitus est ordinatum, ut omnia sint vestra, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, vos autem sitis Christi. Et cum hoc ita sit, nec magis nec minus æstimet homo de nobis, quam quod Deus constituit; sed *sic nos existimet ut ministros Christi*, id est nec nos tanquam viles contemnat, nec tanquam per nos aliquid possimus, in nobis glorietur; sed eum in nobis honoret, cujus ministri sumus in Evangelio quod vobis offerimus. Et æstimet nos non dominos, sed *dispensatores ministeriorum Dei*, quoniam ministeria ejus vobis distribuimus secundum cujusque modum. Quoniam nec verborum strepitui, nec humanæ sapientiæ innitebatur Apostolus, intelligi debuit ministeria Christi dispensare, in quibus non verba, sed virtus fulgebat, et per quæ non homo, sed Deus videretur gloriosus. Collega enim piscatorum, non aliter quam illi Christum prædica-

Digitized by Google

bat. Cum ergo se ministrum Christi et dispensatorem ministeriorum Dei probat, pseudoapostolos notat, et negat esse Christi quod tradunt, per id quod a traditione apostolica dissentiunt. Ego, inquit, et conservi mei sumus dispensatores ministeriorum æternæ salutis, docendo et cætera sacramenta distribuendo. Et multi quidem sunt dispensatores, per quorum ministerium pervenitur ad æternam salutem. Sed *iam quæritur inter dispensatores* baptizando, manus imponendo, Eucharistiam dando, *ut quis inveniatur fidelis*, ut possit credi quod bene dispenset. Neque enim omnes fideliter hoc agunt, sed plerique fraudem faciunt, dum quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II), et cœleste ministerium in usum terreni lucri convertunt, nec salutem subjectorum, sed propria commoda quærunt. Nonnulli qui B non ita sola terrena quærere videntur, aut verecundia, aut timore, aut commendationis suæ causa constanter arguere delinquentes trepidant. Et ideo quæritur quis inter eos inveniatur officium suæ dispensationis fideliter agens, ut solius Domini sui lucra sine fraude quærat. Vel ex hoc reprehenduntur subjecti, quod hic jam quæritur ab eis, quod in futuro sæculo quærendum est a Domino, scilicet quæritur et discutitur ab eis, ut inter dispensatores inveniatur aliquis fidelis, id est idoneus et dignus ad sacra Dei ministeria dispensanda cæteris. Unde tales inquisitores jure sunt reprehendendi, quia quod Deus in alia vita faciet, ipsi jam hic facere volunt; et præpositorum suorum vitam, a quibus ipsi debent judicari, judicare præsumunt; et a dignioribus digniora sibi sacramenta dispensari credunt, cum non juxta sanctitatem dispensantis, sed juxta devotionem percipientis sit magis aut minus utile sacramentum sanctorum.

« Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, « aut ab humano die, sed neque meipsum judico. « Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc ju- « stificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus « est. »

Vos, inquit, ita judicatis, alios dispensatorum esse fideles, alios non fideles; sed *mihi pro minimo est ut a vobis judicer* fidelis aut non fidelis. Non enim justi humana judicia, sed æterni Judicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba despiciunt. D Unde nunc derogantibus Corinthiis Apostolus dicit: Quia mihi pro minimo est ut a vobis judicer. Quos enim in tantis vitiis reprehendit, minimum ducit ab his se judicari, quia sicut justi non erant, sic juste judicare non poterant: *aut ab humano die*, id est ab humana luce et ratione; hoc est a legibus humanis judicari pro minimo deputabat. Supergressus enim humanam justitiam cœlesti justitiæ studebat. Vel ab humano die, id est ab humano intellectu, qui non videt occulta et potest falli. Sive ab humano die, id est ab hominibus, dum sunt in suo die, et non est dies Domini. Humanus enim dies dicitur, in quo judicant homines, quia erit et dies Domini, in quo judicabit et Dominus. Exiguum mihi est a vobis judicari, vel ab humano die, *sed neque ego meipsum judico*, qui melius novi me quam vos. Et ita periculosum est vobis judicare de ignotis. Quomodo enim potestis dijudicare conscientiam meam? aut quomodo examinare potestis quo animo faciam quidquid facio? Quantum possunt homines de alio judicare, plus homo utique de se; sed Deus plus de homine, quam homo de se. Tanta enim est profunditas in homine, ut latcat ipsum hominem in quo est, sed Dominum latere non potest. Jure itaque doctor egregius humanas laudes aut vituperationes parvipendens, ait: *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Qui nec in corde suo, unde se reprehendere posset, inveniens, adjungit: *Sed neque meipsum judico.* — *Nihil mihi conscius sum.* Nullius utique peccati sibi conscius erat. Sed quia legerat: « Delicta quis intelligit? (*Psal.* XVIII) » sententiam temperavit, ne forte per ignorantiam deliquisset, et addidit: *Sed non in hoc justificatus sum.* Videns enim quia ei ad perfectionem sanctitatis nec suum judicium sufficeret, ait non se in hoc justificatum. Cur vero non sibimetipsi de se credidit, causam reddidit, cum subjunxit: *Qui autem judicat me, Dominus est.* Ac si aperte diceret: Nec meo de me judicio credendum existimo, quia ille judicat me, cujus ego judicium non comprehendo. Ab eo enim qui me judicat, examinari me subtiliter scio. Recte enim me egisse recolo, sed tamen de meritis non præsumo, quia ad ejus examen vita nostra ducitur, sub quo et virtutes nostræ trepidant (*Isa.* LXIV). Nec ego, nec C vos me judicatis; sed qui me judicat, Dominus est, qui sine hæsitatione novit omnia.

« Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque « veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita « tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et « tunc laus erit unicuique a Deo. »

Quando quidem ergo nec meipsum judico, sed Domino me judicandum reservo, itaque vosipsos exemplo mei a judicando compescentes, *nolite judicare ante tempus*, quia nondum est tempus judicandi. Neque enim vera de actis hominum sentire nunc potestis, quia homines estis, sed aliter quam sunt de his suspicamini. Et si suspicationes non potestis continere quia homines estis, judicia tamen, id est diffinitas firmasque sententias continete, ne judiectis quidquam ante tempus, id est ante diem, quia adhuc nox est, nec potest videri quod in die videbitur. Ante illud tempus nolite judicare, sed *quoadusque veniat Dominus* ad judicium, et die suo cuncta illustret. *Qui et illuminabit*, id est aperta faciet, *abscondita tenebrarum*, id est latentia peccata [*al.* peccatorum] quæ mentem obscurant, *et manifestabit consilia cordium*, id est bonas cogitationes, quæ maturiore consilio et pertractione rationis in corde versabantur. Tunc enim omnibus in luce constitutis, nihil latebit proximum in proximo, sed omnia omnibus patebunt. Nihil enim occultari poterit eorum quæ gesta et cognita sunt. Ibi et simplicitas et hypocrisis apparebit, ut et qui despectus

Digitized by Google

habebatur, forte appareat dignus; et qui aliquid esse putabatur, inveniatur reprobus. Tunc ergo tempus erit sine errore judicandi. Nunc autem quisquis in cogitatione a rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Unde nos tanto minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto scimus quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare Sed tunc patebunt omnia. *Et tunc laus erit unicuique a Deo*, bene agenti vel cogitanti. Nunc enim ignoratur ab hominibus quis sit laude dignus. Tunc a Deo, quia id laudabitur et diligetur a proximo in proximo, quod ne lateat, in ipso illuminabitur a Deo. Quod de solis electis dictum est, quos Deus laudabit, et laude dignos monstrabit (*Matth.* xxv). Ac contra unicuique reproborum erit tunc improperium.

« Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et « Apollo propter vos, ut in nobis discatis ne, supra « quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. »

Dixi non gloriandum in nobis. Sed *hæc, o fratres, transfiguravi in me et Apollo*, ut in nobis non gloriemini, *propter vos*, id est propter utilitatem vestram, *ut in nobis*, qui majores sumus, *discatis ne* agendo *supra quam scriptum est*, ubi legimus : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*supra* I); » vel : « Maledictus homo, qui confidit in homine (*Jer.* xvii), » *unus infletur adversus alterum pro alio*, id est pro doctore vel baptizatore, vel pro se. Me, inquit, et Apollo proposui figuram pro omnibus, ut ab omnibus abhorreatis sicut a nobis. Transfiguravit enim hæc in se et in Apollo, dum pseudoapostolorum glorias et traditiones perversas sub sua et Apollo persona evacuaret, summatim illos designans, non sigillatim, ne forte major discordia in populo nasceretur. Nemo enim audiens suum nomen notari, vel ejus cui favet, contentus est tacere. Tacito autem nomine, si quis aliquid audierit, etsi intelligat, de se tamen dictum dissimulat. Sub hac ergo propositione evacuavit personas illorum, cum diceret : « Ego plantavi, Apollo rigavit (*Sup.* III), » etc., ut in his discerent nihil dandum hominibus.

« Quis enim te discernit? Quid autem habes quod « non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris « quasi non acceperis? Saturati estis, jam divites « facti estis, sine nobis regnatis. Et utinam regue« tis, ut et nos vobiscum regnemus! »

Non debet alter adversus alterum inflari pro alio doctore vel baptizatore. *Quis enim* doctor vel baptizator *te discernit?* Id est, verbi gratia, si baptizatus es a Petro, quomodo discerneris ab eo qui baptizatus est a Paulo? Nihil discretionis est, a quocunque bonam doctrinam vel baptismum perceperis. Sed tu per traditionem pseudoapostolorum putas te quasi sanctiorem discerni a cæteris. Sed *quid habes* ab illis *quod non* a me *accepisti?* Quidquid enim ab apostolica traditione non descendit, pravum est. Sed *si* a me *accepisti* quidquid boni habes, *quid* in te vel in illis *gloriaris* contra me *quasi non* hoc idem a me *acceperis?* Hoc dicitur contra illos, qui eadem quæ ab Apostolo acceperant audientes a pseudoapostolis, gloriabantur de magisterio eorum, quoniam ipsi pseudoapostoli per eloquentiam se commendantes, gloriam in se vertebant, cum Apostolus se contemptibilem videri fecisset, ut gloriam Deo faceret. Vel ita : Jubet Apostolus ut nemo in homine, sed in Domino glorietur. Pseudo autem apostoli et quia ab illis fuerant seducti, seipsos a seipsis justos fieri putantes, quasi hoc eis non Deus dederit, sed ipsi sibi, non utique in Domino, sed in semetipsis gloriabantur. Unde nunc unicuique talium dicit Apostolus : *Quis enim te discernit?* Quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem ut eum faciat vas in honorem, vel in contumeliam, nisi Deus (*Rom.* IX). Sed quoniam homo carnalis et inaniter inflatus cum audisset, Quis enim te discernit, posset respondere vel voce, vel cogitatione, et dicere : Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit justitia mea, mox Apostolus occurrit cogitationibus ejus et dixit : *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic enim gloriantur quasi non acceperint, qui se a seipsis justificari putant, ac per hoc in seipsis, non in Domino gloriantur. Nihil enim huic sententiæ tam contrarium est, quam de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei. Vel, sicut diximus, non debes inflari pro aliquo Doctorum, cujus te specialiter profiteris discipulum : quis enim eorum te discernit a pereuntibus? Nullus, sed solius Dei gratia, et tu te putas discerni per merita tua. Sed quid boni habes quod non accepisti a Deo? Fecit Deus ut esses, et tu fecisti ut bonus esses? Absit. Si enim Deus dedit ut esses, et alius tibi dare potuit ut bonus esses, melior est ille qui dedit ut bonus esses, quam ille qui dedit ut esses. Sed nullus Deo melior. Igitur a Deo accepisti et esse et bonum esse. Sed si ab illo accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? id est quasi a teipso habeas. *Jam saturati estis.* Ironice legendum, non affirmative. Jam, id est, antequam sitis apti ad percipiendam escam, *saturati estis* spirituali cibo doctrinæ, id est videmini vobisipsis sufficienter validis sapientiæ escis repleti; et antequam paupertate exuti sitis, *jam*, ut putatis, spiritualiter *divites facti estis*, id est abundanter animæ divitiis, quæ sunt virtutes, repleti, et *sine nobis*, id est, sine auxilio nostro, *regnatis*, id est vitæ vestræ moderamina juste disponitis, ut vos æstimatis, gloriantes de his quæ a pseudoprædicatoribus accepistis. Secundum vestram æstimationem regnatis. *Et utinam regnetis, ut et nos regnemus vobiscum*, id est sequamur vos, cum vos dedignemini sequi nos. Ac si dicatur : Utinam non essetis falsa gloriatione decepti; fortasse enim simul regnaremus. Regnare nunc sanctorum, est de spe et promissis Christi securos esse, et in adversis quæ propter nomen Christi accidunt, gaudere.

« Puto enim quod Deus nos novissimos apostolos

Digitized by Google

« ostendit tanquam morti destinatos. Quia specta- A « culum facti sumus mundo et angelis et homi- « nibus. »

Nos revera regnamus, et timeo ne sine vobis. Nam *puto*, id est putare credor, *quod Deus ostendit nos apostolos novissimos*, id est omnium vilissimos tanquam ad nullam utilitatem, sed ad mortem reservatos. Hoc secundum quod æstimatis puto, quasi quod nullatenus putandum est. Quod enim nunc dicit, puto, increpationem significat eorum quibus loquitur, non æstimationem ejus. Ideo sine vobis regnemus, quia per mala quæ patimur, Deus ostendit nos apostolos oculis superborum novissimos, id est abjectissimos, de quibus non curet, *tanquam morti destinatos*, id est ad mortem directos. Quod per hoc videtur, *quia spectaculum facti sumus* huic *mundo*, B id est amatoribus hujus mundi, qui quasi ad spectaculum conveniunt ad aspicienda supplicia nostra. Sed per hæc omnia magis probamur esse chari Deo, qui sic nos passionibus glorificat. Ideo non (ut vos credebatis) puto quod Deus vilissimos nos fecerit, quia me humilio ut Deum exaltem. Vel idcirco debetis nobiscum regnare, quia puto et pro certo scio quod Deus nos apostolos novissimos ostendit mundo, quibus nulli suecedent apostoli tam perfecti, tam necessarii saluti hominum, quales apparebunt in novissimo tempore Elias et Henoch, quos Deus reservat ut filios Israel ab Antichristi seductione liberent. Ita enim et nos misit ut a seductione pseudoapostolorum vos liberemus, et pro vita vestra C mortem sustineamus, sicut et illi passuri sunt. Nos ostendit novissimos, id est illis novissimis præconibus consimiles in passione adversitatum, tanquam morti corporis ob liberationem aliorum destinatos quia spectaculum facti sumus huic mundo, quorum injurias omnes publice exspectant in conspectu totius populi. Nam, sicut omnes concurrunt ubi jocus celebratur vel pugiles certant, aut aliquod monstrum producitur; sic omnes boni vel mali conveniunt ad aspiciendas pœnas nostras. Spectaculum sumus *et angelis et hominibus* tam bonis quam malis. Quia et inter angelos sunt sancti angeli, quibus bene vivendo placeamus, atque inter homines sancti viri, quibus placeat vita nostra; et sunt nequissimi homines, qui irrideant bonam vitam nostram. Et D hæc arma sunt dextra et sinistra, quibus hostem nostrum superamus, si nec prosperis corrumpimur, nec adversis frangimur (*II Cor.* VI). Boni angeli conveniunt ad spectaculum passionis nostræ, ut nos præsentia sua confortent, et cæteros ad exemplum nostri certaminis incitent; mali vero, ut gaudeant, cum nos suos adversarios cruciari viderint, et cæteros a fide motu pœnarum deflectant. Boni homines, ut laudent; mali ut insultent. Boni, ut exemplo nostro confortentur; mali, ut ex pœnis nostris delectentur.

« Nos stulti propter Christum, vos autem pru- « dentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. « Vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc « horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus « et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et labo- « ramus operantes manibus nostris (*Act.* XX; « *I Thess.* II; *II Thess.* III). Maledicimur, et bene- « dicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; « blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purga- « menta hujus mundi facti sumus, omnium pe- « ripsema usque adhuc. »

Nunc ostendit quomodo illi regnent sine veris apostolis, et quomodo apostoli stultis appareant vilissimi. Et est increpatio cum ironia. *Nos*, inquit, *stulti* sumus habiti gentibus et Judæis *propter Christum*, quem ad salutem humani generis crucifixum prædicamus; *vos autem prudentes* estis *in Christo*, quia nihil de illo prædicare vel dicere vultis, quod humanæ sapientiæ stultum videatur; et ita vultis esse Christiani, ut non prudentiam amittatis sæculi. Quod est quasi duobus dominis velle servire more veterum Samaritanorum, qui et Deum colebant et idola (*Matth.* VI; *Luc.* VI; *IV Reg.* XVII). *Nos infirmi* sumus, qui vicem lædentibus non reddimus, nec resistimus; *vos autem fortes* estis, qui potenter adversantibus resistitis, et eos fortitudine sæculari reprimitis. Vos estis *nobiles*, id est reverendi et gloriosi, *nos autem ignobiles*, id est despecti et viles. Hæc omnia quæ negare videtur, affirmat; et quæ quasi confirmare videtur, negat. Irascentis enim verba sunt, qui negando confitetur et confitendo negat. Deinde confirmando loquitur, ostendens per partes infirmitatem suam, ut regni sui virtus amplior eniteat. *Usque in hanc horam*, id est a prima die conversionis vel prædicationis nostræ usque nunc, penuriam cibi et potus et vestimentorum passi sumus, et etiam cæsionem colaphorum, quia libere et juxta veram fidem Christum sine aliqua adulatione prædicantes, et gesta pravorum arguentes, gratiam apud homines non habuimus, sed colaphos ab eis pertulimus, *et instabiles sumus*, quia semper fugant nos et persequuntur, ne in uno loco diu manentes, plures doceamus; *et laboramus operantes manibus nostris*, ut habeamus unde vivamus, cum nemo det, quia non solum gratiam apud homines, ut dictum est, non habemus, sed etiam ab his accipere indignum est, qui errori student. Quod idcirco facere maluimus, quoniam libertatem arguendi amittit et peccat, qui ab eo accipit, qui ideo dat ne corripiatur. *Maledicimur* a pravis hominibus, et nos econtrario *benedicimus* illos hortando ad bonum; *persecutionem patimur* ab illis, et licet ipsa persecutio sit gravis, tamen *sustinemus* illam, et non refugimus nec resistimus. *Blasphemamur* ab illis, quia dicunt nos seductores et maleficos, *et obsecramus* Deum pro illis, vel illos obsecramus ne blasphement, sed permittant sibi reddi rationem. *Et tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus*, id est de quibus mundus inquinetur, et quibus abjectis purgetur, sicut domus purgatur a sordibus, quæ de illa projiciuntur, hoc est, usque adeo blasphemamur ab impiis, et viles judicamur, quod facti sumus illorum

Digitized by Google

reputatione tales, tanquam essemus in tantum peccatores et sordidi, ut totus mundus nobis sublatis omnimoda sorde purgetur : et etiam reputati sumus *omnium peripsema*, id est adeo superflui et immundi atque inutiles usibus hominum, sicuti purgamentum ferri vel corium pomi, quod undique aufertur, ut ipsum pomum sit aptius ac dulcius ad comedendum. Peripsema enim dicitur rasura aut limatura cujuscunque rei, sive purgamenta pomorum, et nos ita nullius pretii nulliusque utilitatis esse judicamur, ut rasura ligni vel ferri seu stanni vel corium pomi. Et hæc sustinuimus principio prædicationis nostræ *usque adhuc*, id est usque in præsens. Per hæc omnia probatur Apostolus cum similibus prudens in Christo et fortis et nobilis, per quæ videbatur stultus et infirmus ac ignobilis. Contemptibilis enim et despectus fiebat etiam apud Corinthios, pro quibus hæc quæ hucusque memoravit, mala passus est. Et quoniam humilitatem suam nihil proficere in his videbat, queritur dolore commotus tantam subjectionem et injurias nullum fructum habere potuisse, sed quod deterius est, in pejus profecisse. Qui et subjungit :

« Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios « meos charissimos moneo. Nam si decem millia « pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos « patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego « vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, « sicut et ego Christi (*Ephes.* v ; *Philip.* III). Ideo « misi ad vos Timotheum, qui est filius meus cha- « rissimis et fidelis in Domino, qui vos commonefa- « ciat vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut « ubique et in omni Ecclesia doceo. »

Aspera blandis mitigat ut salutaris medicus. Nam quia graviter eos in his omnibus quasi latenter momorderat, ne ipsi ad iram provocati admonitiones ejus spernerent, ostendit se in omnibus quæ dixit paternam charitatis affectionem erga illos habuisse, ut libentius ei obedirent. Duri namque fuissent Corinthii si hac admonitione (qua ut filii dilecti a patre tam humane obsecrantur) emolliti non fuissent. *Non* ideo tamen, inquit, *hæc scribo, ut vos confundam*, id est ut tantam verecundiam vobis faciam, *sed* potius ut corrigamini *moneo vos*, id est ad meliora exhortor per hæc *ut filios meos charissimos*, spirituales scilicet, pro quibus tot labores et tot flagella passus sum, et quibus chariores nullos habeo. Vere filii mei estis, quia ego pater vester, *nam si habeatis in Christo decem millia pædagogorum*, id est tot instructores perfectos, quot vobis essent necessarii ; quod per mille intelligitur, qui numerus perfectus est in scientia et in observantia decem præceptorum legis, quæ per denarium numerum figurantur : vel si decem millia pædagogorum, id est quantamcunque erudientium multitudinem in observantia præceptorum quæ non fit in Judaismo, sed in Christo ; si inquam pædagogos, id est eruditores habeatis, *sed*, id est tamen, *non multos patres* habeatis, imo unum, quia *ego* solus *vos genui*, quia solus ego vobis prædicavi, ad hoc enim selectus sum, ut annuntiem gentilibus salutem per Jesum Christum (*Act.* XIII, XXII), *per Evangelium*, id est per evangelicæ doctrinæ prædicationem, non in me, sed in *Christo Jesu*, id est in fide Christi Jesu et in novitate Christiana, quia in novam vitam me primum prædicante venistis. His dictis, ostendit nullum posse eo affectu diligere illos, quo ipse diligebat. Quis enim alienos filios sic diligat ut suos ? ac per hoc monita ejus, qui tanta pro illis passus est, non debent spernere. Unus vero Pater Deus est, non ut hoc nomen cæteris tollatur, sed ne gratia Dei, qua in æternam vitam generamur, naturæ vel potestati vel etiam sanctitati cujusquam tribuatur. Quia, inquit, vos genui, *ergo* ex debito *rogo vos* ut filios, *estote imitatores mei* in his quæ facio et sustineo, *sicut et ego* sum imitator *Christi* in his quæ fecit et sustinuit, quia filiorum est imitari patrem. Vult enim illos imitatores sui esse, ut sicut ipse multa exitia pro illorum salute annuntiando Jesum Christum, ab incredulis et cæteris infidelibus passus est, et non cessit aut a fide descivit, sed constanter prædicavit, dummodo per dies et noctes evangelizaret illis donum gratiæ Dei ; ita et illi manentes in fide ejus et doctrina, non recipient pseudoapostolorum, id est apostolorum falsorum, prava dogmata vel commenta, sed resistant, contemnentes opprobria et detractiones, ut patri suo spirituali inviolatum atque immaculatum reservent affectum. *Ideo*, inquit, ut me imitemini tanquam boni discipuli fidelesque patri obedientes filii, *misi ad vos Timotheum*, per hunc creditur missa epistola, *qui est filius meus* in fide *charissimus* bene agendo, *et fidelis* in Evangelii prædicatione, quam fideliter omnibus palam ministrat, in *Domino*, non in lucro terreno. Vel in Domino est filius meus, id est quem genui non in carne, qui *vos commonefaciat*, id est commoneat faciendo, aut qui vos commonefaciat, id est admonendo vos instruat *vias meas*, institutiones, præcepta et documenta mea, *quæ sunt in Christo Jesu*, id est secundum voluntatem et doctrinam ipsius, in nullo enim discordo, et ideo sunt tenendæ, *sicut ubique* terrarum, *et*, id est, *in omni ecclesia doceo*, ideoque sunt authenticæ. Per istum reverti illos voluit ad regulam a se traditæ veritatis, ut commoniti verbis et exemplis operum ejus respicerent, cognoscentes non perperam se fuisse ab apostolo Paulo edoctos, quando eadem quæ sibi præcepta erant, tenere omnes ecclesias discerent.

« Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati « sunt quidam. Veniam autem cito ad vos, si Do- « minus voluerit, et cognoscam non sermonem eo- « rum qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in « sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid « vultis ? In virga veniam ad vos, an in charitate et « spiritu mansuetudinis ? »

Opus erat Timotheum mitti, quia *tanquam non sim* ultra *ad vos venturus*, *sic* de philosophorum doctrina et oratorum eloquentia tam imperterrite quod

Digitized by Google

quidam inflati inter vos. Ideo erant inflati et unus adversus alterum gloriantes, quoniam putabant apostolum Paulum non amplius ad se venturum : solent enim sæpissime discipuli a malis retrahi timore adventus magistri. Ob hoc etiam indignabantur quidam Corinthiorum, quia non veniebat ad eos, non desiderio, sed superbia, quod quasi indignos visitatione sua illos haberet, cum magis Apostolo studium hoc fuerit, ut de indignis faceret dignos. Habebat ergo votum eundi, sed majora erant quæ agebat. Vos, inquit, putatis me non esse venturum, vel indignamini quia non venio, sed *veniam ad vos cito, si Dominus voluerit*, cujus voluntas semper supponenda est, juxta illud Jacobi : « Dicatis : Si Dominus voluerit, et si vixerimus faciemus hoc vel illud (*Jac.* IV). » Vel si Dominus voluerit, id est nisi culpa mea impedierit, ut sciamus non ex nobis, sed ex Dei cuncta pendere judicio. Veniam, inquit, ad vos cito, si Dominus voluerit. Qui enim dixit, veniam ad vos, ostendit se velle, monstrat se cupere, brevem promittit adventum. Sed ut cautius hoc loquatur, infert, si Dominus voluerit, ut si non veniret, Dominus eum justa causa retinere monstraretur, causa utique indignitatis et infidelitatis eorum. Veniam, inquit, *et cognoscam*, id est probabo, *non sermonem* terrenæ sapientiæ aut humanæ sapientiæ *eorum qui* de hujus mundi sapientia *sunt inflati, sed* ipsorum *virtutem* in bona operatione vel miraculorum perpetratione, quia et Dominus non dixit de Pharisæis aut hominibus subdolis : Ex verbis eorum, ex vestimentis ovium quibus persæpe induuntur, cognoscetis eos (*Matth.* VII); sed, « ex fructibus, » id est ex operibus. Ideo non sermonem humanæ facundiæ, ut diximus, sed virtutem bonæ vitæ cognoscam et approbabo, quia *regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*, id est nemo per eloquentiam aut facundiam sæcularem acquirit regnum Dei aut meretur, sed per virtutem bonorum operum; nec splendore sermonis commendatur regnum Dei, sed virtute signorum, sicut nec bonum vinum hedera commendat. Veniam quidem quam citissime potero, sed *quid* horum *vultis ?* Scilicet vultis ut *veniam ad vos in virga, an in charitate et spiritu mansuetudinis.* Superius dixerat eos indigere pædagogo, ac per hoc pueros significabat; dein eos amari a se ut filios charissimos; nunc ut prudens pater eis virgam, non mortem proponit; spiritum mansuetudinis et charitatis, non furoris aut odii. Virga enim austeritatem et correptionem significat. Et nunc verba terroris Apostolus infert, ut pudorem passi qui inflati erant, humiliarentur et se corrigerent, quia si incorreptos inveniret, in illos necesse haberet virgam exercere, alios excommunicando, id est a fidelium communione et consortio privando, alios dure increpando, alios corporaliter (ut decet patrem) flagellando. Si vere se dignos præpararent ad excipiendum eum, ut immunes a crimine invenirentur, tunc ad illos veniens lætitiam haberet quasi pater cum filiis suis charissimis. Et hoc est quod dicit : Vultis ut *veniam ad vos in virga*, id est rigore justitiæ et correptionis, ubi etsi sit charitas, non tamen videtur esse; *an in charitate*, id est non in occulto charitatis affectu, sed in manifesta et aperta dilectione, ut bona suppleam, *et spiritu mansuetudinis ?* optabilius primum expetere, quam carere boni patris diligentis adventu, quamvis rigoroso, meliora nempe sunt vulnera diligentis, teste Salomone, quam oscula blandientis (*Prov.* XXVII). Spiritu mansuetudinis, id est animo mansueto et indulgenti, ut parcam peccatis vestris et per hilarem vultum ac dulcia verba mansuetudinem animi mei vobis ostendam.

CAPUT V.

Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis « fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem « patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis et « non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio « vestrum qui hoc opus fecit. »

Opus est ut veniam ad vos in virga, non in charitate aut spiritu mansuetudinis, nisi vos ipsos correxeritis, quia *omnino*, id est ab omnibus vel omnibus modis, *auditur*, scitur, narratur atque percipitur a me et ab aliis quod sit *inter vos* notissima *fornicatio*, quæ nemini est licita, *et talis fornicatio, qualis nec inter gentes*, id est tam infamis et nefaria fornicatio auditur, quod nec talis est inter gentes, *ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, id est quidam ex vobis et cum noverca fornicetur. Nec testibus res indiget, quoniam publice perpetrata est. Utque hoc crimen nimis exaggeret, dicit nec ab illis tale committi qui Deum nesciunt, ut hinc ostendat qua pœna mulctandus sit iste, qui sub terribili et divina justitia constitutus, tanti sceleris crimen admiserat, et adhærentes ei non immunes ab eodem crimine demonstret. Talis fornicatio apud vos auditur. *Et vos*, cum tantum scelus inter vos sit, *inflati estis* superbia, *et non magis* hoc fecistis quod faciendum esset, id est non *habuistis luctum*, non luxistis super peccato fratris, nec compassi estis illi, *ut tollatur*, id est ejiciatur, *de medio vestri qui hoc opus fecit*, ut omnes uno consilio abjiciatis eum de communitate vestra, ut confusus agat pœnitentiam, et non inficiantur cæteri, id est nec perpetrent alii simile, aut illud idem facinus propter indulgentiam, quia omnes videmini sceleris participes, quandiu patimini reum tanti criminis vobiscum incorreptum convenire. Cum enim omnes crimen ejus sciatis, nec tergiversatione aliqua possit celari, pellendus est de cœtu fraternitatis.

« Ego quidem absens corpore, præsens autem « spiritu (*Coloss.* II), jam judicavi ut præsens, eum « qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu « Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini « nostri Jesu Christi. »

Vos, inter quos ipse corporaliter est, non eum corripuistis, nec expulistis; et *ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu*, id est absens quidem

Digitized by Google

facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui replet orbem terrarum virtute (*Sap.* I), non mole, et nusquam abest, *jam judicavi eum qui sic operatus est, ut* per eumdem spiritum *præsens*, ne ex solo auditu me putetis proferre sententiam : jam sine mora judicavi eum *in nomine*, id est in vice, *Domini nostri Jesu Christi*, cujus legatione fungor, *congregatis vobis*, id est ut omnes in unum sine dissentione conveniatis, et eum de communione fidelium ejiciatis. Congregatis vobis in unum *et meo spiritu*, id est auctoritate mea, quam habeo per Spiritum sanctum, qui mihi datus est *cum virtute*, id est potestate *Domini Jesu*, qui est salvator hominum, judicavi *tradere Satanæ hujusmodi* virum, id est ut tradatis eum Satanæ pellendo de Ecclesia, quoniam mea auctoritas et Christi virtus in hoc vobis cooperabitur. Judicavi hujusmodi reum tradere Satanæ *in interitum carnis*, ut corporaliter eum vexet, et sic ille resipiscat. Magna quippe arte magisterii traditus est ipsi in pœnam, cui sponte est subtractus in culpa, ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipse flagellum fieret disciplinæ. Hanc enim potestatem dicitur Apostolus habuisse, ut si quem excommunicasset, statim ille corriperetur a diabolo et vexaretur, quantum et quandiu vellet Apostolus. Nam cum dicit, tradere Satanæ in interitum carnis, interitus carnis significat validam corporis afflictionem per diabolum factam. Vel in interitum carnis, id est ut carnalis voluptas in eum interiret, traditus est Satanæ. Et hoc *ut spiritus* ejus *salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*, id est anima ejus salva sit in die judicii. Quoniam in spiritum ejus Satanas non accepit potestatem dum corporaliter afflixit, et ideo salvus ad Domini extremum judicium reservatur. Vel salvus sit spiritus, id est anima ejus salva fiat in die Domini, id est si quando cor illius visitet Dominus, si quando illi Dominus in corde luceat.

« Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia « modicum fermentum totam massam corrumpit « (*Gal.* v). »

Non est bona gloriatio vestra. Superbitis, cum potius lugere debueritis pro fratre tam graviter peccante, et eum a vobis removere, ne illi consentientes, pollueremini ejus contagione. An *nescitis quia modicum fermentum*, id est modicum veteris pastæ, videlicet fermentatæ, *totam massam corrumpit?* id est totam dulcedinem novitatis mutat in acredinem vetustatis, ita et peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imo omnes qui norunt et non devitant, aut cum possint arguere, dissimulant. Non enim sibi videtur peccare, quando a nullo corripitur aut vitatur. Si quis vero potestatem non habet, ut eum quem scit reum, abjicere vel probare non valeat, immunis est. Modicum fermentum totam massam corrumpit, quia nonnunquam unum vitium vel quodlibet nequitiæ fomentum veneno suo inficit multitudinem virtutum (212). Adverte, diligens lector : Dicendum est, teste Hieronymo, modicum fermentum totam conspersionem fermentat, in epistola ad Galatas (cap. v), eodem capite ubi carpit veterem interpretem, dicens sensum potius suum quam verba Pauli transtulisse, et mavult dici conspersionem quam massam; diffiniuntque conspersionem esse farinam aqua conspersam.

« Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova con« spersio, sicut estis azymi. »

Expurgate de vobis *vetus fermentum*, id est, ejicite de vobis et de medio vestrum veteris nequitiæ fomentum, quod est in fornicatore, qui est membrum veteris hominis, et totam populi multitudinem sibi consentientem corrumpit. Expurgate igitur hoc fermentum, id est extra vos ejicite, purgantes vos ab eo, ne corrumpat in vobis dulcedinem virtutum, per iniquitatis suæ consensum. Ideo vos purificate ab hoc fermento *ut sitis nova conspersio*, id est nova in unitate conglutinatio, *sicut estis azymi*, id est sicut per baptismum facti estis a corruptione sinceri. Conspersio quippe est farina per aquam conglutinata, quæ vulgo dicitur pasta. Sed nova conspersio est, in quam fermentum adhuc missum non est. Ideo vocatur azyma, id est sine fermento. ζύμη (zyma) enim Græce fermentum dicitur. Sitis ergo, inquit, nova conspersio, sicut estis azymi, id est sitis omnes unum quid per dilectionem, puri a corruptione peccati, novum hominem induti, sicut in baptismo facti estis azymi.

« Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. « Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque « in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis « sinceritatis et veritatis. »

Nova conspersio debetis esse, quia *pascha nostrum*, id est paschale sacrificium nostrum, *immolatus est Christus*. Agnus quippe, quem Judæi in Pascha immolabant, vocabatur pascha, sicut et Lucas aperte declarat, dicens : « Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha (*Luc.* XXII), » et secundum hunc loquendi morem, Christus noster dicitur pascha nostrum. Pascha enim Judæorum immolatus est agnus : pascha nostrum immolatus est Christus. Nam sicut Judæi per immolationem agni liberati sunt a potestate Pharaonis et satellitum ejus, ac mare transeuntes venerunt in desertum (*Exod.* XII), atque interjecto temporis spatio terram promissionis intraverunt, sic nos per immolationem Christi liberati sumus a potestate diaboli ac malignorum spirituum, ac per baptismum trajecti venimus ad hanc conversionem, in qua nunc velut in deserto sumus, atque ingressum supernæ hæreditatis exspectamus. Judæi agno immolato liberati a servitute Ægyptia, septem diebus comedunt azyma; et nos Christo immolato liberati a servitute dæmoniaca, per omne spatium vitæ præsentis, quod septem diebus volvitur, azyma comedamus, id est satiemur bonis operibus sine admistione corruptionis

(212) Hæc subdititia videntur.

Digitized by Google

vitiorum. Azyma quippe (id est panes sine fermento) comedimus, si recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercemus, si præcepta Dei sine admistione peccati adimplemus. Pascha etiam interpretatur *transitus*, et Christus pro nostra redemptione immolatus, pascha nostrum, id est transitus noster, quia per eum a diabolo transimus ad ipsum, et ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideo quippe ad eum permanentem transimus, ne cum mundo transeamus; et Christus est nobis transitus a vitiis ad virtutes, et a præsenti exsilio ad supernam patriam, quia ideo pro nobis est immolatus, ut nos liberans faceret ita transire. Nova itaque conspersio debemus esse, id est omnes innovati et infusione Spiritus sancti unum per charitatem effecti, ut pascha manducare simus idonei, quia pacha nostrum immolatus est Christus, ad cujus esum invitamur. Ob hoc etiam talis conspersio debemus esse, quia ipse Christus est transitus noster, ut nos si dignos invenerit, transferat ad patriam vitæ. Et quia ipse est pascha nostrum, id est paschale nobis sacrificium, *itaque epulemur*, id est comedamus hoc pascha, si volumus esse liberi a dominio Pharaonis, id est principis hujus mundi, qui est diabolus. Vel quia Christus est pascha nostrum, id est transitus noster, itaque epulemur, id est comedamus immolatum pro nobis corpus ejus, ut per hoc ad vitam transire valeamus, quoniam aliter ad Deum transire non possumus (*Joan.* XII, XIV, XVI). Non enim ad vitam et gloriam nobis transire volentibus sufficit novam nos conspersionem et azymos esse, nisi cibo spirituali et viatico singulari spiritus noster adjuvetur, et infirmitas nostra corroboretur. Epulemur ergo, id est epulis corporis et sanguinis ejus reficiamur, ita ut *non* simus *in fermento veteri*, id est in corruptione veteris conversationis, quia qui pascha vult legitime comedere, debet fermentum vetustatis abjicere. Neque enim cognovit quæ sit solemnitas novæ incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam vetustæ corruptioni subjacet; et ideo epulemur, non in fermento veteri, ut sacramentum resurrectionis et incorruptionis percipientes corruptioni jam per vitia nulla subjaceamus. Epulemur, inquam, non in fermento veteri, id est non in consueto nobis quondam carnalium desideriorum fervore, *neque in fermento malitiæ*, qua ferveamus ad aliorum læsionem, *et nequitiæ*, qua deficiamus a bono in nobis ipsis, *sed* potius epulemur *in azymis sinceritatis et veritatis*, hoc est, ut sinceritatis mundam faciat vitam, et veritas omnem fraudem excludat. In azymis sinceritatis, ut simus sine carie, id est sine fermento vitiorum corrumpente nos; et veritatis, ut veritas bonorum operum sit in nobis.

« Scripsi vobis in epistola, Ne commisceamini « fornicariis. Non utique fornicariis hujus mundi, « aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. « Alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc « autem scripsi vobis non commisceri. Si is qui « frater nominatur inter vos, est fornicator, aut « avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut « ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum « sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt « judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judi- « catis? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. « Auferte malum ex vobis ipsis. »

Nunc commoneo vos ab hoc purgare. Sed et sine hac admonitione debueratis facere, quia *in* alia jam *epistola scripsi vobis ne commisceamini fornicariis.* Epistolam quamdam quæ modo non habetur, miserat illis, in qua præceperat, ne conjungerent se fornicatoribus, et cæteris de quibus nunc dicitur. Sed quia non distinxerat de quibus fornicariis et criminosis diceret, Christianis scilicet an gentilibus, putaverunt Corinthii de fornicariis gentilibus eum dixisse. Quam eorum erroneam intelligentiam ipse modo corrigit, et quæ dixerat, interpretatur, dicens: *Non utique fornicariis hujus mundi*, id est gentilibus, sed a fratribus talibus scripsi recedendum. Quod vos non recte intellexistis, et ideo illum qui uxorem patris habebat, inter vos esse non ægre ferebatis. Sed utique, id est in veritate, dico, quia præcepi vobis ut non commisceamini fornicariis hujus mundi, id est qui ex toto pertinent ad hunc mundum, qui nihil cum cœlesti mundo habent, sed propter infidelitatem suam et desideria terrena filii hujus sæculi existunt. Fidelis enim, etsi fornicetur aut avarus sit, non est tamen ex toto hujus mundi, quia credit et sperat. Istud non præcepi, sed potius in illa epistola scripsi vobis, quod et nunc servare debetis, ut non commisceamini fornicariis fidelibus, *aut avaris* fidelibus, *aut rapacibus*, id est rapinas exercentibus, *aut etiam idolis* post baptismum *servientibus*, qui timore suppliciorum vel qualibet alia causa postquam ad fidem venerant, idolis serviebant et sacrificabant. Talibus apostatis fratribus ne commisceamini. *Alioquin*, id est si his commisceamini, *debueratis de hoc mundo exisse*, id est melius esset vobis mori. Compendium est male agentibus si citius moriantur, quam diutius in peccatis versentur. Vel non scripsi ut non commisceamini fornicariis infidelibus et cæteris qui necdum fidem habent, et sunt criminosi; alioquin, id est si præcepissem gentilibus non misceri, debueratis de hoc mundo exisse, id est necesse esset de mundana conversatione vos exisse, cum ubique sint tales. Non enim possunt homines in hoc mundo viventes nisi cum talibus vivere, nec eos lucrari possunt Christo, si eorum colloquium conviviumque vitaverint. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens, aiebat: « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus (*Matth.* X). » Et: « Non veni vocare justos, sed peccatores (*Luc.* V). » Tunc quidem scripseram ut fornicarios et cæteros vitaretis, quod vos non recte intellexistis, quia non determinavi de quibus dicerem. Sed *nunc* in præsenti epistola determinate *scripsi vobis non commisceri* illis qui post baptismum talia faciunt. Ecce sine ambiguitate vobis hoc dico. *Si is qui frater nominatur inter vos*, id

Digitized by Google

est qui Christianitatis vocabulum portat, *est fornicator*, id est probatus in scelere fornicationis, *aut avarus*, id est immoderatæ pecuniæ coacervator, confidens in ea magis quam in Dei largitione, *aut idolis serviens*, id est ad idola quæ deseruerat recurrens, vel idolothyta comedens, *aut maledicus*, id est in usu habens maledicere alios, et male loqui de eis, *aut ebriosus*, id est non semel, sed per consuetudinem se inebriat, *aut rapax*, id est qui aliorum res violenter auferre consuevit, cum ejusmodi criminoso fideli, id est non solum cum isto qui in aliquo horum criminum fuerit inventus, sed etiam cum aliis qui similibus vitiis detinentur, præcipio vobis *nec cibum sumere*. Cum infidelibus non prohibet Apostolus cibum sumere, sed in sequentibus istius epistolæ dicit : « Si quis infidelium ad cœnam B vos vocat, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate (*infra* x). » Plerumque enim per conviviorum participationem et confabulationem fidelis viri, infidelis dum fidelem diligit, ad fidem convertitur. Cum fideli autem, in quo prænotata crimina vel similia reperiuntur, non solum sacramenta, sed nec communem cibum sumere permittit, ut dum a cunctis vitatur, erubescat et se corrigat. Non tamen sic vitandus est talis, nisi aut sponte confessus crimen suum aut omnibus notus esset talis, aut in aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio nominatus atque convictus. Plerique autem boni Christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur; et ea quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sunt quædam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Et ideo non temere et quomodolibet, sed per judicium auferendi sunt mali ab Ecclesiæ communione, ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne per se malos evitando quisquam ab ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, mittat ad gehennam. Ideo, inquit, determinate scripsi, si frater talis fuerit comprobatus, cum illo nec cibum sumere, nedum orare, quia *quid mihi* attinet *judicare de his*, id est infidelibus, *qui sunt foris*, id est extra ecclesiam, ut eos vobis cavendos judicarem sicut putastis. His enim blandiendum est, ut per amorem et dulcedi- D nem possint Christo lucrari, sed *nonne de his qui intus sunt*, id est de fidelibus, *vos judicatis*, et ecclesiastica censura putredinem vitiorum ab eis resecatis, ut in hac vita pro culpis suis puniantur, et ad Dei judicium purgati postmodum veniant? Judicat etiam de his qui intus sunt, qui discernit cui fratri adhæreat, quem arguat, quem devitet. Illos tantum qui sunt intus, judicatis, ne damnentur in futuro judicio, *nam eos qui foris sunt*, non commisit vobis *Deus* judicandos, sed ipse *judicabit* eos in futuro secundum districtionem justitiæ suæ, reddens eis digna supplicia. Superius de incognitis et ambiguis rebus, ac maxime de præposito dictum est : « Nolite ante tempus judicare (*supra* IV); » hic autem ostenditur quod ecclesiastici viri de manifestis et certis A culpis debent judicare fratres suos. Et quia meum et vestrum est de his tantum qui intus sunt judicare, ideo *auferte malum* hominem *ex vobis ipsis*, id est de cœtu vestro ejicite fornicatorem, cujus societate coinquinamini. Quod enim dicitur Auferte malum ex vobis ipsis, non sic esse intelligendum, ut ex ipso quisque auferat malum, sed sic potius, ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per ecclesiasticam disciplinam, satis indicat Græca lingua, ubi sine ambiguitate scriptum est ut intelligatur, hunc malum, non hoc malum.

CAPUT VI.

« Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud « sanctos ? An nescitis quoniam sancti de hoc « mundo judicabunt ? Et si in vobis judicabitur « mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? « Nescitis quoniam angelos judicabimus? Quanto « magis sæcularia ? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in ecclesia, « illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam « vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum, sed « frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud « infideles ? »

Occasione hujus judicii incipit agere de judiciis. In quibus multimode peccabant, quod contemptis fidelibus infideles judices adibant, vel stultos judices instituebant, et litigabant atque fraudabant, et alii C hujusmodi faciebant. Non solum, inquit, ex hoc reprehensibiles estis, quod fratrem judicandum non judicatis, cum de his qui intus sunt, judicare debeatis, sed etiam ex eo quod ad paganos judices causas vestras ad judicandum transfertis. Nam *aliquis vestrum*, id est aliquis ex vobis, *habens negotium*, id est causam contendendi, *adversus alterum* ex vobis fidelem, *audet*, id est tam audacter reverentiam Christianitatis conculcat, ut quærat *judicari apud iniquos, et non apud sancto*, id est apud infideles judices, qui non sunt æquitatis amatores, et non apud Christianos, qui sancte et juste vos judicarent. Quasi dicat : In hoc nimis audacter religionem sacram contemnitis, quod vestra negotia quæ inter D vos debetis judicare, ad iniquos judices defertis. Infideles vocat iniquos, quia leges a Deo hominibus concessas sæpe spernebant, vel falsa interpretatione auctoritatem illorum idolis deputabant. Ideo potius suadet apud Dei ministros agere causam, quia illi facilius de timore Dei sententiam legis veram pronuntiant. In hoc peccatis quod ad sanctos negotia vestra judicanda non defertis. Debent enim ipsi et de talibus judicare, quia et de mundo judicabunt. Et utique qui ipsum mundum judicaturi sunt, non indigni sunt ea judicare quæ mundi sunt. Et hoc est : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ?* De hoc scilicet mundo, qui in erroribus et nequitiis est, quia est alius superior. De hoc mundo, id est de hominibus qui ad hunc mundum infi-

Digitized by Google

mum pertinent, sancti judicabunt, quia cum Christo venient ad judicium (*Matth.* XIX), et ejus æquitati omnino concordabunt, quando mundanam pravitatem damnabit. *Et si in vobis* tunc *judicabitur mundus*, id est actio prava mundi, *indigni estis qui de minimis*, id est de his terrenis rebus, *judicetis*. In vobis judicabitur mundus, si in vobis tunc non inventum fuerit opus eorum, qui solum mundum diligunt, si in actione similes mundanis hominibus et perfidis non apparueritis. Et si hoc fuerit, indigni estis nunc judicare de minimis. Ideo cavete ne infidelium et pravorum opera faciatis, adeundo paganos judices, sicut cæteri qui ignorant Dominum. Adhuc probo quod sancti de terrenis judicare possunt. Nam *nescitis quoniam angelos* apostatas *judicabimus? Quanto magis sæcularia* judicare possumus, quæ sunt inferiora? Nos qui supra naturam nostram Dei auxilio servavimus obedientiam, judicabimus illos angelos, qui peccaverunt contra suam naturam, quia concordabimus justitiæ Dei condemnantis illos, et ex comparatione nostra damnabiliores apparebunt. Cum enim ipsi qui sublimioris et dignioris naturæ erant, et quos nulla fragilitas ab illo summo et incommutabili bono retrahebat, per superbiam sponte sunt lapsi; nos vero imbecilles, quos carnis infirmitas ad peccatum trahebat, et ad inferiora deprimebat, per humilitatem et justitiam omni nisu tetenderimus ad superna, merito damnabuntur atrocius respectu nostri, et consolatio nostra cruciabit illos durius (*Sap.* V). Et quia satis rationabiliter ostensum est, nos posse judicare de istis sæcularibus *igitur si habueritis sæcularia judicia*, id est de rebus sæculi, *contemptibiles illos qui sunt in ecclesia, constituite ad judicandum*. Hoc est dicere : Qui minoris meriti sunt in ecclesia, et nullis magnorum donorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent, quatenus per quos magna nequeunt bona, minora suppleantur, et qui penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur, ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritualia non exornant. Tales ex vobis ad judicandum debetis constituere, non ad infideles judicia vestra deferre. Et *ad verecundiam vestram dico*, id est verecundiam habere potestis ex hoc quod dico, scilicet : *non est inter vos quisquam sic sapiens, qui possit judicare inter fratrem* et fratrem *suum, sed potius frater cum fratre judicio contendit*, quod est malum, *et hoc apud infideles*, quod est pejus. Sapientem ex fidelibus vult Apostolus judicem eligi, quia noverat Corinthios tam inconsideratos, ut imperitos forte ex fratribus judices eligerent. Sciebat enim quam tepidi et improvidi in reliquis causis fuerant deprehensi, et licet contemptibiles nominaverit eos, quos ad judicandum institui præcepit, sapientes tamen ipsos nunc vocat. Qua ex re quid colligitur, nisi ut hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt? qui autem spiritualibus donis ditati sunt, profecto terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitatius valeant bonis superioribus deservire. Qui tamen proximorum infirmantium negotia non debent funditus deserere, sed hæc aliis quibus dignum est, tractanda committere. Unde Moyses quoque viros ad populum pro se septuaginta constituit (*Num.* XI), ut quanto se ab exterioribus causis absconderet, tanto ardentius interna penetraret. Sicque fit ut et summi viri magis ad spiritualia dona proficiant, dum eorum mentem res infimæ non conculcant; et rursum in ecclesia ultimi sine bono opere non vivant, dum in rebus exterioribus inveniunt recta quæ agant.

« Jam quidem omnino delictum est in vobis, « quod judicia habetis inter vos. Quare non magis « injuriam accipitis? quare non magis fraudem pa- « timini? sed vos injuriam facitis et fraudatis, et hoc « fratribus. »

Propter supradicta posset putari, judicium habere adversus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra ecclesiam velle judicari, nisi nunc secutus adjungeret, *jam quidem omnino delictum est in vobis quod jndicia habetis inter vos*. Nam et dominus dixerat : « Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et judicio tecum contendere, dimitte ei et pallium (*Matth.* V). » Prohibuit ergo suos de sæcularibus rebus cum aliis habere judicium. Propter quod et Apostolus nunc dicit hoc esse delictum. Tamen cum sinit in ecclesia talia judicia finiri inter fratres fratribus judicantibus, extra ecclesiam vero terribiliter vetat, manifestum est quod secundum veniam concedatur infirmis. Quanquam enim Christianus litigare non debeat, tamen si grave fuerit et quod contemni non possit, causam ad Ecclesiam deferat, ne et damnum ad præsens et offensionem forte incurrat. *Jam quidem*, inquit, id est tam cito post baptismi sanctificationem *omnino delictum est in vobis*, ex hoc solo, *quod judicia habetis inter vos*, de rebus caducis, cum deberetis exteriora cuncta despicere, ut interna mentium bona possetis servare, et ne quisquam ita hoc excusaret, ut diceret justum se habere negotium, sed iniquitatem se pati quam vellet a se judicii sententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, et ait : *Quare non magis*, id est non potius, *injuriam*, id est apertam violentiam injuste vobis illatam, *accipitis*, id est acceptabilem et gratam habetis, quam ut pacem cum fratre litigando dissipetis? et *quare non* potius *fraudem occultam de vestris rebus* factam *patimini*, quam ut tranquillitatem cordis amittatis judicio contendentes invicem? Per injuriam designatur hic injusta molestia violenter illata, sicut est rapina, percussio, vulnus, turpe convitium, et his similia; fraus vero per astutiam simulatorie et dolose agitur contra eum quem quis decipere molitur. Et quare vos utramque patienter non sustinetis? *Sed vos injuriam facitis*, qui factam sustinere debuistis; *et fraudatis*, non fraudem patimini; *et hoc fratribus* facere non timetis, cum nec

Digitized by Google

inimicis tale quid facere debuimetis. Injuriam facitis dum per injustitiam vestram jurgium generatur coram judicibus; et fraudatis, dum ipsos judices donis corrumpitis; et hoc fratribus facitis, quos vos juvare deberetis, et qui nec suis parcit, quid faciet al is?

« An nescitis quia iniqui regnum Dei non possi-
« debunt? nolite errare. Neque fornicarii, neque
« idolis servientes, neque adulteri, neque molles,
« neque masculorum concubitores, neque fures,
« neque avari, neque ebriosi, neque maled.ci, ne-
« que rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc qui-
« dem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis,
« sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu
« Christi, et in spiritu Dei nostri (*Galat.* VI, *Ephes.* V,
« *1 Tim.* I). »

Vos injuriam et fraudem fratribus irrogatis, et de nomine Christiano vobis blandimini, quasi per hoc salvandi sitis qui talia facitis. Sed *an nescitis quia iniqui*, id est illi qui æquitatem transgrediuntur, faciendo injurias et fraudes et his similia, *regnum Dei non possidebunt*, quod justis et sanctis Deus promisit? Cavete ergo esse iniqui, ne regnum Dei perdatis, quia nullus iniquus illud possidebit; etiamsi sacramenta Christianitatis habuerit; et præter illud regnum salus nulla est, quia aut erit quisque in illo regno aut in inferno. Et ideo *nolite errare*, putantes esse extra regnum salutis locum vel quod Deus per misericordiam suam vos in illud propter solam fidem Christianam introducturus sit, si iniquos vos invenerit. Nam *neque fornicarii*, qui cum mulieribus non desponsatis concumbunt; *neque idolis servientes regnum Dei possidebunt*, sed in regno diaboli peribunt, *neque adulteri*, qui uxores aliorum violant; *neque molles*, qui seipsos per se inquinant; *neque masculorum concubitores*, more Sodomitarum; *neque fures*, qui occulte res alienas auferunt; *neque avari*, qui timentes quod Deus eis necessaria præbere desistat, congregant ultra modum superflua; *neque ebriosi*, qui vitium ebrietatis sectantur: *neque maledici*, id est detractores, qui student mala dicere de fratribus, vel qui eos maledicere non verentur; *neque rapaces*, qui aliorum res aperte consueverunt diripere: nullus eorum qui tales sunt, possidebit regnum Dei, quia unum quodlibet horum criminum tollit illud regnum. *Et* vos *quidem hæc fuistis*, id est tales, quoniam hæc omnia mala fuerunt in vobis; *sed* tamen ne desperetis de perceptione regni, quoniam *abluti estis* in baptismo ab istis, et ideo turpius est si ad ea redditis. Nec solum abluti estis in remissionem peccatorum, *sed* etiam *sanctificati* in baptismo per Spiritum sanctum. Nec tantum sanctificati, *sed justificati* per fidem. Et hæc tanta gratiæ dona consecuti estis *in nomine Domini nostri* Jesu Christi, cujus nomen in baptismo super vos est invocatum, *et in Spiritu Dei nostri* qui replevit aquam baptismi. Utrumque enim invocatio nomin's Christi et infusio Spiritus sancti vobis ista concessit; et ideo nolite rursus ad priora mala redire, ne bona

(213) Locus obscurus.

A hæc omnia perdatis. Vel abluti estis lacrymis, et sanctificati melioratione vitæ, quam nimirum illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Et justificati estis justis operibus insistentes. Et idcirco cavete rursus crimina committere, ne contingat regnum amittere.

« Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt
« (*infra.* X, *Eccli.* XXXVII). Omnia mihi licent, sed
« ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri,
« et venter escis; Deus autem et hunc et has
« destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Do-
« mino, et Dominus corpori. Deus vero et Dominum
« suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. »

Quoniam supra dixerat potius ferendum esse damnum quam causas male agere, ne quis putaret B sua nullo modo esse repetenda, supponit: *Omnia mihi licent*, id est omnia mea mihi sunt ad repetendum licita, sed tamen non repetam ea judicio, quia *non expediunt* ad cursum meum, sed impedium. *Omnia mihi licent* ad repetendum jure per judicium, *sed ego* cum sim liber, *sub nullius redigar potestate*, id est nolo redigi sub potestate ullius judicis vel testium, supplicando eis ut mihi magis faveant. Ideo non sunt repetenda (213), tamen *esca* debetur ventri pro quo creata est; *et venter escis*, quia aliter sustentari non potest; sed *Deus et hunc et has destruet*, ut neque venter indigeat escis, neque sustentationem ullam ventri præbeant. Dum dicitur: *Esca ventri et venter escis*, ostenduntur hæc quæ ad escas pertinent, esse naturæ necessaria, et ideo licet ea repeC ti. Sed non multum pro his laborandum est, quia destruentur, et ideo licet de his fieri judicium vel prætermitti. Esca debetur ventri, sed corpus non debetur fornicationi, et ita judicium prætermitti de hoc non potest, ut vos soletis, qui fornicationem non judicastis. Sed quod dictum est, omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, repetamus. Soli enim in illicitis non cadunt, qui se aliquando et a licitis restringunt. Qua videlicet constrictione religatum bene se nunc Apostolus insinuat, dicens: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*; at ut sua religatione ostenderet in quanta se mentis libertate dilataret, adjunxit: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Cum enim mens conD cepta desideria sequitur, servire rebus convincitur, quarum amore superatur. Sed Paulus cui cuncta licent, sub nullius potestate se redigit, quia semetipsum etiam a licitis restringendo, ea quæ delectata premerent despecta transcendit. *Omnia*, inquit, *mihi licent, sed non omnia expediunt.* Ut ostendit ea licita esse, quæ nullo præcepto Domini prohibentur, sic expedit potius esse tractanda non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est (*Luc.* X), et ideo dicuntur non a Domino præcipi, quamvis Domino moneantur offerri, ut tanto intelligantur esse gratiora, quanto ostenduntur indebita. Potest ergo

Digitized by Google

licere, et non expedire; expedire autem, quod non licet, non potest. Ac per hoc non omnia quæ licita sunt, expediunt; omnia vero illicita non expediunt. Ea itaque videntur mihi licere et non expedire, quæ per justitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur, sed per offensionem hominum, ne ob hoc impediantur a salute, vitanda sunt; ea vero non licere, et ideo non expedire, quæ sic ipsa justitia vetantur, ut facienda non sint, etiamsi ab eis quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. Quod si ita est, ideo non nisi illicita prohibentur a Domino, ut ea quæ licita sunt et non expediunt, non legis vinculo, sed libera dilectionis beneficentia caveantur. Notandum etiam quod Apostolus ista eis prædicens, nihil ab eis accepit, sed labore manuum suarum vixit. Unde et nonnulli eorum putabant illum ideo noluisse B stipendium accipere, quia sciret se apostolum non esse. Contra quos nunc dicit: *Omnia mihi licent*, omnia sæculi quæ cæteris apostolis licent, mihi quoque licent, quia licet mihi, sicut illis, accipere sumptus a discipulis. Sed non expediunt omnia quæ licent, quia si sumptus licitos acciperem, occasionem accipiendi pseudoapostolis darem. Omnia hæc mihi licent, sed ego propter ista stipendia non redigar sub potestate alicujus, ut auctoritatem meam propter sua dona humiliet. Si enim ab his Apostolus quos in tantis vitiis arguebat, acciperet, auctoritatem magisterii concessam sibi a Domino inclinaret. Non enim potest constanter argui a quo accipitur, maxime cum ideo promptus ad dandum sit malevolus, ut sibi humiliet et prædicatorem, et idcirco dicit, Sed ego C sub nullius redigar potestate. Pseudo autem apostoli, qui causa quæstus prædicabant, nolebant esse amari peccantibus. *Omnia*, inquit, *mihi licent*, sicut et cæteris, ut accipiam stipendia sicut illi, quia esca ventri debetur, et venter escis. Sed tamen non multum curandum de his, quia transitoria sunt, quoniam Deus et ventrem et escas destruet. Neque enim in futuro manducabimus et bibemus, sed illo vescemur pane, qui de cœlo descendit, ut perfecte compleatur quod scriptum est: « Panem angelorum manducavit homo (*Joan.* VI; *Psal.* LXXVII). » Escas vero et ventrem destruet, cum occiderit indigentiam satietate mirifica, et corruptibile hoc induerit incorruptionem sempiternam, ut sit salus perfecta in isto corpore, nulla remanente corruptione D (*infra* XV), nulla succedente defectione, ut nullo cibo corporali fulciatur. Dixi quia venter escis debetur, quibus temporaliter sustentatur. *Corpus autem non fornicationi* debetur, *sed Domino*. Sanctus Apostolus contra superfluitatem escarum disputans, consequenter venit ad fornicationem. Etenim superfluitas escarum mater libidinis est, ventremque distentum cibo et vini potationibus irrigatum voluptas genitalium sequitur; atque pro membrorum ordine, ordo vitiorum est. Corpus non debetur fornicationi, sicut venter modificatis escis, quia corpus sine fornicatione potest semper subsistere, venter autem sine cibis non valet subsistere. Et ideo fornicatio est A superflua, ciborum autem refectio necessaria. Unde quamvis ad tempus venter escis moderatis debeatur, corpus tamen fornicationi nunquam debetur, sed semper Domino Christo, ut ei serviat; *et Dominus* Christus debetur *corpori*, ut ipse sit ei præmium, dans ei participationem immortalitatis suæ. Corpus enim Christo dicatum, dono spirituali remunerabitur merito ducis, id est animæ. Et gloria corporis Christi dabitur corpori, quod nunc assidue servit ejus præceptis: et ita Dominus Christus præmium debetur corpori nostro, si corpus nostrum ei subditum in omnibus fuerit. Sed *Deus* Pater *et Dominum* Christum *suscitavit, et nos* similiter *suscitabit*. Hoc est dicere: Sicut Deus Pater eum qui Dominus est suscitavit, quia in omnibus obedientem reperit; ita corpus nostrum, si eidem Domino fuit usquequaque subjectum, suscitabit, et gloriæ ipsius Domini particeps faciet illud; et hoc *per virtutem suam*, quæ Christus est, cui nihil est impossibile. Nam et Dominus Christum suscitavit per virtutem, quæ est ipse Christus, id est per potentiam divinitatis ipsius Christi, et nos per eamdem virtutem suscitabit, ut sequamur caput nostrum ad incorruptionem et gloriam, si digna membra sumus. Propter quod recedendum est ab omni fornicatione et immunditia, et insistendum studiis sanctitatis, ut ad tantam gloriam digni simus pertingere.

« Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt « Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam « membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam « qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? « Erunt enim, inquit, duo in carne una (*Gen.* II; « *Ephes.* V; *Matth.* XIX; *Marc.* X). Qui autem adhæ« ret Domino, unus spiritus est. »

Vere corpus non fornicationi debet mancipari, sed Domino. Quia an *nescitis quoniam corpora vestra sunt membra Christi*, qui est caput vestrum, eo quod homo factus est propter nos? Qui si tantummodo humanam animam suscepisset, membra ejus non essent nisi animæ nostræ. Quia vero et corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis, qui ex anima et corpore constamus, profecto illius membra sunt et corpora nostra. Illius, inquam, membra sunt corpora nostra, propter corpus quod ipse ex genere corporis nostri suscepit, et quoniam ita est, *ergo tollens membra Christi, faciam ea membra meretricis* per fornicationem? *Absit* ut hoc faciam. Neque enim tollere Christo membra sua debeo, et dare meretrici. Non enim possunt simul esse et membra Christi et membra meretricis; sed desinunt esse membra Christi, ubi adhærent meretrici. Nam corpus nostrum quandiu perseverat in sanctimoniæ munditia, membrum est Christi. Si vero complectitur meretricem, separatur a Christo, et fit membrum meretricis. Si ergo unusquisque cupiens fornicari vilescat sibi, et in seipso contemnat seipsum, non in se contemnat Christum, sed propter Christi reverentiam, cujus membrum est corpus ejus, contineat se ab hac turpitudine. Magnam enim injuriam, ma-

Digitized by Google

gnumque contemptum Christo faciet, si ei meretricem prætulerit, separans se ab eo et adhærens scorto. Vere fiunt membra meretricis, qui illi adhærent. Nam an *nescitis quoniam qui adhæret*, id est commiscetur, *meretrici, unum* cum ea *corpus efficitur?* Fornicatio enim ambos unum facit, ut quomodo in natura, sic in macula unum sint, dum per illam nequissimæ voluptatis adhæsionem duo unum corpus efficiuntur, id est in eodem scelere uniuntur. Vere unum corpus, quia una caro. *Erunt* enim, inquit liber Genesis, *duo in carne una* (*Gen.* II). Hoc etiam de legitime conjunctis dictum est. Et sicut in legitima copula duo per adhæsionem unum corpus efficiuntur et una caro, ita ut membra istius per consensum et delectationem carnalem fiant illius, sic est etiam in illicita adhæsione. Qui meretrici adhæret, unum cum ea corpus est; sed *qui adhæret Domino, unus spiritus est* cum eo. Diversus quidem natura spiritus hominis est et Spiritus Dei, sed inhærendo fit unus spiritus ex diversis duobus, ita ut sine humano spiritu beatus sit atque perfectus Dei spiritus, hominis autem spiritus non nisi cum Dei spiritu possit esse beatus. Tam potens vero est hæc humana mens, quæ est imago Dei, ut ei cujus imago est, valeat inhærere, quoniam sic ordinata est naturarum ordine, non locorum, ut supra illam non sit nisi ille. Cui cum penitus adhæserit, unus spiritus erit, accedente quidem ipsa ad participationem naturæ, veritatis et beatitudinis illius, non tamen crescente illo in natura, veritate et beatitudine sua. In illa utique cum ei feliciter adhæserit, immutabile videbit omne quod viderit, et tunc satiabitur in bonis desiderium ejus (*Psal.* CII).

« Fugite fornicationem. Omne enim peccatum « quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui « autem fornicatur, in corpus suum peccat. »

Ne fiatis unum cum meretrice corpus, sed unus cum Domino spiritus, *fugite fornicationem*. Non dico pugnate adversus eam; sed, fugite illam, quia cum aliis vitiis potest exspectari conflictus, hæc autem fugienda est, quia non aliter melius vinci potest. Ideo viri longe debent esse a feminis remoti, nec etiam mente huic vitio propinquare, si cupiunt victores fieri, et jure debetis hoc malum fugere, quia nullum peccatum in corpus lædit et deturpat, ut fornicatio. Quia *omne peccatum quodcunque fecerit homo*, id est ille qui ad peccandum ex sua fragilitate pronus est, quoniam de humo factus est, illud peccatum *est extra corpus*, id est extra maculationem corporis, videlicet ex omnibus aliis peccatis nulla deformitas vel inhonestas infertur corpori. Sed *qui fornicatur, peccat in corpus suum*, id est contra honorem corporis sui: hoc est, fornicatio intantum polluit corpus ipsum, intantum libidinis æstus accendit, inquantum venenum delectationis illicitæ sese per totum corpus diffundit. In aliis etiam peccatis omnia membra non sic idem appetunt, sicut in fornicatione. Et ideo hoc peccato magis homo deformatur, quoniam istud magis quam aliud in corde vagatur, et cuncta membra huic operi mancipantur. Vel omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, id est in omni appetitu peccati anima est extra naturam corporis, quia in suo sensu remanet, intelligens mala esse quæ agit. Sed qui fornicatur, in corpus suum peccat, quoniam in appetitu et operatione fornicationis sic peccat anima, ut redigatur in naturam sui corporis, quia nihil tunc cogitat, nihil sapit, nihil intendit nisi quæ carnis sunt. Sic enim totus homo absorbetur ab ipso et in ipso corpore, ut jam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro esse et spiritus vadens et non rediens (*Psal.* LXXVII), et ideo videtur Apostolus exaggerare fornicationis malum super cætera omnia peccata, quæ, etsi per corpus committuntur, non tamen animum humanum concupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum et obnoxium, sicut in solo opere fornicationis corporalis commiscetur animus et conglutinatur, devictus intantum, ut nihil aliud ipso momento et experimento hujus tam magni flagitii cogitare liceat homini vel intendere, nisi quod sibimet addicit. Unde merito in corpus suum peccare dicitur, quia nusquam sic totus homo corporis ipsius voluptati affigitur, ut in comparatione hujus tanti mali cætera peccata extra corpus esse videantur, etiamsi per corpus exerceantur, quoniam solius fornicationis vis tanta est, ut fornicans imperiosæ libidinis conditioni se subdat, propriumque ipsius corporis mancipium pessimum faciat in tempore ipsius immundissimæ operationis, ut sicut dictum est, non sit liberum humanæ menti cogitare vel intendere aliud, nisi quod agit in ipso corpore, et ita in corpus suum peccat, id est totus in corporis sui voluptatem miserabiliter demergitur in ipsa perpetratione peccati. Hæc dicta sunt de speciali fornicatione hujus corporis. Est autem et generalis fornicatio humanæ animæ, qua non adhærens quisque Deo, adhæret mundo. Cæterum Jacobus tales sic increpat: « Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Deo? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV). » Et de hac generali fornicatione mentis, quæ omnia in se mala continet, qua non hæretur Deo dum hæretur mundo, recte valet intelligi quod nunc dicitur, quia omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Quia si non fornicatur anima humana adhærens mundo, sed casta permanet adhærens Deo, quæcunque alia peccata vel ignorando, vel negligendo, vel obliviscendo, vel non intelligendo fragilitate mortalitatis potuerit incurrere, extra corpus erunt, id est corporalis et temporalis concupiscentiæ malum. Quod si adhærens mundo longe faciat se a Deo, peccat in corpus suum, quia corporali concupiscentia ad quæque temporalia et carnalia et carnali sensu et prudentia humanus animus trahitur atque distenditur, serviens creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I).

Digitized by Google

« An nescitis quoniam membra vestra templum « sunt Spiritus sancti (*II Cor.* VI; *supra* III), qui « in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis « pretio magno (*infra* IV; *I Petr.* I). Glorificate et « portate Deum in corpore vestro. »

Item ideo fugienda est fornicatio, quoniam membra vestra corporea sunt templum Spiritus sancti, et hoc *nescitis* qui fornicari volebatis? Nolite ergo putare quod Deus peccata carnis non curet. Graviter eum offenditis, si templum ejus, id est membra corporis vestri corrumpitis. Quomodo non vultis maculari domus vestras, sic nec Deus domum suam, id est corpus vestrum. Si vobis non parcitis propter vos ipsos, parcite vobis propter Deum, qui fecit vos templum suum. Graviter enim peccatis, si templum ejus quod est in vobis, corrumpitis. B *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Verum idem Spiritus apertissime declaratur esse Deus, quia nisi Deus esset templum utique non haberet. Nec minor est Christo, cujus templum sunt corpora vestra, quæ sunt membra Christi. Membra corporis vestri templum sunt Spiritus sancti, *qui in vobis est* tanquam Deus in templo suo, *quem habetis a Deo* Patre; et ita cavete ne offendatis Spiritum sanctum qui in vobis habitat, et Deum qui dedit vobis hunc Spiritum. Quia templum estis Spiritus sancti, ut ipse in vobis manens, omnia membra vestra gubernet et moveat ad bene agendum; *et non estis vestri*, ut facere vobis liceat quod vultis; sed estis ejus, qui sanguine suo vos emit, ut voluntatem ejus faciatis. Manifestum est enim, C quia qui emptus est, non est sui arbitrii, sed ejus a quo emptus est, ut non suam, sed illius faciat voluntatem. Ideo propensius servite Domino, qui vos emit de manu inimici, ne offensus a vobis, reddat vos eidem vastatori. Vere non estis vestri ad faciendum quidquid placuerit. quia *empti estis* ad Dei servitium *pretio magno*, id est sanguine ipsius Domini. Qui sanguis est pretium, non corporea quantitate, sed spirituali virtute et sanctitate magnum, quia nullum fuit in eo peccatum, sed omnis justitia; et ideo membra vestra quæ sunt templum Spiritus sancti, et sunt redempta pretio sanguinis Domini, cavete meretrici adjungere ad contumeliam Redemptoris et Spiritus sancti; sed potius *glorificate et* D *portate Deum in corpore vestro*, id est Spiritum sanctum in templo suo. Glorificare Deum, est secundum ejus legem vivere. Portare Deum, imaginem ejus in rebus bene gestis ostendere. Glorificate Deum bene operando, et portate Deum, jugum ejus super vos tollendo (*Matth.* II), et hoc facite in corpore vestro, id est in moderamine corporis vestri, ut nihil in vestro corpore notari possit quod ad Dei contumeliam spectet, quod non ejus gloriam commendet.

CAPUT VII.

« De quibus autem scripsistis mihi, bonum est « homini mulierem non tangere. Propter fornica- « tionem autem unusquisque suam uxorem ha- « beat, et unaquæque suum virum habeat (*I Petr.* III). « Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor « viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, « sed vir. Similiter autem et vir sui corporis pote- « statem non habet, sed mulier. Nolite fraudare « invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut « vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, « ne tentet vos Satanas propter incontinentiam ve- « stram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, « non secundum imperium. Volo autem omnes « homines esse sicut meipsum. Sed unusquisque « proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, « alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis : « Bonum est illis, si hic permanserint, sicut et ego. « Quod si non se continent, nubant. Melius est enim « nubere quam uri. »

Corinthii pravis sensibus pseudoapostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisim (ut puriores cæteris viderentur) spernendas dicebant, epistolam de his apostolo miserunt, ut quid ipse sentiret agnoscerent. Quia enim non oblectabantur hac sententia, ideo prætermissis cæteris, quæsierunt solummodo de nuptiis, et de his quæ ad has pertinere videbantur. Inter cætera enim per litteras quæsierunt, utrum post fidem Christi cœlibes esse deberent, et continentiæ causa quas habebant uxores dimitterent, aut si virgines credidissent, inirent matrimonia. Et cum e duobus ethnicis unus credidisset in Christum, utrum credens relinqueret non credentem. Et si essent ducendæ uxores, Christianas tantum accipi juberet, an et ethnicas. Videamus igitur quid ad hæc Apostolus rescripserit. Sed ita continuatur littera : Moneo vos glorificare et portare Deum in corpore vestro mundo et sancto. Sed de his *de quibus scripsistis mihi*, volo vos scire, quia *bonum est homini mulierem non tangere.* Unde patet quia malum est tangere. Nihil enim bono contrarium nisi malum. Si autem malum est et ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat Simulque animadvertenda est Apostoli prudentia. Non dixit : Bonum est uxorem non habere; sed : *Bonum est mulierem non tangere*, quasi et in tactu periculum sit, quasi qui illam tetigerit, non evadat. Quemadmodum enim qui ignem tetigerit, statim aduritur, ita viri tactus et feminæ sentit naturam suam, et diversitatem sexus intelligit. Bonum est non tangere. Sed *propter fornicationem* vitandam *unusquisque suam uxorem* legitimam *habeat*, non concubinam, *et unaquæque virum suum habeat.* Solus fornicationis metus facit hæc concedi. Velut si quis definiat : Bonum est triticeo pane vesci, et edere purissimam similam, tamen ne quis fame compulsus comedat stercus bovinum, concedo ei ut vescatur et hordeo, non ideo frumentum non habebit suam puritatem, si fimo hordeum præferatur, sicut nunc fornicationi nuptiæ præferuntur. Nec dixit : Propter fornicationem unusquisque ducat uxorem. Alioquin hac excusatione libidini frena laxaret, ut quotiescunque uxor moritur, toties ducenda sit alia ne

Digitized by Google

fornicemur : et qui continentiam promiserant, vel divinis auctoritatibus uxorem habere non possunt, viderentur ad hanc ducendam relaxari. Sed ait : Unusquisque uxorem suam habeat, suam scilicet, quam habebat antequam crederet. Quam bonum erat uxorem non tangere, et post fidem Christi sororem tantum nosse, non conjugem, nisi fornicatio tactum excusabilem faceret. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro.* Post quam semel sociati sunt conjuges, non licet uni ut se contineat sine voluntate alterius, sed debitum compari reddere cogitur, ne qui incontinens est, cadat in adulterii damnabile flagitium. Acceptabilis autem est Deo sola continendi voluntas ejus, qui continentiam servare vellet, sed propterea debitum reddit ne conjux pereat. *Mulier sui corporis potestatem non habet*, ut tradat illud alii viro, vel contineat se, sed in viri ejus potestate est corpus ejus. Sed *et vir similiter potestatem non habet sui corporis* ad aliam mulierem, vel ad continentiam, *sed mulier* habet illud in potestate. Hic non dominium tollitur viro, sed vitium. In hac enim re sunt ambo pares, ut neuter possit agere de corpore suo quod voluerit, id est de parte corporis qua sexus utriusque carnali sorte discernitur, sed in aliis rebus præest vir, et quia neuter habet potestatem proprii corporis, ergo *nolite fraudare invicem*, id est subtrahere alter alteri conjugale debitum, ne dissensio generet adulterium. Quod conjuges coeunt præter intentionem generationis, non est nuptiarum malum, sed veniale propter nuptiarum bonum, quod est tripartitum, fides, proles, sacramentum : Fides, ne cum alio vel cum alia coeatur. Proles, ut religiose educetur. Sacramentum, ne conjugium separetur. Nolite fraudare invicem, *nisi forte ex consensu*, id est ex conducto, *ad tempus*, id est aliquo sacratioris temporis spatio, *ut vacetis orationi*. Non enim valet infirmitas vestra complere (quod alibi præcipitur) ut sine intermissione oretis (*I Thes.* v), quia quotiescunque debitum adinvicem redditis, orare non potestis. Cum ergo semper orandum sit, nunquam esset conjugio serviendum. Sed quia non ad hoc sufficitis, saltem interpositis temporibus vos continete, ut orationi possitis insistere, quoniam orationis suffragio indigetis. Ne enim damnetur talis conjugum vita, deprecatio simplex ad Deum est fundenda ; et quamvis munda sint conjugia, tamen etiam a licitis abstinendum est, ut facilius ad effectum deducatur oratio. Nam et in lege sanctificari volentes, ab opere conjugali se continebant ut fierent sanctiores. Cum enim quis etiam concessa non contingit, ostendit se velle quod precatur accipere. Dixi ut propter orationem ad tempus consentiaris invicem servare continentiam, et expleto illius orationis tempore, *iterum revertimini in idipsum* opus conjugale, quia, etsi culpa est, tamen venialis est propter nuptias, et per hanc fornicatio vitatur (*Psal.* v). Concedenda est enim minima culpa, si aliter non potest declinari maxima. Revertimini in ipsum naturalem usum, A *ne Satanas*, id est diabolus vestræ salutis adversarius, *tentet vos* de fornicatione *propter incontinentiam vestram*, id est propter hoc quia vos continere non potestis. Si enim continentiam ambo servare possetis, tentatio Satanæ timenda non esset, quoniam adversus neutrum ex vobis prævaleret. Dico ut in idipsum revertamini, sed *hoc secundum indulgentiam, non secundum imperium*, quia hoc vobis indulgetur, non præcipitur ; et ideo non peccat qui aliter agit, imo peccat qui sic agit, sed levius. Non enim sine vitio est quod ignoscitur, et non præcipitur. Sed cum in dubiis constringimur, utiliter in minimis subdimur, ne in magnis peccemus. Culpa quippe esse invenitur, quod indulgeri perhibetur ; sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, si hoc quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Tunc enim solum conjuges sine culpa sunt in admistione, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Sed tamen et alia commistio quæ fit pro sola voluptate, veniam accepit propter nuptias. Hoc, inquit, vobis secundum indulgentiam infirmis permitto ; sed tamen *volo* (si possibile sit) *omnes homines esse sicut meipsum*, id est abstinentes ab omni concubitu, sicut ego abstineo. *Sed unusquisque* fidelium *habet proprium donum ex Deo, alius quidem sic*, id est ut sit omnino continens ; *alius vero sic*, id est, ut uxori copulatus nulli alii misceatur. Ubi satis apparet, non tantum continentiam donum Dei esse, sed conjugatorum etiam castitatem. Cum autem dona Dei esse monstrantur, a quo petenda sint, discitur, si non habentur ; et cui sint agendæ gratiæ, si habentur. Conjuncti quidem debitum reddant ; sed *non nuptis*, id est virginibus, *dico et viduis*, quia *bonum est illis, si sic permanserint sicut et ego*, id est castæ. Postquam nuptis concesserat usum conjugii, et ostenderat quid ipse vellet, quidve concederet, transit ad innuptas et ad viduas, et se ponit exemplum, et felices vocat si sic permanserint. Quomodo diceret : Bonum est innuptis si sic permanserint sicut et ego, nisi esset integer corpore? aut quomodo diceret : volo omnes homines esse sicut meipsum : Si enim uxorem habuit qui hoc dixit, ergo omnes homines uxoratos esse voluit, nullamque virginem esse. Sed absit ut suspicemur illum habuisse conjugem. Sic enim a puerilia fervebat spiritu, ut hujus rei curam non haberet, juvenculus a gratia Dei esset anticipatus. Ideoque vult omnes homines esse virgines sicut ipse est, et innuptas perseverare tales qualis ipse est. *Quod*, id est sed, *si non se continent*, id est si viderint se non posse incentiva carnis comprimere, *nubant*. Ideo autem non se continere valent, quia non toto corde id appetunt, et propterea non merentur adjuvari divinitus. Illum enim Deus adjuvat quem videt tota virtute contendere, nec sinit illum tentari supra vires proprias (*infra* x). Quæ ergo propter mentis imbecillitatem non possunt continere carnis impulsionem, nubant, ne in barathrum diaboli per forni-

Digitized by Google

cationem corruant. Nam *melius est nubere quam uri* ardore desideriorum carnalium. Sine culpa scilicet ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora devoverunt. Ideo autem melius est nubere, quia pejus est uri. Melius enim ad comparationem deterioris respicit, non ad simplicitatem incomparabilis per se boni, velut si dicatur : Melius est unum oculum habere quam nullum. Uri autem est desideriis carnis æstuare. Cum enim mens calori carnis consentit, uritur. Pati vero desideria et non vinci, illustris viri est et perfecti.

« His autem qui matrimonio juncti sunt præcipio « non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut « viro suo reconciliari. Et vir uxorem non di- « mittat (*Matth.* IX; *Marc.* X; *Luc.* XVI). »

Innuptis et viduis suadeo ut sic permaneant, sed *his qui sunt juncti matrimonio*, id est viris et feminis, qui jam copulati sunt in conjugio *non ego* præcipio, sed *Dominus* ipse per Evangelium præcipit *uxorem a viro non discedere. Quod*, id est sed, *si* ab eo *discesserit* ea causa qua Dominus permisit, id est propter fornicationem viri, præcepit eam Dominus *manere innuptam*, dum vir ejus vixerit ; *aut* si se non continet, *reconciliari* potius *viro suo* vel correpto, vel tolerando, quam alteri nubere, sed tamen particeps delicti mariti incorrepti fiet. *Et vir uxorem non dimittat*, quia si fornicata fuerit, non est uxor legitima. ideoque potest dimitti, et subintelligendum est idem de viro, quod de uxore præmissum est, ut si vir uxorem dimiserit ob fornicationem ejus, maneat inconjunctus; aut si se non potest continere, reconcilietur uxori suæ, vel correptæ vel tolerandæ. Tamen si correpta non fuerit, particeps fiet peccati ejus vir qui eam tenuerit. « Quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur (*supra* VI), » et ut Salomon ait : « Qui tenet adulteram, stultus est et insipiens (*Prov.* XVIII). » Hæc de his dicta sunt, qui post acceptionem Christianitatis sociati sunt in conjugio. De illos autem quos fides in conjugio invenerat, subditur :

« Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis « frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit « habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua « mulier fidelis habet virum infidelem, et hic con- « sentit habitare cum illa, non dimittat virum. San- « ctificatus est enim vir infidelis per mulierem fide- « lem, et sanctificata est mulier infidelis per virum « fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc « autem sancti sunt. »

Ubi uterque fidelis est, præcipit Dominus ne dissocientur. *Nam cæteris*, id est illis qui non ambo sunt fideles, sed unus credidit, alter in infidelitate permansit, *ego dico, non Dominus. Si quis frater*, etc. Quoniam ab infideli discedere nec prohibet, nec jubet Dominus, ideo ut non discedat : Apostolus dicit, non Dominus, habens utique Spiritum sanctum, in quo dare posset utile et fidele consilium.

A Quod utique monendum, non jubendum fuit, quia non tanto pondere prohibendi sunt homines facere licita quæ non expediant, quanto prohibentur illicita. Cum ergo ait : Ego dico, non Dominus, satis ostendit Dominum non prohibere quod ipse prohibebat. Itaque licitum erat per justitiam, sed etiam licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam, scilicet ut credens relinqueret non credentem, quia fortasse conversurus eum erat ad fidem. Prohibuisset autem Dominus, si esset illicitum. *Si quis frater*, id est Christianus, *habet uxorem infidelem*, cui sociatus sit antequam venisset ad fidem, *et hæc consentit habitare cum illo*, id est non abhorret eum propter fidem Christi, nec exsecratur quod Christianus est, *non dimittat illam*, quia et B ipsa postmodum fortasse fiet Christiana, si cum eo fuerit assidua. Jam enim aliquantulum facta est domestica, quod virum patitur Christianum. *Et* eo modo *si qua* Christiana *mulier habet virum infidelem*, cui sociata sit antequam crederet, *et hic consentit habitare cum illa*, quam scit Christianam, nec ideo adhorret illam, *non dimittat virum*, quia jam in aliquo domitus est. Hoc non præceptum, sed consilium est Apostoli et admonitio. Si quis vero aliter fecerit, non erit præcepti transgressor, sed Apostoli consilium non tenebit. Cum autem propter infidelitatem conjux dimitti possit, et juxta Domini sententiam dimitti nequeat nisi causa fornicationis, manifestum est et infidelitatem esse fornicationem. C Quia scilicet idololatria, quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, fornicatio est, Dominus autem permisit causa fornicationis conjugem dimitti (*Matth.* V, XIX). Sed quia permisit, non jussit, dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit, non dimittat infidelem, quia sic forsan fiet fidelis. Potest enim esse multorum occasio lucrandorum, si fideles conjuges in reliquendis infidelibus permissa licentia non utantur. *Sanctificatus est enim*, id est sanctus effectus est, *vir qui erat infidelis, per mulierem fidelem; et sanctificata est mulier*, quæ prius erat infidelis, *per virum fidelem*. Credendum est, quia jam provenerat ut nonnulli viri per uxores fideles, et feminæ per viros fideles in fidem venirent. Et quamvis non dicens nomina, exemplis tamen D hortatus est ad confirmandum consilium suum. Deinde subjecit : *Alioquin*, id est si dissociaretur conjugium vestrum, *filii vestri essent immundi*, id est spurii non legali copula nati. *Nunc autem sancti sunt*, id est mundi, quia vos in vestro conjugio manetis, jam enim erant parvuli Christiani, qui sine auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente, sanctificati erant baptismate. Quod non fieret, si uno credente dissociaretur conjugium, et non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Vel in eo quod dictum est, sanctificatus est vir infidelis, etc., potuit Apostolus per prophetiæ spiritum verbo præteriti temporis uti pro futuro, quoniam postea sæpe contigit ut alter per alterum ad fidem converteretur. Alioquin si alter

Digitized by Google

alteri non consentiret, filii vestri essent immundi. Sed nunc sancti sunt, quia de licito conjugio procreati, et sub Creatoris veneratione nati sunt ex majore parte, dum unus ex vobis esset Christianus, et alter ei consentiret. Nam sicut omne quod per dedicationem fit idolorum, immundum est; ita et quidquid sub Dei Creatoris professione fit, sanctum est. Sed quod nunc magis verba Apostoli videntur sonare, et quodammodo cogere, aliqua hic intelligenda est sanctificatio, qua sanctificabatur vir vel mulier infidelis in conjuge fideli, et qua sancti nascebantur filii fidelium (213*), sive quia in menstruo sanguine mulieris a concubitu continebat, quicunque vir vel femina id in lege didicerat (nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figurata accipienda sunt) sive propter aliam quamlibet, quæ ibi aperte proposita non est, ex ipsa necessitate conjugiorum atque filiorum sanctitatis asperginem. Illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana et ecclesiastica institutione sacramentis efficiantur fideles; nam nec conjuges infideles, quamlibet sanctis et justis conjugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ a regno Dei separatos in damnationem venire compellit, nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati.

« Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim « servituti subjectus est frater aut soror in hujus- « modi. In pace autem vocavit nos Deus. Unde « enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde « scis, vir, si mulierem salvam facies, nisi unicuique « sicut divisit Dominus? »

Fidelis non discedat ab infideli. Sed *si infidelis* vir aut mulier *discedit* odio fidei, discedat, permittatur discedere. Ideo dico, ut detur ei libertas abeundi, quia *non est subjectus servituti frater aut soror*, id est Christianus aut Christiana, *in hujusmodi* conjuge ut cogatur fidem dimittere, ne conjugem amittat infidelem. Sed quandiu possunt simul esse in pace, non separentur, quia *Deus nos* aversos a se *vocavit in pace*, id est dum essemus invicem concordes; et ideo causa vocationis ejus non debemus pacem rumpere, in qua nos ejus vocatio reperit; sed in ea, si fieri potest, manere, et vere manendum est in conjugali pace, nec expedit discedere, quamvis liceat. Quia *unde scis*, o mulier, *si virum* tuum *salvum facies*, convertens illum ad fidem, sicut jam sæpe sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem? *aut unde scis*, o *vir*, *si* tuam *mulierem salvam facies*, convertens illam ad Christum per cohabitationem et collocutionem et amicitiam tuam, sicut frequenter sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem? Quod enim in aliis jam factum est, forte et in vobis fiet, fortasse enim sunt crediturі, qui non abhorrent nomen Christi. Unde, inquam, scis si salvum facies comparem tuum, *nisi* ita te habeas ad eum *sicut Dominus divisit unicuique* id est viro præesse, uxori subesse. Vel, unde scis si eum salvabis, nisi quemadmodum Dominus divisit unicuique quando salvetur, id est præordinavit quando credat, et sustinet illum donec præfinita hora credulitatis ejus veniat? Sic et tu longanimiter expecta, ut credat.

« Unusquisque sicut vacavit Deus, ita ambulet, « et sicut in omnibus ecclesiis doceo. Circumcisus « aliquis vocatus est? non adducat præputium. In « præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. « Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed « observatio mandatorum Dei (*Galat.* v, vi). Unus- « quisque in qua vocatione vocatus est, in ea per- « maneat (*Ephes.* iv). Servus vocatus es? non sit « tibi curæ, sed et si potes fieri liber, magis utere. « Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus « est Domini. Similiter qui liber vocatus est, ser- « vus est Christi. Pretio empti estis (*supra* vi; *I Petr.* « i). Nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo « in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud « Deum. »

Nolite, inquam, ab invicem separari. Sed *sicut Deus vocavit unumquemque ita ambulet* qui vocatus est, id est si quando credidit, erat conjugatus vel circumcisus, aut præputiatus, talis permaneat et post baptismum, *sicut ego* non solummodo apud vos, sed etiam *in omnibus ecclesiis doceo*, et ideo tenendum vobis est quod omnes ecclesiæ tenent, nisi alium ritum quam omnes ecclesiæ tenere malueritis. Vere unusquisque debet ambulare ut vocatus est. Nam *circumcisus aliquis vocatus est*, id est si jam circumcisus erat quando ad fidem vocatus est, hic *non adducat præputium*, id est non ita vivat quasi præputium adduxerit; hoc est, quasi in eam partem quam nudavit, rursus tegimen carnis attraxerit, et quasi Judæus esse destiterit, ut scilicet factus Christianus non putet se dignum, quia non habet præputium, dans gloriam præputio, quasi valeat aliquid. Sed si et *in præputio aliquis vocatus est* ad fidem, et hic *non circumcidatur*, putans circumcisionem aliquid prodesse. Nam *circumcisio nihil est*, id est nec prodest, nec obest ad salutem; *et præputium nihil est*, nec impedit, nec expedit; *sed observatio mandatorum Dei* valet ad salutem. Nam sive circumcisus, sive præputiatus sit quisque, si mandata Dei custodierit, salvabitur; alioquin salvus esse non poterit. Nusquam Apostolus consuetudinem aufert, quæ servata non impedit, monet tamen ne in talibus spes salutis ponatur. Unde et dicit ea nihil esse, et post subjungit repetendo præmissam sententiam: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est*, id est in qua conditione vocationi non repugnante, *in ea permaneat*. Quod ad eas consuetudines vel vocationes vitæ retulit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus. Non enim sicut et latro erat quisque cum

(213*) Locus obscurus.

Digitized by Google

vocatus est, debet in latrocinio permanere. Dico ut in eadem conditione maneat. Nam si *servus vocatus es*, mane in eadem servitute. *Non sit tibi curæ* quod servus es, non inde doleas, non inde sollicitus sis, cupiens inde solvi. *Sed et si potes liber fieri, magis utere* servitute quasi re bona et utili. Servitus enim valet ad humilitatem servandam et ad patientiam exercendam, et qui in his terrenis bene servit intentione servandi justitiam et humilitatem, grande sibi meritum collocat apud Deum non respicientem conditiones hominum, sed mentes et actiones. Ideo quasi bonam rem amplectere servitutem nec putes non posse te placere Deo, si servis homini, quia *qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini*, id est Dominus Jesus liberavit eum a servitute peccati, quæ est deterior. Nam si peccata servos faciunt, cui peccata remittuntur, liber efficitur. *Similiter et qui* juxta sæculi conditionem *liber vocatus est* ad fidem, *servus est Christi*, ut ei serviat operando justitiam, et ita uterque est servus. Superbiam abscindit Apostolus et unitatem facit, ut neque servus pudore conditionis despectum se putet, neque liber inflatione mentis elatus servo se superponat. Vere servus est Christi quisquis ad fidem venit, etiam si liber apud homines judicatur, nam *pretio empti estis* omnes, id est sanguine Christi, quem pro vobis in cruce fudit, ut vos sibi servos emeret, qui eratis male liberi. Maximum namque crimen est, esse liberum a Deo; maximusque profectus, ex libero fieri servum Dei, et quia vos sibi servos emit, ideo servite illi soli, et *nolite fieri servi hominum*, ut propter homines postponatis Dei servitium, vel faciatis contra ejus præceptum. Hi sunt enim servi hominum, qui humanis superstitionibus se subjiciunt; qui tantum hominibus placere cupiunt, et Deo servire negligunt. Sicut antea fideles conjuges monuerat ne recederent ab infidelibus, ita servos quos in servitute fides invenit, hortatus est ne servitutem relinquere curarent. Nunc autem eos qui jam fidem perceperunt et semper liberi fuerunt, monet ut hominum servi amplius non fiant, ne forte retardentur a Dei servitio, si se humano subdiderunt obsequio. Unde et supradictam reiterat sententiam, dicens: *Unusquisque ergo frater in quo* subauditur statu *vocatus est, in hoc* statu *permaneat apud Deum*, id est in domo Dei, quæ est ecclesia. Id est si liber erat quando vocatus est, liber maneat; aut si servus, maneat. Non enim vocatio divina conditionem mutat, sed mores. Beatus autem Hieronymus aliter hæc interpretatur, et dicit quod ad superiorem disputationem, in qua docuerat Apostolus fidelem ab infidelibus non debere discedere, sed permanere in matrimonio sicut eos invenisset fides, et unum quemque vel cælibem vel maritum ita durare ut esset Christi baptismate deprehensus, infert parabolas circumcisi et ethnici, servi et liberi, et sub metaphora eorum de nuptis disputat et innuptis. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. Eo, inquit, tempore quo vocatus es et credidisti in Christo, si circumcisus ab uxore vocatus es et cælebs eras, noli ducere, hoc est noli adducere præputium, ne circumcisionis et pudicitiæ libertatem oneres sarcina nuptiarum. Rursum in præputio quis vocatus est, non circumcidatur. Habebas, inquit, uxorem cum credidisti? noli fidem Christi causam putare dissidii, quia in pace vocavit nos Deus. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Nihil enim prodest absque operibus cælibatus et nuptiæ, cum etiam fides quæ Christianorum est, si opera non habuerit mortua esse dicatur (*Jacob.* II), et hac lege virgines quoque Vestæ in sanctarum queant ordine numerari. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Quando credidit, inquit, sive habebat, sive non habebat uxorem, in eo permaneat quo vocatus est. Ac per hoc non tam virgines cogi nubere, quam repudia probibet; et sicut habentibus uxores tollit licentiam dimittendi eas, sic virginibus nubendi amputat facultatem. Servus vocatus es? non sit tibi curæ. Sed et si potes liber fieri, magis utere. Etiam si habes, inquit, uxorem, et illi alligatus es, et solvis debitum, et non habes tui corporis potestatem, atque (ut manifestius loquar) servus uxoris es, noli propter hoc habere tristitiam, nec de amissa virginitate suspires. Sed etiam si potes causas aliquas invenire dissidii, ut libertate pudicitiæ perfruaris, noli salutem tuam cum alterius interitu quærere. Habeto paulisper uxorem, nec præcurras morantem, sed exspecta dum sequitur. Si egeris patienter, conjux mutabitur in soro rem. Qui enim in Domino vocatus est servus, liber tus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Reddit causas cur nolit uxores deseri. Idcirco, ait, præcipio ut in Christum de gentilitate credentes inita ante fidem matrimonia non relinquant, quia si uxorem habens credidit, non tanto Dei servitio detinetur, quanto virgines et innuptæ, sed quodammodo est liberior, et servitutis illi frena laxantur, et dum uxoris est, ut ita dicam, libertus est Domini, pro quo, qui uxorem non ha bens credidit, et liber a servitute conjugii vocatus a Domino est, iste vere servus est Christi, non carne, sed Spiritu sancto. Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. Ac ne forsitan in eo quod supra dixerat servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed etsi potes liber fieri, magis utere, suggillasse continentiam videretur, infert sententiam quæ omnem amputet cavillationem: « Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. » Redempti sumus pretiosissimo Christi sanguine, immolatus est pro nobis Agnus, et aspersi calidissimo rore hyssopi omnem impetum noxiæ voluptatis excoximus. Quibus in baptismate mortuus est Pharao et universus ejus suffocatus exercitus, cur rursum Ægyptum quærimus? et post manna, angelorum cibo, allia et cepe et pepones et carnes varias suspiramus? Hæc Hieronymus: Maritorum vero et continentium dispu-

Digitized by Google

tatione præmissa, tandem Apostolus ad virgines venit, et ait.

« De virginibus autem præceptum Domini non « habeo, consilium autem do, tanquam misericor- « diam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Exi- « stimo enim hoc bonum esse propter instantem « necessitatem, quoniam bonum est homini sic « esse. »

De conjugatis dedi præceptum Domini, quod acceperam ex Evangelio, et subjeci consilium meum. Sed *de virginibus non habeo præceptum Domini*, quod vobis proferam, quia Dominus nulla præcepti necessitate virgines coegit sic permanere, sed in arbitrio voluntatis eorum posuit, ut si vellent nuberent, vel virgines permanerent. Nam majoris est mercedis quod non cogitur, sed offertur. Quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ; et durissimum erat contra naturam cogere, angelorumque vitam ab hominibus extorquere, et quodammodo damnare quod condidit. Si enim virginitatem Dominus imperasset, videbatur nuptias condemnare, et hominum auferre seminarium, unde et ipsa virginitas nascitur. Quæ si fuisset imperata, quisquis eam non servaret, damnaretur. Præceptum Domini de virginibus non habeo, *sed consilium do*. Quia ubi præceptum, ibi necessitas est servitutis; ubi vero consilium datur, ibi est arbitrium offerentis: ibi aliud facere non licet, hic autem licet, et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum. Majoris autem gratiæ est auferre quod non debes, quam reddere quod exigeris. Consilium do *tanquam* de præteritis meis erratibus *misericordiam a Domino consecutus, ut* deinceps *sim fidelis*. Vel hanc misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis, quia per Dei misericordiam mihi datum est, ut ab infidelitate exemptus sim fidelis; et ideo fidele est consilium quod do, et a Domino est, per cujus misericordiam fidelis sum. Vere do consilium, quia istud, quod *existimo bonum esse hoc*, id est virginitatem servare. Vel quia fidele possum dare consilium, ergo existimo bonum esse hoc, ut quicunque poterit, virgo permaneat; hoc, inquam, existimo bonum esse *propter instantem necessitatem*, quæ instat conjugia ineuntibus, quia deinceps semper necesse est illis cogitare de temporalibus, et tunc intumescunt uteri feminarum, atque cum maximo dolore parturiunt, et cum grandi labore nutriunt filios; ac deinde accidit frequenter, ut filiis orbentur et maritis, atque reliquum in egestate et calamitate ducant. Sed virginitatis observatio bona est, non solum propter supernam mercedem, sed etiam propter hujusmodi instantem necessitatem. Vel propter instantem necessitatem, quia necessitas instat omnibus, ut se præparent ad adventum judicis, quod conjuges minus facere possunt, dum curis mundanis occupantur. Propter hujusmodi necessitatem existimo bonum esse in virginitate manere, *quoniam bonum est homini sic esse*, id est in virginitate, quia non solum in futuro sæculo gloriam, sed et in præsenti requiem et libertatem habet virginitas.

« Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. « Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. »

Dixi quia bonum est homini sic esse, et tamen si *alligatus es uxori, noli quærere solutionem*, ut continenter vivas, quia non licet uxorem dimitti nisi causa fornicationis (*Matth.* v, 19). Sed si *solutus es ab uxore*, tunc accipe meum consilium ut non quæras uxorem. Habet unusquisque nostrum terminos suos, redde mihi meum, et tu tene tuum. Et si alligatus es uxori, ne des illi repudium; si solutus es, ne quæras vinculum. Ut ego non solvo conjugia, si semel ligata sunt, ita tu non liges, quod solutum est.

« Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si « nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem ta- « men carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis « parco. »

Dixi, ne quæras uxorem. Sed tamen *si acceperis uxorem, non peccasti*. Aliud est non peccare, aliud bene facere. Non enim male agit qui uxorem ducit, sed contra malam fornicationis actionem se munit. *Et si nupserit virgo, non peccavit*. Non illa virgo, quæ se semel Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt quam injustæ (*I Tim.* v). Ne autem videretur Apostolus in eo quod dixit: *Et si nupserit virgo, non peccavit*, rursum cælibes ad nuptias revocare, statim se refrenavit, et aliud inferendo infirmavit, quod concesserat, ac deterruit a nuptiis, dicens: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, id est licet non peccent qui conjugia sortiuntur, tamen levius sine conjugio possunt vivere, quia tribulationem carnis habebunt qui sunt hujusmodi, et nos ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus et in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant, cum et in spiritu et in anima et in ipsa carne tribulatio sit? Nam et majores tribulationes hi frequenter ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. Tribulationem habebunt. Sed *ego* dum consulo vitare hanc, *parco vobis*, id est nolo vos illam sentire, sed immunes ab ea esse. Vel parco vobis, id est ostendo sic carnis tribulationem, quasi non majora sint propter quæ nubere non debeatis.

« Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est. Re- « liquum est ut qui habent uxores, tanquam non « habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; « et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui « emunt tanquam non possidentes; et qui utuntur « hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim « figura hujus mundi. »

Quandoquidem parco vobis a tribulatione, ut non eam per nuptiarum implicamenta sustinere cogamini, *itaque, fratres, hoc dico vobis*, quia *tempus* vitæ

Digitized by Google

præsentis *breve est;* nec adhuc populus Dei propagandus est generatione carnali, sed jam recolligendus regeneratione spirituali, quoniam omnia in brevi finientur. *Reliquum est*, id est hoc solum restat agendum *ut et qui habent uxores*, etc. Uxorem namque habet, sed quasi non habens est, qui scit sic debita carnis exsolvere, ut tamen per ea mundo tota mente non cogatur inhærere. Nam cum Apostolus iste rursum dicat : Qui habet uxorem, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori; ille uxorem habet, quasi non habens, qui sic studet placere conjugi, ut tamen non displiceat Conditori. Flet quoque, sed quasi non fleat, qui sic temporalibus damnis affligitur, ut tamen de æternis lucris animum semper consoletur. Gaudet vero, sed quasi non gaudeat, qui sic de temporalibus hilarescit, ut tamen semper perpetua tormenta consideret; et in hoc quod mentem gaudio sublevat, hanc continuo pondere providi timoris premat. Uxorem, inquam, habet quasi non habendo, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Uxorem quasi non habendo habet, qui hæc transitoria esse conspiciens curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia ex desiderio spiritus exspectat. Non flendo autem flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit internæ spei consolatione gaudere; et rursum, non gaudendo gaudere, est sic de infimis animum tollere, ut tamen nunquam desinat summa formidare. Emit autem sed quasi non possidet, qui ad usum terrena præparat, et tamen cogitatione alta prævidet, quod citius hæc relinquat. Mundo quoque utitur, sed quasi non utatur, qui et necessaria cuncta exterius ad vitæ suæ ministerium redigit, et tamen hæc non sinit suæ menti dominari, ut subjecta foris serviant, et nunquam intentionem animi ad alia tendentis frangant. Quicunque igitur tales sunt, eis profecto terrena omnia non ad desiderium, sed ad usum adsunt, quia rebus quidem necessariis utuntur, sed nihil habere cum peccato cupiunt. De ipsis quoque rebus habitis quotidie mercedes quærunt, et plus gaudent bono opere quam bona possessione. Taliter, inquit, agere debetis, *præterit enim figura hujus mundi.* Ac si aperte diceret : Nolite constanter mundum diligere, quando ipse non potest quem diligitis, stare (*I Joan.* II). Incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse quem amatis; et si mundus transit quo universa clauduntur, imo figura et conversatio hæc mundi quasi nubes præterit, inter cætera mundi opera et nuptiæ præteribunt (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX). Neque enim post resurrectionem erunt conjugia. Si autem mors finis est nuptiarum, cur necessitatem in voluntatem non vertimus : et quod invitis extorquendum est, cum spe præmiorum offerimus Deo? Præterit figura mundi, non natura, ut in aliam speciem mundus vertatur, et de hoc veteri cœlo ac terra fiat cœlum novum et terra nova (*Isa.* XXV, LXVI; *II Petr.* III; *Apoc.* XXI). Tunc enim figura mundi quotidie senescentis perfecte præteribit, quando conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, atque ipsa mundi substantia qualitates habere incipiet, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.

« Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine « uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quo- « modo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sol- « licitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxo- « ri, et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogi- « tat, quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et « spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt « mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad uti- « litatem vestram dico, non ut laqueum vobis inji- « ciam; sed ut ad id quod honestum est, et quod « facultatem præbeat sine impedimento Dominum « obsecrandi. »

Mundi forma præterit, et hæc omnia temporalia. Sed ego *volo vos esse sine sollicitudine* temporalium, quam habent conjugati, ut possitis libera mente divinis intendere. Nam *qui sine uxore est, sollicitus est* eorum *quæ sunt Domini*, id est studet jejuniis et orationibus, humilitati ac misericordiæ cæterisque virtutibus, cogitans *quomodo placeat Deo*, faciens ea quæ sunt illi grata. Sed *qui cum uxore est, sollicitus est* eorum *quæ sunt mundi*, ut habeat unde pascat uxorem et filios, id est studet multiplicare divitias, et vineas agrosque fertiles et amplos habere, variamque supellectilem possidere, intendens *quomodo* per hæc *placeat uxori, et divisus est*, id est in multas partes sollicitudinum miseriarumque distractus. Vel divisus est, quia singulariter Domino non servit, sed partim Domino, partim sæculo. Ex conjugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt, et idcirco vitam cœlibem quisque magis debet eligere, ne propter conjugium cogatur sollicitudinibus mundanis intentus esse. Bonum est enim conjugium, sed mala sunt quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt; et ideo nunc Apostolus cum ad cælibatus gratiam instrueret, non conjugium sprevit, sed curas mundi nascentes ex conjugio repulit. Et quemadmodum de viro dictum est, simili modo et de femina constat, quia *mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt.* Non omnis innupta et virgo est, quæ autem virgo, utique et innupta est. Hinc post mulierem posuit nunc Apostolus virginem, ut mulierem significaret non esse virginem. Quanquam ob elegantiam dictionis potuerit idipsum altero verbo repetere, mulier innupta et virgo; vel certe definire voluisse, quid esset innupta et virgo, ne et meretrices putaremus innuptas, nulli certo matrimonio copulatas. Innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt. Non jam cogitat temporalia nec cogitat quemadmodum non puniatur a Deo, sed quemadmodum placeat Deo pulchritudine interiore, decore

Digitized by Google

mentis, formositate interioris hominis. Ut nihil aliud esset, et nulla merces amplior virginem sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt, et ornare se sponso cœlesti. Cogitat *ut sit sancta corpore et spiritu*, id est carne et mente : Nonnullæ enim sunt virgines carne, non spiritu, quarum corpus integrum est et anima corrupta. Sed illa virginitas hostia Christi est, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculaverit. Est enim sancta corpore et spiritu. Non quod nupta fidelis et casta et secundum scriptum subdita viro, non sit sancta corpore, sed tantummodo spiritu. Fieri enim non potest ut sanctificato spiritu, non sit sanctum etiam corpus, quo sanctificatus utitur spiritus. Sed ampliorem innuptarum et in corpore et in spiritu sanctificationem Apostolus his verbis intelligi voluit, non corpus nuptarum omni sanctificatione privavit. Minor est enim divina sanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas. Innupta, id est vidua, et virgo cogitat quæ Dei sunt. Sed *quæ* nupta est, *cogitat* econtrario ea *quæ mundi sunt*, studens *quomodo placeat viro*. Lege enim maritali contristata, sollicita est quomodo impleat jus maritalis officii, subdita mundanis necessitatibus. Quidquid itaque intentionis animi etiam in his rebus impenderetur quibus placendum esset viro, colligere quodammodo et redigere debet innupta in eam intentionem, qua placendum est Deo. Sed videmus virgines de sæculo cogitare et matrimonio junctas Dominicis operibus studere. His virginibus non imputabitur sanctimonia a Deo, et his nuptis erit merces apud Deum. Similiter et de viris sentiendum est. Apostolus autem his loquitur, qui mira devotione obsequi desiderant cœlestibus præceptis, ostendens quo compendio citius curritur ad Deum, scilicet si cœlibem vitam quis ducat, et solis divinis studeat. Qui ne forsitan putaretur onus gravissimum castitatis imponere nolentibus statim subjungit causas suadendi, et ait : *Porro hoc dico*, continentiam suadeo, *ad utilitatem vestram*, id est ut majorem apud Deum mercedem acquiratis, et levius in hoc sæculo vivatis, *non ut injiciam vobis laqueum*, id est non ut invitos vos ad hoc constringam, et laqueus iste sit vobis occasio fornicationis, si incontinentes fueritis, *sed* suadeo *ad id quod honestum*, decorum, *est*, id est sanctum et mundum, ut scilicet, homo sit corpore castus et animo : non quia conjugium sit inhonestum aut turpe, sed quia hoc honestius sit, et suadeo ad *id quod præbeat facultatem obsecrandi Dominum sine impedimento*, quod non est in conjugio, vel obsecrandi Dominum sine impedimento conjugalis operis.

« Si quis autem turpem se videri existimat super « virgine sua, quod sit superadulta, et ita oportet « fieri, quod vult, faciat : non peccat, si nubat. « Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens « necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem « suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit « virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit. »

Sicut de virginibus determinavit, sic et de patribus virginum determinat. Ego, inquit, ad cælibatum provoco, quia hoc est honestius et expeditius. Sed *si quis* habens filiam virginem *existimat*, id est timet *se* quandoque *videri turpem*, id est infamem, super, id est de *virgine sua*, *eo quod sit superadulta*, id est ultra pubertatem et ad nubendum jamdiu matura, *et ita oportet fieri*, id est oportet eam tradi nuptiis, quia non vult se continere, atque in verbis ejus et actibus lascivia notatur, propter vitandum fornicationis opprobrium, *faciat* pater *quod* illa *vult*, id est tradat eam marito, quia *non peccat* ipse *si* illa *nubat*, cum sit jam superadulta et in desiderio nuptiarum. Ideo dico, si ita oportet fieri, non peccat, si eam tradat viro, quia qui non dat, sed in sanctimonia conservat, bene facit. Aliud est autem non peccare, aliud bene facere. « Declina, inquit, a malo et fac bonum (*Psal.* xxx, 6). » Illud declinamus, hoc sequimur; in altero vitium, in altero perfectio. Et hoc est, ille prædictus non peccat, id est non facit malum : *nam* iste de quo subjungo, faciet bonum : *Qui firmus*, id est constans et immutabilis, *statuit in corde suo*, id est proposuit in consilio suæ rationis servare virginem suam in perseverantia virginitatis, *non habens necessitatem* tradendi eam viro, cum illa non id optaret, sed *habens potestatem suæ voluntatis* implendæ, cum virgo non adversaretur, sed assentiretur huic paternæ voluntati ut integra perseveraret, *et hoc* ille *judicavit in corde suo*, id est ex judicio mentis bonum esse decrevit, et ex deliberatione rationis instituit *servare* intactam *virginem suam*, non tantum non peccavit in hoc, sed etiam *bene facit*, quia quod Deo gratum est facit. Vel nomine virginis intelligatur caro. Si quis, inquit, considerat virginem suam, id est carnem lascivire et ebullire in libidinem, neque refrenare se potest, duplexque ei incumbit necessitas, aut accipiendæ conjugis aut ruendi, quod vult faciat; non peccat si ducat uxorem. Faciat quod vult, non quod debet. Non peccat, si duxerit uxorem; non tamen bene facit si duxerit. Nam qui statuit in corde suo firmus servare virginem suam, id est carnem in virginitate, ille bene facit. Deinde ab utroque, infert Apostolus : Quandoquidem non peccat qui eam tradit viro quam oportet tradi, et bene facit qui eam servat quam potest servare, *igitur et qui virginem suam jungit matrimonio bene facit*, quia licitum est quod facit; *et qui non jungit*, cum habeat potestatem voluntatis suæ, *melius facit*, quia apud Deum illi meritum collocat, et a sæculi sollicitudine illam liberat. Nisi illaturus fuisset, melius facit, nunquam præmisisset bene facit. Ubi autem bonum melius est, ibi boni et melioris non unum est præmium. Et ubi non unum præmium, ibi utique dona diversa. Tantum ergo est inter nuptias et virginitatem, quantum inter non peccare et bene facere; imo ut levius dicam, quantum inter

Digitized by Google

bonum et melius. Finita disputatione conjugiorum et virginitatis, et inter utrumque cauto moderamine præceptorum, ut nec ad dexteram nec ad sinistram diverteret, sed via regia graderetur (*I Reg.* VI; *II Reg.* XIV; *IV Reg.* XXII), et illud impleret : Ne sis multum justus (*Eccl.* VII), rursus monogamiam digamiæ comparat; et quomodo nuptias subdiderat virginitati ita digamiam primis nuptiis subjicit, et ait :

« Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus « vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est a « lege (*Rom.* VII). Cui autem vult nubat, tantum in « Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit « secundum meum consilium. Puto autem quod et « ego Spiritum Dei habeam. »

Non est peccatum si virgo nupserit. Sed quæ vult nubere, audiat legem cui vult se subdere. *Mulier* enim *alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*, nec potest a lege viri solvi ut alteri nubat dum ille vixerit. Hæc namque alligatio non solvitur, etiam si per repudium adultera conjux a casto conjuge separetur, nec habet licentiam ut alteri nubat, quandiu sive castus sive mœchus vir ejus vivit. *Quod*, id est sed, *si dormierit*, id est si mortis somnum gustaverit *vir ejus*, qui in resurrectione est evigilaturus, *liberata est a lege* ejus, ut possit alii nubere, si se non possit continere. Si dormierit, liberata est. Non dixit primus aut secundus, nec tertius aut quotuslibet, nec nobis definiendum est, quod non diffinivit Apostolus. Unde nec illas nuptias debemus damnare, nec eis verecundiam numerositatis afferre. Nam nec Dominus in Evangelio ulla suæ sententiæ significatione damnavit mulierem quæ septem viros habuisse dicebatur (*Matth.* XXII), nec dixit in resurrectione electorum tales esse non posse. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo, inquit Augustinus, dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat femina, nec ex meo corde præter sanctæ Scripturæ auctoritatem, quotaslibet nuptias audeo condemnare. *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Id est ut et sine suspicione turpitudinis nubat, et religionis suæ viro nubat. Neque enim vel virgo vel vidua permittitur gentili viro nubere. Dico nubat. Sed tamen *beatior erit, si sic* innupta *permanserit* post viri mortem *secundum consilium meum*. Beatior erit, si vidua permanserit, quia etiam si iterum nupserit, beata esse poterit servando justitiam. Beatior, inquit, erit, si sic permanserit. Continuo subjungit apostolicam auctoritatem, secundum meum consilium. Porro ne auctoritas Apostoli quasi hominis levior videretur, addidit : *Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.* Ubi ad continentiam provocat, ibi non hominis, sed Spiritus Dei consilium est; ubi autem nubendi veniam dat, Spiritum Dei non nominat, sed prudentiæ librat consilium, ita singulis relaxatis, ut unusquisque ferre potest. Do consilium. Sed nolite hoc velut humanum contemnere, quia puto quod ego sicut alii apostoli, Spiritum Dei habeam. Id est nolite putare quia ex me hoc ipsum sit. Quod dico, Spiritus Dei in me loquitur, quem contemni non expedit. Quod Apostolus dixit : *Puto*, dubitare videtur; sed ille increpat, non dubitat. Increpat contemptores suos, qui non putabant eum ista loqui per Spiritum Dei. Nam et homines de his rebus quas certas habent, aliquando increpative dubitant, id est verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitent, velut si quis indignetur et dicat servo suo : Contemnis me? Considera, forsitan dominus tuus sum. Sic et Salvator non dubitat, sed increpat, cum dicit Judæis : « Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi (*Joan.* V). » Non dubitative, sed increpative dixit, forsitan.

CAPUT VIII.

« De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus « quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, « charitas vero ædificat. Si quis autem se existimat « scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum « oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, « hic cognitus est ab eo. »

Ingreditur illos corrigere, qui carnes idolis immolatas edebant, dicentes : Omnis creatura Dei bona est, idolum vero nihil est, et hac imagine magis quam veritate rationis errabant. Nam cæteri qui simplices erant et idiotæ, dum viderent istos idolothyta comedere, putabant in illis carnibus aliquid sanctitatis esse, sicque infirmabantur in fide (*I Tim.* IV). De nuptiis, inquit, et cæteris quæ sunt hactenus tractata, quæsistis et docui : sed *de his quæ sacrificantur idolis*, non fuit opus quærere, quia de his scitis ut ego, quoniam *omnes scientiam* istam *habemus*. Perfectioribus loquitur, qui in sua scientia aliis erant scandalum id est idiotis, quia bene sciebant idolum nihil esse, et nullum Deum præter Christum esse, ideoque licebat eis quantum ad se, creaturam Dei comedere; sed tamen abstinere debebant, ne fierent infirmis causa offensionis; quod enim illi per hujusmodi scientiam comedebant, alii ignari sub veneratione idoli manducabant. Scientiam habemus tam ego quam vos, quid fieri possit de carnibus immolatis. Sed non valet hæc *scientia*, quoniam *inflat*, id est facit vos superbire contra ignaros. Sed *charitas ædificat* infirmos, quæ quod eis obesse potest, dimittit; et ideo charitatem habere melius est, non ventosam scientiam. Nam scientia inflat, charitas autem ædificat, quia cum charitas ædificando non erigit, scientia inflando pervertit. Per se enim inutilis est scientia quando sola sine charitate est; sed per charitatem utilis, quando ei charitas adjuncta est. Temperatur enim a charitate, ut non satis mera sit, et inebriet scientem, ut non se extollat. Sicut enim vinum non temperatum ex mistione aquæ mentem alienat, sic et superbum facit scientia, nisi charitate fuerit temperata. Tali scientia hi erant inflati, qui quoniam sciebant nihil esse idolum, contra salutem fratrum imperitorum, carnes sacrificiorum edebant, charitatem præ oculis non habentes, quia debuissent car-

Digitized by Google

nec contemnere, ne scandalum infirmis facerent. Scientia namque eorum destruebat animos imperitorum fratrum, putantium illic apud idolum aliquam gratiam, quando peritiores fratres interesse ibi et non horrere videbant; et ob hoc ait: Charitas ædificat, ut saluti fratrum studentes, scientiæ legibus illic non uterentur, nec scandalum illis faceerent. Scientia enim sine charitate inflat, quod vero charitas ædificando impleverit, nihil ibi inane inveniet scientia quod inflet. Scientia, inquit, vos inflat, ut despiciatis cæteros, et ideo non est utilis nec perfecta scientia. Nam *si quis* vestrum *existimat se* in hac re *aliquid scire*, *nondum cognovit* quomodo debeat *scire*; et ita non sufficienter scit, quamvis de scientia glorietur, et si scit quod liceat sibi carnibus vesci, non novit quod ipse debet illa scientia sic uti, ne noceat aliis. Ita enim quisque debet scire, ut scientia sua sibi et aliis prosit, non ut noceat. Nam qui per hujusmodi scientiam idolothyta comedit, scientia et comestio ejus ad subversionem infirmorum fratrum, et ad confirmationem infidelium proficit; et ideo non ita scit ut oportet. Sed *si quis diligit Deum*, ad cujus dilectionem non potest pervenire nisi dilexerit proximum, *hic est cognitus*, id est probatus et electus *ab eo*. Dei enim dilectio in proximi dilectione probatur (*Rom.* XIV), quia qui studet fratri prodesse, pro quo Christus mortuus est, ostendit se Christum diligere; et ideo dignus est ut Deus illum dignetur cognoscere, qui reprobis dicit: « Nescio vos (*Matth.* VII, 23). »

« De escis autem quæ idolis immolantur, scimus « quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus « est Deus nisi unus. Nam, et si sunt qui dicantur « dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt dii « multi et domini multi, nobis tamen unus est Deus « Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus « Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos « per ipsum (*Exod.* XX; *Psal.* LXXXI; *Joan.* X.) »

Quoniam propter interpositionem non potuit exponere quid scirent de escis immolatis, facta interpositione, et ostenso quod scientia sine charitate non sufficit, nec est utilis, sed noxia, redit ad rem, et exponit quid ipsi sciant de carnibus immolatitiis, propter quod licere sibi judicabant eas comedere. Qui de scientia gloriatur, non novit quomodo oporteat eum scire. Sed *de escis quæ immolantur idolis*, scit ipse et nos quod licitæ sunt ad comedendum intelligentibus. Vel de escis quæ immolantur idolis, *scimus*, id est scientiam istam habemus, quod scilicet nihil est idolum; et ideo licet escas manducare, quia non sunt ab idolis contaminatæ, cum idolum sit nihil. Idolum est simulacrum humana effigie vel belluina seu volucrina factum et consecratum, juxta vocabuli sui interpretationem; εἶδος enim Græce, Latine *forma* seu *species* interpretatur: et inde per diminutionem dicitur εἴδωλον, id est *formula* et quia idolum, ut Apostolus nunc dicit nihil est, idolum facit, qui illud facit, quod non est. Quid est autem quod non est? Species quam non videt oculus, sed ipse sibi animus fingit, verbi gratia, ut si quis humanis membris caput canis vel arietis formet, aut rursum in uno hominis habitu facies duas fingat vel humano pectori postremas partes equi seu piscis adjungat. Hæc et his similia qui facit, non similitudinem, sed idolum facit. Facit enim quod non est, nec habet aliquid simile, et idcirco Apostolus dicit: *quia nihil est idolum in mundo*, id est inter creaturas mundi. Si enim consideremus omnes creaturas, quas Deus fecit, nunquam inveniemus idolum a Deo sic creatum. Materiam quidem ipse creavit, sed stultitia hominum hanc ei formam dedit, ideo secundum hoc quod a Deo non est factum, nihil est, cum omnia Deus fecerit. Nam et malum simili ratione nihil est, quia Deus illud non fecit. Vel ad salutem nihil est idolum, sicut stulti putant qui ideo colunt illud, ut salutem aliquam illis conferat. Sed et quantum ad divinitatem, nihil est idolum, id est nihil divinitatis in se habet, ut coli debeat. Hoc scimus, *et quod nullus est Deus nisi unus* qui est incommutabilis Trinitas et vere unus tantum (*Joan.* X). *Nam etsi sunt qui dicantur dii*, id est qui nuncupative, non essentialiter dii vocantur quos Deus eis participationem sui per gratiam dedit, *sive in cœlo*, sicut beati angeli; *sive in terra*, sicut prophetæ et apostoli: *siquidem sunt dii multi* tales, sicut angelici spiritus et sacerdotes: *et domini multi* sunt illi spiritus, qui vocantur dominationes; et prædicatores, qui nonnunquam in Scripturis appellantur domini: aut etiam sæculares principes, qui dominium exercent super cæteros, quamvis, inquam, sint tales dii et domini, nobis tamen quantum ad cultum pertinet, unus solummodo Deus et Dominus est. Non enim angelos vel homines sanctos, quamvis dii vocentur, colimus ut deos aut dominos. *Nobis tamen* ad colendum *est unus Deus Pater*, *ex quo* sunt *omnia*, id est ex cujus bonitate et consilio processerunt omnia, *et nos* fideles *in illum* respicimus. Bruta namque animalia et infideles homines in terram curvantur et terrena quærunt; nos vero per fidem et desiderium tendimus in eum, a quo descendimus. Et est nobis ad colendum *unus Dominus Jesus Christus*, *per quem* sunt *omnia*, quoniam sicut et Joannes asserit: « Omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I), » *et nos per ipsum* sumus non solum homines, sicut et cæteri, sed etiam boni ac sapientes. Ubi et spiritus Patris et Filii similiter colendus nobis intelligitur. Sed quia de diis et dominis loquebatur Apostolus, dixit nobis esse unum Deum Patrem et unum Dominum Filium, quanquam et Filius sit Deus, atque Pater sit Dominus. Ad illa enim duo, id est ad deos et dominos, subjecit ista duo, et idcirco tertium non addidit, id est Spiritum sanctum.

« Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli quasi idolothytum manducant: et conscientia ipsorum « cum sit infirma, polluitur. »

Nos quidem scimus quia nihil est idolum, et quod

Digitized by Google

nullus deus nisi una Trinitas creatrix omnium quam colimus ; *sed non in omnibus est* ista *scientia*, id est non omnes hoc sciunt, sed nonnulli putant aliquid numinis esse in idolis. Non omnes hoc sciunt, sed potius *quidam* sunt inter vos, *qui usque nunc cum conscientia idoli*, id est etiam nunc sicut ante conversionem, putantes idolum esse aliquid, manducant cibum idolo sacrificatum, quasi idolothytum, id est quasi per consecrationem idolo sanctificatum, et in spiritualem potentiam mutatum. Idolothytum enim dicitur, quasi idolo datum. Conscientia illorum est idoli, id est ab idolo possessa, usque nunc, id est etiam postquam ad fidem accesserunt, quia necdum ab errore idoli mentem suam penitus abstraxerunt, et *quasi idolothytum*, id est quasi idolo consecratum, manducant cibum illum cum reverentia idoli; *et sic conscientia ipsorum polluitur* contaminatione idoli, non propter cibum, sed propter infirmitatem suam: quia infirma est in fide, dum periclitantur ignari in vestra scientia, dum cibos quos a vobis comedi vident, comedunt exemplo vestro vel auctoritate. Mystice vero Corinthii, quoniam studiosi litterarum Græcarum erant et amatores philosophiæ, dogmata philosophorum quasi idolis immolata comedebant (*infra* x). Quæ tamen fortasse lædere non poterant eos qui plenam scientiam veritatis acceperant. Qui autem in Christo minus eruditi fuerant, si imitarentur eos legentes talia, et illis adhuc studiis operam dantes, vulnerari poterant, et diversorum dogmatum variis erroribus implicari. Sic ergo fieri poterat, ut inde læderentur indocti, unde qui perfectam scientiam habebant, lædi nequibant. Sed quoniam charitas non quærit quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant, abstinendum nobis est a tali cibo doctrinæ, qui nos solos ædificat et delectat, sed proximos offendit et lædit. Sicut enim sermo qui pietatem et justitiam et veritatem docet, Deo immolatus est, id est Deo consecratus ; ita et sermo qui ad impietatem et injustitiam et errorem respicit idolis immolatus est. Et qui eum recipit, quasi idolis immolata comedit. Sed juxta priorem sensum, videamus sequentia.

« Esca autem nos non commendat Deo. Neque « enim si manducaverimus, abundabimus ; neque si « non manducaverimus, deficiemus. »

Infirmi læduntur nostra comestione. Sed *nos non commendat Deo esca* illa, quia non ideo placemus Deo, quod escam idolis immolatam comedimus pro eo quod nobis hanc esse licitam novimus, et idcirco respuenda est talis esca. Hac enim contempta, non utique deerit quod edatur. Si autem sumpta fuerit, non abundabit ita ut nihil ultra requiratur. Ac per hoc, ut diximus, abjicienda est, cum sit fratribus scandalum, et nos sine illa possimus vivere. Vel non commendat nos Deo, ut per hanc simus acceptabiliores ei, quia *si manducaverimus eam*, non idcirco *abundabimus* in bono, ut sufficiat nobis ad salutem, neque *si non manducaverimus*, ideo *deficiemus*, id est non minuetur nostrum meritum apud Deum.

« Videte autem ne forte hæc licentia vestra offen- « diculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum « qui habet scientiam, in idolio recumbentem : non « ne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur « ad manducandum idolothyta; et peribit infirmus « in tua scientia frater, propter quem Christus mor- « tuus est? Sic autem peccantes in fratres, et per- « cutientes conscientiam eorum infirmam, in Chri- « stum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fra- « trem meum, non manducabo carnem in æternum, « ne fratrem meum scandalizem (*Rom.* XIV). »

Vobis quidem licet edere de carnibus immolatis, quia scitis eas esse creaturam Dei, idolum autem nihil esse. *Sed videte ne forte hæc licentia vestra fiat offendiculum infirmis* in fide, id est ne generet offensionem fratribus, qui adhuc nesciunt idolum nihil esse. Per hoc quod dicit, *ne forte*, ostendit quod ex licentia eorum potest infirmis fratribus offendiculum contingere et non contingere. Et per hoc innuit, quia ubi nullum est offendiculum alicui, possunt uti licitis ; ubi vero est offendiculum, ostendit omnino abstinendum. Cum enim prava æstimatio, in quantum sine peccato valet, ab intuentium mente non tergitur, cunctis mala credentibus per exemplum culpa propinatur. Unde et plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciant, sed tamen per eos qui se imitati fuerint, multiplicius delinquant ; et ideo recte nunc isti qui cibos immundos sine sui pollutione comedere poterant, admonentur ne sua hac comestione scandalum tentationis fratribus infirmis moveant. Nam possunt inde fratribus scandalum facere. *Si enim quis* infirmus, nondum sciens idolum nihil esse, viderit eum qui habet rectam scientiam, qua novit idolum nihil esse *recumbentem in idolio*, id est comedentem cum infidelibus carnes immolatas in præsentia idoli, *nonne* exemplo periti *conscientia* ignari, *cum sit infirma*, ædificabitur, id est erigetur *ad manducandum idolothyta*, id est quasi ab idolo sanctificata, putans illic aliquid gratiæ esse, quia peritum fratrem vidit ea comedere nec horrere ? Quomodo enim putatis simulacris decipi posse homines, quæ a Christianis honorari putant ? Nam pagani dicunt in cordibus suis : Quare nos relinquamus deos quos Christiani ibi nobiscum colunt ? Et infirmi fratres provocantur, ut non solum ibi manducare, sed et sacrificare desiderent. Idolium est locus in quo idolis immolatur, et infirmus si quemlibet doctum viderit ibi cum infidelibus edere, putabit eum intelligere cibos illos aliquam sanctificationem ab idolo sumpsisse, et tali mente incipiet illos comedere, *et ita peribit infirmus frater in tua scientia*, quem viderit taliter recumbentem, peribit infirmus, si contra unius Dei fidem comederit de sacrificatis, peribit in tua scientia, id est tua peritia illum occidet, dum a te fieri viderit quod ipse aliter intelligit ; et tu eris occasio mortis ejus, *propter quem Christus* ut redimeret *mortuus est*. In tua scientia, quam te dicis habere, ut scias quia nihil est

Digitized by Google

idolum, et animo cogitas Deum, et sic recumbis in idolio, in hac scientiæ perit infirmus; et ne contemnas infirmum propter vitium in quo infirmus est, audi quia frater est, si firmus es, cura fratris infirmitatem, et ne etiam fratrem contemnas, adjungo, propter quem Christus mortuus est. Quem si vis contemnere, pretium ipsius attende. Considera qui mortuus est propter ipsum, et non negligas Christum propter infirmum, cum infirmum debeas diligere propter Christum. Vos, inquit, exemplo vestro ducitis in errorem infirmos, quod non est leve peccatum. Quia *sic peccantes in fratres et* exemplo vestri operis *percutientes*, id est lædentes *conscientiam eorum infirmam, peccatis in Christum* qui pro illis mortuus est, et cujus membra illi sunt: et ideo nolite hoc peccatum contemnere, si non vultis deleri de libro vitæ. Nolite putare quod in homines peccetis tantum, et ideo leve sit, quia taliter in Deum peccatis, cujus membra destruitis. Vel secundum alios codices, in Christo peccatis. Per hoc enim quod charitatis æmuli non estis, qua Christus vos liberavit, peccatis in Christo, non in Christum. Quia juxta hunc sensum, in Christum peccare, est Christum negare; in Christo autem peccare, est in his quæ Christi sunt peccare. Nam sicut qui sub lege est, in lege dicitur peccare (*Rom.* II); ita et qui sub Christo sunt, in Christo dicuntur peccare. Et quia per prædictam comestionem peccando in fratres, peccatis in Christum vel in Christo, propter hoc *si esca mea scandalizat fratrem meum*, id est offendit, et a bono proposito disturbat, *non manducabo carnem in æternum*, id est nunquam manducabo carnem ullam, sed semper ab esu carnis abstinebo: non quod esca sit mala, sed *ne fratrem meum scandalizem* tali comestione. Sic et vos debetis agere. Nam sicut uxorem licet habere, sed si fornicata fuerit, abjicienda est; ita et carnem licet edere, sed si idolis oblata fuerit, respuenda est. In tantum enim charitati studendum est, ut et licita pro illicitis sint abjicienda, ne obsint fratri. Typice autem in eo quod dictum est: *Videte ne forte hæc licentia vestra*, etc. usque, *propter quem Christus mortuus est*, videtur Apostolus sub aliis verbis dicere: Ne legas philosophos, poetas, oratores, nec in eorum lectione requiescas, ne tali modo fratrem infirmum perdas. Nec nobis blandiamur, si in his quæ sunt scripta, non credimus, cum aliorum conscientia taliter vulneretur, et putemur probare, quæ dum legimus, non reprobamus. Alioqui quale erit ut æstimemus Apostolum ejus, qui vescebatur in idolio, conscientiam comprobasse, et eum dixisse perfectum, quem sciret de idolothytis manducare? Absit ut ore Christiano sonet Jupiter omnipotens, et mi Hercule, et mi Castor, et cætera magis portenta quam numina.

CAPUT IX.

« Non sum liber? non sum apostolus? Nonne « Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne « opus meum estis vos in Domino? etsi aliis non « sum apostolus, sed tamen vobis sum. Nam signa- « culum apostolatus mei vos estis in Domino. »

Incipit se proponere in exemplum, ut sicut ipse abstinet a licitis pro scandalo fratrum, ita et illi faciant, quasi dicat: Abstinete ab hoc licito propter fratrum utilitatem, quia ego habeo libertatem accipiendi stipendia, et tamen non accipio propter aliorum salutem. Et hoc est quod increpative dicit per interrogationem; *non sum liber?* id est nonne libertas est mihi data sicut cæteris apostolis, accipere stipendium ex bonis vestris? et *non sum*, id est nonne sum *apostolus*, ut et mihi liceat quod apostolis? Vere sum apostolus. Quia *nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi* in via vel in templo? Aesi dicat: Liber sum accipere, quia sum apostolus. Apostolus sum, quia Christum vidi. Apostolum se comprobat, quia occasione pseudoprædicatorum minus de eo sentiebant, et ad hoc comprobandum dicit se Christum vidisse, quia quidam dicebant illum non esse apostolum, quia nunquam viderat Christum. Sive liberum se dicit, quia nullius aliquid concupivit, nec in adulatione docuit. Apostolus autem est, id est missus a Christo dicente sibi: « Ego ad gentes mittam te (*Act.* XXII). » Vidit enim illum non adhuc mortalem, sed jam clarificatum, quando constitutus est ab ipso apostolus, ut per hoc patesceret dignitas apostolatus ejus. Vere inquit, sum apostolus, quia vos estis opus mei apostolatus. *Nonne* enim *vos opus meum estis in Domino?* id est nonne ego apostolus hoc operatus sum, ut vos sitis in Domino? *Etsi aliis*, id est Judæis *non sum apostolus, vobis tamen sum*, qui per me credidistis. Qui de Judæis crediderant, et legem adhuc carnaliter observabant, hunc esse negabant apostolum, quia ipse libera voce prædicabat legem amplius carnaliter non oportere servari. Cæteris enim apostolis propter scandalum ab hac re dissimulantibus, hic aliter docere videbatur, et ideo ab illis Judæis non recipiebatur. Vobis, inquit, sum apostolus. *Nam signaculum, id est signum et indicium* apostolatus mei vos estis *per me credentes in Domino*. Hoc est, forma apostolatus mei quasi similitudo sigilli expressa in vobis apparet, dum habetis ea, quæ alii fideles per alios apostolos habent.

« Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc « est. »

Hæc scilicet *defensio*, quam dixi, *est mea apud eos qui me interrogant*, utrum sim apostolus, id est ostendo illis fidem et religiosam vestram conversationem, quam me docente consecuti estis, sicque per opera defendor esse apostolus contra eos, qui hoc negabant de me; et ita per vos apostolus esse comprobor apud illos qui inde dubitabant, ideoque non convenit ut et vos inde dubitetis.

« Nunquid non habemus potestatem manducandi « et bibendi? Nunquid non habemus potestatem so- « rorem mulierem circumducendi, sicut et cæteri « apostoli et fratres Domini et Cephas? Aut solus

Digitized by Google

« ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? »

Ideo supra dixi me esse liberum, quia *nunquid* ego et mei *non habemus potestatem manducandi et bibendi* quæ nostra sunt? Habemus utique hanc potestatem, sicut cæteri apostoli. Potestatem habemus a Christo, non jussionem hujus rei, quia Dominus permisit, non jussit prædicatoribus, ut acciperent sumptus, ut si qui eos non acciperet, majorem inde mercedem acquireret (*Matth.* x; *Luc.* ix, 10); sicut et virginitatem laudavit, non præcepit, ad cumulum gloriæ eorum qui eam servaverint (*Matth.* xix). Et *nunquid non habemus potestatem circumducendi* nobis *sororem mulierem?* in prædicatione, id est Christianam et sanctam mulierem, ut ministret nobis de facultatibus suis? Nunquid non possumus hæc facere si volumus, *quemadmodum cæteri apostoli et fratres Domini et Cephas?* id est Jacobus Alphæi et Thadæus, qui fuerunt cognati Salvatoris, hoc est ex sorore virginis Mariæ, et Petrus qui est princeps apostolorum? Nam nec ipse Petrus refutabat sumptus oblatos a feminis, sicut nec Dominus refutaverat (*Matth.* xiii; *Marc.* vi). Mulieres enim desiderio doctrinæ cœlestis ministrabant eis et sumptus et servitia, ut non indigerent his quæ ad necessitatem vitæ hujus pertinent. Ideo plus erat mulieres circumducere, quam ab auditoribus alimenta percipere, quia mulieres indumenta et quæque necessaria præbebant (*Luc.* viii). Nec omnino reprehensibile judicabatur hoc, maxime apud Judæos. Et hæc, inquit, potestas nonne et nobis est concessa sicut cæteris apostolis? *Aut solus ego et Barnabas*, quia placet nobis ex labore manuum nostrarum vivere, *non habemus potestatem hoc operandi?* id est hoc faciendi, scilicet stipendia sumendi, et mulieres circumducendi? Nos duo soli non possumus hoc agere, cum omnes hoc agant? Non reprehendit alios, sed eorum more sibi probat licere quod eis erat licitum. Putabant enim nonnulli Corinthiorum, quod non liceret ei sumptus accipere sicut cæteris, quoniam de labore suo vivebat, et inde minoris eum dignitatis æstimabant, nec apostolum esse credebant, dicentes apud se: Quia si esset apostolus, stipendia sumeret, ut omnes apostoli. Contra quos ipse nunc loquitur, ostendens se esse apostolum et potestatem habere sumendi stipendia, sed nolle sumere, et ne coapostolos reprehendere videatur quia abstinet, subjungit :

« Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit « gregem, et de lacte gregis non manducat. »

Per has similitudines humanæ consuetudinis ostendit rationabiliter, quia sibi et aliis prædicatoribus licet accipere sumptus. Nam et ipsi spiritualiter Christo regi militabant, et ideo a Christianis plebibus tanquam a provincialibus stipendia sumebant. Ipsi Ecclesiam quasi vineam plantabant, et idcirco de fructu ejus merito comedebant. Ipsi gregem ovium Christi doctrina veritatis pascebant, et ideo jure de gregis lacte, id est de cibis ejus temporeis accipiebant. Paulus tamen qui hæc loquitur, suis stipendiis militabat, et de fructu vineæ a se plantatæ non edebat, nec de lacte potabat gregis quem pascebat. Nullam enim in præsenti vita retributionem sumere volebat, ut in futuro sæculo plenam de omnibus mercedem reciperet. Qui præmissis similitudinibus, subdit :

« Nunquid secundum hominem hæc dico? An et « lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege « Moysi : Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* « xxv; *I Tim.* v). Nunquid de bobus cura est « Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam pro- « pter nos utique scripta sunt. Quoniam debet in « spe qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus « percipiendi. »

Dico quia miles debet a rege stipendia consequi, et agricola de fructu vineæ carpere, et licet humanis similitudinibus utar, *nunquid* tamen *hæc dico secundum hominem?* id est nunquid sequor in his humanam similitudinem? *An et lex Dei hæc* quæ dico *non dicit?* Utique dicit hæc eadem. *Scriptum est enim* in lege Moysi (*Deut.* xxv) : *Non alligabis os bovi trituranti*, id est non prohibebis prædicatorem vivere de prædicatione. Concordare monstrat supradictas rationes divinæ sententiæ, ut intelligamus quia non sine causa respuit accipere sumptus, quando tot documentis ostendit et dandum et accipiendum esse. Sed ne ad litteram accipiatur hæc sententia, subjungit : *Nunquid de bobus cura est Deo?* Quod non sic intelligitur, tanquam non ipse pascat animalia bruta, et volatilia, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horreum; sed quia ei cura non est præcepto monere hominem, quomodo bovi suo consulat. Nunquid ergo de bobus cura est Deo, ut de his in lege præciperet? *An vropter nos utique* qui sumus boves ejus, *hæc dicit?* Nos enim trituramus, id est in area mundi serris notræ prædicationis comminuimus paleas infidelitatis et vitiorum, et separamus ab eis grana fidei cæterarumque virtutum, vel credentes ab infidelibus tanquam a paleis grana discernimus. Et ideo justum est ut non prohibeamur ex area, quam trituramus, cibos sumere. *Num propter nos utique sunt* hæc *scripta* in lege. Et vere propter nos spirituales boves. *Quoniam* ille *qui arat*, id est qui corda subjectorum vomere prædicationis ad fidem aperit, *debet arare in spe*, id est sperans fructum sui laboris consequi. Non quod hæc sit ejus intentio, ut propter ejus exspectationem, id est temporalis cibi prædicet, sed quod certus sit non defore sibi victum, si in prædicatione laboraverit. Similiter *et qui triturat*, id est grana discernit a paleis, hoc est virtutes a vitiis, debet hoc agere *in spe percipiendi fructus* stipendiorum. Historialiter quidem fit trituratio, quando boves aut equi super segetes collectas et in area collocatas, missi fuerint ad eas conterendas et grana excutienda, sicut moris est in quibusdam regionibus. Prædicatores autem quando infidelium corda sciu-

Digitized by Google

dunt ac vomere prædicationis excolunt, et ad susci- A
piendum fidei semen arant, tunc demum terram ad semen gratiæ accipiendum præparant, et ab inculta solitudine, id est ab incredulorum multitudine separant; et qui prius arant in conversione, postea triturant in instructione, quia per assiduam correctionem et instructionem non localiter, sed moraliter bonos a malis sequestrant. Tamen et ante fidem trituratio fit, cum ab infidelibus quis per susceptionem fidei separatur, atque post fidem, cum in ipsa Ecclesia fit inter bonos et malos quædam moralis discretio per prædicantium instructionem, et de hac Ecclesia loquitur nunc Apostolus, quæ fit quando alii respuunt, alii corriguntur, aliis in pejus proficiunt.

« Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum B
« est si nos carnalia vestra metamus? (*Rom.* xv.) Si
« alii potestatis vestræ participes sunt, quare non po-
« tius nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed om-
« nia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evan-
« gelio Dei. »

Adhuc probat per rationes, quia licet stipendia sumere. *Si nos*, inquit, *seminavimus vobis*, id est inchoavimus primi vestris mentibus spargere *spiritualia*, id est quæ a Spiritu sancto data sunt, et vestrum spiritum vivificant, ut fructificent in vobis sicut in bona terra, *magnum est si metamus* ad sustentationem nostri corporis *vestra carnalia* stipendia? Quasi dicat: Non est magnum, sed minimum, si tradentes vobis æterna, percipiamus a vobis temporalia. Item a minori, probat hoc ipsum. *Si alii*, C
inquit, *sunt participes vestræ potestatis*, id est tam potenter utuntur vestris rebus ut vosipsi, *quare non potius nos* id agimus, qui vestræ salutis causa fuimus? Quæ sunt autem spiritualia quæ seminavit, nisi verbum et ministerium sacramenti regni cœlorum? Quæ vero carnalia, quæ sibi licere metere dicit, nisi hæc temporalia quæ vitæ atque indigentiæ carnis indulta sunt? Quæ potenter ab eis sumebant etiam alii, qui non eis primo Evangelium annuntiaverant, sed ad eorum ecclesiam idipsum prædicantes postea venerant. Unde subjecit: Si alii potestatis vestræ participes sunt, id est potestatis quæ prædicatoribus concessa est in vos, ut utantur bonis vestris, cur non potius nos? Vel istos alios in- D
telligamus pseudo apostolos, qui bona eorum devorabant, cum nihil utile eis contulissent. Ecce, inquit, probatum est, quia potestatem habemus sumendi stipendia. *Sed tamen non usi sumus hac potestate*, id est non accepimus sumptus ut poteramus. Tunc enim quis utitur sua potestate, quando quidquid pertinet ad illum, accipit, et a nullo suæ potestatis vult abstinere debito. Nos vero non ita fecimus, *sed omnia sustinemus*, id est famem et sitim et nuditatem libentissime toleramus, *ne demus aliquod offendiculum Evangelio Christi*, id est ne per nos Evangelium impediatur currere. Minus enim curreret ad cor vestrum, si suspicaremini nos illud prædicare propter commodum terrenum. Vel si dedissetis nobis aliquid, putaretis forsitan vos emisse licentiam prædicandi, et nobis minueretur libertas arguendi. Vel si debitos sumptus acciperemus, jam pseudoapostoli nostro exemplo libere acciperent, et sic in prædicatione durarent. Aut si mulierem circumduceremus, inde posset oriri non bona suspicio. Talibusque modis impediretur cursus evangelicæ prædicationis.

« Nescitis quoniam qui in sacrario operantur,
« quæ de sacrario sunt, edunt? et qui altario de-
« serviunt, cum altario participant? Ita et Dominus
« ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evan-
« gelio vivere (*Matth.* x; *Luc.* ix, x). »

Iterum redit ad probationem, modisque omnibus etiam atque etiam commendat, quid sibi liceat et tamen non faciat. Licitum est, inquit, mihi sumptus ex prædicatione sumere, sicut ministrantibus apud Judæos in sanctuario licet de rebus sanctuarii vivere, quia et naturalis ratio hoc habet, ut unusquisque inde vivat, ubi laborat. Nam *nescitis quoniam* hi *qui in sacrario*, id est in tabernaculo vel templo *operantur* sicut ministri et artifices, edunt ea *quæ sunt de sacrario*, id est quasdam oblationes quæ offeruntur in eo pertinentes ad ipsos? et nescitis quia *qui altario deserviunt*, sicut sacerdotes et levitæ, *participant cum altario*? id est partem accipiunt de his quæ offeruntur in altari, et sicut antiquo more apud Hebræos antiquos hæc fiebant, *ita et Dominus Jesus ordinavit* in Novo Testamento, id est rationabiliter disposuit, *his qui Evangelium annuntiant, id est prædicant, de Evangelio vivere*, id est victum habere, ut expeditiores sint, cum de corporali cibo solliciti non fuerint. Hoc ordinavit, id est tali ordine disposuit Dominus, ut dantes spiritalia, sumerent carnalia, quando dixit: « In eadem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* x). » Non quod ideo quisque debeat evangelizare ut manducet, sed ideo manducare ut evangelizet. Nam qui propterea evangelizat, ut manducet, vilius habet Evangelium quam cibum. Postquam vero multis similitudinibus et exemplis atque rationibus et auctoritatibus ostendit Apostolus sibi licere necessaria sumere, subjungit, dicens:

« Ego autem nullo horum usus sum. Non autem
« scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum est enim
« mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis
« evacuet. Nam etsi evangelizavero, non est mihi
« gloria. Necessitas enim mihi incumbit. Væ enim
« mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens
« hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus,
« dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces
« mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu po-
« nam Evangelium, ut non abutar potestate mea in
« Evangelio. »

Tot, inquit, exemplis et auctoritatibus constat me licenter posse stipendia sumere. Sed tamen ego non sum usus aliquo horum exemplorum vel auctoritatum sive rationum, ut facerem quod facere his posse

Digitized by Google

demonstror, id est ut ex prædicatione sumptus et alimenta perciperem. *Nullo horum usus sum.* Sed nec uti volo, quia *non* ideo *scripsi hæc* licere mihi, *ut ita nunc fiant in me*, id est ut amodo mihi necessaria quæque dentur a subditis; et si ego propter aliorum salutem a debitis sumptibus et necessariis omnibus abstinui et abstineo, saltem tanto exemplo vos ab immolatis carnibus abstinete, ne multos fratrum præcipitetis in interitum. Ob hoc etiam noluit Apostolus accipere sumptus, ne esset forma mercenariis et pseudoapostolis. Erant enim jam multi, qui occasionem habere cupiebant acquirendi terrena [*al.*, stipendia] et vendendi Evangelium, quibus eam volens imputare, victum manibus suis quæsivit. Sed et propterea noluit a discipulis stipendium vel aliud quid sumere, ne per hoc acciperent fiduciam delinquendi, et vigor evangelicæ auctoritatis in illo torpesceret. Parcebat etiam in hoc illis, ut non esset eis onerosus, si de bonis eorum viveret. Nolo, inquit, ut hæc ita fiant in me. Nam *magis bonum est mihi mori*, id est magis opto mori *quam* sustinere *ut quis* dando *evacuet gloriam meam*, quam pro hac abstinentia habere volo in Christo apud Deum, compatiens infirmis, dum nihil ab eis sumo. Vere taliter evacuaretur et inanis fieret. *Nam* si ideo *evangelizavero ut hæc ita fiant in me*, id est : Si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, et finem Evangelii in cibo et potu et vestitu collocavero, *non est mihi gloria* apud Deum, sed ex eorum numero sum, de quibus dictum est : « Quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). » Et quare non est mihi gloria ? Quia *necessitas* sustentandæ hujus vitæ *incumbit mihi*, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo, ut acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum. Sic enim jam necessitas in Evangelio erit, non voluntas. Et vere necessitas incumbit, quia *væ mihi est si non evangelizavero*, id est malo meo non evangelizabo, quia fame cruciabor, et unde vivam non habebo. Vere non est gloria evangelizare pro corporis necessitate. Nam *si hoc ago volens*, hoc est sine ulla vitæ hujus fulciendæ necessitate, apud Deum *habeo mercedem* gloriæ sempiternæ. *Sed si invitus*, id est cogente necessitate id facio, *dispensatio est mihi credita*, ut aliis dispensem Evangelium ad profectum eorum, ego autem mercedem illam apud Deum gloriosam non habeam ? Hoc enim loco talis dispensator intelligitur, qui alienum dispenset, unde ipse nihil accipiat. Dispensatio est mihi credita tanquam invicto servo, ut tanquam alienum erogem, et nihil inde capiam præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus. Et quia si volens evangelizo, mercedem apud Deum habeo, *ergo quæ est merces mea*, quam de prædicatione habere cupio, cum nullam inde mercedem terrenam recipere velim ? Hæc scilicet est merces mea, ut ego *Evangelium prædicans sine sumptu, ponam* in cordibus hominum *Evangelium*, id est ut non sit credentibus sumptuosum Evangelium, ne putent ad hoc sibi evangelizari, ut id evangelistæ quasi vendere videantur. Hanc mihi eligo mercedem, ut gratis ponam in auditorum mentibus Evangelium, *ut non abutar in Evangelio potestate mea*, qua Dominus concessit accipiendo stipendia, ne quod impedimentum generem Evangelio. Si enim stipendia sumerem, unde Evangelium impediretur et tardius iret, jam meæ potestatis abusio fieret, quoniam sumendo illa, contra hoc ad quod potestas ipsa fuit mihi concessa, facerem. Hactenus multifarie demonstravit licere sibi sumptus accipere, quos tamen non accipiebat. Jam vero quia infirmitati hominum compatiens a debitis sumptibus abstinebat, ostendunt sequentia, cum dicit :

« Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me « servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus « sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer : « his qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum « ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, « lucrifacerem : his qui sine lege erant, tanquam « sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, « sed in lege Christi essem, ut lucrifacerem eos qui « sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut « infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, « ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio « propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. »

Hanc, inquit, solam mercedem in hac vita quæro, ut gratis ministrem cunctis Evangelium. *Nam cum essem liber ex omnibus*, id est cum sic ab omnibus essem separatus, ut nihil illis deberem, nec ullius merita me possent ad hoc deducere, ut illis verbum vitæ ministrarem, sponte me inclinavi ut a Domino exaltarer, et *me servum omnium feci*, sicut ipse Dominus dixerat : « Quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus (*Matth.* XX ; *Marc.* IX). » Liber eram ex omnibus, id est nulli quidquam debens, cum nihil ab aliquo suscepissem, unde sibi obnoxius essem ad exhibendam servitutem ; et tamen pro Christo me feci servum omnium, ut commodis omnium deservirem ; et hoc ideo, *ut plures ad fidem convertendo lucrifacerem*, id est lucrum eos prædicationis meæ facerem, et idcirco me modificavi omnibus. Quia *factus sum Judæis tanquam Judæus*, id est ita compassus sum eorum cæcitati et miseriæ, ac si Judæus essem, et in eadem cæcitate et miseria cum eis detinerer. Hoc est dicere : Quantum dolorem ac sollicitudinem haberem de infidelitate et ignorantia et morte mea, si rem ipsam sicut esset animadvertere possem, tantum habui de Judæis, ut Judæos lucrarer, id est ut sic ad fidem eos adducerem, subvenieus eis sicut mihi subvenire vellem, et *his qui sub lege sunt*, id est Samaritanis vel prædictis Judæis factus sum, quasi *sub lege essem*, id est misericorditer eis condolui, et eos a jugo servitutis eripere laboravi, sicut mihi recte vellem condoleri et me eripi, si unus ex illis easem. Ita per compassionem misericordiæ factus sum eis quasi sub lege essem, *cum ipse non essem sub lege* serviliter, id est cum eam non servarem

Digitized by Google

carnaliter, *ut* tam pia condescensione *lucrifacerem*, id est lucrum Christo acquirerem *eos qui sub lege erant*. Nequaquam doctor egregius ut quasi Judæus fieret, ad perfidiam erupit, nec quasi sub lege esset, ad carnale sacrificium rediit; sed condescendendo appropinquavit infidelibus, non cadendo, ut videlicet singulos in se suscipiens, et se in singulos transfigurans compatiendo colligeret, et impenderet illis ea quæ impendi sibi ab aliis recte voluisset; et tanto unicuique erranti concurreret, quanto salutis ejus modum ex propria consideratione didicisset. Non rediit ad carnale sacrificium, ut illud exhibendo putaret se aliquid justificationis aut salutis inde consequi. Alioqui propter vitandum scandalum, Hierosolymis veterem sacrificiorum morem servavit (*Act.* xxi). Neque simulando fecit hoc, ut nonnulli putaverunt, sed secundum liberam sententiam suam qua dicit : « Circumcisus qui vocatus est? » (*supra* vii) non adducat præputium, id est non sic vivat quasi præputium adduxerit, sicut alio loco dicit : « Circumcisio tua præputium facta est (*Rom.* ii). » Secundum hanc sententiam fecit illa, quæ non intelligentibus et parum attendentibus fluxisse putatus est. Judæus enim erat, et circumcisus vocatus, noluit adducere præputium, id est noluit ita vivere ac si circumcisus non esset. Hoc enim jam in potestate habebat, et sub lege quidem non erat, sicut illi qui eam serviliter custodiebant, sed tamen in lege Christi, quæ est et ipsa quam Judæi tenebant, erant, ut libere adimpleret eam. Qui vetera ejus sacramenta inter Judæos celebrans, hoc modo illa usque ad certi temporis dispensationem a Deo jussa esse commendavit, et a sacrilegis sacris gentium distinxit. Nam et in hoc factus est Judæis tanquam Judæus, et sub lege positis tanquam sub lege esset, quia hoc Hierosolymis fecit, et alibi Timotheum circumcidit (*Act.* xvi), et a cibis quos lex prohibet abstinuit inter Judæos, ac semper apud eos de lege et prophetis disputavit, asserens eorum testimoniis adventum Christi. Qui universa hæc et his similia idcirco faciebat, ut eos qui de lege erant, Christo acquireret, non ut aliquid justificationis jam in illis cæremoniis æstimaret. Qui et subjungit : *His qui sine lege erant*, id est gentilibus, factus sum *tanquam sine lege essem, cum non essem sine lege Dei, sed essem in lege Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant*. In eo quippe factus est gentilibus tanquam gentilis, quod præputium recipit, quod indifferenter permisit vesci cibis quos damnant Judæi, quod eis assensus est secundum physicas rationes mundum esse factum a Deo, et hujusmodi condescensionibus. Notandum quod Judæos sub lege dicit esse, se autem in lege, paganos vero sine lege. Aliud est autem esse sub lege, et aliud in lege. Qui enim sub lege est, secundum legem agitur; qui vero in lege est, secundum legem agit, et ille servus est, hic autem liber. Qui vero sine lege est, ab omni servitute divina alienus est, ut sicut onager in solitudine (*Job* xxiv; *Jer.* ii) præsentis sæculi male liber vivat. Utrisque autem, id est eis qui sub lege, et illis qui sine lege erant, se testatur Apostolus congruisse per misericordiam scilicet et compassionem, non per versipellem simulationem, id est ut eo modo subveniret carnali Judæo vel pagano, quomodo sibi ipsi si hoc esset, subveniri recte voluisset, portans utique eorum infirmitatem in compassionis similitudinem, non fallens in mendacii fictione, sicut continuo sequitur et dicit : *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem*. Hinc enim loquebatur, ut etiam omnia illa superiora diceret. Sicut ergo quod factus est infirmis infirmus, non erat mendacium, sic et cætera quæ præmisit. Quam enim dicit infirmitatem suam erga infirmos fuisse, nisi compatiendi eis in tantum, ut ne videretur venditor Evangelii, et verbi Dei cursum apud imperitos in malam suspicionem decidens impediret, nollet accipere quod ei jure Dominico debebatur? Eo enim ipso factus est infirmus, quo potestate sua uti noluit. Tam misericordi scilicet indutus affectu, ut cogitaret quemadmodum secum agi vellet, si et ipse ita infirmaretur, ut posset de illis per quos sibi Evangelium prædicaretur, si eos videret sumptus accipere, quasi mercimoniorum nundinas suspicari. Sic ergo illis qui corde infirmabantur, factus est infirmus compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Nam et qui ministrat ægroto, fit tanquam ægrotus, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi serviri vellet si ipse ægrotaret. Juxta quem sensum universaliter subjungit : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Quasi dicat : Quid diutius per partes enumerarem singula? Breviter comprehendo, omnibus omnia factus sum, id est quasi omnium sectarum essem. Omnibus omnia factus est, non mentientis actu, sed compatientis affectu, id est non omnia mala omnium fallaciter agendo, sed aliorum omnium malis omnibus tanquam si sua essent, misericordis medicinæ diligentiam procurando. Cogitabit enim, ut homo, in eis vitiis etiam se esse potuisse, unde cupiebat alios liberare; et ita subveniebat illis, sicut sibi vellet subveniri, si ipse in eisdem vitiis esset. In se enim personas omnium pie transfigurans, ex semetipso discebat qualiter unicuique misereri debuisset, quatenus hoc singulis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi recte voluisset. Ita, inquit, me contempero omnibus, non quod mihi errores et vitia eorum placeant, sed *omnia* hæc prædicta *facio* conformans me unicuique *propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar*, id est ut particeps fiam bonæ intentionis, quam habet Evangelium erga salutem hominum. Vel omnia quæ dixi facio erga singulos quosque propter Evangelium, ut possim eis illud dulciter inferre, et ego fiam particeps remunerationis ejus.

« Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes « quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic « currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in « agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi

Digitized by Google

« quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos « autem incorruptam. »

Idcirco omnia facio propter Evangelium, quia non aliter ero particeps ejus. Necesse enim mihi est ut omnia quæ facienda sunt, faciam, et ab omnibus a quibus abstinendum est, abstineam, quoniam aliter Evangelii coronam et remunerationem habere non potero. Quod evidenter apparet in hac similitudine quam nunc propono. Nullus enim in stadio bravium accipit, nisi qui omnia quæ facienda sunt fecit, et hoc omnes mundana consuetudine potestis scire. Quia an *nescitis quod hi qui currunt in stadio, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* Licet enim omnes ibi sint in cursu et labore similes, tamen omnes inaniter currunt, præter illum solum qui accipit bravium, quod est præmium cursus. Stadium autem constat centum viginti quinque passibus. Sed hoc loco, sive minus, sive magis longitudinis habeat, vocatur stadium illud vice spatium, per quod usque ad metam quamdam solebat fieri cursus, ut postquam veniretur ad metam, esset standum. Unde stadium a stando nomen accepit. Bravium autem genus est palmæ, vel præmium quod curreutibus proponitur. Omnes currunt, sed unus qui currendo cæteros vincit, accipit bravium, quia fecit omnia quæ pertinent ad cursum, et abstinuit ab omnibus quæ impediunt. Sic et ergo bravium supernæ remunerationis adipisci non potero, nisi omnia quæ curreutibus facienda sunt fecero, et ab omnibus quæ contraria sunt abstinuero. Similiter et unusquisque vestrum de se sentiat et legitime currat. Nam omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Currunt enim Judæi, currunt hæretici, currunt nonnulli Christiani qui ad vitam non sunt prædestinati, quia omnes isti in fine præmium sperant se adepturos, et ad illud tendunt per vitæ præsentis stadium. Sed unus prædestinatorum Christianorum populus qui legitime currit accipit bravium, quoniam sola unitas eorum qui sunt corpus Christi palmam consequitur, et quia non omnes qui currunt accipiunt bravium, ideo *sic currite* faciendo quæ ad cursum pertinent, et vitando quæ impediunt, *ut comprehendatis* illud. Cautos et expeditos vos esse convenit in currendo, ne forte contingat non comprehendere præmium ad quod currentis. Non enim omnes comprehendunt illud. Currite credendo, sperando, desiderando, bene operando, corpus affligendo, orando, amando, et quibusque bonis studiis insistendo. Ita quidem est de his qui currunt. Sed de his qui pugilantur audiamus. Nam cursor quisque festinat ad bravium, sed *omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*, id est omnis pugil qui in certamine pugnat, ab omnibus se abstinet, id est ab escis et cæteris quæ impediunt agonem, id est certamen. Sic et omnis Christianus qui in arena hujus mundi contra diabolum luctatur, ab omnibus quæ Christianum ad terram implicant debet abstinere. Nam et ideo chrismate sumus uncti, quia luctatores sumus effecti; et proterea sic- A ut illi qui in arena luctantur, nudi sunt, ita et nos a mundanis rebus spoliati esse debemus, ut amando nihil possideamus in hoc sæculo, quia nec maligni spiritus, contra quos est nobis lucta, quidquam in eo proprium possident. Nudi ergo cum nudis, id est nihil possidentes cum nihil possidentibus luctari debemus, si eis succumbere nolumus. Armis tamen virtutum indui studeamus, quibus et protegamur, et adversarios feriamus. Sicque pugiles et luctatores imitemur, qui se intantum ab omnibus agoni suo noxis abstinent, ut et nocturnam pollutionem, quæ per somnum accidere solet, diligenter cavere studeant, ne per hanc molliores in certamine fiant. *Et illi quidem* abstinent, et pugilantur *ut corruptibilem coronam* ex floribus contextam cum laude et mercede cito perituram accipiant; *nos autem* ob hoc abstinemus et pugnamus ut *incorruptam*, id est æternam percipiamus coronam, et idcirco diligentiores esse debemus, quibus non terrenis et marcentibus floribus, sed æterna conserta gemmis in modum regii diadematis corona spiritalis servatur. B

« Ego igitur sic curro, non quasi in incertum : « sic pugno, non quasi aerem verberans. Sed ca- « stigo corpus meum et in servitutem redigo ne « forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus ef- « ficiar. »

Seipsum proponit Apostolus cæteris in exemplum. Quandoquidem, inquit, in stadio vitæ præsentis est nobis cursus et certamen, atque victori proposita est incorruptibilis et æterna corona, *igitur ego*, qui, sicut supra dictum est, omnia propter Evangelium facio, *sic curro*, id est tam legitime, tam alacriter, tam expedite cursum boni operis exsequor, ut *non quasi in incertum* tendam, quia certus sum de corona. Ille enim currit in incertum, qui talia facit, ut ex quibusdam sperare, et ex quibusdam possit desperare. Sed ego ex omnibus quæ post conversionem feci, certitudinem bonæ spei tenens, non curro velut in incertum, sicut illi qui currunt ad sæculare bravium, nec si poterunt illud accipere sunt certi, ego *sic pugno* contra diabolum, *ut non* sim *quasi aerem verberans*, id est non inaniter pugno sicut ille, qui jactat ictus incassum, et pro hoste ferit aerem. Scilicet non verbis, sed rebus contendo, quia non sum de illis prædicatoribus, qui dicunt et non faciunt (*Matth.* XXIII). Quantumcunque enim prædicator fundat verba, gladius oris ejus non pervenit usque ad læsionem hostis, sed vox inanis et otiosa reputatur, si ipse prædicationi suæ contrarius existat. Quia qui aliter facit quam prædicat, suspectos facit audientes ut de promissis dubitent; et ideo malum de cordibus eorum non valet expellere, nec hostem qui in eis habitat, lædere. Ego autem non vacuos ictus verborum in adversarium jacto, sed ut illum possim lædere, castigo jejuniis et afflictionibus corpus meum, ut et exemplum abstinentiæ dem aliis : et ideo non quasi aerem verberans pugno, quia dum carnem restringo, ipsis abstinentiæ meæ ictibus non aerem, sed diabolum ver- C D

Digitized by Google

bero; et dum hoc quod intra me est subjicio, extra positum adversarium ferio. Corpus vero castigare, est jejuniis reprimere illud, et ea illi dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. *Corpus meum* per abstinentiam *castigo*, ne per lasciviam insolescat, *et in servitutem illud redigo*, ut non perficiat suam, sed spiritus voluntatem : et in omnibus serviat spiritui, non repugnet. Ideo sic corpus refreno, *ne forte* si aliter egero, contingat quod adhuc contingere potest, quandiu sum in hac mutabili vita, scilicet ne *cum* ego *aliis prædicaverim*, et in partem electionis illos per doctrinam meam adduxerim, *ipse* male videndo *efficiar reprobus*, id est a Deo reprobatus, et a gaudiis cœlestibus quæ prædico, alienus. Certe jam de hoc Apostolo voce Dominica dictum fuerat, « quoniam vas electionis mihi est (*Act.* IX), » et tamen adhuc ipse castigans corpus suum, metuit ne reprobetur, licet supra dixerit, sic curro, non quasi in incertum. Ita enim certus est de præmio, ut timeat illud amittere : et ita metuit amittere, et certus sit de eo. Et cum iste quem Deus vas electionis esse testatur, sic metuat reprobus fieri, quid de nobis miseris erit, qui nullam adhuc Dei vocem de electione nostra audivimus, et jam in otio quasi de securitate torpemus? Omnia enim quæ nunc de se dixit, ideo locutus est, ut nos similiter agere suo exemplo doceret, scilicet ut sic strenue cursum recti operis ageremus, quatenus de perceptione futuri præmii spem certam haberemus; et sic cum antiquo hoste pugnaremus castigantes corpora nostra, ut non aere, sed ipsum hostem certis ictibus abstinentiæ nostræ feriremus, ne forte per subrepentia vitia reprobi adhuc efficeremur, et reprobationem adhuc posse contingere, probat exemplo Judæorum, cum subjungit :

CAPUT X

« Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam pa-
« tres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes
« mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati
« sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam
« spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem po-
« tum spiritalem biberunt (*Num.* IX; *Exod.* XIII,
« XIV, XVI, XVII). Bibebant autem de spirituli conse-
« quente eos petra (*Num.* XX), petra autem erat
« Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto
« (*Num.* XIV). »

Hoc namque exemplum de priori populo ideo proponit, ut in Christianorum populo nullus in eo solo confidens quo baptizatus est, et escam ac potum corporis et sanguinis Domini percepit, putet sibi Deum parcere si peccaverit; sed tunc omnia hæc cognoscat sibi profutura, si Deo humiliter obedire perseveraverit. Quasi dicat : Currere et pugnare sicut ego debet omnis Christianus, quandiu in stadio vitæ mortalis est : et metuere, ne post omnia bona quæ divinitus accepit, fiat adhuc reprobus, nec perveniat ad bravium pro quo currit, sicut videmus quod Hebræi qui nos præfiguraverunt, post transitum maris et cœlestem escam, quia Deum peccatis suis offenderunt, ad terram promissionis velut ad propositum bravium pervenire non potuerunt. *Nolo enim vos ignorare*, id est nolo ut ignoretis, o *fratres, quoniam patres nostri*, id est Hebræi antiqui institutores nostræ fidei et moralitatis, *omnes* tam boni quam mali cum egrederentur de Ægypto, priusquam mare transirent, *fuerunt sub nube* (*Num.* IX; *Exod.* XIII), quæ non sinebat exercitum Ægyptiorum ad eos accedere, et significabat præsidium supernæ protectionis, *et omnes pariter mare transierunt* (*Exod.* XIV), in quo persecutores eorum perierunt, *et omnes in Moyse*, id est in ducatu Moysi *baptizati sunt in nube et in mari*, quia submersis hostibus suis erepti sunt a morte, quod nobis præstat baptismus : et purgati sunt a peccatis prioribus, ut ultra non imputarentur illis : et mundati ab ignorantia Dei, quæ premebat omnes gentes, ut idonei forent accipere divinam legem. Baptizati sunt, quia signum baptismi acceperunt, quod tantumdem valuit eis credentibus, quantum valet nobis ipse baptismus, et deinde *omnes* similiter boni ac mali *manducaverunt eamdem escam spiritalem* (*Exod.* XVI), id est manna spirituali virtute paratum. Omnes eamdem escam comederunt, quia non aliam salvandi et aliam perituri manducaverunt, sed omnes eamdem. Simili modo *et omnes biberunt eumdem* (*Exod.* XVII), non diversum, *potum spiritalem*, id est aquam de petra productam spirituali gratia. Manna enim et aqua illa dicuntur nunc spiritualis cibus et potus, quia non mundi lege, sed Dei virtute sine elementorum commistione ad tempus creati sunt, habentes in se figuram corporis et sanguinis Domini. Unde et manna vocatum est panis angelorum, quia virtute qua angeli subsistunt creatum est, significans eum qui ait : « Ego sum panis vivus qui descendi de cœlo (*Psal.* LXXVII; *Joan.* VI). » Vel eamdem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, ipsi manducaverunt in manna; et eumdem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra, et ideo spiritualem manducaverunt eamdem quam et nos, corporalem vero alteram. Quia visibilem escam spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos accepimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. Similiter potum spiritualem perceperunt eumdem quem et nos, nam corporalem alium. Sed hunc spiritualem potum non undecunque *bibebant*, sed *de spiritali petra*, id est de Christo. Sicut enim cibus et potus ille fuit spiritualis, simili ratione fuit petra spiritualis, quæ potum manavit spiritualem. Bibebant de petra *consequente eos*, id est satisfaciente desideriis eorum, quoniam consecuta est eos abundantia suæ largitatis, prius siti confectos, et ad Moysen clamantes, dum satiavit eos sic, ut amplius tunc non quærerent potum. Vel sequebatur eos per desertum petra spiritalis, quia ubi deficiebat eis humanum suffragium, aderat Christus. Qui ideo se-

Digitized by Google

quebatur, ut ubi homo defecisset, ille subveniret. Non enim petra, sed Christus aquam dedit. Qui et nunc similiter suos per subsequentem gratiam comitari non desistit post baptismum, velut post maris transitum. Bibebant de petra, sed *petra erat Christus*. Non est dictum, petra significabat Christum; sed, petra erat Christus, quia sic solet loqui Scriptura, res significantes tanquam illas quæ significantur, appellans. Omnia enim significantia videntur quodammodo earum rerum quas significant gerere personas; et ideo tanquam hoc esset, dictum est, petra erat Christus; quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Propter firmitatem, petra dictus est Christus. Qui duobus lignis crucis affixus, profudit ex suo latere sacramenta nostræ salutis, quibus interior sitis nostra potaretur: sicut petra illa bis percussa, dedit aquam unde populus ille satiaretur; gemina enim percussio, duo ligna crucis significat. Ecce omnes pariter hæc omnia Dei beneficia consecuti sunt, sed non omnes pariter ad salutem pervenerunt. Quia *non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, id est plures eorum non bene placuerunt Deo post hæc omnia, sed graviter displicuerunt; quod inde patet, quia *prostrati sunt in deserto* (*Num.* XI, XIV), nec pervenerunt ad terram promissæ hæreditatis. Caveamus itaque ne et nobis similiter contingat. Omnia enim illa beneficia quæ ipsi divinitus acceperunt, spiritualiter sunt eadem quæ et nos accepimus. Ægyptum namque interpretari novimus afflictionem, vel affligentem, vel comprimentem, sive tenebras, et sæpe poni in imagine hujus sæculi, a quo spiritualiter recedendum, ne simus jugum ducentes cum infidelibus (*II Cor.* VI). Quod fit per primum calorem fidei. Sic enim quisque Jerusalem cœlestis fit civis idoneus, cum primum huic sæculo renuntiaverit, quomodo ille populus in terram promissionis induci non potuit, nisi prius ab Ægypto recederet. Sed sicut ille non inde discessit, nisi divino præsidio, ita nemo corde ab hoc sæculo avertitur, nisi Dominicæ misericordiæ munere præventus et adjutus. Quem et nubes protegens comitatur, quæ procul arceat exercitum Ægyptiorum sequentium, quia catechumenus per fidem quam recipit, habet gratiam Dei obumbrantem velut nubem, quæ non sinit ad illum accedere pristinam consuetudinem vitiorum, quæ diabolo instigante, subsequitur illum, sed in aqua baptismatis exstinguitur velut in mari Rubro. Apte enim per mare Rubrum baptismus designatur, sanguine Christi consecratus. Mors enim Ægyptiorum in mari, significat abolitionem peccatorum in baptismo. Israelitæ transeuntes, præsignant eos qui nunc baptizantur, et tali mysterio patres illi omnes de Ægypto egressi fuerunt sub nube, et omnes mare transierunt, ac in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Moyses Christum significat, nubes Spiritum sanctum, mare aquam baptismi. Dicuntur ergo in Moyse baptizati in nube et in mari, velut si dicerentur in Christo baptizati in Spiritu sancto et aqua. Postea ducti sunt per desertum. Similiter et nunc baptizati omnes, nondum perfruentes promissa patria regni cœlorum, sed quod non vident sperantes, et per patientiam exspectantes, tanquam in deserto sunt. In quo pascuntur manna, et potantur aqua de petra, id est corpore et sanguine Christi. Nam sicut ille populus ante transitum maris non potuit manna comedere, sic nemo valet ante baptismum corpus Redemptoris accipere. Deinde sicut Hebræis data est lex, ita fidelibus ostenditur sublimitas scientiæ charitatis Christi. Sed qui post hæc omnia criminaliter peccaverint, ad cœlestem patriam non pervenient, nisi congruam egerint pœnitentiam; sicut Judæi qui propter culpas suas ad terram promissionis non pervenerunt, sed in deserto perierunt, etsi enim in aliquibus, non tamen in pluribus eorum beneplacuit Deo. Communia fuerunt omnibus illis sacramenta, sed non communis gratia. Ita et nunc baptismus nobis omnibus communis est, sed non virtus baptismi, commune nobis est sacramentum corporis et sanguinis Domini, sed non communis virtus sacramenti. Non ergo solis sacramentis confidamus, quia his solis ad regnum cœleste non perveniemus, si bona operari neglexerimus, aut si Salvatorem more veterum offendere non timuerimus.

« Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non « simus concupiscentes malorum sicut et illi con- « cupierunt (*Num.* XI); neque idololatræ efficiamini, « sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum « est : Sedit populus manducare et bibere, et sur- « rexerunt ludere (*Exod.* XXXII). »

Judæi post maris transitum, post angelicum cibum et spiritualem potum, quia graviter Deum offenderunt, ad promissam hæreditatem non pervenerunt, sed in deserto perierunt. Sed hæc quæ de illis narrantur, facta sunt tunc in figura nostri, qui eramus futuri, quoniam in illis præfiguratum est quod nos si post baptismum, si post Dominici corporis et sanguinis cibum et potum similiter peccaverimus, ad cœlestem patriam non perveniemus; sed in hoc sæculo maligno morientes, ad pœnas inferni ducemur, quas pœnæ illorum præsignabant. Caveamus igitur similiter offendere, ne talia patiamur in veritate, qualia illi pertulerunt in imagine. *Hæc* enim, ut dictum est, *facta sunt in figura nostri*, ut nos metu pœnarum, quæ illis acciderunt, corrigamur, *ut nos simus concupiscentes malorum*, id est concupitores vitiorum, *sicut et illi concupierunt*, per concupiscentiam enim desideraverunt cibos Ægypti, quos reliquerant dum manna pascerentur cœlitus misso, et pro esu carnium flentes murmuraverunt. Caveamus et nos illecebras gulæ, ventrisquæ ingluviem, ne similibus epularum concupiscent is peccamus. *Neque idololatræ efficiamini* manducantes in idolio, *sicut quidam ex ipsis*, manducantes coram vitulo. Neque idololatræ efficiamini, id est non ædificetis ad idololatriam exemplo vestri infirmam fratrum conscientiam, qui videntes vos in idolio re-

Digitized by Google

cumbere, putant quod ibi ob honorem idoli comedatis. Non efficiamini idololatræ, sicut facti sunt non omnes Judæi, sed quidam ex ipsis idololatræ facti sunt, adorantes vitulum aureum, dum Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino moraretur, *quemadmodum* in Exodo *scriptum est* (*Exod.* XXXII) : *Sedit populus* ante vitulum *manducare et bibere, et* cum alacres facti essent ex cibo et potu, *surrexerunt ludere*, id est ludos facere in vituli veneratione. Surrexerunt ludere, id est coram vitulo saltare. Vel ludere, id est vitulum adorare. Quid enim lusui puerili tam simile, quam idola colere! Cavete igitur, ne et vos similiter coram idolo nunc sedeatis manducare et bibere, et infirmos excitetis ad lusum idololatriæ.

« Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt (*Num.* XXV), et ceciderunt in una die « viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus « perierunt (*Num.* XXI). Neque murmuraveritis, « sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt « ab exterminatore (*Judith.* VIII). »

Neque in idololatriam declinemus, postquam de tenebris infidelitatis educti sumus, ut illi declinaverunt, postquam de Ægypto, ubi servierunt idolis, fuerant educti. *Neque fornicemur* cum paganis mulieribus ne per eas ad cultum idolorum seducamur, *sicut quidam ex ipsis fornicati sunt* (*Num.* XXV). cum filiabus Madian, et comederunt de sacrificiis earum, adoraveruntque deos ipsarum, et hoc factum est consilio Balaam. Videte ne vos similiter consiliis pseudoapostolorum decipiamini, qui vestram perniciem moliuntur, sicut Balaam filios Israel perdere machinabatur. Nam propter hanc fornicationem *ceciderunt in una die* gladio *viginti tria millia*, quoniam Moyses statim præcepit judicibus Israel, ut occideret unusquisque proximos suos, qui initiati fuerant Beelphegor, et occisa est tanta multitudo eorum. Ubi præfiguratum est, quod etiam viros in dilectione et in observantia Decalogi perfectos et in fide Trinitatis, si fornicati fuerint, occident eos in judicio futuro quasi in una die judices Israel (*Matth.* XIX; *Luc.* XXII), id est Apostoli. Nam per decem intelligitur Decalogus legis ; per viginti, id est per geminationem denarii numeri, exprimitur gemina dilectio, quæ legem facit impleri; per tria, fides Trinitatis; per mille, perfectio, et ita, sicut diximus, per viginti tria millia designantur illi, qui in dilectione et præceptorum divinorum observantia et fide sunt perfecti; sed caveant fornicationem, quia propter hanc solam in infernum cadere possunt in die judicii. *Neque tentemus Christum*, diffidentes de ejus auxilio, et fastidientes ejus spiritualem cibum, ne malignis spiritibus perimendi tradamur, *sicut quidam eorum tentaverunt* illum, *et a serpentibus perierunt*. Nam sicut Scriptura refert, tædere cœpit populum itineris ac laboris, locutusque contra Dominum et Moysen, ait : « Cur eduxisti nos de Ægypto ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ. Anima nostra jam inanis nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes (*Num.* XXI). » Ita enim Christum tentaverunt, dum loquerentur contra Dominum, qui est ipse Christus, et contra Moysen famulum ejus, propter tædium viæ longioris et laboris et penuriam cibi crassioris, cum velut pro nihilo manna ducerent. Ac per hoc Christus comprobatur esse Deus qui jam ab illis est tentatus. Quibus ipse ad significanda peccata, quorum venena invisibiliter moriebantur, visibiles serpentes quibus admonerentur immisit, et plaga emendatoria mortes animarum mortibus corporum figuravit. Cavemus et nos, ne Christum simili modo tentemus, loquentes contra eum et contra prælatum quem ipse nobis dedit, cur nos eduxerit de Ægypto, id est, de tenebrosis sæculi voluptatibus, dum affligimur in solitudine conversationis hujus, et penuriam sustinemus corporalis victus, cum spiritalis abundet; et tædet nos itineris ac laboris, dum per patientiam diu nolumus exspectare quod non videmus, sed cupimus ad regnum pervenire cito, sine laboris ullius tolerantia. Nam cum per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnum cœlorum (*Act.* XIV), si tribulationes in via longanimiter sufferre respuimus, justo Dei judicio trademur ignitis serpentibus (*Judith.* VIII), id est malignis spiritibus, qui nos igne vitiorum inflamment, et animas nostras veneno peccatorum inficiant et exstinguant. Notandum etiam quia sicut Judæi Christum in Moyse contempserant, sic Corinthii contemnebant eum in Apostolo, dum male loquerentur de Apostolo duce suo, sicut Judæi de Moyse (*Exod.* XV, XVI, XVII; *Num.* XIV, XVII, XIX), et adeo nunc tali exemplo vult eos compescere. Qui et addit : *Neque murmuraveritis*. Murmurabant enim contra majores suos, quibus invidebant charismata meliora, vel etiam contra ipsum Apostolum. Ne murmuraveritis, inquit, *sicut quidam eorum murmuraverunt*, id est injuste de præpositis suis conquesti sunt, et ideo *perierunt ab exterminatore* (*Judith.* VIII), id est ab angelo qui extra terminos promissæ terræ percussit eos, vel extra terminos sortis electorum misit. Nam Core et socii ejus murmuraverunt contra Moysen et Aaron (*Num.* XVI), quod non divina electione, sed quasi per seipsos prælati essent populo; et idcirco sic exterminati sunt, ut vivi descenderent in infernum, disrupta terra sub pedibus eorum. Propter quod et sequenti die murmuravit contra Moysen et Aaron multitudo filiorum Israel, dicens : « Vos interfecistis populum Dei (*ibid*), » et ob id egressa est ira a Domino in eos, et vastati sunt incendio, fueruntque qui percussi sunt quatuordecim millia hominum, absque his qui perierant in seditione Core. Ita propter murmurationes suas, quibus falso de rectoribus suis conquerebantur, perierunt, et de medio multitudinis exterminati sunt per angelum administrantem pœnas eorum. Videte ergo, ne et vos similiter contra me murmurantes, vel contra

Digitized by Google

quoslibet vobis superiores aut prælatos, similiter, imo deterius pereatis. Non enim est ambiguum, illos peccantes plus subjiciendos tormentis, quibus peccantium pœnæ ad hoc relatæ sunt, ne peccarent.

« Hæc autem omnia in figura contingebant illis. « Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in « quos fines sæculorum devenerunt. Itaque qui se « existimat stare, videat ne cadat. »

Ita post maris transitum et cœlestem cibum propter varias offensiones suas variis modis perierunt. Sed *hæc omnia contingebant illis in figura*, quia tunc figurabatur, quod pro similibus culpis perire possumus post baptismum et corporis Christi sacramentum. Nam quod in pluribus eorum non fuit beneplacitum Deo, et prostrati sunt in deserto, præfiguravit quod nunc in populo Christianorum « multi quidem sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx). Lata enim via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui vadunt per eam (*Matth.* vii), nec in illis beneplacitum est Deo. Quod illi mala concupierunt, et corde in Ægyptum redierunt figurabat quod carnales Christiani erant mala desideraturi, et mente ad sæculi relicta vitia redituri. Quod quidam ex illis idololatræ facti sunt, quod quidam fornicati sunt, quod quidam Christum tentaverunt, quod quidam murmuraverunt, significabat quod quidam ex Christianis erant in idololatriam casuri, et quidam fornicaturi, et quidam Christum tentaturi, et quidam murmuraturi, et invisibiliter pœnas eorum passuri. Unde non omnes illi, sed quidam ex ipsis memorantur hæc mala fecisse, quia nec omnes Christiani, sed quidam similia nunc faciunt; et qui modo vetustas illorum culpas imitantur, necesse est ut et pœnas ipsorum patiantur. In figura ergo contingebant *illis* hæc omnia. Sed *scripta sunt ad correptionem nostram*, id est, ut corrigamur auditis culpis et pœnis eorum, atque caveamus esse de illis qui similia faciunt et patiuntur. In figura contingebant omnia sub Veteri Testamento, et ideo jam non opus est ut cum res manifestas agimus, figurarum prænuntiantium celebrationi serviamus, id est ut Sabbata custodiamus et ciborum differentias et his similia. Sed tamen scripta sunt propter nos, et ideo magna nobis cura sunt legenda et intelligenda, et in magna auctoritate habenda, cum propter nostram utilitatem sint scripta. Vitia quoque et tormenta veterum scripta sunt ad correptionem nostram, *in quos*, id est in nos *devenerunt*, id est declinaverunt *fines sæculorum*, quia in ultima ætate sumus, et tot exemplis priorum magis corrigi debemus. Alioquin pœna illorum geminabitur nobis, quia major notitia legis magis reum facit eum qui eam non custodit. Fines autem sæculorum tanquam senectus veteris hominis, cum totum genus humanum tanquam unum hominem constituerimus, sexta ætate significatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in uno homine, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, gravitas, senectus. Prima igitur humani generis ætas est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis, et inde quinta usque ad adventum Domini. Sexta vero agitur ab adventu Domini usque ad finem sæculi, quia exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, et interior renovatur de die in diem. Inde requies sempiterna est, quæ significatur Sabbato. Quia ergo fines sæculorum sic devenerunt in nos, id est sæcularitas in nobis decrevit et finiri cœpit, ideo turpius erit si jam ultra peccaverimus. Post hæc salubris admonitio subditur : Quoniam Israelitæ post accepta divinitus beneficia ceciderunt in varias offensiones, per quas perire meruerunt, et casus Israelitarum præfiguravere casus Christicolarum atque omnia quæ tunc illis acciderunt, scripta sunt ad correptionem nostram, *itaque quicunque se existimat stare*, id est, statutum rectitudinis habere, *videat*, id est sollicitus sit *ne cadat*, id est ne labatur in culpam gravem, quia justus septies cadit in levem et resurgit (*Prov.* xxiv). Videat ne cadat, dum se stare putat. Hoc maxime ad eos ex Corinthiis dictum est, qui præsumentes de sua scientia, qua licitum esse noverant omnia edere, infirmis fratribus scandalo erant; et putabant se aliquid profecisse ex doctrina pseudoapostolorum, unde facti erant deteriores, atque judicabant Apostolum, cum ipsi essent rei. Superbiam igitur eorum amputat, ne per hanc in varias culpas sicut Judæi, corruant, quia et Apostolo superbe detrahentes, Christum tentabant. Multos etiam alios qui futuri erant, reprimit ab elatione perniciosa, dum hortatur ut stans observet ne cadat, id est ne peccato consentiat, vel ne alium peccare faciat (*Osee.* xiii). Voluntate enim sua cadit qui cadit, sed voluntate Dei stat qui stat, aut resurgit.

« Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fi- « delis autem Deus est qui non patietur vos tentari « supra id quod potestis, sed faciet etiam cum ten- « tatione proventum, ut possitis sustinere. »

Stans videat ne cadat. Non quod penitus sine casu perseverare possit. Sed hoc saltem videte ut *tentatio*, id est peccati delectatio, *vos non apprehendat*, id est rationem vestram in consensum non trahat, *nisi humana*, id est nisi de his levibus peccatis, sine quibus humana vita non potest duci, vel non dæmoniaca, sed humana tentatio vos apprehendat. Nam humanum quidem est, in corde tentationem perpeti; dæmoniacum vero est tentationis certamine et in operatione superari. Item aliud sapere quam se res habet, humana tentatio est. Hujus autem vel illius vel suam ipsius amando sententiam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis et condendi schismatis aut hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quam se res habet, angelica perfectio est. Quia igitur homines sumus, sed æquales angelis in resurrectione futuri sumus (*Matth.* xxii;

Digitized by Google

Marc. XII; *Luc.* XX), quandiu non habemus angelicam perfectionem, caveamus diabolicam præsumptionem. Humanum quippe est de occultis aliorum non vera sentire, ut homo credat bonum quem nescit malum; et iterum opinione non certa credat malum, quem non probavit malum, et ante tempus judicet quod nescit. Sunt etiam humanæ tentationes, cum bono quisque animo, secundum humanam tamen fragilitatem in aliquo consilio labitur; aut irritatur in fratre studio corrigendi, paulo tamen amplius quam christiana tranquillitas postulat. In his et talibus est humana tentatio, non dæmoniaca. Dæmonis est enim scienter et voluntarie peccare, cum nulla ad hoc fragilitate trahatur; hominis autem est per ignorantiam vel per infirmitatem peccare, et quia necesse est vos tentationibus probari, non dico vel oro ut non tentemini, sed ut tentatio nulla vos apprehendat nisi humana, id est ut sicut homines, non sicut dæmones tentemini, scilicet ut per tentationes proficiatis, non succumbatis. Ego quidem hoc dico, sed Deus adimplebit quod dico, quia ipse est fideliter adimplens quod promisit, cum diceret: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » *Fidelis est Deus*, id est verax in hac promissione, ut sit semper vobiscum in omni tentatione, et non sinat vos ultra vires tentari, sed tentationem leviget ut vincatis. Aliter de aliquo dicimus, non mihi habuit fidem; aliter, non mihi servavit fidem. Nam illud est, non credidit quod dixi: illud non fecit quod dixit. Secundum hanc fidem qua credimus, fideles sumus Deo; secundum illam vero, qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Fidelis est Deus in eo quod se suis promisit auxiliaturum et coronam gloriæ post tentationes daturum (*Jac.* I), et ideo *non patietur vos tentari supra id quod potestis* ferre, id est non permittet ultra mensuram vestrarum virium excrescere pondus alicujus tentationis. Nisi enim misericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profecto est, qui malignorum spirituum tentationes [*al.* insidias] non corruens portet. Quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit; et idcirco pia dispensatione hostem nostrum permittit et retinet, relaxat et refrenat, ut et tentemur ad profectum nostrum, et non superemur ad hostis desiderium. Fidelis enim est, et ideo facit ut aut cito cesset tentatio, aut si prolixa fuerit, det ipse tolerandi virtutem. Non patietur vos tentari supra vires, *sed cum ipsa tentatione faciet etiam proventum* tolerantiæ, *ut possitis sustinere* pondus tentationis. Subvenit enim ut impleat quod promisit, quia fidelis est: et illud facit provenire, quod potest humana fragilitas sustinere. Novit enim quando procellam tentationis exsurgere sinat, quando exsurgentem reprimat. Novit pro custodia nostra restringere, quod contra nos egredi pro nostra exercitatione permisit, ut sæviens nos diluat procella, non mergat. Proventum ergo facit in tentatione, quia et tentationem prout expedire novit, facit provenire, et citius opus consolationis occurrere facit, atque surgentes tentationis stimulos mitigat, impugnantesque se cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immensam de spe cœlesti lætitiam percipit dum devictum respicit malum quod toleravit.

« Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolo-
« rum cultura. »

Dixi quod omnia contingebant Israelitis in figura, qui post cœleste pabulum conversi sunt ad idola, multisque modis offenderunt, et quod vos Deum fidelem habetis adjutorem in omni tentatione. *Propter quod*, o *charissimi*, quibus ego propter magnam charitatem consulo, *fugite*, id est cito vos elongate, non solum animo, sed et corpore *ab idolorum cultura*, ne sicut Judæi fiatis iterum idololatræ. Qui enim assiduus est in idolio, aliquid sperat de eo; et de eo sperare, de Deo dubitare est. Sic enim Saul ad idololatriam quam exterminaverat rediit, sperans aliquid de ea (*I Reg.* XXVIII). Fugite ergo ab idolorum cultura, ne per hanc vobis nascatur in Deum tentatio. Fugite quasi pestem, quasi venenum, quasi mortem, quia nisi cito fugeritis, non evadetis. Fugite de idolio, ut non comedatis ibi cum offendiculo simplicium fratrum, quia jam in eorum infirma conscientia facti estis idololatræ, dum vos æstimant ob honorem idolorum ibi comedere.

« Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate
« quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus,
« nonne communicatio sanguinis Christi est? et
« panis quem frangimus, nonne participatio cor-
« poris Domini est? Quoniam unus panis et unum
« corpus multi sumus, omnesque de uno pane
« participamus. »

Fugite ab idololatria, et ut inde fugiatis, *loquor* vobis altum aliquid, non quasi rudibus, sed quasi *prudentibus* et rationis capacibus. Ideoque *vos ipsi* velut prudentes *judicate quod dico*, id est ante propter hanc rationem quam subjungo, debeatis fugere procul ab idolis, et abstinere prorsus ab illorum sacrificiis. Calix benedictionis, etc. Ideo prius de calice loquitur, quia de pane postea plus erat locuturus. *Calix benedictionis cui benedicimus*, id est calix cui Christus in cœna benedixit, et cui nos sacerdotes in missa benedicimus, vel calix benedictionis, id est cujus haustu benedictio credentibus infunditur, cui nos sacerdotes in sacramentorum confectione benedicimus, *nonne est communicatio sanguinis Christi?* id est nonne facit eos qui digne bibunt illum, esse participes vitæ Christi quæ per sanguinem designatur, quoniam anima carnis, ut Moyses dixit (*Levit.* XVII), in sanguine est. Hoc est, nonne facit nos esse illius beatitudinis et gloriæ participes, in qua cum anima ipsius

Digitized by Google

anima vestra unum quid fiat per ejusdem gloriæ consortium ? Ubi innuitur, quia similiter calix maledictus idolorum, potantes se facit participes mortis dæmoniorum, *et panis quem* nos sacerdotes in altari *frangimus*, et quem unum in multas partes dividimus ad designandam unionem charitatis accipientium, *nonne participatio corporis Domini est ?* id est nonne hoc operatur in nobis, ut tandem corpora nostra recipiant participationem immortalitatis et gloriæ corporis nostri? Hoc est dicere : Participatio calicis et panis Dominici, facit ut anima nostra et corpus tandem conformetur animæ et corpori Christi secundum receptionem ejusdem beatitudinis. Tunc autem hoc erit si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum conspergunturr, tanquam illud fiat quod de fidelibus, ait Scriptura, erat illis cor unum et anima una (*Act.* IV), et sicut in confectione vini liquor granorum in unitatem confunditur, ita Dominus Jesus nos ad se pertinere per unitatem charitatis significavit, ac mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit; et ideo qui accipit mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit, pro se, sed testimonium contra se. Panis quem frangimus, est participatio corporis Domini, quia ipse panis quem multis dividimus, est verum corpus Domini : et qui de illo accipiunt de corpore Domini accipiunt, atque fiunt etiam ipsi quod accipiunt. *Quoniam nos multi sumus unus panis et unum corpus.* Nam, sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia Christi ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Unus ergo panis sumus. Nam jejuniis et exorcismis cœpimus moli, deinde in baptismo conspersi sumus, et per acceptionem sancti Spiritus sumus decocti, et ita panis Dominicus effecti, si unum esse perseveravimus. Nam ideo Dominus, sicut dictum est (*Matth.* XXVI, *Marc.* XIV, *Luc.* XXII), corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur e multis, quoniam aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Et ob hoc, communicatio corporis et sanguinis Christi societatem æternam sanctorum designat et facit, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propter quæ omnia recte dicimur omnes unus panis et unum corpus, quia et *omnes de uno pane* corporis Christi *participamus.* Quod enim quisque suam partem ex hoc pane percipit, significat quia unusquisque juxta mensuram suam particeps fit hujus gratiæ. Si autem unus panis Dominici sacramenti unum corpus Christi efficit in ecclesia, sic panis idololatriæ dæmonum participatio est; et sicut omnes qui de uno pane ac de uno calice Domini sumimus, unum corpus efficimur; ita si cum idololatris de sacrificio eorum comedimus et bibimus, unum profecto cum illis corpus efficimur. Qui enim comedit idolothytum, unum cum dæmone fit; sicut qui comedit corpus Christi, fit unum cum Christo.

« Videte Israel secundum carnem. Nonne qui « edunt hostias, participes sunt altaris? »

Dixi quia qui edunt carnem Christi, et bibunt sanguinem ejus, participes sunt Christi, et hoc vobis per similitudinem ostendo. Nam *videte* id est considerate eum *Israel*, qui non secundum spiritum ut nos, sed *secundum* solam *carnem* est Israel, id est populum Judæorum, qui sola carne sunt filii Jacob, et carnaliter intelligunt et servant legis præcepta. *Nonne* illi *qui* apud eos *edunt hostias*, carnaliter immolatas, *sunt participes altaris?* id est de sacrificio altaris partem in esum accipiunt. Ita est. Pars enim cremabatur in altari, et pars comedebatur : et sicut Judæi participes fiebant altaris per esum hostiarum, sic nos efficimur participes Christi per esum carnis ejus. Quoniam vera carnis substantia quæ in Christo est in nos transit, quoniam sacrificium illud idem quod erat in altari, transibat in eos qui comedebant de illo. Similiter et qui idolothyta sacrificia manducant, fiunt socii dæmonum, quomodo carnalis Israel socius erat altaris in templo, qui de sacrificiis manducabat.

« Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit « aliquid? aut quod idolum sit aliquid ? Sed quæ « immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo « (*Deut.* XXXII). Nolo autem socios vos fieri dæ« moniorum. Non potestis calicem Domini bibere « et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmo« niorum. »

Quoniam monebat Apostolus ut fugerent ab idolorum cultura, ne cibis talibus contaminarentur, sensit motum cordis eorum, et ideo prævenit ne quis illi diceret : Ergo dicis vim aliquam habere idolum vel posse polluere. Non, inquit, idolum insensibile polluit, sed dæmones qui templis præsident, ad homines depravandos et suo servitio mancipandos, non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Quasi diceret : Quoniam dixi, fugite ab idolorum cultura, ergo ne quis ex hoc moveatur, interrogo, quid, dico in illis verbis præmissis? An intendo dicere, quod immolatum idolis sit aliquid, id est immutetur in aliquam dignitatem? Aut intelligo, quod idolum sit aliquid, id est valeat in aliquo prodesse vel obesse? Non hoc dico, *sed* potius istud assero, quia sacrificia *quæ immolant gentes, non idolis, sed dæmoniis* (quæ latent in idolis) *immolant, et non Deo.* Dæmoniis enim magis dediti sunt, quod est periculosius. Nam si tantum idola colerent, sicut eos nihil adjuvarent, ita nihil eis nocerent. Nam simulacrum vere nihil est, sed sub tegmine simulacri diabolus colitur. Gentes

Digitized by Google

immolant dæmoniis. Sed ego *vos* qui Christo concorporati estis, *nolo fieri socios dæmoniorum* per sacrificia gentium. Non enim hoc totum quod videtur, est in idolo, sed sub tegmine idoli est occultum iniquitatis mysterium. Ideo abstinendum est ab esu talium sacrificiorum. Dominus tamen dicit, quia « quod intrat in os, non coinquinat hominem (*Matth.* xv; *Marc.* vii). » Ubi sciendum quia ipsi quidem cibi, et Dei creatura omnis quidem per se munda est (*I Tim.* iv), sed idolorum ac dæmonum invocatio ea facit immunda. Ideo debetis idolorum sacrificia respuere, quia *non potestis calicem Domini*, in quo sanguis est ejus, *bibere et calicem dæmoniorum*, in quo vinum est sacrilegæ superstitionis, nec *potestis mensæ*, id est altaris Domini in quo corpus ejus est, *participes esse et mensæ*, id est altaris *dæmoniorum*, et tam magnum sustinebitis incommodum, ut a corpore et sanguine Domini, sine quo vitam habere non potestis, separemini, quoniam sacrificium Christi et sacrificium diaboli nemo potest comedere (*Joan.* vi). « Quæ enim conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Vel quis consensus templo Dei cum idolis? (*II Cor.* vi.) » Nulla his adinvicem societas, quoniam mors et vita simul non conveniunt. Sequitur :

« An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores « illo sumus. »

Non debemus ad subversionem fratrum manducare sacrificia idolorum. Quia *an æmulamur Dominum?* id est an invidemus Domino, ut regnum ejus minuamus, comedendo idolothyta ad perditionem fratrum? non oportet ut æmulemur eum, conantes ei auferre membra sua. Quia *nunquid fortiores sumus illo*, ut possimus contra eum prævalere, et eos ad perniciem trahere, quos ipse vult ad vitam servare, vel nos ipsos ab ejus percussione defendere? Malo nostro utimur, si contra Christum agimus. Vel ita : *An æmulamur Dominum*, id est an imitamur Christum comedentem cum publicanis et peccatoribus (*Matth.* ix; *Marc.* ii; *Luc.* v), dum cum idololatris manducamus? Nequaquam illum imitamur in hoc facto, quia ipse non cum idololatris cibum sumpsit, sed cum his qui unum Deum colebant, et tamen peccatores erant, ut eos dulcedine familiaritatis suæ traheret ad pœnitentiam. An imitamur Dominum? Minime. Et nunquid sumus fortiores illo? id est nunquid agimus fortiora quam ipse, per scientiam qua novimus idolum nihil esse, sumentes idolothyta quod ipse non fecit? Hoc est enim fortiores illo esse, quod tamen non est fortitudo sed debilitas, ea facere quæ ille non fecit.

« Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt « (*Ezech.* xxxvii; *supra* vi). Omnia mihi licent, « sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est « quærat, sed quod alterius. »

Abstinendum est ab immolatis, et *omnia* quidem ciborum genera *mihi licent*, qui possum ea sumere mundo corde, *sed non omnia expediunt* mihi, id est quædam eorum non adjuvant, sed implicant cursum meum. Secundum legem naturæ licent, quoniam munda sunt omnia naturaliter, et ideo licent, id est nullo præcepto mihi prohibentur. *Omnia* quidem ciborum genera *mihi licent*, et lege naturæ et potestate liberi arbitrii, *sed non omnia ædificant* proximos, quoniam quæ idolis oblata sunt, destruunt illos, et a fide subvertunt; et ideo a licitis etiam abstinendum est, ne fratres scandalizentur. *Nemo* enim *quærat quod suum est*, id est suum proprium commodum, *sed* commodum *alterius*. Nam qui veraciter intelligit idolum nihil esse, et omnem Dei creaturam bonam esse (*I Tim.* iv), atque sic comedit idolorum sacrificia, non verens scandalizare fratres propter suam escam, iste quod suum est quærit, non quod aliorum. Qui vero ne fratribus noceat, a licitis abstinet, ille non quod suum est quærit, sed quod aliorum, quia charitate compulsus, etiam per sua damna quærit aliorum commoda. Quod de esca diximus, hoc de omni re sentiendum est, quia qui suas utilitates negligit pro utilitatibus proximorum, ille justus est.

« Omne quod in macello venit, manducate, ni- « hil interrogantes propter conscientiam. Domini « est terra et plenitudo ejus (*Psal.* xxiii). »

Quoniam licita sunt hæc, et tamen non est utendum eis semper, determinat quomodo et qua ratione possint manducari, scilicet si venalia fuerint in foro reperta. *Omne*, inquit, *quod in macello venit*, id est quod venditur in loco ubi carnes venduntur, *manducate*, *nihil interrogantes*, id est non quærentes an sit immolatum vel non immolatum, et hoc facite *propter conscientiam*, id est ut libera sit conscientia vestra, quia licet aliquid sit oblatum idolo, tamen si hoc nescierit qui emit, nullum patitur scrupulum, et apud Deum immunis est. Vel propter conscientiam vendentis conservandam, quia si manducaretis postquam diceret immolatum esse, ille si infidelis esset, confirmaretur in infidelitate; vel si fidelis, revocaretur a fide. Nihil interrogate, quia si interrogaveritis infideles, qui vos sciunt esse Christianos, propter irrisionem vobis respondebunt omnia esse immolata. Dixi ut manducetis sine interrogatione, quia *Domini est terra*, quæ cuncta nutrit et sustinet, *et plenitudo ejus*, id est omnia quibus impletur terra. Nec potest immundum esse quod Domini est. Si ergo idolis immolatum aliquid, vel non est, vel nescitur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur. Si vero certum est immolatum esse, melius Christiana virtute respuitur.

« Si quis vocat vos infidelium ad cœnam et vul- « tis ire, omne quod vobis apponitur manducate, « nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis « aut dixerit, hoc immolatum est idolis, nolite « manducare, propter illum qui indicavit, et pro- « ter conscientiam. Conscientiam autem dico, non « tuam, sed alterius, ut quid enim libertas mea ju- « dicatur ab aliena conscientia? Si ego cum gratia

Digitized by Google

« participo, quid blasphemor pro eo quod gratias « ago? Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud « quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. »

Dixi qualiter manducandum sit quod emitis, dicam et gratis datum qualiter edi possit (*Coloss.* III). Ita scilicet : *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam*, etc. Cœna a communione vescentium appellatur ; κοινὸν quippe commune Græci dicunt. Unde et communicantes, quod communiter, id est pariter conveniant. Apud veteres enim solitum erat in propatulo vesci, et communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Si vos ad cœnam quis infidelium vocarit, non præcipio ut eatis, sed in vestra voluntate pono. Tunc autem Christianus ad cœnam infidelis ire debet, si aliquem fructum ibi habet, id est si scit se illum lucrari : sicut Christus ideo cum peccatoribus edebat, ut eos ad pœnitentiam converteret (*Matth.* IX). Si *vultis* ad talem cœnam *ire, omne quod vobis apponitur, manducate*, simpliciter, *non interrogantes* unde sit, *propter conscientiam* simul discumbentium, ne confirmetis infideles in errore suo, si scienter manducaveritis coram eis cibos idololatriæ. Hoc tamen perfectis dicitur, qui possunt contemnentes idolum quia nihil est, manducare de sacrificio, certi quia quod sub Dei Creatoris nomine editur non potest polluere. Nihil interrogantes edite quod apponitur. Sed *si quis dixerit* de eo quod apponitur, *hoc immolatum est idolis, nolite* jam *manducare propter illum qui indicavit*, ne putet vos illud comedere sub idolorum veneratione, *et propter conscientiam* aliorum. Qui enim idolis servit, gloriabitur, si vos edere de sacrificiis viderit, et in errore confirmabitur, malumque fratribus dabitis exemplum. Patet quia caro per se non est immunda. Nam si natura ipsa immolatitiæ carnis esset immunda, utique et nescientem contaminaret. Neque enim eo minus ipsa esset, quo a nesciente sumeretur. Sed propter conscientiam, ne dæmonibus communicasse videaris. *Conscientiam autem dico non tuam*, quæ firma est in cognitione veritatis, *sed alterius*, qui adhuc infirmus est in fide, vel necdum venit ad fidem. Apud conscientiam enim suam lætabitur infidelis quisque, si viderit te libenter appetere quod idolis immolatum est, et dicet : Quomodo Christiani vetant nos immolare quasi sit malum, et ipsi illa manducant quasi sancta et munda? Et idcirco abstinendum est, ne mala de nobis opinio generetur in aliorum mentibus, quia *ut quid judicatur mea libertas, ab aliena conscientia*, id est cum ab idoli veneratione sit libera conscientia mea, quid opus est ut malam de me dans opinionem, faciam æstimari quia venerationis causa manducem idolis immolata? Judicarer enim non distare ab idololatris, si non abhorrerem, quod oblatum est idolis, *et si ego cum gratia participo*, id est si ego gratiæ Dei communico, quia in ipsius nomine edo, *quid blasphemor pro eo quod gratias ago?* id est quid opus est me cadere in blasphemiam imperitorum? quid necesse est ut faciam æstimari quia ego devotus A sum idolo, dum quæ illi sunt oblata non horreo? Blasphemor enim inde ac vituperor, quia magnum aliquid de idolo sentire videor, et infideles gaudent in idololatria, dum me putant participem habentes occasionem permanendi in errore, et fidelibus malum datur exemplum. Et quia hæc mala inde contingerent, ergo cavete idolis oblata, ut possitis ad laudem Dei comedere. Quamvis enim per puritatem conscientiæ vestræ licitum sit vobis ista sumere, inimicum tamen Deo est ea scienter edere, quoniam ad opprobrium unius Dei hæc diabolo dedicantur. *Ergo* ne faciatis cibo vestro vel actu Deum blasphemari, sed *sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia facite in gloriam Dei*, id est sic facite omnia, ut ex his glorificetur et laudetur B Deus. Modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo, glorifica Deum. Si enim quod manducas et bibis, ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia, et cibus tuus et potus tuus laudat Deum. Si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, manducans et bibens Deum blasphemas. Si post cibum et potum requiescis ut dormias, et in lecto nihil turpiter egeris, nec excesseris ultra concessam licentiam in lege Dei, laudas eum ; et cum dormis, si mala conscientia non te excitat a quiete, innocentia somni tui laudat Deum ; et cum vigilas et bene agis, atque Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo C Deum laudas. Sic ad laudem ejus omnia sunt agenda.

« Sine offensione estote Judæis et gentibus et « Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus « placeo, non quærens quod mihi utile est, sed « quod multis, ut salvi fiant. »

Ita vestram conversationem modificate, ut nullus scandalum ex ea patiatur. *Estote* scilicet *sine offensione Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei.* Offensio enim Judæis fit, si Christianum qui se dicit legem et prophetas recipere, viderint idola quæ illi abominantur non horrere. Gentilibus vero hæc est offensio, si in eo in quo sunt, non solum non arguantur, sed et promptiores fiant, dum non vitantur vota D idolorum suorum. Ecclesiæ autem Dei fit offensio, dum quosdam ex numero suo videt his quæ inimica Deo sunt, adhærere. Cavete igitur uno cibo vestro sic omnes offendere, *sicut et ego* non solum non offendo quemquam, sed etiam *placeo omnibus per omnia* quæ facio. Non quidem ita placebat Apostolus omnibus, ut placeret etiam tam multis persecutoribus suis, » sed placebat omni generi hominum, quod Christi congregabat Ecclesia, sive jam intus positis, sive introducendis in eam. Oportet enim ut rectores boni placere hominibus appetant, sed idcirco ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda au-

Digitized by Google

dientiam ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians prædicator, qui non diligitur libenter audiatur. Debet ergo qui præest, studere se diligi, quatenus possit audiri; et tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Recte igitur Apostolus nunc dicit, quia ego per omnia omnibus placeo, quamvis alibi se deneget hominibus placere (*Galat.* I). Addit enim, *non quærens quod mihi utile est, sed quod multis ut salvi fiant.* Nulli autem utile est ad salutem, si homo ei propter seipsum placuit, quia non recte placet aliter, nisi cum propter Deum placet, id est ut Deus placeat et glorificetur, cum dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cum autem homo sic placet, non jam homo, sed Deus placet. Placet ergo Paulus et non placet, quia in eo quod placere appetit, non se, sed per se placere hominibus veritatem quærit.

CAPUT XI.

« Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. »

Ego, inquit, omnibus placeo, quærens omnibus prodesse, et vos estote imitatores mei, ut nullum offendatis, sed tali intentione per laudabilem vitam hominibus placere quæratis. *Imitatores mei estote sicut et ego* sum imitator *Christi*, quoniam ita per me imitabimini Christum qui nullum offendit, sed omnes salvare venit. Imitatores mei estote sicut et ego Christi. In ecclesia iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur et qui præcedunt, exemplo se præbent sequentibus: et qui sequuntur, imitantur præcedentes (*I Tim.* II). Sed et illi qui se exemplo præbent sequentibus, sequuntur ipsum Christum. Nam quia omnes superaverunt proficiendo, nec jam remansit homo quem imitentur, ipse Christus eis remanet, quem usque in finem sequantur.

« Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei « memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta « mea tenetis. Volo autem vos scire quod omnis « viri caput Christus est: caput autem mulieris vir « (*Ephes.* V); caput vero Christi, Deus. Omnis vir « orans aut prophetans velato capite, deturpat ca- « put suum; omnis autem mulier orans aut pro- « phetans non velato capite, deturpat caput suum. « Unum enim est ac si decalvetur. Nam si non ve- « latur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mu- « lieri tonderi aut decalvari, velet caput suum. »

Postquam mores et conversationem eorum arguit, nunc traditiones vult corrigere. Ideo non confirmando, sed per ironiam incipit loqui. Præcepi, inquit, ut me imitemini, et non possum reprehendere vos de inobedientia, sed *laudo vos quod per omnia estis memores mei, et præcepta quæ vobis tradidi, tenetis.* His verbis plus illos tangit, quam si manifeste increparet eos. Quia cum esset apostolus eorum, immemores erant traditionum ejus; neque quod adhuc non didicerant ex aliarum Ecclesiarum traditione, sequebantur; et ideo quasi noviter tradidit illis, dicens: *Volo autem vos scire*, etc. Quasi diceret: vos obliti estis mei, et traditiones meas non tenetis, sed volo ut ista quæ subjungo, sciatis. Volo vos scire *quod Christus est omnis viri caput*, quoniam vir a Deo quidem, sed per Christum factus est (*Gen.* II), sed *vir* est *caput mulieris;* quia, quamvis et mulier per Christum, de viro tamen facta est, ac per hoc subjicitur viro. Et sicut vir Christum, ita mulier debet sequi virum, et exemplo illius agere bona. Sicque secundario per virum subjicitur Christo. Vir enim nulli subjectus est nisi Christo, mulier autem et viro et Christo debet esse subjecta. Christus est caput viri, qui regitur a sapientia; sed vir caput mulieris, quæ regitur a viro. Designatur autem per virum spiritus rationalis et per mulierem anima. Est enim animæ quasi maritus quodammodo spiritus hominis, quia animalem affectionem tanquam conjugem regit. Christus ergo caput viri est, id est sapientia Dei gubernatrix est illius spiritus qui est in homine, quo potest homo intelligere spiritualia, si ipse spiritus pie se subjicit Deo, nihil enim altius illo spiritu, nisi sapientia quæ Deus est. Sed vir est caput mulieris quia spiritus regit animam. Aliud est enim in homine rationale quod regit, aliud animale quod regitur, ut scilicet caro non concupiscat adversus spiritum (*Galat.* V), sed spiritui subjugetur, id est concupiscentia carnalis non adversetur rationi, sed potius obtemperando desinat esse carnalis, ut appetitum animæ per quem voluptates corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum. Ita est caput viri Christus, et caput mulieris vir. *Caput vero Christi, Deus est*, secundum quod Pater major est illo (*Joan.* XIII), ut hunc ipsum Deum esse, quod illi cum Patre unum est, caput sit hominis mediatoris. Quod ipse solus est. Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est tanquam caput humanæ substantiæ, cum ipse homo cum mente sit homo, cur non multo congruentius, imo multo magis verbum cum Patre simul sit Deus, caput Christi, quamvis Christus homo nisi cum verbo quod caro factum est (*Joan.* I), intelligi non possit? *Omnis vir orans*, etc. Venit ad causam, quia et viri quidem apud Corinthios nutriebant comam, et mulieres nudato capite procedebant in ecclesiam, gloriantes in crinibus. Quod non solum inhonestum erat, sed etiam concupiscentiæ fomitem præstabat, et quoniam Christus est caput viri, ideo *omnis vir* tam dives quam pauper, in ecclesia Deum *orans aut* cæteris *prophetans*, id est futura et occulta, pronuntians *velato capite* corporeo, *deturpat*, id est dehonestat spirituale *caput suum* Christum, vel etiam corporale caput. Sed econtra *omnis mulier*, quia inferior et subjecta viro, si fuerit *orans* in ecclesia *aut prophetans, non velato capite, deturpat* et inhonestum reddit *caput suum*, quod ita nudum omnibus ostendit. Quoniam Christus cui servire est summa libertas, caput est viri, ideo non est justum ut in ecclesia oret vel doceat velato capite, quoniam inter eum et Christum non est aliquid medium.

Digitized by Google

Et propterea non debet ostendere signum servitutis in se, sed libertatis. Nam quia sine alio mediante Christus est caput ejus, et per Christum Deus, et ideo in signum libertatis non habet velum, quod est subjectionis signum. Deturparet enim caput suum, si oraret vel prophetaret cooperto capite, quia videretur reputare dedecorosum sub Christo esse, tanquam sub suo capite, et quod ignominia esset illi, quod summa libertas et gloria debet videri. Sed mulier in ecclesia stans non velato capite, id est sine signo subjectionis quam debet viro, deturpat caput suum, id est dehonestat virum, quasi non habeat eum medium inter se et Christum, vel caput suum carnale dehonestat, dum denudat illud, quia *unum est ac si decalvetur*, id est tantumdem est ad turpitudinem, ac si decalvaretur. Vere idem valet. *Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur.* Debet enim tonderi, si non est velata. Sed *si turpe est mulieri tonderi aut decalvari, velet caput suum.* Nam dum stat in ecclesia retortis crinibus in tergo et nuda fronte, hoc est adeo turpe, ac si capilli per decalvationem vel detonsionem essent ablati. Nunc spiritualem intelligentiam breviter attingamus. In viro enim, ut supra dictum est, rationalis sensus accipitur, in muliere autem anima hominis intelligitur, quæ a rationali sensu, velut mulier a viro, regitur. Ipsa quoque anima hominis, quæ utrumque unum fit, si quando ea quæ Dei sunt cogitat, quasi vir est. A qua contemplatione spirituali per velamen, id est carnalibus cogitationibus se cohibere non debet, sed revelata facie, id est mundo corde ad contemplanda cœlestia et spiritualia se extendere. Si quando vero ea quæ mundi sunt cogitat, quasi mulier est. Sed ne supra quam necesse est, se in terrenis actibus occupet, oportet ut discretionis velamine restringatur, ne forte dum licita et necessaria vult procurare, ad illicita et superflua cogitanda illiciatur. Et hoc est spiritualiter quod vir caput velare non debet, sed mulier. *Vir* enim, id est virilis sensus rationis; *orans*, id est desiderans superna, *aut prophetans*, id est futura præmeditans; *velato capite*, id est obumbrato nebulis terrenarum cogitationum suo acumine: deturpat caput suum, id est turpitudine cogitationum suarum obscurat sibi pulchritudinem supernæ sapientiæ. Sed mulier, id est inferior pars mentis intenta temporalibus; orans, id est appetens quæ corpori sunt necessaria; vel prophetans, id est futura quæ sibi sunt agenda prævidens; non velato capite, id est non per discretionis temperantiam restricto suo acumine: deturpat suum caput, id est turpitudine interiorum desideriorum fœdat superiorem mentis aciem, quæ debuit solis cœlestibus inhiare Tantumdem enim valet, quod sine velo modestæ cohibitionis se relaxat in appetitum temporalium rerum; ac si decalvetur, id est ac si detegatur et appareat omnibus prava intentio ejus, de qua debet erubescere. Hæc enim per frontem, quæ pudoris sedes est et præeminet, designatur. Nam mulier, id est pars rationis intenta rerum A temporalium administrationi, si non velatur, id est si non modeste restringitur a superfluis cogitandis, etiam tondeatur, id est auferat a se universas cogitationes mundanarum curarum. Melius est enim ut omnes mundi curas abjiciat, quam ut in omnia mundi desideria spargatur, dum necessaria procurat. Si vero turpe est mulieri tonderi vel decalvari, id est si hæc inferior pars animæ, quæ parum ad aliud valet, incongruum deputat abscindere velut capillos a se omnes mundi curas, vel detegere eunctis impudentiam suæ intentionis erga temporalia, velet caput suum, id est modeste cohibeat a superfluis cogitationibus acumen suum.

« Vir quidem non debet velare caput suum quia « imago et gloria Dei est. Mulier autem gloria viri B « est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex « viro (*Gen.* II). Etenim non est creatus vir propter « mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet « mulier velamen habere super caput suum, et pro « pter angelos. Verumtamen neque vir sine mulie- « re, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut « mulier de viro, ita et vir per mulierem. Omnia « autem ex Deo. »

Vir quidem non debet velare caput suum, id est non debet habere signum servitutis vel potestatis super se, sed libertatis, quia non habet aliquid super se nisi Deum. Quoniam *imago et gloria est Dei.* Imago, id est similitudinis impressio, et gloria Dei cernitur in viro, quia unus Deus unum fecit hominem, ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita essent ab C uno homine omnes homines, ut unius Dei invisibilis unus homo visibilis imaginem haberet in terris, ut unus Deus in uno homine videretur auctoritatem unius principii conservare ad confusionem diaboli, qui sibi neglecto uno Deo, dominium et deitatem voluit usurpare. Homo igitur imago et gloria Dei est, ut sicut Deus præest omnibus per omnipotentiam, sic homo terrenis per intelligentiam. *Mulier autem gloria est viri*, quoniam facta est illi in adjutorium, ut haberet vir gloriam de ea cum ei præiret ad Deum, et se ei daret imitandum in sanctitate, sicut ipse esset gloria Dei, cum ejus sapientiam sequeretur. Gloria viri est mulier, dum ille regit, hæc obtemperat; ille a sapientia regitur, D hæc a viro. Gloria viri est, quoniam ex eo est et ei subjecta est. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*, id est Adam non ex Eva, sed Eva ex Adam. Et adhuc alia ratione demonstro, cur mulier sit gloria viri. *Quia non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, id est non est creatus Adam in auxilium Evæ, sed Eva in adjutorium Adæ. Hoc confirmat illud, quod diximus unum Deum unum hominem fecisse, quoniam vir et mulier unum sunt in natura, quia origo mulieris vir est. *Ideo mulier*, ut ostendatur esse subjecta, *debet habere velamen super caput suum*, id est potestatem, ad designandam potestatem viri super se. Non habeat caput liberum in ecclesia, sed velamine tectum, *et propter angelos*, id est propter sacerdotes divinæ

Digitized by Google

voluntatis nuntios, ne in ejus faciem irritentur ad libidinem; et quia sacerdos personam habet Christi, idcirco mulier quasi ante judicem, sic ante sacerdotem qui vicarius ejus est, propter reatus originem subjecta debet videri. Vel propter angelos, qui nobis sunt ad custodiam deputati, ne displiceat eis lasciva mulieris denudatio, si viderint fomitem peccati per eam excitari. Dixi quia mulier est gloria viri, et propter virum, et ex viro creata in principio. Sed *tamen* in subsequenti generatione non est ita, quia *neque vir sine muliere, neque mulier sine viro* creatur *in Domino*, id est in operatione Domini, qui ex uno fecit primitus ambos et unum. Una enim caro et unum corpus in Domino, id est secundum Deum, qui creavit. Vel ita : Licet mulier propter reatus originem portet signum subjectionis, non tamen exclusa est a salute, quia neque vir sine muliere, id est exclusa muliere, neque mulier sine viro, id est excluso viro est in Domino, id est in gratia Domini et salute æterna. Neuter enim excluditur, sed uterque admittitur, et cur hoc? Quia *sicut mulier de viro* prius facta est, *ita et vir per mulierem* postea nascitur. Mulier est ex viro, vir per mulierem. Sed *omnia* sunt *ex Deo*. Quæ omnia, nisi de quibus nunc sermo est? id est et ille vir ex quo mulier, et illa mulier quæ est ex viro, et ille vir qui per mulierem. Postquam Apostolus singula gradatim exposuit, ut omnia Deo subjiceret, unum servans principium ait : *Omnia ex Deo*, ut neque mulier de subjectione doleret, neque vir quasi de exaltatione superbiret. Sed congruum est ut ad spiritalem intelligentiam revertamur; vir enim non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est. Genesis docet virum et mulierem factos ad imaginem Dei. Fecit, inquit, Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, masculum et feminam fecit eos (*Gen.* II). Ad imaginem quippe Dei naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei separat feminam. Quomodo igitur dicit Apostolus virum esse imaginem Dei unde caput velare prohibetur, mulierem autem non, et ideo caput velare jubetur, nisi in natura humanæ mentis intelligamus mulierem cum viro suo esse imaginem Dei, ut una imago sit tota illa substantia? Cum autem ad adjutorium distribuitur, quod ad eam solam attinet, non est imago Dei. Quod autem ad virum solum attinet, imago Dei est tam plena atque integra, quam in unum conjuncta muliere. Vir enim principaliter creatus est ad imaginem Dei, in quo naturaliter amplius viget ratio, quasi ipse sit ratio, quæ est gloria Dei. Mulier autem est ipsa sensualitas, quæ subserviendo gloria est rationis, quia hæc in femina naturaliter prævalet. Et ideo natura mentis humanæ non est imago Dei, nisi ex qua parte æternis rationibus considerandis adhærescit. Quia, etsi tota contempletur veritatem, imago Dei est; et cum ex ea distribuitur aliquid et quadam intentione derivatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago Dei est; ex qua vero intenditur in agenda inferiora, non est imago Dei, et quia quantumcunque se extenderit in id quod æternum est tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, et propterea non est cohibenda ut se inde contineat ac contemneret, ideo vir non debet velare caput suum. Quia vero illi rationabili actioni, quæ in rebus temporalibus corporalibusque versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio, debet habere potestatem super caput, quod indicat velamentum quo significatur esse cohibenda. Vir non est ex muliere, sed mulier ex viro, id est æternæ contemplationis veritas non ex administratione temporalium rerum, ut ab ea regatur, neque ratio ex sensualitate, sed econverso, quia non est creatus vir propter mulierem, id est rationalis sensus subserviat sensualitati, nec æternorum contemplatio ut subjiciatur temporalium actioni, sed econtrario, et idcirco mulier, id est sensualitas et pars illa rationis, quæ ad temporalia gubernanda deflectitur, habeat potestatem, id est jugum superioris moderaminis super caput, ut per disciplinam prematur a noxia libertate vagarum cogitationum propter angelos Dei, qui nos semper aspiciunt, ne dissoluta lascivia cogitationum nostrarum offendantur. Sed tamen neque vir sine muliere, id est rationalis sensus sine sensualitate vel temporalium procuratione; neque mulier sine viro, id est neque sensualitas vel temporalis actio sine superiori sensu; in Domino, id est in Domini operatione, sed potius et illud quod regendi habet potestatem in homine, et illud inferius quod regendum est, Dominus fecit. Nam sicut mulier de viro, id est sicut actio bona ex cognitione veritatis habet originem, ita ut vir per mulierem, id est similiter et cognitio veritatis post exercitur per bonam actionem. *Omnia autem sunt ex Deo*, id est et contemplatio veritatis et bona operatio, vel superior et inferior pars animæ. Aliter : Per virum spirituales rectores plebis ecclesiasticæ designantur, in quibus velamen ignorantiæ non debet esse. Per mulierem vero figurantur animæ infirmæ, quæ nihil spirituale, nihil de invisibilibus capere possunt. Quibus tamen ignorantiæ velamen non officit, si de his quæ non intelligunt, nihil de proprio sensu præsumunt, sed sacerdotibus suis velut angelis honorem dantes, inquirunt ab illis quæ nesciunt. Cæterum si quælibet infirma, quæ adhuc carnaliter sapit, spiritualibus viris se conferre præsumpserit, deturpat caput suum, id est inhonorat sacerdotes ecclesiæ. Sed hæc omittentes, videamus sequentia, nam subditur :

« Vosipsi judicate Decet mulierem non velatam « orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir « quidem si comam nutriat, ignominia est illi « mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, « quoniam capilli pro velamine dati sunt ei? »

Dixi quia mulier in ecclesia debet habere velatum caput, et *vosipsi judicate*, si hoc rationabiliter

Digitized by Google

dixi. Judicate si decet mulierem non velatam orare Deum. Non decet, quia *nec ipsa natura docet vos* hoc esse decens, quæ capillos mulieris ita multiplicat. Cum hæc esset apostolicæ traditionis ratio, ut velatæ mulieres essent in ecclesia, illi econtra revelatas eas in ecclesia patiebantur (*Ezech.* XLIX). Ideo non jam per auctoritatem traditionis quam neglexerant, sed per ipsam naturam suadere illis nititur veritatem. Nec ipsa, inquit, natura docet vos hoc docere. Et hoc docet natura, *quod vir* quidem *si comam nutriat*, cum et lex hoc prohibeat, *ignominia*, id est grande opprobrium *est illi;* sed *si mulier comam nutriat*, *gloria est illi*, quod coma ipsius tam longa et tam decora crescit ac multiplicatur, ut summa gloria et pulchritudo videatur. Ideo gloria est illi, *quoniam capilli* a naturali institutione *dati sunt ei pro velamine* habendo, id est dati sunt ei ut aliud velamen apponatur, quod per productionem capillorum innuitur. Coma enim indicium velaminis est, ut naturæ voluntas addatur. Et ideo vir non est naturaliter comatus, quia non est velandus. Sed et juxta superiorem tractatum spiritualis intelligentiæ non docet ipsa natura mulierem sine velamine Deum orare, quoniam erectus hominis status indicat quod illa pars rationis ejus, quæ temporalia procurat, non sine velo discretionis ea debet a Domino petere, ne sicut Dei animalia totam se dejiciat in appetitum terrenarum rerum. Velo enim debet cohiberi a nimio cogitatu et appetitu inferiorum. Vir quidem, id est superior mentis sensus, qui cœlestia serenus debet cogitare, si nutriat comam, id est densitatem superfluarum cogitationum, ignominia est illi. Mulier autem, id est pars illa mentis quæ temporalia dispensat, si nutriat comam, id est multitudinem utilium cogitationum, per quas sapienter expleat necessariam rerum corporalium administrationem, gloria est illi, quoniam apud Deum habet inde mercedem. Quoniam capilli dati sunt ei pro velamine, id est multiplex cogitatus de necessariis rebus est illi datus, ut sub hoc tegatur et abscondatur a dissoluta vagatione inutilium et noxiarum cogitationum.

« Si quis autem videtur contentiosus esse nos « talem consuetudinem non habemus, neque Ec- « clesia Dei. Hoc autem præcipicio, non lau- « dans, quod non in melius, sed in deterius con- « venitis. »

Dixi viros non debere comatos esse, sed mulieres oportere comam nutrire et caput velare, multasque rationes inde monstravi. Sed *si quis videtur contentiosus esse*, ut adhuc de hac re velit contendere, saltem auctoritati debet acquiescere, quia *nos* Judæi, a quorum instructione processit habitus religionis ecclesiæ, et qui sumus semper populus Dei, *non habemus talem consuetudinem*, ut viri sint comati, et mulieres nudent capita, *neque* etiam *Ecclesia Dei* ex Judæis et gentibus constituta. Post rationes ponit auctoritatem, ut contentiosos vincat, quia neque Judaismus hoc habuit, nec Ecclesia Dei, ostendens quia neque Moyses, neque Salvator sic tradidit. Deinde jam amplius disputare non vult de virorum tonsione vel mulierum velatione, sed præceptum inde tribuit dicens : *Hoc autem præcipio*, scilicet ut disserentis solertia non requiratur, sed præcipientis auctoritas attendatur. Quasi dicat : Forsitan aliquis vult adhuc contendere non sic faciendum esse, sed ego præcipio hoc ita fieri, et auctoritate mea constituo : ego dico, *non laudans*, sed potius improbans, *quod convenitis* in ecclesia ad accipiendum corpus et sanguinem Domini, *non in melius*, ut deceret, *sed in deterius*, id est quia conventus vester ad Dominicam cœnam non fit in meliorationem vestri, sed in deteriorationem, quoniam multipliciter peccatis ibi.

« Primum quidem convenientibus vobis in ec- « clesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex « parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et « qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. »

Primum quidem, id est maximum omnium malorum est apud vos, quod in conventu vestro fiunt schismata. Nam in melius ideo non convenitis, sed in deterius, quia *convenientibus in ecclesiam vobis*, ubi vinculum charitatis esse deberet, unaque voluntas et summa concordia, ad quod unus locus vos invitat et admonet, *audio scissuras*, id est discordias *esse inter vos et ex parte*, id est in quibusdam vestrum *credo* illas esse. Scissuræ in eis erant, quia illi qui superiora dona spiritus habebant, contemnebant cæteros, qui tanta dona non perceperant, et scindebant se ab illis. Ipsi quoque minores, per quamdam desperationem removebant se ab illis, dum tantam spiritualium charismatum excellentiam, quam assequi non poterant, mirarentur in eis. Ego scissuras divisionum inter vos esse credo. Nec mirum, quia *oportet*, id est utile est fidelibus, *et hæreses esse* contra eos ad exercitationem eorum, *ut* per has boni *et qui* jam Deo *probati* et noti *sunt*, *manifesti fiant* hominibus *in vobis*, id est inter vos. Ex istis erant nonnulli hæretici, ut illi qui resurrectionem negabant (*Matth.* XXII ; *Act.* XXIII). Sed per eos manifestati sunt cæteris illi, qui fidem apostolicam firmiter tenuerunt, dicentes : « Ego sum Christi, cum alii dicerent, ego sum Pauli, ego autem Apollo (*supra* I), » et semper prosunt hæreses fidelibus. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam si essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, et ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in sancta Ecclesia Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quandiu imperitiæ nostræ tenebris delectati, dormire malumus quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi ut veritatem Dei videant et gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur ergo hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eo-

Digitized by Google

rum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etiam si eos ad salutem revocare non possumus. Oportet igitur et hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant in nobis. Hi enim probati sunt Deo, qui bene possunt docere. Sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent. Docere autem nolunt nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, et in imperitia sua erubescant sibi, ac de illa periclitari se sentiant. Ideo providentia divina multos diversi erroris hæreticos esse permittit ut cum insultant nobis et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic discutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Hæreticus autem est, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas opiniones ac novas vel gignit vel sequitur.

« Convenientibus ergo vobis in unum, jam non « est Dominicam cœnam manducare, unusquisque « enim suam cœnam præsumit ad manducandum. « Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. « Nunquid domos non habetis ad manducandum et « bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et con« funditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? « Laudo vos? in hoc non laudo. »

Quando quidem scissuræ sunt inter vos, *ergo vobis convenientibus in unum, jam non est manducare Dominicam cœnam*, id est illud manducare quod ibi facitis, quia discordanter hoc facitis, jam non est manducare Dominicam cœnam. Quia *unusquisque* vestrum *præsumit* in ecclesia manducare seorsum *cœnam suam*, id est oblationem suam, cum Dominica cœna communis esse debeat omnibus Christianis, sicut Christus cum suis discipulis communiter cœnavit. Tangit eorum consuetudinem, quia frequenter in anno certis diebus solebant omnes, ad ecclesiam convenire, ut corpus et sanguinem Domini perciperent, et in ecclesia convivium agerent ex oblationibus suis, ad exemplum cœnæ quam Dominus cum discipulis suis fecit. Sed hanc consuetudinem plurimi eorum perverterant; et secundum quod alius alio prior veniebat afferens cibos suos, manducabat et inebriebatur, non exspectans pauperem fratrem; et postea corpus Domini sumebat, vel cibis suæ mensæ miscebat, non judicans illud ab aliis cibis differre. Nam munera sua offerentes advenientibus presbyteris, quia adhuc rectores ecclesiis non omnibus locis fuerant constituti, totum sibi quod obtulerant vendicabant schismatis causa. Nam pseudoapostoli dissensiones inter eos seminaverant, ita ut oblationes suas zelarentur, cum una atque eadem prece omnium oblationes benedicerentur, ut hi qui (ut assolet fieri) nihil obtulerant, vel unde offerrent non habebant, pudore correpti confunderentur, non sumentes partem. Et tam cito illud agebant, ut supervenientes non invenirent quod ederent. Ideoque Apostolus illos increpat. Si sic, inquit, convenitis, ut unusquisque cibum suum sumat, domi hæc agenda sunt, non in ecclesia, ubi unitatis et mysterii causa convenitur, non dissensionis et ventris. Munus enim oblatum, totius populi fit, quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod omnes unum sunt, de uno pane omnes sumere oportet. Itaque dicitur : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare*, id est jam non potestis sacramenta Redemptoris accipere, nec jam ad similitudinem cœnæ Domini facitis ibi convivium. Quare? Quia *unusquisque vestrum cœnam suam*, id est quod secum attulit, *præsumit*, id est ante Dominicam cœnam, et antequam cæteri conveniant, sumit, *ad manducandum*, non ad erogandum pauperibus. *Et alius quidem* qui non attulit quod ederet, vel sero venit, *esurit; alius autem*, qui cibos suos edere præoccupavit, *ebrius est*. Et ita jam non estis idonei Dominicam cœnam manducare, id est sacram eucharistiam percipere quæ a jejunis et concordantibus est percipienda, quamvis apostoli primo non jejuni eam perceperint. Placuit enim Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque quia post cibos illud dedit Dominus, propterea pransi vel cœnati fratres ad illud percipiendum convenire debent, aut sicut faciebant quos nunc Apostolus arguit et emendat, mensis suis hoc miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem mox digressurus erat; et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis per quos Ecclesiam dispositurus erat, servaret hunc locum. Vos inquit, ita comeditis, quisque suas oblationes, nec facitis eas ut deberetis omnibus communes. Sed cur ad talem comestionem venitis in ecclesiam. *Nunquid non habetis domos ad manducandum et bibendum*, ut ibi convivia hujusmodi celebretis? *Aut Ecclesiam Dei*, id est, domum orationis (*Isa.* LVI; *Matth.* XXI) qua consecrata est ad exorandum in ea Deum, et ad percipienda illius sacramenta, *contemnitis?* Utique contemnitis eam, dum irreverenter in ea carnales cibos sumitis. Et etiam *confunditis* eos qui non habent quod ibi comedant, cum vos in conspectu eorum deliciis affluatis, et ipsi vel jejuni remaneant vel solum panem suum comedant. In hoc etiam confunditis pauperes *qui non habent* quod edant, quia vos antequam ipsi veniant manducatis, et nihil illis relinquitis, atque ita cum ipsi veniunt, quod manducent non inveniunt et erubescunt. Sic enim confunditis et eos qui præsentes sunt et nihil accipiunt, sive juxta superfluas opes vestras suam tenuitatem comedunt, et illos qui postvenientes nihil inveniunt, et *quid dicam vobis* qui talia facitis : Non invenio quid dignum pro commissione talium operum vobis dicam. *Laudo ego vos? in hoc* quod ista tam male agitis, *non laudo*, sed multum reprehendo. Vel laudo

Digitized by Google

vos in nonnullis aliis, sed in hoc nihil laudabile invenio.

« Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem : et gratias agens, fregit et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV ; *Luc.* XXII). »

Jure vos non laudo, sed vitupero in hoc quod ita perverse et irreverenter ad Dominicam cœnam convenitis, quia traditionem meam super hac re non bene servastis. Quam tamen diligenter servare debuissetis, quia *ego* non a meipso inveni eam, nec a Petro vel Andrea didici, sed *accepi a Domino, quod et vobis de tanta re tradidi*, et ideo reverenter atque inviolabiliter debetis retinere, quod mihi Dominus tradidit et ego vobis. *Hoc vobis tradidi, quoniam Dominus Jesus*, etc. Ostendit Apostolus mysterium eucharistiæ inter cœnam celebratum, non cœnam esse. Medicina enim spiritualis est, quæ cum reverentia degustata, purificat sibi devotum ; et memoria redemptionis nostræ est, ut Redemptoris memores, majora ab eo consequi mereamur. In nocte autem traditus est ad passionem, sed venit inde ad resurrectionis lucem. *Dominus Jesus*, id est Salvator credentium, *in qua nocte tradebatur*, jam imminente suæ passionis articulo, *accepit panem, et gratias agens, fregit*. Accepit panem, ut significaret se acceptisse corpus quo nos pasceret. Et gratias agit Patri de reparatione hominum futura per passionem ejus, ac per sacramentum corporis et sanguinis ejus. Et fregit panem, ut ostenderet corporis sui fractionem, id est passionem non absque sua sponte ac procuratione venturam, sed se facturum illam, sicut ait : « Quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam : et nemo tollet eam a me, sed ego pono eam a me ipso (*Joan.* X). » Fregit panem, ut omnibus suis ex eo daret et unum omnes illos faceret, *et dixit eis : Accipite* hanc spiritalem escam *et manducate* hoc sacramentum, id est et mente accipite et ore comedite, scilicet ut carnem meam non cibalis tantum in sacramento, sicut et multi mali alii faciunt, sed usque ad participationem spiritus manducetis, ut in meo corpore tanquam membra maneatis, et meo spiritu vegetemini. « Quia qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo (*Joan.* VI). » Signum enim quia manducavit et bibit, hoc est, si manet et manetur, si inhabitat et inhabitatur, si hæret, ut non deseratur. Sic do vobis ad edendum carnem meam, scilicet ut hanc edentes non relinquatis unitatem meam. Manducate quod tribuo, quia *hoc est corpus meum*. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed illud idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem et crucifigetur. *Hoc* quod dixit : *Facite*, id est corpus meum accipite et manducate per successionem temporis usque in finem sæculi, *in meam commemorationem*, id est in memoriam passionis meæ, ut pertractetis et consideretis, quam dignam et sanctam et humanæ salutis efficacem medecinam accipitis, quatenus ex consideratione tantæ sanctitatis cum majori veneratione sacram eucharistiam percipiatis, et imitari passionem meam desideretis, ut si opus fuerit, pro salute fratrum mori parati sitis. Accipientes enim corpus meum, memores mei esse debetis, ut diligenter recogitetis quis ego sim, et quæ inter homines conversans operatus sim vel quæ pertulerim, ut sicut præcessi sequamini. Vel vos sacerdotes hoc facite, id est ex pane corpus meum per mystica verba consecrate, in memoriam passionis meæ, ut recogitetis eam dum sacrificium istud obtuleritis. *Similiter* ut acceperat panem et fecerat ex eo vinum et verum corpus suum, *accepit et calicem*, et fecit ex vino sanguinem suum, *postquam cœnavit*, id est jam et finito veteri pascha quod cum discipulis tunc manducaverat. Transiit enim a veteri ad novum Pascha, quod tradebat celebrandum Ecclesiæ, ut pro carne et sanguine legalis agni, sacramentum sui corporis et sanguinis substitueret. Ob hoc etiam post finem cœnæ, ut illud quod cum eis ultimum ageret, arctius eorum mentibus imprimeret. Quoniam illud quod eorum saluti magis erat utile debuit eis ad ultimum reservare, et maxime cordibus eorum commendare. Accepit calicem et dixit : *Hic calix*, id est hic potus *est Novum Testamentum*, id est nova promissio cœlestis hæreditatis *in sanguine meo*, quo plenus est idem calix. Hoc est, potus hujus calicis est sanguis meus, qui non vetera, sed nova, id est non terrena, sed cœlestia bona promittit (*Hebr.* IX). Nam calix Moysi Vetus Testamentum fuit, quia terrenam hæreditatem promisit in sanguine vitulorum et hircorum, de quo idem Moyses ait : « Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus (*Exod.* XIV). » Per testamentum enim datur hæreditas, et in sanguine Christi accepimus Novum Testamentum, id est novam legem quæ obedientibus sibi dat hæreditatem regni cœlorum. Testamentum Novum in Christi sanguine consecuti sumus, per quod ad novam hæreditatem perveniamus, quia beneficii divini sanguis testis est. Unde et ad tuitionem corporis et animæ nostræ sacramenta ejus percipimus, quia caro ejus pro salute nostri corporis est oblata ; sanguis vero pro anima nostra effusus est, ut utraque nostri substantia hæreditatem vitæ perennis acciperc posset. Nec mirum, quod de pane et vino carnem et sanguinem suum fecit. Nam et in quolibet homine carnem et sanguinem de pane et vino facit, quia panis comestus mutatur in carnem, et vinum potatum vertitur in sanguinem per Creatoris operationem. Calix Christi quem in mysterio bibimus, propterea etiam dicitur testamentum in sanguine

Digitized by Google

ejus, quem semel in cruce fudit pro nobis, quia munit et defendit nos adversus calumnias hostis antiqui, ne cœlestem nobis hæreditatem possit auferre, sicut litteræ illæ quæ vocantur testamentum, hæredem muniunt adversus calumniatorem, ne tollat ei hæreditatem. *Hoc, inquit, facite*, id est calicem hunc bibite *in meam commemorationem, quotiescunque bibetis* illum ut scilicet nunquam sine memoria passionis meæ bibatis eum, sed in mente habeatis, quia ego mortem pertuli pro vobis. Aut certe vos qui sacerdotes estis, hoc facite quod ego nunc feci, id est calicem vini consecrate, ut fiat sanguis meus, hoc facite in meam commemorationem, ut in hoc facto sitis memores mei et eorum quæ pro vobis passus sum. Hoc ita dixit Dominus, velut si quis moriens relinquat ei quem diligit aliquod pignus; quod dum ille post mortem ejus aspicit, lacrymas continere non potest, si eum perfecte dilexit.

« Quotiescunque enim manducabitis panem hunc « et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. »

Exponit in quam commemorationem Christi debeamus celebrare vel accipere sacramentum corporis et sanguinis ejus, scilicet in commemorationem mortis ejus. Ideo, inquit, dixit Dominus in suam commemorationem hoc debere fieri, quia *quotiescunque manducabitis hunc* vitæ *panem et* hunc æternæ salutis *calicem bibetis, mortem Domini* pro nobis factam *annuntiabitis*, id est repræsentabitis *donec* ipse *veniat* ad judicium, quia hoc sacramentum non mutabitur sicut sacramenta Judæorum. Significat finem sæculi, quando erit sanctorum requies non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu bibitur quod de Christi latere manavit, sed jam in ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradetur regnum Deo et Patri (*infra*, XV), ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus.

« Itaque quicunque manducaverit panem hunc et « biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis « et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. « Qui enim manducat et bibit indigne, judicium « sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus « Domini. »

Quandoquidem auctoritate Domini Jesu probavimus panem illum esse corpus ejus, et vinum sanguinem ejus, atque celebrandum vel accipiendum esse mysterium illud in commemorationem mortis ipsius, *itaque quicunque* homo, sive dives, sive mediocris, sive pauper, sive clericus, sive laicus, *manducaverit panem* Domini *hunc et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Indigne manducat et bibit, qui hoc mysterium aliter celebrat vel accipit, quam a Christo traditum. Ideo fit reus corporis et sanguinis Domini, id est habit pœnas mortis Domini. Occisus enim pro his qui beneficium ejus in irritum ducunt. Indigne manducat et bibit, qui sine debita reverentia sacram eucharistiam percipit. Indigne manducat et bibit, qui non prius per pœnitentiam purgatus, ad hoc sacramentum accedit. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat quo debet pœnitentiam agere. Fit igitur reus corporis et sanguinis Domini, id est non purgationem, sed maculam culpæ pro qua pereat, trahit ex eo quod male accipit bonum sacramentum corporis et sanguinis Domini. Nec sibi si indignus accesserit applaudat, quia continuo damnatus non fuerit, quoniam multoties peccatoris supplicium differtur, sed perendinatur occultum judicium. Nemo præsumat accedere indignus, sed *homo*, id est rationabiliter agens, *probet*, id est discutiat et examinet prius *seipsum*, qui etiam ex eo quod homo est, sine peccato non est. Probet antea seipsum, id est vitam suam inspiciat et consideret, an digne possit accedere vel non. Raro enim potest inveniri quisquam ita magnus et justus, ut in eo per discussionem non inveniatur aliquid, quod debeat eum a corpore et sanguine Domini retardare, nisi confessus fuerit illud, et per pœnitentiam deleverit. Probet se, *et sic*, id est postquam se probaverit, *edat de pane illo et bibat de calice*, quia tunc ei proderit. Ideo prius se discutiat et purget, quia *qui manducat et bibit indigne*, id est sine sui examinatione, *judicium sibi manducat et bibit.* Indigne manducat et bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, et non confitetur ea priusquam ad communionem accedat. Duobus etiam modis manducare et bibere debemus hoc sacramentum, id est ore cordis et ore corporis. Nam qui solo ore corporis manducat, indigne manducat. Qui autem et ore corporis et ore cordis accipit, ille digne comedit. Qui indigne manducat judicium sibi manducat; id est damnationem extremam, quæ nunc appellatione judicii signatur, sicut et cum Dominus ait : « Qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (*Joan.* v). » Judicium sibi manducat, non alii, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed confessione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam et personam suam, et ideo boni debent tolerare malos. Judicium sibi manducat, non quia mala res sit quam accipit, sed quia ille malus male accipiendo ad judicium accipit bonum quod accipit. Sicut enim Judas cui buccellam tradidit Dominus (*Joan.* XIII), non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit; sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis Domini nihilominus est, sed ille accipit hoc non ad vitam, sed ad judicium, quia non dijudicat corpus Domini, id est non discernit quam sit dignius omnibus creaturis hoc corpus, quod videtur esse panis. Si enim cogitaret hoc corpus esse, verbo Dei personaliter unitum, et vitam ac salutem eorum esse

Digitized by Google

qui hoc digne accipiunt, non præsumeret indignus accipere, sed dignum se præparet. Devoto enim animo et cum timore accedendum est ad illum, ut sciat mens se ei reverentiam debere ad cujus corpus sumendum accedit, et dijudicet apud se cujus dignitatis sit illud corpus. Inde enim Apostolus nunc indigne dicit acceptum a Corinthiis, quia hoc non discernebant a cæteris cibis veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset, judicium sibi manducat et bibit, addidit, *non dijudicans corpus Domini*. Non enim dijudicabant illud, sed velut quemlibet alium cibum indiscrete negligenterque sumebant. Sequitur :

« Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dor-
« miunt multi. »

Quia indigne manducatis hoc corpus et sanguinem bibitis, *ideo* sunt *inter vos multi infirmi*, qui gravi morbo languent, *et imbecilles*, qui diuturna invaletudine torpent, *et dormiunt* etiam *multi*, id est somno mortis sunt occupati. Ut verum probaret quia examen futurum est accipientium corpus Domini, jam hic imaginem judicii ostendit in nonnullis, qui inconsiderate corpus illud acceperant, dum ægrotationibus et longis invaletudinibus tenerentur, et multi morerentur, ut in his cæteri discerent se non impune corpus Domini negligenter accipere, et paucorum exemplo cæteri territi emendarentur, scientes quia graviores pœnas in futuro sæculo propter hanc culpam ipsi forent passuri, si non corrigerentur. Nam et adhuc propter hujusmodi causam multi homines post pascha variis infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indigne perceperunt.

« Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non uti-
« que dijudicaremur. Dum judicamur autem a
« Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo
« damnemur. »

Hæc mala divino judicio patimur ob contemptum Dominici corporis. Sed *si dijudicaremus nosmetipsos*, id est si in diversas partes actionum et cogitationum nostrarum oculos mentis circumduceremus, et de singulis quæ nos male fecimus aut cogitavimus, nosipsos districte pœnitendo judicaremus, *non utique* a Domino *judicaremur*. Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, constituat se ante faciem suam. Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis profluat per lacrymas. Postremo ab ipsa mente sententia talis proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini, si tales culpas in se repererit. Versetur ante oculos ejus imago futuri judicii ; et quidquid in se viderit quod a judice venturo reprehendi possit et puniri, ipse nunc in seipso reprehendat et puniat. Peccata enim, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt, quia aut homine puniente, aut Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Quia si nosmetipsos dijudicaremus, non utique a domino judicaremur, id est puniremur, vel in futuro sæculo, vel in isto. Sed *dum* in præsenti vita *juaicamur a Domino*, id est plectimur infirmitate vel adversitate vel corporis morte pro peccatis nostris, corripimur ab eo clementer et emendamur, *ut* in futura vita *non damnemur* æternaliter *cum hoc mundo*, id est cum infidelibus et amatoribus hujus mundi. Idcirco enim nobis modo non parcit, ut in perpetuum parcat. Illis autem nunc parcit, quos in æternum puniri disposuit.

« Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi
« manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera
« autem, cum venero, disponam. »

Quandoquidem quisquis indigne corpus Domini percipit, judicium sibi percipit, et multi etiam in præsenti sæculo propter hanc offensionem variis languoribus aut mortibus plectuntur, *itaque, o fratres mei*, cavete jam indigne illud sumere, cavete non schismate ad illud convenire, sed *cum convenitis ad manducandum* illud, per fraternam dilectionem *exspectate invicem* alii alios, ut multorum oblatio simul celebretur, et omnibus ministretur. Sed *si quis esurit*, et propter acriorem famem non potest exspectare donec omnes conveniant, *domi manducet* suum corporalem cibum, et post veniens ad Ecclesiam, non accipiat eucharistiam. Ita vos invicem propter has causas exspectate, *ut non in judicium conveniatis*, id est ut non reprehensibiliter et cum offensione sacrum mysterium agatis, ne judicium damnationis inde conquiratis. Hæc interim observate. Sed *cætera* quæ sunt agenda, *disponam* vobis *cum venero*. Prius ostendit quomodo vir et quomodo femina caput agere debeat, deinde qualiter ab utroque sexu in ecclesiam convenire oporteat ; in quibus rebus si error fuerit, non leve peccatum est. Cætera vero quæ ad ædificationem ecclesiæ pertinent, præsentia sua ordinaturum se promisit, quia multum erat ut in epistola sua totum illis agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia.

CAPUT XII.

« De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fra-
« tres ; scitis autem quoniam cum gentes essetis,
« ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.
« Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu
« Dei loquens, dicit anathema Jesu, et nemo potest
« dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto
« (*Marc.* IX). »

Crescente fide, gratia linguarum minuebatur, quam propter infideles acceperant. Hinc ergo plurimi contristati, cœperunt adhuc habentibus gratiam hanc invidere, putantes hoc majus aliis omnibus charismatibus. Unde nunc Apostolus eos corrigit, quia quasi per quamdam unitatem plus appetebant linguarum scientiam, et ostendit quæ maxime forent appetenda. Cætera, inquit, permitto vos ignorare donec veniam. Sed *de spiritualibus*, id est de donis

Digitized by Google

sancti Spiritus, propter quæ majores superbiunt, et minores invident vel desperant, *nolo vos ignorare* quid veritas habeat, ut non sit schisma inter vos, sed pax et concordia. Quod ostendo per simile. Nam *scitis quoniam cum essetis gentes*, id est gentiles diversis erroribus dediti, eratis *euntes ad simulacra muta, prout* ab uno spiritu maligno *ducebamini*; et si tunc unus diabolicus spiritus vos ducebat, alios ad alia simulacra, alios ad alia, cur non modo vos unus divinus ducat, alios ad alia bona opera, et alios ad alia, vel aliis alia dona tribuat, et aliis alia. Unus enim spiritus bonus est nunc in omnibus vobis, licet diversis diversa dona præstiterit; sicut tunc unus spiritus malus erat in omnibus vobis, licet ad diversos errores simulacrorum vos duceret. Quæ simulacra erant muta, licet vos ab illis responsa peteretis. Dicturus Apostolus quod omnia bona sint a Spiritu sancto, similitudinem præmittit a contrario, scilicet quod omnia mala sint a spiritu malo. Ostendit enim a simili, ut dictum est, quod omnes eumdem spiritum Dei habeant, reprehendens illos qui ex eo quod majora charismata perceperant, abrumpebant se ab inferioribus minora charismata habentibus, quia cum essent in infidelitate idololatriæ, uno spiritu maligno participant omnes communiter et majores et minores. Tunc ipsi erant multæ gentes, sed modo sunt una gens, quia una fides, quia una spes, quia una charitas, quia una exspectatio, quia una patria cœlestis. Scitis, inquit, ut experti, quia cum essetis diversæ gentes, id est gentiliter in variis erroribus viventes, eratis euntes quasi assidui ad simulacra muta et ratione carentia, prout a deceptorio spiritu ad hæc ducebamini. *Ideo* quia scitis quod malus spiritus vos retractos a bono duxit ad tam irrationabile malum, id est ad idololatriam, per hoc facile *vobis notum facio, quod* per Spiritum Dei abstinetur a malo, et fit bonum, et hoc est, *nemo in Spiritu Dei loquens* cogitando, loquendo, operando, *dicit* similiter tribus modis *anathema Jesu*, id est alienationem a Christo : hoc est, quodlibet peccatum per quod alienus fiat a Salvatore, quia per Spiritum sanctum abstinetur a malo, *et nemo* quantuscunque sit, *potest dicere* corde, lingua et opere, *quia Jesus est Dominus*, cui omnia servire debent, *nisi in Spiritu sancto*, a quo est omne verum, hoc est per Spiritum sanctum fit bonum. Vel nemo in Spiritu Dei loquens, id est nemo cujus mentem et os moveat Spiritus Dei, dicit anathema Jesu, id est dicit alienationem Salvatori, ut dicat ei quod ipse sit alienus a substantia Patris, sicut dicebat Arius, qui in spiritu diaboli loquebatur. Et nemo potest dicere, id est hanc veritatis confessionem proferre, ut dicat quia Jesus est Dominus, nisi in Spiritu sancto loquens. Non enim adulatione hominum appellatur Dominus, sicut idola quæ ab hominibus dii vocantur, cum non sint. Non ergo favor est hominum, quod Jesus Dominus dicitur, sed donum Dei, qui mysterium suum hominibus declaravit. Nec qui hoc dicit, præstat beneficium religioni, sed accipit, sicut gentiles qui gratia principum vel antistitum idola dicunt deos, cum non sint. Sed quomodo nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, cum ipse Jesus asserat, quia non omnis qui dicit mihi : « Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* VII). » Sed hoc ipsum dicere quod Apostolus posuit, non sermone, sed affectu cordis est ponderandum, quia proprie posuit verbum quod est, dicit, ut significaret voluntatem atque intellectum dicentis. Dominus vero generaliter posuit solum oris sermonem. Videtur enim dicere etiam ille, qui nec vult nec intelligit quod dicit. Sed ille proprie dicit, qui voluntatem atque mentem suam sono vocis annuntiat; et ille Dominum Jesum dicit, qui eum diligit, si eo modo dicit, quo intelligi Apostolus voluit. Multi enim voce dicunt, corde autem et factis negant. Item nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu, id est alienationem a Salvatore, hoc est aliquod verbum per quod ipse vel alius a Salvatore fiat alienus. Nam sicut malus spiritus qui præsidet simulacris, nihil in aliquo loquitur unde quis a simulacris separetur, ita Spiritus Dei qui præsidet Ecclesiæ, nihil in quoquam loquitur unde quis a Christo vel a membris Christi separetur. Sunt enim nonnulli, qui se in Spiritu Dei existimant loqui, id est recta se putant dicere, dum loquuntur ea quæ vel ipsos vel cæteros qui audiunt separant a Christo, sicut minores Corinthiorum, qui stulta humilitate se scindebant ab unione majorum, et a societate membrorum Christi se faciebant alienos, quia non erant majoribus similes in charismatibus. Sed et detractores et quicunque discordias inter fratres seminant sub specie rectæ locutionis, aut qui corrumpunt fidem audientium, seu bonos mores suis alloquiis aliquo sanctitatis fuco coloratis (*I Cor.* XV), quasi in Spiritu Dei loquentes videntur, dum dicunt anathema Jesu, quia sub imagine veritatis et rectitudinis loquuntur ea; per quæ suos auditores a Salvatore faciunt alienos. Sed hujusmodi verba nunquam Spiritus sanctus docuit. Et nemo potest dicere, Dominus est Jesus, id est nemo devote potest gloriam Domini Jesu Christi prædicare, ut annuntiet vel confiteatur quia ipse est Dominus, cui debet universitas servire, nisi in Spiritu sancto, id est nisi mentem ejus illuminaverit Spiritus sanctus, et amore veritatis accenderit. Nam sicut ille spiritus nihil docet loqui, unde quis a Christo separetur ; ita iste omne verbum loqui docet, per quod ad Christum trahuntur homines, et ideo quisquis gloriam Dei prædicat ut auditores ad eum trahat, non sibi hoc tribuat, quia non habet hoc a seipso, sed a Spiritu sancto, qui ubi vult spirat (*Joan.* III). Majores enim Corinthiorum arroganter de bonis spiritualibus gloriabantur, quasi a seipsis hæc haberent, et cæteros despiciebant qui hæc habere non poterant, quasi Spiritus sanctus non et illis quos spernebant, posset ipsa dona dedisse, et eis non dedisse, ideoque non recte de beneficiis Dei super alios extollebantur, cum utique

Digitized by Google

humiliores inde fieri deberent, et gratias Deo reddere.

« Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem « spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem « autem Dominus; et divisiones operationum sunt, « idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. »

Commune est omnibus electis ut sint participes Spiritus sancti, sed gratiæ quas ab eo suscipiunt, sunt variæ. Quia *sunt divisiones gratiarum*, id est donorum quæ Spiritus sanctus gratis dat, sed unus atque *idem est spiritus*, qui easdem gratias dividit hominibus; divisiones gratiarum sunt officiis ecclesiæ, non humanis meritis deputatæ. Sicut enim qui dicit Dominus Jesus, in Spiritu sancto dicit, quilibet sit, ita et in loco ordinis officii ecclesiastici positus gratiam habet quisquis sit, non utique propriam, sed ordinis per efficientiam spiritus, *et divisiones sunt ministrationum*, per quas variis modis fideles ministrant Deo, dum pro ejus amore famulis ejus subserviunt et necessaria tribuunt, sed *idem* est et non varius *Dominus* Jesus, cui variis modis ministratur, et qui varia tribuit ministeria, *et divisiones operationum sunt*, quas agunt electi, sed *idem* est *Deus Pater, qui operatur omnia* bona *in omnibus* fidelibus. Non in uno omnia operatur, ne unus superbiat; sed in omnibus, ut quod non habet quis in se, habeat in alio, ut sic maneat charitas. Quoniam Ariani qui gradus in trinitate facere volunt, calumniantur quod Pater primum nominetur, secundo Filius, tertio Spiritus sanctus : idcirco Apostolus mutavit hunc ordinem, ut primum spiritum, deinde Dominum, id est Filium; tertio Deum, id est Patrem poneret. Et dum dicit, idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus, eamdem prorsus substantiam trium personarum ostendit. Vel contra Macedonium et cæteros hæreticos qui Spiritum sanctum negaverunt esse Deum, potest de solo spiritu intelligi totum, ut et Dominus et Deus ab Apostolo nominetur. Qui non dividitur, cum dona sua dividit; et quod ipse operatur, tota trinitas operatur. Deus enim natura incorporea, quia immutabiliter una æterna stabilitate in seipso manens totus adesse rebus omnibus potest, et singulis totus, quamvis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis immensitate et diversitate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat. Et gratiarum quidem divisiones sunt tanquam per partes membra unius hominis, ubi et simul omnes unum templum et singula templa sumus, quia non est Deus in omnibus quam in singulis major, et fit plerumque ut plures eum minus capiant, et unus amplius. Sic enim et apud Corinthios erat, quia pauci spirituales magis eum capiebant, et multitudo carnalium minus. Sic diversa dona varie sunt membris Christi distributa, ut omnia membra sibi quadam necessitate cohæreant, et se invicem diligant, ac sibi invicem serviant. Nam oculus solus videt in corpore. Sed nunquid sibi soli videt? Et manui videt, et pedi videt et cæteris membris videt. Rursum sola manus operatur in corpore. Sed nunquid sibi soli operatur? Sic pes ambulando omnibus membris militat. Membra cætera tacent, et lingua pro omnibus loquitur. Atque ita diversis officiis concorditer distributa sunt membra. Sic et de membris Christi Spiritus sanctus agit, ut omnia necessario comparentur et sibi cohæreant. Si enim amas unitatem, etiam tibi habet, quisquis in illa aliquid habet. Tolle invidiam, et tuum est quod habet. Tolle invidiam, et meum est quod habes. Livor separat, unitas jungit. Ideo tenenda est unitas, quia quantum quisque diligit membra Christi, tantum habet Spiritum sanctum; et tantum habet in eis, quod in seipso habere non valet.

« Unicuique autem datur manifestatio Spiritus « ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur « sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ se- « cundum eumdem spiritum : alteri fides in eodem « spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii « operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio « spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio « sermonum. Hæc autem omnia operatur unus at- « que idem spiritus, dividens singulis prout vult « (*Rom.* XII; *Ephes.* IV). »

In omnibus Christi membris est Spiritus sanctus, sed *unicuique* eorum tam majori quam minori *datur manifestatio* ejusdem *spiritus*, id est donum gratiæ, per quod aliis manifestetur Spiritus sanctus qui in eo est, et manifestetur *ad utilitatem* ejus et aliorum, quia et sibi et aliis ex accepto dono prodest, dum vitam suam bene gubernans exemplum bonæ conversationis ostendit, vel etiam voce prædicat; et quod variis modis unicuique detur manifestatio Spiritus, ostendit per partes. Nam *alii quidem* non per humanum ingenium, nec per studium litterarum, sed per *Spiritum* sanctum *datur* non solum sapientia, sed etiam *sermo sapientiæ*, ut loqui possit aliis ipsam sapientiam quam intelligit; *alii autem* datur *secundum eumdem Spiritum* non tantum scientia, sed etiam *sermo scientiæ*, per quem alios doceat. Ipse spiritus qui dat alii sermonem sapientiæ, dat huic sermonem scientiæ : nec tamen est in se diversus, sed idem permanet. Sapientia est in contemplatione æternorum, scientiaque in actione temporalium. Sermo sapientiæ per Spiritum datur, ut quis de æterno et incommutabili bono, ac de perennibus gaudiis loquens, alios ad amorem patriæ cœlestis erigat; sermo autem scientiæ tribuitur, ut loquendo quis alios docet de his, quæ in tempore facta sunt historialiter; et de his quæ facienda vel quæ cavenda sunt moraliter, id est de virtutibus et vitiis. Vel aliter : Sunt enim quidam qui per donum gratiæ et ipsa intelligunt, quæ exponi a doctoribus non audierunt : hi videlicet sermonem sapientiæ perceperunt. Et sunt quidam qui audita per semet intelligere nequeunt, sed ea quæ in expositoribus legerint retinent, atque scienter proferunt quæ lecta didicerint; et hi sermone scientiæ pleni sunt. Quamvis hoc intelligi etiam aliter possit, quia sa-

Digitized by Google

pientia ad vitam, scientia vero pertinet ad doctrinam. Qui bene igitur vivit et prudenter prædicat, sapientiam et scientiam divinitus accepit, *alteri* datur *fides*, id est constantia fidei *in eodem spiritu* Sancto, ut quamvis alios prædicando nesciat instruere, tamen recte et firmiter credat, nulloque metu vel pudore fidem suam ore confiteri omittat, *alteri datur gratia sanitatum*, ut infirmos sanet, in uno spiritu, id est in uno Spiritu sancto, qui est unus, id est incommutabilis et indivisus in seipso, alii per eumdem spiritum datur *operatio virtutum*, id est ut operari virtutes miraculorum contra naturam possit; sicut est suscitatio mortuorum aut virtutes in expulsione dæmonum, *alii datur prophetia*, ut Spiritu repletus pronuntiet futura, *alii discretio spirituum*, ut sciat discernere spiritus malos a bonis, dum audit eos loquentes. Discretio enim difficillima est, cum et spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine vexatione aliqua corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest, quando etiam vera dicit et utilia prædicat ad hoc, ut cum illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Iste quippe discerni non potest nisi dono Spiritus sancti. Non enim magnum est tunc eum dignoscere, cum ad aliqua devenerit vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei. Tunc enim a multis discernitur. Dono autem Spiritus sancti in ipso primordio, quo multis adhuc bonus apparet, continuo dijudicatur an malus sit. Sed et spiritus hominum, id est voluntates hoc dono discernuntur bonæ a malis. *Alii* dantur *genera linguarum*, ut multis loquantur linguis, sicut Græca et Latina et Hebræa. *Alii* datur *interpretatio sermonum*, ut in una lingua sciat obscuros sermones Scripturarum interpretari, et ita datur unicuique manifestatio spiritus ad utilitatem dum unusquisque proprium donum accipit a Deo, per quod prosit aliis qui hoc non habent. Potest enim in uno eodemque spiritu fieri, ut iste verbo sapientiæ polleat, nec tamen sermone scientiæ, id est doctrina fulciatur, quia sentire atque invenire sufficit, etiam quod per discendi studium non apprehendit; ille per sermonem scientiæ fulgeat, nec tamen verbo sapientiæ convalescat, quia et sufficit explere quantum didicit, et ad sentiendum ex semetipso subtile aliquid non assurgit. Iste per fidem et elementis imperat, nec tamen per sanitatum gratiam infirmitates corporum curat. Ille per orationis opem morbos subtrahit, nec tamen arenti terræ verbo pluvias reddit. Iste per operationem virtutum ad præsentem vitam etiam mortuos revocat, et tamen prophetiæ gratiam non habens, quæ sibi ventura sunt ignorat. Ille ventura quæque velut præsentia attendit, et tamen in nulla signorum operatione se exerit; iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit, et tamen diversi generis linguas nescit. Ille diversi generis linguas examinat, sed tamen viribus similibus dissimilia corda non pensat. Alius in una lingua quam novit, sermonum pondera interpretando prudenter discutit, et tamen reliquis bonis quæ non habet, patienter caret. Sic itaque Creator noster ac dispositor cuncta moderatur, ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alteri alterum subdat, et meliorem quisque dono alio eum qui sibi subjicitur attendat, ac licet se præire ex aliis sentiat, eidem tamen quem superat, se in aliis postponat. Sic cuncta moderatur, ut dum singula quæque sunt omnium, interposita quadam charitatis necessitudine fiant omnia singulorum, quatenus unusquisque sic quod non accipit, in altero possideat, ut ipse alteri possidendum quod accepit, humiliter impendat. Et ideo pulcherrima varietate distributa sunt electis spiritualia dona. Sed *hæc omnia operatur unus atque idem spiritus*. Superius dictum de Patre intelleximus, quia idem Deus qui operatur omnia in omnibus, et nunc legimus spiritum omnia operari, ut inseparabilis intelligatur operatio trinitatis, ita ut cum operatio Patris dicitur, non eam sine Filio et Spiritu sancto intelligamus operari; et cum operatio Filii, non sine Patre et Spiritu sancto; et cum operatio Spiritus sancti, non sine Patre et Filio. Quod ergo dicitur de Spiritu quia omnia hæc operatur, non ideo dicitur, quia non ei cooperantur Pater et Filius: sed idcirco dicitur, quia unus atque idem Spiritus hæc operatur, quoniam in his operibus non sunt multi spiritus, sed unus, et in diversis suis operationibus non est a seipso diversus. Hæc omnia operatur Spiritus utique sicut Deus. Quis enim hæc operari potest nisi Deus? Omnia hæc operatur, *dividens* ea *singulis* non ipse divisus, et hæc omnia facit ac dividit *prout vult*, id est sicut Dominus omnium, sicut Deus, sicut nulli subjectus. Non enim missus, sed voluntarius operatur, quia solius Dei est facere voluntatem suam. Dona sua distribuit, non prout volunt homines, sed prout ipse vult, qui solus novit quid velle debeat, et quid unicuique expediat. Unde nec huic dolendum est, nec illi superbiendum, cum enim contristaris quod minorem gratiam acceperis, æmularis alium, quasi majorem partem invaserit, cum hoc non in nostra, sed in donantis sit positum potestate. Invidebant enim, ut supra dictum est, minores Corinthiorum majoribus quasi majora sibi charismata vindicantibus, non intelligentes hæc solius Dei voluntate dispensari.

« Sicut enim corpus unum est, et membra habet « multa, omnia autem membra corporis cum sint « multa, unum corpus sunt, ita et Christus. Etenim « in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati « sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive « liberi : et omnes uno Spiritu potati sumus. »

Ideo Spiritus sanctus diversis diversa dona tribuit, quia *sicut corpus unum est* hominis *et membra habet multa*, quæ sunt variis officiis dedita, sed *omnia membra corporis* quamvis *sint multa*, *unum* tamen *corpus sunt*, *ita et Christus* unum corpus ha-

Digitized by Google

bet ex variis membris. Unum est enim corpus Christi, quod est Ecclesia constans ex diversitate membrorum, id est ex varietate personarum, diversa officia, diversasque gratias habentium. Et idcirco decuit ut unus Christus Spiritus per diversa membra unius corporis Christi varias actiones expleret, quia et unus spiritus hominis aliter operatur in oculis, aliter in auribus, aliter in naribus, et aliter in manibus. Sic et Spiritus Christi varie operatur in membris Christi. Nam si charismata non essent diversa singulis concessa, sed eadem, tunc essent diversa membra idem donum habentia, neque multa fierent unum per charitatem, quoniam alter alterius officio non indigeret propter ejusdem doni participationem. Humani corporis utitur comparatione, ut ostendat officia diversa esse, non naturam membrorum : et neminem debere quæri cujus officii sit, dum omnes uno spiritu animentur, et in uno corpore coaptentur. Per hoc etiam docet nullius personam quasi despecti contemnendam, et nullius quasi perfecti præferendam, nec gloriam quæ soli Deo debetur, hominibus esse tribuendam, quando in omnibus unus atque idem Deus sit gloriosus. Loquens enim de membris Christi, id est fidelibus ejus, non ait, ita et membra Christi, sed totum hoc Christum appellavit. Ergo simul omnes fideles cum capite suo sunt Christus, et propterea caput de cœlo clamavit : « Saule, Saule, quid me persequeris? (*Act.* IX.) » Christus enim caput et corpus, idemque Christus verbum Dei, unigenitus æqualis Patri. Et inde videmus quanta gratia pertineamus ad Deum, ut ipse voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unum. « Ego, inquit, et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Nobiscum vero est unus, quia non dicit, et seminibus, quasi in multis, sed « quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus (*Galat.* III). » Vere nos omnes cum capite nostro simul sumus Christus, quia *in uno Spiritu*, id est in gratia et operatione sancti Spiritus, qui unus atque idem semper est, *nos omnes, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi*, id est qui prius et natione et conditione diversi et impares eramus, *baptizati sumus in unum corpus*, id est baptismatis ablutione per fidem deducti sumus in unum Christi corpus, ut amodo sumus omnes unum, sicut illi, quorum erat cor unum et anima una (*Act.* IV), *et omnes potati sumus uno Spiritu*, id est pro capacitate uniuscujusque percepimus omnes Spiritum sanctum, quo debriaremur, et qui cum sit unus, diversis modis operaretur in nobis, sicut una hominis anima videt in oculo, audit in aure, loquitur in ore, ambulat in pede, et in cæteris membris cætera facit.

« Nam et corpus non unum est membrum, sed « multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, « non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum « oculus, non sum de corpore, num ideo non « est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc « autem posuit Deus membra, unum quodque « eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent « omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. »

Et bene nos omnes unum dicimur : *nam et corpus* humanum, cui Ecclesia similis est, *non est unum membrum, sed multa*. Sic et nos ex quibus constat Ecclesia, non omnes unum officium vel donum habemus, sed multa. Ideoque minori non est dolendum quia minus habet, neque majori superbiendum ex eo quod majus donum vel officium sortitus est. Vere multa sunt in Christi corpore membra. Nam *si pes*, id est aliquis fidelis qui inferius donum habet, et per terrenas actiones incedit, *dixerit quoniam non sum manus*, quoniam non habeo superiorem et mundam spiritualium operationem *non sum de corpore* Christi, *num ideo non est de corpore?* id est num ideo consequens est ut non sit de corpore Christi, quia potest aliud esse quam manus, et tamen in hoc corpore manere? Et eodem modo si auris, id est ille qui doctrinam audit a magistris dixerit, *quoniam non sum oculus*, id est quoniam non intueor præclarum lumen sapientiæ, ut mihi et aliis providere queam, *non sum de corpore* Christi, *num ideo non est de corpore*, id est num ideo consequens est ut non sit de hoc corpore, quia multa sunt in eo membra præter oculos? Hoc dicitur propter minores Corinthiorum, qui desperantes dicebant se non pertinere ad corpus Christi, quoniam habere non poterant illa magna charismata, quæ in spiritualibus viris cernebant. Propter eosdem pusillos dictum est superius, quia nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Dicebant enim anathema Jesu, quod interpretatur a *Salvatore alienatio*, dum se alienos a corpore Salvatoris dicerent, quia non erant ex superioribus membris. Sed necesse est ut sint in corpore diversa membra. Nam *si totum corpus oculus esset*, id est si tota Ecclesia solum officium aspiciendi spiritualia haberet, *ubi* esset auditus, id est ubi essent discipuli, qui vocem prædicationis a doctoribus audirent? Vel *si totum* corpus esset *auditus*, id est tota Ecclesia esset populus subjectorum, obedienter audiens præcepta magistrorum, *ubi* esset *odoratus?* id est illi qui bonum odorem virtutum et malum odorem vitiorum quasi nares subtiliter discernunt et a longe præsentiunt? Ac si dicatur : Si omnes essent unius officii vel operis quomodo impleretur reliqua necessitas corporis, cum constet multis officiis opus esse ad gubernationem corporis? Nam Ecclesia superni capitis corpus est. In qua alius alta videndo, oculus; alius recta operando, manus; alius ad injuncta discurrendo, pes; alius præceptorum vocem intelligendo, auris; alius malorum fetorem, bonorumque fragrantiam discernendo, naris est. Qui corporalium more membrorum dum vicissim sibi accepta officia impendunt, unum de semetipsis omnibus corpus reddunt; et cum diversa in charitate

Digitized by Google

peragunt, diversum esse prohibent ubi continentur. Si autem unum quid cuncti agerent, corpus utique quod ex multis continetur membris, non essent. Quia videlicet multipliciter compactum non existeret, si hoc concors membrorum diversitas non teneret. Sed *nunc* propter vitanda hæc inconvenientia, *posuit Deus membra in corpore* Christi *unum quodque eorum*, id est majus et minus, *sicut ipse voluit*. Et ideo nec major debet superbire, minoremque despicere, nec minor dolore vel majori invidere. Deus enim sic disposuit eos, cujus dispositio non est ab homine mutanda; et sic voluit eos esse, cujus voluntas nunquam est injusta. *Quod si essent omnia unum membrum*, id est si omnes fideles essent unius officii, *ubi* esset *corpus* Ecclesiæ, quod non nisi variis membrorum officiis gubernatur? Si enim omnes unius dignitatis essent, jam deperisset honesta compositio variarum partium. Sed *nunc*, id est ne corpus pereat, quod non nisi ex diversis membris constare potest, *multa quidem* sunt *membra*, sed *unum corpus* ex illis omnibus. Quoniam multa cum invicem sui egeant, non discrepant in unitate naturæ, quamvis diversa sint, quia diversitas hæc in unum concurrit, ut corporis utilitas expleatur.

« Non potest autem dicere oculus manui : Opera « tua non indigeo; aut iterum caput pedibus : Non « estis mihi necessarii. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt; et quæ putamus ignobiliora membra « esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem « nostra nullius egent. »

Membra quidem sunt multa, sed nullum ex his superfluum, imo omnia sibi invicem sunt necessaria, quoniam *oculus*, id est ille qui cæteris viam rectæ operationis prævidet, *non potest dicere manui*, id est operatori, *non indigeo opera tua*, id est studio tuæ operationis. Nam sicut manus indiget oculo ut operari valeat, id est discipulus provisione doctoris ut bonum opus expleat, ita oculus indiget operatione manus, id est doctor qui per seipsum agere non potest quod agendum prævidet, necessarium habet discipulum, per quem fiat quod necessarium prævidet. Inaniter enim prævideret, si non esset qui consequenter faceret, *aut iterum caput*, id est ille qui in summa dignitate positus est, non potest dicere *pedibus*, id est novissimis Ecclesiæ membris, *non estis mihi necessarii*. Omnino necessarii sunt ei subjecti, quia potest humilis quod non potest sublimis, quia et ferrum potest quod aurum non potest; et quamvis aliquis dignitate sublimis sit, tamen si subjectus defuerit qui obsequiis illum faciat gloriosum, ipsa dignitas contemptibilis erit. Hoc præcipue nunc dicitur propter eos, qui summis charismatibus inter Corinthios præeminebant, et minores quasi superfluos et inutiles despiciebant et abjiciebant. Sed talia Ecclesiæ membra licet sint inferiora, non tamen sunt inutilia. *Sed multo magis ea membra corporis* Ecclesiæ *quæ videntur esse infirmiora*, id est spirituali charitate magis carentia, *sunt necessariora*, quia minores qui sunt in Ecclesia, quamvis infirmi et contemptibiles appareant, plus tamen utiles sunt aliquoties; *et quæ putamus esse ignobiliora membra corporis* Ecclesiæ, id est per ignobilitatem morum degenerare, *his circumdamus abundantiorem honorem*, id est nonnunquam circumtegimus verbis nostris degeneres eorum mores. Despectis enim exhortatio bonæ locutionis est necessaria, per quam addatur illis aliquis honor ut fiant utiles; alioqui ipso contemptu negligentiores circa se et deteriores fient, et membra *nostra quæ* per aliquod *peccatum sunt inhonesta*, id est carnales filii Ecclesiæ, *abundantiorem honestatem habent* a nobis celantibus fœditatem eorum. Sed *honesta nostra*, id est Ecclesiæ membra quæ satis habent honoris per decorem suæ sanctitatis, *nullius egent* honestationis per tegimen obscœnitatis. Quod melius ostendimus, si ipsa quæ plerumque accidunt proferamus. Nam quilibet potens et protervus, cum aliquid inique perpetrasse cognoscitur, tempus quæritur ut de malo quod fecit increpetur. Nisi enim prædicator sustineat quando ferre congrue correptionem possit, augetur in eo malum quod insequitur. Sæpe enim contingit ut talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quid itaque in hujus culpa prædicatori agendum est, nisi in sermone admonitionis quam pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat? Qui et præsto est, et de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat; et cum generaliter contra culpam invectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem reducitur, quia potens pravus ignorat quod sibi hoc specialiter dicatur. Unde fit plerumque ut eo vehementius perpetratam culpam lugeat, quo reatum suum, et cum percussum sentit, nesciri putat. Magna itaque arte prædicationis agendum est, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam correptionis temperamento ad salutem redeant. Unde nunc aperte dicitur: Quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et qua inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent. Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita quidam intra sanctam Ecclesiam potentes et pravi. Quidum aperta invectione feriri non queunt, quasi honore tegminis velantur. Sed hæc de occultis potentum delictis loquimur. Nam quando et aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt, ne si prædicator tacet, culpam approbasse videatur, atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat. Vel si de corporalibus membris uniuscujusque nostrum hæc intelligantur, manifestum est, quia pudenda nostra, quæ turpia videntur dum aspectus publicos vitant,

Digitized by Google

honestate se tegunt, ne per irreventiam horreant. Absit enim ut aliqua turpitudo in membris sanctorum etiam genitalibus esse dicatur vel credatur. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent illam speciem decoris, quam membra quæ in promptu locata sunt. Vel certe (quod probabilius dici potest), propter legem in membris repugnantem legi mentis, quæ de peccato accidit, non de prima nostræ institutione naturæ. Illicitus itaque et temperantiæ legibus non subjectus membrorum illorum usus, est turpis, non ipsa membra.

« Si Deus temperavit corpus, ei cui deerat, abun-
« dantiorem tribuendo honorem, ut non sit schisma
« in corpore, sed in idipsum pro invicem sollicita
« sint membra, et si quid patitur unum membrum, B
« compatiuntur omnia membra; sive gloriatur
« unum membrum, congaudent omnia membra
« (*Hebr.* VI; *Rom.* I, 8).

Ea quæ videntur inhonesto in membris Ecclesiæ, non sunt inhonesta. *Sed Deus temperavit* ipsum *corpus* varietate membrorum, officia diversa in unitatis compage servantium, tribuendo per digna membra *abundantiorem honorem ei* membro *cui deerat* in se, sicut ostendimus de protervo potente. Vel tribuendo abundantiorem honorem per bonam vitam ei membro, cui deerat per scientiam prædicandi. Vel ei qui despicabilis apparebat hominibus, tribuit Deus largiorem honorem per immensam miraculorum vel aliorum charismatum gratiam. Ita temperavit Deus Ecclesiæ corpus, ut nullum ex C membris ejus sit superfluum, sed omnia sint necessaria, ideo *ut non sit schisma in corpore* Ecclesiæ, ubi debet esse unitas et concordia, id est ne alter alterum abjiciat quasi inutilem aut superfluum; *sed membra sint sollicita pro se invicem*, id est majora pro minoribus, et minora pro majoribus, quoniam alia sine aliis non possunt; membra dico, tendentia *in idipsum*, id est in unitatem, ut omnia studeant habere cor unum et animam unam, ut dum sic agunt, *si quid* adversi *patitur unum membrum, compatiuntur ei omnia membra*, quasi adversitas illa sit omnium, *sive gloriatur* de bono *unum membrum*, congaudent ei *omnia membra*, quasi bonum illud sit omnium. Nam et in membris humani corporis, ex quorum unitate atque compage charitas nunc suadetur membris Ecclesiæ, videmus hæc omnia, dum unumquodque eorum non sibi soli, sed et cæteris propriis agit officium. Oculus enim videt, et non audit; auris audit, et non videt, manus operatur, nec audit, nec videt; pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit quod manus. Sed in uno corpore si sit sanitas, et non adversus se litigent membra, et auris videt in oculo, et oculus audit in aure. Nec objici potest auri quia non videt, ut dicatur ei: Nihil es, minor es. Nunquid videre et discernere colores potes, quod facit oculus? Respondet enim auris de pace corporis, et dicit: Ibi sum ubi est oculus, in eo corpore sum. In me non video in illo cum quo sum, video. Ita cum auris dicit: Oculus mihi A videt, oculus dicit, auris mihi audit, oculi et aures dicunt, manus nobis operantur: manus dicunt, pedes nobis ambulant: omnia in uno corpore cum operantur, si sit ibi sanitas et concordent membra, gaudent et congaudent sibi; et si aliquid molestiæ est in aliquo membro, non se deserunt, sed compatiuntur sibi. Sic et filii Ecclesiæ, id est membra Christi, omnino debent agere. Nec putent se ad Deum non pertinere, si miracula non fecerint. Sed quisquis in corpore non potest resuscitare mortuum, non illud quærat, ne discordet in corpore, quomodo si auris quærat videre, discordare potest, nam quod non accepit, non potest facere. Si autem ei objectum fuerit et dictum: Si justus esses, resuscitares mortuum quomodo fecit Petrus, respondeat: Petrus et mihi fecit, quia in eo corpore sum, in quo Petrus fecit. In illo quo potest possum, a quo divisus non sum. Quod minus possum, compatitur mihi; et quod plus potest, congaudeo illi. Si ergo unusquisque quod potest, juste egerit, ac de bono quod accepit, aliis prodesse studuerit, et in eo quod alius plus potest, non inviderit, sed congratulatus fuerit tanquam in uno corpore cum eo constitutus, custodietur in membris Christi, quod custodiunt invicem corporea membra cujuslibet hominis.

« Vos autem estis corpus Christi, et membra de
« membro. Et quosdam quidam posuit Deus in Ec-
« clesia, primum apostolos, secundo prophetas,
« tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias
« curationum, opitulationes, gubernationes, genera
« linguarum, interpretationes sermonum (*Ephes.*
« IV). Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes
« prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid
« omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam
« curationum? nunquid omnes linguis loquuntur?
« nunquid omnes interpretantur? »

Ostendit Apostolus nostram se causam per membrorum carnalium rationem tractasse, quia non omnes eadem possumus, sed singuli pro qualitate fidei et gratia quam accepimus. Hæc, inquit, concordia varie operandi et congaudendi vel compatiendi est in membris humani corporis. Sed *vos estis corpus Christi*, id est conjuncti et uniti estis in Christiana fide et veritate, et estis etiam *membra* D Christi, ut invicem vobis per charitatem serviatis unusquisque de dono vel officio quod habet. Membra estis pendentia *de membro*, id est de me qui sum majus membrum Christi, et vos mihi sicut digitos manui adhærere in ejus corpore feci. Nam aliud quidem est membrum corporis, aliud membrum membri. Membrum quippe corporis, pars ad totum est; membrum vero membri, particula ad partem. Membrum namque membri est digitus ad manum, manus ad brachium; membrum vero corporis est totum hoc simul ad corpus universum. Sic ergo in spirituali dominico corpore membra de membro dicuntur, qui in ejus Ecclesia ab aliis reguntur. Hinc Apostolus exponit diversitatem in fidelibus, quam dixerat in membris, et determinat de donis Dei,

Digitized by Google

quæ sint altiora et quæ inferiora; qui de his putabant Corinthii quod minus esset, majus; et quod majus minus. Vos, inquit, estis membra Christi, et cum sitis membra, non estis æqualia, quoniam *Deus posuit in Ecclesia quosdam* diversorum graduum fideles, scilicet *primum* dignitate et tempore *apostolos* vice Christi prædicantes; *secundo* dignitatis loco *prophetas* futura prædicentes, qui post adventum Domini fuerunt, sicut Agabus, et beatus Benedictus (*Act.* XI, 12); *tertio* gradu dignitatis posuit *doctores*, id est prædicatores, qui doctrina veritatis Ecclesiam instruerent; *deinde virtutes*, id est eos qui fortia miracula faciunt, ut in expulsione dæmonum et mutatione elementorum sicut aeris serenitatem in pluviam convertendo, vel super aquam siccis pedibus ambulando, *exinde* posuit *gratias curationum*, id est eos qui per orationem curant infirmos, et *opitulationes*, id est eos qui opitulantur majoribus, ut Titus Apostolo vel archidiaconus episcopo et *gubernationes*, id est minorum personarum prælationes ut sunt presbyteri, et *genera linguarum*, id est scientiam loquendi linguis variis per donum gratiæ ei. Quia Corinthii donum istud magis appetebant, æstimantes hoc esse maximum, ideo novissimum hoc posuit Apostolus, innuens esse inferius et indignius cæteris præmissis. Talia dona fidelibus suis Deus varie distribuit, secundum mensuram donationis suæ dans unicuique gratiam. Aliud enim habet ille, aliud iste; et quod habet ille, non habet iste. Mensura est divisio quædam donorum. Non enim omnes sunt apostoli, sed illi soli quos Christus misit; nec omnes habent spiritum prophetiæ, sed quibus hæc gratia divinitus est concessa; nec omnes habent scientiam docendi alios, neque omnes operantur virtutes miraculorum, neque omnes habent gratiam curandi infirmitates, nec omnes diversis linguis loquuntur, nec omnes interpretantur Scripturas aut linguas. Nam si omnes haberent hæc omnia, jam non essent quibus hæc officia servirent. Ideo pulchrum et necessarium est, ut alii habeant quod non habent alii, et alii rursum alia, quatenus unusquisque quod ipse habet, cæteris ministret qui non habent.

« Æmulamini autem charismata meliora. Et « adhuc excellentiorem vobis viam demonstro. »

Hucusque revocavit illos a schismate ad concordiam et unionem, ut nullus glorietur de charismate superiori, nullusque doleat de inferiori. Hinc eos ad charitatem innuit, ostendens sine ea nihil cætera valere. Deus, inquit, varia dona consuevit fidelibus suis impendere. Sed vos *æmulamini charismata meliora*, id est de his quæ supra demonstravi, desiderate utiliora, non linguas, ut solebatis. *Et adhuc* præter hæc in prædictis ostensa, *demonstro vobis excellentiorem viam*, id est charitatem, quæ supereminentissimum locum inter cæteras virtutes obtinet, et est via per quam illi gradiuntur qui tendunt ad regnum cœlorum. Nam per cæterarum virtutum vias ambulare possunt et illi, qui ad inferiora descendunt. Quicunque autem viam charitatis sectantur, ad supernam patriam tendunt. Quomodo enim oleum nullo humore premitur, sed disruptis omnibus exsilit et supereminet, sic est charitas. Non potest premi in ima, sed necesse est ut ad superna emicet; et ideo qui vult ad superna cœlorum regna pervenire, studeat per viam charitatis incedere. Nam quare charitatem apostolus excellentiorem viam appellaverit, declarat ipse, cum protinus subjungit:

CAPUT XIII.

« Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs « sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero « omnem prophetiam, et noverim mysteria omnia « et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem « ita ut montes transferam, charitatem autem non « habuero, nihil sum, et si distribuero in cibos « pauperum omnes facultates meas, et si tradidero « corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem « non habuero, nihil mihi prodest (*Matth.* XXI; « *Marc.* XI). »

Quoniam loqui diversis linguis præcipue desiderabant Corinthii, propterea donum hoc in primis ostendit Apostolus sine charitate non prodesse. *Si ego*, inquit, *loquar linguis* omnium *hominum et angelorum*, id est si mihi per gratiam datum sit utsciam loqui sicut omnes homines qui sunt in terra, et sicut angeli, qui sunt in cœlo sed *charitatem non habeam*, qua carere potest omnibus linguis loquens, *factus sum* similis æri sonanti vel cymbalo tinnienti. Nam variis linguis loqui vel similia facere non semper ad meritum datur, sed ad gloriam Dei gentibus ostendendam, nec per hæc vitam æternam consequi valent illi qui ea faciunt. Charitas vero et meritum semper auget, et vitam æternam præbet. Habent autem et angeli suas linguas, quibus majores intimant minoribus, quod de Dei voluntate senserunt, vel quibus ad homines missi utuntur. Nam primi angelorum suscipiunt ab ipso Deo illuminationes scientiarum, ac deinde tradunt eas subjectis spiritibus. Linguæ vero quibus sic alii loquuntur aliis, intelliguntur aliqui nutus vel interiores motus, per quos intimant sibi vicissim quod voluerint. Neque enim minores sciunt omnia quæ majoribus sunt nota, sed ea tantum, quæ sibi fuerint a superioribus intimata. Sed si data, inquit, fuerit mihi tanta linguarum scientia, ut loquar linguis et angelorum et hominum, nec charitatem habuero, factus sum *velut æs sonans aut cymbalum tinniens*. Nam sicut æs aut cymbalum non per se, sed impulsu aliquo resonat; sic loquens linguis, non per se qui nescit, sed per impulsum Spiritus profert ea quibus audientes mulceat. Ære quippe vel cymbalo insensibiles ac mortuæ hominum mentes, quæ vitam charitatis non habent, designantur. Nam sicut corpus sine spiritu, id est si fuerit sine anima mortuum est, sic anima si sine sancto Spiritu, id est sine charitate fuerit, mortua deputabitur. In sonitu æris vel cymbali delectantur audientes, sive percipiunt aliquam utilitatem; sibi vero

Digitized by Google

nihil hoc prodest, sed potius in suo detrimento commodum aliorum operatur. Sic et prædicator qui sensum charitatis non habet in eo quod loquitur, alios delectat nesciens, et ipse detrimentum inde percipit, unde audientibus proficit. Nam sicut quod æs sonat, dulce est aliis sed sibi labori et diminutioni, sic et quod loquitur prædicator charitate vacuus, Nec solum de prædicatore potest hoc intelligi. Apte enim et quorumlibet insensibilium hominum corda per æs et cymbalum designantur, qui sæpe et supernos ictus accipiunt, et tamen nulla disciplinæ percussione mollescunt. Æs vero cum percutitur, canorus valde sonitus ex ejus percussione formatur. Et quidem metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitus emittunt; sed quia humilitatis voces ex corde non proferunt, ad statum salutis reducti, nesciunt quod promiserunt. In nullo igitur æris imitationem fugiunt, qui in percussione positi, bona quæ non sentiunt, loquuntur. Quisquis enim bona loquitur, sed per amorem eadem bona non sequitur, velut æs aut cymbalum sonitum reddit, quia ipse non sentit verba quæ ipse facit. *Et si habuero*, inquit, *prophetiam*, ut per Spiritum Dei quæ futura sunt prænuntiem, sicut Balaam (*Num.* XXII, XXIII, XXIV) et Caiphas (*Joan.* XI). *Et noverim mysteria omnia*, id est occulta Veteris et Novi Testamenti sicut Salomon, *et* noverim *omnem scientiam* de his quæ fuerint, et quæ sunt, et quæ futura sunt, vel de divinis et humanis, sicut idem Salomon, *et si habuero fidem omnem*, id est de omni re unde est habenda, *ita* perfectam, *ut* ejus virtute montes de loco ad locum *transferam*, sed omnia hæc habens, *charitatem non habuero*, *nihil sum*, etsi hæc magna sint. Salvator dixerat fidem quæ fuerat sicut granum sinapis, montes posse transferre (*Matth.* XVII); et nunc Apostolus dicit omnem fidem esse quæ montes transferat. Unde intelligitur perfectam esse fidem quæ grano sinapis comparatur, et hoc non propter exiguitatem, sed propter integritatem dictum esse. Sed fides sine charitate nil valet ad salutem (*Jacob.* II), quia et dæmones habent hujusmodi fidem. *Et si distribuero*, inquit, *facultates meas*, id est omnia quæ possum habere divisero, ut pluribus prosim, dans omnia in cibos non divitum qui reddant, sed pauperum qui non habent unde reddere possint (*Luc.* XIV); et quod est majus, *si* tempore persecutionis *tradidero* pro fide *corpus meum* sævissimis cruciatibus, *ita ut ardeam*, sed *charitatem non habuero*, id est non charitate, sed jactatione hoc fecero, vel odium in corde meo adversus aliquem retinuero, *nihil mihi* totum hoc *prodest*. Magna itaque et mirabilis est charitas, sine qua nec locutio diversarum linguarum aliquid prodest, nec prophetia, nec mysteriorum et scientiarum notitia, nec fides, nec facultatum distributio, nec martyrii passio; et cum hæc quæ majora sunt, nihil sine charitate prosint, manifestum est quia nec cætera bona prodesse valent sine hac charitate. Alia enim bona et reprobi habere possunt, sed charitatem non nisi soli possident electi. Cujus membra et species Apostolus consequenter describit, dicens :

« Charitas patiens est, benigna est. Charitas non « æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est « ambitiosa, non quærit quæ sua sunt (*Philip.* II), « non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia « suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit. »

Omnia bona sine charitate vilia sunt et inutilia, sed cum charitate chara sunt et utilia. Quæ charitas habet in se virtutes, quæ nunc enumerantur. Est enim patiens, id est patientiam servans. Patientiam vero servare, est aliena mala æquanimiter perpeti; contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non servat, sed simulat. Sed *charitas est patiens*, quoniam aliena mala æquo animo tolerat, et *est benigna*, quia ipsos etiam a quibus mala patitur, amat. Patiens, quia illata a proximis mala æquanimiter portat; benigna vero, quia pro malis bona largiter administrat. Patiens est, quia tranquillam mentem in adversis servat; benigna vero, quoniam misericorditer sua bona proximis indigentibus impendit. Patiens est, quia contra tentationes sæculi vel procellas in Deum fixa, persistit immobilis; benigna vero, quia proximorum delectatur profectibus. *Charitas non æmulatur*, id est non invidet, quia ubi est invidia, ibi fraternus amor esse non potest. Non æmulatur, quia per hoc quod in præsenti modo nil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non æmulatur, quoniam alterius bonum diligit ut suum, *non agit perperam*, id est perverse, quia quo se in solum Dei ac proximi amorem dilatat quidquid a rectitudine discrepat ignorat; *non inflatur*, id est non intumescit de temporali felicitate, vel carnis generositate, vel scientiæ vel merito, seu qualibet alia re, quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus aut transitoriis non exaltat, *non ambitiosa*, id est cupiens honores sæculi, quia major aliis esse non ambit, et super cæteros dominari, vel ea sibi vindicare quæ sunt alieni juris; non est igitur ambitiosa, quia quo ardenter intus ad sua fatigat, foris nullatenus aliena concupiscit, *non quærit* ea *quæ sua sunt*, quia cuncta quæ hic transitorie possidet, velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non quærit quæ sua sunt, quia propter aliorum commoda suas utilitates deserit; nec se, sed alios exaltare studet; *non irritatur*, id est non provocatur ad iram, quia et injuriis lacessita ad nullos se ultionis suæ motus excitat, dum pro magnis laboribus majora post præmia exspectat; *non cogitat malum*, id est non cogitat quomodo ei qui sibi facit injuriam, vicem reddat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium eruit, versari in animo quod inquinat, nescit. *Non gaudet super iniquitate*, quia sola dilectione erga om-

Digitized by Google

nes inhiat, nec de perditione adversantium exsultat. Sunt enim nonnulli qui nec faciunt malum, nec facere cogitant eis a quibus adversa perferunt; sed tamen si factum illis ab aliis fuerit, lætantur; et ideo nunc postquam dictum est, quia charitas non irritatur, nec cogitat malum, additur quia non gaudet super iniquitate, id est non ei placet si quid inique passus fuerit vel ipse qui ei adversatur. Sed *congaudens veritati*, delectatur verbis veritatis, vel operibus veræ sanctitatis, quia cæteros ut se diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. *Omnia suffert*, quia pro spe quietis æternæ nihil adversitatis pati recusat. Supradictum fuerat quia patiens est, id est non murmurans in adversis, sed corde tacito cuncta perferens; et nunc dicitur quod omnia suffert et in actu sustinet quidquid adversitatis acciderit. Ibi enim laudata est tranquillitas cordis, hic fortitudo passionis, et ideo suffert omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita. Et sustinet omnia quæ hic gravia immittuntur, quia sperat omnia quæ sibi dulcia promittuntur; et propterea nunquam excidit, id est nunquam cadit, sed sine casu persistit. Nec quod dictum est, omnia credit, sic accipiamus, ut charitati cujusquam derogemus si malum quod de fratre audierit, non statim crediderit (*I Joan.* IV). Quia ipsa charitas, quæ omnia credit, non omni spiritui credit. Ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo, quia non dictum est, omnibus credit. *Omnia* ergo quæ sanctis credenda sunt, *credit;* et *omnia* quæ sibi divinitus promissa sunt, *sperat;* et *omnia sustinet*, id est exspectat per patientiam longanimiter eadem bona quæ sperat, vel interim sustinet adversa pro spe bonorum ipsorum. Habet etiam hoc *charitas* præter cæteras virtutes, in quo rursum dignior illis est, quia *nunquam excidit*, id est nunquam ex toto cadit. Licet enim opera ejus cadant, hoc est deficiant et cessent in futuro sæculo, ipsa tamen nunquam a suo statu decidet, sed validior stabit, ac perseverabit in alio sæculo quam in isto. Si enim dum credit et sperat ac præstolatur, diligit quod nondum videtur, quanto magis diliget cum videbit et tenebit?

« Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim « cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod « ex parte est. »

Charitas quidem nunquam excidit, id est nec nunc, nec in alia vita a suo statu decidit, ut minuatur aut deficiat, sed cætera charismata decidunt et deficiunt. Quia *sive prophetiæ* accipiantur quæ nunc necessariæ sunt in tempore cæcitatis nostræ, in luce futuri sæculi *evacuabuntur*, id est ab omni utilitate fient vacuæ, et ideo cessabunt. Nam ubi erunt omnia præsentia, quomodo prædiceretur aliquid futurum? *sive linguæ* accipiantur, id est variarum linguarum locutiones, in illo sæculo *cessabunt*. Ubi erunt enim manifesta omnia, cur alicui diceretur aliquid? Poterunt quidem loqui ad invicem sancti si voluerint, sed non necesse erit, ubi scientia vocem præveniet. Et si quid inter se locuti tunc fuerint, non eo modo id facient quo nos nunc loquimur; sed eo potius, quo in supernis angelici spiritus adinvicem loquuntur, *sive scientia* nunc habeatur, per quam de Deo et secretis ejus aliquid sciatur, in futuro sæculo *destruetur*, quia si quam nunc de Deo cognitionem habemus, hanc non in natura divinitatis ipsius, sed per similitudinem et naturas exteriores habemus. Nam quantalibet mens humana se intentione tetenderit, etiam si jam phantasias imaginum corporalium a cogitatione compescat, si jam omnes circumscriptos spiritus ob oculis cordis amoveat, adhuc tamen in carne posita mortali, videre vel cognoscere gloriam Dei non prævalet quidquid est; et de illa sicut est, quod in mente resplendent, similitudo, et non ipsa est. Et idcirco talis nostra scientia destruetur, quando veritas ipsa pure manifestabitur. Scientia hæc et prophetia vel locutio destruentur, quæ capere vel narrare non possunt plenitudinem veritatis, quia ex parte sunt. Nam *ex parte cognoscimus* veritatem, non ex toto, id est imperfecte scimus quidquid adhuc de Deo novimus; *et ex parte prophetamus* de futuris, quia quædam futura per prophetiam prænuntiamus, sed plurima ignoramus. Sed omne quod ex parte est, destruetur. Quia *cum venerit quod perfectum est*, id est quando dabitur Dei notitia, quæ non ex parte, sed ex perfectione fit, quoniam videbimus eum sicuti est (*Joan.* XIII), tunc *evacuabitur quod ex parte est*, id est omnis imperfectio ad nihilum veniet. Nostra imperfectio destruetur, non id quod verum est, evacuabitur. Destructio imperfectionis erit quando id quod perfectum est, implebitur perfectione veritatis. Deinde Apostolus ut aliqua similitudine ostenderet quantum ab illa quæ futura est, distet hæc vita, non qualiumcunque hominum, sed etiam illorum qui præcipua sic sanctitate sunt prædíti, subjecit :

« Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sa« piebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando « autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. »

Ad illa enim ineffabilia qualecunque adhibens de notis rebus exemplum, parvulam ætatem virili comparavit ætati. In hac ergo vita mirabilium, hominum prophetia vel scientia ita comparanda est illi vitæ, quasi scientia parvuli ad virum. Quia sicut vita hæc imperfecta est, sic et scientia. Tunc autem pertingemus ad virilem perfectionem, cum forti sensu pervenerimus ad angelorum æqualitatem. Quasi dicatur : Prophetia et scientia quæ sunt ex parte, sic evacuabuntur cum venerit illa veritatis perfecta cognitio sicut sensus et locutio parvuli evacuatur, cum ille ad perfectam scientiam pervenerit. Cur enim hoc Apostolus dixerit, insinuat subdendo.

« Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc « autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, « tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. »

Digitized by Google

Inde potest videri quoniam cum perfectio venerit, evacuabitur imperfectio, quia nunc, id est caligine præsentis vitæ videmus per speculum, id est cognoscimus Deum per imaginem suam; sed tunc, id est in futuro sæculo, manifeste videbimus : in speculo enim cernitur imago. Et nos qui sumus imago Dei, conamur utcunque videre eum per hanc imaginem suam tanquam per speculum. Speculum est anima rationalis, in cujus consideratione aliquo modo videmus Deum, sed obscure. Videmus enim per speculum in ænigmate. Ænigma autem est, non omnis, sed obscura allegoria. Nam sicut omnis equus animal est, non autem omne animal equus, ita omne ænigma allegoria est, non autem omnis allegoria ænigma. Allegoria vero est, cum aliud ex alio significatur, id est aliud dicitur, et aliud intelligitur; sicut est : « Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* xxv; *supra* ix), » id est non prohibebis prædicatorem vivere de prædicatione. Sed ibi solummodo allegoria est ænigma, ubi difficile patet intellectus. Ubi autem facile intelligitur, non est ænigma. Cum ergo dicitur, videmus nunc per speculum in ænigmate, sicut in nomine speculi imago designatur, ita nomine ænigmatis similitudo obscura, et ad dispertiendum difficilis. Nemo itaque miretur etiam in hoc videndi modo, qui concessus est huic vitæ per speculum, scilicet in ænigmate laborare nos, ut quomodocunque videamus. Nomen quippe hic non sonaret ænigmatis, si esset facilitas visionis. *Nunc videmus per speculum in ænigmate*, sed *tunc* cum venerit illa perfectio, videbimus *facie ad faciem*, id est manifeste ad similitudinem duorum, qui se invicem directo vultu sine aliqua re interposita aspiciunt. Facies autem Dei, manifestatio ejus intelligenda est. Facies vero nostra intentio cordis nostri. Videbimus ergo facie ad faciem, id est manifestatione Dei posita ad nostræ mentis intentionem, ut nihil inter nos et ipsum intersit. In nullo enim membro tam bene cognoscitur quisque, sicut in facie. Et cum facies unius directa est in faciem alterius, tunc sine aliqua ambiguitate se cognoscunt. Sic videbimus eum in seipso manifeste. Modo enim non videmus eum in facie, sed in extranea et multum ab eo diversa creaturarum similitudine. Et ego etiam ipse qui tanta scientia præ cæteris donatus sum, *nunc cognosco*, Deum *ex parte*, sed *tunc cognoscam* eum ita *sicut* ab eo *cognitus sum*. Magna enim est interpositio cordis nostri ad contemplandam sublimitatem Dei, ipsa infirmitas nostra. Sed tunc ad purum intuebimur eum, a quo nunc subtiliter intuemur, cum, hac infirmitate deposita, ad contemplationis internæ gratiam venerimus. Tunc cognoscam eum sicut ab eo sum ego cognitus, id est pure cognoscam eum sicut et ipse me novit, quia tunc non per aliud videbimus eum, sed manifeste contemplabimur in illo ipso hoc quod ipse est, sicut ipse hoc quod nos sumus, perfecte cognoscit. Vel tunc cognoscam eum ita sine ambiguitate in manifesta visione, sicut olim antequam essem, cognitus sum ab eo in prædestinatione.

« Nunc autem manent, fides, spes, charitas : tria hæc. Major autem horum est charitas. »

Ad tantam Dei cognitionem perventuri sumus. Sed ut pertingere ad hanc valeamus, *nunc* interim *manent* in peregrinatione hac nobiscum *fides*, *spes*, atque *charitas*, quæ nos præparant illi visioni. Fides, qua credimus quidquid Scripturæ sanctæ nobis credendum intimant; et spes, qua speramus promissa nobis divinitus præmia; et charitas, qua Deum ac proximum diligimus, et ipsa præmia. Et ita sibi tres istæ virtutes copulantur in hujus vitæ tempore, ut nulla earum sine duabus reliquis proficiat. Nunc manet in sanctis, fides, spes et charitas, *tria hæc*, pauca quidem, sed multum utilia, quoniam sine his nemo fit dignus ad illam visionem ascendere. Et magna quidem sunt hæc tria bona, sed *horum major est charitas*, id est charitas quæ horum trium est una, ipsa est major, id est majus meritum habet quam fides et spes. Sciendum quia quando comparatio fit ad plura ejusdem generis, ut nunc charitatis ad fidem et spem, quæ similiter sunt virtutes, potest et debet fieri per genitivum. Ethorum, ponitur propter tria, quod præcesserat, major est charitas, cui fides et spes non possunt deesse, sed fides et spes sine charitate possunt esse. Vel ideo major, quia fides cessabit, dum futura quæ creduntur advenerint; et spes finem habebit, dum beatitudinem quam quisque præstolatur, acceperit; sola vero charitas in æternum perseverabit, et de visione Conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit.

CAPUT XIV.

« Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia, « magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur « lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo « enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. Nam « qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificatio- « nem et exhortationem et consolationem. »

Quoniam tanta est charitas, et sola est quæ perducit ad vitam, atque permanet in æternum, ideo *sectamini* toto desiderio *charitatem : æmulamini* etiam *spiritalia*, id est desiderate etiam illa spiritus dona, ut sunt genera linguarum, etc. sed *magis*, post charitatem desiderate *ut prophetetis*, quam ut linguis loquamini, vel virtutes miraculorum operemini. Post charitatem, prophetandi studium magis habendum hortatur, quia quamvis magni sint spiritualium donorum gradus, quos superius enumeravit, hic tamen major est, quoniam ad utilitatem Ecclesiæ proficit. In quod enim quis animum dederit, in eo ipso donum accipit. Ideo gratia prophetandi est desideranda, ut præ desiderio accipiatur ob multorum ædificationem potius quam linguarum varietas, quæ non proficit auditoribus. Nam *qui loquitur lingua* incognita, *non loquitur hominibus*, id est intelligentiæ hominum, *sed Deo*, cujus laudes dicit, et qui novit ea quæ ille dicit. Homines enim nesciunt,

Digitized by Google

ideoque nullus est eis ex hac locutione profectus. *Nemo enim audit*, id est intelligit ea quæ ille loquitur. Sed tamen Spiritu sancto loquitur ipse mysteria, id est secreta Dei, quamvis homines ignorent quod dicit. Vel *Spiritus* sanctus per eum *loquitur mysteria* secretorum Dei, non ipse. Ideo magis æmulari prophetare debetis, quia *qui prophetat*, id est qui ventura vel occulta manifestat, iste *loquitur hominibus ad ædificationem* eorum in mente, quæ ædificatur ut sit templum Dei, et ad *exhortationem* eorum ad bene agendum in operatione *et ad consolationem* eorum ne desperent de peccatorum præteritorum magnitudine, vel ad consolationem tristitiæ præsentium tribulationum per promissionem futurarum remunerationum. Possunt et doctores, qui Scripturas aliis exponunt, nomine prophetarum designari, juxta illud Sapientis : « Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam (*Eccli.* XXIV.) » Sicut enim propheta prædicit futura quæ nesciuntur, ita et doctor dum Scripturarum sensum, qui multis occultus est, manifestat, dicitur prophetare. Et iste ad multorum utilitatem sic prophetat, nec ab homine, sed a Spiritu sancto est sensus dictorum ejus.

« Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat; qui « autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Volo au- « tem omnes vos loqui linguis, magis autem prophe- « tare. Nam major est qui prophetat, quam qui lo- « quitur linguis, nisi forte interpretatur ut Ecclesia « ædificationem accipiat. »

Item magis prophetiam quam linguam ideo debetis optare, quia *qui loquitur lingua* peregrina mysterium aliquod et non interpretatur quod dicit, semetipsum solum ædificat per id quod solus fortasse scit quod loquitur; sed *qui prophetat*, id est qui futura cæteris prænuntiat, vel bona quæ in abditis Scripturarum intelligit, fratribus ex charitate revelat, *Ecclesiam Dei ædificat*, quia omnes intelligunt quod loquitur. Qui lingua ignota loquitur, ædificat se, non alios. Sed *ego volo*, id est voluntas mea est, nec mihi displicet, *vos omnes loqui linguis*, id est si omnes donum loquendi linguis variis haberetis, quia alter adversus alterum non haberet materiam gloriandi vel invidendi, quoniam omnes in hoc essetis æquales. Non prohibeo vos omnes, si poteritis loqui diversis linguis, quia donum est Spiritus sancti, sed magis volo vos prophetare, quia utilius est. *Nam major est qui prophetat*, id est majoris dignitatis est in Ecclesia qui futura prædicit, vel Scripturas aperit, *quam qui loquitur linguis*, id est qui incognitis locutionibus mysteria profert, quia sibi soli proficit. Hoc enim majus est quod pluribus prodest. Qui linguis loquitur, minor est, *nisi forte interpretetur*, id est exponat aliis quod ipse Deo loquitur. Si enim interpretari dicta sua poterit, *ut Ecclesia ædificationem* inde accipiat, non erit minor. Forte, dicit, ut innuat quoniam raro solet contingere ut utrumque uni concedatur?

« Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis « loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut « in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, « aut in doctrina. »

Dixi qui prophetat, major est, propter ædificationem quam præbet Ecclesiæ, quam qui lingua loquens, se solum ædificat. Sed hoc potestis etiam in meipso videre, quia *si venero ad vos, o fratres, loquens* incognitis *linguis, quid vobis prodero*, cum nesciatis quid dixero? Nihil prodero, *nisi loquar vobis aut in revelatione*, id est in expositione revelationis, in qua mihi per quasdam figuras ostensa fuerint mysteria Christi, sicut et Joanni ostensa leguntur in sua revelatione; aut nisi loquar vobis, *in scientia*, quam studio et disciplina mea conquisivi, ut vos scire faciam qualiter his temporalibus uti debeatis, et quid de his sentire; *aut in prophetia*, ut vobis prænuntiem futura, vel manifestem occulta; *aut in doctrina*, ut doceam vos de fide et moribus. Et cum nunc vobis, quando jam fratres, id est Christiani estis, non prodessem si linguis incognitis loquerer : patet quia multo minus tunc prodessem, cum adhuc essetis infideles. Cumque ego qui tantus sum apostolus, loquendo linguis non possem vobis prodesse, constat vos multo minus tali locutione audientibus prodesse. Lingua intelligitur in hoc loco, obscuras dicere et mysticas significationes, a quibus si intellectus mentis removeatur, nemo ædificatur audiendo quod non intelligit. Unde et supra dixit : « Qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Spiritus autem loquitur mysteria. » Ibi enim satis indicavit eam se linguam appellare, ubi sunt significationes velut imagines rerum ac similitudines, quæ ut intelligantur, indigent mentis obtutu. Cum autem non intelliguntur, in spiritu eas dicit esse, non in mente. Qui loquitur lingua, id est spiritu nondum intelligens significationes quas lingua spiritus voluit, plus semetipsum ædificat. Contingebat enim ut qui sic loquebantur mysteria Dei, quamvis profunditatem non intelligerent, tamen ex ipsa locutione ad compunctionem cordis, et multoties ad bonum opus incitarentur. Quia ergo etiam lingua, id est membro corporis quod movemus in ore, cum loquimur, signa utique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur, propterea translato verbo linguam appellavit Apostolus quamlibet signorum prolationem, priusquam intelligantur. Quo cum intellectus accesserit, qui mentis est proprius, fit revelatio, vel scientia, vel prophetia, vel doctrina. Proinde ait: Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi loquar vobis in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? id est nisi signis, hoc est linguæ accesserit intellectus, ut non spiritu tantum, sed etiam mente agatur quod agitur. Proinde cui signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium ut etiam intelligerentur, nondum erat propheta : Magis propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam,

Digitized by Google

quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Sic olim magis Joseph propheta fuit, qui intellexit quid significarent septem spicæ et septem boves, quam Pharao qui eas vidit in somnis (*Gen.* XLI); illius enim spiritus informatus est ut videret, hujus mens illuminata ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia, quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo propheta est, qui rerum quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt; et magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est. Sed maxime propheta, qui utroque præcellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata est et probata, qui regi somnium quod viderat dixit, et quid significaret aperuit (*Dan.* II). Et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente. Sed ad epistolæ sequentia transeamus.

A

B

« Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, « sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem soni- « tuum dederint, quomodo scietur id quod canitur, « aut quod citharizatur? Etenim si incertam vo- « cem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita et « vos per linguam nisi manifestum sermonem de- « deritis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis « enim in aera loquentes. Tam multa ut puta ge- « nera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine « voce est. »

C

Linguas non prodesse sine interprete, superius ostendi per me qui sum rationalis, et tamen per inanimata idem patet. Nam *ea quæ sunt sine anima dantia vocem, sive* hoc *sit tibia, sive cithara, nisi dederint distinctionem sonituum*, id est distinctos intelligibiles sonos, *quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur*, id est cithara resonatur? Sic et locutio vestra, cujus spiritualis suavitas non aures debet mulcere, sed mentem, inanis erit si intellecta non fuerit. De tibia et cithara nescietur, quia nec de tuba. Alia similitudo est de eadem re. *Etenim si tuba det vocem incertam*, id est quæ bellum aperte non significet, *quis parabit se ad bellum?* Judæis erat usus tubæ in festis et bellis, diversis sonis; et hoc est quod dicitur, quia si vox tubæ incerta fuerit, nemo discernet utrum solemnitatis an belli sit, nemoque se ad bellum armabit. *Ita et vos*, qui quasi tuba exaltare vocem vestram debetis (*Isa.* LVIII), ut Christi milites ad spirituale bellum contra dæmones præparetis, *per linguam alienam* loquentes, *nisi* interpretando *dederitis manifestum sermonem*, qui palam audientes retineat, *quomodo scietur* ab aliis *id quod* a vobis in lingua aliena *dicitur?* Nescietur ab auditoribus vestræ locutionis sensus. Nam *eritis loquentes in aera*, id est ea quæ nulli proficient, sed in aera solventur, dum non invenientia locum receptaculi in audientium auribus ut intelligantur, diffundentur in aera, quia nec auscultare talia dignabuntur homines. Non ad corda hominum loquemini, sed in aera, id est non utilia erunt verba vestra, sed otiosa et inania eritis loquentes. *Tam multa utputa sunt genera linguarum*, id est etiam si tam multa loquamini ut sunt genera linguarum in toto *hoc mundo*, quid proderit hæc vestra locutio, cum nullus intelligat? Multa sunt genera linguarum, *et nihil sine voce est*, quia nulla res est sine sua voce et appellatione in unaquaque lingua. Cum sint enim plurima linguarum genera, habent tamen vocum significationes proprias ut intelligantur, nec potest aliquid inveniri quod non habeat vocem significativam sui. Et idcirco inanis est locutio quæ non intelligitur.

D

« Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui lo- « quar, barbarus: et qui loquitur, mihi barbarus. « Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, « ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. « Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. « Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens « autem mea sine fructu est. Quid est ergo? Orabo « spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam « et mente. »

Quandoquidem alii sine interprete non intelligent, vel quando quidem tot linguæ sunt, et unaquæque propriam distinctionem habet, *ergo si nesciero virtutem vocis*, id est si ignoravero vim propriam vocis quam profero, ut illi qui tantum dona linguarum habent, ero non intellectus, sed *barbarus ei cui loquor*, quem instruere debeo, quia non potero illi sensum dictorum meorum interpretari; et ille vicissim qui mihi loquitur, erit *mihi barbarus*, cum ignoret sententias vocum quas profert, nec valeat exponere mihi. *Sic et vos* eritis ad invicem barbari, si per incognitam linguam alter alteri locutus fuerit, et ita erit dissensio inter vos. Propterea non dissonantiam ignotarum linguarum, per quas discordia generetur, debetis appetere, sed unitatem intellectus, per quem communi lætitia gloriemini. Et *quoniam estis æmulatores spirituum*, id est desideratores spiritualium donorum, *quærite ut* his *abundetis ad ædificationem Ecclesiæ*, id est ut non solum linguis loquamini, sed etiam interpretemini ut ædificationem sumat Ecclesia, quoniam æmulatores estis spiritualium charismatum. *Et ideo*, id est ut Ecclesia ædificetur, *qui loquitur lingua, oret ut interpretetur*, id est oret ut accipiat donum interpretandi, ut proficiat cæteris studium ejus. Oret non labiis tantum, sed affectu cordis, ut exaudiri mereatur. *Nam si* etiam ego qui tantus sum, *orem lingua*, id est voce sola, *spiritus meus*, id est flatus oris mei orat dum loquor in oratione; sed *mens mea est sine fructu*, id est non capit fructum ex ipsa oratione, ad quam non est intenta. Hoc sæpe nobis accidit, dum psalmum vel orationem labiis proferimus, et mente quod os profert, non cogitamus. Et quando quidem mens quæ intus pio affectu non orat, quod os loquendo foris precatur, fructum orationis non habet, *ergo quid est* mihi faciendum? Quid est mihi utile?

Digitized by Google

Hoc scilicet, *Orabo spiritu* per os prolato, id est orabo sermone orans, *orabo et mente*, id est affectu mentis, *psallam*, id est psalmos dicam ; *spiritu*, id est prolatione oris ; *psallam et mente*, id est mentis attentione. Vel ita : Qui loquitur lingua, sic oret, id est sic loquatur ut interpretetur quod dicit. Nam me ipsum do vobis exemplum, quia si orem, id est si loquar lingua, spiritus meus orat, sed mens mea est sine fructu, id est sine intelligentia eorum quæ dico. Si enim dicam lingua quod non intelligo, velut afflatus spiritu in ecclesia loquor, et mens est sine fructu. Ignorat enim animus si lingua loquatur quam nescit, sicut solent Latini homines Græce cantare, oblectati sono verborum, nescientes tamen quid dicant. Ut supradictum est spiritus vocatur vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Mens autem est illa superior pars animæ, ubi intellectus et ratio proprie sedem habent. Lingua quoque sicut et superius dictum est, designare potest quamlibet signorum prolationem priusquam intelligantur. Itaque dicitur : *Si orem lingua*, id est si loquar prolatione signorum adhuc non intellectorum, spiritus meus orat, id est illa pars animæ meæ tantum loquitur, in qua corporalium rerum imagines exprimuntur ; sed mens, id est superior animæ meæ subtilitas, est sine fructu, quia nullam ibi refectionem intelligentiæ habet. Cum enim spiritus et inferior animæ natura loquitur proferendo signa quæ non intelligit, mens ad quam pertinet intellectus, nullum fructum inde reportat. Quid ergo est agendum? Hoc scilicet, quod me acturum dico. Quia orabo spiritu, orabo et mente, id est loquar spiritu et mente, ut signa rerum mihi formentur in spiritu, et eorum refulgeat intellectus in mente, sicut et Daniel in spiritu vidit somnium regis (*Dan.* II, 4), et mente interpretationem ejus intellexit. Ita enim et ego faciam, quia et spiritu signa loquar, et mente sensum eorum intelligam. Spiritu dictiones loquar, mente sententias, et similiter psallam spiritu, id est consonantiam vocum psalmodiæ in spiritu resonabo, psallam et mente, id est consonantiam sententiarum attentione mentis modulabor, delectans me intelligentia spiritualium sensuum. Vel psallam spiritu, et psallam mente, id est concordiam in membris ecclesiæ componam, ut concordent et mente, ac de sua consonantia dulcem melodiam pulchre variatam exprimant. Sic et vos spiritu et mente loqui debetis, ut et signa videatis, et sensum intelligatis, et cæteris exponatis ; atque id est psallere spiritu et mente, ut psalmorum sensus in corde vestro resonet, quos ore canetis.

« Cæterum si benedixeris spiritu, quis supplet « locum idiotæ ? Quomodo dicet : Amen super tuam « benedictionem ? Quoniam quid dicas nescit. Nam « tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædifi- « catur. »

Orare debetis mente et spiritu, ut et verba historiæ vel litteraturæ proferatis, et mysticum sensum exponatis ad instructionem audientium. *Cæterum*, id est sed *si benedixeris spiritu*, id est si aliqua dixeris, si Dei laudes dixeris, vel si benedictionem aliquam protuleris ignota lingua, quam non possis audientibus interpretari : *quis supplet locum idiotæ ?* In spiritu, non in mente benedicit, qui bona quæ loquitur non intelligit, quoniam signa rerum cum non intelliguntur, et in spiritu sunt, non in mente. Idiota vero est incruditus, qui nihil scit nisi quod ei proprietas naturæ dedit, quoniam ἴδιωμα Græce, *proprietas* dicitur Latine. Locus autem idiotæ est, ut in novissimo benedictionis dicat, Amen, quod interpretatur *verum*, per hoc enim et consensum suum indicat, et benedictionem confirmat. Sed si benedixeris spiritu, id est si benedictionem dederis ignota lingua, ut nec tu sensum dictorum tuorum intelligas, nec aliis exponas, quis supplet locum idiotæ ? id est quis loco idiotæ respondet Amen in fine sermonis ? Nec sapiens hoc facere novit, nedum idiota. Quomodo enim *dicet Amen super tuam benedictionem*, cum nesciat *quid dicas ?* Imperitus enim et absque litteris, audiens quod non intelligit, nescit finem orationis, et non respondet Amen, id est *verum*, ut confirmetur benedictio. Per hoc enim completur confirmatio precis, qui respondent Amen, ut omnia dicta veritatis testimonio in audientium mentibus confirmentur. Non poterit idiota respondere benedictioni tuæ quam non intelligit, *num tu quidem bene gratias agis* Deo in illa benedictione, et bonum est quod loqueris, *sed alter non ædificatur* ex verbis tuis, quæ non intelligit. Ideo cum ad ecclesiam propter ædificationem conveniatis, ea debent in Ecclesia dici, quæ intelligantur ab hominibus et præstent ædificationem audientibus. Propterea qui loquitur ignota lingua, debet in ecclesia tacere, ut hi loquantur qui prosint audientibus.

« Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum « lingua loquor. Sed in ecclesia volo quinque verba « sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam de- « cem millia verborum in lingua. »

Proponit se exemplum, quod publice non debeant loqui linguis, in quibus accipientium non sit ædificatio, sicut ipse in ecclesia linguis non utitur, cum omnes eorum linguas noverit. Non vitupero, inquit, in vobis locutionem linguarum, eo quod hanc habere nequeam, sicut est consuetudinis quibusdam, ut invideant quod ipsi non valent assequi. Nam *omnium vestrum lingua loquor* ego, id est nullus vestrum aliqua loquitur lingua qua et ego non loquar quoties volo. Et inde *gratias ago Deo meo*, qui mihi per donum gratiæ suæ concessit ut loqui possim linguis, quas inter vos omnes habetis. Sed quamvis tanta linguarum notitia divinitus sit mihi data *in Ecclesia* tamen cui debeo prodesse, *volo quinque*, id est pauca *verba loqui meo sensu*, id est quæ intelligam et exponam, *ut et alios instruam quam decem millia*, id est valde nimiam multitudinem, *verborum in lingua*, id est ut neque intelligam, neque alios doceam.

Digitized by Google

Quod alt, quinque verba et decem millia, vulgari consuetudine locutus est. Vel sicut nonnullis visum est per quinque verba, quinque libros Mosi designavit. Volo, inquit, in ecclesia loqui meo sensu, id est spirituali intelligentia quinque verba, id est quinque legis volumina, quam decem millia verborum, id est quam legis perfectionem in lingua, id est in prolatione signorum non intellectorum. Denarius enim propter Decalogum significat legem, millenarius perfectionem. Posuit autem Apostolus quam sine magis, ut notaret istam partem, cum qua jungitur quam, nullo modo esse amplectandam. Nam ubi sic ponitur quam, ostendit alteram partem posse stare, alteram vero minime.

« Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia « parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. In « lege enim scriptum est, quoniam in aliis linguis « et in labiis aliis loquar populo huic (*Isa.* XXVIII), « et nec sic audient me, dicit Dominus. Itaque lin- « guæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, « prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. »

Ideo etiam non debetis appetere loqui linguis tantum, quia hoc modo haberetis puerorum sensum, qui non attendunt quid sit aliis utile, sed quid seipsos pueriliter delectet. Sed vos *nolite effici pueri sensibus*, ut pueriles sensus habeatis in appetitione linguarum, quibus tanquam puerorum ludis intendatis, non cogitantes quid prosit utilitatibus proximorum. Nolite esse pueri sensibus, sed estote viri. Qui enim non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel mentis levitate, mulieribus et parvulis comparandi sunt. Nolite sensibus esse pueri, id est nolite esse insipientes. Sed quia Dominus ait: « Nisi conversi fueritis et effecti sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII), » *malitia pueri* estote: si vos delectat imitari pueros, non delectet imperitia, sed innocentia et humilitas. *Malitia estote parvuli.* Qua malitia maxime, nisi superbiæ? Ipsa enim de vana granditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam et intrare per angustam portam; puer autem facile intrat per angustam. Et ideo nemo nisi ut puer, intrat in regnum cœlorum. Estote ergo parvuli malitia, id est deponite omnem granditatem quam malitia superbiæ facit, ut sitis remoti ab omni malitia sicut pueri, studentes his quæ faciant ad utilitatem fratrum, quod est perfectio sensus. Itaque nolite pueri effici sensibus per imperitiam, ut sicut pueri non intelligatis quod dicitis; sed malitia parvuli estote, ut sitis immunes ab omni malitia velut pueri; *sensibus autem profecti estote*, ut intelligatis plene quod dicitis, et quid ad instructionem Ecclesiæ sit necessarium sciatis. Nec debetis pueriliter appetere loqui linguis quas non intelligitis, quia linguæ in signum infidelibus dantur, quod vos jam non estis; et non ad ædificationem, quæ necessaria vobis est jam fidelibus, et hoc est: Nolite quærere linguas, quia *in lege*, id est in libro Isaiæ, *scriptum est* (*Isa.* XXVIII), *quoniam in aliis linguis*, id est diversis generibus linguarum, *et in aliis labiis*, id est verbis spiritualibus, loquar per apostolos *huic populo* Judæorum, *et nec sic exaudient me*, qui per legem et prophetas nunquam me voluerunt exaudire, *dicit Dominus.* Vel in aliis linguis loquar, id est Novum Testamentum prædicabo; et in aliis labiis, id est Vetus Testamentum spiritualiter exponam, quod illi carnaliter exponebant. Hoc est enim aliter eis loqui, quam se legis veteris habent verba, dum audiunt Sabbatum solvi, neomenias evacuari, circumcisionem cessare, sacrificia immutari, escas dudum prohibitas licere edere, Christum de Deo Deum prædicari. Hoc est aliis linguis et aliis labiis loqui, propter illam varietatem linguarum, quæ per apostolos in die Pentecostes sonuit (*Act.* II). Sed nec sic infideles Judæi voluerunt exaudire Deum, ut ei per fidem et devotam conversationem obedirent. Videte ergo ne et vobis loquatur Deus in variis linguis, et vos non exaudiatis verba præceptorum ejus faciendo. Et quandoquidem illis, qui non exaudierunt ut ad finem converterentur, locutus est Dominus in aliis linguis, *itaque linguæ sunt in signum non fidelibus*, qui credunt Deum omnia posse; *sed infidelibus* qui hoc non credunt. Nam idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes hominum ad interiora perducant, quatenus per hoc quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ invisibilia sunt, mirabiliora credantur. Linguæ igitur datæ sunt in signum, id est ut sint signum invisibilis præsentiæ Dei, quia infideles per miraculum linguarum potentiam Dei, qui eis prædicatur, adesse præsentem intelligunt. Sed *prophetiæ non* sunt signum infidelibus, quia infideles non credunt futura, quæ necdum videre possunt, si eis per prophetiam prænuntientur. Et idcirco prophetiæ non infidelibus datæ sunt, qui prophetis ventura prædicentibus credere nolunt, *sed fidelibus*, qui futurorum prænuntiationi prudenter acquiescunt; et ideo fideles non linguas appetere debent, sed prophetias. Vel nomine prophetiarum interpretationes Scripturarum designari possunt. Prophetiæ ergo non sunt signum infidelibus, sed fidelibus, quia infideles per expositionem Scripturarum quibus nullam fidem adhibent, nequaquam Deum cognoscunt, fideles autem secreta ejus ibi mysteria intelligunt. Major autem et utilior est prophetia, id est prophetarum interpretatio, quæ fidelibus prodest et semper est opus, quam linguarum locutio, quæ propter infideles ad tempus data est.

« Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, « et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ « aut infideles, nonne dicent quod insanitis? Si « autem omnes prophetent, intret autem quis infi- « delis aut idiota, convincitur ab omnibus, dijudi- « cantur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus « manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit « Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit. »

Alia ratio cur non debeatis loqui linguis, sed potius prophetare. Quia linguæ in signum sunt infidelibus, non in ædificationem fidelibus, prophetiæ

Digitized by Google

vero fideles semper ædificant, *ergo si conveniat in unum universa Ecclesia*, id est si coadunetur in unum universa fidelium congregatio, *et omnes* ibi sine interprete *loquantur linguis*, sed *intrent idiotæ* vel imperiti *vel infideles, nonne dicent quod insanitis* quasi arreptitii, cum alter alterum non intelligat? Dicent utique vos insanire, cum videant locutionem vestram nemini prodesse, sed tumultum quemdam incognitum fieri, velut phrenesim sustinentium. Et sic præbetis vos illis derisui, quos exemplo vestro debetis convertere. Sed *si omnes* in Ecclesia *prophetent*, id est ventura vel occulta per prophetiam manifestent, *intret autem* ad eos aliquis *infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus* de suo errore quem non valet negare contra eos qui cor ejus per spiritum prophetiæ intuentur, et *dijudicatur ab omnibus*, id est damnabilis ostenditur, dum unusquisque dicit de eo quam reus sit, et *occulta cordis ejus fiunt manifesta*, vel cogitationes ejus deteguntur a prophetantibus, *et ita* cum viderit arcana suæ mentis per Spiritum sanctum, qui in vobis loquitur, esse denudata *cadens in faciem*, id est humilians se, conversus ad pœnitentiam tam manifesta Dei præsentia superatus, *adorabit Deum*, id est Spiritum sanctum, qui cordis ejus occulta sicut Deus per vos patefacere potuit, *pronuntians* oris confessione *quod* intelligit corde, scilicet vere Deum in vobis esse, qui cordium alienorum secreta per vos rimatur. Notandum quia proprie idcirco dicatur prophetia, quoniam prædicit futura. Sunt tamen tria prophetiæ tempora, præteritum, præsens et futurum. Prophetia enim de præterito, ubi de casu primi angeli dicitur: « Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? (*Isa.* XIV.) » Prophetia de futuro est: Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui (*Isa.* III). » Prophetia vero de præsenti est, quæ in præsentibus Apostoli verbis ostenditur. Cum enim dicitur: Occulta cordis ejus manifesta fiunt, profecto monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, sed ostendit quod est. Quo autem pacto dicitur prophetiæ spiritus, qui nihil futurum indicat, sed præsens narrat? Sed recte prophetia dicitur, non quia prædicit ventura, sed quia prodit occulta. Rem quippe quamlibet sicut ab oculis nostris subtrahunt tempora in futuro, ita ab oculis nostris in præsenti subtrahit causa. Ventura enim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde.

« Quid est ergo, fratres? Cum convenitis, unus-
« quisque vestrum psalmum habet, doctrinam ha-
« bet, apocalypsim habet, linguam habet, interpre-
« tationem habet. Omnia ad ædificationem fiant. »

Jam incipit determinare, quomodo linguis sit utendum; quandoquidem hæc quæ diximus, eveniunt de locutione linguarum, *ergo quid est* agendum, o fratres? Ad ædificationem exercendæ sunt ut cætera. Nam *cum convenitis* in Ecclesia, ubi ædificationem audientium operari debetis, *unusquisque* A *strum habet* unde possit aliis proficere. Ideo nullus se excuset. Alius enim habet *psalmum*, id est laudem Dei per canticum; alius *habet doctrinam*, id est sensuum expositionem per spiritualem prudentiam, qua se et alios de moribus instruere valeat; alius *habet apocalypsim*, id est revelationem occultorum quæ sibi Spiritus sanctus ostendit; alius *habet linguam*. Hoc idcirco dixit, ut eos qui linguis loqui poterant, non contristaret. Permisit enim eos loqui linguis, ita tamen, ut interpretatio sequeretur. Et ideo subjecit, *interpretationem habet*. Quod propterea dixit, ut si interpres adesset, daretur locus loquenti linguis. Non dixit quod unusquisque haberet hæc omnia, sed ostendit quia non erat quisquam in eis, qui horum aliquid non haberet. Talis enim locutio- B nis hujus est sensus, ut qui intelligit psalmum, loquatur de psalmo, qui habet scientiam docendi, doceat: qui habet apocalypsim, id est revelationem aliquam mysteriorum, dicat quæ sibi revelata sunt; et cætera similiter, ut nihil sit in eis quod non alterutrum ædificet. *Omnia*, inquit, *ad ædificationem fiant*. Conclusio hæc est, ut nihil incassum in Ecclesia geratur, sed magis laboretur, ut et imperiti proficiant. Et idcirco omnes paratos vult convenire diversis donis spiritualibus, ut ipsa aviditate mentis vigilantes, invicem se exhortari, meliora bona æmulentur ad illuminationem fratrum.

« Sive lingua quis loquitur, secundum duos aut
« (ut multum) tres; et per partes, et unus interpre- C
« tetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in
« Ecclesia, sibi autem loquatur et Deo. »

Incipit ostendere quomodo hæc omnia fiant ad ædificationem. Omnia, inquit, fiant ad profectum, sive linguarum locutio sive cætera, et hoc est. *Sive quis lingua loquitur, secundum duos* fiat locutio, *aut ut multum*, dicam, secundum tres fiat, id est duo vel tres loquantur linguis, et non plus, ne occupent diem, et non sit locus loquendi prophetis, qui maxime sunt utiles. *Et per partes* loquantur, id est non simul omnes, ne insanire videantur, sed singuli, id est unus post alium, sive in diversis ecclesiæ locis; *et unus interpretetur*, hoc est aliquis exponat populo verba illius loquentis. Consuetudo tunc erat, ut D quando convenichant in Ecclesia, vel in aliquo loco propter doctrinam, illi qui scientiam linguarum acceperant, loquerentur et alii exponerent, et hoc fiebat in Ecclesia per catervas. In una parte Ecclesiæ erat quædam collectio, et in altera parte alia; et unaquæque pars suum habebat loquentem, et suum interpretem: et hoc est quod Apostolus dixit, ut in una ecclesia non loquantur nisi duo vel tres; et per partes, ut ubi unus loquitur, non loquatur alter; vel unus post alterum loquatur, et unus interpretetur unicuique. Sed *si non fuerit interpres*, id est qui interpretetur, taceat linguis loquens *in Ecclesia*, ubi non debet audiri locutio nisi quæ ædificet; sed *sibi loquatur*, id est intra se tacite oret, et loquatur Deo, qui audit muta omnia. Sibi loquitur, qui ex his

Digitized by Google

quæ dicit, compungitur : et Deo loquitur, quia Deum orat vel laudat.

« Prophetæ autem duo aut tres dicant, et cæ-
« teri dijudicent. Quod si alii revelatum fuerit se-
« denti, prior taceat. Potestis enim omnes per sin-
« gulos prophetare, ut omnes discant et omnes
« exhortentur, et spiritus prophetarum prophetis
« subjectus est. Non enim dissensionis est Deus,
« sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis sancto-
« rum doceo. »

Sicut de his qui lingua loquuntur dixi, ita et de prophetis dico, ut *duo aut tres prophetæ dicant*, id est loquantur ad populum in diversis Ecclesiæ partibus. Duo vel tres loquantur, quia sufficit sermo tot hominum, et in ore duorum vel trium stat omne verbum; cæteri vero prophetæ dijudicent verba eorum, discernentes a bonis meliora et a melioribus optima (*Deut.* XVIII; *Matth.* XVII; *Joan.* VIII; *II Cor.* XIII). Sed si interim per Spiritum sanctum *fuerit revelatum* aliquid melius *alii sedenti* qui audiebat, prior qui loquebatur, taceat, ut et iste loquatur quod sibi divinitus est revelatum. Sæpe enim juniori revelat Dominus quod melius est; et ideo permittat eum prior loqui. Nec sibi putet injuriam fieri, si tacuerit ut inferior loquatur, quia plerumque datur inferiori quod non est concessum superiori. Ideo loqui debet ille cui revelatum est, quia *potestis omnes prophetare*, tam ille qui prius accepit revelationem, quam ille qui prior cœperat loqui. Omnes inquam, potestis prophetare, non quidem simul, ne conturbatio fiat, sed *per singulos*, alius post alium; *ut omnes* etiam majores discant quæ ignorant, *et omnes exhortentur*, id est moneantur in his quæ, cum intelligunt, negligunt. Et debet loquens cedere sedenti ut loquatur, quia *et spiritus prophetarum est subjectus prophetis*, id est in hoc facit voluntatem prophetarum, ut quando vult propheta, permittat eum tacere; et rursum quando vult, permittat eum loqui. Ne quis diceret se non posse tacere, quoniam spiritus ministrans sibi cogeret eum, dicitur quia spiritus prophetarum prophetis subjectus est, ut in sua habeant potestate quando taceant et quando loquantur. Subjectus est spiritus prophetis, ut quando volunt, tacere possint; et quando volunt, loqui; nec cogit eos ut Pythonicus aliqua clamare vel sub-tacere. Unde si prior propheta non cedit alii, videtur non esse in eo Spiritus Dei. Vere subjectus est eis spiritus ut pro voluntate sua possint ratione tacere vel loqui, quia *non est Deus dissensionis, sed pacis*, id est Spiritus sanctus qui Deus est et prophetas replet, non est auctor dissensionis et discordiæ, sed pacis et concordiæ. Esset enim auctor dissensionis, non pacis, si et eum qui prior cœperat loqui, non sineret tacere; et hunc qui interim repentina revelatione impletus est cogeret loqui. Inde enim discordia et dissensio nasceretur. Sed iste spiritus pacem generat, non discordiam, ut alter propheta rationabiliter cedat alteri, non simul ambo loquantur. Deus, inquam, est pacis, non discordiæ, ut quicunque Deo adhærere cupiunt, pacem sequantur, dissensionem fugiant, *sicut* ego doceo in omnibus ecclesiis sanctorum. Et ideo si vultis sanctorum ecclesiis quæ sunt per orbem, communicare, pacem in Deo vicissim servate sicut illæ. Vel qui linguarum notitiam acceperunt, qui prophetiæ gratiam habent, ita loquantur in ecclesia sicut nunc docui, et sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo. Ac si dicatur : Non est singulare vel novum quod nunc dixi, ideo firmiter tenete quod omnes tenent ecclesiæ.

« Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permit-
« titur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex di-
« cit (*Gen.* III). Si quid autem volunt discere, domi
« viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri
« loqui in ecclesia. An a vobis verbum Dei proces-
« sit? an in vos solos pervenit? »

Quamvis dixerim quia potestis omnes prophetare, mulieres tamen *in ecclesiis taceant*. Nunc redit Apostolus ad id quod supra prætermiserat. Superius enim velari mulieres in ecclesia præcepit, modo ut quietæ sint et verecundæ ostendit, quia contra ordinem est naturæ vel legis, ut in conventu virorum feminæ loquantur. *Non enim* ab aliqua auctoritate *permittitur eis* in ecclesia *loqui*, *sed* præcipitur eas *subditas esse*, *sicut lex* in Genesi dicit : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (*Gen.* III). » Lex ista specialis est mulieribus imposita, et ob hoc Sara subjecta erat Abrahæ, dominum eum vocans (*Gen.* XVIII; *I Petr.* III). Duabus de causis jubetur mulier esse subjecta, quia ex viro est, et per ipsam intravit peccatum (*Gen.* II). Jure enim tacet inter viros, quæ cum loqueretur viro suo, suasit peccatum (*II Cor.* II; *Gen.* III). Non loquantur in ecclesia; sed *si quid volunt discere, interrogent domi viros suos* cum disciplina et subjectione. Nam *turpe est mulieri in ecclesia loqui*. Turpe est, quia contra disciplinam est, ut in domo Dei, qui eas viris subjectas esse præcepit, de lege loqui præsumant, cum sciant illic viros habere primatum et sibi magis competere ut in domo Dei precibus vacent, et retinentes linguam, aures aperiant, ut audiant quomodo misericordia Dei mortem vicit per Christum, quæ per eas regnavit. Nam si audeant in ecclesia loqui, dedecus est, quia idcirco velantur ut in humilitate appareant. Si autem inverecunde se ostendunt, opprobrium est viris, quia in mulierum insolentia etiam mariti notantur. Hæc quæ vobis trado, tenere debetis, non vestra instituta meis traditionibus præferre, et cæteris fidelibus quasi fontem religionis velle tradere. Quia *an processit a vobis verbum* prædicationis Dei? Non utique, sed a nobis ad vos venit, quoniam a nobis qui de circumcisione sumus, cœpit evangelica prædicatio, non a vobis; nec beneficium vos dedistis, sed accepistis. Nec quasi singulariter electi debetis gloriari, aut de singulari scientia extolli. Quia nunquid *in vos solos pervenit* verbum Dei? Non utique, sed in alios per orbem similiter pervenit, et ideo nolite velle fieri magistri, constituendo nova-

Digitized by Google

traditiones vestras, sed tenete quod ubique tenent aliæ gentium Ecclesiæ.

« Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, « cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt « mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. »

Ego quidem talia vobis scribo. *Et si quis* inter vos est, qui *videtur esse propheta*, id est præsciens futurorum, *aut spiritualis*, id est, spiritualiter vivens, quamvis non habeat notitiam futurorum, *cognoscat* ista *quæ scribo vobis quia* non sunt a me, sed *sunt mandata Domini*. Hoc dixit Apostolus, aliter ista quæ scribebat a parvulis, et aliter a capacioribus posse intelligi sciens. Solidam enim voluit esse scientiam spiritalium, ubi non solo accommodaretur fides, sed certa cognitio teneretur. Ac per hoc parvuli ea credebant, quæ spirituales insuper cognoscebant. Coercet etiam his verbis et ad pacificum ordinem revocat inquietos, tanto ad seditionem faciliores, quanto sibi videbantur spiritu excellere, cum superbiendo cuncta turbarent. Si quis, inquit, videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. Si quis videtur esse, utique non est. Nam qui est, sine dubitatione cognoscit. Nec admonitione, nec coercitione opus habet, quia omnia judicat, et a nemine judicatur. Illi ergo seditiones, et perturbationes in Ecclesia faciebant, quia videbantur esse quod non erant. Et hos docet cognoscere Domini mandata esse quæ scribit. Præcipue tamen pseudoapostolos, a quibus fuerant depravati, in hac sententia tangit, qui pro desideriis hominum non divina, sed terrena docebant, ideo hic nihil suum tradere se dicit, sed Domini, ut quibus suadet, Deo acquisiti, non hominibus videantur. Cognoscat, inquit, ea quæ scribo vobis de linguis, prophetis ac mulieribus, et de cæteris spiritualibus, quia sunt Domini mandata. Sed *si quis* hæc *ignorat*, *ignorabitur* a Domino, id est improbabitur cum illis quibus dicetur : « Non novi vos (*Matth.* VII), » id est non novi esse meos, vel non novi inter prædestinatos. Nam hoc dicitur contra pusillos, qui in cruce Christi gloriantur, et tamen ignorant ea quæ de divinis mysteriis subtilissime disseruntur. Non enim perit unus de pusillis (*Matth.* X; *Luc.* XII), pro quibus mortuus Christus. Sed sicut præcedentia et subsequentia declarant, de his quæ fidem et mores multorum ædificarent, dixit Apostolus, quod ignorans ea ignorabitur, id est ut linguis prophetia præponeretur, ut non perturbate illa gererentur, quasi prophetiæ spiritus etiam invitos loqui cogeret, ut mulieres in Ecclesia tacerent, ut omnia honeste et secundum ordinem fierent. Hæc et his similia qui ignorat, ignorabitur, non illa secreta mysteria, quæ vix ad paucorum intelligentiam pertinent.

« Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et loqui « linguis nolite prohibere. Omnia autem honeste et « secundum ordinem fiant in vobis. »

Quandoquidem prophetia tam utilis est, ut supra demonstraverimus, itaque, o *fratres ! æmulamini*, id est desiderate prophetare ad multorum ædificationem ; et quamvis linguæ parum prosint, nolite tamen *prohibere loqui linguis* ne fiat dissensio. Sed omnia tam hæc quam alia, *fiant in vobis honeste*, id est cum pace et disciplina, *et secundum ordinem*, ut alia prius et alia posterius agantur, et prophetia linguis præferatur (*Galat.* I).

CAPUT XV.

« Notum autem facio vobis Evangelium, fratres « quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo « et statis, per quod et salvamini, qua ratione « prædicaverim vobis si tenetis, nisi frustra credidistis. »

Hic ingreditur Apostolus reprehendere Corinthios, qui, seducti a falsis apostolis, dubitabant de resurrectione communi, existimantes neminem resurrecturum, cum viderent corpora mortuorum sepeliri et putrefieri. Hunc errorem destruit apostolus, probans mortuos in fine sæculi resurrecturos, et hoc facit per resurrectionem Christi, de qua certissimum erat illis. Hactenus, inquit, de spiritualibus donis disserui. Sed modo *notum facio vobis Evangelium*, id est bonum nuntium, quo justi nuntiantur resurrecturi ad gloriam, quod non est novum, sed olim vobis a me prædicatum : *quod et* vos *accepistis*, id est digna acceptione judicastis, et devote illud suscepistis, *in quo* etiam *et statis*, id est firmiter perduratis. Quod enim dicit, in quo et statis, illis dicit, qui erant firmi in fide resurrectionis. Promiscuis enim loquitur, ut et hi qui in fide sunt, gaudeant; et qui non tant, corripi se doleant et corrigantur. Statis, inquit, in Evangelio resurrectionis vos, qui in fide constantes estis *per quod et salvamini*, id est ad salutem æternam pertingitis, cum de hac vita migratis, vel salvamini jam ex certitudine spei per illud. Salvamini, dico, si memoria et fide retinetis *qua ratione prædicaverim vobis*, id est quomodo ea ratione qua Christus resurrexisse creditur, docuerim resurrectionem mortuorum. Hoc retinetis sive tenetis, nisi frustra credidistis. Id est, aut tenetis resurrectionem mortuorum aut incassum fidem suscepistis, quæ non suscipitur nisi spe resurrectionis. Omnis enim spes credentium in hoc est, quia mortui resurgent. Quod qui non sperat, frustra etiam cæteras partes fidei suscepit.

« Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, « quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris « secundum Scripturas (*Isa.* LIII), et quia sepultus « est, et quia resurrexit tertia die secundum Scri« pturas (*Joan.* II; *Ose.* VI). »

Nunc primo ponit hoc quod erat certissimum, per quod consequenter et illud probet, quod habebatur dubium. Vere, inquit, notifico vobis Evangelium de resurrectione, quod dudum prædicavi vobis, et ostendo qua ratione illud prædicaverim. Nam *tradidi in primis*, id est inter maxima fidei sacramenta vel in primis, id est in exordiis fidei, *quod et* ego ab ipso Domino occulta inspiratione accepi, non per me inveni, *quoniam Christus mortuus est* non pro sua

Digitized by Google

necessitate, sed *pro peccatis nostris*, et hoc *secundum Scripturas* propheticas, quæ id prænuntiabant, et tradidi vobis quia post mortem *sepultus est*, ut Scripturæ prædixerant; *et quia resurrexit tertia die*, id est tam cito ut ea potestate credatur posse non suscitare. Pro peccatis nostris mortuus est et sepultus, sicut per Isaiam dicit de illo Pater : « Propter scelus populi mei percussi eum, et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua (*Isa.* LIII). Qui et resurrexit die tertia sicut Osee prædixerat : Vivificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos (*Ose.* VI). » Nam in ejus resurrectione vivificati sumus, et suscitati, sicut alibi dicit Apostolus iste : « Convivificavit nos Christo, et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus (*Ephes.* II). » Si ergo mortuus et sepultus resurrexit, eadem ratione debemus credere mortuos et sepultos resurgere.

« Et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim. « Deinde visus est plus quam quingentis fratribus « simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, « deinde apostolis omnibus (*Joan.* XX; *Luc.* XXIV). »

Tradidi vobis, secundum testimonia prophetarum, veraciter surrexisse Christum. Et etiam in argumentum certioris fidei tradidi vobis *quia visus est Cephæ*, id est Petro, priusquam aliis viris in die resurrectionis appareret, *et post hoc undecim* apostolis ad vesperum, qui se metu Judæorum clauserant. Sed cum Judas mortuus esset, et juxta Joannem Thoma deesset, et quomodo tunc Dominus undecim visus est, nisi per synecdochen accipiatur? Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Quanto magis ergo Thomas, qui unus erat ex illis undecim, potuit in undenario eorum numero comprehendi, quamvis defuisset quando Dominus venit? *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul* positis, de quibus evangelium tacet, *ex quibus multi manent*, qui testes sunt quærentibus, *usque adhuc* Jesu testimonio permanentes, *quidam autem* eorum in somno mortis *dormierunt*, quia rursum evigilaturi sunt. *Deinde visus est Jacobo* fratri Domini, propria manifestatione singulariter. Et de hac re tacent quatuor evangelistæ. Sed in Evangelio quod appellatur secundum Hebræos, quod et in auctoritate fuit apud antiquos, narratur per resurrectionem quia Dominus venit ad Jacobum Justum et apparuit ei. Juraverat enim Jacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursumque post paululum : « Afferte, ait Dominus, mensam et panem. » Statimque additur : « Tulit, panem et benedixit ac fregit, et dedit Jacobo Justo, et dixit ei : Frater mi, comede panem tuum, quia surrexit Filius hominis a dormientibus (*Luc.* XXIV; *Act.* I). » Deinde visus est *apostolis omnibus* in monte Galilææ, vel in loco ascensionis.

« Novissime autem omnium, tanquam abortivo « visus est et mihi (*Act.* IX). Ego enim sum minimus « apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in « me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus « laboravi (*Ephes.* III). Non ego autem, sed gratia « Dei mecum. Sive enim ego, sive illi, sic prædicavimus, et sic credidistis. »

Ita ut dixi, visus est cæteris. Sed *novissime omnium visus est et mihi* de cœlo vocans me post ascensionem suam, vel dum orarem in templo. Mihi dico, *tanquam abortivo*, id est abortivo simili, quia sicut abortivus quadam naturæ violentia ante tempus compellitur nasci, ita ego per terribilem Domini visionem et luminis oculorum amissionem coactus sum, antequam vellem, exire de cæco synagogæ utero, et ad lucem fidei atque libertatem prodire. Novissime post omnes mihi visus est, ut recentiorem intelligatis meam visionem, et habeatis inde majorem certitudinem. Nec mirum si novissime visus est mihi. Nam *ego sum minimus apostolorum*. Minimus tempore, non dignitate. Minimus humilitate, non operatione. Minimus in me, magnus in Domino, *qui non dignus sum vocari apostolus*, quia ex præcedenti vita mea nihil boni habeo, sed multa mala me fecisse reminiscor, pro quibus eram dignus pœna, non apostolica gratia, *quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Apostolus iste, cum cæterorum sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, ut ab elatione se premeret, et vires suas in humilitatis gremio nutriret, antiquæ crudelitatis suæ non immemor, aliorum apostolorum innocentiam contemplatus : *Ego*, inquit, *sum minimus apostolorum, quia non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei*. Consideravit enim apostolorum, ut diximus, innocentiam, et propter præcedentem malitiam vilis in eis oculis facta est omnis, quam exhibebat in Ecclesia, sollicitudo sua. Et quam multos ex accepto intellectu præcederet, non attendit, quia illorum innocentiam pensans, persecutorum aliquando fuisse se doluit. In cujus verbis quid aliud quam duritia nostræ mentis accusatur? Quia ipse plangebat quod ante baptismum commiserat, nos vero et post baptismum multa commisimus, et tamen flere recusamus. Non sum, inquit, dignus vocari apostolus, sed *gratia Dei sum id quod sum*. Quod est dicere : Per merita mea nihil boni consecutus sum, sed potius gratia, id est gratuito Dei munere datum est mihi hoc esse quod sum et in sanctitate et in scientia et in apostolatu. Et hæc *gratia ejus* postquam mihi data est, *non fuit in me vacua*, id est otiosa, sed bonis operibus plena, quia in prædicatione *laboravi abundantius omnibus illis* apostolis qui me præcesserunt. Illi enim prædicaverunt Judæis, qui per legem et prophetas erant instructi, et auctoritate Scripturarum convincebantur ut ad novam gratiam converterentur; ego autem graviori labore gentibus quæ nihil de Deo audierant, nullisque divinorum librorum auctoritatibus acquiescebant, ad fidem converti. Illi stipendium ab illis

Digitized by Google

quibus prædicabant, acceperunt; ego autem nihil ab auditoribus meis accepi, sed ex labore manuum mearum vixi. Postremo nullus eorum in tot locis prædicavit, neque tot epistolas omnes illi scripserunt. Abundantius itaque in apostolatu laboravi ego quam illi. Sed non ex me ego hoc feci, sed potius *gratia Dei mecum* operando hoc egit. Notandum quod superna pietas prius agit aliquid in nobis, sine nobis, ut, subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat nobiscum. Quod tamen per impensam gratiam in extremo judicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat, prævenit, apte nunc Apostolus ait : *Gratia Dei sum id quod sum.* Et quia eadem gratia nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de nihil esse conspiceret, ait : *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit : *Sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret, mecum, si cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostendat, ait : *Non ergo.* Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjungit : *Sed gratia Dei mecum.* Bona itaque nostra, et Dei sunt et nostra. Quia ipse nos prævenit ut velimus, aspirando, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus. Præveniente ergo gratia et bona voluntate subsequente, hoc quod Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene nunc Apostolus explicat, dicens : *Abundantius illis omnibus laboravi.* Qui ne videretur suæ virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Quia enim cœlesti dono præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit, dicens : *Non autem ego.* Sed quia prævenions gratia liberum in eo arbitrium fecerat in bono, quo libero arbitrio eamdem gratiam subsecutus est in opere, adjecit : *Sed gratia Dei mecum.* Ac si diceret : In bono opere laboravi, non ego, sed et ego. In eo enim quod solo Dei dono præventus sum, non ego ; in eo autem quod donum voluntate subsecutus sum, et ego. *Laboravi*, inquit, *plus illis omnibus.* Unde apparet et me et illos in prædicatione laborasse. Nam *sive ego, sive illi, sic prædicavimus* ut supra memini, id est Christum pro peccatis nostris mortuum, tertia die resurrexisse, et frequenter apparuisse multis. Sic prædicavimus Christi mortem, et resurrectionem secundum testimonia prophetarum, sive ego, sive illi, quia concorditer eamdem rem prædicamus ego et illi, nec est in nostra prædicatione discordia, sed pax consensionis et societas charitatis. Sive igitur ego, sive illi, sic prædicavimus Christum resurrexisse, et vos *sic credidistis.* Unde magis apparet quantum desipiatis, quia cum manifesta sit credulitas hæc apud omnes ecclesias, quam et vos suscepistis, nunc ab ea propter falsos apostolos recessistis.

« Si autem Christus prædicatur quod resurrexit « a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quo- « niam resurrectio mortuorum non est ? Si autem « resurrectio mortuorum non est, neque Christus « resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, « inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides « vestra. »

Modo venit ad rem, propter quam locutus est de Domini resurrectione. Postquam enim multis rationibus probavit Christum resurrexisse, ingreditur per ejus resurrectionem probare cæterorum mortuorum resurrectionem. Ego, inquit, et cæteri apostoli prædicamus Christum resurrexisse, et vos pro certo sic credidistis. Sed *si Christus prædicatur quoa resurrexit a mortuis, quomodo*, id est qua ratione *quidam in vobis*, id est apud vos, *dicunt quoniam resurrectio mortuorum non est* futura ? Si enim Christus resurrexit, concedendum est necessario quia resurgent et mortui. Sed hoc illi negabant, qui per falsos prophetas depravati erant. Nam et prudentes sæculi stultum judicant, cum audiunt resurrectionem mortuorum. Ideoque nonnulli Corinthiorum, ne stulti judicarentur ab illis, dicebant resurrectionem mortuorum futuram non esse. Sed *si resurrectio mortuorum non est* futura, *neque Christus resurrexit.* Nam et ipse veraciter mortuus fuit, utpote verus homo. Et si cæteri non resurgent, nec ipse resurrexit. Nam ejus resurrectio resurrectionem cæterorum facit. Sicut enim gratis mori non potuit, ita nec gratis surrexit, quia sicut mortuus est ut mortem nostram destrueret, ita resurrexit ut nos resuscitaret. Cum igitur incassum resurgere non potuerit, si nos non resuscitat, nec ipse resurrexit. Si ergo generalis mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit. Quisquis itaque mortuos negat resurrecturos, Christum quoque negat resurrexisse. *Si Christus non resurrexit*, ergo audite quanta inde sequantur inconvenientia. Si enim ipse non resurrexit, ergo *inanis*, id est inutilis et absque veritatis pondere *est prædicatio nostra*, qui prædicamus eum resurrexisse ; *et inanis est fides vestra*, qui nobis prædicantibus credidistis eum resurrexisse, ut et membra ejus in fine resurgant. Hoc Corinthii crediderant, Apostolo docente, quia sicut Christus resurrexit, ita et mortui resurgent, et hac spe attracti fuerant ad fidem. Quod utique nunc ad detrimentum illorum proficere asserit, si crediderint quod futurum non est. Et pudoris est, ut aliquis profiteatur hoc se credidisse quod falsum est. Et verecundiam ergo illis incutit, et labores eorum dicit infructuosos, si quod a falsis apostolis audierunt verum, est quia mortui non resurgent, quod utique nemo patitur audire, ut videntes hoc contra se esse, reverterentur ad primam fidem. Inanis, inquit, non solum prædicatio nostra est, sed et fides vestra, id est in vanum et sine fructu remunerationis et nos prædicavimus resurrectionem, et vos credidistis, si mortui non resurgunt, quos necesse est resurgere,

Digitized by Google

si Christus resurrexit : non enim resurrexit, si et illi non resurgent.

« Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam « testimonium diximus adversus Deum quod susci- « taverit Christum, quem non suscitavit, si mortui « non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, ne- « que Christus resurrexit. Quod si Christus non re- « surrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim estis « in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in « Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Chri- « sto sperantes sumus, miserabiliores sumus omni- « bus hominibus. »

Non solum prædicatio nostra et fides vestra est inanis, id est cassa et falsa et infructuosa, si Christus non resurrexit, ut per eum cæteri resurgerent; sed etiam nos apostoli, quibus omnes credunt, *inveniur falsi testes Dei* super hac re. Et utique non minori, sed fortassis etiam majori scelere in Deo laudatur falsitas, quam vituperatur veritas. Falsi testes, si hoc est, comprobamur, *quoniam diximus testimonium adversus Deum*, id est contrarium Deo cui omnis falsitas est contraria, asserentes *quod suscitaverit Christum*, quod nequaquam verum est, si mortui non resurgunt. Et sic erit nobis ad damnationem hoc mendacium (*Prov.* XIX), quia falsus testis non erit impunitus. Sed et vos qui hoc credidistis participes eritis damnationis. Quisquis asserit quod Deus Christum suscitavit, falsus est testis, si non est factum. Virtutem tamen Dei prædicat non ut inimicus, qui tam admirabile factum virtuti ejus ascribit. Nec tamen pœnas evadet. Quod si verum est quia Deus Christum suscitavit, quid illi patientur, qui et testes contra Deum facti sunt, et opus ejus stultitiam asserunt? Jure dixi, quia falsum est Christum a Patre suscitatum *si mortui non resurgunt*. *Nam si* illi *non resurgunt*, *neque* ipse *resurrexit*. Sed *si Christus non resurrexit*, tunc *fides vestra est vana*, id est falsa, qua credebatis per Christi mortem et resurrectionem vos a peccatis liberatos. *Nam adhuc*, post baptismum, *estis in peccatis vestris*, quæ remissa credebatis, si Christus non resurrexit. Terret illos Apostolus ut doleant se hoc per seductores cœpisse credere, quod contra ipsos est. Quis enim peccata sibi non remissa velit audire? Sunt autem veræ istæ connexiones ratiocinationis apostolicæ, falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illorum contra quos agitur, quæ tamen ad hoc inferuntur ab Apostolo, ut in his erubescentes illi, quorum errorem consequuntur, eumdem relinquant errorem, quia si in eodem manere voluerint, necesse est ut etiam illa quæ ipsi damnant, tenere cogantur. Non enim vera infert, cum dicit, *neque Christus resurrexit*, et cum dicit, *inanis est prædicatio nostra*, *inanis est et fides vestra*, et cætera quæ omnino falsa sunt, quia et Christus resurrexit, et non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant. Sed ista falsa verissime connectuntur illi erroribus sententiæ, qua dicebatur, non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, consequens erit resurrectio mortuorum. Sed ad ordinem dilectionis revertamur. *Adhuc*, inquit, *estis in peccatis vestris*, *si Christus non resurrexit*. Et quia vos adhuc manetis in peccatis, *ergo et* illi *qui dormierunt in Christo*, id est mortui sunt in fide Christi, fuerunt similiter in peccatis, et ideo *perierunt*. Hoc addit illis ad terrorem, cum utique charorum suorum excessum nolint æstimare perditionem. Qui enim sub hac spe de sæculo exierunt, sive occidi non timuerunt, quia resurgere exemplo Christi crediderunt, si non est verum, perierunt. Hoc illis dicit, quod amore suorum defunctorum nolunt audire, ut illis amputet quod prius per errorem male cœperant credere. Addit et aliud inconveniens : Quia *si tantum in hac vita sperantes sumus in Christo*, id est si nihil boni post mortem speramus a Christo nos consecuturos, sed tantum propter vitæ præsentis bona colimus eum, tunc *miserabiliores sumus omnibus* aliis *hominibus*, qui tot adversa semper sustinemus. Infideles enim vel præsenti mundo fruuntur. Nos vero continentia et jejuniis atque vigiliis et afflictionibus variis in hac vita fatigamur. Et si pro his nullam in futuro sæculo mercedem exspectamus, omnium stultissimi sumus. Sed manifestum est quia et in præsenti vita et in futura speramus in Christo, qui et nunc dat suis gratiam et in futuro sempiternam gloriam.

« Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, pri- « mitiæ dormientium (*Coloss.* I), quoniam quidem « per hominem mors, et per hominem resurrectio « mortuorum (*I Thess.* IV) Et sicut in Adam omnes « moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabun- « tur. Unusquisque autem in suo ordine. »

Dictum est superius quia si mortui non resurgunt, consequens est nec Christum resurrexisse. Et si concedatur quod Christus non resurrexit, sequuntur inde (sicut disputatum est, inconvenientia multa et gravia. Sed nunc, id est ne sequantur prædicta inconvenientia, manifestum est quod Christus resurrexit. *Nunc*, id est ex his inconvenientibus et supra memoratis prophetarum Scripturis ac visionibus, quæ factæ sunt discipulis, patet quia *Christus resurrexit a mortuis*, ipse dico *primitiæ dormientium* id est primus resurgens a mortuis, et causa resuscitans mortuos, qui tam facile integri resurgent, sicut evigilant dormientes. Ipse est primitiæ dormientium, id est tempore et dignitate primus evigilans ex dormientibus, ut et multitudinem eorum a somno mortis excitet, sicut primitiæ cujuslibet rei quæ offeruntur Deo, totam subsequentem massam consecrant, ut quia peccato primi hominis mors omnium inventa est, Christi justitia resurrectionem mortuorum meruerit. Et bene per hominem Christum potuerunt resurgere, *quoniam per hominem quidem* multo minorem, id est per Adam, venit *mors*, *et* ideo *per hominem* Christum apte veniet *resurrectio mortuorum*. Sicut per Adam mors intravit, quia ipse primus est mortuus; ita et per

Digitized by Google

Christum resurrectio, quia primus ipse resurrexit. Sicut ille forma morientium, sic iste est forma resurgentium. *Et sicut in Adam omnes moriuntur*, quia sunt ejus filii, *sic et in Christo omnes vivificabuntur*, quia sunt ejus filii. Nemo enim venit ad mortem nisi per Adam, nemo ad vitam æternam nisi per Christum. Hoc quippe est, omnes et omnes. Quia sicut omnes homines per primam, id est per carnalem generationem pertinent ad Adam; sic omnes homines per secundam, id est per spiritualem regenerationem ad Christum veniunt, quicunque ad eum perveniunt. Ideo ergo dictum est hic omnes, et ibi omnes, quia sicut omnes qui moriuntur, non nisi in Adam moriuntur, ita omnes qui vivificabuntur, non nisi Christo vivificabuntur. Hæc enim vivificatio proprie ad electos pertinet. Generalem tamen faciet Christus resurrectionem, ut, sicut in Adam omnes, sive justi, sive injusti, moriuntur, ita et in Christo omnes, sive credentes sive diffidentes, resurgant. Non tamen infideles ita vivificabuntur in Christo, ut sint in membris Christi, quia nec justi sic moriuntur in Adam, ut sint in massa pereuntium per Adam. Sed ita potius vivificabuntur infideles in Christo, id est in potentia vel jussu Christi, ut sine fine vivant ad pœnam. Electi autem vivificabuntur in Christo, id est in Christi justitia, quam servaverunt, ut in Christi corpore quod est ecclesia, perenniter vivant. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno Christi nemo sine Christo. Omnes, inquit, vivificabuntur, et hoc erit omnibus commune, sed differenti inter se tamen, quia *unusquisque* resurget *in suo ordine*, id est martyr in ordine martyrum, virgo in ordine virginum, conjugatus in ordine conjugatorum, sacerdos in ordine sacerdotum. Vel in suo ordine, id est in suorum meritorum dignitate, ut etiam plerisque martyribus præferatur egregius Vincentius, et plerisque sacerdotibus magnificus Martinus.

« Primitiæ Christus. Deinde hi qui sunt Christi, « qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis, « cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacua- « verit omnem principatum et potestatem et virtu- « tem. »

Omnes resurgent, quia Christus est primitiæ eorum, qui primus resurrexit, ut fieret causa et forma et signum futuræ resurrectionis omnium : sicut manipuli qui primo colliguntur et primitiæ vocantur, significant totam massam fore colligendam. Ipse quidem jam resurrexit, quemadmodum primitiæ primo colliguntur et offeruntur, sed deinde, sicut multitudo segetis colligitur, resurgent hi qui sunt Christi, non quidem modo sed in adventu ejus novissimo. Nam si caput resurrexit, necesse est ut et membra sequantur. Ipse enim, ut diximus, *primitiæ Christus* est, id est primus et maximus et præcedens et consecrans cæteros; *et deinde*, id est post eum sunt cæteri ut minus digni, *hi qui sunt* membra *Christi, qui in adventu ejus crediderunt*, et ipsi evigilabunt in adventu ejus ut occurrant ei. *Deinde* erit *finis*, id est consummatio et omnimoda perfectio secundum sufficientiam bonorum corporis et animæ, *cum tradiderit regnum Deo et Patri*, id est cum perduxerit justos, in quibus nunc regnat ex fide viventibus, Dei mediator et hominum, homo Christus Jesus, ad contemplationem Dei, qui eum secundum humanitatem creavit; et Patris, qui eum secundum divinitatem generavit. Regnum quippe ejus hoc loco vocatur Ecclesia fidelium. Aliter enim dicitur regnum ejus secundum potestatem divinitatis, quia ei omnis creatura subjecta est; et aliter regnum ejus dicitur Ecclesia secundum proprietatem fidei, quæ in illo est. Nec sic arbitremur eum traditurum hoc regnum Deo et Patri, ut adimat sibi, quia ipse simul cum Patre unus est Deus. Tradet itaque regnum Deo et Patri, non se inde separato, nec Spiritu sancto, quoniam perducet credentes ad regnum et contemplationem Dei. Ubi est finis omnium bonorum, et requies sempiterna, et gaudium quod non auferetur. Neque enim quæremus aliud, cum ad illius contemplationem pervenerimus, quia nec erit quod amplius requiratur. Aliter enim dicitur finis, qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem. Aliter namque tela finitur texendo, aliter cibus comedendo. Finis ergo pertinens ad perfectissimam bonorum omnium consummationem, erit cum Christus regnum tradiderit Patri. Non quia et nunc non teneat regnum Pater, sed ideo dicitur regnum traditurus Patri, quia Patrem regnare monstrabit, ut per speciem manifestationemque clarescat, quod nunc a fidelibus creditur et ab infidelibus non putatur. Nunc enim Christi regnum pertinet ad humanitatem ejus proprie, quia modo regnat in nobis dispensatione sacramenti sui per incarnationem atque passionem. Nam secundum id quod verbum Dei est ipse, tam sine fine quam sine vitio et sine intermissione regnum ejus est, sicut et Patris. Secundum id autem quod Verbum caro factum est (*Joan.* 1), cœpit regnare in credentibus per fidem incarnationis suæ. Sed tradet regnum Patri, id est nutritos fide incarnationis suæ perducet ad speciem, quia æqualis est Patri. Regnum tradet Patri, cum per id regnabit in contemplantibus veritatem quo æqualis est Patri, et per se unigenitum per speciem faciet videre Patrem. Tradet, inquam, regnum Patri a fide incarnationis suæ ad speciem deitatis perducens eos qui nunc sibi credunt, non ut ipse amittat, sed ut uterque se unum ad fruendum contemplantibus præbeat. Tradet regnum Patri, *cum evacuerit omnem principatum et potestatem et virtutem*. Unde evacuabit, nisi humilitate et patientia et infirmitate? Quis enim principatus non evacuatur, cum Filius Dei propterea regnat, quia eum principes sæculi judicaverunt? Quæ potestas non evacuatur, cum ille per quem facta sunt omnia, propterea regnat in credentibus, quia ita subjectus fuit potestatibus, ut diceret homini « Non haberes in me potestatem, nisi datum tibi

Digitized by Google

esset desuper (*Joan.* XIX). » Quæ virtus non evacuatur, cum ipse per quem cœli solidati sunt, ideo regnat in credentibus, quia usque ad crucem mortemque infirmatus est (*Philip.* II). Ita, regnante Christo per fidem in his qui credunt, evacuatur omnis principatus et potestas et virtus creaturarum. Quod cum plene factum fuerit, tunc tradet ipse, quemadmodum diximus, regnum Patri, id est promovebit fideles ad visionem Patris, ut per speciem qua æqualis est Patri, cum Patre regnet in eis. Vel tunc evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem, manifestando utique regnum Patris, ut omnibus notum sit nullum principum, nullamque potestatum et virtutum, sive cœlestium, sive terrestrium, per se habuisse aliquid principatus vel potestatis aut virtutis, sed ab illo, a quo sunt omnia non solum ut sint, sed etiam ut ordinata sint In illa manifestatione nulli spes aliqua remanebit in quoquam principe, vel in quoquam homine. Quod etiam Propheta canit : « Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus (*Psal.* CXVII), » ut ista meditatione anima jam in regno Patris assurgat, nec cujusquam potestatem præter illum magnificans, nec de sua sibiipsi perniciosissime blandiens. Evacuabit ergo omnem principatum et omnem potestatem atque virtutem, ut nulli Patrem intuenti per Filium opus sit, aut libeat in cujusquam creaturæ vel in sua conquiescere potestate. Quandiu ergo præsentis vitæ conversatio tenetur, necessarios hactenus angelicos principatus et potestates et virtutes habemus, per quorum dispensationem gubernemur, et bona operari et mala superare possimus, ac virtutibus illustremur. Sed et homines necesse est ut nobis præsint, sicut pontifices et presbyteri ac diacones, et sicut reges et consules, aliique principes. Sed in futuro sæculo evacuabuntur omnes hujusmodi prælationes, ubi jam nulla earum nobis erit necessaria.

« Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos omnes sub pedibus ejus (*Psal.* CIX). Novissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat, omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia (*Psal.* VIII). Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit illi qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus (*Hebr.* II). »

Dixi quia tradet regnum Patri, id est perducet credentes ad suam et Patris visionem manifestam. Sed interim *oportet illum regnare* per fidem in suis, *donec ponat omnes inimicos* suos *sub pedibus ejus*. Quod est dicere. Tandiu opus est ut omnibus valentibus æqualitatem Patris ac Filii perspicua mentis luce contueri, per hoc regnet Christus, quod tales capere possunt, et quod pro eis proprie suscepit, id est incarnationis humilitatem donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, id est donec omnis superbia sæcularis incarnationis ejus humilitati subdatur. Quod quotidie fit, et in fine sæculi prorsus completum erit, et tunc tradet ipse regnum Patri, sicut supra exposuimus. Vel ita : Ipse quidem tradet regnum Patri, et tunc patebit omnibus eum perenniter regnare cum Patre. Sed interim oportet cum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis, id est oportet regnum ejus in tantum manifestari, donec omnes inimici ejus ipsum regnare fateantur. Hoc enim intelligitur : sub pedibus ejus futuros inimicos. Quod si de justis acceperimus, ideo dictum est, inimicos, quia ex injustis justificantur, et ei credendo subduntur. De injustis autem qui ad justorum beatitudinem futuram non pertinent, sic accipiendum est, quoniam et ipsi eum regnare, ipsa regni ejus manifestatione confusi, fatebuntur. Ergo oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis, non ita dictum est, quasi cum posuerit, non sit postea regnaturus ; sed oportet eum, inquit, ad tantam evidentiam suum regnum perducere, donec inimici ejus nullo modo audeant negare quod regnet. Donec pro eo positum est, ut non amplius intelligas. Quo enim amplius, id est ad quem majorem manifestationem manifestari poterit regnum ejus, nisi quousque omnes inimici eum regnare fateantur? Quando enim manifestius erit regnum ejus, quam cum claruerit omnibus inimicis ; et inde permanebit in æternum (*Psal.* LX). Omnes inimici ponentur sub pedibus. Sed *novissime inimica destruetur mors* per resurrectionem mortuorum. Novissime, id est post omnia destruetur mors, ut qui resurrexerint, amplius non dissolvantur : « Non enim erit aliquid quod destruatur, posteaquam mortale hoc induerit immortalitatem. Tunc destruetur mors, quæ est nobis inimica, quia vitam nobis invidet, Vere inimici ponentur sub pedibus Christi et mors ab eo destruetur, quoniam, sicut Scriptura loquitur, *omnia* Pater *subjecit sub pedibus ejus* (*Psal.* III), id est ut etiam mortem destruat. Inter alia enim quæ illi subjecta sunt, constat quod potestatem super mortuos habeat. Omnia quæcunque sunt in universitate totius creaturæ, subjecit Pater sub pedibus ejus, id est sub humilitate humanitatis ejus. Quod nondum ex toto completum esse cernimus, quoniam infideles adhuc dedignantur subjici pedibus ejus, sed in fine, velint nolint, subjicientur. Sed præteritum pro futuro ad majorem certitudinem posuit tam Apostolus quam et propheta. Sed *cum dicat* propheticus sermo, quod *omnia subjecta sunt ei, sine dubio* dicit non solum bonos sibi esse subjectos, sed et malos, atque universa *præter eum* Patrem *qui subjecit ei omnia*. Tam late enim intelligenda est hæc sententia, ut nihil sit quod non intelligatur ei subjectum, præter eum qui ei universa subjecit. Solus enim Deus excipitur ab hac subjectione. Deus enim non ei subjectus est, sed ipse Deo, secundum quod est homo. Quia *cum subjecta ei fuerint omnia*, secundum quod hæc psalmi Scriptura prædixit, *tunc* etiam *ipse Filius* in ipsa prælatione *erit subjectus ei qui sibi subjecit omnia*. Subjectus erit secundum humanitatem, ne quis pu-

Digitized by Google

taret humanam naturam quam assumpsit, in naturam divinitatis commutandam, ut fieret æqualis Patri, non subjecta. Non autem absurde sic intelligimus, quod et ipse subjectus erit illi qui ei subjecit omnia, ut eum non solum caput Ecclesiæ, sed omnes cum eo sanctos intelligamus qui sunt unum in Christo, unum semen Abrahæ, scilicet universa Ecclesia quæ est corpus Christi et plenitudo ejus. Ac per hoc cum omnia Christo subjecta fuerint, et capiti et corpori, erunt sine dubio subjecta. Nam secundum id quod sine tempore Deus natus est, nihil unquam potuit ei non esse subjectum. Intelligimus ergo, sicut dictum est, caput cum corpore futurum Deo subjectum; subjectum autem secundum contemplationem sempiternæ veritatis ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla parte corporis resistente, *ut* in illa vita nemine amante propriam potestatem, *sit Deus omnia in omnibus*. Nunc autem quibusdam membris adhuc repugnantibus, videtur caput quoque non esse subjectum. Cum autem omnia membra Deo fuerint tam carne quam spiritu devote subjecta et cohærentia, tunc ipse Filius qui caput eorum est, manifeste cognoscetur in omnibus Deo subjectus. Et tunc erit Deus omnia in omnibus, id est quæcunque ab hominibus honeste desiderantur : et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, quia tunc nihil deerit satietati justorum desideriorum. Hic enim finem supra commemoravit Apostolus, cum totum breviter primo vellet concludere, deinde quasi membratim explicare et exponere. Et venit ad hoc ut in ultimo diceret, quia Deus erit omnia in omnibus. Nihil enim amplius quæremus, postquam ad hanc bonorum omnium plenitudinem perveniemus. Ad hunc fidem debemus tendere per omnia quæ nunc agimus. Sequitur :

« Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Utquid et baptizantur pro illis? »

Supra dictum est quia resurget unusquisque in suo ordine. Alioquin, id est si non resurrexerint, *quid facient*, id est quid proficient illi *qui baptizantur pro mortuis* amicis suis, *si omnino mortui non resurgunt?* id est quam utilitatem per baptismum conferent eis, si nullatenus sunt resurrecturi? *Utquid et baptizantur pro illis*, si non resurrexerint, cum peccata baptismo non remittantur nisi causa futuræ resurrectionis? Fuerunt quidam imperiti, qui pro amicis suis qui sine baptismo defuncti fuerant, baptizabantur, putantes illis prodesse. Nec factum illorum probat Apostolus, sed fixam fidem in resurrectione ostendit. In tantum enim ratam et stabilem vult ostendere resurrectionem, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de illa, ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes ne aut male resurgeret, aut omnino non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, et unius nomine mortui tingebatur, æstimans illi remissionem peccatorum per hoc conferri, ut in sorte justorum resurgeret. Ac si dicat Apostolus : Si stulti adeo certi sunt de resurrectione, non debetis vos dubitare.

« Utquid et nos periclitamur omni hora? Quotidie morior propter [*al.* per] vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi (*Act.* XIX), quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate, justi, et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vobis loquor. »

Insipientes, ut dictum est, baptizantur pro mortuis spe resurrectionis. Cur enim hoc facerent, nisi resurrecturos sperarent? *Et utquid*, id est quare, etiam nos qui sapientes videmur, *periclitamur*, id est pericula propter evangelicam prædicationem incurrimus, *omni hora* id est semper, nisi quia speramus futuram resurrectionem? Dicendo, utquid et nos periclitamur, discernit se a prædictis, ostendens non catholicos esse qui pro mortuis baptizantur. Dixi quia nos prædicatores omni hora periclitamur. Et ego non solum pericula patior, sed etiam *morior quotidie*, id est tam duras [*al.* diras] afflictiones sustineo, ac si spiritum exhalarem, et hoc juro *propter vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro*, id est per gloriam remunerationis, quam apud Deum habeo pro labore in vobis expenso. Quod enim dicitur propter vestram gloriam, juratio est. Propter vestram gloriam quam habeo in Christo, id est per gloriam quam acquisitione vestræ salutis ita sum certus in Christo me habiturum, ac si jam tenerem illam. Propter hanc gloriam juro me quotidie mori spe resurrectionis ; ne mihi credere dubitetis. Amplius quidem hoc est quam « Est est, Non non (*Matth.* v; *Jacob.* v); » et ideo a malo est, sed infirmitatis et incredulitatis vestræ, qui non aliter movemini ad fidem. Et iterum dico, quia *si secundum hominem*, id est rationabiliter *pugnavi ad bestias Ephesi* (*Act.* XIX), id est contra Demetrium et cæteros bestiales, qui cum eo movebant adversum me seditionem populi propter idolum Dianæ, cujus culturam destruebam, *quid mihi prodest* sic pugnasse, *si mortui non resurgunt?* Nam propter spem resurrectionis pugnavi contra eos, id est expugnavi errores eorum, offerens me bestiali eorum furori sine metu mortis. Ipsi enim erant bestiæ, id est bestiales, quia bruto sensu dediti erant ventri, et in terrena proni, nullam aliam vitam credentes fore post istam, et bestiali rabie sævientes contra me pro idoli defensione. Sed ego viriliter pugnavi ut miles Christi, destruens errores illorum; et hoc feci secundum hominem, id est loquens et agens ut homo, id est ut creatura rationalis, dum ostenderem non esse rationabile ut, contempto Creatore, coleretur creatura, vel, contempta perenni vita, diligeretur temporalis vita. Sic pugna-

Digitized by Google

vi secundum hominem, id est disputavi, et bestialiter frementibus me obtuli secundum rationem. Et quid mihi valet ita periculis pugnasse, si non resurrexero, ut in carne gaudeam in qua pro Deo molestias pertuli? Si ergo mortui non resurgunt, quid ultra carnem affligeremus in præsenti vita? Non amplius jam studeamus abstinentiæ, sed luxuriæ et ventri tantum simus dediti velut bruta animalia, dicentes : *Manducemus et bibamus* (*Isa.* XXII), id est carnem deliciis nutriamus, quia *cras*, id est cito *moriemur*, et in nihilum redigemur. Talia suadebant Corinthiis pseudoapostoli, ut scilicet per diffidentiam resurrectionis attraherent eos ad satisfaciendum carni, quatenus et ipsi licenter satisfacerent sibi cum illis. Ideo volebant ut putarent hanc solam esse vitam, quam cum pecoribus habemus communem, post mortem vero finiri totum hominem, nec esse ullam spem vitæ ulterius melioris. Unde subjungit Apostolus : *Nolite seduci*, id est nolite verbis stultorum a recto tramite semoveri, qui desperatione resurrectionis cupiunt vos carnis voluptatibus mancipari. Et ideo vitate colloquia eorum, quoniam *colloquia mala corrumpunt bonos mores*. Assiduitas enim pravi colloquii vitiat mentem, et idcirco vitanda est, maxime ab infirmis. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando et respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit corpus, sic perversa locutio assidue audita infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis et assiduitate iniqui sermonis. Ita corrumpebant falsi apostoli suis confabulationibus mentes infirmantium Corinthiorum, dum dicerent ut jumenta morituros homines, nec ulterius surrecturos ; ideoque suaderent manducare et bibere, ac voluptates carnis explere. Dum enim negarent aliam esse vitam, negabant et malis pœnam et bonis gloriam fore tribuendam. Et dum supplicia malorum gaudiaque bonorum negarent, impellebant ad quæcunque vitia quæ sunt huic vitæ delectabilia, et omne bonum propositum mentis evertebant. Talibus et innumeris aliis modis corrumpunt mores bonos colloquia mala. Idcirco ab infirmis vitari societas malorum debet, ne dum corrigi non valent, ad imitationem trahant, et cum ipsi a sua malitia non mutant, eos qui sibi conjuncti fuerint, perver-tant. Notandum quia de Menandri comœdia versum hunc iambicum Apostolus sumpsit :

Corrumpunt mores bonos colloquia mala,

Nolite, inquit, seduci ab his qui bonos mores suis confabulationibus corrumpere student, sed potius evigilate, id est torporis et negligentiæ somnum excutite, et mentis oculos ad aspectum veri luminis aperite, ut mente vigiles sitis, ne circumventione pravi sensus capti, et a fide abducti, depravemini non credendo resurrectionem. Evigilate contra seductores, qui vobis insidiantur. *Evigilate, justi*, id est qui fide justificati estis, et in ea parumper obdormistis, dum de resurrectione dubitare cœpistis, resumite fidei constantiam et vigilantiam, ne penitus amittatis justitiam. Vos, justi, evigilate, ne a peccatoribus seducamini. Evigilate in fide resurrectionis et cautela providæ circumspectionis, *et nolite peccare*, id est nolite ventri et voluptatibus, more jumentorum, servire, quasi post hanc vitam non speretis aliam, ut corruptores mentium suadent, dicentes : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur*. Et debetis evigilare, ne verbis stultorum illiciamini ad peccandum. Nam *quidam habent ignorantiam Dei*, id est ignorant propositum Dei de resurrectione mortuorum, et ideo suadent vobis, ut in præsenti vita porcorum more vivatis, nihil ultra sperantes. Et hoc, quod ipsi Deum ac propositum ejus ignorant, *loquor vobis ad reverentiam*, id est ad verecundiam, vobis incutiendam, qui tam imprudentes estis, ut credaretis eis qui, per ignorantiam Dei, stulta docent. Ad reverentiam loquor hoc vobis, ut amodo vereamini acquiescere illis, et pudeat credere ignaris.

« Sed dicet aliquis : Quomodo resurgent mortui? « Quali autem corpore venient? Insipiens tu, quod « seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Et « quod seminas, non corpus quod futurum est « seminas, sed nudum granum, utputa tritici aut « alicujus cæterorum. Deus autem dat illi cor- « pus sicut vult, et unicuique seminum proprium « corpus. »

Hactenus resurrectionem Apostolus per rationes probavit, modo per ipsam rerum naturam posse fieri ostendit. Quasi dicat : Certum est ex supra dictis rationibus, quia resurrectio mortuorum erit. *Sed tamen dicet* mihi forsitan *aliquis : Quomodo resurgent mortui?* Quasi fieri per naturam non possit. Quomodo resurgent, id est quomodo potest fieri ut resurgant. Vel quomodo resurgent, id est quis erit modus resurgentium? Sed si hoc erit ut resurgant, *quali corpore venient* ad vitam, id est ponderoso an levi ; mortali, an immortali? Quasi dicat : Non poterit aliud esse quam nunc, id est passibile et mortale. Huic quæstioni respondens Apostolus, adhibet documenta seminum, et dicit : O *tu insipiens*, qui sapientiam mysterii hujus ignoras, illud *quod* tu in agro *seminas non vivificatur*, id est vegetatur, *nisi prius moriatur*, id est putrescat. Vivunt enim herbæ et arbores, non per animam, sed per viriditatem. Cum animali homine non legis auctoritate disputat, quam si reciperet, non erraret ; sed physica ratione, de qua sibi blanditur, ut non credat resurgere resoluta et emortua corpora. Ostendit enim mortua rursum ad vitam reparari multiplicius, ut confundatur error humanus. Tu, inquit, qui te sapientem putas, dum per mundi sapientiam asseris, mortuos non posse resurgere, audi ex rebus mundi, undo tua sapientia probetur insipientia. Nam semen quod in agri cultura seminas, non vivificatur nisi prius moriatur. Sic et humanum corpus non fit immortaliter vivens, nisi prius moriatur et in terram revertatur, ut semen quod seritur. Si enim granum se

Digitized by Google

minatum prius necessario putrescit et solvitur in terram, ut postea vivificetur et crescat, tunc corpus humanum postquam fuerit mortuum et putrefactum, simili ratione vivificabitur. Ecce habes quomodo resurgent mortui, et nunc audi quali corpore venient. Quia *quod* tu *seminas, non seminas corpus quod futurum est*, id est non seminas herbam vel stipulam et multiplicia in paleis tegumenta granorum, *sed nudum granum*, quod postea cum culmo et foliis nascitur, et spicam profert cum multis granis virentibus. Nudum palea granum seminas, *ut puta tritici aut alicujus cæterorum* seminum. Sed *Deus dat illi* grano postea *corpus sicut* ipse *vult*, id est traducit illud in spicam magnam, et in grana multa non nuda, sed vestita paleis et aristis. Et non omnibus granis dat idem *corpus* sed *unicuique seminum dat proprium*, ut tritico tritici et milio milii. Si ergo Deus potest adducere quod non erat in nudo semine, multo magis potest reparare quod in hominis erat corpore. Si enim nudum granum seminatur, et Dei nutu quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgit, multa secum habens incrementa utilitatis humanæ, cur non credibile sit Dei virtute mortuum hominem posse resurgere meliorata substantia, non numero multiplicatum? Nam sicut grano uniuscujusque seminis dat Deus proprium et novum corpus sic unicuique reddet homini proprium corpus, renovatum. Tali ergo corpore resurgentes venient, id est ejusdem substantiæ, sed melioratæ et innovatæ corpus suum recipiet unusquisque. Jam vero quod Apostolus subjungit, ad differentiam pertinet resurgentium, propter diversas glorias fidelium atque sanctorum.

« Non omnis caro, eadem caro; sed alia homi-
« num, alia pecorum, alia volucrum, alia autem
« piscium. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria.
« Sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem
« terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ,
« et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt
« in claritate, sic et resurrectio mortuorum. »

In omnibus his iste sensus est: Sed genera carnis, cum cuncta sint mortalia, differunt tamen inter se pro diversitatibus animantium; et si corpora, cum omnia visibilia sint, differunt tamen pro diversitatibus locorum: unde alia cœlestium gloria est, alia terrestrium; et si in locis sublimibus cum sint cuncta cœlestia, differunt in se claritates luminum, non mirum est quod in resurrectione mortuorum distabit gloria meritorum. Quemadmodum ergo ex una impensa diversorum animantium una caro est, ita et unius carnis homines diversi erunt ex dignitate, cum resurrexerint, ut talis unusquisque appareat, qualis meriti fuerit. Nec solum caro diversorum animantium differt inter se, sed etiam corpora terrestria differunt a cœlestibus siderum corporibus. Et qui tam lucida fecit corpora elementorum, cur non præclara faciat corpora justorum? Per significationem autem cœlestia sunt corpora resurgentium, terrestria vero priusquam moriantur A aut resurgant, et quia Christus cœlestis est, ex eo cœlestia corpora dicuntur; ex Adam vero, quia terrestris est, terrestria corpora nuncupantur. Sicut autem sol et luna vel stella, cum sint unius naturæ, differunt tamen in claritate, ita et homines, cum sint unius generis, merito dissimiles erunt in gloria. Nunc enim de solis electis sermo est, quos virtutes, non peccata facient esse diversos. Aliter enim ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit castitas conjugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diversæ lucebunt, sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, cœlum commune. Etsi alius electorum est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, unusquisque mansionem pro suo accepturus est B merito (*Joan.* XIV). Tanquam stellæ enim sancti diversas mansiones diversæ claritatis tanquam in cœlo sortiuntur in regno, sed propter unum denarium nullus separatur a regno. Atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Hinc jam venit Apostolus ad illud quod communiter habet omnis caro quæ ad vitam resurgit æternam, et dicit:

« Seminatur in corruptione, surget in incorru-
« ptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; C
« seminatur in infirmitate, surget in virtute; se-
« minatur corpus animale, surget corpus spiri-
« tuale. »

Seminare est sepelire, quia sicut triticum tegitur in agro ut resurgat innovatum, sic corpus defuncti in sepulcro ponitur ut inde resurgat melioratum. *Seminatur* ergo *in corruptione*, id est sepelitur corpus hominis corruptibile; sed *surget in incorruptione*, id est surget incorruptibile, quia jam corrumpi non poterit. Vel in creatione potest seminatio hæc intelligi. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, id est quamvis homo ex quo concipitur, usque ad dissolutionem sit in corruptione, tamen surget in incorruptione, *seminatur in ignobilitate*, D id est sepelitur in vilitate et abjectione, ut fœteat et vermibus scateat; sed *surget in gloria*, id est gloriosum et lucidum. Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid interim est gloriosius ea resurgente, et incorruptelam percipiente? *seminatur in infirmitate*, id est sicut granum seminis commendatur terræ imbecillum et debile, sed *surget in virtute* fortitudinis angelicæ. Et quid per singula describerem *seminatur corpus animale*, id est quod cibis sustentatur, et ad ultimum ab anima dissolvitur, ut corpora cæterorum animalium, sed *surget corpus spirituale*, id est nullis alimentis indigens, ab anima separari jam non valens. Resurgent ergo sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quibus tan-

Digitized by Google

ta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritalia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen non animal est, ita tunc corpus spiritale erit, corpus tamen non spiritus erit. Ob hoc enim dicitur, quia seminatur corpus animale, surget autem corpus spiritale, quoniam tanta erit concordia tunc carnis et spiritus, vivificante spiritu sine sustentaculi alicujus indigentia subditam carnem, ut nihil nobis repugnet ex nobis; sed sicut foris neminem, ita nec intus nosipsos patiamur inimicos. Sicut enim spiritus carni serviens, non incongrue carnalis; ita caro spiritui serviens, recte appellatur spiritalis. Non quia in spiritu convertetur, sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu atque omni corruptibilitate et tarditate detracta, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem puritatem ac stabilitatem mutata atque conversa, ut cœlesti habitationi conveniat.

« Si est corpus animale, est et spirituale, sicut « scriptum est : Factus est primus homo Adam in « animam viventem, novissimus Adam in spiritum « vivificantem (*Gen.* II). Sed non prius quod spiri- « tuale est, sed quod animale est, deinde quod spiri- « tuale. Primus homo de terra, terrenus; secundus « homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et « terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igi- « tur sicut portavimus imaginem terreni, portemus « et imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia « caro et sanguis regnum Dei possidere non pos- « sunt, neque corruptio incorruptelam possidebit. »

Vere, inquit, surget corpus spiritale, quia si modo *corpus est animale, est et spiritale*, id est constat esse quandoque spiritale, sicut enim animales sumus, quia pater noster carnalis Adam factus est in animam viventem; sic erimus in resurrectione spiritales, quia Pater noster spiritalis Christus, factus est in resurrectione sua in spiritum vivificantem. Quod sic exponit, *sicut scriptum est* in Genesi, scilicet nos esse animales, ab animali patre descendentes. *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, id est, in animam potentem vivere tantum per sustentamenta ciborum, non vivificantem. His Moysi verbis addit Apostolus : *Novissimus Adam* factus est *in spiritum vivificantem*, id est Christus in spiritum qui ita vivificaret corpus, ut ultra non egeret aliqua ciborum sustentatione, nec esset solubile. Vel quasi a relativis probat esse corpus spiritale. Si est, inquit, corpus animale, est et spirituale. Cum enim dicitur corpus, frustra additur animale, nisi sit et aliud spirituale, ad cujus discrepantiam dicatur animale. Et quia sit animale, probat, per Genesim, quoniam factus est primus homo in animam viventem. Dictum est etiam de animalibus : « Producat terra animam viventem (*Gen.* I). » Intelligitur ergo corpus animale dici simile cæteris animalibus propter mortis dissolutionem et corruptionem, quæ quotidie cibo reficitur et postea separata animantis compago dissolvitur, spiritale autem corpus, quod jam cum spiritu immortale est. Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sive intelligatur primus Adam, qui de pulvere ante formatus est; novissimus autem Adam, qui de virgine procreatus est, sive in unoquoque homine utrumque compleatur, ut primus Adam sit homo in corpore mortali, novissimus Adam idem ipse in corpore immortali; tamen inter animam viventem et spiritum vivificantem hoc interesse voluit, ut illic sit corpus animale, hic spiritale. Anima quippe in corpore animali vivit quidem, sed non vivificat usque ad auferendam corruptionem; in corpore vero spiritali, quoniam perfecte adhærens Domino unus spiritus est, sic vivificat, ut spiritale corpus efficiat, absumens omnem corruptionem, nullam metuens separationem. Proinde sequitur : *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Prius enim est animale corpus, quale habuit primus Adam, quamvis non moriturum, si non peccasset; quale nunc habemus nos hactenus ejus mutata vitiataque natura, quale in illo posteaquam peccavit, effectum est; unde habet jam moriendi necessitatem, quale pro nobis etiam Christus primitus habere dignatus est, non necessitate, sed potestate. Postea vero est spiritale corpus quale jam præcessit in Christo tanquam in capite nostro, secuturum est autem in membris ejus ultima resurrectione mortuorum. *Nam primus homo de terra terrenus*, etc. Sed merito quæritur cur Christus dicatur homo secundus post tot homines, aut cur Adam novissimus, tam multis post ipsum generationibus succedentibus, cum et secundus non possit esse post multos, et novissimus dici non debeat post quem multi. Ratio hic non carnis, sed operationis est intuenda. Quam Apostolus non humanis sensibus explicat, dum et Adam veterem et Dominum Christum ad primitias rerum bonarum malarumque revocat ac reducit, duas formas vitales collocans in duobus, ut primus Adam habeatur, quisquis per vestigia ejus erroris incesserit; postremus autem ille, qui Dominum fuerit imitatus. Interim novissimus de primo ex eo dicitur Dominus, quod usque ad ipsum mors ab illo primo inventa descendit, quod usque ad crucem Domini pristini hominis potestatem tenuit, quam postremus Dominus dum per mortem expungit, obliterat. Et ideo morti novissimus, non saluti, qui solus chirographum quod ex protoplasto per omnes generationes hæreditario jure veniebat, ut moriendo solvit, sic moriendo delevit. *Primus homo factus de terra*, id est de limo terræ, fuit *terrenus*. Qui tamen non propter carnem, sed propter peccatum dicitur terrenus, quia cum jam reus esset factus, et mortis supplicio destinatus, audivit : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III), » *secundus homo de cœlo, cœlestis*, quia Filius Dei venit ad carnem, qua suscepta, et homo exterius fieret, et Deus

Digitized by Google

interius permaneret. Non enim cecidit propter se, sed descendit propter nos; et sine peccato carnem assumpsit, in qua resurrectionem ostenderet nostræ carnis. Nam *qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes.* Quid est : Qualis terrenus, tales et terreni, nisi mortales ex mortali? Et quid est, qualis cœlestis, tales et cœlestes, nisi immortales per immortalem? Illud per Adam, hoc per Christum. Dominus enim ad hoc terrenus factus est, cum esset cœlestis, ut eos qui terreni erant, faceret cœlestes. Hoc est, ideo ex immortali mortalis factus est assumendo servi formam, non Domini mutando naturam, impertiendo Dominicam gratiam, non perpetiendo servilem injuriam. Qualis terrenus, tales et terreni, id est omnes morituri. Et qualis cœlestis, tales et cœlestes, id est omnes resurrecturi. Jam enim cœlestis resurrexit. Et quandoquidem terreni sunt similes terreno, et cœlestes cœlesti, *igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis*, id est sicut imitati sumus terrenum, imitemur cœlestem. Imaginem terreni hominis induimus propagatione prævaricationis et mortis, quam nobis intulit generatio; imaginem vero cœlestis hominis induimus gratia indulgentiæ vitæque pe petuæ, quam nobis per Christum præstat regeneratio. Unus enim generat in mortem, alius in salutem. Per Christum, inquam, renovamur, qui homo cœlestis appellatur, quia de cœlo venit in terram, ut terrenæ mortalitatis corpore vestiretur, quod cœlesti immortalitate vestiret. Alii vero propterea dicuntur cœlestes, quia fiunt per gratiam membra ejus, ut cum illis sit unus Christus velut caput et corpus. Portemus ergo imaginem hujus cœlestis hominis interim corde et moribus atque digna operatione, postea vero in resurrectione mortuorum etiam corpore. Quod non frustra moneo, sed ideo *dico hoc, o fratres!* scilicet ut portemus imaginem cœlestis, *quia caro et sanguis*, id est corruptio vitiorum et mortalitatis, *regnum Dei possidere non possunt.* Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, quia non erit ibi corruptio et mortalitas carnis et sanguinis. Secundum has enim qualitates, hoc loco nuncupantur caro et sanguis. Nam caro secundum substantiam de qua dictum est : « Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV), » possidebit regnum Dei; caro autem secundum corruptionem cum intelligitur, non possidebit. Hoc enim declaratur, cum protinus additur, *neque corruptio incorruptelam possidebit.* Hæc enim repetitio prædictorum verborum est expositio, ut quod dictum est caro et sanguis, intelligamus corruptionem, non substantiam carnis; et quod dictum est regnum Dei, intelligamus incorruptelam patriæ cœlestis : atque ita nihil aliud dictum putemus, caro et sanguis regnum Dei non possidebunt; quam si diceretur, corruptio incorruptelam non possidebit, id est corruptio carnis et sanguinis in illius regni incorruptela non erit, propter immutationem scilicet incorruptionis. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit in eo quod ait : Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, quia per carnem et sanguinem ventrem et libidinem, id est opera carnis, quæ ibi omnino non erunt, significat. Nolebat enim ad eos hoc ædificari, ut arbitrarentur se talia facturos in regno cœlorum, qualia fiunt in hac vita in corruptionibus manducandi et bibendi, uxores ducendi, filios generandi. Non autem ipsam carnem dixit abolendam, quia corporis resurrectione facta a cunctis passionibus liberati, æterna vita cum ineffabili claritate atque stabilitate sine corruptione fruemur. In illa itaque cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionis desideria non erit, quia, devicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Et ideo quisquis ad hanc desiderat incorruptionis gloriam pervenire, festinet nunc opera corruptionis deponere, et cœlestis hominis imaginem sancte vivendo portare.

« Ecce mysterium vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba. Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. »

Dixi, quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, cum tamen prædicem carnis resurrectionem. Et *ecce dico vobis* inde *mysterium*, id est arcanum quoddam, quod multis est occultum, in quo possitis intelligere quomodo caro non erit, et caro erit, quæ regnum Dei possidebit. Μυστήριον enim Græce dicitur, eo quod secretam et reconditam habeat repositionem. Mysterium est quod dico, id est obscurum et latens, quia infideles hoc ignorant. Hoc scilicet mysterium dico, quia *omnes quidem* tam boni quam mali *resurgemus*, vel (sicut in Græcis codicibus legitur) dormiemus, id est moriemur; *sed non omnes immutabimur* ad gloriam, quia soli boni immutabimur. Et ideo natura nostræ carnis tunc idonea fiet ut possideat regnum Dei, quia a tempore illius immutationis angelicæ, non jam caro erit et sanguis, sed solummodo corpus lucidum et spiritale. Omnes dormiemus in somno mortis, et resurgemus. Resurgere enim proprie dicitur, qui prius dormiendo cecidit. Sed quomodo omnes dormiemus vel resurgemus, si tam multi quos in corpore inventurus est Christus, non dormient nec resurgent? Si ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viventes, eique obviam rapientur, credideremus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in his verbis patiemur angustias, ubi nunc dicitur, omnes resurgemus vel omnes dormiemus, sive ubi dictum est, tu quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur, quia nec illi per immortalitatem vivificabuntur, nisi quamlibet paululum tamen ante moriantur. Ac per hoc et a resurrectione non erunt alieni, quia dormitione præcedent quamvis brevissima, non tamen ulla. Omnes ergo resur-

Digitized by Google

gemus, quicunque naturam in nobis humanam habemus; sed tamen non omnes immutabimur, quia resurrectio quidem communis est omnium, sed immutatio ad gloriam et impassibilitatem proprie justorum est. Resurgemus omnes, et hoc fiet *in momento* sive in atomo, id est in puncto temporis quod dividi non potest, *in ictu oculi*, id est in summa celeritate, *in novissima tuba*, id est in novissimo signo quod dabitur ut ista compleantur. Ad ostendendam Dei omnipotentiam hoc dicitur contra illos, quibus impossibile videbatur, ut mortuorum corpora ex antiquis cineribus repararentur et reviviscerent. Tanta enim celeritate fiet resurrectio, ut vivi quos in corporibus suis consummationis tempus invenerit, mortuos de pulvere resurgentes prævenire non valeant; nec alii primi et alii novissimi resurgent, sed omnes simul in momento, ut mirabilior sit resurrectio. Et quia in momento est aliqua morula quamvis brevissima, ideo additur, in ictu oculi, quia scilicet tanta velocitate transcurrit, ut pene sensum videntis effugiat. Ictus enim oculi est, non quo palpebram moventes claudimus oculum vel aperimus, sed emissio radiorum ad aliquid videndum. Qui dicitur ictus, quia cito icit visa. Mox enim ut aperueris oculum, emittitur radius tuus, non dico ad parietem proximum, sed ad montem longe distantem: nec dico ad montem, qui ideo proximus videtur quoniam in terra est, sed ad solem, ad lunam, ad sidera, quæ tam magno intervallo distant a terra. Si enim clausis oculis faciem contra solem ponas, nonne mox ut eos aperueris, ibi potius aciem tuam te invenisse, quam illuc eam perduxisse putabis, ita ut nec ipsi oculi prius aperti fuisse videantur, quam illo quo intenderant, pervenisse? Ut ergo radius oculorum tuorum non citius pervenit ad propinquiora, et tardius ad longinquiora, sed utraque intervalla parili celeritate conjungit, ita cum in ictu oculi fit resurrectio mortuorum. Omnipotentiæ Dei et ineffabili nutui tam facile est quæque recentia, quam diuturno tempore dilapsa, cadavera, suscitare. Tubæ autem nomine aliquod evidentissimum et præclarissimum signum vult Apostolus intelligi, quam vocem archangeli et tubam Dei alio loco dicit (*I Thess.* IV), quæ et vox Filii Dei in Evangelio dicitur (*Joan.* V), quam audient omnes qui in monumentis sunt, et procedent; itaque clangor tubæ aut vocis indicat magnitudinem, juxta quod scriptum est: « Quasi tuba exalta vocem tuam (*Isa.* LVIII), » aut apertam omnium resurrectionem, secundum quod dicitur: « Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te (*Matth.* VI), » id est abscondite fac misericordiam et in secreto, ne videaris de alterius miseria gloriari. Sed quærendum cur ad novissimam tubam mortui dicantur surrecturi. Neque enim novissima diceretur, nisi aliarum præcedentium respectu. In Apocalypsi Joannis (*Apoc.* VIII, IX, X, XI) septem angeli describuntur cum tubis, et clangente primo eorum ac secundo et tertio quartoque et quinto atque sexto, quid per singulos actum sit, indicatur; novissimo autem, id est septimo angelo tuba canente, mortui suscitantur. Quos scilicet angelos plurimi doctorum senserunt esse prædicatores in septem statibus ecclesiæ, et novissimum angelum eos prædicatores, qui in carne reperientur veniente Domino; et ob hoc in voce eorum mortuos suscitari, quæ intelligitur novissima tuba, quia post illam non audietur vox prædicantium. Vere in novissima tuba fiet resurrectio. *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Mortui resurgent, id est omnes defuncti. Vel nomine mortuorum intelliguntur peccatores, et nos qui ad gloriam pertinemus, immutabimur. Quando dicit: Nos, alium se et eos qui secum sunt, præter mortuos esse significat. Mortui resurgent incorrupti, et Paulus ac consortes ejus immutabuntur. Reprobi enim non commutabuntur in illam incorruptelam, quæ nec doloris incorruptionem pati potest. Illa namque fidelium est atque sanctorum. Isti « vero perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur (*Isa.* LXVI; *Marc.* IX). » Quid sibi ergo vult ista distinctio: Mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur, nisi quia omnes incorrupti resurgent, sed ex his justi etiam immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla possit nocere corruptio? Ac per hoc quod in eam commutabuntur, incorrupti quidem resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum. Habebunt quippe incorruptionem carnis, in qua doleant, non in qua moriantur. Alioquin et illi dolores finirentur. Ad hoc enim resurgent incorrupti, ut possint æterna sustinere supplicia. Incorruptio itaque propterea communis est omnium, quia in ea miserabiliores erunt peccatores ut ad tormenta perpetui sint, et immortali atque incorruptibili corpore solvantur. De illa vero commutatione justorum cum dixisset: *et nos immutabimur*, tanquam quæreremus quomodo istud fiat, vel qualis illa commutatio futura sit, adjungit: *Oportet enim corruptibile hoc*, etc. Ubi manifeste docet idipsum corpus quidem resurgere quod sepultum est, sed mutare gloriam, non naturam. Quando enim dicit hoc, videtur quodammodo duobus digitulis comprehensum corpus ostendere. Hoc in quo nascimur; hoc, in quo morimur; hoc, quod timent recipere qui puniendi sunt. *Nos*, inquit, *immutabimur*; quia *oportet*, id est necesse est, hoc fieri, quia bene servivimus et quia Deus promisit, oportet hoc *corruptibile* corpus *induere* velut ornamentum *incorruptionem*, ut ultra non esuriat vel aliquatenus lædatur; et mortale hoc induere immortalitatem, ut ultra non dissolvatur. Vel ad id quod dixerat: *Mortui resurgent incorrupti*, intulit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*; ad id vero quod subdiderat, *et nos immutabimur* adjecit: *Et mortale hoc oportet induere immortalitatem.* Aliud est enim immortalitas, aliud incorruptio, sicut et aliud mortale, et aliud corruptibile. Quidquid enim mortale est, corruptibile est; sed

non quod corruptibile, statim et mortale est. Corruptibilia quippe sunt corpora quæ carent anima, et tamen non sunt mortalia, quia nunquam habuere vitam, quæ proprie animantium est. Unde nunc signanter Apostolus corruptioni incorruptionem, et mortalitati immortalitatem opposuit. Omnes ergo, justi et injusti, erunt incorruptibiles, justi vero etiam immortales fient, ut mortem gehennalium pœnarum nullatenus sentire possint.

« Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : « Absorpta « est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? « Ubi est, mors, stimulus tuus (*Ose.* XIII)? Stimulus « autem mortis peccatum est : virtus vero peccati, « lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam « per Dominum nostrum Jesum Christum (*Hebr.* « II). »

Pro eo quod nos secundum Hieronymum in Osee legimus : « Ero mors tua, o mors! Morsus tuus ero, inferne, » Septuaginta transtulerunt : « Ubi est causa, mors, tua? ubi est stimulus tuus, inferne? » Pro quo nunc Apostolus posuit : *Absorpta est mors in victoria! Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Hoc mortale corpus nostrum induet, ut diximus, immortalitatem. Sed cum id fuerit, *tunc fiet*, id est, implebitur sermo Scripturæ, qui nunquam aliter impleretur : *Absorpta est mors*, id est, nusquam comparet, sicut aqua cum fuerit absorpta. Quando *mortale hoc induerit immortalitatem*, tunc absorbebitur, id est, in nihilum redigetur mors corporis *in victoria* resurgentium. Et tunc ei insultabitur atque dicetur : *Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?* Morti corporis hoc dicetur. Hanc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cum mortale hoc immortalitatem induerit. Morti, inquam, corporis hoc dicetur : *Ubi est victoria tua*, qua omnes sic viceras, ut etiam Dei Filius tecum confligeret, teque non vitando, sed suscipiendo superaret? Vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit; victoria nostra qua absorpta es in corporibus resurgentium, æterna constabit. Ubi est aculeus tuus, id est peccatum quo puncti et venenati sumus, ut etiam in corporibus nostris fieres, et ea tam longo tempore possideres? Morti dicetur : Ubi est aculeus tuus? Sed aculeus vel *stimulus mortis*, *peccatum est*. Aculeus autem mortis dicitur, quo mors facta est, non quem mors fecit. Peccato enim morimur, non morte peccamus. Aculeus mortis, est peccatum originale, per cujus vulnus mors intravit. Peccatum quod nos pupugit et mortificavit, est aculeus mortis; sed virtus et robur peccati est lex Moysi. Peccavimus enim in uno omnes, ut moreremur in uno omnes. Accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione angeremus. Lex enim virtus peccati, quia prohibitio auget desiderium operis illiciti, quando justitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas ejus delectatione vincatur; et multo sceleratius ac flagitiosius committuntur ea quæ lex prohibet, quam si nulla lege prohiberentur. Dico quia aculeus mortis est peccatum, et virtus peccati lex. Sed *Deo gratias* agimus, *qui dedit nobis victoriam* de morte et aculeo ejus, ut vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, et aculeum ejus peccatum per gratuitam justificationem. Nam et victoria qua peccatum vincitur, nihil est aliud quam Dei donum in isto certamine nos adjuvantis. Victoriam dedit, et hoc non per legem, nec per vires nostras, sed *per Jesum Christum Dominum nostrum*, per quem mediatorem omnia bona quæ habemus dantur nobis a Patre. Si vero secundum alios codices legerimus : Absorpta est mors in contentione. Ubi est, mors, contentio tua? Ubi est, mors, aculeus tuus? Mortem intelligemus carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectationem temporalium fruendorum. Nam dum sumus in hac vita, contendit mors ista contra nos, et nos contra eam, quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem (*Galat.* V). Sed resurgentibus nobis absorpta erit mors in contentione, id est annullata in conflictu, quem contra nos habuit, quia caro prorsus concordabit spiritui, nullaque peccati delectatio erit quæ resistat bonæ voluntati, et quia bellum tunc erit finitum, atque pax victoriam tenebit, insultabimus ipsi morti, id est concupiscentiæ et consuetudini temporalium delectationum, dicentes : « Ubi est, mors, contentio tua? » Victa es, nec amplius contendere vales. Notandum quoque in eo quod Septuaginta transtulerunt : « De morte redimam illos. Ubi causa tua, mors? Ubi est, stimulus tuus, inferne, quia causa mortis et stimulus inferni, peccatum est. » Sed in resurrectione eorum quos Christus redemit, non invenietur, ideoque morti et inferno insultabunt. Præcipue tamen Salvator cum pro redemptione humani generis sanguinem suum fudisset, et peccatum mundi delevisset, pro quo moriebamur, et ad infernum ducebamur, insultavit morti et inferno, dicens : « Ubi est causa tua, mors? ubi est stimulus tuus, inferne? » Qui et secundum novam translationem dixit : « De morte redimam eos. Ero mors tua, o mors! Ero morsus tuus (id est mordens te), inferne. Id namque quod occidimus, agimus ut penitus non sit. Ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo Dominus in electis suis funditus occidit mortem, mors morti exstitit. Qui vero ex inferno partem abstulit et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Neque enim infideles quosque et pro suis criminibus æternis suppliciis deditos ab inferno traxit, sed eos solummodo, quos fide et actibus recognovit. Sequitur :

« Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et « immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in « Domino. »

Digitized by Google

Quandoquidem certos vos feci de resurrectione futura, et de cæteris vos diligenter instruxi, *itaque, o fratres mei dilecti!* id est quos multum diligo, *estote stabiles*, in fide resurrectionis vel in proposito vestro bono, *et immobiles*, ut nemo vos de statu spei futuræ ultra movere possit, vos dico, *semper abundantes in opere* mandatorum *Domini*, *scientes* pro certo *quod labor vester non est inanis*, id est cassus *in Domino*, id est in Domini servitio, quoniam et in ipsa carne vestra quæ nunc laborat, gaudebitis. Omnibus quæ ad doctrinam ecclesiasticam ordinandam necessaria sunt, hactenus expositis, et quæ vitanda vel quæ sequenda sunt, demonstratis, fixos esse jam illos hortatur in bono; et in operibus, quæ fructum apud Deum faciunt, semper esse promptos et copiosos, quia per hæc quæ exposita sunt, certi sunt de cætero accepturos se boni operis mercedem a Domino, ne pravis colloquiis possint perverti.

CAPUT XVI.

« De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut « ordinavi ecclesiis Galatiæ ita et vos facite. Per « unam Sabbati unusquisque vestrum apud se re- « ponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non « cum venero, tunc collectæ fiant. » Cum autem « præsens fuero quos probaveritis per epistolas, « hos mittam perferre gratiam vestram in Jeru- « salem. Quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum « ibunt. »

De aliis, inquit, hucusque monui. Sed nunc *de collectis* moneo, *quæ fiunt in sanctos*, id est de sumptibus qui per singulas ecclesias colliguntur ut Jerusalem sanctis mittantur, qui in magna indigentia sunt apud infideles Judæos, quasi desertores paternarum legum, et credentes in hominem crucifixum. Moneo ut (sicut ecclesiis Galatarum disposui) *per unam Sabbati*, quæ est Dominica dies *unusquisque vestrum reponat apud se*, quod eis mittat. Apud se reponat, ne suspicetur fraudem si apud alium reposuerit. Ipse dico, *recondens* illud, ne iterum sibi sumat, et recondat *quod ei bene placuerit*, id est quod devoto corde offerre voluerit, non quod animum ejus gravet. Quod idcirco præmoneo, *ut non tunc fiant collectæ, cum venero*, quia graviter, si totum subito simul fieret, et ego majoribus studiis sum deditus. Per Dominicam diem colligite, unde refrigerium habeant sancti pauperes, ut qua die Christus surrexit, vos ad opera misericordiæ surgatis. Colligite, inquam, quia quod paulatim a multis colligitur, nec est grave, et invenitur multum. Interim colligite et quasi in thesauro reponite apud vos unusquisque quod voluerit. Sed *cum fuero præsens, mittam in Jerusalem perferre gratiam*, id est gratuitam dationem vestram eos *quos probaveritis*, id est probos judicaveritis, et mittam eos *per epistolas*, quia epistolæ testimonium præbent missis, ut cum gratia excipiantur. Utrumque pono in vestro arbitrio, ut et quod vobis placuerit, tribuatis, et quos ad portandum mittam, eligatis. Sed *si dignum fuerit ut* etiam *ego eam*, id est pergere debeam, id est si copiosa fuerit sumptuum collectio, tunc *mecum ibunt*, id est pergent mecum.

« Veniam autem ad vos, cum Macedoniam per- « transiero. Nam Macedoniam pertransibo. Apud « vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, ut « vos me deducatis quocunque iero. Nolo enim vos « modo in transitu videre. Spero enim me aliquan- « tulum temporis manere apud vos, si Domi us « permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad « Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est ma- « gnum et evidens, et adversarii multi. »

Post omnem instructionem ut lætos illos faciat, adventum suum illis promittit. Per quod etiam omnes admonitiones suas quibus illos corrigit, magis firmat, quia qui audit venturum eum a quo legem accepit, sollicitior fit, ne, adveniente illo, erubescat. Parate, inquit, collectas antequam veniam; *veniam autem ad vos, cum pertransiero Macedoniam*, visitando singulas quasque ecclesias quæ ibi sunt, et confirmando animos fratrum. *Nam Macedoniam pertransibo*, quia non est opus ibi diu morari, quoniam pauca sunt in illis emendanda. Sed *apud vos forsitan manebo, vel etiam hiemabo*, id est hiemis tempore toto morabor, quoniam multa sunt in vobis corrigenda. Sed apud Ephesios cum quibus maneo dum hanc epistolam scribo, *permanebo usque ad Pentecosten*. Nec mirum si tanto tempore ibi volo manere, nam *ostium mihi apertum est* ibi *magnum et evidens*, id est manifestum prædicationi meæ, per quod possim prædicando ad corda audientium intrare, et fidem Christianam introducere, et *adversarii multi* obsistunt mihi, qui conantur opus meum impedire; et ideo me necesse est cum illis adhuc confligere. Quinquagenarius enim numerus semper ad pœnitentiam referri solet vel ad remissionem, et multa continet sacramenta. Unde nunc Apostolus apud Ephesios, quibus mystica quæque dissolverat, dicit se permansurum usque ad Pentecosten, id est usque ad quinquagesimam, donec perfecte ad Deum convertantur, et adventu sancti Spiritus digni efficiantur. Invenerat enim illic pectora Dei gratiam sitientia, quibus prompte infunderet mysterium Christi; invenerat et adversarios multos. Quanto enim idonei inveniebantur ad fidem, tanto magis insurgebant qui zelarentur, contradicentes et repugnantes doctrinæ Domini. Nam in eo quod ait: Ostium mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi, quid aliud intelligi potest, nisi primitus prædicato ibi per eum Evangelio, credidisse multos, et multos ejusdem fidei adversarios exstitisse secundum illam Domini sententiam: « Vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum (*Matth.* XIII; *Marc.* IV; *Luc.* VIII). » Ostium ergo apertum est in eis quibus datum est, adversarii autem ex eis quibus non est datum. Ostium magnum apertum est, id est multa corda ad audiendum aperta

Digitized by Google

« Si autem venerit Timotheus, videte ut sine ti-
« more sit apud vos. Opus enim Domini operatur
« sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat. Dedu-
« cite autem illum in pace, ut veniat ad me. Exspe-
cto enim illum cum fratribus. »

Quamvis ea prædicaret Timotheus quæ ab Apostolo acceperat, tamen quia non erat auctoritatis ejusdem, commendat illum Apostolus, ne forte ab his qui dissentiebant in plebe, non ut erat dignus reciperetur, et perstrepentibus eis, nasceretur illi timor, nihilque proficeret adventus illius saluti eorum. Possent enim et gentiles excitari ad seditionem discordia plebis, accepta occasione irruendi in Timotheum. Ideo ne spernat eum aliquis, inquit, quoniam *opus Dei operatur sicut et ego*, ut scilicet in ea auctoritate accipiatur qua et apostolus, erat enim et ipse episcopus. Quem tanti meriti esse declarat, ut non solum inter eos honorandum illum præcipiat, sed etiam cum proficisci pararet, deducendum cum obsequio ut apostolum Domini. Tam enim necessarium eum ostendit, ut etiam ipse illum exspectaret cum fratribus propter evangelium Christi.

« De Apollo autem fratre vobis notum facio,
« quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos
« cum fratribus; et utique non fuit voluntas ejus
« ut nunc veniret, veniet autem cum ei vacuum
« fuerit. »

Hic Apollo ex Judæis erat, Alexandrinus natione, doctus in lege et eloquentissimus, atque Corinthiorum episcopus (*Act.* XVIII); sed propter dissensiones eorum recesserat a Corintho. Quem dicit Apostolus redire noluisse, significans in hoc culpam eorum, ut, hoc audientes, respuerent falsos apostolos, et paci studerent, quatenus mererentur ut ad eos suus antistes reverteretur. Ideoque de Timotheo dixerat: Videte ut sine timore sit apud vos, quia aliqui missi non bene fuerant suscepti; ac per hoc non venturum Apollo, nisi concordes fierent. *Non fuit*, inquit, *ejus voluntas* vel Dei *ut nunc veniret* dum tales estis; sed *veniet cum ei tempus vacuum fuerit*, id est quando vos a pseudoapostolis et dissensionibus sic vacuos invenerit, ut audiendæ prædicationi ejus vacare velitis, vel quando ab his quæ nunc facit, exoccupatus fuerit.

« Vigilate et state in fide, viriliter agite et con-
« fortamini. Omnia enim vestra in charitate fiant. »

Ut Apollo gratanter ad vos veniat, *vigilate*, id est mentis oculos ad diaboli astutias præcavendas aperite, ne vel ab immundis spiritibus, vel a falsis prædicatoribus decipiamini. *State in fide*, id est ne cedatis vel pseudomagistris vel gentilibus, qui fidem vestram impugnare satagunt, et vos ab ejus arce pellere. *Viriliter* [al. *viritim*] *agite*, id est nolite dissolvi, nolite vigorem perdere, nolite effeminari, sed viriliter bona facite, et mala tolorate, *et confortamini*, id est semper robustiores efficiamini ut sit in vestra virtute profectus. *Et omnia vestra fiant* non in dissensione vel ira vel cupiditate sæcularis gloriæ, sed *in charitate*. Nam quidquid sine charitate agitur, nihil est, quamvis esse bonum valde videatur. Cum dicit omnia, satis ostendit etiam ipsas correptiones, quas asperas et amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas.

« Obsecro autem vos, fratres, nostis domum
« Stephanæ et Fortunati et Achaici, quoniam sunt
« primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum
« ordinaverunt seipsos, ut et vos subditi sitis ejus-
« modi et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo
« autem in præsentia Stephanæ et Fortunati et
« Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi sup-
« pleverunt. Refecerunt enim et meum spiri-
« tum et vestrum. Cognoscite ergo qui ejusmodi
« sunt. »

Monui ut omnia vestra opera in charitate fiant. Sed nunc *obsecro ut subditi sitis eis* qui sunt tales, qualis est domus Stephanæ et Fortunati. *Nostis enim domum Stephanæ et Fortunati et Achaici*, quia *sunt primitiæ Achaiæ*, id est primi crediderunt ex his qui sunt in Achaia, nam et Corinthii sunt Achaici, *et ordinaverunt seipsos in ministerium sanctorum*, id est ut calcata avaritia, sanctis de laboribus suis ministrarent necessaria, et maxime prædicatoribus. Obsecro vos ut subditi sitis operariis ejusmodi, et *omni cooperanti*, id est cum talibus operanti, *et laboranti*. Vos talibus estote subditi. Sed *ego in præsentia Stephanæ et Fortunati et Achaici gaudeo*, vel quia præsentes sunt apud vos, et in illis potestis magnum habere profectum, vel quia mihi venerunt pro vobis ministrare. *Quoniam id quod ex vobis deerat, ipsi suppleverunt*, id est ministraverunt mihi quod vos non fecistis. *Refecerunt enim et meum spiritum* mihi ministrando necessaria, *et vestrum* quibus apostolum servaverunt. Refecerunt spiritum meum, pro mea lætitia; refecerunt vestrum, pro charitate pro vobis exhibita. *Ergo cognoscite*, id est diligite et honorate eos *qui ejusmodi sunt*.

« Salutant vos omnes ecclesiæ Asiæ. Salutant
« vos in Domino multum Aquila et Prisca cum do-
« mestica ecclesia, apud quos et hospitor. Salutant
« vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo
« sancto. Salutatio mea manu Pauli. »

Salutant, inquit, vos omnes *ecclesiæ Asiæ*. Ac si dicat: Quod ego scribo, omnes desiderant. Per hoc etiam commonet eos, ut studeant illis fieri similes a quibus salutantur. *Aquila et Prisca* sunt maritus et uxor, qui in Actibus apostolorum leguntur (*Act.* VIII). *Domestica eorum ecclesia*, congregatio fraternitatis apud eos manens. Erant enim hospitales. Osculum vero sanctum, signum pacis est. In quo ut invicem sibi adhæreant, sublata discordia, monet ut casta et pacifica sint oscula, quæ in ecclesiis dantur, et simulata non sint. Dehinc se in hac epistola subscripsisse ostendit, dicens: *Salutatio mea manu Pauli*, ut indubitanter sciant epistolam ejus esse. Sequitur:

Digitized by Google

« Si quis non amat Dominum nostrum Jesum « Christum, sit anathema maranatha. »

Amatores, inquit, Christi saluto. Sed *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*, id est alienatus a Deo. Anathema quippe *alienatio* vel *alienatus* interpretatur. Secundum Augustinum, anathema dicitur condemnatus, *maranatha*, id est donec Dominus redeat. Excommunicat ergo Apostolus eum, qui non amat Christum, usque ad diem judicii, quo ipse reddet unicuique quod justum fuerit reddere (*Matth.* XVI; *Rom.* II), ut tunc si Christo placuerit, communionem qui anathematizatus fuerat recipiat. Hieronymus autem sic ait : Maranatha magis Syrum est quam Hebræum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid et Hebræum sonet; et interpretatur, *Dominus noster venit*. Ut sit sensus : Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Et illo completo, deinceps inferatur Dominus noster venit. Quod superfluum sit adversus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse jam constet. *Si quis non amat*, etc., ac si dicatur : Si quis non diligit Dominum Jesum, non sit ei utilis adventus ejus qui jam A completus est; et sic ad damnationem sit ei secundus, qui adhuc futurus est.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. « Charitas mea cum omnibus vobis in Christo « Jesu. Amen. »

Sit vobiscum semper gratia Christi, sine cujus auxilio subsistere non potestis, nec aliquid boni facere (*Joan.* XV). Propter illos qui dissensioni studentes Christum non amabant, dictum est : Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Qui enim dicebant, ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephe, non amabant Christum, quia non Christo, sed hominibus gloriam dabant. Quia ergo non in hominibus, sed in Christo spes omnis ponenda est. Gratia, inquit, *Domini* B *nostri Jesu Christi sit vobiscum*. Et addit : *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo*, id est ea charitate vos invicem in Christo diligite, qua ego vos diligo. In Christo Jesu vos diligite exemplo mei, non in amore sæculi. Deinde subjungit, *Amen*, quod interpretatur, *vere* ac *fideliter* dicta esse confirmentur. Amen quippe omnium confirmatio est præcedentium.

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Sciens Apostolus epistolam profecisse, quam Corinthiis miserat, aliam eis iterum scribit ad exhortandam obeditionem eorum, et tangit contumaciam nonnullorum qui emendari noluerant. In hoc tamen animo revelatus, quod ea quæ ad ecclesiasticam ordinationem pertinent, audierat esse correcta, certus deinceps quia et vitia eorum paulatim corrigerentur, præterea quia ex parte magna esse cœperant obedientes. Qui enim ea quæ ad fidem et ad ecclesiasticum ordinem pertinent emendaverant, certam spem de se dabant, quia et mores atque conversationem essent emendaturi. Propter quod et festinanter scripsit eis Apostolus, ut contristati ex correptione prioris epistolæ, in hac consolationem acciperent, et cresceret in eis fructus pœnitentiæ, quatenus videntes jam placere se ei cui displicuerant, promptiores fierent circa bonos actus. Et hæc principalis hujus epistolæ causa est. Quidam tamen eorum, ut dictum est, noluerant corrigi, sed delectatione peccatorum irretiti, et a falsis apostolis depravati, postposito veritatis Apostolo, ipsis falsis apostolis obediebant. Unde magister egregius ut eos a consectatu eorumdem pseudoprædicatorum revocet, multis modis ostendit errorem et deceptionem fallaciæ eorum, ut nullam amplius in eis fiduciam habeant, nec dolosis prædicationibus fidem adhibeant, quos vident ad perniciem animarum tendere. Propter quod et seipsum multifarie commen- C dat, ut cognoscentes cujus auctoritatis atque dignitatis ipse sit, libenter ejus doctrinam suscipiant, et sic ad salutem animarum suarum perveniant. Præcipit quoque fornicatorem correptum recipi. Notat etiam eos in eleemosynis parcos. Quia vero pro quorumdam peccatis in epistola superiori doctores eorum præcipue corripuerat, et multum fuerant contristati, nunc eos consolatur, suum eis proponens exemplum, et docens non debere impatienter ferre, quod pro aliorum salute sunt correpti, cum ipse pro aliena salute periculis et morti quotidie subjaceret. Sed et de tribulationibus quas patiebantur, consolatur eos exemplo suarum tribulationum, quas multo graviores sustinebat. Semper etiam vel principaliter vel secundario videtur intenD dere revocare a pseudoapostolis illam partem plebis, quæ adhuc illos sequebatur.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem « Dei, et Timotheus frater Ecclesiæ Dei, quæ est « Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in uni« versa Achaia. Gratia vobis et pax a Deo Patre « nostro et Domino Jesu Christo. »

Quasi dicatur : Vos Corinthii mihi debetis obedire, et falsos apostolos respuere, quia sum *Paulus apostolus Jesu Christi*, id est mirabilis legatus Salvatoris Regis. Ille Rex qui solus in æternum salvat, misit me, ut vos ad eum ducerem, ut regnaret in vobis, et vos salvaret. Ideoque libenter mihi debo-

Digitized by Google

tis obtemperare. Apostolus Christi sum, non usurpative, *sed per voluntatem Dei* Patris, id est a Christo constitutus sum apostolus per voluntatem Patris, sicut ipse Christus ait : « Quoniam quæ placita sunt ei, facio semper (*Joan.* VIII). » Dei autem voluntatem justam et rationabilem manifestum est esse. Ac per hoc rationabiliter et juste dicor apostolus, quem per voluntatem Patris ad vos misit Filius. Pseudo autem apostoli, nec a Christo sunt missi, nec per Dei voluntatem venerunt, nec salutem audientium quærunt. Ideoque respuendi sunt. Paulus vos alloquitur, *et Timotheus frater*, qui primam illam ad vos epistolam portavit, et correptionem vestram vobis renuntiavit. Notandum quod non ait, Paulus et Timotheus; sed, Paulus et Timotheus frater, quia non ambo apostoli. Ad Philippenses tamen, ubi non erat tanta auctoritas necessaria, servi ambo ponuntur, quia ambo sunt servi, non ambo apostoli. Paulus et Timotheus scribunt *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia.* Corinthus enim metropolis est Achaiæ; et ideo quod Corinthiis scribitur, omnibus fidelibus Achaiæ provinciæ scribitur. Vobis ad quos scribimus, sit gratia per quam peccata vestra remittantur; et pax, per quam Deo reconciliemini. *Gratia et pax* sit *vobis a Deo Patre nostro*, qui vos adoptavit in filios; *et a Domino Jesu Christo*, qui vos suo dominio benigne mancipavit. Ideo ponit a Patre et Filio tantum, quoniam eo tempore nullus errabat de Spiritu sancto, sed vel de Patre vel de Filio errabat, quicunque in fide Trinitatis errabat. Namque Spiritus sanctus de quo nunc tacet manifestabatur satis per opera sua, id est varias linguas, per prophetias, per sermonem sapientiæ vel scientiæ, etc.

« Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu « Christi, Pater misericordiarum et Deus totius « consolationis, qui consolatur nos in omni tribu- « latione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, « qui in omni pressura sunt per exhortationem, « qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam sicut « abundant passiones Christi in nobis, ita et per « Christum abundat consolatio nostra. Sive autem « tribulamur, pro vestra exhortatione et salute; sive « consolamur, pro vestra consolatione; sive exhor- « tamur, pro vestra exhortatione et salute, quæ « operatur tolerantiam earumdem passionum quas « et nos patimur, ut spes nostra firma sit pro vo- « bis, scientes quoniam sicut socii passionum estis, « sic eritis et consolationis. »

Primum perfectis loquitur de tribulatione, proponens se exemplum patientiæ et consolationis a Deo acceptæ. Et inde se ostendit commendabilem, unde pseudoapostoli et sequaces eorum reputabant eum vilem ac contemptibilem, qui ab omnibus apud quos prædicabat, tam ignominiose tractabatur, et sic omnibus erat invisus, ut semper contumeliis et tribulationibus afficeretur. Hæc de eo dicebant derogatores eius volentes gloriam ejus minuere; sed ipse in his omnibus gloriatur, et inde benedicit Deum, quia hæc pro Christo patitur, et in his nunquam sine consolatione deseritur. Sit, inquit, *benedictus Deus*, qui Christum secundum humanitatem creavit, et secundum divinitatem genuit, atque ita est Deus et Pater ejus. Sit benedictus Deus *et Pater Domini nostri Jesus Christi* pro tot et tantis in nos beneficiis suis. Ipse dico : *Pater misericordiarum*, quia ex visceribus ejus proveniunt in nos misericordiæ ejus, per quas et multitudinem peccatorum nostrorum relaxat, et ut aurum nos in igne tribulationum examinat, *et Deus totius*, id est, integræ *consolationis*, quia perfectam dat consolationem his, qui pro nomine ejus adversa patiuntur, vel qui in luctu pœnitentiæ affliguntur. Hoc et propter Corinthios dicitur, qui correptionis causa fuerant contristati. Multum enim refrigerii dat, quod audiunt Deum esse Patrem misericordiarum quia intelligunt se ad hoc correctos, ut ad pium patrem converterentur, qui per multas misericordias multa peccata eorum deleret, et gratiam eis virtutum daret. Cur enim Pater misericordiarum vocatur, nisi quia per paternarum misericordiarum viscera recipit filios pœnitentiæ, et in antiquam gratiam reducit, ut non sola sit venia, sed et pristini status restauratio? Et ipse est Deus totius consolationis, qui contristatis in pœnitentia dat perfectam consolationem, tribuendo spem non solum evadendi tormenta, sed et consequendi præmia. *Qui nos* Christi prædicatores *consolatur in omni nostra tribulatione*, tam corporis quam animæ. Non in quadam, sed in omni tribulatione nos consolatur, ne deficiamus. Consolatur nos vel per se nobis apparens, vel per angelum admonens, vel per Scripturas, vel per alios sanctos, vel per occultam inspirationem, vel per tribulationis alleviationem, sive per nostram de tribulatione liberationem. Ita consolatur nos, *ut et nosipsi possimus consolari eos, qui in omni pressura sunt* tribulationum pro nomine Christi, vel qui sunt in omni pressura peccatorum, id est quos premit sarcina criminum. His enim consolationem exhibemus, dum eis spem veniæ pœnitentibus damus. Consolatur nos Deus, ut et nos consolemur alios, atque ita neminem suorum relinquit desolatum, et multo magis in futuro remunerat, quos etiam in præsenti non deserit. Eos qui sunt in adversitatum pressura, possumus consolari exhortando ad pœnitentiam et tolerantiam *per exhortationem* qua etiam nos ipsi a Deo intus *exhortamur* ad constantiam passionum. Vere consolationem et exhortationem a Deo percipimus, ut et nos aliis solatia ministremus. *Quoniam sicut passiones Christi*, quas ipse prior pertulit, et nobis perferendas dereliquit, *abundant in nobis*, qui sumus membra ejus, *ita*, id est non minus abundat etiam *consolatio nostra*, quam Deus nobis intus *per Christum* exhibet. Nam sicut Christus est causa passionum, sic idem ipse est causa et consolationum; et ideo non viliores, sed gloriosiores æstimandi sumus, ex eo quod passionibus

Digitized by Google

Christi communicamus, quos Deus in omnibus adversis semper ita consolatur, ut et alios consolari possimus. Nos quidem a pravis hominibus passiones sustinemus, et a Deo consolationes vel exhortationes accipimus : sed hæc omnia pro vobis fiunt, quia *sive tribulamur*, id est igne tribulationis examinamur, hoc fit pro *vestra exhortatione et* pro vestra salute, quia nostro exemplo vos hortatur Deus ad tolerantiam tribulationum, per quas ad æternam salutem pervenietis : *sive consolamur* intus a Deo, *pro vestra*, id fit *consolatione*, id est ut vos inde potissimum consolemini, *sive exhortamur* a Deo, finitis malis, vel data virtute nobis ad graviora perferenda, hoc iterum fit *pro vestra exhortatione et salute*, quia et vos Deus sic exhortatur permanere in fide, et pro ea pati majora quam pertulistis, quæ scilicet exhortatio operatur, id est intendit operari in vobis *tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur*. Vel operatur tolerantiam, id est operatur in hoc, ut servetis tolerantiam earumdem passionum. Sive pro una parte legamus intolerantiam, id est gravem tolerantiam. Nam sicut nonnunquam impotens dicitur valde potens, ita nunc intolerantia potest dici magna tolerantia. Exhortatio igitur quam a Deo per nos accipitis, operatur in vobis intolerantiam, id est fortem tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur, et ideo hoc fit, *ut spes nostra* quæ est *pro vobis*, id est qua speramus vestram salutem, *firma sit* et rata. Nos patimur adversa et de vobis spem bonam habemus, scientes pro certo *quoniam sicut* nobis *estis socii passionum, sic eritis* in futuro sæculo socii etiam consolationis æternæ, quam percepturi sumus. His verbis multum eos animat Apostolus ad tolerantiam adversitatum pro Christo. Qui et subjunxit :

« Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tri-
« bulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam
« supra modum gravati sumus supra virtutem, ita
« ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobis-
« metipsis responsum mortis habuimus, ut non
« simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui
« suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eri-
« puit et eruit, in quem speramus quoniam et ad-
« huc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro
« nobis, ut ex multarum personis facierum, ejus
« quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ
« agantur pro nobis. »

Majores exponit adversitates, quas pro Christo et aliorum salute passus est, ut cum ipse passus sit tantas, discipuli et alii minores non recusent pati quaslibet tribulationes, et comparatione magistri erubescant discipuli suam dolere injuriam, cum magistrum multo majora pertulisse cognoverint. Dixi quia nos tribulationes patimur, ut et vos imitemini. Et vere patimur. *Non enim volumus ignorare vos, fratres*, id est ut ignoretis *de tribulatione nostra*, ne forte doleatis de vestra. Vobis enim proficit eam nosse, quia tunc cognoscetis vos parva pati. Pseudoapostoli suas narrant glorias, nos autem passiones nostras. Nolumus ut ignoretis de tribulatione nostra, *quæ facta est nobis in Asia* minore, quæ est pars majoris Asiæ, *quoniam supra modum*, id est supra quantitatem omnium præcedentium tribulationum, *gravati sumus* pondere tribulationis illius *supra virtutem* humanam. Nulla enim virtus humana tantum pondus afflictionis sustinere posset cum vita, nisi humanæ fragilitati vires tribuisset gratia divina. Et ita magnitudine tribulationum sumus oppressi, *ut tæderet nos* non solum sustinere, sed *etiam vivere*. Nec solum tædebat nos vivere, *sed ipsi* etiam *responsum mortis habuimus*, id est cum quidam de vita nostra ab aliis quærerent, nihil responsum est illis de vita, sed solummodo de morte, quia nullus nobis vitam promisit. Responsum, inquam, mortis habuimus non tantum in aliis, sed etiam *in nobismetipsis*, id est quando rationem nostram consuluimus, nullum nobis remedium nisi mortem promisit. Responsum, id est certitudinem mortis in nobisipsis habuimus, quoniam intima nostra responderunt nobis mortem adesse. Vel responsum mortis habuimus, id est mors ipsa respondit nobis et docuit nos omne humanum auxilium defecisse; et ab illo solo sperandum esse remedium, cui etiam mortuos suscitare possibile est, *ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis eripuit nos*. Tanta insolentia iniquitatis contra fidei prædicatores insurrexit, ut mortuos ante oculos haberent. Denique erepti de tanta pressura, resuscitatos se dicunt. Sic enim afflicti fuerant, ut desperarent de præsenti vita. Sed quia Deus præsidia sua non negat in necessitate positis, maxime suis, erupuit illos desperantes de semetipsis, fidentes autem de Deo. Nimia enim pressura deficere se profitebantur, nisi Deus adesset, et hoc est, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, et velut a morte nos suscitavit a pressura tribulationis, qui nos de tantis periculis eripuit, et quotidie nos eruit ab adversis. *In quem speramus, quoniam et adhuc* nos *eripiet, adjuvantibus et vobis* ereptionem nostram *in oratione* facta *pro nobis*, id est non solum cæteri fideles nos adjuvabunt apud Deum ut a malis eripiamur, sed etiam vos orantes pro nobis. Ideo nos eripiet orantibus vobis et aliis, *ut ex personis multarum facierum*, ad Deum per prædicationem nostram conversis, *agantur per multos* fideles *gratiæ* Deo *pro nobis ;* gratiæ, dico, *ejus donationis*, id est liberationis a periculis *quæ in nobis est*. Quoniam gratia Dei eripit nos causa multorum, pro quibus et patimur, ideo multi pro nobis gratias Deo referant cum eripimur, vel orent cum patimur. Personæ multarum facierum sunt homines multarum ætatum et qualitatum diversarum, id est pueri, adolescentes, juvenes ac senes ac veterani utriusque sexus. Et hæ personæ sunt ejus donationis quæ in nobis est, id est per doctrinam nostram factæ sunt participes ejus fidei, quam Deus nobis donavit. Ideo ex his personis ad Deum per nos conversis, et ejus donationis, id est fidei quæ in nobis est,

Digitized by Google

participibus effectis, agantur per multos credentes gratiæ Deo pro nobis ab adversitate ereptis. Vel personæ vocantur sancti, qui sunt apud Deum honorabiles et acceptabiles. Et hi sunt multarum facierum, quia in interiori homine suo habet unusquisque eorum suam faciem, per quam a Deo cognoscitur, id est intentionem bene agendi, quoniam alius intendit ad hoc, ut alios prædicando instruat, alius ut eleemosynas tribuat, alius ut frequenter oret, alius ut orantibus subsidia corporis ministret. Et ita suam faciem, id est suam bonam intentionem habet unusquisque, et hæ multarum facierum personæ sunt ejus donationis, id est ejus gratiæ nobis divinitus datæ, quæ in nobis est; et idcirco ex his agantur gratiæ Deo per multos pro nobis, qui eos fecimus participes donationis nostræ.

« Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis et cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis, sicut et cognovistis nos ex parte, quia gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi. »

Ideo, inquit, non diffidimus de auxilio Dei, sed speramus quia nos eripiet, quoniam pura est conscientia nostra, et inde gloriamur in oculis ejus. Nam gloria nostra hæc est testimonium scilicet bonum quod perhibet nobis conscientia nostra, quæ testatur nos bono ac simplici animo fecisse quidquid fecimus. Sicut magna pœna est impiorum conscientia, sic magnum gaudium est piorum conscientia. Nam, etsi diabolus vel homo perversus falsas eis criminationes impingere quærat, ipsi tamen coram Deo intus gloriantur ex bonæ conscientiæ testimonio. Unde nunc gloriam suam Apostolus testimonium conscientiæ suæ memorat, quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Ac si dicat : Ideo glorior in tribulationibus, quia conscientia mea me non reprehendit prædicasse causa lucri vel gloriæ temporalis, sed testis est mihi, me pio studio vestram salutem quæsisse. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod* scilicet *in simplicitate cordis et sinceritate Dei conversati sumus in hoc mundo.* Hæc est gloria conscientiæ nostræ, simplicitas et sinceritas. Simplicitas, quia nihil per duplicitatem fecimus, ut aliud haberemus in corde, aliud in ore, sed totum per simplicem puritatem. Sinceritas (214), quia sine carie, id est sine corruptione conscientiam habuimus integram. Et hæc sinceritas et simplicitas fuit Dei, quia sinceriter et simpliciter Deo placere studuimus in cunctis quæ gessimus, et in eo simplices ac sinceri fuimus. Pseudo autem apostoli non simpliciter, sed dupliciter ambulant, quia per hypocrisim faciunt quidquid boni facere videntur, et evangelicæ gratiæ miscent carnales observantias legis. Nec sinceriter, id est sine carie terebratæ et corruptæ conscientiæ quidquam faciunt. Nos vero conversati sumus in simplicitate cordis et sinceritate Dei, *et non in sapientia carnali*, quæ est voluptates diligere et labores vitare, ac corporis commoda quærere, et hominibus placere, vel secundum naturas rerum et non contra prædicare, *sed in gratia Dei*, id est in gratia evangelicæ prædicationis et sanctitatis, conversati sumus in hoc mundo, ubi tot mala fiunt, sed *abundantius ad vos* hoc fecimus, quia nihil unquam a vobis accepimus, cum possemus stipendia sumere de bonis nostris. Pseudoapostoli autem et juxta mundi sapientiam prædicebant, ne offenderent homines, et quæstus causa prædicabant. Unde Apostolus nunquam a Corinthiis voluit sumptus accipere, ne his occasionem daret accipiendi, et hoc est quod abundantius ad eos (id est apud eos), in gratia Dei conversatum se dicit, quia cum ab aliis interdum acceperit, ab his nunquam aliquid sumere voluit, ne sibi auctoritatem arguendi eos minueret. Vere apud vos abundantius quam apud alios conversati sumus in gratia, id est gratis omnia vobis ministravimus, quia modo *non alia scribimus vobis quam* ea *quæ legistis* in epistola priore, et quæ cognovistis in experientia operum nostrorum, id est nec modo per hanc epistolam a vobis aliquid exigimus, nec per præmissam epistolam aliquid exegimus, nec cum præsentes essemus, quidquam a vobis suscepimus sicut recognoscitis. Et non solum nunc istud recognoscitis, sed etiam *spero quod usque in finem* vitæ nostræ cognoscetis idem de nobis, id est nos in eodem permanere, ut nihil a vobis sumamus *sicut et cognovistis nos ex parte*, non ex toto, quia et scitis quod abstinuimus, non tamen scitis quanta dilectione id fecimus. Ideo cognoscetis nos in hoc perseverare, quia nos *sumus gloria vestra, sicut et vos nostra*, id est per nos gloriam æternam consequi debetis, et nos per vos bene instructos. Quod non esset, si cum offendiculo a vobis acciperemus. Et hæc gloria nobis est futura non in nocte præsentis sæculi, sed *in die* et clarificatione *Domini nostri Jesu Christi*, quia ipse manifestabit omnia, et ejus voluntati nemo resistet. Tunc et vos glorificabimini, quia bene nobis obedistis; et nos, quia vos bene docuimus. Ideo perseverare debetis in bonis quæ cœpistis, et semper meliorari.

« Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut « secundum gratiam haberetis, et per vos transire « in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad « vos, et a vobis deduci in Judæam. Cum ergo hoc « voluissem, nunquid levitate usus sum? aut quæ « cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, « Est et Non? »

Postquam se commendabilem ostendit de tribulationibus suis, unde vilis et abjectus apud quosdam poterat æstimari, purgat se etiam de quadam re, de

(214) Etymologia hæc a doctis non recipitur.

Digitized by Google

qua mendax et levis poterat reputari a quibusdam. In priore enim epistola promiserat se venturum ad eos, cum Macedoniam pertransiret, et apud eos aliquandiu moraturum, et tamen non venit. Et inde, quantum ad reputationem quorumdam simpliciter intelligentium, videri poterat mendax, et instabilis; sicque jam apud eos amittebat firmitatem auctoritatis. Unde se excusat, et multis rationibus ostendit, quia non ideo mendax æstimari debet quoniam non venit ad eos, quia non absolute dixit se hoc facturum, sed ait: « Si Dominus permiserit (*I Cor.* xvi). » Nec est judicandus mendax, qui dicit falsum quod putat verum, quia quantum in se est, non fallit, sed fallitur; et econtra mentitur, qui dicit verum quod putat falsum; nec est liber a mendacio, qui ore nesciens vera loquitur, sciens autem, voluntate mentitur. Vestra, inquit, gloria sumus, et vos nostra. *Et hac confidentia*, quia confido quod sumus invicem alii gloria aliorum, id est quia jam emendata est vita vestra, ut sit digna nos glorificare, *volui priusquam* irem in Macedoniam, *venire ad vos*, *ut* ex adventu meo *haberetis secundam gratiam* qui dudum habuistis primam, quando vos ad fidem conversi, id est ut haberetis confirmationem, quæ est post fidem. Non est igitur otiosum quia volui venire et non veni. Intelligere enim debetis, esse aliquos inter vos, quorum causa voluntatem meam non implevi, qui se prius debent corrigere, ut me possint læti suscipere. Volui ad vos venire, quos emendatos desiderabam videre, *et per vos*, id est vestro ductu *transire in Macedoniam*, quia licet compendiosius per aliam viam illuc ire possem, vestro tamen amore per vos transire disposui; *et iterum a Macedonia venire ad vos*, ut multipliciter vos confirmarem, *et a vobis deduci in Judæam*, ut ferrem eleemosynam. Et quia hoc volui nec implevi, *ergo cum hoc voluissem, nunquid levitate usus sum*, ut non firma ratione, sed mentis levitate hoc vellem, et eadem levitate dimitterem? Nequaquam hoc est putandum. Nam levitatis vitio non succumbo, et idcirco mutabilitatis aura non moveor. Quia non levitate, sed consilio feci, ut non implerem quod disposueram, nec aliud feci, quam quod faciendum erat, quia utilitas anteponenda est voluntati, non voluntas utilitati, aut, ea *quæ cogito secundum carnem cogito*, id est more carnalium hominum, qui pro terreno commodo facile mutant voluntatem suam. Nunquid carnaliter cogito ut pro carnali commodo venire disposuerim, et quia non erat, dimiserim? Non. Qui enim secundum carnem cogitat, tunc non implet quod disposuit, quando aut amplioribus personis differt, aut certe lucris aut apparatibus vincitur. Spiritualis autem tunc dispositum non implet, quando providentius aliquid pro salute animæ meditatur. Sic et ego idcirco non implevi quod volueram, ut vos per hoc ipsum efficeremini meliores, scientes me propterea distulisse, quia quidam adhuc inter vos non se purificaverant a peccatis. Nunquid secundum carnem cogito, ut per hoc *sit apud* A *me, Est et Non?* id est affirmatio et negatio de eadem re per inconstantiam animi, scilicet ut sit in me duplicitas, et in verbis meis contrarietas. Nequaquam.

« Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit « apud vos, non est in illo, Est et Non, sed Est, in « illo est. Dei enim Filius Jesus Christus, qui in « vobis per nos prædicatus est, per me et Silva- « num et Timotheum, non fuit in illo Est et Non, « sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones « Dei sunt, in illo Est. Ideo et per ipsum dicimus: « Amen Deo ad gloriam nostram. »

Non est in sermone meo contrarietas, ut quod affirmavi, negem, dicendo Est et Non. Sed Deus est fidelis, id est verax, qui per os meum loquitur, *quia sermo noster qui fuit apud vos*, id est quem lo- B quimur ad vos; vel qui fuit apud vos, id est quem locuti sumus vobis in conversione vestra, dum moraremur apud vos, non est fluctuans et mendaciis permistus, sed stabilis et verus, quia *non est in illo Est et Non*, id est ambiguitas et variatio, *sed Est in illo est*, id est certa puræ veritatis assertio. Nam quod dixi me venturum ad vos, idcirco distuli, quia nondum estis bene correcti, ut in adventu meo possitis lætari; et ideo non in me, sed in vobis remansit quod non veni; sed semper habui voluntatem veniendi, et nunquam fuit in me velle et non velle, sed est semper in me velle. Et ita non variatur sermo meus, sed in affirmatione sua permanet. Non est in sermone meo Est et Non. Nam *Dei Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per* C *me et Silvanum et Timotheum*, id est quem vobis prædicavimus ego et Silvanus (id est Silas), et Timotheus, non habet in prædicatione sua Est et Non, id est duplicitatem, ut aliquid ibi nunc affirmetur, et nunc negetur; nec fuit unquam *in illo Est et Non, sed Est in illo fuit*, id est certa affirmatio consummatæ veritatis. Quod si mendaces essemus, tunc ipse mendax esset, quia hoc tantum prædicamus quod ille docuit. Sed ille non docuit de eadem re dicere: Est et Non est, quia non fuit in illo: Est et non est, ac per hoc nec in nobis. Non est in illo Est et Non, id est duplicitas vel falsitas; sed Est in illo fuit, id est veritas et immutabilitas, sicut Moysi dixit: « Ego sum qui sum (*Exod.* III). » Ille enim D vere est, qui semper idem ipse est, et immutabilis permanet. Vel in illo Est fuit, id est, rata assertio eorum quæ temporaliter in homine gessit. Non fuit in illo Est et Non, sed Est in illo fuit, quia nunquam aliud voluit, quam hoc quod est utile. Semper enim voluntas ejus cum utilitate est, nec immutatus est ut faceret invitus sicut homo quod est utile, aut ut ambigeret de aliquibus et mutaret voluntatem. Vere non est in eo ista varietas, sed immutabilis firmitas, quia *quotquot promissiones Dei sunt*, id est quotquot promissiones per legem et prophetas Deus Pater fecit, *in illo Est* sunt, id est essentiam habent in illo, quia omnes adimpletæ sunt, vel adimplentur in illo. Omnes promissiones Dei in illo firmatæ sunt et exhibitæ, quia in illo completum est quidquid

Digitized by Google

pro salute nostra prophetatum est. Et ideo patet quia in sermonibus suis vel per se vel per alios mendax non fuit, per quem Pater verax apparuit. Et quia Dei promissiones habent in illo esse, id est consistunt in illo atque completæ sunt, *ideo per ipsum est Amen*, id est veritas Deo Patri, quia per ipsum verax esse probatur, *ad gloriam nostram* per quos hoc manifestatur. Manifestum est quia semper in Deo veritas est, hoc est: Amen, manifestata per Christum, et prius per apostolos prædicata, signorum virtutibus testimonium perhibentibus vera esse per Christum quæ promisit Deus, et est sensus: Omnis veritas promissionum in Christo est, quæ per nos annuntiatur. Unde et nos gloriam habemus, quoniam vera dicere comprobamur. Gloria enim apostolorum fuit, magistrum veracem in quo promissiones Dei completæ essent, prædicare, et miraculis sua dicta firmare.

« Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et « qui unxit nos, Deus, et qui signavit nos, et « dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego au- « tem testem Deum invoco in animam meam, quod « parcens vobis non veni ultra Corinthum. Non quia « dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gau- « dii vestri. Nam fide statis. »

Gloriam vestram dixi, non tamen nobis tribuo, sed qui confirmat nos, Deus est. Vel ita: Nos per Christum dicimus Amen Deo, id est veracem laudamus eum; sed *qui nos in Christo confirmat, Deus est*. Et ideo totum ab illo est. Sed et nos veraciores inde sumus, quia ipse nos in veritate quæ Christus est, confirmat. Deus est, qui nos confirmat in Christo, id est in vera prædicatione Christi, ut simus in eo stabiles et firmi, ne unquam ad verbum falsitatis declinemus. Confirmat nos, et hoc vobiscum. Hoc per ironiam dici videtur. Ac si dicatur: Si vobis constat de confirmatione vestra, tunc etiam constet de nostra, qui non minus quam vos, sumus in Christi veritate confirmati. Magis enim constat de confirmatione doctorum, quam de discipulorum, qui per doctores sunt confirmati. Vel confirmat nos vobiscum, id est Judæos cum gentibus solidat in fide Christi, *et qui unxit nos*, id est Christos fecit unctione sancti Spiritus in baptismo. Unxit nos in reges et sacerdotes, quia reges et sacerdotes ungebantur dum constituerentur, *et qui signavit nos*, id est discrevit nos ab infidelibus signo crucis, quod nostris frontibus imposuit, *et dedit in cordibus nostris pignus spiritus*, quando per impositionem manuum accepimus Spiritum sanctum in pignus futuræ beatitudinis. Qui enim mortalibus adhuc spiritum suum dedit, dubium non est quin immortalibus addat gloriam. Ad hoc enim pignus accipimus, ut de promissione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo sancti Spiritus pignus dicitur, quia per hoc anima nostra ad interioris spei certitudinem roboratur. Donum autem sancti Spiritus habet quisquis igne charitatis ardet; et ideo se ad æternam beatitudinem perventurum, si perseveraverit, non dubitet. Qui vero necdum gustavit quoniam dulcis est Dominus (*Psal.* XXXIII), et amorem charitatis non sensit adhuc sine pignore est, nullam futuræ beatitudinis [*al.* salutis] certitudinem habet. Dixi quia Deus nos in Christo qui veritas est, confirmat, ut in veritate firmiter maneamus, nec in ejus doctrina quidquam mentiamur. Sed *ego quod ultra non veni* Corinthum, *non feci mentiens, sed potius vobis parcens*, id est nolens vos ferire, qui nondum estis correcti. Et inde *testem invoco Deum in animam meam*, ut ipse inspiciat si verum dico, et sit mihi testis; si autem mentior, puniat. Nunc manifestat qua causa, cum voluisset ire ad illos, distulit, scilicet ut tunc iret, quando jam prope omnes emendatos inveniret. Illis enim nunc loquitur, qui videbantur velle se corrigere, sed operam non dabant ut hoc implerent. Quia ergo corrigere illos necesse erat, iter suum ab illis avertit, ne contristaret multos, vel in seditionem verteret aliquos; et ita pepercit illis, ut ipsi sua sponte corrigerentur antequam veniret. Quod ut mentibus eorum commendet, Deum testem dat, ne putent se contemptos ab illo. Quo comperto, ut præsentiam ejus mereantur, emendent se. Et hoc est: Parcens, inquit, vobis non veni ultra Corinthum post primam vicem, id est ultra primam vicem non veni ad vos, ne compellerer vos ferire. Et ne indignarentur quasi de dominio, addidit Dixi parcens; *non quia dominamur vestræ fidei, sed* quia *sumus adjutores gaudii vestri. Fide* enim *statis*. Ac si diceret: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Non enim prælati, sed æquales vobis sumus, in quo vos stare cognoscimus. Hoc loco se prælatum ignorat Apostolus. Sed superius cum gravem fornicatoris culpam agnovisset, illico magistrum se esse recoluit dicens: « Quid vultis? In virga ve niam ad vos? (*I Cor.* IV.) » Summus enim locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Quia ergo fides non necessitatis, sed voluntatis res est, *non dominamur*, inquit, *fidei vestræ*. Dominatus enim, necessitatis causa est. Non dominamur vestræ fidei, quæ coactionem pati non potest; sed sumus adjutores gaudii, quod in emendatione estis habituri, quia vobis emendare volentibus admonitionem ministramus, ut quod cœpistis velle, possitis implere; et bene correcti cum venero, gaudium habeatis, atque tandem in regno cœlesti gaudeatis. Ideo non dominamur vestræ fidei, quia fide statis, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V), non per dominium cogitur.

CAPUT II.

« Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum « in tristitia venirem ad vos. Si enim ego contristo « vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contri- « statur ex me? et hoc ipsum scripsi vobis, ut non « cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, « de quibus oportuerat me gaudere, confidens in « omnibus vobis, quia meum gaudium omnium ve- « strum est. Nam ex multa tribulatione et angustia « cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non

Digitized by Google

« ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem
« habeam abundantius in vobis. »

Dixi, quia peperci vobis in eo quod non veni, ne opus esset ut vos aspere tractarem. Nec solum retardavi iter meum parcendo vobis, sed *statui hoc ipsum apud me*, id est decrevi in corde meo, ut non venirem ad vos iterum in tristitia, id est ut adventum meum differrem donec essetis correcti, ne veniens contristarer iterum de incorrectione vestra, qui nunc contristor de peccatis vestris. Vel qui semel ad vos veni, quando vos ad fidem converti, statui *ne iterum venirem ad vos in tristitia*, id est ne vos contristarem corripiendo quosdam cum iterum venirem. Ideo statui non venire, ne iterum tristitiam haberem, vel ne iterato adventu meo vos contristarem, quia *si ego* nunc per epistolam *vos contristo*, quasi et vos me per peccata contristatis, *quis est qui me cum venero* lætificet, *nisi qui* nunc contristatur ad pœnitentiam *ex me* contristato, id est ex eo quod me suis peccatis contristavit, vel ex me, id est ex meis verbis. Si ergo nunc in absentia mea vos ad tristitiam et lacrymas pœnitentiæ commoveo, certus sum quia cum venero, gaudebo. Quis enim est qui me tunc lætificet, nisi qui modo ad pœnitentiæ tristitiam convertitur ex me quem contristavit? Contristari enim debetis, non solum quia peccastis et Deum offendistis, sed etiam quia me magistrum vestrum peccando contristastis. *Et hoc ipsum*, quod nemo me lætificat nisi qui contristatur ex me, *scripsi vobis* nunc, ut hoc scientes defleatis modo peccata vestra, ne *cum venero*, *tristitiam super tristitiam habeam*, id est contrister iterum de vobis, sed gaudeam. Sive hoc ipsum, quod parco vobis non veniens, et quod statui non venire, in tristitia scripsi vobis, ut interim cito convertamini ad luctum pœnitentiæ, ne cum venero, tristitiam habeam de incorrectione vestra, super tristitiam quam habeo de peccatis vestris. Non addatur mihi tristitia de vobis, *de quibus oportuerat me gaudere*, non solum nunc, sed olim quando me contristastis, et sic graviter peccastis Scripsi vobis, et hoc feci *confidens in omnibus vobis*, quod ultra non habeam tristitiam de vobis, et videte ne frustra confisus sim, *quia gaudium meum est omnium vestrum*, id est, gaudium meum est purificatio vestra, et profectus vester vos ipsos lætificans in Domino. Dixi ne tristitiam de vobis habeam super tristitiam pristinam. Nam gravem passus sum tristitiam ex deformitate vestra, quam peccando contraxistis, quia primam epistolam *scripsi vobis ex multa tribulatione et angustia cordis* mei, id est ex multo dolore multaque sollicitudine mentis pro vestro casu, scripsi *per multas lacrymas*, quæ foris ostendebant internum animi dolorem. Et scripsi aspere vos reprehendens, *non ut contristemini* ex verbis meis, *sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis*, id est quam magno dilectionis affectu vestram salutem quæram, cupiens vos a peccatis eripere et Christo reddere. Quisquis aliquem hoc affectu corripit, ut plus illo doleat peccatum ejus, non utique ut illum contristet, corripit, sed ut ostendat illi quo amore diligat eum. Qui autem non hoc affectu corripit, contristat fratrem. Insultat enim, qui non condolet fratri.

« Si quis autem contristavit me, non me contri-
« stavit, sed ex parte, ut non onerem omnes vos.
« Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ
« sit a pluribus, ita ut econtrario magis donetis
« et consolemini, ne forte abundantiori tristitia ab-
« sorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod obse-
« cro vos (*Joan.* IV), ut confirmetis in illum chari-
« tatem. Ideo enim et scripsi vobis, ut cognoscam
« experimentum vestrum, an in omnibus obedien-
« tes sitis. Cui autem aliquid donatis, et ego. Nam
« et ego quod donavi, si quid donavi, propter
« vos in persona Christi, ut non circumveniamur
« a Satana. Non enim ignoramus cogitationes ejus. »

Ego tristitiam habui. Sed *si quis* peccans *contristavit me*, *non me* solum *contristavit*, *sed* et vos ipsos *ex parte*, id est quosdam ex vobis, hoc est bonos et correctos, qui de peccato fratris doluerunt. Ideo dico vos ex parte contristatos, ut non onerem omnes vos; id est, ut onus tristitiæ non omnibus vobis imponam, quia non omnes sincere justitiam diligitis, ut pro peccato contristari velitis. Hic reprehendit illos, qui de gravissima morte animæ fratris non doluerunt. Potest et ita intelligi : Non me contristavit ex toto, sed ex parte, ut non onerem omnes vos magnitudine tristitiæ meæ, si ex toto contristatum me dixero. Ipse me contristavit, et tamen parcite illi. *Sufficit enim illi qui est ejusmodi*, id est qui tam graviter deliquit, *objurgatio hæc quæ fit a pluribus*. Magnum enim dolorem patitur, qui delictum suum videt a pluribus horreri et argui. Et quia talis facile desperaret, sufficit illi objurgatio multorum, id est sufficiens medicina est ad evacuationem culpæ illius sola objurgatio qua illum objurgastis. Et ita sufficit, ut non amplius eum exasperetis, sed magis, id est potius econtrario condonetis ei, quia quanto a pluribus est objurgatus, tanto magis est illi condonandum. Nunc revocat eum quem Satanæ tradiderat, et ecclesiæ membris associat (*I Cor.* V). Quod utique non faceret, nisi processu temporis dignos in eo pœnitentiæ fructus prævidisset, et nisi caro illius jam præscriptum interitum pertulisset, peccato scilicet et vitiis mortua, ut sic Deo viveret. Condonate illi, consolamini illum, id est, ita nunc estote prompti ad ignoscendum et consolandum, sicut tunc fuistis ad objurgandum et ejiciendum, *ne forte qui ejusmodi est*, id est qui sic objurgatus et abjectus est, *absorbeatur abundantiori tristitia*, id est mergatur fluctibus immoderatæ tristitiæ, si se diutius viderit a cunctis abjici, et desperans de se, det animum ad mundum fruendum, quasi qui locum apud Deum jam non habeat. Hoc est enim absorberi majori tristitia, desperantem de se converti ad admittenda peccata, quibus gravatus absorbeatur a morte secunda. Ideo consolamini illum post objurgationem, quoniam pœnitentia si de vero ani-

Digitized by Google

mo est, id est si ille qui corripitur, statim animo doleat, protinus habet fructum. Et vera pœnitentia est, jam cessare a peccato. Sic enim probat se respicere, et dolore, si de cætero desinat. *Propter quod*, id est ne per nimis asperam correctionem absorbeatur fluctu vehementioris tristitiæ, et cadat in barathrum desperationis, ego qui jubere possem, *obsecro vos*, ut recipientes eum in communionem, *confirmetis charitatem* vestram *in illum*, ut firma fiat charitas, qua illum diligitis, et affectus vestræ dilectionis firmiter in eum transire probetur per dulcedinem pïæ consolationis. Vel in illo confirmate charitatem ejus vestris exhortationibus, quæ nunc propter hanc mœstitudinem infirma et vacillans est. Et debetis hoc agere. Nam *ideo et scripsi vobis*, id est scripto persuadere id studui, ut in hoc *cognoscam experimentum vestrum*, id est cognoscam quale fuit illud quod expertus sum, vos obedisse mihi in ejus excommunicatione; hoc probem et sciam utrum bono an malo animo expulsistis eum. Expertus sum enim vos fuisse obedientes in ejus abjectione, sed illud experimentum cognoscere volens, scripsi vobis de confirmatione charitatis, quia si nunc in reconciliatione apparueritis charitativi in eum, tunc cognoscam quod non odio, sed charitate libenter eum abjecistis. Experimentum vestri volui cognoscere, probans *an in omnibus sitis obedientes*, id est an ita nunc obedieritis in recipiendo et consolando, sicut obedistis in ejiciendo et objurgando, vel etiam sicut obedistis emendando illa quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent. Moneo vos clementes in eum fieri, sed vos jam in cordibus vestris condonastis ei, quoniam vidistis eum asperam egisse pœnitentiam, et cui vos *aliquid donastis, et ego* illi condonavi. Et vere hoc feci sicut et vos. *Nam et ego quod illi donavi*, id est condonavi, *si quid* ei donavi, hoc feci *propter vos*, quos super eum pie commotos agnovi. Quod tamen de sanctioribus viris intelligitur, non de multitudine carnalium, qui viscera pietatis adhuc non habebant et ideo moventur ad misericordiam. Propter vos qui spirituales estis, pie condoluistis ei, et ego condonavi illi. Et ne irrita videatur hujusmodi condonatio, quæ propter amicos facta est, ego *in persona Christi* hanc feci, id est ac si ipse Christus illi condonaret. Et hoc feci *ut non circumveniamur a Satana*, id est ne decipiamur ab adversario, ut per unius asperam pœnitentiam quam illi imposuimus, faciat eum desperare. Et debemus artes inimici præcavere, quia non ignoramus ejus astutias, quibus nos et illum cogitat perdere. Nam consolatio debet subsequi fratrem delictum flentem, ne diu contristatus et contemptus a charitate Ecclesiæ, incipiat desperare de se; et videns qui semper in insidiis est, subtilis diabolus mentem ejus vilem effectum, accedat et suggerat ei, ut vel præsentibus fruatur qui de spe futuri præmii dejectus est, et pereat possessus a diabolo, cui ad hoc pœnitentia data erat, ut conversus reformaret se. Notandum quam studiose unitatem cum discipulis servet

A Apostolus. Dum enim cognovisset eos super hunc fratrem jam misericorditer motos, quia bene egerat pœnitentiam, ait: *Cui aliquid donatis et ego;* ac si diceret: A bono vestro non dissentio, meum, quidquid ipsi fecistis. Atque mox subdidit, *Et ego si quid donavi, propter vos.* Ac si diceret. Vestris actibus bonum addidi, quidquid propter vos misericorditer feci. Vestra ergo est utilitas bonitas mea, mea est utilitas bonitas vestra. Qui ipsam mox compagem cordium, in qua sic tenetur, adjungens, subdidit: *In persona Christi.* Cui velut si dicere præsumamus, quare te ita caute discipulis copulas, quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam sollicita mente conformas, illico subjunxit: *Ut non circumveniamur a Satana.* Ideo enim B tanta humilitate voluntati eorum in parcendo se sociat, quia sollicito Providentiæ oculo attendit, quod plerumque dum alter donat, alter irascitur, et quale est jam misericordiæ sacrificium, quod cum discordia proximi offertur? Unde recte dicitur: Ut non circumveniamur a Satana, *non enim ignoramus cogitationes ejus.* Quia videlicet inde in alterius corde rixæ malum solet immittere, unde in alterum conspicit pietatis negotium fecisse. Imperfectum enim bonum est quod sic agitur ut quid ex alio latere malum subrepat, non attendatur, nisi forte hoc quod sine cujuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse. Jure ergo malum discordiæ in bona actione sua præcavens Apostolus, *ut non circumveniamur*, inquit, *a Satana.* Qui scilicet solet de bonis C mala generare, et hoc quod per charitatem agitur, ad discordiam trahere. Potest hoc et de alio sic intelligi. Dixi ut in prædicto pœnitentiæ confirmetis charitatem, sed hoc libenter debetis propter me facere, quia ego propter vos similia feci. Quia si alicui reo donastis, id est condonastis aliquid culpæ, et ego pro vobis similiter feci. Ideoque justum est ut et vos huic pro me ignoscatis. Nam et ego quod donavi si cui aliquod peccatum donavi, propter vos hoc feci, id est precibus vestris annuens. Hoc dicto gravat illos. Quia si magister petentibus donavit discipulis cui voluerunt peccatum, quanto magis obedire debent discipuli magistro, ut ei donent cui rogat ipse? Et ut ratum D ei cui donavit, ostenderet apud Deum, ait in persona Christi se donasse quod donavit, id est vice Christi qui ait: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis (*Joan.* xx). » Si ergo huic pro quo petierunt Apostolum, ipse pro Christo ignovit, quanto magis illi ignoscendum erat, cui ut donent, et ipse hortatur? Donate, inquit, sicut ego donavi, ne per discordiam circumveniamur a Satana, quoniam si causa vestri non donarem, et vos causa mei, jam inter nos discordia fieret, et mutua charitas deperiret, et sic noster adversarius victor exsultaret. Non enim ignoramus, quam callide mala contra nos incessanter exquirat.

« Cum venissem autem Troadem propter Evan« gelium Christi, et ostium mihi apertum esset in

Digitized by Google

« Domino, non habui requiem spiritui meo, eo « quod non invenerim Titum fratrem meum, sed « vale faciens eis, profectus sum in Macedoniam. « Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in « Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat « per nos in omni loco, quia Christi bonus odor « sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui « pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, « aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis « tam idoneus? Non enim sumus, sicut plurimi, « adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, « sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur. »

Narrat nunc Corinthiis quæ passus sit, et quomodo in cunctis Deo gratias agat, ut sub exemplo sui illos provocet ad certandum. In Asia, inquit, passus sum gravissimam, ut supra dixi, tribulationem. Sed et *cum venissem Troadem* non quievi. Vel ita : Non solum propter prædictas causas non veni, scilicet ut non veniendo parcerem vobis, et ne tristitiam super tristitiam haberem, sed etiam ideo, quia Titum quem miseram ad vos, ut renuntiaret mihi si essetis correcti, cum Troadem venissem non inveni, sicut illic disposueram. ideoque nihil sciens de correctione vestra, non potui ad vos venire. Sed et aliis grave damnum incorrectio vestra fecit, quoniam Troadensibus parum proficere sine Tito potui, quem vestra incorrectio detinebat. Sicut enim vestra culpa fuit quod non veni Corinthum ; sic quod non profeci in Troade, dum apud vos impeditus moraretur Titus, sine quo non poteram ibi proficere. Et hoc est : *Veni*, inquit, *Troadem*, quæ prius Troia vocabatur, ut Evangelium Christi in Asia prædicarem. Cumque *mihi ostium apertum esset in Domino*, id est plurimi credidissent, sive per signa atque virtutes, quæ in me operabatur Deus, spes esset fidei nascentis, et in Domino succrescentis, *non habui requiem spiritui meo*, id est speratam consolationem invenire non potui eo *quod Titum non invenerim*, sicut ante condixeramus. Ostium enim appellatur aditus vel opportunitas prædicandi, sive quia Deus aperuit corda eorum quibus ille prædicabat ; et ut beatus Hieronymus loquitur, cum Apostolus haberet sanctarum scientiam Scripturarum, et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret, divinorum sensuum majestatem non poterat Græci eloquii digno explicare sermone (215). Habebat ergo Titum interpretem, sicut beatus Petrus Marcum. Et ideo contristatus est, quia prædicationis suæ fistulam organumque, per quod Christo caneret, in præsenti non invenerat. Est et alia fortasse probabilior causa, cur Titum abesse doluerit, quia solus non poterat et fideles instruere, et perstrepentibus incredulis repugnare. Quamvis enim quidam eorum aperuissent corda sua, ad suscipiendum Dei verbum, impudentia tamen infidelium non minima exsurgebat in Apostolum zelo credentium. Et hæc ab uno impleri non poterant, ut et credentes instrueret, et infidelibus resisteret ; ideoque labor erat intolerabilis, cum deesset solatium Titi. Et idcirco recessit inde, valefaciens eis qui crediderant, in quorum scilicet cordibus evangelizanti apertum est ostium. Et hoc est, non habui requiem spiritui meo, id est non potui satisfacere voluntati meæ, quia ibi sicut sperabam non inveni Titum, qui ibi necessarius erat, quoniam ipse lingua eorum fortassis expressius uti poterat : *sed valefaciens eis* qui erant conversi, *profectus sum in Macedoniam*, si forte vel ibi Titum invenirem, ut haberem interpretationis Evangeliique solatium. Ergo illuc perrexi, et ibi quoque multa pertuli. Sed *Deo gratias* ago, qui non sinit nos deficere, sed semper triumphat nos in Christo, id est triumphare nos facit. Vel triumphat de nobis, sive triumphum suum per nos agit, *et odorem*, id est benam famam notitiæ suæ per nos ubique spargit. Apostolus multa perpessus adversa, gratias agit Deo in Christo Jesu, quem gentibus prædicabat quod dignum se elegerit triumpho Filii sui. Triumphus Dei est passio martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes, et sibi tacita loquitur cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Hoc etiam est Deum apostolos triumphare in Christo, victores illos facere in fide Christi, ut calcata perfidia, trophæum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, et malevoli non proficiunt in persequendo fideles. Odor autem notitiæ Dei per signa et prodigia manifestatur, dum vera esse prædicatio Dei virtutis testimonio comprobatur. Quæ scilicet prædicatio per odorem designatur, quia eum Deus non videatur per hæc quæ visibiliter operatur, in apostolis esse intelligitur, ut veritas doctrinæ manifestetur. Sicut enim quædam res cum non videantur, per odorem tamen agnoscuntur, ita et Deus qui invisibilis est, per evangelicam prædicationem voluit agnosci, quæ invisibiliter ad aures, sicut odor ad nares, pervenit. Et notandum quia hucusque locutus est de suis tribulationibus, et cur Corinthum non venerit. Hinc vero incipit se commendare et pseudoapostolos deprimere. Et quidquid nunc dicit de se, totum ab illis est removendum. Odorem, inquit, id est suavem famam *notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*, id est ubicunque prædicamus, *quia sumus odor Christi bonus* et suavis Deo, etsi non ita vobis odor Christi, id est puritas nostræ conversationis Christum redolet, et prædicationis nostræ longe lateque spirat fragrantia. Et sumus odor bonus *in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt*. Nam quia homines suo arbitrio derelicti sunt, neque enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, et incredduli suppliciis mancipentur ; ideo noster odor, qui per se bonus est, virtute eo-

(215) Locus obscurus.

Digitized by Google

rum et vitio qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit aut mortem; ut qui crediderint, salvi fiant; et qui non crediderint, pereant. Nec mirum, cum et solis radios tam munda loca excipiant quam immunda, et sic in floribus ut in stercore luceant, nec tamen polluantur inde radii solis. Ita et Christi bonus odor, qui nunquam mutari potest nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors. Bonus Christi odor, prædicatio veritatis est. Quem odorem in vitam capit, qui Evangelio moribus bonis servit et congruit. Mortem incurrit, cujus ab his quæ bene loquitur, vita dissentit. Quæ conditio etiam auditores astringit, cum recta prædicatio ab aliis per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem. Bonus, inquit, odor sumus, et horum respectu qui inde salvantur, et horum qui contemnentes pereunt, quia bona intentione facimus. Sive enim consideraveris salvatos prædicatione nostra, sive perditos contemptu ejus, nos tamen Deo semper videmur bonus odor, quoniam ipse videt intentionem nostram, id est quid intendamus dum loquimur, scilicet quia intendimus ut omnes auditores salvi fiant, non ut aliqui ex illis pereant; et idcireo sumus Deo bonus odor. Sed hominibus *aliis quidem* videmur *odor mortis*, quia prædicamus crucem, id est ministri mortis æstimamur; *aliis autem odor vitæ* credimur, id est odor spirans vitam per Salvatoris prædicationem. Et utrique fit juxta quod æstimant. Nam quibus æstimamur odor mortis, æstimatio hæc vertitur eis in æternam mortem; et quibus videmur odor vitæ, fides eorum ducit eos *in vitam* æternam. Hæc ita Deus per nos operatur. *Et ad hæc quis* est *tam idoneus*, ut intelligat quomodo facit Deus miris modis, ut bono odore et boni vivant, et mali moriantur? Paulum apostolum bene agentem, bene viventem, justitiam verbo prædicantem, opere demonstrantem, doctorem mirabilem, fidelem dispensatorem, fama usquequaque disseminabat. Quidam diligebant, quidam invidebant. Illi qui diligebant, bono odore vivebant; illi qui invidebant, bono odore peribant. Ideo pereuntibus non malus odor, sed bonus erat. Inde enim magis invidebant, quia tam bona gratia prævalebat. Nemo enim invidet misero. Erat enim gloriosus in prædicatione verbi Dei, et vivens secundum regulam præceptorum Dei. Et diligebant eum, qui in illo diligebant bonum (quem sequebantur) odorem. Alii autem quanto magis ei invidebant in gloria prædicationis et in vita inculpabili, tanto magis invidia torquebantur et occidebantur bono odore. Quisquis enim invidet gloriosæ famæ Christi vel alicujus sancti, bono odore moritur; qui autem diligit eam, bono odore vivit. Quia ergo difficile est intelligere, qua ratione quis bono odore pereat, vel quia occultis Dei judiciis, quæ in hac vita ab hominibus comprehendi non possunt, agitur ut eodem bono odore alii vivant et alii moriantur, recte dicitur: *Et ad hæc quis tam idoneus?* ac si dicatur: Idonei quidem sumus ad hæc consideranda quia fiant, sed idonei non sumus ad hæc investiganda cur fiant. Quis est tam idoneus ad hæc discutienda, ut inveniat cur ita fiant? Vel quis est tam idoneus ad hæc intelligenda, ut cognoscat quomodo bonus odor alios vegetat, et alios necat? Id est quis est idoneus intelligere quam juste fiat quod Dominus ait: « Ego veni ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant? » (*Joan.* IX.) Ipsa est enim altitudo divitiarum sapientiæ Dei, qua facit ex eadem massa, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (*Rom.* IX). Vere, inquit, bonus odor sumus Deo, quia non sumus adulterantes verbum Dei, id est falsa illi admiscentes, et pro voluptate, non pro gignenda prole semen verbi fundentes. Vel contra falsos apostolos et contra mercenarios dicit, et ad hæc quis tam idoneus? Id est ad hæc quæ per vos Deus agit, quis est tam idoneus ut vos? Difficile enim dignus præco virtutum Christi inveniri potest, qui in annuntiandis illis non suam, sed ejus gloriam quærat; nec sua lucra, sed Dominica cogitet. Et vere nullus præter nos est ad hæc tam idoneus. *Non enim sumus adulterantes verbum Dei, sicut plurimi*, id est sicut pseudoapostoli et mercenarii, qui vel corrumpunt admistione falsitatis sensum divinæ prædicationis, vel ex ea quærunt voluptatem lucri carnalis, *sed ex sinceritate*, id est ex sincera intentione, non pro quæstu loquimur, et *sicut ex Deo* habentes quidquid dicimus, *coram Deo loquimur*, id est illi soli, et non hominibus placere ex nostra locutione quærimus; et loquimur *in Christo*, nunquam excedentes, ut pseudo, qui de legali observantia et sæculi philosophia cum Evangelio Christi loquebantur. Adulter in carnali coitu, non prolem, sed voluptatem quærit. Et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens, recte adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. Adulterare namque verbum Dei, est aut aliter de illo sentire quam est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex sinceritate vero loqui, est nihil in eloquio extra quod oportet quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit non se a se habere, sed ex Deo accepisse quod dicit. Coram Deo vero loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit; nec suam, sed auctoris gloriam requirit. Et in Christo loquitur, cujus sermo totus in Christi veritate persistit ut nec mendax sit, nec aliud quam Christum prædicet. Qui autem scit quidem ex Deo se accepisse quod dicit, et tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo, quia eum quem cordi suo non proponit, cum prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri et ex Deo loquuntur, et coram Deo, quia ab eo se sciunt habere, quod dicunt, et ipsum suis sermonibus adesse judicem auditoremque considerant.

Digitized by Google

Potest et mysterium Trinitatis in hujus capituli fine monstrari. Ex Deo, id est ex Spiritu sancto, coram Deo Patre in Christo loquimur.

CAPUT III.

« Incipimus iterum nosmetipsos commendare? « aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra « vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur « et legitur ab omnibus hominibus, manifestati quoniam epistola estis Christi, ministrata a nobis et « scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non « in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. »

Quia sciebat sinistre accipere eos suam commendationem etiam in prima epistola, quasi suam gloriam quæreret, incipit contra opinionem eorum loqui. Nam pseudoapostoli hoc in eo reprehendebant, quod se commendabat, et quod bona quæ Deus in eo posuerat, aliis annuntiabat, atque inde superbum et inani gloriæ studentem asserebant. Et propterea nunc ipse demonstrat, quod commendatio sua non ad se commendandum spectet, sed ad illum solum, cujus est minister idoneus, et hoc est quod increpative per interrogationem, vel per ironiam dicit : *Incipimus iterum* sicut in prima epistola *commendare nosmetipsos*, non Deum? Incipimus quasi semper in hoc novi, nosipsos rursum commendare, dum dicimus quia Christi bonus odor sumus, etc. Quasi dicat : Commendamus quidem nos et in hac epistola sicut in prima, sed non nosmetipsos, quia in nostra commendatione illum maxime commendamus, ad cujus gloriam cuncta referimus. Non ergo carnaliter, sed spiritualiter nos commendamus ad profectum vestræ salutis, ut hoc de nobis credatis quod est, quia qui de bono male sentit, peccat. Et vobis expedit ut nos cognoscatis, quia tunc dicta nostra libenter suscipietis, et sic ad salutem pervenietis. Ac propterea commendatio vobis potius proficit. Non enim nos propter nos commendamus, sicut pseudoapostoli, qui propriam gloriam et propria lucra quærentes, seipsos commendant. *Aut nunquid egemus commendatitiis epistolis*, missis ab aliis fidelibus *ad vos, aut ex vobis* ad alios *sicut quidam*, id est sicut pseudo, quos nulla propria virtus aut sapientia commendat? Ipsi enim indigent ut per epistolas commendentur, dum proprii honoris et quæstus causa circueunt ecclesias, non ad tribuendam, sed ad auferendam salutem. Nos vero, quos Deus virtute mirabilium operum et luce sapientiæ, quocunque pergamus commendat, non opus habemus ut per epistolas hominum alicubi commendemur. Nam vos estis epistola et commendatio nostra apud homines, hoc est, vestra fides et charitas et omne bonum quod in vobis est, nos reddit commendabiles, quia inde laudamur, quod per nos Deus vobis hæc omnia dedit. Epistola enim salutis indicium est. *Epistola nostra vos estis*, in quibus scientia et vita nostra repræsentatur aliis. Epistola nostra, dico, *scripta in cordibus nostris*, id est in memoria nostræ mentis posita, quia vos semper in nostro cor- A de retinemus, et sollicitudinem de salute vestra semper habemus, dum peccatorum vestrorum correctionem desideramus, et processum in melius ac perseverantiam in bono vobis semper optamus, quæ scilicet epistola *scitur et legitur ab omnibus hominibus*. Scitur ab omnibus hominibus, id est omnes sciunt quod per nos estis instituti; et legitur, id est in vobis discunt nos imitari. Sicque fit ut scientia et lectione hujus epistolæ, id est notitia et consideratione bonæ conversationis vestræ, nos efficiamur commendabiles omnibus. Dixi, quia estis epistola nostra, vos dico, manifestati omnibus *quoniam epistola Christi estis, ministrata a nobis*. Omnibus enim manifestum est, vos Christo per ministerium nostrum credidisse confirmanti doctrinam nostram B per virtutes. Et ita principaliter estis epistola Christi, secundario nostra, quia ipse principaliter vos scripsit, nos secundario, id est per ministerium nostrum ipse scripsit in vobis fidem, spem et charitatem ac reliqua bona. Vos estis epistola *scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi*, id est quod estis repræsentatio Christi et nostra, firmiter scriptum est in cordibus nostris, non delebiliter, ut quod atramento scribitur. Non atramento scriptum est, id est non ita ut possit deleri, sicut ea quæ atramento scribuntur; sed Spiritu Dei vivi, id est ut æternaliter et vivaciter in cordibus nostris aut vestris permaneat, sicut ille qui scripsit, vivit et æternus est. Quoniam æterna sunt quæ nobis promissa sunt, C idcirco Dei spiritu qui semper est, dicitur scripta hæc epistola. Temporalia autem atramento scribuntur, et quod obliteratur et perdit memoriam. Vel non atramento, id est non tetris notis est scripta, sicut pseudo scribunt, qui hæreses interserunt, sed luce Spiritus sancti, *non in tabulis lapideis*, ut antiqua lex, *sed in tabulis cordis carnalibus*. Ibi enim in tabulis lapideis digitus Dei (*Exod.* VIII; *Exod.* XXXI), id est Spiritus sanctus, operatus est hic in cordibus hominum. Ibi lex extrinsecus posita est, qua injusti terrerentur; hic intrinsecus data est, qua justificarentur. Illud enim extra hominem scribitur, ut eum forinsecus terrificet, hoc in ipso homine est cum intrinsecus justificet. Carnales vero tabulas cordis dixi, non carnalis prudentiæ, sed tanquam viventis, D sensumque habentis, in comparatione lapidis qui sine sensu est. Respexit enim ad illud quod Deus per prophetam promiserat : « Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo cor carneum (*Ezech.* XI). » Cor namque carneum a corde lapideo voluit vita sentiente discerni, et per vitam sentientem significavit intelligentem. Non ergo propterea dictum est, in tabulis cordis carnalibus ut carnaliter vivatis, qui debetis spiritaliter vivere. Sed quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? quandoquidem ipsum cor lapideum, non significat nisi durissimam voluntatem et adversus Deum omnino inflexibilem. Judæi enim in lapideis tabulis legem acceperunt, ad significandam duritiam cordis eorum

Digitized by Google

erga dilectionem Dei et intelligentiam, quia neque Deum erant amaturi, neque legem ipsam intellecturi. Per lapideas enim tabulas dura et insensibilia corda eorum designata sunt. Per tabulas vero cordis, mentes dilatatæ charitatis latitudine. Unde et carnales dicuntur, id est molles et sentientes, et affectum dilectionis vel bene agendi habentes. Caro enim animata sentit, et affectum habet circa illud quod tangit, ut per cor habeamus intellectum, et per carnem dilectionis affectum. Itaque Spiritus sanctus scripsit epistolam nostram in tabulis cordis carnalibus, id est sic in vobis præcepta sua posuit, ut daret vobis facultatem ad intelligendum, et affectum dilectionis ad complendum.

« Fiduciam autem talem habemus per Christum « ad Deum (*Hebr.* IV), non quod sufficientes simus « cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed suf- « ficientia nostra ex Deo est. »

Postquam ostendit quare non eget commendatitiis epistolis, respondet ad illud quod præmiserat, scilicet quia non commendat seipsum, sed Deum a quo habet omnia. Quasi dicat : Diximus quia Deus per nos semper triumphat, et odorem notitiæ suæ per nos ubique manifestat, et quia Christi bonus odor sumus Deo. Et quod tam fiducialiter hæc et his similia loquimur, non ad commendationem nostram facimus, quasi de nostris viribus gloriantes, et ad nos ista referentes, sed talem ac tantam *fiduciam habemus*, id est referimus *ad Deum*, a quo nobis est datum quidquid boni habemus. Vel ita continuatur ad proximum, Epistola Christi et nostra estis. Sed fiduciam dicendi talia, non ad nos, sed ad Deum referimus. Nam ex puritate conscientiæ habemus talem fiduciam ad Deum, id est confidimus quod ei placet quia sic loquimur; et habemus eam *per Christum* mediatorem, per quem nobis hæc potestas est data. Sed nihil viribus nostris ascribimus. Habemus enim apud Deum mediatore Christo magnam fiduciam, sed *non* ita *quod simus sufficientes* saltem *cogitare aliquid* boni quod sit *a nobis*, id est a nostra parte veniens, *quasi ex nobis* initium habens, *sed* potius omnis *sufficientia nostra* ad bene cogitandum et agendum *ex Deo* nobis est. Et hinc cognoscimus quia nihil sumus, nisi misericordia et gratia Dei regamur. Attendant hæc verba, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Si ergo non sufficimus cogitare boni aliquid ex nobis, profecto nec credere sufficimus, quod sine cogitatione non possumus ; sed sufficientia nostra, qua et credere incipiamus, ex Deo est. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus. Quod autem attinet et ad pietatis viam et verum Dei cultum non sufficimus vel cogitare aliquid a nobis quasi ex nobisipsis, sed sufficientia nostra ex Deo. Non enim est ex potestate nostra cor nostrum et cogitationes nostræ. Hæc ideireo loquitur Apostolus, ut ostendat se suosque socios nihil sua virtute vel prudentia facere, cum utique tam pauci homines et idiotæ nunquam sine Dei gratia cooperante totum mundum ad fidem convertere potuissent. Ob hoc etiam ista præmisit, ne quid sibi arrogare videretur, ubi dicturus erat tanto majus se ministerium suscepisse quam Moyses, quanto majus est Novum Testamentum quam Vetus. Nam subjungit :

« Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testa- « menti, non littera, sed spiritu. Littera enim occi- « dit, spiritus autem vivificat. »

Et incipit se nunc alio modo quam superius commendare, ut et pseudoapostolos deformet, innuens eos esse ministros Veteris Testamenti, dum ostendit se ministrum esse Novi. Sufficientia nostra ex Deo est. *Qui et* intantum *nos* sublimavit, ut *idoneos ministros Novi Testamenti* nos faceret, id est ut per nos scientiæ et vitæ perfectione decoros ministraret aliis Novum Testamentum. Novus enim liquor in vasa nova mittendus erat (*Matth.* IX; *Marc.* II; *Luc.* V), unde sine acredine propinaretur. Testamenti dico, existentis *non in littera* tantum docente; *sed in spiritu* adjuvante, qui per nos a Deo tribuitur. Non alia nunc intelligitur littera, quam ipse decalogus in illis duabus tabulis scriptus. Spiritus autem intelligi potest lex fidei, quæ non scribitur, sed animo continetur. Ideo non in littera, sed in spiritu per nos ministratur Novum Testamentum, quia *littera occidit, spiritus autem vivificat.* Littera occidit, dum facit scienter peccare, et addit prævaricationem et magis incitat ; sed spiritus vivificat, dum facit implere quæ jussa sunt. Littera enim prohibens peccatum, non vivificat hominem, sed potius occidit augendo concupiscentiam, et iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei, quæ est in Christo Jesu, cum diffunditur charitas in corde per Spiritum sanctum. Nam lex quando non adjuvat gratia, prævaricatores facit, et tantummodo in littera est. Accedat ergo ad litteram spiritus, non occidit littera quam vivificat spiritus. Non igitur putemus damnatam vel reprehensam esse litteram, quia dictum est : *Littera occidit.* Hoc est enim : Littera reos facit. Nam et hac locutione dictum est : « Scientia inflat (*I Cor.* VIII). » Quid est, scientia inflat? Scientia damnata est? Absit. Sed quoniam adjunxit : « Charitas vero ædificat (*ibid*). » quomodo et nunc adjunxit : *Spiritus autem vivificat*, dedit intelligi, littera sine spiritu occidit, spiritus vivificat et impleri litteram facit. Si scientia sine charitate inflat, charitas vero cum scientia ædificat. Itaque littera sola prohibens malum et imperans bonum occidit animas eorum, qui prævaricantur illam. Spiritus autem qui per Novi Testamenti gratiam est in cordibus fidelium, vivificat in præsenti animas eorum, justificando illas, et in futuro corpora quoque cum animabus perpetualiter vivere faciet. Vel littera carnaliter intellecta occidit animam. Cavendum est enim, ne figurata locutio ad litteram accipiatur. Cum enim

Digitized by Google

figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est, intelligentia, carni subjicitur sequendo litteram. Qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet; neque illud quod proprio verbo significatur refert ad significationem; sed cum sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur; et cum audierit sacrificium non excedit cogitatione illud, quod fieri de victimis pecorum vel terrenis fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere, et supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse. Spiritus autem vivificat et liberat qui intus docet animam, qualiter ea quæ audit, intelligere debeat.

« Quod si ministratio mortis litteris deformata in « lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possunt intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam « vultus ejus (*Exod.* XXXIV), quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria « est, multo magis abundat ministerium justitiæ in « gloria. »

Nos, inquit, sumus ministri Novi Testamenti, et hæc ministratio erit in gloria perenni. Atque hoc probat per minus, id est per Vetus Testamentum quod olim fuit in gloria. Quasi dicat : Nos in spiritu, non littera novum ministramus, ubi per spiritum vivificantur cultores. *Quod*, id est sed *si ministratio mortis*, id est lex cujus littera occidit, *fuit in gloria* Moysi ministro suo, *quomodo ministratio spiritus*, id est Novum Testamentum quod in spiritu ministratur, et in quo spiritus datur, *non multo magis erit* vobis *in gloria?* « Lex quidem sancta et mandatum justum et sanctum et bonum (*Rom.* VII). » Et tamen quia de ipso bono interficitur inobediens anima, ubi non adjuvat Dei gratia, ministratio mortis facta est lex in Veteri Testamento propter occidentem litteram, et ministratio vitæ facta est gratia in Novo, propter vivificantem spiritum. Distinguitur ergo lex a gratia, eo quod sub illa elidantur elati, sub ista erigantur elisi; et quod illa in tantum bona sit ut bona jubeat, hæc in tantum ut bona conferat : illa justitiæ faciat auditorem, ista factorem. Et ideo sub illa peccator, insuper etiam prævaricator, amissa excusatione ignorantiæ convictus jacet; sub ista vero et parcente, et opitulante, nec qui mala est operatus, exstinguitur; et ut bona operetur, accenditur. Quid ergo mirum est si illa dicta est ministratio mortis, ubi littera occidit, malum prohibendo quod fit, et bonum imperando quod non fit; ista vero dicta est ministratio spiritus, utique vivificantis, nisi ut a prævaricationis morte surgamus, et justitiam non rei legamus in tabulis, sed liberi in cordibus et in moribus habeamus? Ad Judæos enim dicta est lex ministratio mortis, ad quos et in lapidibus scripta est ad eorum duritiam figurandam, non ad eos qui legem per charitatem implent. Fuit enim *litteris deformata*, id est evidenter descripta, ut bene posset legi *in lapidibus* duarum tabularum, ut et patenter agnosceretur, et duritiam cordis eorum convinceret. Et hæc ministratio licet esset mortis, id est per Moysen ministrata, quamvis prævaricatoribus esset causa mortis, tamen *ita* ministro Moysi fuit in gloria, *ut filii Israel non possent* aciem visus sui *intendere in faciem* ejus *propter gloriam vultus ejus*, quam acceperat ex colloquio Domini. Non poterant aspicere splendorem vultus ejus cum descendisset de monte, portans legem in tabulis quas a Domino susceperat, quia et reatus vituli retundebat visum eorum, ne gloriosam justi faciem manifeste conspicerent (*Exod.* XXXIV.) Ubi et significatum est, quia spiritalem sensum legis non erant visuri. Facies enim Moysi splendida, figuram habebat veritatis, *quæ* figura *evacuatur* per manifestationem veritatis, id est visibilis gloria legis evacuatur per gloriam Evangelii. Ita enim evacuatur, ut proficiat, sicut infantia evacuatur in juventute, et semen in fructu. Evacuatur ergo Moysi gloria, quoniam omnes umbræ significantes evacuantur, cum res quæ significatur, advenerit. Quemadmodum enim scientia quæ nunc est, evacuabitur, cum venerit illa quæ erit facie ad faciem (*I Cor.* XIII); sic et ista quæ umbris tradita erant Judæis in Veteri Testamento, necesse fuit evacuari revelatione Novi Testamenti. Gloria quam Moyses habuit, evacuatur nunc in ministris illius legis, ne pseudoapostoli qui carnales ejus observantias adhuc prædicant, gloriæ Moysi participes fiant. Quandiu enim carnales istæ observationes statum habuerunt, ministri earum quamdam gloriam et reverentiam inde habuerunt. At postquam carnali spiritalis observantia successit, gloria ministrorum carnalium evanuit. Sed et in ipso Moyse non semper hæc gloria permansit. Itaque si ministratio mortis fuit Moysi in tanta gloria, quomodo non multo magis erit nobis in gloria ministratio spiritus, id est Testamentum novum quod ministramus, in quo fides impetrat spiritum vivificatorem? Erit utique nobis in gloria multo magis quam Vetus fuit Moysi. Splendor enim in facie Moysi tanquam in facie carnali et mortali diuturnus aut æternus esse non potuit, quia vel morte ablatus est. Splendor autem gloriæ Domini nostri Jesu Christi, cujus participes erimus, sempiternus. Nam sicut promissiones Testamenti Veteris fuerunt temporales, id est temporalia bona pollicentes, ita et Moysi gloria temporalis. Et sicut promissiones Testamenti Novi quod per nos ministratur, sunt æternæ, sic et gloriam quam pro ministerio hoc sumus percepturi in Christo, est æterna. Vere ministratio spiritus erit nobis in maxima et permanenti gloria. *Nam si ministratio damnationis*, id est lex quæ damnat prævaricatores ut statim perimantur, non reservans eos ad pœnitentiam, est Moysi in

Digitized by Google

gloria, tunc *ministerium justitiæ*, id est Novum Testamentum quod per nos ministratur, in quo per fidem et Spiritum sanctum datur vera justitia, *multo magis abundat in gloria*, id est multo abundantiorem gloriam dat nobis ministris suis. Illa enim gloria sicut diximus, temporalis est, hæc autem æterna; illa terrena, hæc cœlestis. Vel in se ipso habet Novum Testamentum majorem gloriam quam Vetus, quia major gloria est peccatorem justificare quam damnare. Quamvis enim juste damnet, tamen ad laudem magis proficit, si indulgeat ut possit se reus corrigere et ad justitiam resurgere.

« Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac « parte, propter excellentem gloriam. Si enim quod « evacuatur, per gloriam est, multo magis quod « manet, in gloria est. »

Vere Novum Testamentum habet majorem gloriam. Nam in ejus comparatione gloria Moysi nec gloria est. Et hoc est : *Nam quod claruit*, id est facies Moysi quæ radium claritatis emisit ut cornuta videretur, *nec glorificatum est in hac parte*, id est nec gloriam habuit in hac consideratione Novi Testamenti, *propter excellentem gloriam* quæ ibi est. Non est glorificatum, quia non habuit fructum gloriæ. Quando enim gloria vultus ejus nulli profuit, sed magis obfuit, licet non suo, sed peccantium vitio, tamen in hac parte gloria non est. Illa autem magis est gloria, quæ abundat in gratia, ut purificati homines dono Dei, abstersa mentis caligine, possint videre gloriam Christi. Excellentior enim est Novi Testamenti gloria, in quo gratia supereminet et misericordia. Et ad comparationem gloriæ Evangelii obumbratur gloria legis ut nec esse videatur, sicut ortu solis cæcatur lumen lucernæ, quod antea videbatur magnum habere fulgorem. Vere supereminet gloria Novi. Quia si Vetus Testamentum *quod* secundum carnales observantias *evacuatur*, *est per gloriam* vultus Moysi ministratum et receptum, sine qua non commendaretur; *multo magis* Novum *quod manet*, id est cui non succedit aliud, *est in gloria*. Per gloriam enim Moysi est illud, id est existit suo tempore authenticum. Sed tamen evacuatur secundum figuras in adventu permanentis veritatis. Ideo major est gloria Novi quam Veteris, quia quantum interest inter figuram et veritatem, tantum distat inter gloriam vultus Moysi et gloriam Christi. Sicut enim in vespere stellæ gloriosæ sunt, oriente autem sole evacuatur earum claritas; ita et Moysi gloria quæ prius radiabat, evacuatur apparente gloria Christi. Vel ad ministros referenda est gloria Novi Testamenti. Vere nobis abundat in gloria. Nam quod claruit, id est facies Moysi quæ in legislatione claruit, nec glorificatum est, id est nec etiam habuisse gloriam videtur in hac parte, id est respectu hujus nostræ partis, propter excellentem gloriam quam de Novo Testamento habemus et habituri sumus. Sive quod claruit in hac parte prædicta, id est Moyses, qui clarus et gloriosus apparuit in facie, nec glorificatum est, quantum ad nos, propter excellentem gloriam quæ nobis dabitur. Non hoc de futura Moysi gloria dicitur, sed de illa, quam visus est habere cum descenderet de monte (*Exod.* XXXIV). Vere excellentem gloriam ex hoc ministerio consequemur, quia manens est et sine immutatione perduraturum. Nam si illud quod evacuatur, id est quod secundum umbras carnalis intelligentiæ vel observationis cessat, est in suo tempore per gloriam Moysi, vel *sicut in antiquis codicibus invenitur* in gloria fuit, multo magis hoc Novi Testamenti ministerium, quod sine immutatione manet, est in gloria ministris suis.

« Habentes igitur talem spem, multa fiducia uti« mur: et non sicut Moyses ponebat velamen super « faciem suam, ut non intenderent filii Israel in fa« ciem ejus, quod evacuatur (*ibid.*). Sed obtusi « sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim « diem idipsum velamen in lectione Veteris Testa« menti manet non revelatum, quoniam in Christo « evacuatur. Sed usque in hodiernum diem, cum « legitur Moyses, velamen est positum super cor « eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, « auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est « (*Joan.* IV). Ubi autem Spiritus Domini, ibi li« bertas. »

Quandoquidem ministerium Novi Testamenti erit nobis in permanenti gloria, *igitur nos habentes talem spem*, id est sperantes quia ex prædicatione nostra percipiemus æternam et immensam gloriam, *multa fiducia utimur* in prædicatione, id est tam constanter prædicamus, ut neque minis neque verberibus, nec ullis tormentorum cruciatibus ab annuntiatione veritatis taceamus, et non ita prædicamus, *sicut Moyses* quando *ponebat velamen* suum *super faciem suam*, id est non celamus sensum nostrum sicut Moyses, sed aperte dicimus, quia non prædicamus carnales observantias, sed potius ipsam veritatem et Veteris Testamenti significationem. Qui enim carnales observantias prædicat, velamen ponit super faciem suam, et velamine litteræ sensum interiorem operit. Nos vero faciem non velamus, quia vobis aspectum splendoris interioris non negamus, sicut Moyses ponebat velamen carnalium figurarum super faciem suam, id est super claram dictorum suorum spiritalium intelligentiam, ideo *ut filii Israel non intenderent in faciem ejus*, id est non inspicerent spiritalem sensum ejus, quia non possent sufferre propter suam imbecillitatem et irreligiositatem. Claritas enim vultus Moysi, veritatem novæ legis quæ per carnales observantias designata est, significavit. Et sicut Judæi tantam illam claritatem non potuerunt pati, nisi mitigaretur eis per oppositionem alicujus velaminis, eodem modo perfectionem vitæ vel intelligentiæ, quæ fuit ibi significata, non sufferret imbecillitas mentis eorum, si eis ipsa veritas Novi Testamenti nudata monstraretur. Ideo per velamen carnalium observationum et promissionum obumbrata est facies veritatis, quæ tempore gratiæ fuerat

Digitized by Google

revelanda. Si enim dicta Moysi spiritaliter intellexissent, infirmitas eorum ad tantam perfectionem non ascendisset, nec lippiens eorum oculus tantam sapientiæ claritatem sustinuisset. Et si ipsa veritas sine velamine fuisset illis ostensa, tanto damnabiliores essent, quanto majorem justitiæ perfectionem cognovissent, cum nihil perfectionis in actione tenuissent. Propterea velamine litteræ texit illis Moyses faciem spiritalis intelligentiæ, ne ad hunc splendorem vultus ejus intenderent, *quod* velamen *evacuatur* nunc tempore gratiæ, ut interna pulchritudo veritatis quæ latuerat, manifestetur. Sed pseudoapostoli qui carnales observantias adhuc prædicant, nolunt ut velamen evacuetur, sed ut veritas semper figuris adumbretur, nec unquam manifestetur. Ideoque suos auditores in umbram ducunt, non veritatis lucem illis ostendunt. Velamen quidem modo per nostras expositiones evacuatur et removetur, *sed sensus* Judæorum *sunt obtusi*, id est hebetati, nec possunt oculis cordis aspicere fulgorem nudæ veritatis. Quæ obtusio causa infidelitatis accidit. Ideo conversis ad fidem acuitur acies mentis, ut videant splendorem divini luminis. Hebetati sunt oculi sensuum illorum, ne lucem spiritalem videant. Nam *usque in hodiernum diem*, cum jam manifestata veritas ubique refulget *idipsum velamen* carnalis intelligentiæ *manet in lectione Veteris Testamenti*, quia cum audiunt legi Scripturam illam, non intelligunt, nisi quod littera foris carnaliter sonat, et ita celatur eis sensus interiorum. Unde et Moyses cum ad eos loqueretur, faciem velabat, significans quia populus ille verba quidem legis cognosceret, sed ejusdem legis claritatem omnino non videret. Facies enim Moysi splendida, sicut dictum est, figuram habebat veritatis, facies Moysi Christum designabat. Sonabat vox Moysi per velum, et facies Moysi non apparebat. Sic et modo Judæis sonat vox Christi per vocem Scripturarum veterum. Vocem loquentis audiunt, et faciem ejus non vident. Personam ejus gerebat Moyses, et ideo velum ante se ponebat quando loquebatur populo. Idipsum ergo velamen usque hodie manet in lectione Veteris Testamenti, quia quandiu in lege carnalia gaudia et voluptates et terrena bona promitti intelligunt, velamen est positum contra faciem cordis eorum, ne videant in Scripturis Christum. Idipsum velamen quod Moyses posuit, manet adhuc in illa lectione, quia et nunc sicut ante Salvatoris adventum, abscondit eis sensum spiritalem superficies litteræ carnaliter intellecta. Velamen dico, *non revelatum* eis esse velamen quia neque hoc sciunt quod sit velamen, id est neque vel hoc animadvertunt, quod illa litteralis superficies sit velamentum alicujus occulti sensus quem velet intra se. Nihil enim ibi putant debere intelligi, nisi quod littera carnaliter sonat. Nec mirum si velamen adhuc eis manet, ita ut nec intelligant hoc esse velamen absconditæ pulchritudinis, *quoniam in Christo*, id est in fide Christi solummodo *evacuatur*. Evacuatur namque in Christo non Vetus Testamentum, sed velamen ejus, ut per Christum intelligatur et quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. His quidem qui sunt in Christo, evacuatur velamen. *Sed super cor eorum* qui in infidelitate perdurant, *est usque hodie velamen positum*, id est cæcitas deprimens rationem eorum, *cum legitur Moyses*, quia totum carnaliter intelligunt, nec ad spiritalem sensum propter nebulam cæcitatis, quam in corde portant, aspicere possunt. Et ita duo illis obsunt ne intelligant, id est velamen lectionis et velamen cordis. Sed *cum* aliquis eorum *fuerit ad Dominum* Jesum *conversus*, mox *auferetur ei velamen*. Velamen enim aufertur, quando similitudinis et allegoriæ cooperimento ablato, veritas nudatur ut possit videri. Velamen quippe auferri, est carnalem scientiam legis evacuari. Conversi namque intentio mutatur de Vetere ad Novum Testamentum ut non jam intendat accipere carnalem, sed spiritalem felicitatem, id est ab intentione qua exspectabatur in regno terreno beatitudo umbratilis et carnalis, ad intentionem qua exspectatur in regno cœlesti beatitudo verissima et spiritalis. Et sic aufertur velamen, quo tegebantur utilia legis arcana, dum ab eo qui venit ad Christum, tollitur insipientia et ignorantiæ nebula. Sed quid mirum? *Dominus* enim *est spiritus* (*Joan.* IV), id est Spiritus sanctus Dominus, hoc est suæ potestatis, valens perficere quod vult. Ac per hoc quos vult, illuminat; et quos vult, in tenebris ignorantiæ deserit. Tanquam proprie videtur Filius vocari Dominus. Sed et Spiritus sanctus hoc loco Dominus vocatur, cum dicit Apostolus : Dominus autem spiritus est. Ne enim quisquam arbitraretur Filium significatum, et propter incorpoream substantiam dictum Spiritum, secutus contexuit : *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Dominus ergo est, id est nihil servitutis habens, sed imperiali potentia omnibus dominans Spiritus sanctus. Et ideo sicut Dominus aufert velamen antiquæ servitutis ab his qui convertuntur, ipse Spiritus est Dominus. Sed ubicunque est Spiritus Domini, id est idem Spiritus sanctus qui est Spiritus Filii, ibi est mentis libertas, ut remoto servili velamine, possit libere mens veritatem inspicere. Nam quia iste Spiritus est Dominus, et est Spiritus Domini, ideo per hunc Dominus Jesus dedit libertatis legem, non litteris utique scriptam, sed per fidem animis intimatam, non quæ visibilia doceat, sed quæ invisibilia credi suadeat, quæ animus spiritualiter colligat, non quæ oculus corporaliter cernat. Sicque per hunc spiritum aufertur velamen carnalis intelligentiæ quod est servitutis, et dono spiritalis intelligentiæ, tribuitur gratia libertatis. Sed et in actione semper est libertas, ubicunque spiritus iste habitat, quia facit bonum operari non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Ignorat enim mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. Nam qui idcirco bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audenter illicita commit-

Digitized by Google

tat. Sed cum iste spiritus charitatem ubicunque manserit infundat, charitas vero servilem timorem foris mittat, patet quia in quacunque mente spiritus vitæ fuerit, ibi mox libertas regnum obtinebit. Origenes, quia nunc sermo Apostoli ad subtiliorem et spiritalem intelligentiam provocat auditores, et vult eos nihil carnale in lege sentire; dicit : Qui vult auferri velamen de corde suo, convertatur ad Dominum, non quasi ad carnem Dominum; est enim et hoc quia verbum caro factum est, sed ad Spiritum Dominum. Si enim quasi ad Spiritum Dominum convertatur, de carnalibus ad spiritalia veniet, et ad libertatem de servitute transibit, ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas. His ergo qui de carnali ad spiritalem intelligentiam provocantur, dicitur : *Dominus autem Spiritus est, ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Potest et sic intelligi : Cum quis eorum fuerit conversus ad Dominum, qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus, auferetur ei velamen carnalis intelligentiæ. Ipse convertetur de carnalitate ad Dominum, qui est ut diximus, individua trinitas. Sed Dominus ad quem convertetur, est Spiritus, id est incorporeus, sicut in Evangelio dicitur de tota hac trinitate : « Spiritus est Deus (*Joan.* IV), » et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Similiter et hic dicitur quia Dominus est Spiritus, ut animadvertamus quia quisquis ad eum intentionem animi convertit, ut intelligat eum, in spiritu et veritate oportet intelligere, non in carne et umbra, sicut volunt facere qui tenentur sub lege. Dominus est Spiritus, et spiritaliter debet intelligi, atque spiritalem dat intelligentiam. Sed ubi fuerit Spiritus Domini, id est spiritalis gratia charitatis, ibi libertas est et recte intelligendi et recte faciendi.

« Nos vero omnes revelata facie gloriam Do-
« mini speculantes, in eamdem imaginem trans-
« formamur a claritate in claritatem tanquam a
« Domini Spiritu. »

Illi quidem, quia non conversi sunt ad Dominum, qui Spiritus est, habent velamen super cor. Sed *nos omnes*, qui libertatem consecuti sumus per Spiritum Domini, *revelata facie* cordis nostri, id est ab omni velamento erroris detecta mentis intentione, *gloriam Domini* sumus *speculantes*, id est per speculum intuentes. Speculantes, enim dictum est per speculum videntes, non de specula prospicientes. Quod in Græca lingua non est ambiguum. In speculo autem non nisi imago cernitur. Et nos qui sumus imago Dei, speculamur, id est per speculum, hoc est per hanc imaginem suam videmus gloriam Domini. Dum enim diligenter nos ipsos acumine rationis consideramus, ad visionem gloriæ ejus cujus imago sumus, quodammodo penetramus, et *in eamdem imaginem* Dei, per quam speculamur, *transformamur*, id est transmutamur ad hoc, ut perfecte simus imago Dei. Transformamur, id est de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam. Quia et ipsa obscura imago Dei est. Cum enim natura humana a Creatore suo cujus est imago, ab impietate justificatur, a deformi forma, formosam transformatur in formam. Et transformatur *a claritate* creationis *in claritatem* justificationis. Atque transformamur *tanquam a Spiritu Domini*, id est tanquam illi quos Spiritus Domini transformat, et per gratiam suam in melius transmutat. Cum ergo hac transformatione ad perfectum fuerit hæc imago renovata, similes Deo erimus, quoniam videbimus eum non per speculum, sed sicuti est (*I Joan.* III). Vel quia speculatio solet dici contemplatio, possumus et ita intelligere : Nos omnes revelata cordis facie a legis velamine, quod est umbra futurorum (*Hebr.* X), gloriam Domini speculantes, id est per fidem contemplantes, transformamur, id est quotidiano profectu transmutamur, in eamdem imaginem, id est in eamdem similitudinem gloriæ Domini, quam contemplamur, ut post mortalitatis hujus tenebras, ad plenum inveniamur similes gloriæ ejus. « Scimus enim quia cum apparuerit, similes ei erimus (*I Joan.* III). » Transformamur autem a claritate in claritatem, id est euntes ab una clara cognitione in aliam. A claritate fidei in claritatem speciei; a claritate qua filii Dei sumus, in claritatem qua similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*ibid.*). Et ita ducimur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu, quia tanta nobis clarjtas datur, quæ sublimitati congruat dantis. Tantum enim claritatis vel gloriæ nobis dabitur, quantum dignum est dare Dominum per Spiritum suum.

CAPUT IV.

« Ideo habentes hanc administrationem, juxta
« quod misericordiam consecuti sumus, non defici-
« mus, sed abdicamus occulta dedecoris, non am-
« bulantes in astutia, neque adulterantes verbum
« Dei, sed in manifestatione veritatis, commendan-
« tes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum
« coram Deo. »

Hinc ergo conjicere debemus, quanto majora nobis, quam Judæis superna clementia gratiæ suæ dona contulerit. Judæi enim cum minor esset gloria vultus Moysi, eam speculari non poterant; nos vero non Moysi gloriam quæ inferior est, sed excellentem Salvatoris gloriam visuros nos credimus. Judæi gloriam servi non meruerunt videre, nos autem omnium Domini gloriam sumus visuri. *Et ideo* nos *habentes hanc* Domini *administrationem*, quæ nos ad tantam promovet gloriam, et habentes eam *juxta quod misericordiam consecuti sumus*, id est habentes eam non ex meritis, sed ex Dei misericordia, quæ nos abluit et justificavit et ministros suos fecit, *non deficimus* in pressuris propter spem gloriæ quam exspectamus, nec minoratur in nobis animi fortitudo, sed inter adversa constanter adimplemus officium nostræ ministrationis. Non deficimus pro aliquibus adversis, *sed abdicamus*, id est abnegamus, et procul a nobis removemus *occulta dedecoris*,

Digitized by Google

id est occultos actus nequitiæ, qui dedecus et opprobrium generant, et idcirco fiunt in absconso, ne in publico dedecus suis operariis inferant. « Omnis enim qui male agit, odit lucem (*Joan.* II). » Et : « Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere (*Ephes.* V). » Hæc sunt occulta dedecoris, quæ prorsus abdicamus. Vel occulta dedecoris sunt, cogitationes alicujus turpis actionis, sive ea quæ pravo sensu quis meditatur ad prædicandum, ut auditores fallat. Ad dedecus enim et deformationem ejus proficit, qui subdola mente confingit doctrinam ad decipiendum corda simplicium. Hæc contra pseudoapostolos dicuntur, qui non habebant revelatam faciem, nec Testamenti Novi ministrationem; et si tribulatio illis accidisset, mox deficiebant. Et licet exterius faciem religionis ostenderent, interius tamen occulta dedecoris non abdicabant, sed turpia in suis cogitationibus volvebant, et in secretis locis perpetrabant. Nec sumus, inquit, *ambulantes in astutia*, id est hypocrisi, sicut prædicti pseudoapostoli, qui videntur humiles et religiosi coram hominibus. In astutia enim ambulant, dum occulta sua non detegunt; sed imaginem sanctitatis ostendunt, dum nihil accipiunt, sed famulis suis totum dari permittunt, per quos ad usum suum omnia reditura sciunt, *neque* sumus *adulterantes verbum Dei*, sicut illi, id est non prædicamus propter delectationem humanæ laudis, vel terreni lucri, nec admistione falsitatis veritatem corrumpimus. Hæc perversa non agimus, *sed* sumus *commendantes nosmetipsos in manifestatione veritatis*, quia manifestamus veritatem, quæ fuerat operta velamine Moysi, et ita commendabiles reddimus nosmetipsos sine comparatione adversariorum. Hoc est dicere : Veritas, quam manifestamus, nos ipsos efficit commendabiles. Et hoc *ad omnem conscientiam hominum*, ut conscientia eorum qui rationabiliter intelligunt noverit nos libenter a cunctis debere suscipi, qui tam evidenter sperimus veritatem. Et commendatio ista fit *coram Deo* ad laudem et placitum ejus, qui ad hoc nos commendamus hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent non nos, sed Patrem nostrum, qui in cœlis est (*Matth.* V). Vel coram Deo id agimus, quia ipse testis est nos manifestare puram veritatem, cujus oculos nihil latet.

« Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, « in his qui pereunt, est opertum in quibus Deus « hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non « fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui « est imago Dei »

Nos quidem revelata facie prædicamus et veritatem manifestamus. *Quod*, id est sed *si etiam opertum est Evangelium nostrum in his qui pereunt, est opertum*, non in his qui salvi fiunt. Infideles enim vel pseudoapostoli prædicationem nostram non intelligunt, fideles autem Deo revelante cognoscunt et intelligunt. Increduli vero, qui in perditionem tendunt, ea quæ dicimus videre non possunt, quia velamen erroris et ignorantiæ est super cor eorum. In his qui pereunt, id est in corde eorum est opertum velamine cæcitatis ipsorum Evangelium nostræ prædicationis. In quibus pereuntibus *Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi*. Deus excæcavit mentes infidelium, qui et Filium suum misit dicentem : « In judicium veni, ut, qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant (*Joan.* IX). » Excæcavit autem non malitia, sed astutia. Non enim est iniquitas apud eum, cui dicitur : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C). » Illuminat ergo misericordia, excæcat judicio utique æquissimo, etsi occultissimo. Præcedit enim aliquid occultum in occultis, ubi ipse agat justissimum examen judicii sui, ut quorumdam mentes excæcentur, et quorumdam illuminentur, cui verissime dictum est : « Judicia tua abyssus multa (*Psal.* XXXV). » Deus itaque justus mentes infidelium hujus sæculi excæcavit, id est ex toto cæcas fecit. Erant enim in Adam quodammodo cæcatæ, sed non ita quin, si vellent, Creatorem suum intueri possent. Quia vero noluerunt, excæcavit eas Deus, quando lucem Spiritus sancti præsentem subtraxit eis, et splendorem suæ visionis occultavit. Sic excæcavit mentes eorum propter infidelitatem. Ac si diceret eis : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* IX, sec. LXX). » Et erant hujus sæculi, id est non pertinebant ad aliud sæculum, ubi est perpetua lux et felicitas. Vel Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Idcirco enim Deus quem prædicant apostoli, dicitur Deus hujus sæculi, ne in hoc sæculo, ubi tot mala fiunt, putaretur aliquis alius Deus esse. Non solum enim invisibiles creaturas, sed etiam hoc visibile sæculum regit Deus noster, nullusque Deus est præter eum, qui et pravorum malitia bene utitur. Qui ad hoc excæcavit mentes infidelium, *ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii*, id est ut non videant fulgorem Evangelii, quod illuminat mentes credentium, nec appareat eis quod Evangelium sit lux, qua fideles illustrantur. Evangelii dico *gloriæ Christi*, quia ibi prædicatur excellentia divinitatis, et gloria resurrectionis ejus, quam nolunt infideles audire. Nam prædicationem contumeliæ passionis ejus libenter audiunt. Prædicationem vero gloriæ resurrectionis et divinitatis ejus veram esse non credunt. Et hoc est quod non fulget eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi. *Qui est imago Dei*, id est omnino per omnia simillimus Patri, sicut ipse dicit : « Qui videt me, videt et Patrem (*Joan.* XIV). » Nam qualis est iste, talis est ille. Quantus est ille, tantus et iste. Sicut ille caret initio, sic et iste. Sicut ille est æternus et incommutabilis, sic et iste. Sicut ille Deus, sic et iste. Sicut ille Creator, sic et iste. Sicut ille scit omnia et potest, sic et iste. Et quod est ille, hoc et iste. Quia ergo iste de illo est, et consubstantialis atque coæternus et coæqualis est illi ac per omnia similis, recte vocatur ejus imago. Et hanc illius gloriam prædicat Evangelium, cujus illuminatio fulget mentibus credentium, incredulis autem justo Dei judicio

Digitized by Google

absconditur. Qui enim oculos ad lucem claudunt, justum est ut eis lux occultetur.

« Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum « Christum Dominum nostrum, nos autem servos « vestros per Jesum. Quoniam Deus, qui dixit de « tenebris lucem splendescere (*Gen.* I), qui illuxit « in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ « claritatis Dei in facie Christi Jesu. Habemus au- « tem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut subli- « mitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. »

Neque Evangelium adulteramus, neque nosipsos commendamus in manifestatione veritatis. Quia *non prædicamus nosmetipsos, sed Jesum Christum*, id est prædicatio nostra non tendit ad gloria n nostram vel lucra, sed ad Christi gloriam, qui est Salvator et Rex suorum, et cujus dominio libenter subjicimur. Non gloriam nostram, sicut pseudoapostoli consueverunt, denuntiamus, ne quis nos dicat propter nosipsos evangelizare, ut gloriosi appareamus, et quæstum nobis de rebus vestris faciamus. Qui enim propria commoda quærit, non Christum prædicat, sed se, sicut illi qui suo ventri deserviunt. Jesum prædicamus *Dominum nostrum* esse. Sed *nos* esse dicimus *servos*, id est ministros *vestros per Jesum*, qui nobis præcepit ut vobis serviremus in ministerio prædicationis. Cum simus ministri, dicimus nos propter humilitatem servos, ut appareat quia non ad gloriam nostram prædicamus Evangelium, sed ad claritatem Christi; cui obedimus, dum vobis in ministerio verbi servimus, non propter vestrum meritum, sed propter Domini præceptum. Nos, inquam, per Jesum hoc facimus, ut vobis in ministerio prædicationis serviamus, quia et Deus per eum majora fecit nobis. *Quoniam Deus qui* in mundi constitutione *dixit*, id est verbo suo (quod est filii ejus) fecit *de tenebris lucem splendescere*, quando dixit : « Fiat lux, et facta est lux (*ibid.*), » ipse est *qui illuxit in cordibus nostris*. Et qui tunc per verbum suum in mundo corporalem fecit lucem, ipse nunc per idem verbum in nobis spiritalem dedit lucem. Non sine initio semper fuerunt tenebræ, sed cœperunt esse, ex quo confusa moles cœli esse cœpit ac terræ, antequam lux ista esset facta, quæ illuminaretur, quod sine luce fuerat tenebrosum. Quid autem inconveniens, si mundanæ materiæ fuerant tenebrosa primordia, ut accedente luce, melius, quod factum est, videretur, et tanquam proficientis, quod postea futurum erat, hoc modo significaretur affectio? Nam sicut suum de tenebris lux visibilis initium sumpsit, ita post tunc lux invisibilis, cui dictum est : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V). » Et quis hoc fecit, nisi ille qui cum tenebræ essent super abyssum, dixit : « Fiat lux, et facta est lux? (*Gen.* I.) » Deus ergo est qui in separatione elementorum dixit, id est verbo suo fecit de tenebris lucem splendescere, qui illuxit, id est lumen quod ipse est lucere fecit in cordibus nostris, *ad illuminationem scientiæ claritatis Dei*, id est ad hoc, ut illumiuemus alios per scientiam quam habemus de claritate Dei. Hæc est enim scientia claritatis ejus, qua scimus ipsum esse lumen quo tenebræ nostræ illuminantur, ut qui aliquando fuimus increduli in ignorantia, id est in tenebris, nunc exhibeamus lumen aliis. Quod enim de tenebris lucem fecit, hoc significavit, qu a eos qui in regione dissimilitudinis p r ignorantiam abierant, et in t n bris positi erant, ill s illuminaret, illis verbum prædicationis commi ter t. et ita de tenebris lucem splendescere faceret. Illuxit ergo in cordibus nostris, ut et nos luceamus vobis, ad hoc ut percipiatis illuminationem scientiæ claritatis Dei *in facie*, id est in cognitione *Christi Jesu*, quia per faciem unusquisque cognoscitur. Ipse nostris mentibus illuxit. Sed hunc *thesaurum* divitiarum æternæ sapientiæ *habemus in vasis fictilibus*, id est in corporibus terrenis et fragilibus. Thesaurus iste est sacramentum Dei in Christo, quod fidelibus erogatur, incredulis autem absconditur. Hunc thesaurum quo alios ditamus, et quo signa frequenter operamur, habemus in vasis fictilibus, id est in terrenis corporibus, per quæ ipsi nos infirmamur, qui sanitatem aliis sæpe conferimus, *ut sublimitas* mirabilium operum nostrorum et prædicationis *sit virtutis Dei, et non ex nobis*, id est appareat esse ex Dei virtute, et non ex nostris viribus. Quod non ita patesceret, si thesaurus iste angelis ad erogandum commissus fuisset. Et idcirco infirmis hominibus est commissus ad dispensandum aliis, ut hujus thesauri sublimitas, id est tanta sapientia, tanta eloquentia, tanta miraculorum ostensio, tanta in tribulationibus constantia, intelligatur esse virtutis Dei, et non ex nobis. Fictilia vasa significant naturæ humanæ infirmitatem, quæ nihil potest, nisi a Deo acceperit virtutem, ut ad laudem suam Deus, per infirma vasa se prædicet, ut gloria illi detur, non homini, qui ex luto fictus est (*Gen.* II).

« In omnibus tribulationem patimur, sed non « angustiamur. Aporiamur, sed non destituimur. « Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. « Humiliamur, sed non confundimur. Dejicimur, « sed non perimus. »

Inde probatur nos esse idoneos ad illuminationem aliorum, et ad erogationem divini thesauri, quia *in omnibus* locis, vel in omnibus modis *tribulationem patimur, sed non* in animo *angustiamur*, id est non tantum opprimimur, ut pusillanimes effecti cedamus. In omnibus tribulationum modis affligimur, quoniam vincula, carceres et verbera et cætera tribulationum genera in corporibus nostris sustinemus. Sed non angustiamur, imo dilatamur ampliori latitudine cordis, ut intus regnet charitas, et spatietur animæ libertas, apud se habens thesauri cœlestis divitias, quibus et aliorum ditet inopiam. *Aporiamur*, id est inopiam patimur. Quia πορία Græce dicitur *facultas, abundantia*, à vero privativum est. Aporiamur, id est sine lucro efficimur; *aporia* namque est spoliatio omnium bonorum. Aporiamur ergo, id est bonis corporalibus privamur, *sed non*

Digitized by Google

destituimur, Deo necessaria nobis ministrante. Vel aporiamur, id est laborando sudamus. Nam poros vocamus foramina per quæ sudor exit. Et inde aporiatus, id est sudans appellatur. Aporiamur ergo, id est in labore tribulationum desudamus, sed non destituimur a Deo, qui nos confortat ne deficiamus. Sive aporiamur, id est quasi sine poris efficimur, hoc est sine sudore, dum velut frigore constringimur egestatis necessitate. Sed non destituimur a thesauro cœlesti, quem habemus in vasis fictilibus. *Persecutionem patimur*, id est de loco ad locum fugamur, sed non derelinquimur in manus inimicorum, ne satisfaciant sibi de nobis (216). *Dejicimur*, id est verberibus prosternimur, sed non perimus, id est non mortificamur. Vel non perimus, id est a confessione veritatis et prædicatione non cessamus. Tunc enim fieret nostrum perire, si sicut habent dominium in carne, dominarentur et prædicationi nostræ.

« Semper mortificationem Jesu Christi in corpo« re nostro circumferentes, ut et vita Jesu manife« stetur in corporibus nostris. Semper enim nos « qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, « ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mor« tali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in « vobis. »

Quid per singula numeraremus ea quæ patimur? Quia *semper* sumus *circumferentes*, id est exterius et in aperto ferentes, et ad exemplum aliis ostendentes *in corpore nostro mortificationem Jesu*, id est quam Jesus pro nobis sustinuit, et nobis sustinendam reliquit. Hanc in nostro corpore semper circumferimus, quoniam ad ejus imitationem assidue carnem mortificamus, ut et aliis exemplum abstinentiæ præbeamus. Quod ideo facimus, *ut et vita Jesu*, sicut nunc mortificatio, id est ut gloriosa immortalitas resurrectionis manifestetur omnibus etiam inimicis *in corporibus nostris*. Ecce quomodo circumferimus mortificationem Jesu. Quia videlicet *nos qui* per observationem justitiæ intus *vivimus*, *semper tradimur in mortem*, id est in pericula mortis *propter Jesum*, quem prædicamus, vel nos qui vivimus, semper tradimur in mortem, id est cum præsentem vitam habeamus et vivere possimus, nunquam recusamus in mortem tradi propter Dominum nostrum Jesum. Et hoc ideo, *ut et vita Jesu*, id est quam ipse jam habet ex quo resurrexit, manifestetur cunctis *in nostra carne*, quæ nunc est mortalis. Et quia mortificationem in nostro exteriori homine circumferimus, nec in mortem propter nomen ejus tradi recusamus, ut et vitæ ejus participes simus, *ergo mors* qua quotidie pro Salvatore morimur, non est inutilis, sed operatur magnum quid *in nobis*, id est vitam perpetuæ felicitatis. Sed econtrario vita qua delectamini in terrenis, *operatur in nobis*, mortem æternam. Increpative hoc dicitur. Nos huic mundo quotidie morimur, ut Deo vivamus; vos mundo vivitis, ut Deo moriamini. Mors operatur, id est dominium exercet in nobis, vos ad voluptates vitæ tenditis.

« Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut « scriptum est : Credidi, propter quod locutus sum « (*Psal.* CXV); et nos credimus, propter quod et « loquimur, scientes quoniam qui suscitavit Jesum, « et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. « Omnia enim propter vos, ut gratia abundans per « multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei. »

Semper quidem mors in nobis operatur, sed nos fidem Christi propter quam morimur, loqui non cessamus. Et hoc est, nos *habentes eumdem spiritum fidei*, quem habuerunt prophetæ, *sicut scriptum est*, dicente David : *Credidi, propter quod locutus sum; et nos* similiter *credimus, propter quod et loquimur*, id est oris confessione fidem nostram proferimus. Eumdem spiritum fidei habemus. Non ait, scientiam fidei, sed spiritum fidei. Quod propterea dixit, ut intelligeremus quia fides etiam non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur : « Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt? (*Rom.* X). » Ergo spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quod jubemur. Ipsa vero fides tenuit corda præcedentium, quæ replevit corda sequentium. Spiritales quippe illi patres omnipotentem Deum trinitatem ita esse crediderunt, sicut eamdem trinitatem novi patres aperte locuti sunt. Sed et eadem fides incarnationis Christi salvavit eos, qua et nos salvamur, quia sicut nos credimus eum venisse, passum esse, resurrexisse, ita et illi crediderunt venturum, passurum, resurrecturum. Tempora variata sunt, non fides. Habemus enim eumdem spiritum fidei, quem habuerunt illi, sicut scriptum est in eorum libris : *Credidi, propter quod locutus sum*, id est perfecte credidi. Non enim perfecte credunt qui, quod credunt, loqui nolunt. Ad ipsam enim fidem pertinet etiam illud credere quod dictum est : « Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo; qui autem me negaverit coram hominibus, negabo eum coram angelis Dei (*Matth.* X). » Jure ergo non ait : Credidi et locutus sum; sed *propter hoc* dicit se locutum, quia credidit. Simul enim credidit, et quod primum loquendo speraret, et quia pœnam tacendo timere non deberet. Illi crediderunt, et propterea locuti sunt. Et nos credimus, propter quod et loquimur. Hæc vox præcipue martyrum est. Si enim tantummodo credidissent, et non loquerentur, non peterentur. Credendo apprehenderunt vitam, et loquendo invenerunt mortem. Sed mortem, in qua corpus corruptibile seminaretur et incorruptio meteretur. Nullo metu suppliciorum omittimus loqui ea quæ credimus, *scientes*, pro certo, *quoniam qui suscitavit Jesum*, ipse etiam *nos* propter confessionem ejus fidei mortuos *suscitabit cum Jesu*, ponens in eadem gloria, *et constituet* nos in illa regione viventium, ut ultra non moriamur. Atque *vobiscum* nos ibi consti-

(216) Hic videtur aliquid deesse.

Digitized by Google

tuet, ut qui unam fidem habemus, in uno regno simus. Nos vobiscum, non vos nobiscum, ut non inferiores, sed pares nobis sitis, si volueritis. Et recte de vobis hoc asserimus. Nam *omnia propter vos* instruendos facimus, id est quidquid loquimur et quidquid patimur, pro salute vestra totum agimus, ut exemplo nostro vos ad similia provocemus, et ad cœnam Dei perducamus. Et ita spectant ad vos omnia quæ facimus, *ut gratia Dei abundans* in nobis *abundet per multos*, id est per vos, et per alios longe lateque cumuletur, *in actione gratiarum*, ut semper in adversis et prosperis Deo gratias agatis, vel de nobis illi gratias referatis, qui per nos vobis gratiam suam infundit. Et abundet hæc gratia *in gloriam Dei*, ut ipse glorificetur ab omnibus. Ideo cuncta facimus, ut abundans, id est copiosum Dei munus, quod ipse paratus est omnibus dare, sed non omnes digni sunt accipere, non minuatur per paucos, sed abundet per multos in actione gratiarum in gloriam Dei. Gloria enim Dei est, ut multi referant illi gratias pro multitudine largiflui doni gratiæ ejus.

« Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui « foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui « intus est renovatur de die in diem. Id enim quod « in præsenti est momentaneum et leve tribulationis « nostræ, supra modum in sublimitate æternum « gloriæ pondus operatur in nobis, non contem- « plantibus nobis quæ videntur, sed quæ non viden- « tur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ « autem non videntur, æterna sunt. »

Spem beatæ resurrectionis habemus, et abundantem gratiam Dei per multos spargere ad gloriam ipsius studemus. *Propter quod non deficimus* in adversis, sed officium nostrum constanter implemus. Non deficimus, quamvis gravia patiamur. *Sed licet is homo noster qui foris est* expositus malis, id est corpus, *corrumpatur* pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate, *tamen is qui intus est*, id est anima munita, ad quam non accedit humanus furor, *renovatur* in agnitione Dei *de die in diem*, id est assidue purior efficitur per ignem tribulationis. Vel de die in diem, id est de claritate in claritatem proficiens. Interior homo pro spiritu mentis positus est, exterior autem pro corpore atque mortali vita. Non tamen utrumque horum simul duos homines Apostolus unquam legitur appellasse, sed unum quem Deus totum fecerit, id est et id quod interius est, et id quod exterius. Sed totus iste homo, id est interiore et exteriore sui parte, inveteravit propter peccatum, et pœnæ mortalitatis addictus est. Renovatur autem nunc secundum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginem reformatur. In resurrectione vero etiam exterior percipiet cœlestis habitudinis dignitatem. Renovatio interioris inchoatur a fide, bonisque moribus augetur, et roboratur de die in diem. Non enim momento uno fit ipsius conversationis renovatio, sicut momento uno fit in baptismo peccatorum remissio. Neque enim vel unum quantulumcunque remanet, quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate quæ febribus facta est, revalescere; itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est causam removere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis. Quæ duo demonstrantur in psalmo, ubi canitur: « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis (*Psal.* CII), » quod fit in baptismo. Et additur: « Qui sanat omnes infirmitates tuas (*ibid.*), » quod fit quotidiano profectibus, cum hæc imago magis ac magis renovatur. Nondum enim ex integro est renovata. Renovatur autem quotidie proficiens in sanctitate, dum transfert amorem a temporalibus ad æterna, a visibilibus ad intelligibilia, a carnalibus ad spiritualia, et ab istis cupiditatem frenare vel munire, atque illorum se charitate alligare diligenter insistit. Corpus vero tanquam homo exterior, quanto est in hac vita diuturnius, magis magisque corrumpitur vel ætate, vel morbo, vel variis afflictionibus, donec veniat ad ultimam, quæ ab omnibus mors vocatur. Quia ergo sancti quo exterius deficiunt, eo interius proficiunt, et quo magis exterius adversa tolerant, eo verius lumine interius coruscant, recte dicunt, quia licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, de die in diem renovatur. Et idcirco inquiunt, non deficimus in pressuris, quia *id tribulationis nostræ*, id est exiguum tribulationis quod nunc patimur, *quod est in præsenti*, id est in hujus vitæ tempore, ubi nemo sine afflictionibus est, et est *momentaneum*, id est parum durans et ad tolerandum *leve*, *operatur in nobis*, id est in æternum nostro sempiternam gloriam, et hoc *supra modum*, id est supra quantitatem universæ tribulationis. Parvis enim laboribus magna merces acquiritur, ut pro humiliatione levis tribulationis supra modum sublimitas æternæ gloriæ rependatur. Et ad comparationem æternitatis, omne quod in præsenti vita patimur, momentaneum est, licet diuturnum esse videatur. Ideo supra modum tribulationis est magnitudo remunerationis, quia si recte censeamus, æterna requies æterno labore fuerat emenda, sed Deus misericorditer pro brevissimo labore dat æternam requiem, pro brevi despectione sempiternam gloriam. Ideo supra modum. Vel supra modum, id est supra mensuram et comprehensionem humanæ rationis, « quia dabitur quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). » Operatur nobis in sublimitatem, id est ut sublimemur usque ad angelorum celsitudinem, vel *in sublimitate*, id est in cœlorum altitudine. Et contra momentaneum et leve tribulationis operatur *æternum pondus* pro *momentulatione pondus gloriæ*, ut pro momentaneo æternum, pro levi pondus, pro tribulatione gloriam accipiamus. Sine fine erit hæc gloria, sine fine erit

Digitized by Google

quies ista, sine fine erit hæc lætitia, sine fine erit hæc remuneratio et incorruptio. Ideoque pro nihilo reputamus quidquid molestiarum in præsenti sæculo toleramus, *non contemplantibus*, id est non appetentibus vel attendentibus *nobis ea quæ videntur*, id est quæ corporeis oculis sunt subjecta, *sed ea quæ* videri corporaliter nequeunt. Nam hæc visibilia cito transeunt cum tempore, invisibilia vero permanent sine fine. Sic enim visibilia hæc sunt ad invisibilia, quomodo figura ad veritatem. Figura deperit, veritas permanet. Et ideo justi gaudent exire de hoc sæculo.

CAPUT V.

« Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri ut absorbeatur quod mortale est a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. »

Non deficimus in momentaneis et levibus tribulationibus, propter æternum gloriæ pondus quod exspectamus. Nam *scimus quoniam si terrestris domus nostra*, id est caro quæ de terra est, et proclivis ad terrena, et domicilium animæ *hujus habitationis*, in qua habitamus quandiu vivimus, *dissolvatur*, id est destruatur pro Christo, scimus *quod ædificationem*, id est beatam mansionem habemus statim *ex Deo*, scilicet domum æternam in cœlis, *non manu* fabricatam. sed a Deo præparatam, vel de temporali et terrena domo expulsi, in æternam et cœlestem recipiamur domum. Prædicatores enim Ecclesiæ postquam de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui patres, cœlestis patriæ perceptione differuntur, sed mox, ut a carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede requiescunt, sicut in hac sententia demonstratur. Non enim dicitur, habebimus domum æternam in cœlis, sed habemus, quia videlicet protinus habetur illa domus, ex quo ista dissolvitur. Prius autem quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam qui cœlestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, non ut pœna quasi peccatores plecteret, sed ut eos in locis remotioribus quiescentes, quia necdum intercessio mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Nunc autem perfecti quique mox in regnum suscipiuntur. Domus æterna, mansio cœlestis est inter angelos, ubi vices temporum non inveniuntur. Supergreditur enim distinctionem et omne spatium ætatis volubile, cui semper inhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII). Quæ domus vocatur ædificatio, quia nunc operibus nostris bonis ædificatur, ut in fine parata inveniatur. Vel domum hanc æternam in cœlis, immortale corpus accipe, in quo resurgentes semper manebimus, cujus forma jam in cœlis est in Domini corpore declarata. Domum dico non manu *factam*, quia corpus animale fit operatione viri et feminæ, sed corpus spiritale fiet per spiritum sine humana operatione. Non enim coitu parentum indigebimus ad resurgendum, sicut indiguimus ad nascendum. Ædificabitur autem domus ista divinitus, quando fiet quod Ezechiel prænostratum est : « Accesserunt, inquit, ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, et super ea nervi et carnes accesserunt, et extenta est in eis cutis desuper (*Ezech.* XXXVII). Sic ædificabitur absque manu domus animæ nostræ, quando corpus nostrum nutu divino in integrum restituetur ex pulvere. Et habebimus domum æternam *in cœlis*. *Nam in hoc* ut habeamus eam, *ingemiscimus*, id est intus recentem semper gemitum habemus, videlicet illam desiderantes, suspiramus et in precibus gemimus ex dilatione tantæ quietis et gloriæ. Nos dico, *cupientes superindui habitationem nostram, quæ est in cœlo*, id est immortalitatis gloriam. Mors enim de terra est, resurrectio de cœlis. Tamen hac conditione cupimus eam superindui *si vestiti* recepto corpore, *non inveniamur nudi*, id est alieni a promissa gloria. Opus enim est ut anima corpore induta, superinduatur et gloria, quæ est immutatio in claritatem. In hoc, id est in consideratione tantæ gloriæ et desiderio ingemiscimus præ dilatione, et precibus insistimus, quia cupimus super innovationem animæ quam jam accepimus, indui nos habitationem nostram, id est dari nobis animæ vestem non de terra, id est non corruptibilem, sed de cœlo, id est incorruptibilem et impassibilem ad instar cœlestium; si tamen in illa resurrectione vestiti corpore, non inveniamur nudi Christo, sed Christum induti. Illis enim solis proderit immortalitas qui, cum fuerint induti corpore, vestiti Christum invenientur, hoc est indumento justitiæ circumdati. Nec mirum si idcirco gemimus, quia nondum ad beatitudinem quam desideramus pervenire possumus. Nam etiam de hac minori re gemitum habemus, quia corpore exuimur, ut illuc pervenire queamus. Et hoc est *nam qui sumus in hoc tabernaculo*, id est in hoc corpore quod est tabernaculum animæ, ut in eo militet ad tempus Deo in via præsentis vitæ, *ingemiscimus gravati* sarcina carnis, et ingemiscimus *eo quod nolumus exspoliari* corpore, *sed supervestiri* stola immortalitatis, ut absorbeatur quod mortale est a vita, id est ut ab infirmitate ad immortalitatem etiam ipsum corpus sine morte transferatur. Si fieri posset, ita vellemus fieri immortales, ut jam veniret ipsa immortalitas, et modo sicut sumus mutaret nos, ut mortale hoc nostrum a vita absorberetur, non per mortem corpus poneretur, ut in fine iterum sumeretur. Quamvis ergo a malis ad bona transeamus, tamen ipse transitus aliquantulum amarus est propter consortium quoddam animæ et

Digitized by Google

corporis, et quamdam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis. Et ideo mortis diem differre conantur etiam illi qui post mortem se beatius credunt esse victuros. Tantam vim habet carnis et animæ dulce consortium. « Nemo enim unquam carnem suam odio habuit (*Ephes.* v). » Et propterea non vult anima, vel ad tempus ab ejus infirmitate discedere, quamvis eam se sine infirmitate in æternum recepturam esse confidat. Et aggravamur ergo corruptibili corpore, et ipsius aggravationis causam, non naturam, substantiamque corporis, sed ejus corruptionem scientes, nolumus corpore spoliari, sed ejus immortalitate vestiri, quod et ipsum tunc erit. Sed quia corruptibile non erit, non gravabit. Sub terrena tunica gemimus, ad cœlestem festinamus, illam volumus accipere, istam nolumus ponere. Ergo fiet hæc injuria tanto illi vestimento cœlesti, ut veniat nobis super hos pannos mortalitatis, et corruptionis, ut hoc sit inferius, illud superius; hoc interius, illud exterius? Absit! Non ita volumus supervestiri, ut sub incorruptione maneat corruptio, sed ut absorbeatur mortale a vita, id est ut sine aliqua læsione vita destruat in nobis mortalitatem, ut nusquam sit in nobis aliquid mortale, non infra, non supra; non intra, sed extra. Nos ingemiscimus nolentes spoliari corpore, sed immortale corpus habere. Sed *qui efficit*, id est qui ex toto facit et format *nos in hoc ipsum* ut ingemiscamus desiderio incorruptibilis corporis, non homo est, sed *Deus qui dedit nobis* hujus rei implendæ *pignus*, id est donum sancti *Spiritus*. Dedit nobis pignus spiritus, id est dedit nobis Spiritum sanctum, qui est nobis pignus et certitudo immortalitatis futuræ. Per Spiritum enim quem dedit nobis, facit nos suspirare desiderio incorruptibilis vitæ; et certos reddit quod hanc consequemur, cujus jam pignus tenemus.

« Audentes igitur semper, et scientes quoniam, « dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Do- « mino. Per fidem enim ambulamus, et non per « speciem. Audemus autem et bonam voluntatem, « habemus magis peregrinari a corpore, et præsen- « tes esse ad Dominum. Et ideo contendimus, sive « absentes, sive præsentes, placere illi. »

Quandoquidem Deus facit nos ingemiscere desiderio immortalium corporum, et dedit nobis pignus hujus rei Spiritum sanctum, *igitur semper* sumus *audentes*, id est semper audemus velle corpus deponere, ut ad supernam gloriam perveniamus. Ideo voluntas deponendi corpus vocatur audacia, quoniam res est difficilis et omnibus reformidanda. Propterea sumus audentes ad exuendum corpus, quia sumus *scientes* quod quandiu *sumus in corpore* mortali, *peregrinamur*, id est remoti sumus *a Domino*, quia non videmus eum, licet ipse sit ubique. Per hoc enim exsules et peregrini sumus ab eo, quia longe projecti a facie contemplationis ejus cæcitatis nostræ tenebras in hac valle lacrymarum patimur. Adhuc enim nos antiqua nox gravat, et corruptibilis hujus carnis oculos, quos hostis callidus ad concupiscentiam aperuit, judex justus a contuitu interni sui fulgoris premit. Quisquis enim arbitratur homini vitam istam mortalem adhuc gerenti posse contingere, ut dimoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium, serenissima incommutabilis luce veritatis potiatur, et mente penitus et consuetudine vitæ hujus alienatus illi constanter et indeclinabiliter hæreat, nequaquam quid quærat intelligit. Jure ergo sumus audentes ad depositione corporis, ut veniamus ad manifestationem visionem sempiterni luminis, quia scimus quod dum sumus in hoc corruptibili corpore, peregrinamur a Domino, id est extranei sumus ab illa patria beatorum, in qua semper Deus sicuti est videtur. Nam *per fidem* invisibilium *ambulamus*, id est tendimus ad patriam viventium, in qua Deus apparet *et non per speciem*, id est non per manifestam divinitatis ejus contemplationem. Contemplatio quippe merces est fidei, cui mercedi, per fidem corda mundantur, sicut scriptum est: « Fide mundans corda eorum (*Act.* xv). » Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Qui ergo peregrinatur et per fidem ambulat, nondum est in patria, sed jam est in via. Qui autem non credit, nec in patria est, nec in via. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Incipitur a fide, ut perveniatur ad speciem. In corpore nunc peregrinamur a Domino et a patria nostra. Sed cum hoc perpendamus *audemus*, id est cum audacia istud magis eligimus, ut separemur a corpore et præsentemur Domino, ut eum in specie divinitatis suæ videamus, et apud eum maneamus. Nollemus enim, si fieri posset, exspoliari, sed immortales fieri, et Domino præsentari, sed cum sine exspoliatione id fieri non possit, audemus optare exspoliari, ut ad Dominum perveniamus, et *bonam voluntatem habemus*, id est non murmuramus de hoc, sed desideramus id bona voluntate. Audemus, inquam, et bono animo volumus *peregrinari*, id est removeri *a corpore magis* quam hic morari, ut et præsentes simus ad Deum, et inhæreamus illi. Non enim satiat animam nisi incorruptibilis gaudii vera et certa æternitas. Et quia Domino cupimus assistere, ideo *contendimus*, id est omnibus modis quibus possumus, corde, verbo et opere conamur *illi placere*, *sive* nunc *absentes*, id est in hac vita peregrinantes, *sive præsentes*, id est in patria manentes. Hoc est, illa nitimur operari, per quæ nunc et in futuro illi placeamus. Modo contendimus, quia est pugna. Sed cum absorpta fuerit mors in victoria (*I Cor.* xv) nulla jam erit pugna, nullusque lapsus, quia nulla corruptio. Et ideo jam non contendemus placere, sed omnino placebimus Domino in regione vivorum.

« Omnes enim nos manifestari oportet ante « tribunal Christi, ut referat unusquisque pro- « pria corporis, prout gessit, sive bonum, sive ma- « lum. »

Et recte dixi præsentes, quia omnes præsentabi-

Digitized by Google

mur Christo judici, vel merito contendimus ut illi semper placeamus, ne in judicio displicentes damnemur. Nam *omnes nos*, cujuscunque sexus vel ætatis aut conditionis sumus, *oportet*, id est necesse est *manifestari* uniuscujusque cogitationes et verba et opera. Ibi videbitur quis sit unusquisque, modo enim parum dignoscitur. Omnia nostra patebunt *ante tribunal*, id est ante judiciariam sedem Christi, quando coram Deo judice astabimus. Pro magnitudine potestatis et judicis, magnitudo tribunalis et judicii æstimanda est. Quanto enim major potestas judicis, tanto major terror judicii sit necesse est. Omnes omnino manifestabuntur ante tribunal tanti judicis, *ut unusquisque* sive justus, sive injustus, ad similitudinem messorum *referat*, id est reportet illuc *propria* gesta *corporis*, *prout gessit*, id est sicut ipse unumquodque opus fecit, *sive bonum*, *sive malum*. Eodem modo et eadem quantitate, qua gessit unusquisque quodlibet opus, recitabit illud judicandum ante tribunal æterni judicis. Unusquisque referet, propria corporis, id est quæ gessit vel cogitavit dum in corpore fuit. Neque enim si quis maligna mente atque impia cogitatione blasphemet, et id nullis membris corporis operetur, ideo non erit reus, quia id non motu corporis gessit, cum hoc per illud tempus gesserit, quo gessit et corpus. Prout gessit mente, lingua vel manu dum esset in corpore, referet unusquisque, etiam parvuli, qui non per seipsos, sed per alios gesserunt. Nam si in illa parva ætate moriantur, utique judicantur secundum propria gesta corporis, id est secundum ea quæ gesserunt dum essent in corpore, quando per corda et ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando ejus sanguinem biberunt, vel non biberunt. Secundum hæc ergo quæ in corpore gesserunt, judicantur, non secundum ea quæ gesturi erant si diu hic viverent. Neque huic apostolicæ sententiæ adversantur beneficia, quæ pro defunctis commendandis agimus, quia etiam meritum hoc sibi quisque, dum in corpore viveret, comparavit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non prosunt omnibus, nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore? Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

« Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde. »

Et quia coram Christo judice necesse est nos omnes manifestari, ut recipiat unusquisque prout gessit, *ergo scientes* hoc *suademus hominibus timorem Domini*, id est suademus illis ut per singula quæ nunc faciunt timeant futurum Domini judicium, et desistant a pravis operibus, ne tunc incipiant timere, cum jam non poterunt damnationem evitare. Vel quia necesse est omnes manifestari ante tribunal Christi judicis, ergo scientes timorem Domini, id est scientes quam timendus sit Dominus in suo judicio, qui tamen subtiliter examinaturus est opera et cogitationes singulorum, suademus hominibus ut timeant et provideant sibi, ne in judicium damnationis incurrant. Hominibus quidem hoc suademus, sed *manifesti sumus Deo*, si aliter agimus quam docemus, id est Deus novit si est in nobis quod aliis suademus, et qua intentione facimus istam suasionem. Deo quidem scimus nos esse manifestos, qui videt occulta nostra; *sed spero* etiam *in conscientiis vestris manifestos non esse.* Manifesta erat puritas eorum Corinthiis, quia neque aliquando in adulatione fuerant deprehensi, neque prædicatio eorum displicuerat sanctis, nec ab aliquo illorum quidquam, ut assolet, occulte elicere tentaverant, ut foris simplices turbis apparerent, intus vero dolosi essent. Ideo conscientias eorum pulsat, ut sibimet testes essent de veritate. Ac si aperte verbis aliis dicat : Licet vobis male de nobis locuti sint pestiferi homines, puto tamen quod non recipiat vestra conscientia de nobis aliter suspicari quam novit, nec potestis magis aliis fidem accommodare quam vobismetipsis. Et quia modo se laudare videbatur, subjungit : *Non iterum nos commendamus vobis*, id est sicut nec in prima epistola nosipsos vobis commendavimus, ut putastis, sic nec in ista nunc nos commendamus, quia per hæc quæ dicimus, laudem nostram a vobis non quærimus; *sed* propter utilitatem vestram *damus vobis* per hæc verba *occasionem*, id est materiam *gloriandi pro nobis* contra pseudoapostolos, ut gloriemini quia integram puræ veritatis doctrinam a nobis suscepistis, et fallacem prædicationem pseudoapostolorum respuistis. Vel pro nobis, quos Deo placere nostis, gloriemini, *ut habeatis* occasionem gloriandi *ad eos qui in facie gloriantur, et non in corde*, id est contra pseudoapostolos, qui per hypocrisim gloriantur de specie pietatis, et non de puritate cordis. Vel in facie, id est in exterioribus, hoc est in carnalibus observantiis gloriantur; et non in corde, id est in spiritualibus, quæ fiunt in interiori homine. Pseudoapostoli animos Corinthiorum commovere videbantur in odium Apostoli ut ab eorum cordibus fides apostolica facilius laberetur; et multi jactabant se ab aliis apostolis didicisse qui semper cum Domino fuerant. Ideoque nunc dicit se his dare occasionem, id est rationem, per quam ipsi gloriarentur adversus eos, quoniam apostolus erat, a quo et isti didicerant, sicut et a quibus illi gloriabantur se doctos fuisse. Talis enim gloriatio in facie erat, non in corde, quia de personis gloriabantur, non de veritate.

« Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii « sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos,

Digitized by Google

« æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus « mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut, et qui vivunt, jam « non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est « et resurrexit. »

De nobis, inquit, potestis gloriari, quia quidquid agimus, vel honor est Dei, vel utilitas proximi. *Sive enim mente excedimus* omnia temporalia ut contemplemur æterna, *Deo* id facimus, *sive sobrii sumus*, id est ab illa mentis ebrietate ad communem sensum eximus, hoc *vobis* fit, id est pro utilitate vestra. Excessus mentis est intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur infima. In hoc mentis excessu fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia revelata sunt. De hoc excessu nunc dicitur : *Sive mente excedimus, Deo.* Quod enim Apostolus mente excedebat, Deo excedebat. Excedens enim mente omnem humanam fragilitatem, omnem sæculi temporalitatem, omnia quæcunque nascendo et occidendo vanescunt transeuntia, habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione quantum poterat, de qua dicit, quod audivit ineffabilia verba quæ non licet homini loqui (*infra* XII). Itaque si semper manere vellet in eo quod viderat, et loqui non poterat, non levaret alios ut et ipsi videre hoc possent. Descendit ergo pro eorum sublevatione. Et hoc est quod additur : *Sive sobrii sumus, vobis.* Quid est, sobrii sumus? Sic loquimur, ut capere possitis. Hæc agebat Apostolus, et boni rectores agere debent, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad se ima proximorum misericorditer attrahit. et quo benignius descendit ad infima, eo valentius recurrit ad summa. *Sobrii*, inquit, *sumus vobis.* Charitas enim Christi urget nos sic agere. Nam charitas Christi, quæ sanctorum mentes ad superna sublevat, eas pio moderamine pro fraterna dilectione etiam ad humilitatem condescensionis format. Itaque dicitur : *Sive mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus vobis. Charitas enim Christi urget nos.* Hoc est : Si ea tantum agere vellemus, et ea tantum contemplari, quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus, sed in supernis tanquam contemptis vobis. Et quando vos ad illa superiora et interiora infirmo passu sequeremini, nisi rursus urgente nos charitate Christi « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II) » consideraremus nos esse servos, et non ingrati ei a quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi sunt, non contemneremus inferiora, et temperaremus nos eis qui non possunt nobiscum videre sublimia? Hoc ergo est, sive mente excedimus, Deo. Ille enim videt quod videmus in mentis excessu, ille solus revelat secreta sua. Vobis autem proficit quando sobrii sumus, id est quando ab illo mentis excessu qui mentem ipsam debriat et a sensu temporalium immutat, ad communem sensum descendimus, ut a vobis intelligi possimus. Charitas Christi nos urget ad vos inclinari, *æstimantes hoc, quoniam si unus* Christus *mortuus est pro omnibus* ad vitam prædestinatis, *ergo omnes* participatione mortis ejus *mortui sunt* in hoc quod prius erant, id est secundum hoc quod veteris hominis membra fuerunt. Ideo libenter ad eos debemus inclinari, qui jam per baptismum Christo sunt commortui. Vel si unus Christus mortuus est pro omnibus, id est ut omnes vivant, ergo necesse est fieri quia omnes mortui sunt in anima per peccatum, quorum vivificatio quæsita est morte unius qui peccato solus carebat, nec mortis animæ particeps esse poterat. Et idcirco nos debemus ad eos instruendos humiliari, pro quibus vivificandis Salvator usque ad mortem dignatus est inclinari. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta matre Dei, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est. *Et pro omnibus* mortuis *mortuus, est* unus Christus, id est nullum habens omnino peccatum, qui solus hostia sufficiens fuit pro peccatis omnium *ut qui*, per remissionem peccatorum *vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis* omnibus *mortuus est* propter peccata nostra, et resurrexit, propter justificationem nostram, ut credentes in eum qui justificat impium (*Rom.* IV), ex impietate justificati, tanquam ex morte vivificati, ad primam resurrectionem quæ nunc est, pertinere possimus. Non ergo sibi vivat quisque, sed Christo, faciens non suam, sed ipsius voluntatem, ut possit dicere : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, et anima mea illi vivet. Illi utique, non sibi. Debet enim vita humana in se deficere, in Christo proficere, qui mortuus est, ut nos moreremur peccatis; et resurrexit, ut resurgeremus ad opera justitiæ. Et quid est aliud non sibi, sed illi vivant, nisi ut non secundum carnem vivant in spe terrenorum et corruptibilium bonorum, sed secundum spiritum in spe resurrectionis, quæ jam ex ipsis in Christo facta est? (*Galat.* II; *Psal.* XXI.)

« Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum « carnem. Et si cognovimus secundum carnem « Christum, sed nunc jam non novimus. »

Suo more vitam nostram futuram, quæ jam in Christo capite nostro resurgente completa est, ita spe certa meditatur Apostolus, tanquam jam adsit præsensque teneatur. Quæ utique vita non erit secundum carnem, sicut Christi non est secundum carnem. Carnem hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, sed corruptionem mortalitatemque carnis vult intelligi, quæ tunc non erit in nobis sicut jam in Christo non est. Quia, inquit, resurrectio Christi nos resurgere fecit, *itaque ex hoc* tempore resurrectionis neminem eorum pro quibus Christus mortuus est et resurrexit, et qui jam non sibi vivunt, sed illi, *novimus secundum carnem*, id est secundum carnis corruptionem propter spem futuræ immortalitatis, in cujus exspectatione vivunt, quæ in Christo jam non spes, sed res est. *Et si co-*

Digitized by Google

gnovimus Christum secundum carnem, id est secundum carnis mortalitatem, cum adhuc moriturus esset, sed, id est tamen *jam non novimus*, quia illud eis mortale jam induit immortalitatem. Noveramus ergo Christum secundum carnem, id est secundum carnis mortalitatem antequam resurgeret, sed nunc jam non novimus, quia « resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Nam si Christus secundum hæreticos ideo non habuit carnem, quia dixit Apostolus nunc jam non nosse Christum secundum carnem, nec illi habuerunt carnem, de quibus præmisit; itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem. Sed quia illorum secum vitam futuram, ut diximus, tanquam præsentem meditabatur, qui resurgentes commutabuntur, amodo, inquit, neminem novimus secundum carnem, id est tam certum spem tenemus futuræ nostræ incorruptionis et immortalitatis, ut amodo jam in ipsa notitia gaudeamus.

« Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera « transierunt, ecce facta sunt omnia nova (*Apoc.* XXI). « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi « per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis « delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, « tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus « pro Christo reconciliamini Deo. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos « efficeremur justitia Dei in ipso. »

Et quia Christus jam non est secundum carnem, nec aliquis eorum qui ei vivit, *ergo si qua nova creatura*, hoc est si quis innovatur, esse potest in Christo, nunc patet quod vetera corruptionis transierunt, et *ecce facta sunt omnia nova* immortalitatis. Quoniam omnes in Christo, etsi nondum re, jam tamen spe immortales sumus, vetera transierunt, et facta sunt omnia nova. Omnis ergo nova creatura, id est populus innovatus per fidem, ut habeat interim in re, quod in spe postea perficiatur, in Christo habet jam quod in se sperat; itaque nunc vetera transierunt secundum spem, quia modo jam non est tempus Veteris Testamenti, quo temporale atque carnale regnum exspectetur a Deo; et facta sunt omnia nova secundum eamdem spem, ut regnum cœlorum, ubi nulla erit mors atque corruptio, promissum teneamus. In resurrectione autem mortuorum non jam secundum spem, sed secundum rem; et vetera transibunt, cum inimica novissima destruetur mors; et fient omnia nova, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc, immortalitatem. Quod jam in Christo factum est, quem secundum rem jam noverat Apostolus, non secundum carnem. Eorum vero pro quibus mortuus est et resurrexit, nondum secundum rem, sed secundum spem neminem noverat secundum carnem. Sed et moraliter vetera, id est veteris hominis vitia transierunt, et facta sunt omnia nova, id est novi hominis opera. Ad veterem quippe hominem pertinet, præsentem mundum quærere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiam erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigentibus non dare, ad multiplicandum aliena quærere, nullum pure propter Deum diligere, inimicitias inimicis reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc vetusti sunt hominis, quæ videlicet trahimus de radice corruptionis. Sed qui jam ista exsuperat, et ad præcepta Dominica mentem in benignitate commutat de hoc recte dicitur, quia vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova. Tunc enim in nostris mentibus nova fiunt, cum a nobis vetusti hominis vitia transierunt. Dixi quia in Christo nova creatura et facta sint omnia nova. Sed tamen *ex Deo* Patre sunt omnia hæc nova, quæ vel in moribus, vel in spe, vel in re consistunt. Ex Patre sunt omnia, quæ per Christum vel in Christo habemus, quia et ipse Christus ex Patre est. Nihil novitatis est nobis, sed omnia sunt ex Deo, qui ex antiquis inimicis *reconciliavit nos sibi per Christum* mediatorem. Quia enim creatura humana peccaverat in Deum, nec pœnitebat ut reverteretur ad eum, Deus opus suum nolens perire, misit Filium suum, per quem prædicata remissione peccatorum, reconciliaret sibi per ipsum, per quem eos creaverat. Per Christum nos reconciliavit sibi, *et dedit nobis ministerium reconciliationis*, id est injunxit nobis legationem, ut per orbem discurrentes, ministraremus ubique doctrinam Evangelii, per cujus observantiam omnes Deo reconciliarentur, et in amicitiam revocarentur. Vere per ipsum et per nos dedit hominibus reconciliationem. *Quoniam in Christo quidem erat* ipse *Deus reconcilians sibi mundum, et in nobis posuit verbum reconciliationis*. Deus erat in Christo, qui ait : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* XIV). » Pater enim est in Filio, quia una est eorum substantia. Deus ergo erat in Christo conversante inter homines reconcilians sibi mundum, id est homines de mundo, pro quibus ipse Christus ait : « Ut mundus credat quia tu me misisti (*Joan.* XVII). » Mundus enim in hoc loco non ille intelligitur, qui totus in maligno positus est, sed ille pro quo misit Deus Filium suum (*I Joan.* V), ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* III), id est Ecclesia per mundi latitudinem fundata. Hunc mundum sibi Deus reconciliavit hoc modo videlicet *non reputans illis delicta ipsorum*, ut pro his puniret illos, sed tam originalia quam actualia dimisit omnia in baptismo. In Christo quidem erat per naturam, sed in nobis per gratiam, quia posuit in nobis, id est in interiori nostro verbum, id est prædicationem reconciliationis. Hoc est, per Spiritum sanctum illuminavit corda nostra, et docuit quibus rationibus ei possemus homines reconciliare, convertendo eos ad fidem et pœnitentiam et ad bonam operationem. Et quandoquidem post Christum posuit nos reconciliatores, *ergo pro Christo*, id est vice Christi *fungimur legatione Dei*. Chri-

Digitized by Google

stus enim proprie fuit legatus Patris, sed nos pro eo fungimur legatione, ut vice ejus prædicemus reconciliationem gentibus. Legatione Dei ad vos fungimur, *tanquam Deo* vos ad reconciliationem *exhortante per nos*. Ipse enim in nobis loquitur, et verba ejus sunt ea quæ ex ore nostro processerunt, ideoque libenter nobis obtemperare debetis. Et quia vice Christi sumus directi, *obsecramus pro Christo*, id est tanquam vos Christus obsecret, *reconciliamini Deo*. Obsecramus vos, id est per omnia sacra adjuramus, ut reconciliemini Deo per pœnitentiam, cui per peccatum estis inimici. Nemo enim reconciliatur nisi ex inimicitiis, et nihil inter Deum et homines facit inimicitias nisi peccatum. Plerumque autem homo qui alteri homini irascitur, discordanti sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pensemus facta veritatis, ut videamus quo jaceat nostræ pravitas actionis. Ecce inter nos et Deum discordiam peccando fecimus, et tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi, qui peccavimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia. Confundatur quisque si non satisfaciat proximo, quando post culpam nostram, ut ei reconciliari debeamus, et ipse qui offensus est, legatis intervenientibus, obsecrat Deus. Quomodo autem ei reconciliaremur, nisi deleretur peccatum, quod inter nos et ipsum erat, et nos ab eo separabat? Proinde cum dixisset Apostolus, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo, quasi diceremus quomodo poterimus reconciliari Deo, subjunxit : *Eum, qui non noverat peccatum*, id est Christum qui non noverat peccatum per experientiam, licet nosset illud per sapientiam, *fecit pro nobis* Deus Pater *peccatum*, id est sacrificium pro peccato. Bene ergo possumus ei reconciliari, qui sanguine Christi sui delet omne peccatum nostrum, si nos illud pœnitendo damnemus. Qui videlicet Christus peccatum non novit, quia nunquam peccati delectationem sensit. Sed per sapientiam qua ipse peccatum damnat, novit ipse peccatum, id est novit hoc esse malum, non ergo fecit ipse peccatum, sed eum Deus pro nobis peccatum fecit, hoc est, ut dixi, sacrificium pro peccato. In lege enim peccata vocabantur, sacrificia quæ pro peccatis offerebantur. Et eodem modo locutionis appellatur nunc Christus peccatum, quia pro peccato est oblatus. Similitudo etiam carnis peccati, in qua venit, dicta est peccatum. « Misit, inquit, Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne (*Rom.* VIII), » id est de similitudine carnis peccati, quæ ipsius erat, damnavit peccatum in carne peccati, quæ nostra est. Eum itaque qui non noverat peccatum, id est Christum, pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi sumus, id est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ideo fecit eum peccatum, *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia, nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum; nec in se, sed in nobis constitutum similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est. Hæc est illa justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos ab eo justificati sumus. Ut efficeremur, inquit, non solum justi, sed etiam justitia, id est ut per nos alii fiant justi. Efficeremur justitia Dei in ipso, id est in ejus corpore, quod est Ecclesia, cui ipse est caput (*Colos.* I).

CAPUT VI.

« Adjuvantes autem exhortamur ne in vacuum « gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore ac- « cepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te « (*Isa.* XLIX). Ecce nunc tempus acceptabile, ecce « nunc dies salutis. »

Deus per Christum pro peccatis nostris immolatum reconciliat vos sibi. Sed nos adjuvamus opus reconciliationis hujus. Dei enim sumus adjutores. Nos ministerio prædicationis nostræ *adjuvantes* beneficium divinæ operationis, *exhortamur* vos *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, quam vobis offert. Gratia Dei est remissio peccatorum. Quam in vacuum recipit, quisquis in bonis operibus se postea non exercet. Gratia Dei est facultas bene concessa divinitus homini, de qua dicitur : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV). » Quam in vacuum recipit, qui cum Dei gratia non laborat, nec adjungit studium suum, ut possit Dei præcepta ipso adjutore implere. In vacuum, id est in hoc ut sit eis res vacua, recipit hanc gratiam, qui bonis operibus eam implere non satagit. Sed nos bene cum auxilio gratiæ agendum vos exhortamur ne per desidiam vestram in vacuum eam recepisse inveniamini. Et hoc facimus, ut dictum est, adjuvantes opus cœlestis gratiæ et reconciliationis, vel adjuvantes vosipsos nostris meritis et orationibus atque sermonibus. Sive ita : Nos prædictis causis et rationibus vos adjuvantes, id est ad reconciliationem provocantes, exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, id est ne falsis apostolis credentes, ita recipiatis et intelligatis baptismum et fidem, quam suscepistis, ut eat in vacuum, id est transeat vobis in rem vacuam et omni plenitudine utilitatis privatam. Illi enim qui putant solam fidem Christi sine carnali observantia legis non sufficere ad justitiam et salutem æternam, gratiam Dei, id est fidem ipsam intelligunt quasi rem vacuam, id est non refertam innocentia et omnium virtutum perfectione. Et sicut hanc fidei gratiam putant vacuam, sic fit eis vacua, quia per eam nec remissionem peccatorum, nec aliquam gratiam consequuntur. Sed vos eam nolite recipere sic, nolite sic de ea sentire, ut vobis eat in vacuum, id est ut fiat omni commodo vestro vacua. Vere non debetis eam putare vacuam nec vobis facere vacuam, quia non est vacua, sed bonis operibus referta. Nam ipse Deus qui gratiam

Digitized by Google

istam humano generi offert, ait in Isaia (*cap.* XLIX): *Tempore accepto*, id est tempore quod est mihi vel hominibus acceptum, *exaudivi te* orantem pro peccatis tuis. Non est ergo vacua hæc gratia, in cujus tempore Deus orantes exaudit. Quod tempus est hominibus gratum, et cum omni amplexu cordis acceptum. Plus enim est acceptum quam acceptabile, quoniam acceptabile dicitur, quod est habile ut recipiatur; acceptum vero, quod jam mentis devotione receptum est. Et postquam hoc tempus tibi fuerit acceptum, id est postquam hoc susceperis, exaudit Deus preces tuas, quas tempore legis non exaudiebat. Tempore, inquit, accepto, id est tempore gratiæ, quod accepisti veniens ad fidem, exaudivi te deprecantem pro remissione culparum tuarum, *et in die salutis*, id est in hoc eodem tempore gratiæ, quo vera salus de cœlo ad homines venit, et lux fidei, atque justitiæ tenebras infidelitatis atque peccatorum effugavit, *adjuvi te* de assecutione virtutum. Lex autem non adjuvabat, sed tantum præcipiebat. Sub gratia vero Deus nos, inquit, adjuvat, ut bona quæ præcipit facere valeamus. Nam ideo adjuvi te, quia ipse liberum in nobis arbitrium restituit, et ex libero arbitrio nostro laboramus, et divina gratia adjuvante potentes efficimur, sine qua nihil facere possemus. Hoc Deus Ecclesiæ de gentibus per prophetam dixit : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te*, hoc eidem Ecclesiæ de gentibus conversæ replicat nunc Apostolus, et exponendo subjungit : *Ecce*, id est non ultra differtur illud tempus, sed *nunc* præsentialiter est *tempus acceptabile*, quod omnes gratanter accipere debent, ut et ipsi fiant Deo acceptabiles; et *ecce nunc* præsentialiter est *dies salutis*, id est lucidum tempus gratiæ, in quo per bona opera possint homines æternam promereri salutem. Ex quo enim Salvator in carne apparuit, semper est acceptabile tempus, et dies salutis usque ad finem sæculi. Unicuique tamen finitur hoc tempus in hora obitus sui. Dies enim salutis per Christi gratiam est vita præsens, quoniam apta est ad bene operandum; et concludentur nocte judicii, in qua nemo poterit operari. Et ideo adesse tempus dicit Apostolus, quo possint ad indulgentiam proficere peccatores; diem adesse dicit, quo morbis mortalibus animarum possit adhiberi medicina salutis. Sequitur :

« Nemini dantes ullam offensionem, ut non vi-
« tuperetur ministerium nostrum (*I Cor.* IV). Sed
« in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei
« ministros, in multa patientia, in tribulationibus,
« in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in car-
« ceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis,
« in jejuniis, in castitate, in scientia, in longani-
« mitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in cha-
« ritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute
« Dei. »

Exhortati sumus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, et exhortamur ut nemini sitis *dantes ullam offensionem*. Cavete ne malo exemplo vestro seu verbo pravo detis alicui fratrum ullam offensionem, id est ne faciatis eum offendere, ut cadat per vos in peccatum; ne sitis ei offendiculum, ut exemplo pravitatis vestræ offendat corruens in nequitiam, vel ne offendatis eum, id est ne conturbetis et irasci faciatis eum. Idcirco videte ne male vivendo vel loquendo præparetis offensionem ulli proximorum, ne propter vos *vituperetur ministerium* nostræ prædicationis, qui vos docuimus qualiter agere debeatis. Qui enim vos male agere viderint, putabunt nos ita docuisse, et incipient nostram doctrinam vituperare. Non detis, inquam, ulli offensionem, sed potius *exhibeamus nosmetipsos in omnibus* et vos *sicut Dei ministros*. Ut melius exhortetur eos, conjungit se illis, ac velut seipsum admonet, quia infirmitatem illorum quasi suam æstimat; et si profecerint, profectus illorum ipsius erit. Exhibeamus, inquit, id est offeramus Deo, nosmetipsos, id est me et vos. Ut ergo unusquisque seipsum exhibeat, exhibeamus, id est offeramus et demonstremus nos in omnibus sicut Dei ministros. Ac si dicat : Non vos admoneo ut omnes sitis apostoli, vel ministerium prædicationis assumatis, sed ut sitis sicut ministri Dei, id est in omnibus ministros divinæ prædicationis imitemini, ut similitudo religiosæ conversationis eorum exprimatur in vobis. Et si non omnes sumus ministri, omnes tamen sicut ministros Dei nosipsos exhibeamus, ut, sicut illi vivunt, ita et nos vivamus. Et hoc faciamus *in patientia*, quæ sit *multa*, id est sustinens multa, et neque murmurans contra Deum, neque indignans contra hominem qui mala intulerit. Hæc ita generaliter omnibus dicuntur Christianis. Specialiter vero ministris evangelicæ prædicationis hoc modo possunt dici : Nos qui alios exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiant, ita conversationem nostram cauta circumspectione custodiamus, ut nemini simus dantes ullam offensionem, id est nosipsi faciamus quæ aliis facienda suademus; non faciamus quæ prohibemus, ne si aliter docere et aliter facere visi fuerimus, exemplo nostro cæteros offendere faciamus. Infirmus enim quisque plus attendit facta prælati sui quam verba, et putat sibi licere quidquid illum viderit agere. Et ita prælatus qui male vivit, licet bene doceat, offensionem subditis parat. Nemini ergo simus dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Vituperabitur enim, et linguis obtrectantium lacerabitur, non si fecerimus mala solum quæ improbamus, sed etiam si non fecerimus bona quæ docemus. Neminem offendamus, sed in omnibus verbis et actibus nostris exhibeamus nosmetipsos sicut decet Dei ministros, id est ut ex operibus nostris homines Deum glorificent, et nos intus Deo placeamus. Et id faciamus in multa patientia, per quam et indisciplinatos mores fratrum

Digitized by Google

tolerando paulatim corrigamus, et infidelium persecutiones fortiter sustineamus. Nam subsequenter ostenditur per partes, quam multa debeat esse ista patientia. Nec solum ministris, id est prælatis Ecclesiæ jubentur ista, sed et subjectis, ut præmisimus, qui similes in moribus debent esse bonis ministris. Multam, inquit, patientiam habeamus *in tribulationibus*, id est in pressuris et vexationibus, quæ nobis inferentur a pravis hominibus, *in necessitatibus*, id est in egestatibus cibi vel potus vel indumenti; *in angustiis*, id est in sollicitudinibus et curis animi, atque timore pœnarum, unde mens angustiatur; *in plagis*, id est in verberibus sicut est virgarum cæsio; *in carceribus*, id est in tenebrosis et fetentibus locis reclusi; *in seditionibus*, id est in commotionibus populi contra nos. Si populus contra nos insurgat, et cum quodam tumultu conetur nos a bono opere revocare, nos patienter feramus, et a bono non separemur. Sed et *in laboribus* habeamus patientiam, id est si pravi homines longis itineribus aut gravibus operibus nos laborare cogunt, vel si labore manuum nostrarum nobis victum quæsierimus. Et *in vigiliis*, id est si necesse fuerit nos vigilare, ut per noctem operemur unde vivamus, vel in vigiliis ad psallendum et orandum. Atque *in jejuniis*, quæ vel sponte facimus, vel indigentia facere coegerit, aut quælibet necessitas. In his omnibus patientiam teneamus, et nos ut Dei ministros exhibeamus. Ministri enim sunt, quicunque bene operantur, quia Deo ministrant, id est deserviunt. Excepto igitur prædicationis officio et altaris ministerio, omnes agnoscamus nos esse Dei ministros, ut tanti Domini famulos, exhibeamus nos idoneos *in castitate* mentis et corporis, et *in scientia*, ne, fatuis virginibus similes, amittamus per imprudentiam meritum castitatis (*Matth.* XXV). Habeamus ergo scientiam Scripturarum, vel scientiam qua prudenter agere bona sciamus et mala respuere. Et ut ministros Dei nos exhibeamus *in longanimitate*, id est in longa animi exspectatione, qua patienter usque in finem perseveremus, adversa præsentis vitæ ferendo et gaudia sequentis vitæ sperando. Et *in suavitate*, ne per rancorem animi efficiamur illis asperi, a quibus longanimiter mala toleramus, sed per dulcedinem mentis simus illis suaves et blandi, ut nec verbo nec opere nostro illis vel aliis generemus asperitatem amaritudinis. Et *in Spiritu sancto*, ut omnia benigne et sincere faciamus, si ut Spiritus sanctus docet. Et *in charitate non ficta* ut affectum dilectionis non tantum in vultu et verbo, sed etiam in corde habeamus, ne simus de illis, « Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum (*Psal.* XXVII). » Atque *in verbo veritatis* prædicando vel loquendo, ut habeat puram veritatem sine falsitatis admistione vel prædicatio nostra vel locutio. Et *in virtute Dei* ut non nostris viribus, sed dono virtutis divinæ credamus non posse quidquid boni poterimus agere. Omnia hæc in Apostolo maxime præfulgebant, et in talibus ducebatur ejus conversatio, qui nunc secum hortatur ministros Evangelii et omnes Christi servos, ut taliter vivere studeant. Fervens enim Dei amor facile tolerat omnes adversitates, et assequitur omnes virtutes. Adhuc autem subjungit Apostolus in admonitione:

« Per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per « gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam « famam, ut seductores, et veraces: sicut qui ignoti « et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus: ut castigati, et non mortificati; quasi tristes, semper autem « gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. »

Exhibeamus, inquit, nosipsos ut Dei ministros *per arma justitiæ*, quibus regnum peccati deleamus, id est per virtutes vitiis contrarias, ut humilitas dejiciat superbiam, largitas exstirpet avaritiam, benevolentia invidiam, et sic cæteræ virtutes destruant opposita sibi vitia. Virtutes enim sunt arma justitiæ, quibus muniri debemus *a dextris et a sinistris*, id est a parte prosperorum et a parte adversorum, ut, contra prospera et adversa virtutum armis semper muniti, nec prosperis elevemur, nec adversis perturbemur, nec blandis ad voluptatem demulceamur, nec asperis ad desperationem premamur. Et audite quæ sint dextra et sinistra, id est prospera et adversa. *Per gloriam et ignobilitatem*, etc., usque, *Tanquam nihil habentes, et omnia possidentes*. Dextra enim justorum sunt gloria, bona fama, et quod veraces sunt, quod cognoscuntur, quod vivunt, quod non mortificantur, quod gaudent, quod multos ditant, quod omnia possident. Sinistra vero, quod ignobiles et infames habentur, quod seductores putantur, quod ignorantur, quod moriuntur, quod castigantur, quod contristantur, quod egent, quod nihil habere videntur. Sed milites Christi per arma justitiæ a dextris et a sinistris muniti debent incedere, ut, hinc et inde diabolum expugnantes, et in prosperis timeant, et in adversis confidant. Exhibeamus ergo nos ut Dei ministros *per gloriam et ignobilitatem*, id est quando in gloria et veneratione apud homines erimus, non inde extollamur; et quando nos judicabunt esse ignobiles atque contemptibiles, non inde frangamur. Eodem modo agamus *per infamiam et bonam famam*, id est si falso infamamur de aliquo crimine, vel si bonam famam habemus de religiosa conversatione, utrumque per patientiam æquanimiter ducamus, ut nos nec detrahentes dejiciant, nec laudantes extollant, quia contingit nonnunquam utrosque mentiri. Item exhibeamus nos *ut seductores et veraces*, id est ad viam veritatis adducamus eos qui errant, ut cæteri qui in errore perseverant, judicent nos esse seductores, cum simus veraces. Si enim seducere, aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est unde et quo. Si a malo ad bonum, bonus seductor est, unde et Jeremias ait: « Seduxisti me, Domine, et seductus sum (*Jer.* XX). Si autem quis aliquem seducendo ducat a bono ad malum, malus seductor est. In hanc ergo partem, qua seducuntur

Digitized by Google

bomines a malo ad bonum, utinam omnes seductores et vecemur et simus. Sed infideles aut quilibet errantes vocabunt nos malos seductores, si quos poterimus, ex sociis eorum ad fidem et religiosam conversationem attraxerimus. Erimus enim veraces et vera docentes, sed illi putabunt nos esse fallaces, et falsitate alios seducentes. Nos dico apud alios habiti *sicut qui* sunt a Deo ignoti, id est reprobati, et apud alios a Deo cogniti, id est approbati. Vel ita sumus sicut illi qui sunt ignoti, quia infideles et superbi non dignantur nos aspicere et agnoscere, vel agnitos abjiciunt, et tamen fideles et religiosi nos agnoscunt. Et tormentis sumus *quasi morientes*, quia tandiu torquemur ab impiis donec credamur esse mortui, *et ecce* Deo liberante vivimus, quoniam eripimur a morte et restituimur vitæ. Sumus enim *ut castigati* quia infideles putant se nos duris verberibus ac minis castigasse, ne ulterius novam religionem prædicemus; *et non* sumus *mortificati*, quia nec corporis nec animæ necem ab illis pertulimus. Corpus enim nostrum adhuc vivit, anima quoque vitam non amisit, quia infidelibus non cessit, ut a prædicatione vel confessione veritatis sileret. Etsi multi martyres occiduntur, Ecclesia tamen non moritur. Atque electi Dei dum super se exterius rapti in altum animum figunt, quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia a se aliena aspiciunt, et (ut ita dixerim) dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quæ tolerant, ignorant. Hæc autem de se suique similibus ita loquitur Apostolus, ut omnes fideles ad ea toleranda vel agenda exhortetur. Ac si discipulis dicat: Nos qui magistri sumus, ita vivimus; vos autem qui nos imitari debetis, exemplum nostræ conversationis insequimini. Qui et adjungit: *quasi tristes*, subaudi, foris apparemus, propter molestias tribulationum quas patimur, sed semper sumus gaudentes intus propter spem futuræ remunerationis. Non solum enim non contristamur in adversis, sed etiam gaudemus, et hoc semper. Et sumus *sicut egentes*, quia nihil in præsenti sæculo videmur habere, sed tamen *multos* sumus *locupletantes*, quia spiritales divitias largimur credentibus. Sumus enim tanquam penitus *nihil habentes*, quia nihil proprium carnaliter habemus, etiam omnia possidemus, id est non solum pecunias, sed etiam ipsos pecuniarum dominos, qui se nobis tradunt, et res suas ad pedes nostros ponunt. Similiter et vos, licet in adversis quasi tristes appareatis, semper tamen per spem intus gaudete. Et si habetis divitias, estote quasi egentes, quamvis non sitis egentes, id est in spiritu pauperes estote, sed multos eleemosynarum vestrarum beneficiis locupletare curate. *Estote tanquam nihil habentes*, id est mentis despectu cuncta quæ habetis pro nihilo ducentes, et tali cogitatione sitis *omnia* vestra *possidentes* quia tunc mens vestra per hæc non tenebitur in imis. Sed et quilibet sancti pauperes omnia possident, etiam temporalia, quoniam nihil deest timentibus Deum. Apostoli vero cum nihil habere viderentur, in hoc erant omnia possidentes, quod cum essent principes Ecclesiarum, habebant potestatem sumendi ex rebus subjectorum quæcunque sibi forent necessaria (*Matth.* x; *Marc.* vi; *Luc.* ix). Notandum autem quia in his quæ sunt adversa, dictum est, quasi, ut, sicut, tanquam; in his vero quæ sunt prospera, non est dictum. Ait enim: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, etc. Tristitia nostra habet, quasi; gaudium autem nostrum non habet quasi; quia spes qua gaudemus, certa est. Tristitia vero nostra quasi, habet, quia in somniis transit. Qui somnium judicat, addit quasi. Quasi sedebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi, quia cum evigilaverit, non invenit quod videbat. Quasi thesaurum inveneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset. Sed quia quasi erat, mendicus est. Itaque qui nunc ad lætitias sæculares oculos aperiunt, et corda claudunt, transit quasi eorum, et venit verum ipsorum, quasi ipsorum, felicitas est sæculi; verum ipsorum pœna est. Nostrum autem quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus, quasi gaudentes, semper autem tristantes; aut quasi tristes, et quasi gaudentes; sed ait, quasi tristes, semper autem gaudentes, et item: Sicut egentes et ibi est sicut vel quasi. Multos autem ditantes, hic non est quasi vel sicut. Nihil habebat Apostolus, omnia sua dimiserat, divitias nullas possidebat, tamen addidit: *Tanquam nihil habentes*, et ipsum enim nihil habere Apostoli, quasi nihil habere erat. *Et omnia possidentes*, ibi non dixit quasi. Quia quasi egebat, non autem quasi, sed vere multos ditabat. Nam et sanctis qui erant in Jerusalem, victum ministrabat. Quasi nihil habebat; non autem quasi, sed omnia possidebat. Itaque in his quæ existimantur adversa, quæ superius per ignobilitatem et infamiam præsignavit, quæque a sinistris esse descripsit, addidit quasi, vel sicut, aut tanquam. In his vero quæ prospera reputantur, et dextræ partes appellantur, quæque vocabulo gratiæ et bonæ famæ prænonstravit, non apposuit quasi vel aliquid tale. In prosperis enim vel dextris est veritas, in adversis autem et sinistris umbra vel similitudo, non ipsa res. Quæ autem a dextris descripsit, sunt arma dextra justorum. Illa etiam quæ a sinistris denotavit, sinistra sunt arma eorum. Efficiuntur enim viro perfecto arma justitiæ, si hæc illata sibi magnanimiter sustinuerit, quia per hæc dimicans, et istis ipsis quibus impugnari putatur adversis, tanquam armis utendo, eisque velut arcu et gladio, scutoque validissimo contra illos qui hæc ingerunt, munitus, profectum suæ patientiæ et virtutis acquiret, et gloriosum constantiæ triumphum, nec adversis dejectus, nec prosperis elatus, nec ad lævam tristibus impulsus, nec ad dexteram lætis motus, sed in medio per viam rectam indeclinabiliter grad ens.

« Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis,

« angustiamini autem in visceribus vestris. Eamdem « autem habentes remunerationem, tanquam filiis « dico, dilatamini et vos. Nolite ducere jugum cum « infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum « iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? « Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ « pars fideli cum infideli? Qui autem consensus « templo Dei cum idolis? »

Solent plerumque etiam justi laudare bona quæ dicunt, non quo ipsi suis laudibus inhient, sed quo auditores suos ad audiendi sollicitudinem accendant, ut dum eorum voce præferuntur, ab eorum cordibus ardentiori affectu rapiantur. Unde nunc Apostolus cum mira Corinthiis et multa dixisset, adjunxit : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Et hoc etiam causa libertatis dixit ac paræ conscientiæ. Male enim sibi conscia mens loqui trepidat, sensum perdit, in verbis errat. Et est sensus : Ita provocati sumus profectu vestro, ut tacere non possimus. Profectus enim discipulorum aperit os magistri. *Os nostrum patet ad vos*, quoniam multa diximus ac dicimus ad vos corrigendos et instruendos, quæ gratanter accipere cuncta debetis. Et ideo patet ad vos os nostrum, quia charitate dilatatum est cor nostrum. Lata dilectio cordis nostri, quæ vos omnes complectitur, non sinit ut taceamus ea quæ prosunt vobis. Ex abundantia enim cordis os loquitur ; et ubi charitas est, non sunt angustiæ (*Matth.* XII). *Cor nostrum dilatatum est.* Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio. Hoc munus est Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustemur, sed dilectione et delectatione justitiæ dilatemur. *Cor nostrum dilatatum est.* Licet enim caro nostra sit tribulationibus et pressuris angusta, cor tamen intus latitudini liberum gaudet exterioribus pœnis. Charitas enim non angustatur. Si quis vult non angustari in terra, in latitudine charitatis habitet. Quidquid enim fecerit ei homo, non eum angustat, quia illud diligit quod non nocet. Et quia nostrum cor ita dilatatum est, atque nostrum os patens, ideo *non angustiamini in nobis*, id est nolite putare, quod habeatis in nostro magisterio vel nostræ conversationis exemplo ullam scientiæ vel boni operis stricturam et inopiam. Nos enim dicimus et facimus quidquid erga vos dicere et facere debemus, sed potius *angustiamini in visceribus vestris*, id est intelligite quod angustia et parvitas scientiæ et boni operis quam habetis, est in cordibus vestris, quæ dura sunt ad intelligendum et faciendum. Qui enim nobis pseudo præfertis apostolos, putatis quod angustia et parvitas intelligentiæ vestræ vel sanctitatis, sit in nobis, id est in nostra culpa, cum ipsa sit potius in cordibus vestris, id est in culpa duritiæ mentium vestrarum, quia non sunt dilatatæ sicut cor nostrum. Sed nunc dico vobis tanquam filiis, id est tanquam illis qui exemplum meum cum sim pater vester, sequi debetis, dilatamini et vos, sicut ego dilatatus sum, id est per intellectum dilatamini auxilio gratiæ Dei, ut majora ipsius dona capiatis. Dilatamini per amorem justitiæ, ut copiam virtutum capiatis in latitudine mentis vestræ. Vos dico habentes in futuro *eamdem remunerationem* quam ego, si nunc ita dilatati fueritis ut ego, dilatemini amplitudine charitatis, ut omnes homines pie diligatis, et non per timoris angustiam, sed per amoris latitudinem bona faciatis, *dilatamini et vos* in bonis operibus per libertatem amoris, et *nolite jugum* antiquæ servitutis quæ in lege est, *ducere cum infidelibus*, id est cum pseudoapostolis, qui fidem Christi conantur enervare, et carnales observantias legis statuere. Ipsi enim cum sint sub jugo servitutis, ubi omnia per timorem fiunt, student vobis suadere, ut, abjecta lege libertatis, id est libertate charitatis, subjiciatis colla vestra cum eis jugo legis. Sed vos nolite participes fieri servitutis eorum, quia vos estis justi per fidem, illi vero iniqui per legis transgressionem. Et *quæ participatio est justitiæ cum iniquitate?* Nulla. Quoniam mox annullatur justitia, si participationem habuerit cum iniquitate ; et ideo ne pareat justitia vestra, caveat habere participationem cum iniquitate illorum. Nulla communio vel in cibo vel in potu, vel in aliquo sacramento vos eis conjungat, cum sint ob iniquitatem perfidiæ ab Ecclesia separati. *Aut quæ societas luci ad tenebras?* id est in quo possunt habere communionem illi qui sunt lux sufficiens ad aliorum illuminationem, cum illis qui sunt tenebræ, id est cæci et cæcantes alios? Nulla societas est lucis et tenebrarum, quia lux hujus mundi obscuratur, si se sociaverit tenebris. His non est societas. *Sed Christi ad Belial*, id est ad diabolum *quæ conventio* potest fieri? Id est illi in quibus habitat Christus, et qui sunt membra Christi, in quo convenire possunt cum illis, in quibus habitat diabolus, et qui sunt membra diaboli? In nullo. Quia mox deserit eos Christus, si se membris Satanæ conjunxerint. Belial interpretatur *absque jugo* (*Judic.* XIX), et significat illum angelum, qui nec Deo subjectus esse voluit. Cujus membra sunt omnes, qui præceptis Dei nolunt subjici. *Aut quæ pars fideli*, id est Christiano *cum infideli?* id est cum pseudoapostolo fidem Catholicam destruente. Nulla est his pars communis. Sed *templo Dei*, id est illis in quibus habitat Deus, *quis consensus* potest esse *cum idolis?* id est cum sacrificiis carnalium observantiarum, quæ non jam Deo, sed diabolo offerunt, et idololatriæ deputantur. Nullus eis consensus ad invicem. Tot modis ostensum est, communionem pseudoapostolorum esse vitandam. Possunt et aliter forsitan hæc verba tractari. Nolite jugum ducere iniquitatis cum infidelibus, id est cum gentibus, ut subditi sitis jugo peccati sicut illi, cum debeatis in libertate charitatis servire justitiæ. *Quæ enim participatio est justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* nulla participatio est justitiæ et iniquitati, non solum quæ foris, sed etiam quæ intus in Ecclesia est. « Novit enim Dominus qui sunt ejus, et recedat ab iniquitate omnis qui invocat no-

Digitized by Google

men Domini (*II Tim.* II). » Nulla etiam societas est luci et tenebris, non solum quæ foris, sed etiam quæ intus sunt. « Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*I Joan.* I).» — « Qui autem odit fratrem suum in tenebris est, et in tenebris ambulat (*I Joan.* II).» Si dixerimus quod societatem habemus cum Deo, et in tenebris ambulamus, mentimur (*I Joan.* I). Non est ergo societas luci et tenebris. Quid igitur faciemus? Societas cum Deo habenda est. Alia spes vitæ æternæ nulla est. « Deus vero lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*ibid.*).» Iniquitates autem et peccata sunt tenebræ. Iniquitatibus et peccatis premimur, ne societatem cum Deo habere possimus. Quæ ergo spes est? Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. Quo facto societatem habebimus cum illo, quia lux erimus in ipso. *Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Belial, ut diximus, interpretatur *absque jugo* (*Judic.* IX). Quicunque ergo non Dei, sed suam voluntatem sequuntur, hoc vocabulo possunt designari, quia sunt absque jugo timoris Dei, absque jugo disciplinæ spiritalis. Et sæpe tales dicunt se Christianos. Sed *quæ conventio Christi ad Belial?* Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II); » isti autem extollunt semetipsos, nolentes obedientiæ jugo subjici. Quæ igitur conventio istis et Christo? Non sit itaque sine Dei jugo, quicunque vult convenire Christo. *Aut quæ pars fideli cum infideli?* Vel quis consensus templo Dei cum idolis? Hoc recte dictum est illis Corinthiorum, qui cum infidelibus manducabant sacrificia idolorum. Potest et aliter intelligi: « Fidelis enim Dominus in omnibus verbis suis (*Psal.* CXLIV),» quoniam fideliter adimplet vel adimplebit quæcunque locutus est. Ille autem est infidelis, qui verba sua negligit adimplere, ut faciat bona quæ se facturum promisit. Quæ igitur pars est fideli Deo cum infideli homine? Qui enim mandata Dei adimplere noluerit fideliter, quam partem cum Deo habere poterit? *Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* « Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*I Cor.* III),» et avaritia est idolorum servitus (*Colos.* III). Cur ergo illi qui sunt vel debent esse templum Dei, consentiunt avaris, nec redarguunt eos? Cur non timent ne per hunc consensum Deus, qui in eis habitare solet, deserat eos, et fiant etiam ipsi habitaculum Satanæ?

« Vos enim estis templum Dei vivi (*I Cor.* III, VI), « sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et « inambulabo inter eos; et ero illorum Deus, et ipsi « erunt mihi populus (*Levit.* XXVI). Propter quod « exite de medio eorum, et separamini, dicit Domi« nus, et immundum ne tetigeritis; et ego reci« piam vos, et ego ero vobis in patrem, et vos eritis « mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens « (*Jer.* XXXI; *Isa.* LII).»

Recte dixi quia templum Dei consensum non habet cum idolis. *Vos enim estis* ipsum templum non deorum mortuorum, sed *Dei vivi*, id est vos estis in quorum cordibus habitat, et præsidet Deus qui in se vivens est, et vitam suis dat æternam; sicut econtrario idola sunt mortua suis cultoribus, quia eis sunt causa mortis æternæ. Ita estis templum Dei, sicut ipse Deus per scripturam Testamenti Veteris dixit: *Quoniam inhabitabo in illis* (*Lev.* XXVI), id est in mentibus illorum. Cum Deus ubique sit, in illis tamen habitat, qui ejus sentiunt beneficium, et faciunt voluntatem. Inhabitabo, inquit, in illis *et inambulabo inter eos*, id est promovebo illos in provectu virtutum. Inambulat enim Deus in nobis præsentia suæ majestatis, si latitudinem invenerit charitatis. Quam enim latum est ubi deambulat Deus; *et ero* inquit *illorum Deus*, id est illi me solum colent Deum, quia non erunt de illis, quorum deus venter est (*Philip.* V), vel qui vitium quodlibet pro Deo colunt, et ego protegam illos ab incursu vitiorum, atque dabo illis successum virtutum, *et ipsi erunt mihi populus*, id est ita mihi erunt devoti et dediti in unitate concordiæ, ut non sint de hoc mundo. *Propter quod*, id est quia promitto me in vobis habitare et inambulare, *exite de medio eorum*, id est de medio pseudoapostolorum, *et separamini* ab eis. Quandiu enim patimini eos morari inter vos, et sustinetis prædicationem eorum, tandiu estis in medio eorum, id est intra consortium eorum, et irretiti errore ipsorum. Exite de medio eorum, ne sitis in medio communionis eorum, conclusi in eodem reatu. Et ita exite, ut separemini, id est ut seorsum parati sitis ad bene agendum, sequestrati a communione eorum. Et hoc dicit ac præcipit Dominus, non ego. *Et ne tetigeritis immundum*, id est carnales observantias, quas illi suadent vobis, quæ jam post Domini resurrectionem non valent ad emundationem, sed ad contaminationem eorum qui tangunt, id est custodiunt eas, et si ita vos a communione perversitatis eorum separaveritis, ut sancte et juste vivatis, *ego recipiam vos* in cœleste regnum, quos a paradiso ejeceram. Vel exite de medio perversorum qui sunt in Ecclesia, exite non corporaliter, sed spiritaliter, id est facite quod pertinet ad correptionem eorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque persona salva pace fieri potest. Qui enim sic agit, liber exit de medio nequitiæ et damnationis eorum. Objurgando enim criminosos, exit de medio eorum liber in conspectu Dei, cui neque Deus sua peccata imputat, quia non fecit; neque aliena, quia non approbavit; neque per negligentiam, quia non tacuit; neque per superbiam, quia in unitate permansit. Sic ergo spiritaliter exite de medio eorum, non scindentes unitatem Ecclesiæ, sed increpantes perversitatem nequitiæ, ne majus malum committatis in separatione bonorum, quam fugitis in conjunctione malorum, et separamini non corporaliter ab eis, sed spiritualiter a consortio pravitatis eorum. Et immundum ne tetigeritis, id est peccato eorum ne consenseritis. Tolerandi sunt

Digitized by Google

enim ubique proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Unum vero est, pro quo vitari malorum societas debeat, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant; et cum ipsi a sua nequitia non mutentur, eos qui sibi conjuncti fuerint, perv rtunt. « Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala (*I Cor.* xv). » Sicut ergo perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia et eos sæpe ad rectitudinem trahunt, et ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur; ita infirmi quicunque societatem declinare debent pravorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt et corrigere non valent, delectentur imitari. Unde nunc eis apte dicitur : *Exite de medio eorum et separamini.* Hoc enim agendum est, non more schismaticorum, sed more eorum qui causa religionis petunt eremum vel remotiorem locum. Et ne tetigeritis immundum, id est immunditiam coinquinationis eorum, cum ipsi tangere participando nolunt munditiam vestræ sanctitatis. Et ego, sicut dictum est, vos olim abjectos nunc recipiam in cœlestem gloriam. *Et vobis* in illa regni gloria receptis *ero in Patrem*, id est ero Pater, et ita vos diligens ut Pater, quia meipsum vobis perpetualiter dabo, *et vos eritis mihi in filios et filias*, id est eritis mihi filii et filiæ hoc est eritis mihi similes, ut scriptum est : « Similes ei erimus quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Non solum enim in filios critis mihi, id est gloriam meam, sed et in filias. Quod vel propter utrumque sexum, vel propter fortes et infirmos dicitur, vel quia major diligentia cultus et custodiæ filiabus adhiberi solet, quam filiis. Et ideo per filias voluit fortassis ostendere, quia sic se habebit erga fideles animas, sicut pater erga filias, ornando veste jucunditatis, et removendo voluntatem totius turpitudinis, ut sponso cœlesti semper placeant in ornatu decoris et amore puritatis. Et inde nolite, inquit, dubitare, quia hæc *dicit Dominus omnipotens*, id est ille promittit vobis ista, qui omnia potest facere. Notandum quod Apostolus hæc vel juxta sensum, vel juxta litteram ex diversis Scripturarum locis posuit. Nam quod ait : *Inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus*, sic legimus apud Ezechielem : « Dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, et erit tabernaculum meum in eis, et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus (*Ezech.* XXXVII). » Nam pro eo quod dictum est : « Dabo sanctificationem meam in medio eorum, » Apostolus posuit, *inhabitabo in illis*. Et pro eo quod dictum est : « Erit tabernaculum meum in eis, » Apostolus subjecit, *inambulambo in illis*. Tabernaculum enim est in itinere. Sed et in Levitico reperitur hæc sententia, præter quod ibi est secunda persona. Sic enim dictum est : « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, ambulabo inter vos, et ero vester Deus, vosque eritis mihi populus (*Levit.* XXVI). » Quod autem subjunxit Apostolus : *Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus; et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos*, ita legitur in Isaia : « Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, et congregabit vos Deus Israel (*Isa.* LII). » Illud vero quod sequitur, et ego ero vobis in Patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, non facile, sicut reor, in nostris codicibus apparet unde sumptum sit, nisi forte ex eo quod per Jeremiam dixit, « et factus sum Israeli Pater (*Jer.* XXXI); » et per Isaiam : « Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ (*Isa.* XLIII), » vel ex aliquo simili loco. Sequitur :

CAPUT VII.

« Has ergo habentes promissiones, charissimi, « mundemus nos ab omni inquinamento carnis et « spiritus perficientes sanctificationem in timore « Dei. »

Quoniam Dominus præcepit ut exeamus de medio coinquinationis peccantium, et tanta nobis inde bona promisit, *ergo, charissimi*, nos qui tales habemus promissiones, id est quibus promissa sunt talia, si nos separaverimus a contaminatione malorum, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus*, et perficiamus sanctificationem utriusque. Inquinamentum carnis est, quod per carnem committitur, sicut luxuria, homicidium et similia. Inquinamentum spiritus, quando sola cogitatione peccatur, sicut mentis elatione vel invidia sive odio. Emundemus ergo nos non tantum ab inquinamento, sed prorsus ab omni inquinamento carnis, ut omnia vitia carnalia fugiamus. Et ab omni inquinamento spiritus, ut consensum peccati, et cætera omnia quæ spiritum inquinant, expellamus a cordibus nostris. Tunc vero perficimus sanctificationem carnis et spiritus, si utraque munda servamus, et bonis actibus insudamus. Hæc enim sanctificatio utriusque facta est divinitus in baptismo. Sed nos perficimus eam si per membra corporis insistimus bonis operibus, et mentem intus magis ac magis adornamus sacris virtutibus. Quæ perficienda est in timore Domini, ut semper vereamur Dominum offendere, sine cujus gratia nihil boni possumus agere. Qui enim sine timore Domini vult bonum aliquod facere, superbus est, et perdit quidquid facit. Vel mundemus nos ab omni inquinamento carnis, id est ab omni contaminatione carnalis observantiæ, et simus *perficientes sanctificationem* spiritus, id est spiritalis observantiæ quam cœpimus facere, ut spiritaliter legem impleamus, non carnaliter, et hoc *in timore Domini*, qui legem dedit, non ut carnaliter observaretur semper, sed tantum usque ad tempus correctionis.

« Capite nos. Neminem læsimus, neminem corru- « pimus, neminem circumvenimus. Non ad con- « demnationem vestram dico. Prædiximus enim « quod in cordibus nostris estis ad commoriendum « et ad convivendum. »

Nos ita vos admonemus. Et vos *capite nos*, id est accipite quod dicimus, accipite spiritualem cibum

Digitized by Google

quem vobis offerimus. Vel capite nos, non pseudo-apostolos, id est nostrum exemplum, non illorum accipite in omnibus imitandum. Aut capite nos, id est considerate quales sumus. Et debetis nos capere, quia neminem vestrum læsimus improperando ei præterita crimina, sicut pseudo, qui vobis veterem improperant idololatriam; et neminem vestrum corrupimus, id est nullius animæ integritatem violavimus, sicut pseudo, qui multos ex vobis corruperunt, vitiando castitatem fidei et integritatem innocentiæ. *Neminem* vestrum *circumvenimus*, id est nullum astuta circumventione fraudulenter decepimus, ut ei per nos aut per subditos nostros bona sua subtraheremus, sicut pseudo qui vos adulatione callida blande circumveniunt, et res vestras artificiose subtrahunt. *Non ad condemnationem vestram dico*, id est non vos abjicio, sed ut corrigamini moneo. Qui enim aliquem condemnat, non illi dimittit. Et est sensus apertior : Non me excusando vos condemno, quasi tales sitis. Non propterea hæc commemoro, ut callide dicam vos fecisse, quod me fecisse nego. Non enim possum ita de vobis sentire, quos tantum diligo, sicut dixi superius, eo quod dilectio vestra tantum me faciat habere fiduciam. Prædixi enim quod in cordibus nostris estis epistola. *Prædiximus quod in cordibus nostris estis*, id est cura et sollicitudo vestræ salutis manet in cordibus nostris *ad commoriendum et ad convivendum*, id est ad hoc ut vos nobiscum pro Christo, si necesse fuerit, moriamini, et nobiscum in regno Christi perpetualiter vivatis. Ex prædictis vult illos cognoscere quo animo nunc loquatur ad eos. Quos enim participes vult habere et ad præsentes passiones pro Christo et ad futuram vitam, non utique illos abjicit, sed ut participatione dignos faciat exhortatur. Vel in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum, id est ad hoc, ut nos vobiscum moriamur et vivamus; hoc est, si vos sustinetis mortem peccati in anima, nos æstimemus illam mortem esse nostram; et si vos in observatione justitiæ vivitis, nos credamus tunc nosipsos vivere. Perfecta enim charitas profectum vel detrimentum aliorum credit esse suum.

« Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi « gloriatio pro vobis. Repletus consolatione, super- « abundo gaudio in omni tribulatione nostra. »

Ideo estis in cordibus nostris, quoniam *multa fiducia est mihi apud vos*, id est multum confido de vestra correctione et salute, dum considero ea quæ apud vos sunt, et *multa gloriatio* est *mihi pro vobis*, id est multum glorior apud alios pro vestra religione. Videte ne frustra confidam de vobis, videte ne in vacuum glorier pro vobis. *Repletus etiam sum consolatione* cum audissem vestram correctionem, et *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, id est gaudium quod de vestra emendatione habeo, superat omnem mœrorem tribulationum nostrarum, quas in animo partim sustinemus pro peccatis vestris. *Multa*, inquit, *fiducia mihi est apud vos*. Fiducia hæc de primæ epistolæ correctione est, quam quia non aspere susceperunt, fiduciam dederunt admonendi se. Visi sunt enim velle corrigere se. Unde gloriatur pro eis, animumque suum ex hac parte consolatum pronuntiat, in tantum ut in omni pressura superabundare se gaudio dicat. Videns enim esse spem in his, pro quibus angustias patitur, gaudet cum tribulatur, certus se mercedem a Deo recepturum acquisitæ salutis eorum.

« Nam et cum venissemus in Macedoniam, nul- « lam requiem habuit caro nostra, sed omnem tri- « bulationem passi sumus. Foris pugnæ, intus ti- « mores. »

Memorat quæ patiebatur causa credentium, ut eos provocet ad charitatem et compassionem, dixi; quia superabundo gaudio in tribulatione nostra. Nam tribulationem passi sumus non solum in Asia, sed et *cum venissemus* ad Macedones, ut eis vitæ viam monstraremus, *nullam requiem habuit caro nostra*, sed incessanter vexata est assiduis tribulationibus. *Caro non habuit requiem.* Ac si aperte dicatur : Quia spiritus requiem habuit, dum per profectum animæ persecutionum supplicia caro toleravit. Spiritus enim requievit in spe futuræ retributionis, dum caro laboraret in dolore præsentis afflictionis. Non permissi sumus respirare, *sed omnem tribulationem* pertulimus, quia et in corpore flagellati sumus, et animo timebamus pro his, quos ad fidem converteramus. *Foris* enim, id est in corpore nostro erant *pugnæ* suppliciorum, *intus*, id est in corde nostro *timores*, ne hi qui nuper erant conversi, deficerent.

Nunc intelligeremus Apostolum memorare seditionem et plagas et carcerem, quæ legitur in Philippis cum Syla pertulisse, et iterum seditiones ac persecutiones in Thessalonica et Berrœa (*Act.* xvi, xvii), nisi sciremus Apostolum nequaquam adhuc venisse Corinthum, quando illa pertulit. Hæc autem quæ nunc memorat, post conversionem Corinthiorum passus est, quando vice secunda perrexit in Macedoniam, nec referuntur in Actibus apostolorum. Foris erant pugnæ corpori dum cæderentur, et intus animo timores. Illic enim est timor, ubi et intellectus est. Sed timor iste erat, sicut dictum est, propter eos qui crediderant, ne passione ejus scandalizarentur. Nam sibi quid jam timeret qui patiebatur? Vel foris erant illis pugnæ, quia impugnabantur ab infidelibus qui sunt extra ecclesiam; intus, id est in ecclesia timores, quia timebant ne diabolus ibi aliquid operaretur. Foris pugnæ ab apertis inimicis, intus timores a falsis fratribus. Sic et Ecclesia semper habet inimicos, et quos ferat foris, et quos gemat intus. Foris facilius evitabiles, intus difficilius tolerabiles. Sunt enim falsi fratres, sunt mali filii, et tamen filii, qui non contra nos blasphemant Christum sed nobiscum adorant Christum, et in nobis persequuntur Christum, sicut Absalon patrem suum (*II Reg.* xv). De his est timor in Ecclesia, ne cæteros ad imitationem

Digitized by Google

sui pertrahant. Valde enim periculosum est infirmis, habitare cum talibus.

« Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos « Deus in adventu Titi. Non solum autem in adventu « ejus, sed etiam in consolatione qua consolatus est « in vobis, referens nobis vestrum desiderium, ve- « strum fletum, vestram æmulationem pro me, ita « ut magis gauderem. »

Nos gravem tribulationem passi sumus. *Sed Deus qui consolatur humiles*, id est humiliatos passionibus pro suo nomine, *consolatus est nos in adventu Titi* revertentis a vobis, ut nobis esset solatio. Nam quia Deus suorum non est immemor, sed semper dat eis in adversitate solatium, acceleravit adventum Titi, ut refrigerio nobis esset positis in fervore tribulationis. Magna enim consolatio est patientis, si secum habeat condolentem. Et magna nobis consolatio fuit dum nostræ prædicationis adesse videremus adjutorem. Sed *non solum in adventu ejus* consolatus est nos Deus, *sed etiam in consolatione qua* ipse Titus, qui dolorem habebat de inobedientia vestra, *consolatus est in vobis*, id est consolationem accepit de pœnitentia vestra. Nam quia vidi Titum consolatum in vobis, et ego consolatus sum in vestra emendatione. Ipse enim consolatus est in vestra voluntate ad conversionem prompta *referens nobis vestrum desiderium* de emendatione, *vestrum fletum* de commissis, *vestram æmulationem*, id est indignationem contra pseudoapostolos *pro me*, id est pro mea defensione, *ita ut magis gauderem* de vestra correctione, quam dolebam de nostra tribulatione. Nuntiavit Titus illos habere desiderium emendandi se, et flere pro his quæ male egerant, et æmulationem habere pro Apostolo. Addiscentes enim quæ promissa sunt bene viventibus, incitati sunt desiderio bene agendi, ut æterna præmia mererentur adipisci. Et correpti non nitebantur excusare, sed flebant dolentes quia peccaverant. Intelligentes charitatem apostoli erga se, cœperunt illum contra adversarios defendere. Unde ipse magis gavisus est, quia non solum se correxerant, sed etiam amplius profecerant. Profectus enim illorum augmentavit ejus gaudium. Vel desiderium habebant videndi Apostolum et flebant præ desiderio ejus, et alter æmulabatur alterius desiderium pro Apostolo videndo.

« Quoniam, etsi contristavi vos in epistola, non « me pœnitet. Etsi pœniteret, videns quod epistola « illa (etsi ad horam) vos contristavit, nunc gaudeo, « non quia contristati estis, sed quia contristati « estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis se- « cundum Deum, ut in nullo detrimentum patia- « mini ex nobis (*I Petr.* II). Quæ enim secundum « Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabi- « lem operatur. Sæculi autem tristitia mortem ope- « ratur. »

Vere magnum percepi gaudium, referente Tito quæ in vobis gesta sunt. Quia *etsi contristavi vos*, id est si errores vestros severius corripui in prima *epistola*, *non me pœnitet* aspere scripsisse, quia hoc causa poscebat, et bonus effectus est secutus. Non me modo pœnitet, quod vos durius increpans contristavi, quia vester profectus facit me non pœnitere. *Etsi* me pœniteret propter charitatem quia vos contristavi, *nunc gaudeo*, quia profuit quod vos contristavi. Gaudeo videns *quod epistola illa* tam aspera *vos contristavit*, *etsi ad horam*, id est quamvis parvo tempore. Perpendo enim utilitatem, quæ processit ex illa tam brevi tristitia. Gaudeo enim, non ideo *quia contristati estis*, *sed* ideo *quia ad pœnitentiam estis contristati*, id est non mihi gaudium facit vestra tristitia, sed vestra pœnitentia, quæ non potuit esse sine tristitia. Gaudeo quia cum pudore estis constristati, non cum ira. Qui enim reprehensus pudorem patitur, corrigere se promittit. Qui autem irascitur, pejorem se futurum ostendit. De hac tristitia gaudeo, quia *contristati estis secundum Deum*, id est secundum voluntatem et inspirationem Dei, *ut in nullo*, id est nec in contristatione vestra *patiamini detrimentum ex nobis* sed ad profectum omnia proveniant. Detrimentum enim auditor ex prædicatione doctoris patitur, quando præceptis ejus inobediens existit, et priori peccato peccatum inobedientiæ adjungit. Quia secundum Deum contristati estis, idcirco detrimentum non patiemini, sed commodum assequemini. Nam *tristitia quæ est secundum Deum*, id est qua quis dolet se fecisse quod Deus odit, *operatur pœnitentiam* ducentem *in salutem* non transitoriam, sed stabilem et æternam. Qui enim inde tristis est, quia hoc ei in seipso displicet quod Deo displicet, elaborat illud pœnitendo delere et Deo satisfacere, ut possit ad salutem quam peccando amiserat, pervenire. Agit enim pœnitentiam, et sperat Dei misericordiam. Sed e contrario *tristitia sæculi*, id est qua peccator qui se non vult corrigere, tristis est et dolet, atque erubescit se detectum esse in hoc sæculo, ubi nil verecundiæ de suis, nequitiis vult habere, operatur æternam mortem. Et ideo cavete tristitiam illam. Tristitia enim sæculi est aut de verecundia reprehensæ culpæ aut de amissis rebus præsentibus, aut de alienis non invasis, aut de aliena felicitate, vel de aliqua hujusmodi retorqueri. Dum ergo tali quis tristitia tenetur, cor ejus a principe mortis diabolo possidetur, et mortem in eo tristitia hæc operatur. Tristitia vere secundum Deum est, aut sua, aut aliena peccata lugere. Et ideo pœnitentiam operatur, quæ ducit ad salutem.

« Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contri « stari vos, quantum in vobis operatur sollicitudi- « nem, sed defensionem, sed indignationem, sed ti- « morem, sed desiderium, sed æmulationem, sed « vindictam. »

Vere tristitia quæ secundum Deum cor afficit, operatur pœnitentiam in salutem. Nam operatur ea quæ conducunt. *Ecce enim* in vobisipsis hoc apparet, in vobis ipsis hoc experti estis. Quia hoc ipsum contristari vos secundum Deum, id est hoc ipsum

Digitized by Google

quod contristati estis secundum Deum, licet parvum videatur esse, quantam, id est quam magnam, *operatur in vobis sollicitudinem* emendandi quod deliquistis, vel ne amplius delinquatis. Nec solum sollicitudinem ne denuo peccetis *sed et defensionem* adversus impugnationes dæmonum, quia non jam sinitis vos ab eis vinci, sed strenue vosipsos defenditis. Et non solum defensionem adversum inimicos *sed indignationem* contra vosipsos pro malis quæ fecistis. Nec tantum indignationem, *sed et timorem* ne damnemini pro peccatis quæ commisistis, vel ne deinceps in culpas cadatis, quoniam « beatus homo qui semper est pavidus (*Prov.* XXVIII). » Neque solum timorem, *sed et desiderium*, quo desideratis in melius provehi. Et non solum desiderium, *sed et æmulationem*, id est zelum atque fervorem imitandi me vel alios bonos. Neque tantummodo æmulationem bene agendi ad exemplum sanctorum, *sed et vindictam*, quia punitis in vobis ipsis mala quæ fecistis. Hæc omnia operatur in vobis hoc, quod secundum Deum contristati estis; et ideo patet quod tristitia quæ secundum Deum est operatur pœnitentiam in salutem, quia generat omnes has virtutes, quæ ducunt ad æternam salutem. Vel sollicitudinem, id est mentis vigilantiam adversus deceptiones pseudoapostolorum; et defensionem, ut me seu vos ipsos defendatis contra illos; et indignationem, ut illis vel cæteris male agentibus indignemini; et timorem gehennalis pœnæ, atque desiderium cœlestis gloriæ; vel timorem, id est suspicionem vestræ fragilitatis, ne per eam vobis contingat ut cadatis; et desiderium recte semper vivendi; et æmulationem, ut zelus domus Dei vos comedat (*Psal.* LXVIII), et ardeatis intrinsecus fervore corrigendi ea quæ male fiunt in Ecclesia, id est in plebe Christiana; et vindictam, ut eodem zelo Dei puniatis peccantes (*Joan.* II), sicut Ecclesiæ disciplina exigit. Omnia hæc bona prodeunt ex tristitia quæ est secundum Deum, idcirco supra dixi quia non me pœnitet quod vos ita contristavi.

« In omnibus exhibuistis vos incontaminatos « esse negotio. Igitur, etsi scripsi vobis, non pro- « pter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui « passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem « nostram quam habemus pro vobis coram Deo. Ideo « quoque consolati sumus. »

Ut universaliter dicam, quid vobis tristitia quæ secundum Deum est, contulerit *in omnibus exhibuistis vos esse incontaminatos negotio*, id est ut sitis incontaminati Christiano negotio agendo, ut libere possitis aliorum peccata punire, contaminatus enim auctoritatem non habet in alios vindicare. Vel exhibuistis vos esse incontaminatos, id est probastis vos esse immunes a negotio, id est a peccato illius qui patris uxorem habuit. Quia secundum disciplinam vindicastis in eum, ostendistis vos non jam esse contaminatos negotio iniquitatis illius, cui antea consentiendo inquinati eratis. Et quia incontaminati estis, igitur apparet quia non propter illos principaliter scripsi, sed magis propter ecclesiam. Et hoc est : *igitur etsi scripsi vobis* de illis, non scripsi *propter eum qui fecit injuriam* patri, tollens uxorem ejus, *nec propter eum qui passus est*, id est propter patrem cui uxor ablata est, nam et ipse graviter peccavit, negligens uxoris suæ salutem, vel filii, et scienter ferens et silenter tantum flagitium, sed potius scripsi pro omnibus vobis *ad manifestandam sollicitudinem nostram quam habemus pro vobis*, id est ut manifestaremus vobis quam solliciti et studiosi simus de vestra salute *coram Deo* qui videt occulta intentionis vestræ. Hanc vobis manifestare voluimus, ut et vos eam sciretis, quam in divinis obtutibus habemus. Nam injustos emendando, et pollutos sanctificando, et ecclesiæ reconciliando totius populi sollicitudinem me habere demonstro. Quia in uno male agente multi confunduntur, et in uno contumeliam patiente multi indignantur, et quia pro salute et emendatione omnium vestrum scripsi de illis, et evenit quod intendebam, ideo consolati sumus dum vos audiremus esse correctos. Vel exhibuistis vos esse incontaminatos a negotio sæculari, quo prius eratis contaminati, cum dicerem vobis : « Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? » (*I Cor.* VI.) Contaminati enim eratis hoc negotio dum dicerem : « Omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos (*ibid.*) » Et quia nunc vos exhibuistis ab eo esse incontaminatos, igitur etsi scripsi vobis, non scripsi principaliter propter eum qui fecit injuriam vel qui passus est, id est propter quemlibet eorum qui injurias et fraudes fratribus faciebant, vel patiebantur a fratribus, sed magis pro omnibus vobis, ut omnes talia facere caveretis. Et scripsi ad hoc, ut manifestarem vobis me pro vobis coram Deo sollicitum esse. Et quia nunc estis a tali negotio incontaminati, ideo consolationem habemus in vobis

« In consolatione autem nostra abundantius ma- « gis gavisi sumus, super gaudio Titi, quia refe- « ctus est spiritus ejus ab omnibus vobis. Et si « quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum « confusus. Sed sicut omnia vobis in veritate locuti « sumus, ita et gloriatio nostra quæ fuit ad Titum, « veritas facta est. Et viscera ejus abundantius in « vobis sunt, reminiscentis omnium vestrum obe- « dientiam, quomodo cum timore et tremore exce- « pistis illum. Gaudeo quod in omnibus confido in « vobis. »

Nos in hoc quidem consolati sumus, quod incontaminatos vos exhibuistis negotio, sed amplius de gaudio Titi quod habet in vobis. Cum audisset Apostolus eos per primam epistolam increpatos velle se corrigere, consolationem accepit. A Tito etiam discens quia dolorem paterentur erroris sui, auctus est in consolatione et repletus gaudio, quia voluntas eorum in opere cœperat probari, Tito id cum lætitia referente. Et hoc est quod dicit : Nos consolati sumus de vestra melioratione. Sed *in consolatione*

Digitized by Google

nostra abundantius magis gravati sumus super, id est de *gaudio Titi*. De utroque enim, id est de correctione vestra et de gaudio Titi abundantius gavisi sumus, quam tristaremur de tribulatione nostra, sed magis de gaudio *Titi*, *quia spiritus ejus* qui mœrore pro vestra subversione defecerat, *refectus est ab omnibus vobis*, non quia jam omnes sitis correcti, sed quia jam quiddam sperat de reliquis. Spiritus ejus, qui fame bonorum operum vestrorum defecerat, refectus est a vobis illo cibo, de quo Dominus ait : « Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* IV.) » *Et si gloriatus sum apud illum de vobis quid*, id est aliquid boni de vobis asserens, *non sum confusus*, id est non erubui de hac gloriatione. Antequam pergeret Titus ad eos, audivit ab Apostolo quia erant bonæ voluntatis in emendandis vitiis. Ac per hoc regresso illo et idem referente, non erubuit Apostolus, sed alacer factus est, quia non aliter invenerat Titus quam audierat ab eo. Non sum, inquit, confusus pro vobis, *sed sicut omnia* quæ audistis a nobis, *locuti sumus vobis in veritate* sine aliqua falsitatis admistione, *ita et gloriatio nostra quæ fuit* de vobis *ad Titum*, *facta est*, non solum vera, sed, ut plus dicam, ipsa, *veritas*, id est apparuit ei veritas, dum videret ita esse ut dixeram. Efficientia enim vestræ correctionis tam vera facta est, quam et prædicatio nostra. Veritas enim arguentis apparet, si hi qui arguuntur, incipiunt se emendare, quia dum correcti immutantur, testimonium perhibent arguenti. Vos, inquam, spiritum ejus refecistis, et me vera de vobis illi dixisse probastis. Et ideo *viscera ejus*, id est affectiones dilectionis ejus *abundantius sunt in vobis* quam in aliis, quia vidit profectum vestrum. Sancti enim animus in omni bono est. Viscera cordis ejus sunt in vobis, *reminiscentis omnium vestrum obedientiam*, *quomodo*, id est quam accurate *excepistis eum cum omni timore* cordis *et tremore* corporis. Scientes Corinthii ab Apostolo missum esse Titum, et se in multis vitiis ab Apostolo fuisse reprehensos, territi sunt in adventu ejus. Et quia vitam suam cœperant emendare, solliciti erant obedire præceptis ejus, ut regressus Apostoli animum mitigaret eis. Quamobrem Titus eos laudavit, quia in eo reveriti sunt Apostolum. Ideo subjungit. *Gaudeo* vos ita profecisse, *quod in omnibus*, rebus, *confido in vobis*, id est confido quod in omnibus amodo bene agetis. Non solum enim in bona voluntate eorum lætatus est, sed et in operibus bonis, quibus ea quæ peccaverant, emendabant. Et ideo sicut sapiens medicus jam pene sanata vulnera lenissimis medicamentis curabat, ut prioris increpationis ustura sanaretur.

CAPUT VIII.

« Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam « Dei, quæ data est in ecclesiis Macedoniæ, et quod « in multo experimento tribulationis abundantia « gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum « abundavit in divitias simplicitatis eorum, quia se- « cundum virtutem, testimonium illis reddo, et « supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa ex- « hortatione obsecrantes nos gratiam et communi- « cationem ministerii, quod fit in sanctos, et non « sicut speravimus, sed semetipsos dederunt pri « mum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei, ita « ut rogaremus Titum ut, quemadmodum cœpit, « ita et perficiat in vobis etiam gratiam istam. »

Postquam correcti sunt, hortatur eos ad bene agendum, et exemplo ecclesiarum Macedoniæ ad misericordiam illos provocat, ut non putent grave quod viderint Philippenses vel alios jam fecisse. Et quia supra dixerat : « cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra (*supra* VII), » ne quis putaret quod nullum ibi fructum fecisset, sed solummodo pœnas sustinuisset, quod non multum ad commendationem valeret, ostendit multos ibi fuisse conversos, et ad culmen perfectionis subito perductos. Quasi dicat : Hucusque notam fecimus vobis consolationem, quam de vestra correctione habuimus in tribulatione, quam apud Macedones pertulimus. Sed nunc notificamus, *vobis gratiam Dei*, id est gratuitam largitionem spiritualium bonorum, *quæ data est* divinitus *in ecclesiis Macedoniæ*. Nos enim non defecimus in tribulatione, sed perstitimus fortiter, donec ibi multæ construerentur ecclesiæ. Et data est illis tanta gratia, *quod in multo experimento tribulationis*, id est cum multas experirentur tribulationes, *abundantia gaudii ipsorum* semper abundavit. Quia devoto animo perceperunt verbum Dei, idcirco divinitus eis data est gratia, ut in tribulatione Pauli et Sylæ quam supra memoravi, non scandalizarentur, sed de spe promissa gauderent, et se passionibus eorum probatos ostenderent. Et hoc est in multo experimento nostræ vel etiam suæ tribulationis, abundantia gaudii interni ipsorum quod de spe cœlestium præmiorum conceperant, non minorata est, sed abundavit. *Et altissima paupertas eorum abundavit in divitias.* Quasi dicat. In tribulationibus quas patiendo experti sunt et etiam de bonis suis pauperibus Christi copiose largiti sunt. Quia et altissima, id est profundissima et humillima; vel altissima, id est nobilissima et præconiis extollenda paupertas eorum abundavit in divitias, id est major facta est dum tenderet divitias dare. Vel abundavit in divitias dandas, id est cum esset magna illis paupertas, abundanter tamen erogaverunt sanctis divitias. Quia cum tenues essent substantia facultatum, animus ipsorum dives inventus est in ministerio sanctorum. Divitias dico, *simplicitatis eorum*, quia simplici intentione ex eo quod habebant, erogaverunt, non ut hominibus, sed ut soli Deo placerent. Non enim duplici, sed simplici corde dederunt, qui non inde quæsierunt remunerationem ab hominibus et a Deo, sed tantum a Deo. Vere paupertas eorum abundavit in divitias, *quia secundum virtutem*, rerum suarum, *reddo illis*, inde *testimonium*, id est assero quia secundum quod vires eorum sufferre poterant erogaverunt et *etiam supra virtutem fuerunt* ad dandum *voluntarii*, quoniam

Digitized by Google

amplius volebant dare, quam eorum vires admittebant. Non enim coacti, sed voluntarii in hoc fuerunt etiam supra virtutem facultatum suarum, quia etiam de suis rebus necessariis, quibus vita illorum carere non poterat, obtulerunt nemine cogente. Ipsi dico *obsecrantes nos*, id est cum adjuratione sacrorum deprecantes ut de suis rebus facerent *gratiam*, id est gratuitam donationem *et communicationem*, id est ut sua bona non quasi propria sibi retinerent, sed quasi communia sanctis impenderent, quæ communicatio esset *ministerii quod fit in sanctos*, id est in hoc fierent bona eorum communia, ut ex his ministraretur in sustentationem sanctorum qui erant in Jerusalem. Tam simpliciter et devote obtulerunt quod ultra vires eorum erat, ut cum lacrymis deprecantes offerrent, ut vel sic cogerent accipi a se quod accipiendum non videbatur, quia plus erat quam poterat eorum substantia, ne forte eis postea egestas pœnitentiam boni operis suaderet. Sed quia tales se ostenderunt, ut puro animo jam præsentia, postponentes futuris promissionibus, confidentia Dei se confirmarent, accipi ab eis visum est, ne boni cordis gratia fructum amitteret. *Et non* egerunt, *sicut speravimus*, ut quasi pro redimendis culpis suis hoc darent, ut parceremus vitiis eorum, *sed dederunt Domino*, non solum res suas, *sed* et *semetipsos* quasi sacrificium immaculatum. Primum *Domino*, ut ei soli servirent, se devoverunt; *deinde et nobis* se dederunt, ut essent parati nobis in omnibus obedire; et hoc *per voluntatem Dei*, qui vult homines subdi vicariis suis, ut ipsi a nobis admoniti, operarentur singula mandata Domini juxta modum nostræ jussionis. Et idcirco ab his accipere debuimus quod offerebant, quia prius emendantes errores pristinos et vitæ ac morum vitia, ultra quam sperabamus Deo se voverunt. Visum est enim simpliciter illos hoc agere, ut non timeret cui offerebatur accipere, quia non utique hoc animo offerebant, ut redimentes præpositos suos muneribus sibi mulcerent, ut vitia eorum non arguerent, quia munera excæcant oculos sapientium, et pervertunt verba justorum. Dantes ergo se primum Deo dum emendant vitia, deinde nobis dum sanctis offerunt sumptus, contristari non debuerunt, qui pene antequam inciperent perfecti esse voluerunt. Horum igitur exemplo, libenter ea quæ cœpistis in ministerio sanctorum vos Corinthii debetis perficere. Ita enim instituerunt, et ita provocati sumus largitate eorum, *ut rogaremus Titum*, ut ad simile opus vos animaret, *ut quemadmodum cœpit* vos, postquam correcti estis, ad bene agendum informare, *ita perficiat in vobis etiam gratiam istam*, ut incitet vos ad dandum. Quoniam Titi affectum sincerum noverat Apostolus circa istos, necnon et hos obedientes ei, idcirco per ipsum etiam ad hoc opus exhortari illos facilius posse significat ut quomodo in cæteris rebus exhortationis suæ fructum in eis habuit, haberet etiam in hac gratia, ut ad ministerium sanctorum promptos eos faceret, ut quia jam vita emendabant, hujus largitatis fructum facerent.

« Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone « et scientia et omni sollicitudine, insuper et cha- « ritate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis; « non quasi imperans dico, sed per aliorum solli- « citudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum « comprobans. Scitis enim gratiam Domini nostri « Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus « est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites « essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis « utile est, qui non solum facere, sed et velle cœ- « pistis ab anno priore. Nunc vero et facto perfi- « cite, ut quemadmodum promptus est animus « voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habe- « tis. Si enim voluntas prompta est secundum id « quod habet, accepta est, non secundum id quod « non habet. »

Rogavimus Titum ut vos moneat ad gratiam largitatis. Sed et ego vos ad hanc moneo, ut in hac abundetis *sicut in omnibus* rebus *abundatis fide*, quia in omnibus recta fides jam vobis abundat; *et sermone*, id est gratia loquendi vel in una lingua vel in pluribus abundatis; *et scientia* Scripturarum, vel peritia quarumlibet rerum divinitus concessa. Sunt enim nonnulli qui satis abundant in sermone, sed tamen parum habent scientiæ: et sunt alii qui scientia abundant, sed eloquentiam sermonis non habent. Vobis autem concessit Deus abundanter utrumque, et sermonem scilicet et scientiam, et abundatis in *omni sollicitudine*, quia sufficienter in omnibus estis solliciti, in quibus vos oportet sollicitos esse. *Insuper* abundatis *et charitate in nos*, id est vestra charitas transit abundanter in nos, quia copiose nos diligitis. Et sicut jam in his virtutibus abundatis, ita suadeo *ut et in hac gratia* largitatis *abundetis*, quatenus de vestris rebus abundanter juxta modum possibilitatis vestræ sanctis impendatis. *Non quasi imperans* hoc vobis *dico* ne videar vos ad hoc invitos cogere, quos ad bene agendum spontaneos volo semper esse, et ne vos sitis transgressores imperii mei. Non quasi imperans, sed quasi consulens dico, ut sanctis necessaria mittatis, et *comprobans*, id est, probatum Deo et hominibus ostendere volens, *bonum ingenium vestræ charitatis per sollicitudinem aliorum*, id est per hoc quod pro aliis, id est pro sanctis estis solliciti, relevantes inopiam eorum, ut videamini non didicisse, sed naturaliter possidere misericordiam et largitatem. Ita volo comprobare vestram charitatem esse ingeniosam et prudentem, cum sine imperio meo susceperit pauperum Christi sollicitudinem, mittens eis unde relevent egestatem. Vel per sollicitudinem aliorum, id est Macedonum, quos refero vobis sollicitos esse de sustentatione sanctorum pauperum; volo comprobare etiam bonum ingenium vestræ charitatis, ut ostendam charitatem vestram habere bonum ingenium, cum sine jussu meo cœperit sua sponte facere ea quæ audit Macedones fecisse. Et

Digitized by Google

justum est ut in hac gratia abundetis, atque pauperibus temporalia bona largiter ministretis, quia vosipsi *scitis* quantam *gratiam* vobis Dei Filius contulit, quam misericorditer erga vos egit, qui pauper pro vobis temporaliter fieri voluit, ut vos permanentium divitiarum participes efficeremini. Hanc ejus gratiam scitis, quia *cum esset dives* in sua majestate *propter vos egenus factus est* in mundo, *ut vos illius inopia* divitiis spiritalibus repleremini. Si ergo ille, qui omnium Creator et Dominus est, pro vobis paupertatem sustinuit, cur vos pro ejus amore partem divitiarum vestrarum ejus membris indigentibus non tribuatis? Dives erat. Unde enim homines sunt divites? Auro, argento, familia, terra. Sed omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). Quid ergo illo ditius, per quem factæ sunt divitiæ, etiam illæ quæ non sunt veræ divitiæ? Per illum enim et illæ divitiæ, ingenium, memoria, vita, ipsius corporis sanitas, sensus, confirmatioque membrorum. Etenim cum hæc salva sunt, et pauperes divites sunt. Per illum et illæ majores divitiæ, fides, pietas, justitia, charitas, boni mores. Nemo enim et has habet, nisi per eum qui justificat impium. Ecce quam dives. Quis enim dives, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult et alium habentem? Puto quia ditior est, qui fecit quod habes, quia quod ille habet, tu non habes. Dives est, cum sit in forma Dei æqualis omnino Patri. Sed egenus propter nos factus est, quando semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philip.* II). Non autem dictum est, egenus factus est, cum dives fuisset; sed, *egenus factus est cum dives esset.* Paupertatem enim assumpsit, et divitias non amisit. Intus dives, foris pauper. Latens Deus in divitiis, apparens homo in paupertate. Quia ejus paupertate sumus ditati, quia in sanguine ejus peccatorum nostrorum consecissus est saccus. Per illum sanguinem abjecimus pannos iniquitatis, ut indueremur stolam immortalitatis. Ne ergo divitias expavescoremus, et ad eum accedere cum nostra mendicitate non auderemus, pauperem se exhibuit, id est Deus nasci dignatus est homo, virtutem suæ potestatis humilians, ut hominibus divitias suæ divinitatis acquireret, et eos consortes divinæ naturæ faceret. Qui tamen in divinitatis suæ divitiis nobis invisibilis permanens, miris nos poterat virtutibus ditare; sed ut ad internas divitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus. Quia videlicet minus nos amasset, nisi et paupertatem nostram susciperet; nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod a nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. Et hoc est quod nunc Apostolus, ut ad largitatis gratiam viscera nostræ compassionis accenderet, ait: *Propter vos egenus factus est cum dives esset.* Et his verbis hortatur auditores ut largiendo quasi pauperes fiant, ut prosit paupertas eorum, sicut Christi paupertas nobis profuit. *Et in hoc*, inquit, id est in consideratione tanti beneficii Dei, *do*, vobis *consilium*, ut scilicet ad similitudinem Christi paupertatem subire non recusetis, ut a sanctis paupertatem effugetis.

Hoc enim vobis est utile, ut per imitationem paupertatis Christi tendatis ad divitias ejus. Hoc vobis est utile, quia magis prodest facientibus quam accipientibus. Utile est vobis, *qui jam cœpistis hoc non sòlum facere, sed etiam velle ab anno priore*, id est præterito, vel a priore anno vestræ conversationis usque nunc. Facile quippe est in bono opere obedire etiam nolentem, sed hæc magna in vobis virtus exstitit, qui hoc bonum quod vobis nunc suadeo, et ante voluistis. Sed *nunc* etiam id *facto perficite* quod jam voluntate fecistis, ut non solum velitis in corde, sed etiam compleatis in opere. Ita facto peragite, quod voluntate jamdudum cœpistis agere, *ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita* promptus *sit et* animus *perficiendi*, id est sicut promptus est animus vester ad volendum, ita promptus sit et ad perficiendum *ex eo*, id est secundum id *quod habetis*, sive plus, sive minus, ut unusquisque tantum det quantum potest, quoniam voluntas retinens quod dare posset, infructuosa est. Idcirco vobis suadeo dare ex eo quod habetis, quia *si voluntas est prompta* et parata dare, *secundum id quod habet, accepta est* Deo secundum illud quod ita tribuit, *non secundum id quod non habet.* Ac si aperte dicatur: Ne putetis me ab aliquo supra vires exigere, aut tantum a paupere quantum a divite expetere. Omnes enim æqualiter dant, si unusquisque ex tanto dat quantum habet. Quia enim Corinthii ad hoc opus ministerii provocantur, hoc eis indicitur, ut non plus tribuant quam possunt; ne forte plus offerentes, coacti, non voluntarii, viderentur sine mercede facturi, quia qui coactus aliquid facit, mercedem non habet. Et ideo dicitur eis, quia si voluntas est prompta dando secundum id quod habet, accepta est Deo, non secundum id quod non habet. Ille enim dat ex eo quod habet, qui sibi necessaria retinet, et cætera quibus carere potest, largitur pauperibus. Qui vero de his tribuit quæ suo usui necessaria sunt, ille dat secundum id quod non habet, id est ultra vires suas, quoniam illa quibus indiget, quasi non habet, quia carere non potest, et idcirco ad dandum illa non habet. Propter quod nunc dicitur Corinthiis qui tenaces sunt, quia voluntas quæ sua sponte tribuit secundum id quod habet, ut sibi scilicet necessaria retineat, placens est Deo: non illa quæ coacta tribuit secundum id quod non habet, id est quod sine murmuratione ferre non potest. Non enim intelligendum est, non esse Deo acceptum si quis devoto corde obtulerit etiam ultra suum posse, cum Macedones inde multum sint laudati, quoniam supra virtutem fuerunt ad dandum voluntarii. Illi enim non indiguerunt admonitione ut Corinthii, sed ultro obtulerunt cum precibus, ut probarent se tota voluntate hoc facere, ut plus offerrent quam poterant. Ideoque fuit acceptabile. Quanto enim amplius obtulerunt, tanto plus accepturi sunt. Corinthiis vero

Digitized by Google

tanquam adhuc infirmantibus parcitur, unde et subditur :

« Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem « tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore « vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut « et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supple- « mentum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : « Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non « minoravit (*Exod.* XVI). »

Jure dixi voluntatem esse acceptam, si prompta fuerit dare secundum id quod habet. *Non enim* suadeo vobis tantum dare, *ut aliis* quibus dederitis, *sit remissio*, id est inopiæ allevatio et relaxatio, sed *vobis tribulatio*, id est inopia nimia. Hæc procul dubio Apostolus condescendendo infirmis, ut præmisimus, intulit, quoniam quibusdam inopiam ferre non valentibus tolerabilius est minus tribuere, quam post largitatem suam ex inopiæ angustia murmurare; cum enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius ergo præparandus est animus patientiæ, et tunc aut multa aut cuncta sunt largienda ne dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, et præmissæ largitatis merces pereat, et adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Non hoc, inquit, suadeo ut alii otiose vivant de bonis vestris, et tribulatione famis vos cruciemini; sed ut ex æqualitate subveniatis illis *in præsenti tempore*, id est ut unusquisque quantum habet, ad tempus dividat cum sanctis, quia non plus exigitur quam sibi retinere debet, dicente Scriptura : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Levit.* XIX), » etc : « Qui habet duas tunicas, det non habenti (*Luc.* III). » Vel in præsenti tempore brevis hujus vitæ communicate illis vestras divitias, ut et ipsi in æterna vita communicent vobis suas. Et hoc est quod subditur : *vestra abundantia* carnalium bonorum suppleat, etsi non ex toto compleat illorum corporalem inopiam, qui omnia mundi deseruerunt, *ut illorum* spiritalis *abundantia, sit supplementum* spiritalis *vestræ inopiæ*. Hoc jubet Apostolus, ut quia juxta tempus sancti inopiam patiebantur, deserentes omnia mundi, et se solis divinis operibus mancipantes, ut orationi vel doctrinæ insistant ad profectum multorum, cæteri fideles qui negotiis vel artibus insistunt, aut paternas habent facultates, ministrent eorum inopiæ, ut iterum sancti illic ubi divites sunt, et isti inopes, id est in spiritualibus et æternis communicent eis, quasi vicem rependentes ministerio eorum. Nam cum pauci sint qui spiritalia dona percipiunt, et multi qui rebus temporalibus abundant, per hoc se divites virtutibus pauperum inserunt, quod eisdem sanctis pauperibus de suis divitiis solatia ministrent. *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*, ut videlicet sollicite perpendamus, quia et eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus; et qui abundantes aspicimus, si largiri negligimus, quandoque inopes erimus.

A Qui itaque nunc in hoc tempore subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod acceperit uberius reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives, ex eo quod pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non sit. Qui enim vivunt in sæculo, non habent merita ad vitam æternam sufficientia (*Matth.* V). Sed quia pauperes Christi, quorum est regnum cœlorum per eleemosynas, amicos et debitores sibi fecerunt, per merita eorum consequentur quod per se non merentur, *ut* tunc *fiat* utrorumque *æqualitas*, non quia non differant, sed quia omnes idem regnum habebunt, et unicuique sufficiet quod habebit. Vel æqualitas est ut, quia isti in hoc tempore ministrant sanctis, reddantur eis vices ab eis in futuro, quia debitores illi faciunt sanctos. Æqualitas ipsa est pax nostræ Jerusalem, ut opera misericordiæ corporalia jungantur operibus prædicationis spiritalibus, et fiat pax dando et accipiendo. Fiat æqualitas in regno, *sicut scriptum est* (*Exod.* XVI) in signo. *Qui multum* subaudi collegerat de manna, id est amplius quam gomor, *non abundavit*, id est non plus habuit quam gomor, *et qui modicum* collegerat, id est minus quam gomor, *non minoravit*, id est non minus habuit quam gomor. Quando enim ventum est ad epulas, omnes æqualiter habuerunt, hoc significante Deo, quia populus suus, qui per desertum hujus vitæ graditur ad terram promissionis æternæ, æqualitatem habiturus in convivio est supernæ refectionis, quia omnes Deum videbunt. Et qui multum hic laboravit, atque plurima merita congregavit, non plus quantum ad æternam vitam pertinet habebit, quam ille qui modicum bonæ operationis egit. Unde dicitur in Evangelio quia illi qui diversis horis ad vineæ culturam accesserunt, omnes pariter in vespera denarium acceperunt (*Matth.* XX). Tunc ergo fiet æqualitas, quia omnes habebunt vitæ æternæ æqualitatem. Omnes erunt in æqualitate, quia omnes erunt in æternitate. Non enim longior erit vita sanctorum pauperum, quam vita electorum sæcularium. Tamen sancti pauperes majorem habebunt in carne et anima gloriam et beatitudinem. Idcirco autem æquabuntur ita divites sanctis pauperibus in perceptione denarii vitæ perennis, quia nunc æquant sibi illos in divitiis suis non secundum paritatem, sed ut sustententur de rebus eorum sicut ipsi. Rex enim de toto suo regno non plus habet nisi victum et indumentum, quo carere præsens vita non potest. Et idcirco dives pauperem sibi æquat, si ei cibos et vestimenta præbeat, licet ipse plus retineat quam largitur. *Qui multum*, inquit, *habuit non abundavit*, quia scilicet quod plus habebat, dedit indigenti; *et qui modicum, non minoravit*, quia accepit ab illo, qui abundavit. Vult nos omnia communiter possidere, ut perfecti doctrinam non abscondant, et habentes substantiam, eis non denegent victum. Plus etiam in spe futuri sæculi habent sancti, quam hi qui in isto tempore videntur divi-

Digitized by Google

tes ; et tamen utrique, sicut dictum est, in illo sæculo æquabuntur, ut sicut istorum beneficio nunc sustentatur inopia sanctorum, ita et hi beneficio sanctorum tunc divites fiant. Non enim totos se dederunt Deo, ut hic pauperes, illis esset divites, ideo videntur illic esse pauperes. Sed ditabuntur sanctorum suffragio, quorum se virtutibus inseruerunt, dum eos ad bene agendum sustentarent, ministrando illis necessaria, quia « qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet (*Matth.* x). »

« Gratias autem ago Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias. Non solum autem, sed et ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hac gratia, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram, devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus (*Rom.* xii). Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse, nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, sive pro Tito, qui est socius meus et in vobis adjutor ; sive fratres nostri apostoli ecclesiarum, gloria Christi. Ostensionem ergo quæ est charitatis vestræ et nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in facie ecclesiarum Dei. »

Deus quia justus est, sciens Corinthios velle proficere, Titi affectum accendit erga eos, ut adimpleret exhortatione sua voluntatem illorum in opere bono, qui videns profectum illorum, lætatus est in eis. Et hoc est : Ego quidem, inquit, sollicite vos ad opus misericordiæ provoco, sed *gratias ago Deo, qui* per Spiritum sanctum *dedit in corde Titi eamdem sollicitudinem*, quam ego habeo pro vobis, ut non deficiatis, sed proficiatis in opere bono, quoniam non repugnavit, sed exhortationem nostram suscepit, qua exhortabamur eum ire ad vos incitandos. Exhortationem quidem nostram suscepit, voluntatem vero non per nos habuit, quia jam habebat. Et voluntate quidem propria sollicitus erat pro vobis, sed exhortatione nostra factus est sollicitior. Et cum ita sollicitior factus esset, profectus est ad vos sua voluntate, quam illi Deus inspiraverat. Vel suscepit exhortationem, id est suscepit hoc onus laboris, ut vos exhortaretur ad largitatem sustentationis sanctorum ; sed dum propter vestrum profectum esset factus *sollicitior*, *profectus est ad vos sua voluntate*, id est videns vos proficere circa bonos actus, sollicitior factus est erga curam vestræ salutis, ita ut voluntarius proficisceretur ad vos, qui prius etiam rogatus excusabat ire propter vitia vestra. Ipse quidem profectus est sponte. Sed nos *misimus etiam cum illo fratrem* illum egregium, *cujus laus est in Evangelio per omnes ecclesias*. Hoc de Luca intelligitur, qui laudem in Evangelio præ cæteris habet, quia ubicunque recitatur Evangelium, laudatur Lucas, qui tam eleganter illud scribere meruit. Sed *non solum* laudatur ubique de Evangelii descriptione, sed etiam *ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*, ut mecum pergat quocunque vado peregrinans ad prædicandum, et sit mihi comes et adjutor ubique *in hac gratia, quæ ministratur* a vobis, id est in hac largitione eleemosynarum facienda, cujus nos ministri sumus *ad Domini gloriam*, ut Dominus noster Jesus Christus inde glorificetur : *et ad voluntatem nostram*, qua volumus ut bene detis ; voluntatem dico, destinatam ad hujusmodi studium, et debitam ac divinitus præordinatam. Vel in hac spiritali gratia Novi Testamenti, quæ gentibus per Evangelium ministratur a nobis ad gloriam Domini, et ad complendam voluntatem nostram, qua volumus ut gentes salvæ fiant, quæ voluntas ad hoc destinata est. Lucam commendat Apostolus, quia hunc ignorabant Corinthii, ut scirent in quanta jam essent boni opinione, ad quos tales viri mittebantur, ut congauderent cum eis, augentes eos in fide operationis Dei, ad cujus gloriam sollicite hoc agebant, ut ipse agnosceretur in his. Nonnulli vero senserunt id et de Barnaba posse intelligi, quia et ipse ordinatus est comes peregrinationis Pauli (*Act.* xiii), quando cum eo missus est ad gentes, licet cum eo non perseveravit, Lucas autem perseveravit. Et constitutus est comes ejus in hac eleemosynarum gratia, quia hoc decreverunt apostoli, ut ipse et Barnabas prædicarent gentibus (*Act.* xv), sed tantum memores essent sanctorum pauperum qui erant in Judæa, ut quandiu fames illa duraret, mitterent eis victualia. Et Barnabæ laus erat in Evangelio, quod strenue prædicaverat per omnes Ecclesias, in quibus cum Paulo fuerat. Sed hoc dissonare videtur, ut hunc Paulus fratrem, et non potius apostolum vel socium nominet ; et quod hunc cum Tito quasi minorem misisse se dicat, et non potius Titum cum eo ; vel quod hunc Corinthiis quasi ignotum commendet, cum in priore epistola declaraverit hunc eis incognitum non esse, dicens : « Aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi (*I Cor.* ix) ? » id est stipendia sumendi. De Luca vero congrua sunt omnia, quia, etsi nunc apud nos Lucas major est Tito, apud animos tamen Corinthiorum minor erat, ideoque convenienter missus esse cum eo dicitur. Excellentiam vero Titi noverant Corinthii, quia ipse Corinthius erat. Misimus, inquit, cum Tito comitem nostræ peregrinationis, qui per omnes Ecclesias in Evangelio laudatur, *devitantes hoc, ne quis nos vituperet*, id est reprehendat *in hac* eleemosinarum *plenitudine*, quæ ministratur *a nobis*, id est quæ nostro ministerio fit. Nisi enim testes idoneos et boni testimonii secum Apostolus habuisset, infirmi vel infideles cum tantam largitionem tamque copiosam viderent, aliquid super Apostolo sinistre possent æstimare, ut putarent eum tanquam sibi accipere et

Digitized by Google

in suos convertere ea quæ accipiebat ad supplendas necessitates sanctorum, per se offerenda vel distribuenda indigentibus. Sed ut omnem pravam suspicionem a se removeret, multos idoneos adhibuit testes in hac gratia plenarie pauperibus ministranda. Ideo, inquit, devitamus vituperium, quia *providemus bona*, id est providemus ut ea quæ facimus, sint bona *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Coram Deo sufficit nobis bona conscientia, sed coram hominibus necessaria est bona fama. Propter nos enim conscientia nostra sufficit nobis, sed propter homines fama nostra non pollui, sed pollere debet in eis. Qui enim fidens conscientiæ, negligit famam suam, crudelis est, quoniam salutem proximorum spernit. Vel ideo se dixit Apostolus devitare, ne quis eum vituperaret in hac plenitudine doctrinæ ac miraculorum, quia negligens circa curam sanctorum judicari posset, si segnius ea quæ illis erant necessaria, procuraret, quoniam illi et Barnabæ injunxerant priores apostoli, ut memores essent pauperum, sicut jam diximus (*Act.* xv). Ne ergo diceretur de eo : Bene quidem prædicat, et religiose vivit, sed non est memor sanctorum pauperum, ut sibi fuerat injunctum, cum ipse in omnibus esset invituperabilis, nec in hac parte indiligens judicari voluit, sed ad faciendam sanctis largitionem, credentes ex gentibus monuit, quatenus et hoc opere completo, in omnibus appareret ejus sollicitudo et providentia. Providemus enim, inquit, bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Providit bona coram Deo, dum quod jubet Deus circa ministerium sanctorum fieri doceret. Providit bona coram hominibus, dum tales ad hoc opus suadendum mitteret, qui non facerent eis scandalum, sed probitate sua provocarent eos, ne bona ejus doctrina per improvidos ministros in vituperationem caderet. Nec solum, inquit, duos istos misimus, sed etiam fratrem alium cum illis, quem quidam dicunt esse Apollo, sed incertum est. *Quem sæpe probavimus in multis sollicitum esse* de vestra salute, sed *nunc* experti sumus eum *multo sollicitiorem* pro vobis, cum audisset vos esse correctos, certus quia obedietis ad bene agendum. Sollicitior, inquam, factus est videndi et exhortandi ad ministerium sanctorum pro hac confidentia vestræ immutationis in melius ; *sive pro Tito*, qui de vobis ei multa retulit, qui non mentiretur, *qui est socius meus*, pergens mecum ubique ad prædicandum ; *et in vobis* est *adjutor* meus, id est in vestra conversione et correctione. Ipse est adjutor meus in vobis, *sive* cæteri *fratres nostri*, quos ad vos direxi, qui sunt *apostoli*, id est fundatores *ecclesiarum*, *gloria Christi* quia in locis illis prædicaverunt Christum, ubi nunquam fuerat ; et ad gloriam construxerunt ecclesias ex his, quos ad fidem converterunt. Vel fratres nostri priores apostoli, qui cum Domino in carne fuerunt, sunt adjutores mei in vobis ; sive quia nonnunquam per vos transierunt, et vobis aliquid melioralionis contulerunt, sive quia

A suæ prædicationis fama ac vitæ vobis profuerunt. Et quandoquidem tales misimus viros ad vos, ergo suscipite eos cum honore et dilectione sicut oportet. Scilicet *ostendite* nunc *in illos ostensionem vestræ charitatis*, id est charitatem quam ostendere consuevistis honorifice suscipiendo cæteros fratres, nunc ostendite suscipiendo istos accuratius, ut bona quæ de vobis audierunt probent esse vera. Et ostensionem *gloriæ nostræ pro vobis*, id est opera charitatis, quæ similiter ostendere soletis in susceptione fratrum, unde et nos gloriamur pro vobis apud alias Ecclesias, nunc *ostendite in istos*, reverentius et devotius eos susciplendo. Et hoc facite *in facie* et in conspectu *Ecclesiarum*, ut cæteræ Ecclesiæ cognoscant vera esse bona quæ de vobis audierunt, et ac-
B cipiant a vobis bonum exemplum.

CAPUT IX.

« Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex « abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim « promptum animum vestrum, pro quo de vobis « glorior apud Macedones. Quoniam et Achaia pa- « rata est ab anno præterito, et vestra æmulatio « provocavit plurimos. Misimus autem fratres, ut, ne « quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, « ut, quemadmodum dixi, parati sitis, ne, cum venc- « rint Macedones mecum, et invenerint vos impa- « ratos, erubescamus nos, ut non dicamus vos « in hac substantia. Necessarium ergo existimavi « rogare fratres ut præveniant ad vos, et præpa-
C « rent repromissam benedictionem hanc paratam « esse sic quasi benedictionem, non quasi avari- « tiam. »

De receptione justorum vos admoneo, *nam de ministerio quod fit in sanctos*, non necesse est ut vos admoneam. De illo enim ministerio *est mihi ex abundanti*, id est ex superfluo *scribere vobis*. Superfluum est enim, si commoneas eum, quem scis facturum. Sed tamen ut diligentiam meam ostendam, et vos promptiores faciam, non est otiosum si scribo, ut sciatis magna vos diligentia debere peragere quod frequenter vobis intimatur. Ideo autem videtur superfluum ut vobis de hac re scribam, quia *scio animum vestrum* ad hanc largitionem faciendam esse *promptum*, *pro quo* animo vestro ad hanc gratiam
D devoto *glorior apud Macedonas;* videte ne frustra. Solet enim se meliorem præbere ille, de quo bene sentitur ab alio. Idcirco *de vobis* glorior, *quoniam* non solum Corinthus, quæ est metropolis civitas, sed etiam universa *Achaia* quæ est magna regio, *parata est ab anno præterito* dare quod sanctis mittatur, *et vestra æmulatio*, id est fervor imitandi vos *provocavit plurimos* ad hoc pietatis opus. Cæterum enim Ecclesiæ dum audiunt Corinthios prius multis erroribus fuisse implicatos, postea vero correctos et misericordiæ operibus intentos, æmulatione eorum incitatæ sunt ad bonum opus, quasi cogitantes apud se et dicentes, quia si hi qui post acceptam fidem male conversati fuerant, hanc cœperunt habere voluntatem, cur non magis illi, in quibus hæc vitia

Digitized by Google

non sunt reperta? Ego quidem, inquit, glorior in splendore animi vestri, qui promptus est ad largiendum, sed *misimus fratres*, non *ut* vos ad hoc exhortarentur, ad quod ex animo parati estis; sed ut vos faciant memores, ne circa votum et promissionem existatis negligentes. Et hoc est, animus quidem vester promptus est, sed misimus prædictos fratres ad vos, *ut sitis parati* ad proferendum quod dederitis, *ne* si imparati fueritis, *evacuetur* in hac parte totum quod gloriamur de vobis. Misimus, inquam, illos, *ut*, *quemadmodum dixi* illis vos esse paratos, *sitis parati* vel quemadmodum dixi vobis, sitis parati; sive quemadmodum dixi Macedonibus, *ne* forte, *cum venerint mecum Macedones*, et invenerint vos imparatos, *erubescamus nos in hac substantia*, id est in hac re possessa, in hac divitiarum substantia, quæ pauperes sustentare debuit. Dixi ne erubescamus nos qui de vobis gloriabamur, *ut non dicamus* vos erubescere, id est ut vestram erubescentiam taceamus, Vester enim pudor erit maximus in nostra verecundia, si inventa fuerit impræparatio vestra. Nam si hoc inventum non fuerit, quod testificatus sum de vobis, et ego erubescam in vobis, qui substantiam sanctis promissam non reddidistis; et vos amplius confundemini, qui nec propterea quod testis vobis fui, studuistis agere, ut me dixisse verum de vobis probaretis, ne *ergo* contingat ut et vos et nos graviter erubescamus, *necessarium existimavi rogare* prædictos *fratres*, *ut* me *præveniant* euntes *ad vos*, *et præparent* interim *benedictionem*, id est largam et charitativam donationem; benedictionem dico, *repromissam*, quia jam promisistis et repromisistis eam; et præparando faciant *hanc esse paratam* in adventu nostro, *sic quasi benedictionem*, id est quasi opus charitatis, *non quasi avaritiam*, id est non quasi strictam dationem, de qua doleat qui dederit. Avaritia enim vocatur datio, quæ fit tenaci et parco ac tristi animo; benedictio autem, quæ fit largo et alacri animo. Tractum est hoc vocabulum a patriarchis, qui benedictione sua filios suos omnium fertilitate bonorum replebant, ut Isaac benedicens Jacob et Esau, et ut Jacob benedicens Ephraim et Manassen (*Gen.* XXVII, XLVIII).

« Hoc autem dico : qui parce seminat, parce et « metet; et qui seminat in benedictionibus, de bene- « dictionibus et metet. »

Hoc loco ad magna largiendi studia mentes audientium accendit Apostolus, ne qui multa dare potest pauca largiatur. Fratres, inquit, præcesserunt me ut præparent dationem vestram, sed ego cur large detis præscribo, quia *hoc dico* vobis, quod *qui parce seminat*, id est avare tribuit, *parce* etiam *metet*, id est parum in futuro sæculo recipiet. Parcus enim est avarus, cui extorquetur quod dat, dum compellitur tribuere vel propter verecundiam, vel propter longam multorum admonitionem. Huic parva messis est, quia parco animo dedit, licet magna videatur dedisse. E contrario vidua quæ in gazophylacium misit duo minuta est laudata misisse plus quam omnes divites (*Marc.* XII; *Luc.* XXI), quia largo animo totum quod habebat misit, cum cæteri parco animo mitterent, et multo majora quam mittebant, sibi retinerent. Et ideo parce seminabant, quamvis multa seminare viderentur, quia tantum seminare nolebant, quantum poterant. Dare enim non est amittere, sed seminare; ad tempus carere, ut postmodum multiplicius habeatur. Sed qui parce seminat, id est qui non vult large tribuere cum possit, parce et metet, id est exiguum remunerationis colliget, quia sicut ipse nunc est parcus ad tribuendum, ita et Deus erit parcus ad retribuendum, *et qui seminat in benedictionibus*, id est qui tribuit voluntate bona sub spe futuræ remunerationis, hic *metet de benedictionibus*, quando cum cæteris eleemosynariis audiet : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quia esurivi, et dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV). » Seminat enim in benedictionibus, ubi plus pensatur affectus quam census, id est qui pro posse suo bona large tribuit in benevolis affectionibus, et idcirco de benedictionibus Dei metet fructum vitæ perennis.

« Unusquisque prout destinavit in corde suo, non « ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim da- « torem diligit Deus (*Eccli.* XXXV). »

Et quia de benedictionibus supernis metet, qui nunc in benedictionibus bonæ voluntatis seminat, id est læto et largo animo dat, sive parum, sive multum sit illud quod dat, ideo *unusquisque* det *prout destinavit in corde suo*, id est sicut deliberavit et præordinavit in consilio suæ rationis et voluntatis, ut quidquid in corde suo disposuit se daturum, det; et eo devotionis affectu quo proposuit det; scilicet *non ex tristitia aut ex necessitate*, id est non invitus aut coactus. Eleemosyna enim plerumque fit a tristibus et murmurantibus ut careant tædio interpellantis, non ut viscera reficiant indigentis; sed non est acceptabilis Deo talis datio. Et ideo non ex tristitia, sed ex lætitia cordis, est dandum quod datur quia ex his qui tribuunt, hunc eligit Deus, ut ei retribuat, qui devoto animo tribuit, quasi thesaurizans apud Deum. Sunt enim nonnulli qui multum rogati ab aliquibus, tædio precis sibi factæ ad dandum compelluntur importunitate postulationis assiduæ; et sic dant tristes et inviti, non ex affectu dilectionis aut piæ compassionis (*Luc.* XVIII). Nonnulli sunt etiam, qui licet non sint tristes vel reactione dolentes, tamen quando largiuntur, faciunt ex necessitate; sive quia omnes alii dant, sive quia multi ut largiantur, admonent; et cum sic honestate sua non possint non dare, quadam necessitate ad dandum coguntur. Sed quisquis dationem suam Deo vult esse gratam, non det ex tristitia vel ex necessitate, sed ex lætitia et ex voluntate, quia *hilarem datorem diligit Deus*, id est illum qui per charitatem lætus et hilaris ac serenus spe supernæ retributionis tribuit.

« Potens est autem Deus omnem gratiam abun- « dare facere in vobis, ut in omnibus semper om-

Digitized by Google

« nem sufficientiam habentes, abundetis in omne « opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit « pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæ- « culi (*Psal.* cxi). »

Ego quidem vos admoneo ad hanc largitatis gratiam, sed Deus potens est facere in vobis quod admoneo. Ego enim verba exhortationis edere possum, sed ille mentes vestras in melius promovere potest, quia ego quidem plantare et rigare possum, ille autem dare sufficit incrementum (*I Cor.* III). Et ideo potentiam ejus adesse vobis exopto, ut sicut in emendatione vitiorum et veritate doctrinæ corda vestra tetigit, ita et in gratia largitatis faveat cœptis vestris. Ipse est enim potens facere ubertim *abundare in vobis* non solum istam, sed et *omnem gratiam*, ita *ut in omnibus* rebus *semper habentes omnem sufficientiam*, id est non indigentes aliquando his quæ ad salutem necessaria sunt, *abundetis in omne opus bonum*, id est in largitione sicut in cæteris. Si enim solam vobis sufficientiam elegeritis, poteritis in Dei opere abundare, quia illud vobis retinendo quod sufficit, cætera in usus pauperum expendetis, et hoc erit abundare in opere bono. Licet enim exigui hominis parvum sit munus, abundat tamen, quia bono animo fit. Exteriora enim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt. Cor namque et non substantiam pensat nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Qui enim plus habet, plus offerre debet. Ita potest Deum omnem gratiam facere in vobis abundare, ut sine damno vestro aliis beneficia largientes, abundetis tendentes per largitatem in omne opus bonum, *sicut scriptum est*, id est ut neque si in vobis avaritia, neque prodigalitas, sed bona vestra diffuse et rationabiliter detis cum bona intentione, non pro temporali commodo, sed pro æterna remuneratione, sicut justum virum fecisse dicit Scriptura (*Psal.* III) : *Dispersit*, id est non uni omnia tribuit, sed diverso modo his et illis sparsit, ut pluribus proficeret, et unicuique juxta quod decebat. Per hoc avaritia removetur. *Et dedit* non indiscrete omnibus, neque divitibus aut histrionibus, sed cum ratione et discretione solis *pauperibus*, qui in hoc sæculo non possent ei reddere. Per hoc removetur vitium avaritiæ contrarium, id est prodigalitas, et etiam appetitio temporalis retributionis. Et ideo *justitia ejus*, id est justum opus misericordiæ ejus *manet in sæculum sæculi*, id est in æternum, quia ex eo quod temporaliter juste egit, æternam habet justitiam et vitam. Justus enim est, qui bona mundi communia reputat, qui sciens Deum omnia communiter omnibus dare, quia solem suum oriri facit omnibus et pluit omnibus, et terram dedit omnibus (*Matth.* v); idcirco dividit cum his qui copiam terræ non habent, ne beneficiis Dei privati videantur. Et quia sibi soli non detinet quoddam a Deo scit omnibus datum, sed credit esse justum ut habens det non habenti, idcirco justitia ejus manet in æternum quia in futuro sæculo hanc secum habebit in perA petuum. Et si hujus, qui pauperibus dedit, justitia manet in æternum, quanto magis ejus qui ministravit sanctis? Pauperes enim dici possunt, qui publice egeni sunt. Sancti autem discernuntur ab his, quia ipsi sunt servi Dei insistentes orationibus ac jejuniis, et puram vitam ducentes.

« Qui autem administrat semen seminanti, et pa- « nem ad manducandum præstabit, et multiplicabit « semen vestrum, et augebit incrementa frugum « justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati, abun- « detis in omnem simplicitatem, quæ operatur per « nos gratiarum actionem Deo. »

Vos debetis alacriter ministrare sanctis ob spem supernæ retributionis. Sed et in hac vita penuriam non timeatis quia Deus *qui administrat semen seminanti, præstabit* ei etiam *panem ad manducandum* interim, donec ex illo semine frugem colligat, *et multiplicabit semen vestrum*, quod in terram misistis, ut inde copiosa messis exsurgat, unde plures eleemosynas facere possitis. Omnia Dei sunt, et semina et nascentia, et Dei nutu crescunt et multiplicantur ad usus hominum. Deus ergo qui hæc dat, et ipse jubet de his dari illis qui indigent. Ac per hoc qui dat juxta voluntatem Dei, augetur ei divinitus, ut habeat unde adhuc amplius largiatur. Vult enim Deus ut fideles qui habent hujus mundi substantiam, ministrent necessitatibus sanctorum, ut nihil illis desit, qui celsiorem sanctitatis gradum in ecclesia tenere voluerunt, ut spei sæcularis vincula cuncta præcederent, et animum liberum divinæ militiæ dedicarent; et quisquis eis bene ministraverit, amplificetur illi semper unde largius ministrare possit. Deus itaque qui administrat semen seminanti, unde in futuro anno vivat et eleemosynas faciat, præstabit interim et panem, id est subsidium vitæ præsentis, non ad superfluitatem, sed ad manducandum, id est ad necessarium usum. Et ne sitis solliciti de tempore futuro, quia ipse propter alimenta præsentia quæ vobis largietur, non dimittet quin semen vestrum multiplicet, et fruges crescere faciat, ut semper magis ac magis dare sufficiatis, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, id est multo abundatiora incrementa dabit frugibus, quas promeretur justitia vestra. Justitia enim est, ut quia Deus dat retribuat ex eo et homo illi cui deest. Et quia vos hujusmodi justitiam servastis, ut, sicut Deus vobis non habentibus tribuit, ita et vos aliis qui non habent tribuatis, idcirco divinitus augentur incrementa frugum vestrarum, *ut in omnibus* necessariis *locupletati* rebus. *abundetis in omnem simplicitatem* id est in omnem largitionem non duplici, sed simplici animo factam. Qui enim bene et simpliciter sanctis ministrat, amplificatur ei nutu divino, ut habeat unde semper largiri possit, et in præsenti locupletatus, et in futuro sæculo. Semel enim seminans bis metet, id est ex una operatione bona hic et in futuro retributionem percipiet. Ipse tamen non duplici intentione debet operari bonum, ut inde quærat et in isto et in alio sæculo remunerationem, ne computetur

Digitized by Google

in eis, de quibus dictum est: Receperunt mercedem suam (*Matth.* v); sed simplici corde solam in supernis retributionem appetat, licet Deus illi et in hoc sæculo retribuat. Potest semen intelligi, quidquid pro Deo datur. Et ipse qui administrat semen seminanti, id est qui dat eleemosynario rem quam pauperi tribuat, præstabit etiam panem ad manducandum, id est præbebit unde possit vivere. Et multiplicabit semen vestrum, id est multipliciter abundare faciet rem vestram, quam seminatis dando pauperibus, ut habeatis et quod largius seminetis, et unde vivatis. Et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, id est augmentabit eleemosynas vestras, pro quibus frugem æternæ retributionis accipiet justitia vestra. Justitia enim est observatio mandatorum Dei, et inde fruges, id est fructus æternæ remuneronationis proveniunt. Incrementa frugis hujus, sunt eleemosynæ, pro quarum merito et hic virtutes augentur, et in futuro gloria crescit. Vel incrementa cœlestium frugum vestrarum sunt affectiones dandi largius, et subveniendi indigentibus, quia quanto majori affectu piæ compassionis subvenit quis indigentiæ proximi, tanto majorem sibi frugem acquirit æternæ refectionis. Et Deus sic augebit semen vestrum et frugem, ut locupletati in omnibus corporalibus et spiritalibus rebus, abundetis, id est interius bona voluntate, et exterius bona operatione. Abundetis dico, tendentes in omnem simplicitatem, id est in hoc ut puro et simplici corde faciatis omnia, ut a solo Deo retributionem de omnibus quæratis, ut neque subjectionem a pauperibus, neque laudem ab hominibus desideretis, nec ullam in hac vita remunerationem, *quæ* simplicitas vestræ intentionis in opere bono *operatur per nos gratiarum actionem Deo*, id est facit nos agere gratias Deo, qui vobis inspiravit hanc voluntatem, ut ita simplici intentione faciatis in sanctos collationem, et cætera quæ pertinent ad animæ vestræ salutem. Vel per nos prædicatores et exhortatores operatur gratiarum actionem, id est agit ut illi qui beneficia suscipiunt, gratias agant Deo.

« Quoniam ministerium hujus officii non solum « supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat « per multas gratiarum actiones in Domino, per « probationem ministerii hujus, glorificantes Deum « in obedientia confessionis vestræ, in Evangelio « Christi, et simplicitate communicationis vestræ in « illos et in omnes, et in ipsorum obsecratione pro « vobis, desiderantium vos propter eminentem gra- « tiam, Dei in vobis. Gratias ago Deo super inenar- « rabili dono ejus. »

Idcirco pro vestra simplicitate, id est pro largitione simplici animo facta aguntur Deo gratiæ, quoniam multa bona continentur in ea. *Quoniam ministerium hujus officii*, id est ministratio quæ per officium nostrum a vobis exhibetur sanctis, *non solum supplet ea quæ desunt sanctis*, id est non solum repellit indigentiam sanctorum, qui non laborant, sed orationibus et divinæ contemplationi vacant, A *sed etiam* plus operatur, scilicet *abundat gratiarum actione* facta *per multos in Domino*, id est causa et incitamentum est multis ut agant gratias pro vobis in operatione Domini, quæ refulget in vobis. Hoc est dicere: Ministratio nostra quæ fit per dispensationem officii nostri, non solum necessarios sumptus exhibet sanctis, sed etiam in hoc abundat, ut non hi soli qui beneficio vestro sustentantur, sed et alii multi gratis pro vobis agant Deo, commendantes factum vestrum Domino, ut paucis tribuentes, a multorum obsecrationibus Deo commendemini. Per multos agantur pro vobis gratiæ, et hoc *per probationem ministerii*, id est per hoc quod experiuntur, sive laudant hanc ministrationem vestram. Multos dico *glorificantes Deum in obedientia confessionis* B *vestræ, in Evangelio Christi*. Probantes enim mentem vestram in hoc opere, glorificant in vobis Deum, cujus spe firmati, obedistis in Evangelio Christi; et quod ore confitemini, actione demonstratis. Inde glorificant Deum, quia vos obedistis facientes opera quæ exigit confessio Christianæ fidei, et hoc in Evangelio, id est in præceptis Evangelii Christi, et glorificant illum etiam *in simplicitate vestræ communicationis*, id est in eo quod non duplici, sed simplici spe facitis vestra bona communia *in illos* sanctos, qui sunt Hierosolymis, *et in omnes* alios quos videtis egentes. Glorificant etiam Deum *in obsecratione ipsorum pro vobis*, id est in eo quod ipsi quos sustentatis, obsecrant pro vobis. C Ipsorum dico, *desiderantium vos* videre in cœlesti regno, vel etiam in præsenti sæculo, ut gaudeant ex conspectu vestro. Quis enim non cupiat oculis videre necessitatibus suis propter Dei nomen subjectos? Ipsi vos desiderant videre, et hoc *propter gratiam Dei eminentem in vobis*, id est propterea quia Deus tam excellenter gratiam suam accumulavit in vobis, ut ita sanctis egentibus communicetis ob affectum piæ dilectionis. Et quia tot bona hinc et inde procedunt ex hoc ministerio, idcirco *gratias ago Deo super inenarrabili dono ejus*, id est de dono charitatis quod in vobis et in sanctis illis posuit, quod quantum sit et quam multiplex, vel quam honestum et quam justum et quam utile, nemo potest manifeste narrare. Tanta pinguedine sanctæ lætitiæ perfusus est Apostolus dum loqueretur de alterna indigentia, et de alterno supplemento indigentiæ provincialium Christi et militum Christi, hinc de rebus carnalibus in illos, inde autem de spiritalibus in istos, ut nunc in fine sermonis exclamaret, et tanquam sanctorum gaudiorum sagina eructaret, dicens: *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus*. Inenarrabile enim donum Dei est, quod incitat homines ad bene agendum, quando bona operantur propter spem eorum quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque cor hominis excogitavit (*I Cor.* II).

CAPUT X.

« Ipse autem ego Paulus obsecro vos per man- « suetudinem et modestiam Christi, qui in facie « quidem humilis sum inter vos, absens autem con-

Digitized by Google

« fido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens au-
« deam per eam confidentiam, qua existimor audere
« in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secun-
« dum carnem ambulemus. »

Ad incorrectos loquitur, qui pseudoapostolos sequebantur, et eum ferocem putabant, quia mordaciter in priore epistola vitiosos increpavit. Quasi dicat : Correctos ad eleemosynas invitavi, sed vos alios obsecro ego ipse idem vobis existens qui et illis, cum tamen vos sitis alii. Ego Paulus, id est *humilis* vel *mirabilis*, obsecro vos humiliter, ut mores vestros emendetis. Vel præmissi fratres hortati sunt ad ministerium sanctorum eos de vobis, qui correcti fuerant, sed nunc *ego Paulus ipse* non alius, *obsecro vos* obnixe qui corrigi debuistis, sed distulistis, ut ultra non differatis. Obsecro vos *per mansuetudinem Christi*, id est per eam mansuetudinem, qua Christus cum se posset vindicare, sustinuit injuriosos ut corrigeret eos, et per modestiam ejus, qua culpas eorum modesto pœnitentiæ flagello per baptismum delevit, dicente illis Petro : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II), etc. » Mansuetus erga nos fuit Christus, quando sine aliqua ultione per baptismum nobis peccata dimisit. Modestus fuit, quando, et si non absque ultione, non tamen immoderata, sed tolerabili et modesta tribulationum punitione, nos ad vitam perennem revocavit. Mansuetus est Christus. pie parcendo et tolerando; modestus est, moderata ultione puniendo. Et mansuetudo atque modestia Christi, cujus imitator sum, est causa cur non imperans, sed obsecrans vobis loquor, quia et lenis sum exemplo Christi ad parcendum, et modeste ad modificate puniendum severus, *qui in facie quidem*, id est in præsentia et visione corporis *sum inter vos humilis* et quasi contemptibilis, sed *absens confido in vobis*, id est confidenter per epistolam vos reprehendo. Et vos putatis quod tantum absens, id est in epistola confidentiam severitatis habeam, et non præsens facie. Sed rogo vos ne præsens audeam, id est rogo ut vosipsos corrigatis, ne, cum venero, audacter puniam *per eam confidentiam*, *qua* tantum putor absens confidere. Apostoli confidentia est fiducia sibi datæ potestatis a Christo, cujus vicarius est, ut vindicet eos qui sub nomine Christi agentes, non obaudiunt ut se corrigant, in quibus reprehenduntur. Et nunc absens obsecrat eos, ne præsens audeat in eos vindicare per hanc confidentiam, id est ne cum præsens fuerit, cogatur irasci propter vitia eorum, ut componentes se qui adhuc non emendaverant, molliant sibi rigorem ejus, ut moderatos eos inveniens, pressa severitate, lætetur in eis. Rogo, inquit, ne præsens audeam, id est ne cum præsens adero, propter vitia vos audacter (ut jus ecclesiasticæ correctionis exigit) feriam per eam confidentiam velut arrogantiæ, qua nonnullis *existimor audere in quosdam* incorrectos, dum peccantes punio, sicut cum qui fornicatus fuerat. Unde quidam vestrum putant me nimis audac. m per fiduciam arrogantiæ et dominationis, quia vel tales audeo punire. *Qui nos arbitrantur tanquam secundum carnem ambulemus*, id est tanquam secundum morem carnalium agamus. Vel arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus, non recipiendo spiritalia quæ dicimus; sic nos existimant quasi carnalia loquamur, quæ recipienda non sint. Ideo enim nos arbitrantur secundum carnem ambulare, id est carnali sensu prædicare, quia qui spernit spiritalia, putat illa esse carnalia.

« In carne enim ambulantes, non secundum car-
« nem militamus. Nam arma militiæ nostræ non
« carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem
« munitionum. Consilia destruentes et omnem alti-
« tudinem extollentem se adversus scientiam Dei,
« et in captivitatem redigentes omnem intellectum
« in obsequium Christi, et in promptu habentes ul-
« cisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit
« vestra obedientia. »

Ipsi nos arbitrantur, ut dixi, tanquam secundum carnem ambulemus. Et merito dixi tanquam, quia non re vera secundum carnem ambulamus, ut illi putant. *In carne enim ambulantes*, id est in corpore vitam præsentem ducentes, *non militamus secundum carnem*, id est non exercemus pro carnali commodo militiam a Deo nobis datam; nec carnaliter, sed spiritaliter militamus, licet in carne fragili degamus. Spiritaliter enim militat, qui spiritaliter vivit, quia contra spiritales nequitias pugnat. Secundum carnem vero militat, qui desideriis carnis obtemperat. Potest et ita intelligi, ut hi militare secundum carnem dicantur, qui Vetus Testamentum carnaliter intelligunt; qui vero sequuntur intelligentiam spiritalem, sint quidem in carne, quia eamdem habent litteram quam Judæi, sed non juxta carnem militent, a carne ad spiritum transcendentes. Non secundum carnem militamus. *Nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia*, *sed* spiritalia et *potentia Deo* regi nostro, cui militamus. Non enim materialem lanceam vel ensem bajulamus, sed potentius hostes nostros verbo dejicimus, quam alii carnalibus armis. Arma enim nostra sunt, sermo prædicationis, sapientia, miracula, charitas, et aliæ virtutes. Ideo arma, quia repugnant vitiis, et debellant regnum diaboli. Potentia Deo, ut per hæc valenter expugnemus inimicos ejus, et subjiciamus ei orbem universum. Sicut enim terrenus imperator per suos milites vindicat suum regnum, ita et Christus per nos defendit unius Dei professionem et disciplinam. Et arma nostra sunt ei potentia, *ad destructionem munitionum*, id est sæcularium doctrinarum et argumentorum vel astutiarum, quibus perversi homines corda sua muniunt et circumdant, ne sermo veritatis ad ea pertingere valeat, quoniam aries apostolicæ prædicationis munitiones hujusmodi valenter penetrat, et evertit virtute gratiæ spiritalis. Et nos, ut dictum est, Christo militamus, *destruentes consilia*, id est præmeditatas impiorum hominum, vel dæmonum calliditates. Consilium enim est faciendi vel non faciendi excogitata mentis ratio. Est etiam con-

Digitized by Google

silium, quod dat perversus ei quem sub specie consulendi seducit, dum quasi rationabiliter ostendit ei utile esse quod admonet. Unde dicitur, quia « beatus vir qui non abiit in consilio impiorum (*Psal.* 1). » Sed nos hujusmodi consilia destruimus, dum ad effectum ea pervenire non sinimus. Et destruimus *omnem* superbam *altitudinem* cordis, sive tyrannorum, sive sapientium sæculi, *extollentem se adversus scientiam Dei*, id est contra sensum evangelicæ veritatis. Nam et illi qui in sublimitate sæcularium dignitatum erant positi, et illi qui celsitudinem mundanæ sapientiæ erant assecuti, extollebant se superbo fastu, repugnantes adversus humilem scientiam divinæ prædicationis, sed jam dejecta est extollentia talium, et scientia veritatis subjecit sibi mundum. Dæmones etiam se extollebant, dum in idolis colerentur, adversus scientiam unius Dei; necnon et hæretici adversus scientiam catholicæ veritatis, sed destructi sunt apostolicis machinis. Et etiam sumus *redigentes in captivitatem omnem intellectum*, id est captum nostris rationibus astringimus omnem intellectum perversæ doctrinæ, et captivum ducimus eum usque *in obsequium Christi*. Captivat enim intellectum, qui contradicentem ratione vincit, et ad fidem Christi, cui prius repugnaverat, humilem ac mansuetum inducit. Et sumus etiam *habentes in promptu*, id est in manifesto et veloci effectu, quia nihil nos remordet quo minus audeamus, *ulcisci omnem inobedientiam*, id est punire culpas eorum, qui nobis obedire noluerunt ut se corrigerent. Quod faciemus, *cum impleta fuerit vestra obedientia*, id est cum vos reliqui omnes ex dilectione fueritis in omnibus obedientes.

« Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis « confidit sibi Christe se esse, hoc cogitet iterum « apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et nos. « Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem et non in destructionem vestram, non « erubescam. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas, quoniam quidem epistolæ, « inquiunt, graves sunt et fortes, præsentia autem « corporis infirma et sermo contemptibilis, hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo « per epistolas absentes, tales et præsentes in « facto. »

Nunc vult eos quæ palam sunt considerare, id est ea quæ dicturus est, quæ sunt aperta dijudicare, velut si dicat : Si vobis non sufficiunt ea quæ dixi, pro quibus me potius quam pseudoapostolos sequi debeatis, quia forsitan ea non satis patenter intellexistis, *videte* hæc quæ subjungo, *quæ sunt secundum faciem* ita evidentia, sicut ea quæ sunt oculis subjecta. Hæc scilicet *si quis confidit*, etc. Vel ita : Videte ea quæ sunt secundum faciem, id est considerate diligenter opera eorum, qui tantummodo coram oculis hominum facere bona student, ne forte vos per hæc seducant. Ista videte, id est intelligite, quæ nunc subjicio, quia sunt secundum faciem, id est cunctis perspicua, scilicet *Si quis confidit sibi se esse Christi*, id est si quis merito bonæ vitæ sibi certus est quod ipse sit Christi, id est de electis Christi, qui sunt ejus possessio, *hoc cogitet iterum apud se*, id est apud subtilitatem suæ rationis, ut vim rationis non excedat, nec propter honorem suum, nec propter odium nostrum, *quia sicut ipse Christi est* per quæcunque Christi bona, ita et nos per eadem bona sumus Christi. Illis loquitur, quorum tangit superbiam, qui de seipsis præsumentes inflationem animi, minus quam dignum erat de Apostolo sentiebant, quasi non egerent præceptis ejus. Quos admonet, ut si de se confiderent quia erant servi Christi, non utique deberent de Apostolo dubitare, sed etiam de eo vel similiter sentire, cum utique magis præferre sibi deberent magistrum. Sed ipse nunc humilitatem illos in se docet, æquans se illis, cum esset vas electionis et doctor gentium. Hoc ergo vult illos considerare, quod utique clara luce videtur, quia cum de Apostolo nemo credentium non plus æstimaret quam de se, quanto magis nemo minus quam de se debeat æstimare. Hos itaque contestatur ac docet, ne elatione mentis meritum bonæ vitæ perdant, quia qui scit se aliquid esse, humiliat se ut major fiat. Recte dixi nos esse Christi, ut ille dicitur qui se nobis præfert. Nam etiam excellentius sumus nos Christi per potestatem quam præsumptor ille non habet. Et hoc est : *Nam, et si amplius*, etc., id est si me potestatem a Deo accepisse dixero, verum me apostolum prædicando, non erubescam, quia verum dicam, non gloria elatus, sed vestræ ædificationis causa compulsus. Pseudo autem usurpatam in destructionem vestram volunt exercere potestatem. *Non erubescam si amplius aliquid* quam illi *gloriatus fuero de potestate* nostri apostolatus, *quam nobis* non illis *Dominus dedit in ædificationem, et non in destructionem* vestram, id est ut vos in virtutibus ædificemus, non ut tyrannidem exercendo vos destruamus, vel exemplo malo sive prava doctrina subvertamus, ut pseudo faciunt. Hæc dicendo, significat quia superius se humiliavit ipsis se comparando, cum si se erexerit non erubescat, quia potestatem prædicandi et absolvendi accepit a Christo, ut salvet, non ut perdat obaudientes; et ut religiosos mores eorum ædificet, non ut destruat. Sic et unusquisque prælatus Ecclesiæ potestatem divinitus accepit, ut subjectis prosit, non ut eis noceat. Si ergo iste qui a Domino missus est, inclinat se inferioribus et comparat, quanto magis illi qui nullius erant testimonii comparare se non debebant, non dicam præferre, majoribus? Nos, inquit, habemus potestatem ædificandi vos et puniendi perversos. Sed *ut non existimer tanquam terrere vos per epistolas*, dum alsens scribo, quia incorrectis non parcam cum præsens fuero, quasi qui non audeam implere quod minatus sum, *hoc cogitet*, id est hoc sciat, *qui ejusmodi est*, id est qui ita de me opinatur, *quia quales*, id est quam aperti *sumus in verbo per epistolas* dum sumus *absentes*, ta-

Digitized by Google

les erimus *et præsentes in facto*, id est in exhibitione correptionis peccantium. Hoc dicit occasione præmissæ sententiæ, qua dixerat se habere in promptu ulcisci omnem inobedientiam. *Ut*, inquit, *non existimer*, etc. Ille potest videri per epistolas terrere, qui neque auctoritatis alicujus est, neque præsens fiduciam habet arguendi; absens autem ideo audet, quia præsens timet. Ut non existimer tanquam terrere vos per epistolas, quæ existimatio inde potest venire, quod quidam *inquiunt, quoniam epistolæ quidem graves*, id est ponderosæ ad intelligendum, *et fortes* ad terrendum, *sed præsentia corporis* ejus est *infirma*, non valens exercere severitatem, *et sermo* ejus *contemptibilis*, id est incompositus, et rusticanus: quisquis ejusmodi verbis mihi derogat, sciat quia quod per epistolas minamur, pei facta complebimus, quoniam a Domino potestatem accepimus, et ideo quod absentes minamur, præsentes implebimus. Cui autem non est data potestas, absens potest audere, præsens autem pudorem patitur et timorem. Sed ego non erubesco nec metuo dum corripio, quoniam fiducia potestatis hoc ago. Sciendum quia linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando autem etiam compescere eas debemus, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Unde nunc Apostolus derogantes sibi Corinthios rationibus compescit, ne malam de eo famam spargentes, nocerent aliis, qui doctrinam ejus audire poterant. Notandum etiam, quia ex eo quod dicunt, quoniam epistolæ graves sunt et fortes, nec dicunt, epistola gravis et fortis, ostendunt se jam duas epistolas ab Apostolo accepisse, præter istam de qua nunc tractamus, quam nondum viderant. Sequitur:

« Non enim audemus inserere aut comparare nos « quibusdam, qui seipsos commendant; sed ipsi in « nobis nosmetipsos metientes et comparantes nos- « metipsos nobis. Nos autem non in immensum « gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, qua « mensus est nobis Deus mensuram pertingendi « usque ad vos. Non enim quasi non pertingentes « ad vos, superextendimus nos. Usque ad vos enim « pervenimus in Evangelio Christi, non in immen- « sum gloriantes in alienis laboribus. Spem autem « habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magni- « ficari secundum regulam nostram, in abundan- « tia etiam in illa quæ ultra vos sunt evangelizare, « non in aliena regula, in his quæ præparata sunt « gloriari. »

Vere, inquit, tales sumus in facto, quales in verbo, quia non facimus nos similes pseudoapostolis, qui potestatem usurpant et vitia palpant. Et hoc est: Non *audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant*, id est non possumus de nobis majora jactare quam sumus, nec audemus ita Deum contemnere, ut similes simus quibusdam, qui se malunt suis laudibus quam Dei gratia commendare. Pseudo enim semetipsos commendabant, qui non accepta potestate dominari volebant, nomini suo vindicantes auctoritatem. Qui autem mittitur, non sibi, sed ei a quo mittitur, vindicat potestatem. Non audemus illis nos inserere qui non missi prædicant, id est non audemus nos in numero eorum ponere, ut gloriam nostram, sicut illi suam, quæramus, quia ad dominum revertemur a quo missi sumus, ut nihil ultra concessum præsumamus. Quidquid enim contra Deum fit, audacia est. Nec audemus nos illis comparare, id est similes vel pares illis facere, ne sicut illi, pereamus, id est propter timorem Dei non audemus (ut illi) vobis adulari, et vitiis vestris blandiri. Hæc non facimus, *sed ipsi in nobis* non extra, sumus *metientes nosmetipsos*, non aliud quam injunctum est usurpando; et sumus *comparantes nosmetipsos nobis*, quia secundum quod officium nostrum exigit facimus, dum nec plus, nec aliud dicimus vel monemus, quam facere possumus aut debemus. Quod illi non faciunt, contra quos nunc agitur, id est pseudo qui seipsos ultra quam oportet magnificare conantur. Sed *nos non gloriabimur in immensum*, id est non assumemus nobis auctoritatem ultra mensuram, sed secundum mensuram. Tanta se uti dicit potestate, quanta concessa est ab auctore, nec mensuram egredi. Idcirco non superba erit gloria, in qua non egreditur terminum datæ potestatis. Gloriam vero pro auctoritate posuit, qua utebatur in correptionibus, ut salvos eos faceret. Nec tamen se gloriari dicit in extollentia potestatis, sed ad ædificationem illorum. Corripiens enim constanter vitiosos, gloriabatur in emendatione illorum; et potestas data proficiebat saluti illorum, non elationi suæ. Duobus ergo modis non gloriabatur in immensum, id est et secundum datam sibi potestatem, et quia non ultra quam prædicatio ejus personabat, vindicabat sibi auctoritatem. In his enim auctoritatem debito sibi jure vindicabat, quos ipse per evangelium ad fidem converterat. Cæteris autem non tali fiducia loquebatur, quia erant in aliena regula, id est in parte alius evangelistæ. Non gloriabimur, id est potestatem non exercebimus in immensum, id est ultra modum nostræ mensuræ, *sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos*, id est juxta mensuram regiminis, quod Deus nobis dedit, ut ad vos regendos nostra potestas pertingeret. Nam monente Christo vobis evangelizavimus, et ita nos fecit usque ad vos pertingere. *Non enim superextendimus nos quasi non pertingentes* usque *ad vos*, id est non nos extendimus super alterius provinciam, dum in vobis jus potestatis vindicamus, quasi non pertingeret usque ad vos jus nostræ potestatis. Non enim hoc usurpatione facimus, sed præcepto; nec quasi non missi pervenimus ad vos in prædicatione, sed destinati Deo mittente ad vos. Superextendi autem est, ultra extendi quam conceditur, vel super episcopatum altius extendi. Sed non ultra quam oportet, nec

Digitized by Google

super aliorum provincias extendimur, quia super eos quos alii prædicatores ante nos in fide fundaverunt, non nobis jus debitæ potestatis arrogamus. Nam *usque ad vos pervenimus* id est dum ad diversas gentes prædicando tenderemus, pervenimus usque ad vos *in Evangelio*, id est in prædicatione Christi, et nomen ejus nos primi vobis annuntiavimus, *non gloriantes in immensum*, id est ultra mensuram *in alienis laboribus*, id est ubi alius fundamentum fidei posuisset. Ideo enim tam fiducialiter vobis loquimur, quia non labore alterius ad fidem estis adducti. Non ergo extra mensuram gloriamur, qui in labore nostro gloriamur. Sed pseudoapostoli in immensum gloriabantur in alienis laboribus, quia semper ad fideles ibant, qui signa minime requirebant, quæ illi facere nequibant. Ideo se superextendebant, id est super eos qui ab aliis ad fidem adducti fuerant, extendebant, et in eis dominium exercere volebant. Quia illam provinciam his Deus concesserat, cum singulas regiones sanctis prædicatoribus distribueret; et propterea vagabundi per omnes discurrebant, super tritici sationem zizania seminantes. Sed nos non gloriamur in immensum, id est ultra quam nobis Deus mensus est, quia non quærimus gloriam in locis ubi ante nos alii prædicatores laboraverunt; sed *habentes spem crescentis fidei vestræ*, id est sperantes per fidem vestram crescentem ac proficientem magnificari apud Deum *in vobis*, quia quanto fides vestra quam per nos didicistis, profecerit in virtutibus, tanto et nos apud Deum majus meritum habemus, sperantes dico, magnificari in vobis *secundum regulam nostram*, id est secundum normam rectæ vivendi et credendi, quam vobis tradidimus, parati sumus *evangelizare etiam in illa* loca *quæ ultra vos sunt*. Non enim sufficit nobis usque ad vos pervenisse, sed cum vestra fides creverit, transiemus *in abundantia* gratiæ Dei et miraculorum etiam ad illas gentes, quæ ultra vos sunt, Evangelium prædicare. Profectus enim vestræ fidei nos accendit, ut non simus pigri et alios adhuc ad fidem vocare, qui exemplo vestri possint in ea proficere. Vel etiam apud homines speramus in vobis magnificari, ut, dum vos ita proficere viderint, agnoscant esse veros apostolos, et libenter etiam ipsi doctrinam nostram excipiant. Et speramus ita magnificari secundum regulam, id est regimen nostrum sub quo bene proficitis. Non enim habemus spem gloriandi *in aliena regula*, id est in his qui sunt sub regula cujuslibet alterius apostoli. In abundantia etiam evangelizandi, non in paucis locis speramus evangelizare, etiam in illa loca transeuntes quæ sunt ultra vos. In abundantia, vel quia prædicatio hæc abundabit super prædicationem quam ad vos habuimus, vel quia cœlestium donorum abundantia erit in ea. Et evangelizabimus ibi, non in aliena regula, id est in alieno regimine, quia nec illi qui ultra vos sunt, de alieno regimine sunt. Speramus, inquam, illuc evangelizare, et non speramus in aliena regula *gloriari in his* virtutum incrementis, *quæ præparata sunt* ab aliis prædicatoribus. Manifestum est quia vir prudens non in his confidit, neque gloriam sperat, quæ aliorum laboribus constant. Ideo Apostolus non audet in hos qui aliis prædicantibus crediderunt, ne in alienis laboribus gloriari videatur; sed hoc nititur, ut eis prædicet quibus non erat annuntiatum, ut gloriam labore suo acquirat.

« Qui autem gloriatur, in Domino gloriatur « (*I Cor.* I; *Jer.* IX). Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. »

Significat Apostolus ipsam evangelizandi confidentiam et gloriam Domino esse dandam, cujus gratia est, ut qui in potestate evangelica confidit, Deo auctore confidat, ut quæstus omnis negotii divini Domini in lucrum veniat. Sed qui non accepit potestatem a Domino, non potest in Domino gloriari, quia suam gloriam quærit. Ego, inquit, non gloriabor in aliena regula. Similiter autem *qui gloriatur*, id est vult potestatem exercere, *in Domino gloriatur*, id est in mensura a Domino sibi data. Vel in Spem habeo gloriandi, non tamen in me, sed in Domino. Nam nullus in se debet gloriari. Sed quicunque de aliquo bono gloriatur, glorietur in Domino, id est omnem gloriam retorqueat et ascribat non sibi, sed Domino. Quidquid enim boni habemus vel agimus, hoc non a nobis, sed tantum a Domino habemus quod agimus. Ideo non in se, sed in Domino quisque debet gloriari, quia *qui seipsum commendat*, id est qui suam gloriam in prædicatione quærit, qui extra Dominum gloriatur, ille *non est probatus* a Deo vel ab hominibus, sed ille *quem Deus commendat* miraculis et gratia sanctæ conversationis. Illum Deus commendat, et ille probatus est, quem habet dignum et mittit ut prædicet donum ejus. Quem vero non mittit, illum non commendat. Ipse autem se commendat, qui non missus prædicat. Ac per hoc idoneus non est, sed præsumptor et reprobus.

CAPUT XI.

« Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ « meæ, sed et supportate me. Æmulor enim vos « Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne, « sicut serpens Evam seduxit astutia sua (*Gen.* III), « ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a « simplicitate quæ est in Christo Jesu. »

Incipiens vero de semetipso narrare, insipientem se dicit, quia ad laudem ejus videntur pertinere quæ dicturus est, et per Dei sapientiam dictum a Salomone fuerat : « Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (*Prov.* XXVII). » Sed hic dolore compellitur in laudem suam erumpere, propter salutem ipsorum qui cum de ejus præceptis bene sentire deberent, indigne sentiebant. Et hoc non Apostolo, sed ipsis nocebat. Ideoque profectum eorum quærit, et in eo quod quasi gloriantur loqui videtur : Glorior, inquit, de regimine, quod videtur insipientia. Sed *utinam sustineretis*, id est vellem ut sine indignatione sustineretis *modicum quid insipien-*

Digitized by Google

tiæ meæ, id est parum aliquid gloriationis meæ, quæ videtur insipientia. Modicum gloriationis meæ sustinete, quia multo plus possem gloriari. Opto ut hanc insipientiam meam vel in modico sustineatis, *sed et* præcipio ac quasi ex debito requiro, ut me supportetis in hac insipientia gloriationis, supportate, inquam, me ut subjecti, quia *æmulor vos*, id est casto amore inflammor ad custodiendam mentis nostræ castitatem ; et hoc facio non mea, sed *Dei æmulatione*, quia non mihi, sed Deo vos æmulor. Quæ locuturus est, amore eorum dicturum se ostendit, ut non magis ad laudem ejus proficiat, sed ad eorum profectum. Ac si dicat : Non stimulo livoris inflammor humani, sed vos tanquam pater æmulatione divina custodio, ut immaculatos possim conjungere cœlesti sponso. *Despondi enim vos*, id est annulo fidei vos desponsavi non multis, sed uni, non adultero, sed *viro virginem castam exhibere Christo*, id est ut vos omnes unam virginem incontaminatam assignem judici Christo. Omnis enim Ecclesia virgo est in mente. Virginitas enim mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas. Ergo et Ecclesia imitans Domini sui matrem, quoniam corpore non potuit, mente tamen et mater et virgo est. Nullo itaque modo virginitatem matris suæ nascendo Christus ademit, qui Ecclesiam suam de fornicatione dæmonum redimendo virginem fecit. Nunc desponsata est Ecclesia et virgo est, cum se continet a corruptione sæculari ; sed tunc nuptura est, quando Sponsus ejus in claritate veniet, et eam secum in regni thalamum perpetuo mansuram introducet. Ego, inquit, vos huic tam digno viro ita desponsavi, ut immaculatos ei vos in die judicii exhibeam. Sed timeo ne virginitas in vobis violetur, et ad amplexum Sponsi non perveniatis. Sicut enim membris corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. *Timeo ne, sicut* antiquus *serpens Evam seduxit astutia sua* (*Gen.* III), *ita corrumpantur* ab eodem serpente *vestri sensus*, id est vestræ mentes. Non enim carnis, sed cordis virginitatem serpens ille, id est diabolus corrumpere quærit. Et sicut adulter homo lætatur nequitia sua cum carnem corrumpit, sic diabolus lætatur quando mentem corrumpit. Revera enim corrumpitur mens et fides eorum qui præponunt mendacium veritati. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt nisi veritatem? Immittunt diabolum, excludunt Christum ; immittunt adulterum, excludunt Sponsum. Quando enim mentem falsitas possidet, tunc serpens eam possidet. Timeo ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, id est ne, sicut diabolus in serpente latens et per os ejus loquens, Evam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri ab eodem fallaci deceptore in falsis apostolis latente et per os eorum loquente, *et excidant a simplicitate quæ est in Christo Jesu*, id est corruant a paradiso simplicis fidei Christianæ, quæ nil alienum recipit, sed simplicem veritatem sine admistione falsitatis retinet. Serpens namque Evam mentiendo de Deo seduxit, dicens solo terrore Deum eis comminatum esse mortem, non illaturum si peccassent. Ita et pseudoapostoli dicebant, ideo præcepta Evangelii addita esse, ut vel sic lex custodiretur, et ea sola sufficeret custodita. Sed et nunc serpens similiter seduxit, gehennam propter solum terrorem asserens nominari ; eam autem aut non esse omnino aut non æternam esse confirmans. Adhuc mussitat ille serpens et non tacet. Quærit pollicitatione quadam scientiæ dejicere de paradiso Ecclesiæ, quem non permittat redire ad illum paradisum, unde primo ejectus est. Quod gestum est in illo paradiso, hoc geritur in Ecclesia. Nemo seducat nos ab isto paradiso. Sufficiat quod hinc lapsi sumus, vel experti corrigamur. Ipse est serpens qui semper suggerit iniquitatem, ipse aliquando promittit impunitatem, et, sicut ibi promisit, dicens : « Nequaquam morte moriemini (*ibid.*). » Ipse talia suggerit, ut modo male vivant Christiani. Nunquid omnes, inquit, perditurus est Deus? Nunquid omnes damnaturus est Deus? Et ita corrumpit sensus multorum, ac peccare facit, ut expellantur a sedibus istorum.

« Nam si is qui venit, alium Christum prædicat « quem non prædicavimus, aut alium Spiritum ac- « cipitis quem non accepistis, aut aliud Evangelium « quod non recepistis, recte pateremini. Existimo « enim nihil me minus fecisse a magnis apostolis. « Nam, etsi imperitus sermone, sed non scientia. In « omnibus autem manifestus sum vobis. »

Ideo dixi me timere ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et isti vos corrumpant, qui prædicant eamdem fidem quam nos, et per astutiam suam et seductionem veritati miscent venenum falsitatis. Si enim aliam fidem, et omnino aliud prædicarent quam nos prædicamus, non adeo vos decipere possent. Et hoc est : *Nam si is* prædicator *qui venit* et a Deo mittitur, prædicat, id est prædicaret *vobis alium Christum quem non prædicavimus*, id est meliorem ; aut per ejus doctrinam accipitis, id est acciperetis, *alium Spiritum* sanctiorem *quem non accepistis* per nos, *aut aliud Evangelium* reciperetis ab eo *quod non recepistis* a nobis, *recte pateremini* ejus dominationem ; possetis enim dicere, prædicatio hujus melior est quam Pauli. Nunc vero, cum eumdem Christum prædicet, et ex sua parte plura respuenda addat, pati non debetis. Vel ita Vere simplicitas est in Christo, non duplicitas, quia unus est Christus non duo Christi ; et unus Spiritus Christi, atque unum Evangelium. Nam si is doctor qui post nos venit ad vos, etc. Hoc de quolibet vero prædicatore nunc est intelligendum. Locutus enim fuerat de pseudoapostolis corruptoribus fidei, et nunc adjungit de veris prædicatoribus, quia plebs Corinthiorum variis erroribus fluctuabat, ut aliqui faverent pseudoapostolis, quidam autem eis a quibus compositis verbis eadem audiebant quæ ab Apostolo audierant ; alii vero apostolis favebant, qui cum Domino fuerant ; et Paulo derogabant, quia in carne Dominum secutus non fuerat. Unde nunc tali sensu loquitur ·

Digitized by Google

Si ipse idem Christus ab his prædicatur, quia a nobis annuntiatur, et idem Evangelium, quid causæ est ut nos inferiores habeamur, cum nihil amplius ab illis quam a nobis dicatur? Nam etsi prædicator qui venit ad vos, prædicaret vobis excellentiorem Christum quem non prædicavimus, quod fieri non potest; aut per eum acciperetis alium meliorem Spiritum, quem per nos non accepistis; vel aliud Evangelium, quod a nobis non recepistis, id est aliam de humana redemptione prædicationem, quod esse non potest, recte pateremini talem doctorem ad contemptum nostri. Sed quia hoc non est, non recte patimini illum ad depressionem nostri. Cur autem dicit, *recte pateremini*, si alius vobis Christus prædicatus fuisset, aut si alius Spiritus, vel aliud Evangelium vobis traditum fuisset, cum dicat Galatis : « Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit! » (*Gal.* I.) Si enim Galatis perversum erat accipere aliud quam ab apostolis erat traditum, quomodo Corinthiis rectum erat, si alius Christus prædicatus illis fuisset? Sed sciens Apostolus nunquam alium Christum, nisi hunc qui crucifixus est, prædicari, idcirco ait quia recte pateremini, si vobis alius potior Christus, ab his qui veniunt prædicatus fuisset. Galatis autem anathema dixit, si aliud audirent quod non utique majus esset, sed contrarium. Quia vero posset dici quod, etsi eadem cæteri prædicaverint quæ et iste, melius tamen ea prædicaverint, removet hoc. Non recte, inquit, patimini. Ego *enim existimo*, id est pro certo scio, sed dubitationem vestram verbo existimationis increpo; ego, inquam, existimo *me nihil minus fecisse* vobis *a magnis apostolis*, id est quam fecissent magni apostoli, ne putetis vos minus quam cæteræ Ecclesiæ aliquid accepisse, quibus prædicaverunt cæteri; et idcirco opera mea illis me coæquant. Non vult gratiam inferiorem in se videri, quia similiter docuit, et eadem fecit quæ faciebant apostoli, qui propensiores videbantur, quia priores cœperant docere et fuerant cum Domino, unde majoris auctoritatis esse putabantur, cum hujus apostoli electio cum testimonio sit, et amplius cæteris laboraverit, atque Dominum in via et in templo viderit, et verba ejus audierit. Non minus, inquit, feci. *Nam etsi* sum *imperitus sermone*, quia non adorno verba, vel impeditam habeo linguam, sed, id est tamen, non sum imperitus scientia, quoniam scio quidquid est magni. Hoc non ad apostolos pertinet, quia non erant eloquentes, utpote sine litteris, pleni tamen Spiritu sancto (*Act.* IX); sed pseudo-apostolos tangit, quos præferebant Apostolo causa accurati sermonis, cum in religione vis sermonis sit necessaria, non sonus dulcis. Valde tamen se humiliat, qui se imperitum in sermone fatetur; cui, præ magnitudine eloquentiæ ac sapientiæ Festus ait : « Insanis, Paule, insanis; multæ te litteræ ad insaniam perducunt (*Act.* XXVI). » Hoc ergo dicens, non se loqui nescire voluit intelligi, sed propter eos qui, non per fidem, sed per eloquentiam commendari volebant. Qui tamen in eo se dixit imperitum, quod non habet crimen; in eo autem quod non deest sine culpa, et cum adest acquirit salutem, non se imperitum pronuntiavit. Qui imperitus est in sermone, reus non est apud Deum; quia autem scientiam Dei non habet, reus est ignorantiæ, cui non licet ignorare, maxime quod pertinet ad salutem. Ideo Apostolus spreta eloquentia id agebat, ut fides teste virtute acceptabilis esset, ut non fidem eloquentia commendaret, sed virtus, cui cedit eloquentia. Etsi imperitus, inquit, sum in sermone, id est etsi non curo illam sæcularem peritiam sermonis, ut adaptem pulchre positarum dictionum consonantiam, tamen non potestis me vocare imperitum in scientia, qui tam bene scio rei veritatem, et tam profunde loqui de Deo, sicut et alii, vel subtilius, in scientia divinorum non sum imperitus. Sed et vos hoc nostis, nam *manifestus sum vobis in omnibus*, id est in scientia, in miraculis, in sanctitate vel potentia, et his similibus. Et ideo scitis me habere etiam loquendi peritiam. Unde pejus est, quia faventes aliis in sermonis peritia, in qua me non inferiorem esse scitis, postponitis me illis, cum vidcatis per me non solum impleri prædicationem, sed et signa atque prodigia fieri apostolica.

« Aut nunquid peccatum feci, meipsum humi-
« lians ut vos exaltemini, quoniam gratis Evange-
« lium Dei evangelizavi vobis? Alias Ecclesias ex-
« spoliavi, accipiens stipendium ad ministerium ve-
« strum. Et cum essem apud vos et egerem, nulli
« onerosus fui. Nam quod mihi deerat supplevernnt
« fratres qui venerunt a Macedonia. Et in omnibus
« sine onere me vobis servavi et servabo. Est veri-
« tas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non in-
« fringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare?
« Quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio,
« et faciam, ut amputem occasionem eorum qui vo-
« lunt occasionem, ut, in quo gloriantur, inveniun-
« tur sicut et nos. »

Non feci, inquit, minus quam alii, sed possem dicere quia plus feci, quoniam gratis prædicavi. Non feci minus. Aut si minus, nunquid in hoc peccavi? *Nunquid peccatum feci, meipsum humilians* operando manibus meis, unde victum quærerem et haberem, *ut vos exaltemini*, id est ad virtutum alta proficiatis, abjecto jugo falsorum apostolorum quo deprimimini? Vere me humiliavi, *quoniam gratis*, id est nil exigendo a vobis, *Evangelium Dei evangelizavi vobis*. Quoniam inflati erant eo quod sumptus ab eis accipere noluit, et propter hoc alios ei præponebant, idcirco nunquid peccavi, ait, quia me humiliavi, ut me indignum ad accipiendum judicarem, quia inde mihi irascimini, cum hoc non peccati sit, sed gloriæ? Seipsum enim humiliavit, quando stipendia sibi debita non exegit. Quæ propter duas causas accipere noluit, ne et pseudoapostolis similis inveniretur, qui non ad gloriam Dei, sed ad suam utilitatem prædicabant, ut non occasionem acciperent deprecandi; alio enim non accipiente, non potest alter multum expetere; et ne vigor evan-

Digitized by Google

gelicæ potestatis torpesceret, quoniam qui a peccantibus accipit, arguendi auctoritatem amittit. Sic ergo exaltantur, cum ideo ab illis non accipitur, ut a pseudoapostolis qui eos deprimebant eripiantur, et correpti emendentur, a morte ad vitam, et a vitiis ad virtutes elevati. Vobis, inquit, Evangelium gratis prædicavi, sed ab aliis interim victum habui. Nam *alias Ecclesias exspoliavi*, id est multa ab his quæ in vos impenderem assumpsi, *accipiens stipendium ad ministerium vestrum*, id est accipiens unde viverem, dum vobis evangelium ministrarem, necesse fuit ut ab aliis panem corporis acciperem, *et cum essem apud vos et egerem* his quæ corpori sunt necessaria, nulli vestrum *fui onerosus*, accipiendo aliquam corporis sustentationem ab eo. Hoc Apostolus Corinthiis dum inter eos esset, nunquam dicere voluit, ne scilicet quod erga eum ab illis factum ex bona voluntate non fuerat, fieret ex jussione; et cum innotesceret eorum misericordia, remaneret ignota. Postmodum vero longe positus hoc eis scripsit, ne scilicet omnimode incorrepti [*al.*, incorrecti] remanerent, et quales magistro in tenacia fuerant, aliis fratribus, tales essent. Vere et in hoc magister gentium, sua negligens, aliena curans, implevit quod ait : « Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius (*I Cor.* x). » Tantam enim illic inopiam pertulit, ut victus sui gravi necessitate laboraret, et panem terræ a discipulis non accepit, quibus panem cœli prædicavit. Insistebat verbo pro vita audientium, insistebat labori manuum pro vita corporis sui. De terris quoque aliis ei stipendia a discipulis mittebantur, ut Corinthiis prædicare sufficeret. *Cum essem*, inquit, *apud vos, et egerem, nulli* vestrum *onerosus fui* accipiendo aliquid, ne scilicet putaretis me lucri terreni causa Evangelium prædicare. *Nam quod mihi deerat* post spolia Ecclesiarum et laborem manuum, *suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia*. A Macedonibus semper accepit, quia subversi a pseudoapostolis non fuerant. Et sicut a Corinthiis accipiendum non erat, ne illis in scandalum proficeret, sic iterum a Macedonibus accipiendum erat, ne bene seminantes fructum amitterent. Non enim idcirco dabant, ut vitia sua palpari vellent. Macedones quod mihi deerat suppleverunt. Et non solum stipendiis, sed etiam *in omnibus* verbis et factis *servavi me vobis sine onere* quia non me jactavi de genere contra vos, nec aliquid hujusmodi feci, et adhuc me semper vobis talem servabo, ne dem exemplum rapacitatis vel falsitatis falsis apostolis. *Est veritas Christi in me*, id est verax Christus in me loquitur, *quoniam hæc gloriatio*, id est hæc causa gloriationis quod gratis prædico, quod a licitis abstineo propter salutem vestram, *non infringetur*, sed integra perseverabit in me in omnibus *regionibus Achaiæ*. Gloria est enim a licitis abstinere, maxime pro aliorum salute. Non infringetur in me gloria hæc in regionibus vestris. Et quare putatis me hoc facere? Putatis quod hoc ideo faciam, *quia non diligo vos*? id est quod odio vestri abstineam a rebus vestris, ut pseudo dicunt. Deus qui occulta cordis novit, ipse scit quia non ideo munera vestra respuo, quod vos non diligam; sed ideo magis quia vos amo, ut hoc ipsum prosit vobis quod nihil a vobis accipio. Non propter odium vestri dona vestra nolo, sed ut auferam peudoapostolis occasionem accipiendi pecunias vestras, quia si non acceperint non diu prædicabunt. Non idcirco hoc facio quia vos non diligam, sed quod in hac re facio, etiam adhuc faciam, id est semper a vestris muneribus abstinebo, ut exemplo meo *amputem occasionem* sumendi vestra bona; occasionem dico, *eorum qui* per me volunt invenire occasionem accipiendi res vestras. Ideo illis auferam hujusmodi occasionem, *ut, in eo quo gloriantur, inveniantur sicut et nos*, id est similes nobis. Gloria pseudoapostolorum in pecuniis erat accipiendis, et ideo Apostolus hoc refutavit, ne illis similis videretur; quia, nisi ab Apostolo fuisset vitatum, major occasio illis data fuisset accipiendi, vel etiam extorquendi, quando in hac re formam ab Apostolo datam ostenderent. Erant etiam quidam pseudo qui, imitantes Apostolum, pro sæculari gloria nihil volebant accipere; acciperent tamen libenter, si prius Apostolum accipere viderent. Unde nunc dicit se ideo nihil velle accipere, ut illis amputet occasionem accipiendi, et permaneant in similitudine sui, in quo multum gloriantur, scilicet ut semper sint non accipientes.

« Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum. Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ. Quorum finis erit secundum opera ipsorum. »

Volo illis auferre occasionem accipiendi res vestras; multum enim desiderant invenire occasionem qua possint eas accipere, licet fingant se nolle quidquam sumere. *Nam ejusmodi pseudo*, id est falsi *apostoli sunt operarii subdoli*, id est operantes sub dolo simulationis, quia callide sub specie religionis decipiunt. Subdoli sunt, quia non amore vitæ perennis, sed amore pecuniarum prædicant Christum, nomen sibi apostolicum usurpantes, cum nequaquam sint missi. Subdolus enim operarius aliud fingit et aliud agit, sicut et isti sub specie simplicis prædicationis Christi belluinam rapacitatem contegunt. Tales ut placeant et placendo accipiant, necesse est adulentur, et adulando decipiant, illa dicentes quæ placeant, non quæ expediant audiendi. Sunt itaque operarii subdoli, dum sic operantur, et hujusmodi artibus *transfigurant se in apostolos Christi*, id est transmutant speciem suæ falsitatis, assumendo figuram verorum apostolorum, ut dum malitia callide tegitur, et figura sanctitatis cernitur, possint incautos decipere. Et quia veris apostolis similes volunt apparere, non accipio res vestras, ut me non accipiente, nec ipsi se transfigurent in apostolos veritatis, ut ita decipiant. *Et non* est mirum

Digitized by Google

de ministris Satanæ, si hoc faciant. Nam *ipse Satanas* cui serviunt, *transfigurat se in angelum lucis*, id est assumit præclarum habitum et apparet hominibus ut credatur sanctus angelus, et ita decipiat. Et cum sic se transfigurat, opus est nobis judicare et dignoscere, ne fallendo ad aliqua perniciosa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque sententia qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum. Vel cum se bonum fingens ea facit vel dicit, quæ bonis angelis congruunt, etiam si credatur bonus, non est error Christianæ fidei periculosus aut morbidus. Cum vero per hæc aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna et necessaria vigilantia opus est. Sed nemo potest omnes mortiferos dolos ejus evadere, nisi regat atque tueatur Deus. Et ipsa hujus rei difficultas ad hoc utilis est, ut nemo spem ponat in se vel in alio homine, sed in solo Deo. Et quando quidem Satanas (qui interpretatur *adversarius*, quia humanæ saluti adversatur) ita se transformat, et pollicendo bona humanis aspectibus lucis se angelum simulat, *ergo magnum non est, si ministri ejus transfigurentur* ut appareant *velut ministri justitiæ*, id est si pseudoapostoli mentiantur se socios apostolorum Christi, ut ita decipiant audientes. Quorum Satanæ ministrorum *finis erit secundum opera ipsorum*, quia in fine judicabuntur secundum simulatas actiones suas, qui non propter Dominum, sed propter suum ventrem prædicaverunt, simulantes se ministros Dei. Finis eorum erit secundum opera ipsorum, quia sicut cura ventris et opera quæ pro ventre fiunt, intereunt, sic et ipsi interibunt.

« Iterum dico : Ne quis me putet insipientem « esse. Alioquin velut insipientem accipite me, ut « et ego modicum quid glorier. Quod loquor, non « loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia « in hac substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. »

Supra jam dixit, utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, et nunc hoc repetit, quoniam semper proponit quod multis postpositis, prosequatur. Quod ergo superius proposuit, modo incipit narrare. Dixi, inquit, ut sustineretis aliquid insipientiæ, id est gloriationis meæ : et nunc *iterum dico*, ut nemo *putet insipientem me esse* in hac gloriatione, quia non glorior ea intentione qua illi, sed pro vestra utilitate. *Alioquin*, id est si non vultis me insipientem non putare, *accipite me* non revera insipientem, sed *velut insipientem*, dum videor me laudare, *ut et ego* sicut illi *modicum quid glorier* secundum carnem. Modicum, quia in vobis, non in sensu est gloriatio mea. Non enim vere ad gloriam suam Apostolus hæc loquitur, sed dolens, quia se contempto falsos apostolos glorificabant, cogitur invitus bona sua detegere ; nec inde reprehensibilis est, sed magis laudabilis. Nam justus quisque, si in humili cogitatione permanens, exigente causa vel dolore bona de se veracia dixerit, in tantum a justitia non recessit, in quantum a veritate nullo modo discrepavit. Apostolus ergo multa de se fortia pro discipulorum ædificatione narrat, sed hæc narrando non peccat, quia a veritatis tramite et attestatione certa et humili corde non recedit. Dixi, inquit, me velut insipientem, quia *quod loquor in hac substantia gloriæ*, id est in gloria carnis quam putant substantiam, *non loquor secundum Deum*, *sed quasi in insipientia*. Secundum Deum modo non loquitur, quia ad carnis tumorem hæc pertinent, nec de inflatione carnis apud Dominum surgit gloria, apud quem sola humilitas gloriosa est, sed quasi insipientia. Non plenam dixit insipientiam, sed quasi insipientiam, veritas enim est. Sed quia elatio vitiosa res est, ideo quamvis verum sit quod dicitur, quasi insipientia tamen est, unumquemque laudare se, cum dicat sapientia : « Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (*Prov.* XXVII). » Plena autem insipientia est, si se falsis laudibus quis attollit. Ille enim de vero est superbus, hic de falso stultus. Substantia tantum gloriationis in hac causa carnalis est, quia sicut flos feni (*Isa.* XL ; *Jac.* I), ita decedit gloria ista. Velut in insipientia loquor. Nam quia *multi gloriantur secundum carnem*, id est quoniam pseudoapostoli nobilitatem sibi carnis vindicant, et inde sibi defendunt generis prærogativam, quoniam filii dicuntur Abrahæ, *et ego gloriabor*, quia et ego filius sum Abrahæ. Sed nihil apud Dominum prodest filium esse Abrahæ, si desit justitia vel fides Abrahæ, quia fides est quæ salvat, non propago generis Abrahæ. Gloriari se dicit secundum carnem, sed hoc insipientiæ deputat, ut gloriam hanc exinaniat, et se coactum in laudem carnis erupisse doceat. Ob hoc enim gloriatur, ut ostendat se excellentius habere omnia etiam carnaliter, in quibus pseudoapostoli gloriabantur ; et sic ipse potius qui sine falsitate Christum prædicat, suscipiatur, et susceptores ejus salvificentur.

« Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis « ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis vos in « servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. « Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi « fuerimus in hac parte. »

Dixi ut me velut insipientem accipiatis, ut et ego modicum quid glorier secundum carnem. Nam *libenter suffertis insipientes*, id est non coacti, sed volontarii sustinetis falsos apostolos, qui nobilitate generis et circumcisione carnis gloriantur, atque nosipsos ad insipientiam suam pertrahere conantur. Et quia non bona patientia suffertis illos taliter gloriantes, justum est ut me potius sufferatis gloriantem, quia non pro extollentia mei, sed pro utilitate vestra gloriabor. Illos insipientes, id est secundum carnem gloriantes, et secundum carnem sapientes, suffertis libenter, quod mirum est, cum vos *ipsi sitis sapientes*, id est cœlesti sapientia per doctrinam meam imbuti. Inde enim magis estis re-

Digitized by Google

prehensibiles, quia cum sitis evangelica sapientia per me imbuti, nunc libenter suffertis istos deceptores, qui vos ad insipientiam carnalis intelligentiæ et observantiæ legis inducere volunt. *Sustinetis enim si quis* eorum vos ex libertate Christi *redigit in servitutem* legis, quæ ex servili timore servatur. Vel insipientes suffertis, cum vos ipsi sitis non quidem omnes, sed quidam in sensu divinorum sapientes. Vel insipientes suffertis, cum sitis sapientes, id est in hoc probatur vos non esse sapientes, quia libenter suffertis insipientes. Amicus enim stultorum efficietur similis, et vere in eo quod eorum perversitatem sufferre vultis, sapientes non estis, quia tam hebetes estis, quod hanc injuriam sustinetis, si quis illorum vos a libertate Evangelii redigit in servitutem legis. Vel per partes ostendo qualiter suffertis insipientes. Nam sustinetis jugum eorum si quis ipsorum vos in servitutem legis redigere velit; et *si quis eorum devorat*, id est cum magna ingluvie bona vestra comedens consumit; et *si quis*, id est si aliquis accipit more accipitris res vestras, quas ego vobis parcens accipere nolo; et *si quis* talium *extollitur* jactando se de nobilitate generis, illum quoque sustinetis; et *si quis* eorum *cædit vos in faciem*, id est contumeliam improperii vobis coram positus ingerit, contemnens vos quia carnaliter circumcisi non estis et idola coluistis, illum etiam suffertis. In faciem namque cæditur, in cujus os injuria irrogatur. In faciem ergo vos cædit, qui conviciorum ictibus vultum vestrum feriens erubescere facit. *Secundum ignobilitatem dico* vos ita cædi, quam vobis pseudoapostoli objiciunt, quia estis ex genere idololatrarum, quoniam ipsa ignobilitatis objectio, est faciei percussio. Et dum ipsi vobis obtrectant quia estis incircumcisi, ac de se gloriantur quia sunt ex semine Abrahæ, se præferentes et nos humiliantes, vos ita sustinetis eos et nobis præfertis, *quasi nos infirmi fuerimus in hac parte*, id est impotentes in hac gloriatione carnalis nobilitatis. Hoc est, ita patimini vos cædi ab illis, et non a nobis, quasi non possemus similiter contemptoria verba vobis irrogare, extollendo nos de genere, et vos despiciendo. Non enim infirmi sumus in hac parte gloriæ, infirmi namque judicabuntur illi, qui de aliis nationibus applicati fuerant generi Abrahæ. Sed nos in hac re firmi sumus, quia de Abrahæ stirpe descendimus. Cur ergo falsos apostolos nobis in hac carnis gloria præfertis, in qua non sumus inferiores?

« In quo quis audet, in insipientia dico, audeo « et ego. Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? « et ego. Semen Abrahæ sunt? et ego. Ministri « Christi sunt? et ego. »

Non sumus infirmi in hac parte gloriationis, quia in quocunque *audet quis* eorum gloriari, audeo similiter *et ego*, et hoc *dico in insipientia*, quia temeritas est ut quis se jactet sive laudet, cum dicat, ut præmisimus, Sapientia, « Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua (*Prov.* XXVII); » et idcirco in insipientia dico me audere in eo, in quo audent hi, qui se jactant quod sunt filii Abrahæ, ut illos insipientes esse designem, et gloriam ipsorum annihilem. Vere in nullo sum eis inferior. Quia sunt ipsi Hebræi, id est de genere Heber patriarchæ, *et ego* similiter sum Hebræus genere et lingua. Per interrogationem enim et responsionem legendi sunt isti versiculi, ut interrogetur, sunt Hebræi? et respondeatur, et ego sum Hebræus; sunt ipsi Israelitæ? id est de genere Jacob, qui et Israel divinitus est appellatus, et ego non minus sum Israelita, id est filius ejusdem egregii patris; et sunt ipsi *semen Abrahæ?* id est non proselyti, sed naturales filii Abrahæ, et ego similiter sum semen ejusdem patriarchæ. Cur ergo in his mihi præferuntur, in quibus ergo non sum illis impar? et sunt ipsi *ministri Christi* secundum quod dicunt? et ego veraciter sum Christi minister. Ipsi enim se dicunt esse Christi ministros, ut per hoc decipiant; sed ego sine mendacio sum minister ejus, ut omnes quos potero ad eum pertraham.

« Ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus « plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis « quinquies quadragenas una minus accepi. Ter « virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter « naufragium feci, nocte et die in profundo maris « fui. »

Sciendum quia justi atque perfecti aliquando virtutes suas prædicant, et bona quæ divinitus acceperunt narrant, non ut ipsi apud homines sua ostensione proficiant, sed ut eos, quibus prædicant, exemplo suo ad vitam trahant. Unde nunc Apostolus quoties fustibus cæsus, quoties lapidatus, quoties naufragium pertulit, quanta pro veritate sustinuit, quod ad tertium cœlum raptus, quod in paradisum ductus sit, Corinthiis narrat, ut eorum a falsis prædicatoribus sensum avertat, ut dum innotesceret qualis ipse esset, illi eis vilescerent, quos ab eis cognoverat inique venerari. Quod perperfecti cum faciunt, id est cum virtutes proprias loquuntur, in hoc quoque omnipotentis Domini imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur ut ab hominibus cognoscatur. Nam cum per Scripturam suam præcipiat, dicens : Laudet te os alienum, et non os tuum, quomodo facit ipse quod prohibet (*Prov.* XXVII)? Sed si virtutes suas omnipotens Dominus taceret, eum nullus agnosceret; si nullus agnosceret, nullus amaret; si nullus amaret, nullus ad vitam rediret. Unde per Psalmistam dicitur : « Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hæreditatem gentium (*Psal.* CX). » Virtutes enim suas annuntiat, non ut laudibus suis ipse proficiat, sed ut hi qui hæc ex sua laude cognoverunt, ad perpetuam hæreditatem veniant. Justi itaque et perfecti etiam cum virtutes, quas habent, infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt, quia per suam vitam quam referunt, aliorum animas ad vitam quærunt. Jure ergo Paulus

Digitized by Google

virtutes proprias Corinthiis narrat, ut cujus meriti sit apud Dominum, illis innotescat, quatenus meritum ejus cognoscentes, doctrinam ejus per quam salventur, libenter suscipiant; et falsos apostolos per quos seducebantur, respuant. Ipsi, inquit, gloriantur se esse ministros Christi, licet in veritate non sint ejus ministri; et ego veraciter sum, quod illi se esse fingunt. Et plus etiam quam ipsi, sum ego minister Christi, vel plusquam cæteri prædicatores Christi. Et hoc *dico ut minus sapiens*, quia non est hominis laudare seipsum. Vera de se dicens, minus sapientem se pronuntiat, ut intelligatur coactus in laudem suam prorupisse. Nam qui sponte ea refert, quæ ad laudem ejus proficiant, non se fatetur insipientem. Ostendit ergo quæ sint quæ faciunt illum ministrum Christi plus esse quam sunt reliqui prædicatores. Occasione enim inventa, omnium tangit personas, etiam apostolorum, dolens quia gratia Dei minor in illo judicabatur, cum ipse eadem operaretur, quæ cæteri apostoli, et pro fide majora toleraret exitia. Plus sum ego minister Christi quam sunt alii prædicatores, comprobatus *in laboribus plurimis*, quia plus illis omnibus in ministerio prædicationis evangelicæ laboravi. Nam et ipsi laboraverunt, sed ego durius et multiplicius, quia et plura adversa pertuli, et pluribus gentibus prædicavi, et plura scripsi, et stipendium non accepi. Et *in carceribus* sum comprobatus minister Christi abundantius quam illi quos mihi præfertis, quia si ipsi pro ministerio prædicationis fuere in carcere, ego tamen sæpius et diutius. Et *in plagis supra modum* eorum, vel supra modum humanæ virtutis, quia si illi cæsi sunt, ego tamen atrocius et multiplicius. Et *in mortibus frequenter*, quia sæpe cruciatus sum usque ad mortem. Ego *a Judæis accepi quinquies quadragenas una minus* percussiones, id est quinquies flagellatus sum a Judæis secundum legem Moysi, quasi transgressor legis, quia novam gratiam prædicabam, accipiens singulis vicibus plagas triginta novem (*Deut.* xxv). Præceptum quippe legis erat ut quando judices delinquentem verberarent, ita modum vindictæ temperarent, ut plagarum modus quadragenarium numerum non excederet. Unde ipsi unam percussionem quasi pro misericordia mihi condonaverunt in unaquaque ex illis quinque vicibus, quibus me verberaverunt. Ego *ter virgis cæsus sum* a gentibus, sicut in Philippis, ego a Judæis *semel lapidatus sum* in Listris (*Act.* xvi). Ego *ter naufragium feci*, id est periculum navis fractæ pertuli, dum maria transnavigarem, ut multis gentibus evangelizarem. Possent hæc naufragia forsitan intelligi contigisse in illa navigatione, qua Romam venit Apostolus; sed quando scribebat hanc epistolam, nondum ascenderat Hierosolymam, ubi captus est a Judæis, et post a Festo præside Romam missus (*Act.* xxvii). Nam in superioribus Epistolæ hujus multa locutus est Corinthiis de præparatione eleemosynæ, quam portaturus erat in Jerusalem. Omnes ergo tribulationes et pericula, quæ commemorantur in hac Epistola, prius acciderunt quam iret Hierosolymam. Non autem leguntur omnia in Actibus apostolorum, quia et ibi reperiuntur multa, quæ in his Epistolis nequaquam aperte commemorantur. Nam et hoc quod subjungit, nescitur quando factum sit; *nocte et die in profundo maris sui*. Quod tamen juxta litteram intelligendum est, id est quia Apostolus casu aliquo deveniens in profundum maris, die simul et nocte ibi demoratus sit, ac deinde liber ad terram Deo gubernante redierit; unde et inter cætera divina miracula ascribitur, quod homo tanto tempore sub undis retentus, neque a circumstantibus undis præfocari, neque a belluis maris devorari potuerit. Quid est enim mirabilius, Petrum super aquas ambulasse (*Matth.* xiv), an Paulum sub aquis die ac nocte vixisse? Quod si in utriusque apostoli tam dissimili miraculo aliquid mysticum requirimus, Paulus non solum tertio naufragus, sed etiam nocte et die in profundo maris positus, atque ubique protectus et liberatus a Domino, significat justos de omnibus periculis divinitus eruendos : nec tantum de tentationibus extrinsecus ingruentibus salvandos, sed etiamsi mortis ipsius viderentur gurgite depressi, atque ab humanis rebus absconditi, nihilominus virtute sui Conditoris eos esse revocandos ad vitam. Petrus vero super undas vento commotas incedens, sed ubi ob timorem mergi cœpit, dextera Christi erectus, significat eosdem justos omnia impiorum tentamenta ac persecutiones diabolico instinctu sibi illatas, fide invicta superare et calcare; nec posse omnino sæculi fluctibus immergi, qui præsentis semper Dei contemplantur auxilium, qui etsi ut homines aliquando titubaverint, mox divinitus erecti confirmentur. Post hæc memorat Apostolus alia pericula, variosque labores, ut se terra marique pro Christo vexatum secundum carnem ostendat, et in omnibus locis vel in omnibus afflictionum modis se pro Evangelio laborasse doceat. Ait enim :

« In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? »

Sæpe in itineribus probatus sum, inquit minister Christi, *periculis fluminum* quæ pertuli, quia dum semper de loco ad locum pergerem, ut nomen Christi ubique manifestarem, frequenter inveniebam flumina, quæ non sine periculo transire poteram. Et *periculis latronum* quoniam diabolus, invidens itineri meo, latrones mihi excitabat, cum nihil ferrem quod latrones cuperent. Et *periculis ex genere* meo, id est ex Judæis, qui mihi plusquam cæteris

Digitized by Google

apostolis invidebant, me semper interficere quærebant, quia fortius et evidentius cæteris novam gratiam et abolitionem veteris observantiæ prædicabam, cum prius fuissem æmulator legis, et persecutor sectatorum gratiæ. Et *periculis ex gentibus* quia et gentiles me quærebant occidere propter destructionem idololatriæ et prædicationem unius Dei. Et *periculis in civitate*, sicut in Epheso ubi propter defensionem Dianæ cum impetu cucurrere unanimiter in theatrum (*Act.* XIX), et cum vellem intrare in furentem populum ut paterer martyrium, non permiserunt discipuli. Et *periculis in solitudine*, quia dum iter facerem, passus sum in deserto periculum vel a bestiis, vel ab hominibus, vel a potus, vel a cibi penuria. Et *periculis in mari*, quia et ibi vel ab hominibus, vel ab indigentia, vel a tempestatibus pertuli pericula. Nam et cum essem in Græcia, factæ sunt mihi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam (*Act.* XX). Et *periculis in falsis fratribus*, id est qui Christianismum susceperant, et Judaismum non reliquerant, sed legem carnaliter observabant, et me persequebantur eo quod prædicato Christo legem jam cessare dicerem. Fuere et alii falsi fratres, sicut Demas et Hermogenes qui dilexere hoc sæculum (*II Tim.* IV; *II Tim.* I), et nunc talibus plena est Ecclesia. Cætera enim pericula quiescere possunt, pericula vero a falsis fratribus quiescere usque ad finem sæculi non noverunt. Item probatus sum minister Christi plusquam cæteri *in labore* manuum, quo quærebam victum, *et ærumna*, id est molestia doloris vel paupertatis. Et *in vigiliis multis*, quia non solum diebus, sed et noctibus prædicabam, et causa orationis sæpe vigilabam, atque manibus meis opus aliquod, unde victum haberem, nonnunquam per noctem faciebam. Et *in fame ac siti*, quia dum nihil a discipulis acciperem, necesse erat ut per inopiam famem et sitim tolerarem. Tunc etiam fame ac siti laborabam, quando persecutores meos frequenter de loco ad locum fugiebam. Et *in jejuniis multis*, quia sæpe jejunavi eo quod non haberem quod ederem. Sæpe etiam sponte me jejuniis maceravi, castigans corpus meum et servituti subjiciens (*I Cor.* IX). *In frigore* etiam *et nuditate* laboravi, dum tenuitas ac disruptio vestium mihi esset in hieme. Et hæc omnia pro Christo pertuli, cujus sum minister. Sed *præter illa quæ extrinsecus sunt*, id est præter illa mala quæ exterius in corpore tolero, angit me *quotidiana instantia mea*, quæ nec una hora remittitur. Et quæ est illa? sollicitudo simul *omnium Ecclesiarum*, quia quotidie insto sollicitudini salutis omnium qui sunt in universis Ecclesiis. Vere magnam de his semper gero sollicitudinem. Nam quis fidelium infirmatur in fide, vel in conscientia, vel in actione, *et ego non infirmor?* id est non compatior illi et condescendo, ut possim infirmitati ejus, quam velut meam doleo, adhibere medicinam? Et *quis scandalizatur*, id est pedibus actionum offendit, ut cursus boni operis ejus retardetur, vel etiam ipse cadat in culpam, sive aliquo A errore turbetur fides ejus, *et ego non uror?* id est zelo Dei inflammor? Valde enim mens mea cruciatur igne spiritalis zeli, dum infirmos quosque æterna deserere et rebus temporalibus delectari conspicit. Uror sicut aurum ad purgationem igne pii doloris, quoniam affectus iste magis purgat, quia de charitate venit. Quanto enim major charitas, tanto majores plagæ de peccatis alienis. Non enim uror tanquam irascens peccantibus, sed tanquam dolens pro illis. Unde scriptum est : « Qui apponit scientiam apponit dolorem (*Eccle.* I). » Enumerat itaque, sicut lectum est, Apostolus bella quæ extrinsecus tolerat, dicens : *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in* B *falsis fratribus.* In hoc autem bello quot contra adversarium spicula intorqueat, adjungit : *In labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate.* Sed inter tot certamina deprehensus, dicit quanto vigiliarum munimine etiam castra custodiat. Nam post hæc exteriora quæ narravit, protinus interiora cœpit dicere, subjungens : *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Ecce in se bella fortiter suscepit, et tuendis se proximis misericorditer impendit. Narrat mala quæ patitur, subjungit bona quæ impartitur. Pensemus ergo cujus charitatis sit plus de utilitate proximorum, quam de sua afflictione curare. Pensemus cujus laboris sit uno eodemque tempore foris adversa C tolerare, et intus infirma protegere. In se enim contemnit vulnera corporis, et in aliis sanat vulnera cordis. Valde autem minoris laboris est aut docere cum nihil toleras, aut tolerare cum nihil doces. Sed Apostolus ad utrumque se solerter extendit, quia sic exteriora bella suscipit, ut sollicite cogitet ne proximorum interiora lacerentur. Unde non immerito plus omnibus se laborasse fatetur. Quis itaque huic in honore aliquem audeat præponere, qui cunctis præest in labore? Qui et subjungit :

« Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt
« gloriabor. Deus et Pater Domini nostri Jesu
« Christi scit, qui est benedictus in sæcula, quod
« non mentior. Damasci præpositus gentis Arethæ
« regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut D
« me comprehenderet (*Act.* IX). Et per fenestram
« in sporta demissus sum per murum, et sic effugi
« manus ejus. »

Si gloriari oportet, non expedit quidem. Si oportet, inquit, gloriari, sicut et oportet pro vobis gloriabor, non in potentia vel genere, sed in his *quæ sunt infirmitatis meæ*, id est in passionibus quas pro Christo patior, licet hoc videatur abjectio. Si enim gloriandum est Christiano, in humilitate gloriandum est, de qua crescit apud Deum. Sed pseudoapostoli, quia non habent merita passionum, in quibus gloriari possint, gloriantur in sublimitate generis. Ne autem me putetis aliquid falsi dicere, Deum vobis adhibeo testem veritatis. Deus enim

Digitized by Google

qui novit omnia, ipse scit quia non mentior. Deus, qui secundum humanitatem Christi, Deus ejus est; et secundum divinitatem ejus, est Pater ipsius, ipse *qui est benedictus in* omnia *sæcula, scit*, id est fert mihi testimonium *quod non mentior* in omnibus supradictis, vel in hoc quod sujungo. Quia etiam post conversionem meam, dum essem *Damasci, præpositus gentis Arethæ regis custodiebat* ipsam *civitatem*, id est portas ejus, *ut me comprehenderet* quatenus inde placeret Judæis qui mihi insidiabantur, et diligens in officio sibi credito videretur, si eum quem perturbatorem audiret, causa quietis interficeret. Portas custodiebat, quia me in civitate esse noverat, sed invenire non poterat, vel quia intus me comprehendere nolebat, ne violaret jus civitatis. Et interim ego *per fenestram in sporta demissus sum* a fratribus *per murum, et sic effugi manus ejus*. Non ita fugit Paulus, sicut fugere solet mercenarius relinquens oves lupo venienti (*Joan.* x), quia lupus ille non oves, sed ipsum pastorem quærebat, et ideo pastor seipsum utilitati eorum fugiendo servavit. Neque eo recedente deserta est Ecclesia, quæ ibi erat, necessario ministerio; sed ab aliis fratribus ibidem constitutis, quod oportebat impletum est. Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecit, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Quando enim quisque prælatorum Ecclesiæ specialiter a persecutoribus quæritur, tunc debet ille fugere, sic tamen, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant verbi cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse novere. Cum autem omnibus simul instat commune periculum, tunc aut simul omnes, id est prælati et subditi ad alia loca transeant, aut simul omnes ibidem maneant. Necesse etiam est ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus laboris, illinc fructum mercedis pensemus. Cum enim pondus laboris fructum retributionis superat, tunc laborem quisque innoxie declinat, dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum vero subsequente quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur aut vincitur, tunc labor non sine gravi culpa declinatur. Propterea doctor egregius, cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confligere, quia et semetipsum quem profuturum multis noverat, vidit posse reficere, aut nullis se illic aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, et pugnaturum felicius ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit. Et idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quæsivit, ubi et mysticum aliquid præsignatum est. Nam hoc effugii genus usque hodie in Ecclesia servatur, quando quis antiqui hostis insidiis, vel hujus sæculi laqueis circumfusus, spei fideique suæ munimine salvatur. Murus enim Damasci, quæ *sanguinem bibens* interpretatur, adversitas sæculi est. Præpositus Damasci, persecutor aliquis potens in hoc mundo. Rex Arethas qui interpretatur *descensio*, diabolus intelligitur. Sporta, quæ juncis palmisque solet confici, spei fideique conjunctionem designat. Juncus enim viriditatem fidei, palma vero spem vitæ æternæ significat. Quisquis ergo se muro adversitatis cinctum videt, sportam virtutis qua evadat festinus ascendat. Apostolus vero, postquam hanc evasionem suam retulit, protinus addidit :

CAPUT XII.

« Si gloriari oportet, non expedit quidem. »

Si gloriari oportet, id est si ideo gloriandum mihi est, quia evasi, quoniam manus insidiantium a perpetratione homicidii immunes servavi, *non expedit quidem* gloriari quoniam qui gloriatur mortem se evasisse, quæ pro fide infertur, significat inane videri pro Christo pati. Vel si propter pseudoapostolos oportet me gloriari in hac gloriatione mea et in supradictis, non tamen expedit propter superbiam, quia ex humilitate crescimus, et auxilium Dei mitibus proficit, non elatis. Non expedit quidem, sed tamen propter vestram utilitatem necesse est gloriari.

« Veniam autem ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujuscemodi usque ad tertium cœlum. Et scio hujuscemodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. »

Hactenus, inquit, narravi tribulationes et pericula, de quibus me Dominus eripuit, et nunc narrando *veniam ad visiones et revelationes Domini*, id est ad secreta, quæ de Domino vidi et aperte intellexi, non ut Pharao, qui vidit septem spicarum visionem, et non intellexit, quia non est revelatum quid significarent (*Gen.* XLI). Ego enim mysticas visiones aspexi, et revelante Domino quid in his sapientiæ contineretur, intellexi. Et audite visiones: *Scio hominem*, etc. Ostendit quo sublevatus est, ut perinde quanta et qualia sint quæ illi ostensa et dicta sunt, possint intelligi, ne, sicut quibusdam videbatur, junior cæteris apostolis crederetur. De seipso enim quasi de alio loquitur, ut jactantiam caveat, quia hoc refert, quod ad laudem maximam pertinet. Et quid inde perit veritati, quando et res ipsa dicitur, et modo quodam dicendi jactantia devitatur? Scio, inquit, *hominem in Christo* existentem *ante annos quatuordecim raptum usque ad tertium cœlum*. Ex quo ita raptus est Apostolus, usque ad tempus quo scripsit hanc epistolam completi sunt anni quatuordecim. Quod ideo adnotavit ut intelligeretur multo majoris meriti esse dum ista scriberet, quam fuerat dum ea vidisset, et quia non jactantia, sed necessitate diceret, quæ per tot annos tacuerat. Scio, inquit, hominem raptum, sive *in corpore nescio, sive extra corpus*; id est scio quia raptus est homo ille, sed nescio utrum cum corpore, an sine

Digitized by Google

corpore. Hoc nescio, *Deus scit*, id est solito mihi juramento vobis istud confirmo. Juratio enim est quod dicitur : *Deus scit*. Hujuscemodi hominem scio raptum usque ad tertium cœlum. *Et scio hujuscemodi hominem raptum in paradisum.* Bis enim raptus est homo ille, id est in tertium cœlum, et rursus in paradisum, de quo Dominus latroni promisit : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Ignoravit autem utrum quando sic raptus est in corpore fuerit, quo modo est anima in corpore cum corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in in exstasi a sensibus corporis alienata, an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus faceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, et non quasi dormiens evigilaret, aut exstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino revivisceret. De tertio autem cœlo multa possunt dici : Novem enim sunt ordines angelorum, qui juxta Dionysium in tres ternas distinctiones distributi sunt. Prima enim triplex eorum dispositio, id est illa quæ terris est vicinior, constat ex angelis et archangelis, et principatibus ; media vero ex potestatibus et virtutibus et dominationibus ; suprema autem ex thronis et cherubim atque seraphim. Prima igitur dispositio primum cœlum recte potest accipi ; secunda vero secundum cœlum, tertia autem tertium cœlum. Apostolus itaque raptus in tertium cœlum, intelligitur supremis angelorum choris interfuisse, id est inter agmina seraphim sive cherubim secreta Dei vidisse. Qui et in paradisum raptus est, sive terrenum, sive cœlestem ; *et audivit ibi arcana verba*, id est intimationem de secreta Dei essentia, *quæ non licet homini loqui*, id est quæ non licet ei pandere ulli mortalium, vel quæ nullus homo potest in hac vita loqui. Vel per tres cœlos tria genera visionum intelligamus ; primum corporale, secundum spirituale, tertium intellectuale. Ecce enim in hoc uno præcepto, cum legitur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Levit.* XIX), » tria occurrunt genera visionum ; unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur ; alterum per spiritum hominis, quo proximus et absens cogitatur ; tertium cœlum per concursum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur. Corporali enim visione videtur cœlum et terra et omnia corporeis oculis conspicua. Spirituali visione cernuntur in spiritu corporales imagines, sicut sæpe per cognitionem voluimus in animo similitudines rerum corporalium. Intellectuali visione cernuntur illæ res, quæ non habent imagines sui similes, sicut est charitas, gaudium, pax, patientia et cætera hujusmodi. Præstantior autem est visio spiritualis quam corporalis, et rursus præstantior intellectualis. Quod enim non imaginaliter, sed proprie videtur et non per corpus, hoc ea visione videtur, quæ omnes cæteras superat. Corporea visione vidit Balthasar digitos manus scribentis in pariete (*Dan.* V). Spirituali visione vidit Petrus vas plenum diversis animalibus (*Act.* X). Intellectuali visione videtur sapientia, veritas, charitas, et ipse Deus. Quapropter si hoc tertium visionis genus, quod superius est non solum omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, sed etiam omni illo spirituali genere quo similitudines corporum spiritu, non mente cernuntur, tertium cœlum appellavit Apostolus, in hoc videtur claritas Dei non per aliquam corporaliter vel spiritualiter figuratam significationem, tanquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, per speciem scilicet, quia Deus quidquid quantulumcunque eum mens quæ non est quod ipse etiam ab omni terrena labe mundata (217) ab omni corpore et similitudine corporis alienata et obrepta capere potest. Cur autem non credamus quod tanto apostolo, doctori gentium, rapto usque ad istam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam videndus est in æternum ? Et cur non dicatur iste paradisus, excepto illo, in quo corporaliter vixit Adam ? Si enim proprie quidam nemorosus locus, translato autem verbo omnis etiam spiritualis quasi regio, ubi animæ bene est, merito paradisus dici potest, non solummodo tertium cœlum, quidquid illud est, quod profecto magnum sublimiterque præclarum est, sed etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ, paradisus est. Si ergo primum cœlum recte accipimus generali nomine hoc omne corporeum, quidquid est super aquas et terram, secundum autem in similitudine corporali, quod spiritu cernitur, sicut illud unde animalibus plenus in exstasi Petro discus ille submissus est (*ibid.*) ; tertium vero quod mente conspicitur, ita et secreta et remota et omnino abrepta a sensibus carnis atque mundata, ut ea quæ in illo cœlo sunt, et ipsam Dei substantiam, verbumque Domini per quod facta sunt omnia (*Psal.* XXXII), in charitate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre et audire, non incongruenter arbitramur et illuc Apostolum esse raptum et ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem, et (si dici oportet) paradisum paradisorum. Nec contrarium est huic intelligentiæ illud quod Moysi Dominus ait : « Non videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII), » quia necesse est abstrahi ab hac vita mentem quando in illius ineffabilitatem visionis assumitur, sicut Apostoli mens divinitus rapta est ex hac vita ad angelicam vitam antequam per istam communem mortem carne solveretur. Et ibi, perfruens Dei allocutione, audivit ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Ideo cum prædicaret, dixit quod posset hominibus dici, et tenuit apud se quod non posset dici. Ergo audiatur id quod possumus, mente comprehendere, et id quod non possumus credatur. Si illi diceremus, rogamus te, explica magnitudinem ipsius, nonne forte responderet nobis, non est valde magnus quem vidi, si a me potest explicari ?

« Pro hujuscemodi gloriabor, pro me autem nihil

(217) Locus obscurus.

Digitized by Google

« nisi in infirmitatibus meis. Nam, etsi voluero
« gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam.
« Parco autem, ne quis me existimet supra id quod
« videt in me, aut audit aliquid ex me. »

Pro hujuscemodi homine vel visione *gloriabor*, id est commendabo me, sed *pro me* filio Abrahæ vel circumciso nihil gloriabor, *nisi in infirmitatibus meis*, id est in tribulationibus quas patior. Pro hujusmodi homine, id est qui tam dignus est Deo, ut ad hanc visionum excellentiam sublevaretur, gloriari se dicit, et non vult aperte dicere quod de se loquitur, ne laudare se videatur. Et sic pro se non gloriatur, dum non aperte de se profitetur. In infirmitatibus autem gloriatur, quia exponere pressuras passionum et infirmitates angustiarum non videtur gloriosum, sed flebile. Idcirco in his secure se fatetur gloriari, sciens qui ad perfectum perducunt cœlestium remunerationum. Quid enim tam gloriosum in futurum Christiano, quam exitia pro Christo illata narrare? Pro isto homine gloriabor non pro me. Nam etiam *si voluero* pro me *gloriari*, id est meritum meum quod apud Deum habeo profiteri *non ero insipiens* in hac gloriatione, licet quibusdam videar esse. Non enim falsa loquar sed veritatem de meipso dicam et ideo non in meipso, sed in ipsa veritate quæ superior me est humiliter, et veraciter gloriabor. Et de pluribus quidem adhuc gloriari poteram, *sed parco*, id est parce refero, *ne quis me existimet supra id quod videt in me*, id est ne quis me putet excellentioris esse naturæ, quam suis oculis comprehendere valeat, et incipiat errare in me, credens me divinam vel angelicam habere naturam, sicut illi qui de me et Barnaba dicebant : « Dii similes facti hominum descenderunt ad nos (*Act.* XIV). » Illi enim existimabant nos esse supra id quod videbant in nobis, quia, cum viderent in nobis terrenum et mortale corpus, existimabant nos cœlestes et immortales, et propterea parco gloriari, ne si plura retulero, putet quisquam me esse supra id quod videt in me, id est supra naturam humanitatis quam cernit in me; aut supra id quod audit ab aliis aliquid referri *ex me*. Vel ne quis existimet supra id quod videt in me, sive audit de me, id est ne quis me arbitretur ultra gloriam meam tendere, quam limes meritorum admittit. Omnes sancti non solum gloriam supra modum suum omnino non appetunt, sed etiam hoc ipsum videri refugiunt, quod esse meruere. Unde nunc prædicator egregius contra pseudoapostolos loquens, dum virtutes eximias operationis suæ pro discipulorum eruditione narraret, dum tot pericula tolerasse coacervata persecutione describeret, et post hæc usque ad tertium cœlum, rursumque in paradisum raptum se esse memoraret, ubi tanta agnoscere potuisset, quanta loqui omnino non posset, erat de se adhuc fortasse mirabiliora locuturus, sed ab humana laude alta consideratione se temperans, subdit : *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me*, id est ne si cætera di-

A xero, putet me aliquis esse supra naturam humanæ infirmitatis, cum nonnisi infirmitas in me videatur, vel ab aliis qui vident, audiatur. Habebat ergo adhuc de se dicendum aliquid, quod parcit dicere. Sed egit utrumque doctor egregius, ut et loquendo quæ egerat, discipulos instrueret, et tacendo se intra humilitatis limitem custodiret. Nimis itaque esset ingratus, si de se discipulis tanta taceret; et fortasse nimis incautus, si de se omnia discipulis proderet. Sed mirabiliter, ut dictum est, egit utrumque, ut et loquendo erudiret audientium vitam, et tacendo custodiret suam.

« Et ne magnitudo revelationum extollat me, da-
« tus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sata-
« næ, ut me colaphizet. Propter quod ter Dominum
B « rogavi ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit
« tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perfici-
« tur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus
« meis ut inhabitet in me virtus Christi. »

Ego, inquit, tam magna, tamque sublimia divinitus vidi. *et ne magnitudo* tam ingentium *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*. Non me extulit, sed ne me extolleret, providit mihi Deus remedium, quod adversus elationem quæ evenire poterat, opponeret. Valde enim timenda est elatio de abundantia gratiarum, ne quis de dono Dei superbiat, sed magis servet humilitatem, et quanto major est, humiliet se in omnibus (*Eccli.* III). Apostolus iste, quamvis ex persecutore
C factus prædicator, abundantiorem gratiam assecutus est in omni labore apostolico, quam cæteri apostoli, ut magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis, quomodo solent medici potentiam artis suæ in desperatis ostendere. Cum ergo esset magnæ gratiæ, et magna dona a Deo percepisset, quia ex abundantia gratiæ et revelationum poterat ei elatio subrepere, idcirco Deus, qui novit omnia antequam fiant, apposuit ei quemdam monitorem humanæ infirmitatis in similitudinem triumphantium, quibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes civium, dicens : Hominem te memento. Ne extollat, inquit, ex magnitudine revelationum datus est mihi a Deo, id est ad meam utilititatem, ut me in humilitate custodiat,
D stimulus carnis, id est pungens carnem meam. Et quis est stimulus iste? *angelus Satanæ*, id est angelus malignus, missus a Satana, *ut me colaphizet*, id est ut me percutiat, reprimens omnem motum superbiæ, excitando mihi semper tribulationes, aut corporis infirmitates, vel tentando *ut quidem aiunt* per libidinem. Tentatio autem cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis. Nam stimulus iste forsitan concupiscentia carnis erat. Quibus malis Apostolus consideratis in corpore mortis suæ, in quo bellum intestinum cum invisibili hoste gerebat, remedium salutis suæ nullum penitus nisi solam gratiam Dei in Christo Jesu liberantem se, invenisse Romanis loquitur (*Rom.* VII). Sed et dolore quodam corporis traditus exa-

Digitized by Google

gitatus vehementer. Dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis Satanæ, sed hoc non possunt nisi permissi. Nam et Job sic probatus est (*Job* II). Permissus est ad eum probandum Satanas, et percussit eum ulcere, ita ut vermibus putresceret. Sic et angelus Satanæ quasi libenter missus est colaphizare Apostolum, sed tamen Apostolus curabatur. Hoc ergo remedium divinitus accepit, ut per iniquum angelum semper injuriis et tentationibus pressus, non posset ex revelationibus extolli, quia otiosum pectus ex his quæ viderat, intumescere posset. Secreto enim dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli, inde pie perficitur benignitas Dei. Elatos enim in sanctitate viros non amitteret, nisi tentaret. Sancti quippe non essent qui de sanctitatis gloria superbirent; et tanto sub ejus jure caderent, quanto se in suis virtutibus elevarent. Sed miro dispensationis ordine, dum tentantur, humiliantur; dum humiliantur, ejus esse desinunt. Apostolus vero, priusquam morbum elationis incurreret, providente supremo medico, accepit medicamentum humilitatis. Et quia illud quod medicus apposuerat, molestum erat ei, rogavit ut auferret. *Propter quod*, inquit, *ter Dominum rogavi* qui trinus est Deus, *ut discederet a me* stimulus ille, et rogavi Dominum ut a me tolleret acre medicamentum quod mihi apposuerat. Et non fecit quod petebam, sed quod mihi expediebat, quia non est magnum exaudiri ad voluntatem, sed magnum exaudiri ad utilitatem. Nam *dixit mihi :* Sufficit tibi gratia mea, id est hoc tibi satis est ut habeas gratiam meam : et ideo noli superfluam carnis sanitatem quærere quia non iratus, sed gratiosus te uro. Ego novi quid apposuerim, ego novi unde ægrotes, ego novi unde saneris. Quid enim tibi utile sit, magis ego novi quam tu. *Nam virtus in infirmitate perficitur*, id est virtus ad perfectionem ducitur per infirmitatem contrariam, cum qua legitime certat, ut postea coronetur. Virtus in infirmitate perficitur, quia infirmitatis actio fit virtutis perfectio, ut præsente infirmitate et tentatione reprimatur virtutis elatio, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis et in veritate cognitio, et in humilitate confessio. Et quia infirmitas ita proficit virtuti, *igitur libenter*, id est non minus, sed libens *gloriabor in infirmitatibus meis* ad hoc datis *ut inhabitet in me virtus Christi*, id est summam gloriam deputabo quod in me sum infirmus, ut fortem me faciat Christi virtus. Tunc gloriatur Apostolus, quando injuriis humiliatur, a Christo autem virtus tolerandi præbetur, ut, quia prius aspere fastidiendæ injuriæ videbantur, postea libenter susciperentur, ut Christi auxilio lenirentur. Libenter ergo cædi se patitur, dummodo a Christo curetur, postquam cognovit prodesse quod nocere putabat, sciens quia plus addit medicina Dei ad salutem, quam infirmitas detrahit hic sanitati.

« Propter quod placeo mihi in infirmitatibus « meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim « infirmior, tunc potens sum. »

Virtus, ut dictum est, in infirmitate perficitur *Propter quod placeo mihi*, id est multum, delector *in infirmitatibus meis*. Omnes superiores passiones atque inferiores hoc loco infirmitatum nomine definivit Apostolus, eo quod humanæ infirmitati ista prævaleant. Ut ergo discipulos instrueret, summa de se retulit, ut vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixit. Placeo, inquit, in infirmitatibus meis, et *in contumeliis* non in honoribus sæculi, et *in necessitatibus* non in epulis, vel in otio, sicut pseudoapostoli, qui causa ventris prædicabant; et *in persecutionibus* (*Matth.* v; *I Petr.* III), non in salutationibus, et susceptione adulationis, et *in angustiis ;* non in jactantia elationis et superatione divitiarum. Et hoc *pro Christo*, non pro aliquo crimine, quia beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Non enim omnes beati qui persecutionem et adversa patiuntur, sed qui justitiæ causa patiuntur. Vel placeo mihi in infirmitatibus carnis, in contumeliis verborum, in necessitatibus, id est in indigentia necessariorum; in persecutionibus de loco ad locum ; in angustiis, id est in anxietatibus animi pro Christo illatis. Et jure placeo in talibus, quia quando *infirmor* in talibus exterius *tunc potens sum* interius, id est quando aliqua supradictarum tribulationum affligor, tunc a Deo datur mihi potentia superandi. Tunc enim vincit Christianus, cum perire putatur; et tunc perit perfidia, cum se vicisse gratulatur.

« Factus sum insipiens, vos me coegistis, ego « enim a vobis debui commendari. »

Post omnem commendationem suam ostendit quia non ad jactantiam suam ista retulit. In his, inquit, quæ hactenus ad commendationem meam narravi, *factus sum insipiens*, secundum quod in exterioribus verbis sonat, quia videor merita mea prædicasse; sed hoc non jactanter, sed necessitate compulsus feci pro vestra utilitate, quia *vos me coegistis* ita loqui, qui de me non recta sentiebatis et falsos apostolos mihi præferebatis; et ideo non mea culpa, sed vestra est, quod de me talia sum locutus. Coactum se dicit ut quid esset ostenderet. Et utique non est insipiens qui de se vera locutus est, quia superius ait : « Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam. » Sed nunc inclinat se, et præ nimia humilitate vel cordis dolore se fatetur insipientem, ut declaretur quia non voluntate merita sua manifestavit. Insipientis enim est suos narrare labores, et proprias jactare virtutes. Justus autem nunquam bona sua detegit, nisi eum aut proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat, sicut Apostolus, cum virtutes suas enumerasset, coactum se dicit hoc fecisse. Nam, si virtutes suas tacuisset, discipuli non cognovissent eum. Si non cognovissent eum, non omitterent præferre illi falsos apostolos, et dicta illorum dictis illius.

Digitized by Google

Sicque ignorantia dignitatis Apostoli causa esset ut semper in errore permanerent discipuli. Ut ergo eos ab errore revocaret, coactus est monere quis esset. Vos, inquit, me coegistis, quia cum aliis de me satisfacere debuissetis nunc iterum opus habetis ut ego ipse me commendam vobis. *Ego enim debui a vobis commendari*, id est vos adversus obtrectatores debuistis mihi testimonium ferre, apud quos ego Ecclesiam institui, et signorum prodigio feci, ut vos me tacentem defenderetis, quem in Christo patrem habetis.

« Nihil enim minus fui ab his qui sunt supra « modum apostoli. Tametsi nihil sum, signa tamen « apostolatus mei facta sunt super vos in omni pa- « tientia, in signis et prodigiis et virtutibus. Quid « est enim quod minus habuistis præ cæteris Ec- « clesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate « mihi hanc injuriam. »

Revera debui a vobis commendari cæteris. Nam *nihil minus fui* vobis vel in prædicatione, vel in miraculis *ab his*, id est quam illi *qui sunt apostoli supra modum* meum, sicut quibusdam videtur quia Dominum in carne sunt secuti. Non fui vobis in actione minor, quam Petrus vel Joannes sive Jacobus qui sunt supra modum meum apostoli, non dignitate, sed tempore, cum ego plus illis laboraverim. Nam si de tempore mihi præscribendum putatis, ante cœpit Joannes prædicare quam Christus, et non Christus Joannem, sed Joannes Christum baptizavit (*Matth.* III; *Joan.* I). Andreas quoque prior secutus est Christum quam Petrus, nec tamen primatum accepit Andreas, sed Petrus. Quare ergo quibusdam non videor apostolus, cum eadem possim per Dei gratiam, quæ et cæteri apostoli? Illis non videbatur apostolus esse, qui ejus prædicationem æmulatione legis respuebant, quasi esset inimicus traditionis Moysi, quia legem cessare dicebat; et cæteris apostolis favebant, præ istum illis humiliantes, quia illi non tam constanter contra legem aliquid asserebant. Ideo dolet minorem se videri, et compulsus ostendit quantæ sit dignitatis. Non fui, inquit, vobis in opere minor præcessoribus meis, quia, tametsi nihil sum, signa tamen apostolatus, etc. Sic se humiliat, ut erigat. Patientiam tamen primam memorat, quia diu illos portavit quasi impatientes ægros, ut adhibita medicina signorum, atque virtutum, curaret vulnera erroris illorum. Ego quidem, inquit, nihil sum, quia homo sum; sed apostolatus quem mihi Christus ipse dedit, signa in vobis ostendit, id est potentiam, virtutes atque prodigia. *Tametsi*, id est quamvis *nihil sum*, secundum quod homo sum, vel secundum quod quibusdam videretur, qui me nihil esse judicant, tamen ea quæ feci, me apostolum designant, quoniam *signa apostolatus mei facta sunt super vos*, id est quod desuper descendant in vos a Patre luminum per doctrinam meam, ut credaretis, ut converteremini, ac religiose conversaremini, signum et demonstratio est apostolatus mei. Et hoc factum est *in omni patientia* mea, quoniam patienter omnia sustinui, quæ mihi a vobis vel pro vobis illata sunt mala. Nam et contemptum et paupertatem, aliasque molestias apud vos pertuli; et mores vestros, ut paulatim eos corrigerem, longanimiter sustinui. Nec sola patientia vos ad fidem et morum melioratione adduxi, sed etiam *signis et prodigiis et virtutibus*. Distat autem inter signum et prodigium atque virtutem, quia signum est genus prodigii, virtus vero genus utriusque. Virtus enim vocari potest omne miraculum; signum autem illud tantum, quod in quocunque tempore aliquid significat; prodigium vero, quod in futuro tantum. Prodigium vero appellatum est quasi porro dictum, quod porro dicat, porro significet, et aliquid futurum esse portendat, sicut sanationes corporum quæ per apostolos fiebant, sanationes animarum portendebant. Nihil, inquit, vobis minus feci, quam fecissent priores apostoli, imo amplius. Nam *quid est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis*, id est quid minus accepistis per me, quam cæteræ Ecclesiæ per alios apostolos, *nisi quod ego ipse non gravavi vos?* id est non accepi stipendium a vobis, sicut cæteri prædicatores a suis accipiunt. Gratis enim Evangelium prædicavi vobis, quod nullis concessum est aliis Ecclesiis. *Donate mihi hanc injuriam*, id est si tam imprudentes vel malitiosi estis, ut hoc putetis injuriam, ignoscite mihi. Date mihi veniam hujus facti, pro quo laude dignus sum, non reprehensione. Hoc enim non est injuria, sed misericordia et amicitia.

« Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non « ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, « sed vos, nec enim debent filii parentibus thesauri- « zare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime « impendam et superimpendar ipse pro animabus « vestris, licet plus vos diligens minus diligar. »

Ne forte putaretur inter initia stipendii abstinuisse ad commendationem suam, postea vero mercedem evangelicæ prædicationis velle accipere, ostendit in ea se voluntate durare, ne sanctum suum postea mutare videretur, et esset quod obtrectatoribus reprehenderetur. Non gravavi, inquit, vos, sed nec gravabo. Quia *ecce hoc tertio*, id est hac tertia vice, *paratus sum venire ad vos, et non ero vobis gravis* ut de vestro quidquam accipiam, sicut nec aliquid a vobis sumpsi. Non tertio venit ad eos, sed tertio paratus fuit venire. Non ero gravis vobis, accipiendo munera vestra, quia *non quæro ea quæ sunt vestra, sed vos* ipsos, id est non pecunias vestras, sed vos ipsos lucrari volo ex prædicatione mea, ut vos habeam mecum in æterno Christi regno. Non quæro vestra; *nec enim debent filii parentibus thesaurizare*, id est divitias congregare, quod facitis pseudoapostolis; *sed parentes filiis* debent divitias præparare, quod pseudo non faciunt vobis. Consueto usu nunc loquitur. Consuetudo enim est, ut carnales parentes filiis suis thesaurizent. Spiritales vero patres dignum est ut a filiis suis accipiant sumptus. Sed Apostolus in tantum probat se nolle accipere, ut transferat causam carnalis patris ad spiritalem, ut non solum

Digitized by Google

non accipiat ab eis, sed, si fieri possit, ipse eis tribuat. Quo dicto tangit eos, ut intelligatur quantus sit, et quid mereantur qui tanti apostoli providentiam negligunt. Parentes, inquit, debent filiis suis thesauros præparare, sed ego non solum thesauros, sed et meipsum paratus sum impendere. Tanto enim affectu charitatis erga vos *ego* moveor, quod non invitus, sed *libentissime impendam* vobis vel carnalia vel spiritualia bona, et post omnia si opus fuerit, ego *ipse superimpendar pro animabus vestris*, ut moriar pro salute animarum vestrarum, *licet plus vos diligens, minus diligar* a vobis. Qui enim tantam habet charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas (*Joan.* xv). Et ego dum pro vobis mortem excipere sum paratus, perfecte vos diligere comprobor. Plus enim vos diligo, non accipiendo res vestras, quam si eas acciperem; vos autem minus quam debetis, vel minus quam pseudoapostolos, diligitis me, quia me plus amare debetis, maxime per quem viam vitæ didicistis.

« Sed esto. Ego vos non gravavi, sed cum essem « astutus, dolo vos cepi. Nunquid per aliquem eorum « quos misi ad vos circumveni vos? Rogavi Titum, « et misi cum illo fratrem. Nunquid Titus vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus? « Nonne eisdem vestigiis? »

Nihil eorum quæ possent ei ex adverso proponi tacet, ut se per omnia purget. Quia nihil per circumventionem egit apud eos, sed pura virtute sibi simpliciter, et illis dupliciter consulnit, ut ipse nihil præter futuram supernæ beatitudinis retributionem quæreret, et illis apud Dominum provideret, atque censum eorum non acciperet. Forte enim suspicarentur, ideo illum sua dona contempsisse, quia parva erant quæ offerebantur, ut magna consequeretur; et circumspiciens merita sua, non pecuniam refutaret, sed numerum indignum sibi æstimans contemneret. Ego, inquit, non accepi vestra, sed paratus sum vobis impendere mea; et inde minus a vobis diligor, quia non intelligitis quam charitativa mente hoc feci. Sed esto, hoc est sit, id est nunc concedamus istud, quia *ego non gravavi vos* per meipsum, accipiendo res vestras; *sed cum essem astutus, dolo vos cepi*, id est decepi vos callida arte simulationis, extrahendo vobis per alios bona vestra. Ironice dicit, nam pseudoapostoli affirmabant eum sic agere. Vel inquit : Talia de me suspicamini, sed effectu rei probatur quia falsa sunt quæ putatis. *Nunquid* enim *per aliquem eorum quos misi ad vos circumveni* et artificiose decepi *vos*, ut callide vobis per eos extorquerem res vestras? Hoc est quod dicit, quia quos misit, non illis hoc intimaverunt, ut si vellent placatum habere Apostolum, dignam quantitatem personæ illius offerrent, quoniam ideo noluisset accipere, quia minus quam dignum erat offerebatur. Quod compositum Apostoli astutia intelligerent, ut quod egit, non per contemptum, sed per avaritiam egisse putaretur. Vere, inquit, non circumveni vos per aliquem legatorum meorum, quia per Titum id non feci, per quem facilius hoc possem implere. Nam *rogavi Titum* ut ad vos pergeret, quia illi facilius obediebatis, *et misi cum illo fratrem*, cujus laus est in Evangelio, qui intelligitur Lucas. *Nunquid Titus*, cujus dictis facile acquiescebatis, *circumvenit vos*, callide vobis suadens ut mihi mitteretis aliquid? Nequaquam. *Nonne* enim *ambulavimus*, id est perseveravimus, *eodem spiritu*, id est eadem voluntate qua cœpimus, ut, sicut in principio nihil accipere a vobis voluimus, ita et deinceps? Et *nonne eisdem vestigiis* quibus cœpimus, id est eisdem passibus actionum semper ambulavimus, ut non in accipiendo perseveraremus? Una enim in bono sententia nostra esse probatur, exclusa omni suspicione avaritiæ, quando ab his quos misi nihil tale dictum aut factum est, in quo deprehenderetur avaritia. Vel ita : Non circumvenit vos Titus, sicut nec ego circumveneram. Quia nonne eodem spiritu, id est eadem bona voluntate ambulavimus ego et ille? Et nonne eisdem vestigiis ego et ille ambulavimus, id est eisdem operationibus per quas appareat voluntas? « Unaquæque enim arbor ex fructu suo cognoscitur (*Matth.* xii). »

« Olim putatis quod excusemus nos apud vos? « Coram Deo in Christo loquimur, omnia autem, « charissimi, propter ædificationem vestram. »

Olim putatis, id est dudum æstimatis, *quod excusemus nos apud vos*, id est quod causam excusationis quasi reus dicam, quia non gravavi vos? Jam diu est, quod de nobis dubitatis, arbitrantes quia non simpliciter agamus vobiscum, quoniam pseudoapostolis creditis, qui dicunt nos tergiversatione quadam dona vestra respuere, ut majora possimus accipere. Et putatis quod hujusmodi fictam conscientiam excusemus apud vos? Sed nos *coram Deo in Christo loquimur*, Coram Deo, sicut supradictum est loquitur, qui in omni quod dicit, humanos favores non appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit; nec suam, sed auctoris gloriam requirit. In Christo autem loquitur, cujus sermo totus in Christi veritate persistit, ut nec mendax sit, nec aliud quam Christum prædicet. Et nos ita coram Deo loquimur in Christo. Sed *omnia* hæc loquimur et facimus *propter vestram ædificationem*, ut bene de nobis sentiatis, et falsos apostolos repellatis, atque per doctrinam nostram in Christi templum ædificemini. Ædificationi enim vestræ proficit, quidquid de tribulationibus nostris et revelationibus supra diximus, et quod malam de nobis suspicionem a cordibus vestris tollimus, vel quod censum vestrum idcirco non suscepimus, ne auctoritatem nostræ potestatis qua vitiosos arguimus, inclinaremus. Sine dubio enim prodest ei, qui corripitur ut emendet, si præpositus ejus ideo oblata refutet, ut libere arguat.

« Timeo enim ne forte cum venero, non quales « volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem « non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, « animositates, dissentiones, detractiones, susurra « tiones, inflationes, seditiones sint inter vos : ne « iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, « et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et « non egerunt pœnitentiam super immunditia et for-

Digitized by Google

« nicatione et impudicitia quam gesserunt (*I Cor.* v).»

Omnia, ut præfatus sum, propter vestram ædificationem vobis loquor aut facio. Nam *timeo ne, cum venero, inveniam vos* incorrectos, quales *non volo* vos invenire, quod forte erit, quia ad utrumque se habet, et ex libertate arbitrii vestri potest quodlibet horum contingere. Ideo præparate vos, ne inveniam vos in vitiis perdurantes, quales invenire nolo; *et ego inveniar*, id est sentiar *a vobis* severus et asper, et peccata vestra juste puniens, *qualem non vultis* invenire. Ille enim invenit aliquem qualem non vult, qui se talem facit, ut discordet ab illo. Et ideo tales vos exhibete, ut non discordetis a mea sanctitate, ut, cum venero, possimus invicem gaudere. Scilicet *ne forte sint inter vos contentiones*, et cætera quæ in priore epistola reprehendi (*I Cor.* i), quando personis deferentes, et alterum alteri præponentes dissidebatis ab invicem. Contentio est, ubi non ratione aliquid sed animi pertinacia defenditur. Æmulatio est hoc loco invidia. Animositas est magna commoti animi adversus alterum pertinacia, qualis erat in illis, qui judicia habebant inter se, quæ deferebant ad infideles determinanda, et inde irascebantur ad invicem. Dissensio est, ubi non omnes in una voluntate et in uno sensu concordant, sed diversa volunt, et partes faciunt. Detractio est, quando quis bona alterius deorsum trahit (*I Cor.* vi), id est loquendo humiliat et premit, vel de ipsis bonis aliqua trahit, ut pauciora seu minora quam sunt ostendat ea esse. Susurratio, est quando quis murmurat et non in faeie loquitur alicui, sed de illo aliis male loquitur. Inflatio est, quando quis tumore cordis turgescit interius. Seditio est commotio civium invicem contra se. Et timeo, inquit, ne vitia hæc inter vos reperiantur, cum venero, ne sint inter vos contentiones de meritis prælatorum, ut erant dum diceretis, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ (*I Cor.* i). Et *æmulationes*, id est invidiæ, propter meliora charismata per quas minores solent invidere majoribus. Et *animositates* in repetitione rerum et ultione, propter quas solebatis apud infideles judicio contendere. Et *dissensiones*, id est mentium diversitates, aut voluntatum divisiones. Et *detractiones*, per quas alius loquendo detrahit, et aufert quidquid potest ex bene gestis alterius (*I Cor.* vi). Atque *susurrationes*, per quas latenter seminantur discordiæ. Et *inflationes*, per quas nonnulli quasi de excellentioribus meritis iutumescunt, et alios despiciunt. Atque *seditiones*, id est tumultus irascentium atque litigantium in populo usque ad percussiones. Timeo, inquam, ne in vobis talia reperiam, *ne*, scilicet, *cum venero, humiliet me iterum Deus apud vos*, id est ne, sicut dolui pro peccatis vestris, ita rursum doleam pro impœnitudine vestra, *et lugeam ibi multos ex his qui ante* primam epistolam *peccaverunt, et* adhuc permanentes in sua nequitia, *non egerunt pœnitentiam*. Illis in peccato perdurantibus, se dicit humiliari et lugere, quia ut pius pater incipit culpas filiorum deflere, et se pro his in orationibus et jejuniis affligere. Quis enim pater non gaudeat bene agentibus filiis? Sic iterum necesse est lugeat, si prave conversentur. Ideo admonet ut si qui non egerunt pœnitentiam, sicut alios significat egisse, non agant eam, ut veniens sine tristitia sit cum illis. Cum enim dicit, et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam, probat quosdam ex his pœnitentiam egisse, quosdam vero non agere. Agenda est autem pœnitentia omnibus qui peccaverunt, quia non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi et de his quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Non egerunt, inquit, pœnitentiam *super immunditia*, id est de immundissima perpetratione libidinis quæ fit inter mares, vel ab uno solo: *et fornicatione*, quæ fit cum publicis meretricibus, quæ prostant in fornicibus, unde etiam fornicatio dicitur; *et impudicitia*, quæ fit cum feminis suæ consanguinitatis, sicut cum sorore vel nepte, sive fratris uxore, et vocatur incestus. Et cum de his tam exsecrandis libidinum perpetrationibus pœnitentiam fieri suadeat Apostolus, patet quia non est ulla criminum tam horrenda macula, quæ per pœnitentiam deleri non possit.

CAPUT XIII.

« Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum « vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* xvii; « *Matth.* xviii; *Hebr.* x; *I Joan.* viii). Prædixi enim « et prædico ut præsens vobis et nunc absens, his « qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. »

Timeo, inquit, ne tales vos invæniam quales nolo, et inveniar a vobis durus cum venero. Ideoque ne differatis pœnitentiam agere, quia ego non differam venire. Nam *ecce* certum sit vobis quia in proximo *venio ad vos hoc tertio* apparatu. Non dixit quod bis venerit, et hac tertia vice venturus sit, sed quod bis se præparaverit, et venire nequiverit, hoc autem tertio apparatu venturus sit. Tertio, inquit, venio. *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* xvii). Hoc in lege dictum est, ut aliquis duobus aut tribus testibus aut purgetur aut condemnetur. Ita et hi secundo vel tertio adventu Apostoli, aut purgati invenientur, aut damnabiles. Vel præsente Apostolo, omne verbum accusationis sive excusationis stabit in ore duorum aut trium testium, id est stabile et ratum erit sub assertione duarum aut trium idonearum personarum. Ubi innuitur quia prælatus Ecclesiæ, licet ipse pro certo sciat culpam cujuslibet subjecti sui, non tamen potest eum condemnare, nisi eadem ejus culpa duobus aut tribus testibus fuerit probata. Testibus, inquit, egebit qui se coram me excusare voluerit. Nam *prædixi*, dum essem apud vos, et adhuc *prædico ut* tunc *præsens*, ita *et nunc absens his qui ante* epistolam *peccaverunt, et cæteris omnibus*, qui post peccave-

Digitized by Google

runt, *quoniam si iterum venero, non parcam* eis, sed puniam eos; vel si venero, non parcam eis iterum, sicut olim peperci. Pridem se dixisse significat præsentem ut corrigerent se, ne cum pudore corriperentur; et nunc iterum absentem eadem se dicere contestatur, ut post secundam correptionem, si se non emendaverint, parci eis non debeat.

« An experimentum quæritis ejus, qui in me « loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, « sed potens est in vobis? Nam, etsi crucifixus est « ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Nam et « nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex « virtute Dei in vobis. »

Dixi quia non parcam incorreptis, sed puniam eos. Et *an quæritis experimentum eius qui in me* ista *loquitur*, qui est *Christus*, id est vultis experiri si Christus audeat punire, ut non dicam si ego audeam, sed Christus qui in me manet et loquitur? Experimentum quærunt Christi loquentis in Apostolo, dum præceptis ejus non obediunt, volentes probare si audet vindicare, ut per hoc intelligatur esse firmæ auctoritatis, ac de cætero timeatur. Qui enim magistrum contemnit, emendare se non quærit. Et notandum quod doctrina ejus non hominis, sed Christi esse probatur, quam qui reprehendit, contumax invenitur. Christus enim in eo loquitur intrinsecus omnia quæ ipse loquitur extrinsecus; et Christum in eo tentat, qui vult experiri si ipse peccantes ferire audeat. Ideo non de se, sed de illo terrens, an quæritis, inquit, experimentum, id est probationem ejus qui in me loquitur Christus? Et addit : *Qui non infirmatur in vobis*, id est inter vos, *sed potens est* in vos. Non infirmus, sed potens inter eos apparuit, quando per Apostolum signa et prodigia fecit, et diversa charismata gratiarum dedit. Quod experti sciant, quia et in eos puniendos est potens, si eum irritaverint. Vere potens est punire peccantes. *Nam, etsi crucifixus est ex infirmitate* carnis, qua visus est impotens fuisse contra suos hostes, *sed*, id est tamen, *vivit* æternaliter *ex virtute Dei*, id est ex eo quod ipse est Deus. Ex nostra enim infirmitate occisus, resurrexit ex virtute sua et Patris. Vere nunc perenniter et in carne vivit, licet prius in ea infirmus fuerit. *Nam et nos infirmi sumus in illo*, id est nos apostoli in ejus prædicatione plagas infirmitatis sustinemus, dum pro ejus nomine cædimur, et variis injuriis afficimur; *sed vivemus* cum eo, id est in simili beatitudine resuscitati ad æternam vitam *ex virtute Dei*. Virtute enim Dei resurgemus, ut semper cum Christo vivamus. Et hoc *in vobis*, quia mors martyrum floret in fide populorum. In vobis, id est in cordibus vestris vivemus cum Christo, quia intelligetis nos vivere cum eo. Non est ergo mirum, si Christus ex virtute divinitatis vivit, cum et nos qui multo minores sumus, ex eadem virtute victuri simus.

« Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos « probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia « Christus Jesus in vobis est, nisi forte reprobi « estis? »

Dixi quia nos vivemus in vobis. Nam fidem accepistis a nobis. Et ideo *tentate*, id est discutite et probate *vosmetipsos, si estis in fide;* et si vos esse in fide videritis, tunc nos in vobis vivere cognoscatis. Dum auditis quia nos pro fide tot tribulationes patimur, tentate, id est probate vosmetipsos; et si estis in fide, *ipsi vos probate.* Ac si dicatur : Persecutionum certamina ad mentem reducite, et cordis vestri intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia valeatis existere, invenite. *Annon cognoscitis vosmetipsos*, id est non cognoscitis quales sitis intus, scilicet *quia* per fidem, quam a nobis accepistis, *est Christus Jesus in vobis?* Qui enim fidei sensum in corde habet, hic scit Christum Jesum in se esse. Et vos ita scitis eum in vobis esse, *nisi forte reprobi estis.* Hoc est enim reprobum esse, nescire fidem professionis suæ. Reprobus enim, id est retro a probitate alienus, qui probitatem fidei et bonæ operationis, quam in baptismo accepit, ignorat vel deseruit. Et vos cognoscitis quia per sensum fidei et per affectum dilectionis, ac strenuitatem rectæ actionis est Christus in vobis, nisi forte reprobi estis, id est ab eo quod prius cœpistis, retro conversi et a Deo rejecti.

« Spero autem quod cognoscetis, quia nos non « sumus reprobi. Oramus autem Deum ut nihil « mali faciatis, non ut nos probati pareamus, sed « ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut « reprobi simus. Non enim possumus aliquid ad- « versus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus « enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem « potentes estis. Hoc et oramus vestram consum- « mationem. Ideo enim hæc absens scribo, ut non « præsens durius agam secundum potestatem quam « Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in « destructionem. »

Provocat eos ad scientiam fidei et rectæ vitæ. Cum enim cœperint scire apostoli sui certam auctoritatem et meritum apud Deum, poterunt et ipsi circa se esse solliciti. In vobis, inquit, habitare Christum cognoscitis, nisi forte reprobi estis. Sed quidquid de vobis sit, de nobis *spero quod* amodo cognoscetis, *quia nos non sumus reprobi*, sed electi Dei. Dum enim falsos apostolos nobis præferretis, illos putabatis divinitus electos esse, nos autem reprobatos. Sed spero quia per hujus epistolæ doctrinam cognoscetis, quod non nos, sed illi sunt reprobi; et ideo relictis illis, monita nostra sequemini. Vel qui Christum in nobis tentabatis, volentes experiri si possemus in peccantes vindicare, spero quod cognoscetis quia nos non sumus reprobi, id est per aliquam culpam a nostra potestate privati, cum videritis nos delinquentes apud vos potenter arguere. Sed *oramus Deum* ut hoc non eveniat, oramus Deum *ut nihil mali faciatis*, propter quod sit necesse ut a nobis arguamini. Poterat dicere, monemus vos ut nihil mali faciatis. Quod quidem si diceret, certum dice-

Digitized by Google

ret, quia et voluntas nostra aliquid agit, sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere, oramus, ut gratiam commendaret, ut intelligerent quando non faciunt aliquid mali, non sua voluntate sola se vitare malum, sed adjutorio Dei implere quod jussum est. Oramus, inquit, Deum, sine quo nihil valet humanæ voluntatis arbitrium, ut nihil mali faciatis, *non ut nos probati appareamus*, id est non ut in auctoritate videamur vobis peccantibus; sed potius *ut vos quod bonum est faciatis, non autem ut* quasi *reprobi simus*, id est quasi sine potestate. Non orat ut ipse sit reprobus, sed ut his bene agentibus, dum non audent corripere, quasi humilientur, et humiliati vel reprobi appareant. Probati enim a Deo videntur, dum judicant peccatores auctoritate concessa. Si ergo quos judicent non sint, cessante in his auctoritate, quasi reprobi videntur. Nam ne putentur et injuste posse damnari, apte subditur : *Non enim possumus*, etc. *Simus*, inquit, id est pareamus reprobi, non habentes quid vindicemus. *Non enim possumus aliquid adversus veritatem*, id est potestas non est nobis data contra veritatem, ut arguamus eos qui in veritate ambulant, id est bene vivunt; *sed pro veritate* tuenda, ut vindicemus in eos qui inimici sunt legis. Ideoque cessabit potestas, si illi quod bonum est fecerint. Unde Romanis dictum est : « Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa (*Rom.* XIII). » Qui ergo potestatem non timet, bonum operando, evacuata est apud eum potestas. Hoc est quasi reprobum esse, quia hoc in eo cessat, unde probatur potestas. Ob hoc autem oramus Deum ut nihil mali faciatis, quia gaudemus nos quoniam sumus infirmi, id est quod non est necesse ut nostra virtus apparcat puniendo peccantes. Hoc est enim infirmari, potestatem non exercere. Gaudemus, si nos taliter infirmi sumus; sed *vos potentes estis*, id est si bene agentes vitia vincitis, ut prohibeatis a vobis vindictam aut correptionem. Tunc enim potentes estis, quando vitiis fortiter prævalentes, potestatem nostram non timetis. *Hoc* etiam *oramus* agere *vestram consummationem*, id est rogamus vos ut in eo perficiamini, ne peccetis, consummati in virtute bonæ vitæ et incorrupta fide. Et quia id volo atque oro, *ideo hæc* quæ ad correptionem vestram dixi, *scribo vobis absens, ut* cum fuero *præsens non agam* in vobis *durius* quam volo, ut scilicet correctiores inveniam vos, et non coram hominibus increpem cum pudore, ne qui peccaverunt erubescant in cœtu fraterno. Hæc scribo, ne durius quam vultis agam *secundum potestatem* arguendi et puniendi reos, *quam Dominus mihi dedit in ædificationem, et non in destructionem*, id est ut per hanc subjectos meos ædificem, et non destruam. Si enim peccata illorum reliquero impunita, destruam, et non ædificabo; item, si bene agentes puniero, destruam, et non ædificabo. Sed ita discrete exercenda est hæc potestas ad ædificationem, et non ad destructionem, ut bene agentes ad meliora hortemur, et male agentes arguamus, ut correpti ædificentur. Non enim destruuntur, qui arguuntur ut se corrigant, sed potius ædificantur. Sic exercenda est potestas, ut et pœnitentes absolvamus, et impœnitentes vinculo anathematis astringamus. Qui aliter agit, perverse utitur hac potestate, et in oculis Dei se privat ab ea.

« De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idipsum sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. »

Hucusque vos ad dilectionem et correctionem monui, ut de his quæ hactenus male egistis, corrigamini. Sed *de cætero*, id est de reliquo vitæ vestræ spatio, *gaudete*, id est de conscientia bonorum meritorum gaudium habete, et peccata, de quibus iterum contristari necesse sit, cavete. Et ut gaudere possitis, *estote perfecti* in bonis operibus. Et ut perfecti sitis, *exhortamini* alius alium, ut unusquisque magis magisque provehatur in perfectione virtutum. Et in ipsa perfectione *idipsum sapite* omnes, ut non sit inter vos ulla dissensio, sed unum sentiatis. Vel certe vos perfecti exhortamini minores ad eamdem perfectionem, et vos minores idipsum sapite quod majores, ne ab eis jam dissentiatis. Et omnes tam majores quam minores, *habete* simul *pacem*, ne sit amplius in vobis prior discordia, sed sicut unius corporis membra sitis ad invicem omnes concordes. Et si hæc feceritis, tunc *Deus pacis et dilectionis*, id est Christus, *erit vobiscum* adjutor in omnibus et director. Christus enim est Deus pacis et dilectionis (*I Cor.* I), quia dixit suis : « Pacem meam do vobis (*Joan.* XIV), » etc. Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem (*Joan.* XV). Cum quibus ipse est, sicut ait : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Sequitur :

« Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos « omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi, « et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus « sit cum omnibus vobis. Amen. »

Ut pax sit inter vos, *salutate invicem in osculo* non doloso vel libidinoso, sed *sancto*, id est in Christo, vera pace pleno et casto. Et sic facere libenter debetis, quia ita optant *omnes sancti*. *Salutant* enim vos, ut ex voto salutationis eorum proficiatis, et ipsorum sanctitatem imitemini. Illi vos salutant, et ego affectuosius, dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, quia gratis peccata condonantur, atque salus tribuitur; *et charitas Dei* Patris, qua nos ita dilexit, ut Unigenitum suum pro nobis in mortem daret (*Joan.* III); *et communicatio sancti Spiritus*, qui in utraque re, id est in prædicta gratia et charitate communicavit Christo et Deo, communiter et pariter operans cum illis humanam salutem, sit *cum omnibus vobis*, majoribus atque minoribus seu mediocribus. Trinitas hic complexio est, et unitas potestatis, quæ toties nostræ salutis perfectio est. Charitas enim dimisit nobis Salvatorem Jesum, cujus gratia salvati sumus; et ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritus sancti. Hæc enim dilectos a Deo et salvatos gratia Christi tuetur, ut trium perfectio, consummatio sit hominis in salute.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

Galatia est regio in Asia, cujus incolas Paulus ad fidem convertit, ac bonis moribus informavit. Cumque recessisset ab eis, ut et aliis gentibus more suo prædicaret, venerunt pseudoapostoli et prædicantes eis carnalem legis observationem, in tantum eos subverterunt, ut illorum sententiis assensum verbo et favore (necdum tamen opere) præberent, ita ut circumcisionem et Sabbatum, neomenias quoque et cætera hujusmodi vellent observare. Nam prædicti seductores multis modis suadebant eis carnales observantias, dicentes fidem Christi non posse sufficere ad plenam justificationem et salutem, nisi ex antiquo more servarentur. Et ideo suadere facilius poterant, quia Petrus et cæteri apostoli, qui cum Domino fuerant, permiserunt ad tempus judaizare primitivam Ecclesiam, ne scandalum Judæis facerent. Non enim mox potuerunt destruere Judaismum, sed paulatim ad veritatis sinceritatem Judæos converterunt, quia si in primo aditu omnes ritus illorum inciperent destruere, fidem nostram potius abhorrerent quam susciperent. Paulus vero, quia gentibus nullum ritum Mosaicæ legis habentibus prædicabat, discipulos suos nullatenus judaizare sinebat, sed in observantia evangelicæ veritatis eos instruebat. Propterea pseudomagistri dicebant circumcisionem esse necessariam, quoniam magni apostoli, qui a Domino Jesu instituti fuerant, hanc prædicabant; quod tamen non faciebant, sed propter scandalum evitandum intentione bona hanc adhuc servari permittebant. Et ideo pessimi deceptores occasione inde accepta, circumcisionem et carnales observantias illos prædicasse dicebant; atque Paulum, quoniam easdem observantias destruebat, in quantum poterant deprimebant, dicentes quia non viderat Christum, et quia aliud quam cæteri apostoli qui Dominum viderant, prædicabat Evangelium, et ita nullo modo illi esse credendum. Intendit itaque nunc Apostolus ab Epheso scribens, redarguere Galatas, quia pseudoapostolos receperant, et prædicationi eorum assensum præbebant, volentes circumcidi et rigorem legis observare. Et prius insistit ac immoratur in auctoritatis suæ commendatione, ut postea majus pondus habeant verba sua. Nam facta sui commendatione, ingreditur carnales observantias multis modis et rationibus disputando destruere. Post secundam ad Corinthios hæc congrue locata est, quoniam affinitatem quamdam cum illa obtinuit in modo reprehensionis. In utraque enim reprehenduntur, qui pseudoapostolos recipiebant, et eorum prædicationi, postposito veritatis Apostolo, acquiescebant. Et ob hoc etiam, quia in illa Corinthii reprehenduntur non solum ex receptione pseudoapostolorum, sed etiam quia multis et variis vitiis erant irretiti. Galatæ non alia de causa redarguuntur in ista, nisi quia pseudoapostolorum falsitati sine aliqua ratione animum implicabant. Ideo et ista sequitur post illam, quia cum in illa niteretur Apostolus in carnalium observantiarum destructionem, in ista fortius ad earum tendit annihilationem in illa multis modis denotat pseudoapostolos, in ista anathematizat illos. Sic autem incipit :

CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus non ab hominibus, neque per
« hominem, sed per Jesum Christum et Deum Pa-
« trem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum
« sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ. Gratia vobis
« et pax a Deo Patre nostro, et Domino nostro Jesu
« Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis no-
« stris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam,
« secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est
« gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

Ut ipsi recognoscant eum qui mittit, præponit nomen suum, quod est *Paulus;* et nomen officii sui vel dignitatis subjungit, id est apostolus. Vult enim illos auctoritate sua ad se audiendum constringere. Illis namque sicut dictum est, primo prædicaverat, et eorum apostolus erat. Quasi dicat : Vos, Galatæ, abjicite mendacium et fictorum falsitatem, ac sub specie veri superinfusam simplicitati vestræ venenositatem, et ad apostolum vestrum qui doctor est veritatis, intendite, quia Paulus, qui interpretatur *electus* vel *mirabilis*, scribit vobis et cujus nomen per multas Ecclesias in auctoritatem recipitur, quod non est de pseudoapostolis, quia nec electi sunt divinitus, nec in operatione signorum mirabiles existunt, nec ullius auctoritatis apud fideles sunt. Et *apostolus*, id est vere missus, scilicet non usurpans officium alterius, quoniam verus existit apostolus. Pseudo autem apostoli invadunt aliorum officia, nec mittuntur, sed impudenter se ingerunt, et innocentium corda sub veritatis specie fallunt. De quibus per Jeremiam Dominus ait : « Non misi eos et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos (*Jer.* XI). » Et iterum : « Non mittebam eos, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant (*Jer.* XIII). » Ideoque nullatenus eis est eis acquiescendum. Paulus vero, ut dictum est, apostolus est, id est missus, *non ab hominibus*, sed a Deo. Quatuor modis fit apostolorum, id est missorum electio : a Deo, et non ab hominibus; a Deo et ab hominibus; ab hominibus et non a Deo; nec ab hominibus, nec a Deo, sed a diabolo vel a seipso. A Deo et non ab hominibus, sicut Moyses et Aaron

Digitized by Google

divinitus missi sunt ad Pharaonem (*Exod.* IV, X). A Deo et ab hominibus, sicut Josue et Caleb missi sunt ad explorandam terram (*Num.* XIII; *Deut.* I). Ab hominibus et non a Deo sicut factum est, quando « Pharisæi consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone, et miserunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, etc. (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX). » Nec ab hominibus, nec a Deo, sed a diabolo vel a seipsis, sicut pseudoapostoli, qui instigante Satana, sine electione se ingerunt, et in aliorum messem mittere falcem præsumunt (*I Joan.* II). Paulus itaque in primo genere electionis invenitur, quia non ab hominibus, ut ab apostolis ; neque per hominem, ut per Ananiam, qui baptizavit eum, est electus in apostolum (*Act.* IX), sed per Jesum Christum, et per B Deum Patrem, nec per mortalem Christum, sicut Petrus et Andreas (*Joan.* I) ; sed per immortalem, quia Pater suscitavit eum a mortuis. Per hoc quod præmittit Christum, et subjungit Patrem, innuit eum esse Patri æqualem ; et quod nullus ad Patris gratiam pertingit, nisi per eum, sicut ipse dixit : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV). » Priores apostoli sunt electi per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem, Paulus vero novissimus apostolus per Christum jam Deum totum, id est ex omni parte immortalem. Hoc enim ait, non ab hominibus, *neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem*, quasi Christus Jesus non sit homo. Sequitur enim : *Qui suscitavit eum* C *a mortuis*, ut hinc appareret cur dixerit, neque per hominem. Proinde propter immortalitatem jam nunc non homo Christus Deus, propter substantiam vero naturæ humanæ, in qua ascendit in cœlum, « et mediator Dei et hominum et homo Christus Jesus (*I Tim.* II). » Per quod innuitur, quia cum Paulus differret a primis apostolis ex eo quod Dominum in carne non viderat, nec ei in terra degenti cum cæteris adhæserat, suppletum est sibi ex ipsius Christi dignitate, quod deerat ex tempore, quia electus est ab immortali et impassibili, ac per hoc adæquatur prioribus apostolis. Illi enim tam longo tempore Christum sequentes, vix potuerunt discere Evangelium ; hic autem brevi spatio raptus in tertium cœlum et in paradisum, non solum didicit D inter angelos quæ docturus erat inter homines, sed et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII). Hujus enim apostolatus consecratus est in cœlo, cæterorum autem in terra. Quia ergo electus est non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum non mortalem sicut præcessores apostoli, sed resuscitatum et per Deum Patrem, acquiescendum est incunctanter dictis ejus, non falsitati pseudoapostolorum. Ac si dicat : Paulus talis et ita electus, scribit *Ecclesiis Galatiæ*, id est conventiculis fidelium, quæ sunt localiter in illa provincia quæ vocatur Galatia, moraliter vero in transmigratione, quoniam ad servitutem legis ex libertate gratiæ cœperunt transmigrare. Galatia nam-

que interpretatur *transmigrata*, vel *transmigratio*. Et apte sic interpretatur eorum regio qui ad perfidiam a fide migraverunt, ut et ipsa terra quam inhabitant, nomine suo testetur instabilitatem eorum. Ego Paulus eis scribo, *et omnes fratres qui sunt mecum*, quos constat esse magnos apud Deum et apud Ecclesias, qui de eorum subversione sunt vehementer contristati. Quod ponit omnes fratres, retrahit multum illos ab errore, quia ostendit non tantum sibi displicere, sed etiam multitudini prædicatorum, quos Galatæ sic diligebant, ut eos nollent offendere. De Apostolo enim fortasse parum curarent, quia maguam de eo suspicionem fecerant illis pseudoapostoli, male loquentes de illo. Idcirco ponit omnes qui secum erant, ut vel propter illos Galatæ resipiscerent, quia citius resipiscit qui suum errorem multis et maxime amicis displicere intelligit. Facta commendatione, ostendit eis optationem salutis ipsorum, subdens : *Gratia et pax sit vobis a Deo Patre nostro, et a Domino Jesu Christo*. Ac si dicat : Quod vobis dico vel dicturus sum, non venit ex malevolo animo, sed ex nimia dilectione et vestræ correptionis sollicitudine. Quod ex hoc patet, quia opto ut non ira et discordia, sed gratia et pax sit vobis a Patre et Filio. Meruistis enim iram, quia abjecistis gratiam ; et amisistis Dei pacem, quia fecistis discordiam, sed nunc rogo ut finita ira Dei, quæ super vos redit, et discordia qua rebellare cœpistis, sit vobis reconciliatis gratia Dei, qua vobis peccata remittantur, et familiaris Dei amor tribuatur ; et pax, qua semper ejus voluntati mente et operibus concordetis. Et hæc gratia et pax detur vobis non a carnali observantia legis, sed a Deo Patre, et a Christo ejus, qui Christus est noster Dominus, quia dominium super nos acquisivit, ubi nos de manu seductoris eripuit. Nam *semetipsum dedit hostiam pro peccatis nostris delendis*, nullas legis oblationes quærens, ut justo sanguine suo principem iniquitatis potenter vinceret, ac nos a jugo ejus liberans, *eriperet de præsenti sæculo nequam*, ubi tot laqueos adhuc tendit ille deceptor. Nequam dicitur hoc sæculum, tum quia sæculum est invitans nos ut illud sequamur, et generans nequitias ex concupiscentiis suis in cordibus sequentium suorum, tum quia nostris sensibus quinque præsens est, offerens se nobis per illecebras suas ad videndum non videnda, et audiendum non audienda, sicque de cæteris sensibus. Vel dicitur nequam, propter nequissimos homines qui in eo sunt, sicut mala domus quæ malos habet habitatores. Dedit, inquam, se Dominus ut nos eriperet, et hoc secundum piam *voluntatem Dei et Patris nostri*, quia non legalibus sacrificiis, sed oblatione corporis Christi completa est Patris voluntas, qui in hac ereptione nostra, se Deum et Patrem nostrum esse declarat. Nam qui per unigenitum suum nos creaverat, per eumdem post lapsum culpæ, ad antiquam vel sublimiorem dignitatem reducit, et affectu paternæ dilectionis nos in adoptivos filios assumit. *Cui pro* hac eruptione nostra *est gloria* cum eodem Filio et Spiritu

Digitized by Google

sancto perseverans *in sæcula sæculorum*, id est in universitatem æternitatis. *Amen*, id est *vere*.

« Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, « qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evan- « gelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui « vos conturbant, et volunt convertere Evangelium « Christi. »

Qui in aliis epistolis a gratiarum actione et laude solitus est incipere, in hac incipit a redargutione. Mentes enim duræ, nisi aperta essent increpatione percussæ, nullo modo malum cognoscerent quod egissent. Nam sæpe hi qui impudentes sunt, tantum se peccasse sentiunt, quantum de peccatis quæ fecerunt, increpantur, ut minores culpas suas æstiment, quas minor invectio castigat; et quas vehementer objurgari viderint, majores esse deprehendant. Unde necesse est ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut verecundis aspera, aut impudentibus levia loquatur. Hoc itaque Paulus ostendens, alios leniter incheat alloqui; Galatas vero, quos a fide discessisse cognoverat, ab ipso epistolæ exordio post salutationem invehendo redarguit. Et etiam quia omnes erant subversi, vel jam in ipso motu, de quibus gratias ageret non habebat; ideo velut ex quadam mentis commotione de illorum subversione incipit, ut per hoc citius eos revocet, et quasi ex abrupto inchoat. De re enim magna et insolita mirari consuevimus. Et idcirco ut ostendat eos Deum graviter offendisse, subito velut abruptum ponit initium, dicens : *Miror quod* vos prius in fide et bonis operibus instituti, nunc *transferimini sic*, id est ita incaute et temere a nova libertate ad antiquam servitutem; *tam cito*, id est tam brevi spatio temporis, quia si per longi temporis assiduitatem seduceremini, non esset tam mirum, sed nunc est valde mirandum. Non ait, translati estis; sed transferimini, ostendens eos nondum ad hoc pervenisse, ut Judaicum ritum susciperent, sed in ipso motu perveniendi jam esse. *Transferimini*, inquit, et hoc non a malo ad bonum, sed a bono ad malum, quoniam *ab eo* Patre, *qui vos* gratuita bonitate sua *vocavit in gratiam Christi*, id est in remissionem peccatorum et justificationem, quæ in Christo datur fidelibus, transferimini *in aliud Evangelium*, id est in aliud dogma quod a pseudoapostolis prædicatur, et videtur vobis esse Evangelium, id est bonum nuntium, *quod* tamen *aliud non est* Evangelium, quia non potest aliud esse nisi illud quod prædico. Quod autem pseudoapostoli prædicant, Antichristi prænuntiatio est, non Evangelium Christi. Non est, inquam, aliud Evangelium præter illud quod prædico (*I Joan.* II), *nisi sunt aliqui qui vos conturbant*, id est nisi quantum ad reputationem illorum, qui more limpidæ aquæ mentem reddunt vestram turbulentam. Vel quod transferimini non est aliud, nisi hoc quod sunt aliqui qui vos conturbant, id est qui sincerum vestræ fidei sensum admistione falsitatis fœtidum ac cœnosum faciunt, *et volunt*, etiam *convertere* A *Evangelium Christi*, id est cum carnales observantiæ convenienter sint versæ in Evangelium Christi, hoc est umbra in veritatem, ipsi volunt ordine contrario veritatem ad umbram vertere, ut Evangelium annulletur, et carnales observantiæ teneantur. Vel transferimini in aliud Evangelium, in Testamenti Veteris observantiam, quod tamen non est aliud, id est non est diversum a Novo. Si enim spiritualiter intelligatur Vetus, nihil discrepat a Novo. Non est, inquam, aliud nisi sint aliqui qui vos conturbant, id est si desint illi qui carnaliter et perverse illud exponunt, intelligetis Vetus nihil esse aliud in sensu quam Novum. Conturbant enim velut aquam mentem vestram, ne puritatem habeatis aquæ illius, quæ de Jesu ventre fluit credentibus; et B in alium sensum convertere Evangelium, quod fieri non potest (*Joan.* VII), cum Joannes dicat : « Vos quod audistis ab initio, maneat in vobis (*I Joan.* II). » Unde per Scripturas sanctas Evangelium æternum et Testamentum æternum appellatur pro eo quod nunquam mutabitur, sicut Testamentum Vetus est mutatum, sed ut a Christo datum est, permanebit.

« Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet « vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, « anathema sit, sicut prædiximus, et nunc iterum « dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod « accepistis anathema sit. »

Ipsi volunt, ut diximus, Evangelium convertere. C Sed quicunque illi sint, omnes anathematizentur. Quod non de quibuslibet nunc ita dico, sed etiam de me ac sociis meis, etiam de cœlesti angelo, quia si evangelizaremus vobis aliud Evangelium, anathematizandi essemus. *Licet* enim *nos* ipsi vellemus ea quæ vobis prædicavimus, immutare, non esset nobis credendum; *aut* licet *angelus de cœlo* visibiliter veniens *evangelizet*, si fieri queat, *præterquam* hoc *quod evangelizavimus vobis anathema*, id est condemnatus sit. Non se tantummodo, sed etiam angelum posuit, ne si illos seductores posuisset, causa invidiæ fecisse videretur. Et per hoc ostendit, quia si ipse vel summus angelus pro annuntiatione falsi dogmatis anathematizandus esset, multo magis pseudoapostoli. Unde sententiam repetit ac validius confirmat, D dicens de quolibet, quod de se et angelo dixerat; *Sicut prædiximus*, inquit, ego et omnes qui mecum sunt, ita *et nunc iterum* repetens *dico : Si quis* vel homo vel angelus, quicunque ille sit, *evangelizaverit vobis præter id quod accepistis*, id est prædicaverit aliud quam quod vobis tradidimus, ut in prædicatione sua excedat regulam fidei quam didicistis, et exorbitet de via veritatis quam a nobis accepistis, *anathema sit* ille, id est condemnatus vel anathema, id est alienatus ab Ecclesia Dei. Anathema quippe *condemnatus* interpretatur, sive *alienatus* vel *alienatio*. In eo autem quod ait, licet nos aut angelus, etc., videbat posse fieri ut aliqui ex his qui apostolicæ perfectionis esse creduntur, adhuc devient ad falsitatis annuntiationem, videbat posse

Digitized by Google

fallacem mediatorem transfigurare se in angelum lucis (*II Cor.* II), et aliquid falsum annuntiare.

« Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An « quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus « placerem, Christi servus non essem. »

Quasi aliquis diceret : Tu Paule, cur sic aspere loqueris? Ideo ponit istud, ac si dicat : Merito sic loquor. Quia *suadeo modo hominibus, an Deo?* id est fit nunc suasio et exhortatio et prædicatio mea ad hominum voluntatem et honorificentiam, an ad Dei voluntatem et gloriam? Non ad hominum, sed ad Dei gloriam spectat, quod ego nunc vobis suadeo. Olim vero serviebat suasio mea voluntati hominum, cum ob gratiam pontificum traherem Christianos, et suaderem illis ut a Christo recederent. Sed increpando loquitur Apostolus per interrogationem. Unde et adjungit : *An quæro hominibus placere*, subauditur sicut olim quærebam placere Judæis, cum a principe sacerdotum litteras accepissem pergens Damascum (*Act.* IX)? Nequaquam illis jam placere quæro, quia *si adhuc* post baptismum *placerem hominibus*, prædicando carnales observantias, tunc *non essem Christi servus*, id est non servassem spiritalia Christi præcepta. In omnibus his contrarius est Paulus pseudoapostolis, quoniam suasio illorum spectabat ad honorem hominum, non ad Dei gloriam, dum suaderent credi, hominem posse justificari ex operibus legis, non ex fide Christi; et ipsi quærebant hominibus placere, id est perfidis Judæis, ob quorum gratiam se per mundum disperserant ad subversionem fidelium. Aliter quoque potest intelligi quod Apostolus non quærebat hominibus placere, quia non hoc in suis operibus intendebat, ut ipse laudaretur ab hominibus, sed ut per ea quæ faciebat, glorificaretur Deus. Quisquis enim se apud homines jactat, et ita ventilat bona opera sua, ut finem eorumdem operum in laude hominum ponat, eamdemque laudem hominum quasi mercedem computet operum suorum, necdum Christi servus est. Quisquis vero bona quæ facit aut loquitur, idcirco placere cupit hominibus, ut eos ad imitationem bonæ conversationis trahat, vel ad Dei laudem corda eorum accendat, non hominibus quærit placere, sed Deo (*I Cor.* X). Hoc etenim modo Paulus placebat hominibus, qui se alibi per omnia omnibus placere testatur. Sed quia hypocritarum more, qui transitorias laudes, non salutem videntium ex suis operibus quærunt; nolebat hominibus placere, ideo nunc se illis placere denegat.

« Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, « quod evangelizatum est a me (*I Cor.* XV), quia « non est secundum hominem. Neque enim ego ab « homine accepi illud, neque didici, sed per revela- « tionem Jesu Christi. »

Superius dixerat se apostolum esse, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum; et hoc nunc probat, suamque personam commendat, ut ea quæ post dicturus est, accipiant ut authentica. Multum enim per pseudoapostolos imminuta fuerat apud Galatas ejus auctoritas. Non sum, inquit, missus ab homine, sed a Christo; nec suasio mea voluntati hominum famulatur, sed Dei; quia nec doctrinam quam prædico, accepi ab homine, sicut vos putabatis. Nam modo *notum facio vobis, o fratres*, quod ignorabatis, scilicet quantæ auctoritatis sit *Evangelium, quod* tam vobis quam aliis *evangelizatum*, id est prædicatum *est a me, quia non est secundum* auctoritatem alicujus hominis, sed potius secundum auctoritatem ipsius Christi. *Neque enim ego ab homine illud accepi*, id est non est mihi injunctum ab homine. Quia vero posset non injunctum sibi fuisse ab homine, idcirco addit : *neque* etiam *didici* illud ab homine. Non ab homine didici, *sed per revelationem Jesu Christi.* Ipse me docuit, ipsemet injunxit mihi. Hic ostendit quia sicut antiqui prophetæ de futura Christi incarnatione, passione ac resurrectione et ascensione per spiritum prophetiæ sunt docti, sic ipse hæc omnia de Christo jam præterita, per eumdem prophetiæ spiritum, ipso Christo docente, cognovit. Spiritus enim prophetiæ non solum ex futuro tangit animum prophetizantis, sed etiam ex præterito, sicut nunc declaratur animum Pauli tetigisse. Nam et Moyses de præteritis prophetavit, dum ea scriberet, quæ facta sunt in principio mundi, priusquam homo creatus esset.

« Audistis enim conversationem meam aliquando « in Judaismo, quoniam supra modum persequebar « Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficie- « bam in Judaismo supra multos coætaneos meos in « genere meo, et abundantius æmulator existens « paternarum mearum traditionum. »

Ad commendationem sui, probat apertius quia non didicit Evangelium ab homine. Non didici, inquit, ab homine; nam nec ante conversionem meam, nec post conversionem. Ante conversionem non didici, sed potius persecutus sum Ecclesiam. Hinc enim patet, quia tunc Evangelium non didici, cujus eram inimicus. *Audistis enim* et vosipsi *conversationem meam*, quæ fuit aliquando in Judaismo, id est in Judæorum religione, *quoniam supra modum* cæterorum Judæorum *persequabar Ecclesiam Dei* zelo legis accensus, fugando sanctos, et ad pœnam trahendo vinctos, *et expugnabam illam*, id est devastabam, cupiens ipsam prorsus delere. Vel supra modum patientium; id est supra quam quod possent fideles pati, et hæc agens *proficiebam* secundum scientiam et observantiam legis carnalem in Judaismo, id est in ritu Judaico, quia et carnaliter intelligebam Scripturas, magisque ac magis ipsas observabam. Et hoc non supra senes, qualis erat Gamaliel magister meus et cæteri tales, quod videretur mirum (*Act.* XXII); sed *supra multos coætaneos meos*, non supra omnes qui erant ætatis meæ, et non proselyti, sed *in genere meo*, id est in filiis Israel. Et quia plus intelligendo et adimplendo proficiebam, ideo et *abundantius* existebam *æmulator paternarum*

Digitized by Google

mearum traditionum, id est ferventiori zelo conabar ulcisci in eos, qui ad Evangelium conversi, violabant traditiones seniorum quas a parentibus acceperam. Vel omnia legis mandata carnalia paternæ traditiones vocantur, quia prius erant mandata Dei; sed nunc sunt traditiones hominum, postquam veritas apparens umbram repulit.

« Cum autem placuit ei qui me segregavit ex « utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, « ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem « illum in gentibus, continuo non acquievi carni et « sanguini; neque veni Hierosolymam ad anteces- « sores meos apostolos, sed abii in Arabiam, et ite- « rum reversus sum Damascum. Deinde post an- « nos tres veni Herosolymam videre Petrum, et « mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem « apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem « Domini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram « Deo, quia non mentior. Deinde veni in partes « Syriæ et Ciliciæ. »

Probavit se ante conversionem Evangelium nequaquam didicisse, et incipit probare quia post conversionem hoc non didicit ab homine. Hoc modo, inquit, me habui ante conversionem, unde patet quia tunc Evangelium non didici; sed postquam placuit Deo ut cor meum illuminaret et converteret, alio more vixi, in quo rursum apparet, quia nec tunc, nec post ab homine didici. Et hoc est. *Cum autem placuit ei* benigno Patri, etc. Placuit hoc Deo, id est non fuit hoc meritum meum, sed solum Dei placitum; *qui me segregavit*, id est seorsum a massa perditorum secrevit, *ex utero matris meæ*, id est occulto consilio pietatis suæ jam me eligens. Et hic notatur gratuita Dei misericordia (*Rom.* IX). Quasi dicat: Antequam aliquid boni egissem, sua gratia me prædestinavit ad vitam, et post *vocavit me per gratiam suam*. Hic necesse fuit ponere gratiam, quia post nativitatem aliquid potuisset egisse boni, per quod meruisset vocari a Deo. Sed sicut segregatio, ita et vocatio ejus gratis facta est. Vel ex utero meæ matris, id est de cæcitate Synagogæ, ubi clausus tenebar, segregavit me, id est sequestravit a multitudine cæterorum, quos in illa cæcitate reliquit. Sicut enim uterus infantem intra se clausum continet, nec eum aliquid videre permittit, nec in ullam partem spatiari, sic cæca destructio disciplinæ, quæ est in Synagoga, eos quos continet, non sinit lucem veritatis aspicere, nec in libertate charitatis spatiari, sed undique miserabiliter coarctat, ut nec ad lucem, nec ad libertatem procedant. Sed de hoc Synagogæ utero me Deus segregavit, quando a plebis cæca consuetudine me separavit, ut libere possem Christi lumen intueri, et in ejus charitate dilatari. Et vocavit me ad hoc, *ut in me*, id est in corde meo, ubi vera existit cognitio, *revelaret Filium*, id est detegeret notitiam unigeniti sui, quæ mihi erat velata, dum haberem super cor velamen legis. Et ideo mihi revelaret, *ut evangelizarem illum in gentibus*, id est prædicarem illum inter gentes. Postquam ei placuit ut me sic vocaret, et Filium suum mihi revelaret, *continuo non acquievi carni et sanguini*, id est assensum mox præbere desii Judæis et propinquis meis carnalibus, mihi sensu carnali suadentibus, ut in carnali observantia legis permanerem. Illis non acquievi, quia erant caro et sanguis, id est carnaliter sapiebant, et carnaliter docebant; nec etiam ad spiritales magistros, id est ad apostolos qui me in Christo præcesserant, et in Jerusalem manebant, veni ut ab illis doctrinam quærerem; sed exiens de Damasco, profectus sum in Arabiam prædicare ubi nullus apostolorum erat, et inde redii Damascum. Finitisque tribus annis a tempore conversionis meæ, quibus in Arabia et Damasco moratus sum, veni in Jerusalem non discere Evangelium, sed *videre Petrum* ut illi spiritualiter adgauderem. Neque enim ab illo tunc Evangelium didici, quia non *mansi apud eum* nisi *diebus quindecim*, infra quod spatium discerem latitudinem tantæ scientiæ. Sed nec ab aliis apostolis didici, quia ibi præter Petrum *alium apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*, id est cognatum Salvatoris. Maria enim virgo mater Domini, et Maria mater hujus Jacobi, sorores fuerunt; et ideo vocatus est ipse frater Domini, qui et primus episcopus fuit in Jerusalem. Cæteri apostoli jam per orbem erant ad prædicandum dispersi. Unde quia Joannes ibi deerat, credimus matrem Domini jam in cœlum tunc assumptam fuisse, cujus sepulcrum ostenditur in valle Josaphat. Ego quidem talia vobis de me et apostolis refero, et fortasse videntur vobis incredibilia, sed hæc *quæ scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*, et hoc sic esse est coram Deo, id est manifestum est in præsentia divini conspectus, quem nihil latere potest. Hoc loco jurat Apostolus, nec tamen peccat, quia videbat quosdam Galatarum non aliter sibi credere. Non enim a malo juramentis fuit hæc juratio, sed a malo illorum, quorum incredulitas compulit eum jurare (*Matth.* V). *Deinde* profectus ad Jerusalem *veni in partes Syriæ et Ciliciæ*, ut et ibi prædicarem. Et hanc profectionem suam ideo memorat, ut sciant Galatæ quia de loco ad locum sæpe transiens, non didicit Evangelium ab homine, et indubitanter acquiescant ejus doctrinæ.

« Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ quæ « erant in Christo. Tantum autem auditum habe- « bant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, « nunc evangelizat fidem quam aliquando expugna- « bat, et in me clarificabant Deum. »

Non solum ab apostolis non didici, sed nec a cæteris fidelibus qui erant in Judæa, quippe quibus omnino eram ignotus facie. Nondum enim me post conversionem viderant. Et propterea liquido constat, quia me non docuerunt Evangelium. Nondum me viderant nec cognoverant facie, sed tamen ab aliis Christianis fama currente audierant, *quoniam* illo *qui aliquando nos* Christianos *persequebatur, nunc* pluribus *evangelizat fidem* Christianitatis, *quam aliquando expugnabat. Et in me*, id est in considera-

Digitized by Google

tione conversionis et conversationis meæ *clarificabant*, id est clarum prædicabant *Deum*, qui me sic converterat, et de tam crudeli tam pium fecerat. Hoc est, ego illis eram materia Deum glorificandi, qui tam bene conversus eram. Vel in me, id est in consideratione prædicationis meæ, clarificabant Deum et ipsi prædicando, quoniam audientes quod ego constanter fidem prædicarem, quam impugnare soleham, et ipsi exemplo meo accensi. provocabantur ad prædicandum Christum.

CAPUT II.

« Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi « Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. « Ascendi autem secundum revelationem. Et con- « tuli cum illis Evangelium quod prædico in genti- « bus, seorsum autem his, qui videbantur aliquid « esse, ne forte in vacuum currerem aut cucurris- « sem. »

In Syria et Cilicia prædicaveram. *Deinde* ascendi rursus in Jerusalem, quæ est in montanis, nec potest adiri nisi ascendendo, *ascendi*, inquam, *post annos quatuordecim*, ex quo prius veneram Petrum videre. Ideo tempus et numerum annorum computat, id est antea tres et post quatuordecim qui simul sunt decem et septem, ut per hoc sciatur, quia antequam conferret Evangelium, tanto ante tempore prædicavit. Et quando ab apostolis nihil accepit, constat quia a nullo accepit vel didicit. *Ascendi in Jerusalem cum Barnaba*, quem ad testimonium ducebam, *assumpto* etiam nobiscum *Tito* qui erat gentilis et incircumcisus, duxi illum ad testimonium meæ prædicationis confirmandæ, scilicet ut cæteri gentiles videntes illum incircumcisum credere, crederent et ipsi absque scrupulo. Si vero ipse Titus ibi fuisset circumcisus, pater et omnibus me non recte docuisse, qui non docuissem eum circumcidi, sed incircumcisum duxissem socium. *Ascendi* et hoc non temere, sed *secundum revelationem*, id est Spiritu sancto mihi revelante et admonente, ut per præsentiam meam validius annullarentur carnales observantiæ. Ascendi. *et Evangelium quod in gentibus* convertendis *prædico*, *cum illis* Hierosolymitanis, qui prius dubitaverant de veritate prædicationis meæ, *contuli*, quia ego dixi Evangelium meum, et illi dixerunt suum, nullaque in nostris sententiis reperta est dissonantia. Propter hoc incepit totum, ut per hoc Galatas retrahat a circumcisione et carnalibus cæremoniis, quandoquidem sua prædicatio non dissentit a doctrina ipsorum apostolorum; et Titus qui erat præsens, non fuit circumcisus, quamvis esset gentilis. Tunc enim et isti non debent ulterius dubitare, quandoquidem nec ecclesiæ Judæorum quidquam potuerunt ei conferre. Ideo namque fecit hanc collationem, quia de cœlo post ascensionem Domini vocatus, nisi inveniret in carne apostolos, quibus communicando et cum quibus Evangelium conferendo, ejusdem esse societatis appareret, ecclesia illi omnino non crederet. Unde nunc necesse fuit, ut hanc collationem Galatis dubitantibus referret. Contuli cum illis Hierosolymitanis, non cum omnibus, quia in turba non potest bene discuti veritas. Si enim in præsentia omnium dixissem circumcisionem et carnales observantias non esse faciendas, statim contra me vulgus indoctum conclamasset. Et ideo non cum omnibus, sed cum *his* tantum *qui videbantur esse aliquid*, id est majoris auctoritatis et scientiæ. Et hoc *seorsum*, id est a turba semotim. Non quod aliqua falsa pluribus dixissem ut seorsum paucioribus vera dicerem; sed quia nonnulla tacueram, quæ parvuli portare non poterant; et necesse erat ut sapientiam loquerer inter perfectos, quatenus cæteri apostoli et seniores perfectionem meam cognoscerent. Ideo etiam contulit Apostolus evangelium suum cum Evangelio illorum, ut auferret suspicionem ab ecclesiis Judæorum, qui putabant illum aliud longe diversum Evangelium prædicasse et adhuc prædicare, quia neque cum Domino fuerat conversatus, a quo esset instructus; nec cum aliquo apostolorum, qui Dominum in carne viderant, ut exemplo doctrinæ eorum prædicaret gentibus. Ut ergo ab ecclesiis Hebræorum, sed et cæterorum per orbem fidelium hanc suspicionem auferret, idcirco sicut et supra dictum est contulit; contulit, inquam, ne modo curreret vel olim cucurrisset in vacuum, id est sine fructu remunerationis. Per hoc enim constaret quia illi quibus prædicabat, aut prædicaverat, mercedem habituri non essent, si nec remunerationem ex sua prædicatione consecuturus esset. Vel quod ait, *ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem*, quasi per interrogationem dictum potest intelligi, ad increpationem eorum qui hoc suspicabantur, ut hinc appareat eum non in vacuum currere vel cucurrisse, quia jam attestatione cæterorum comprobatur nihil ab Evangelii veritate dissentire.

« Sed neque Titus qui mecum erat, cum esset « gentilis, compulsus est circumcidi, sed propter « subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt « explorare libertatem nostram, quam habemus in « Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. « Quibus neque ad horam cessimus subjectioni, ut « veritas Evangelii permaneat apud vos. »

Non solum Evangelio meo nihil addiderunt, sed neque Titum circumcidi fecerunt. Cum enim mecum esset in illa collatione, et esset gentilis, id est sicut natus fuerat, in præputio manens, non *est compulsus circumcidi*, id est nulla ratio veritatis potuit ibi a quoquam proferri, ob quam ipse vel alius cogeretur circumcidi. Et ne putetis quod apostoli voluissent illum compellere ut circumcideretur, et ille contra voluntatem eorum permansisset incircumcisus, sciatis quia non propter apostolos vel seniores dixi compulsus, *sed propter subintroductos falsos fratres*, *qui* intus quo conferebam Evangelium meum *subintroierunt explorare libertatem nostram*, qua per Christum ab omni servitute legis sumus absoluti, vel qua ex libero arbitrio voluntarie servimus Deo non timore pœnæ. Ad hoc,

Digitized by Google

inquam, subintroierunt, *ut* verbis et disputationibus suis ad carnales observantias coram omnibus qui aderant, nos cogerent, et sic a libertate gratiæ *in servitutem* legis *nos redigerent*. *Quibus neque* vel *ad horam* voluimus cedere, ut subjiceremur servituti legali, sed viriliter illis restitimus, *ut veritas Evangelii* quæ omnem hominem absque legis operibus per fidem et opera charitatis posse salvari docet *permaneat apud vos*, sicut prædicavi vobis. Insidiabantur Apostolo fratres falsi isti, explorantes si viderent eum in aliquo vel circumcisioni vel cæteris carnalibus observantiis acquiescere, ut redigerent eum in servitutem, id est ut jam in circumcisionem eos revertere etiam ipsius Pauli exemplo vel attestatione, tanquam saluti necessariam prædicarent. Titum ergo circumcidere noluit, ne daret illis occasionem, qui sine ulla circumcisione dicebant credentes non posse salvari, et ad deceptionem gentium hoc etiam et Paulum sentire jactabant. Alibi vero Timothæum propterea circumcidit (*Act.* XVI), ne Judæis et maxime cognationi ejus maternæ, qui ex gentibus in Christum crediderant, viderentur sic detestari circumcisionem, sicut idololatria detestanda est, cum illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit. Habebat itaque Apostolus hanc in Christo libertatem, et faciendi circumcisionem et non faciendi, ut ostenderet illa sacramenta nec tanquam sacrilega debere damnari, nec tanquam necessaria debere appeti. Et hanc libertatem subintraverunt explorare prædicti calumniatores, scire volentes an faceret in Tito quod fecerat in Timotheo, ut jam exemplo ejus circumcisionem omnibus necessario faciendam prædicarent.

« Ab his autem qui videbantur esse aliquid qua-
« les aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus
« enim personam hominis non accipit (*Rom.* II;
« *Ephes.* VI; *Colos.* III; *Act.* X; *Jacob.* II; *Petr.* I).
« Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil con-
« tulerunt. Sed econtra, cum vidissent quod credi-
« tum est mihi evangelium præputii, sicut Petro
« circumcisionis (qui enim operatus est Petro in
« apostolatu circumcisionis, operatus est et mihi
« inter gentes) et cum cognovissent gratiam quæ
« data est mihi, Jacobus et Cephas et Joannes, qui
« videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi
« et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi au-
« tem in circumcisionem; tantum, ut pauperum
« memores essemus. Quod etiam sollicitus fui id-
« ipsum facere. »

Contuli quidem Evangelium cum apostolis et aliis senioribus qui erant in Jerusalem. Sed tamen illi *qui videbantur esse aliquid ab his* Hierosolymitanis, id est alicujus magnæ dignitatis, nihil mihi contulerunt. Hoc videtur debuisse statim dicere, sed facit interpositionem, velut si quis ei diceret : Tu dicis quia videbantur esse aliquid, imo nihil erant, quia piscatores et idiotæ fuerant. Et ad hoc quasi respondet : Revera tunc erant aliquid. Nam *quales aliquando* priusquam a Christo vocarentur, fuerint, sive piscatores sive telonarii, sive illiterati, *nihil interest mea* veritate vel mea sententia, quia non loquor secundum illud quod antea fuerant, sed secundum id quod tunc erant. Præmissum erat, ut veritas Evangelii permaneat apud vos; et ad hanc veritatem respicere videtur quod nunc dicitur, nihil mea interest, id est nihil a mea veritate distat, qualescunque illi quondam fuerint. Refert et interest, hæc duo verba, solent cum genitivis et possessivorum pronominum ablativis construi. Vel etiam sine interpositione potest legi. Qui ab his videbantur esse aliquid, Petrus scilicet atque Joannes et Jacobus, nihil mea veritate vel mea sententia interest, quales fuerint, id est nihil secundum meam sententiam differt, quales loco et scientia quondam fuerint, sive nobiles, sive ignobiles. Non aliis apostolis derogat, sed quia Galatæ alios apostolos ultra modum magnificabant, huic eos præferentes, atque ideo auctoritatem hujus viliorem habebant, ostendit se æqualem esse, et doctrinam ab eis non accepisse. Nihil interest, quales olim fuerint, quia *Deus non accipit personam hominis* (*Lev.* XIX; *Deut.* I, XVI; *II Par.* XIX; *Job* XXXIV; *Prov.* XXIV; *Sap.* VI; *Eccl.* XXXV et XLII), id est non eligit dignitatem vel nobilitatem alicujus personæ. Nam me neque despexit idcirco vel inferiorem judicavit, quia novissimus veni, imo parem illis omnino monstravit. Nam illi priores, *qui videbantur esse* magnum *aliquid, nihil contulerunt mihi* de scientia prædicationis; *sed econtra* fuit, id est ego illis contuli, quia prius fuerant certi se bene prædicasse, et carnales observantias debere destrui; sed nunc facti sunt certiores, me non ab ullo mortalium, sed ab ipso Christo doctum, audientes idem prædicare. Nihil mihi contulerunt, sed econtra *cum vidissent quod evangelium præputii creditum est mihi, sicut Petro* evangelium circumcisionis, id est quod Dominus evangelicam doctrinam sicut fideli dispensatori credidit, ut præputiatis gentibus evangelizem, quemadmodum Petro constituerat prædicare populo circumcisionis, dextras societatis mihi dederunt. Et vere mihi est creditum sicut Petro Evangelium, quia qui Petrum fecit apostolum circumcisorum, fecit et me apostolum gentium. Et hoc est : Nam *qui operatus est Petro*, id est ad honorem et auxilium Petri, sublimando eum *in apostolatum circumcisionis*, id est Judaici populi, tum per prædicationem, tum per miraculorum ostensionem, *operatus est et mihi* virtutes miraculorum atque diversas gratias et eloquentiam validæ prædicationis *inter gentes*. Hic ostenduntur isti duo principales apostoli ad salutem duorum populorum fuisse electi, Petrus ad Judæorum, Paulus ad gentium. *Et cum* pro certo *cognovissent gratiam* apostolatus et sapientiæ, quæ mihi a Christo *data est*, *Jacobus et Petrus et Joannes, qui videbantur esse columnæ*, id est erecti et fortes ac immobiles, atque roborantes multitudinem aliorum, et continentes, ac sustentantes, *dederunt mihi et Barnabæ dextras*. Jacobus hoc loco ponitur ante Petrum et Joannem,

Digitized by Google

propter primatum suum quem habebat in Jerusalem, ubi erat episcopus. Dexteras nobis dederunt societatis, id est signum socialis amicitiæ et dignitatis apostolicæ, quod ab his quæ ipsi didicerant, in nullo discrepabamus. Sicut enim invicem osculari, signum est pacis ac dilectionis, ita et jungere dexteras. Societatis dico, ita decretæ, *ut nos in gentes* iremus prædicare, ipsi vero *in circumcisionem;* et illi essent participes beneficii quod ageremus in conversione gentilium, nosque similiter essemus socii remunerationis ipsorum pro conversione Judæorum. Licet Paulus dicat Barnabam secum esse receptum in societate apostolorum, non tamen sibi dicit esse æqualem in prædicatione, quia ipse est doctor gentium, qui secundum majorem partem illas convertit a Jerusalem usque in Illyricum, prædicans per circuitum, ac deinde non solum usque Romam, sed etiam usque in Hispaniam (*Rom.* xv). Hæc omnia valent ad commendationem suæ auctoritatis, et etiam ad intentionem, ut eos revocet a circumcisione et legis servitute. Nihil contulerunt, sed etiam arrogaverunt *tantum, ut essemus memores pauperum* qui erant in Jerusalem, et pretia rerum suarum pro Christo posuerant ad pedes apostolorum. (*Act.* II). *Quod etiam*, id est habere memoriam eorum et mittere eis alimoniam, ego *sollicitus fui facere hoc ipsum* studiose complens. Recte Paulus ut ab observantia legis Galatas revocaret, prædictam Evangelii sui collationem memoravit : quia idcirco tunc in Jerusalem ascendit, ut audiret quid de legis observantia priores apostoli sentirent. Unde Lucas refert de Paulo et Barnaba, quia morati sunt Antiochiæ tempus non modicum cum discipulis (*Act.* xv); et quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversum illos, statuerunt ut descenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis, ad apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. Cum autem venissent Hierosolymam, susceptl sunt ab ecclesia et apostolis, nuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum qui crediderant, dicentes quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. Convenerunt que apostoli et seniores videre de verbo hoc, etc. In hoc conventu facta est prædicta Evangelii Pauli collatio.

« Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in fa-
« ciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius
« enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gen-
« tibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat
« et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione
« erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri
« Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in il-
« lam simulationem. »

Et hoc factum est, postquam Paulus et Barnabas a supradicto concilio cum Juda et Syla reversi sunt Antiochiam, ferentes epistolam apostolorum, in qua decretum erat, ne gentes cogerentur circumcidi vel judaizare (*Act.* xv). Tunc enim scriptum est : Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini (*ibid.*) Et eo tempore Petrus intelligitur supervenisse, et quod nunc Paulus narrat, fecisse. Nihil, inquit, mihi in Jerusalem contulerunt Petrus et alii, sed *cum venisset Cephas*, id est Petrus Antiochiam, ego illi contuli. Vel ita : Non solum in Jerusalem ego contuli Petro, sed etiam in Antiochia. Nam *restiti ei in faciem*, id est non in absentia ejus ego derogavi illi, sed ante eum veniens, aperte contradixi ei, et libere eum reprehendi, *quia reprehensibilis erat*, id est dignus reprehensione. Nam *prius quam venirent quidam* Judæorum *a Jacobo* de Hierosolymis Antiochiam, *edebat cum* conversis *gentibus* absque ulla ciborum discretione, ita ut nec suillas carnes reprobaret; sed postmodum *cum venissent* Judæi, subtrahebat se a convivio eorum, ne Judæi qui noviter ad fidem venerant, et adhuc legem servabant, scandalizarentur in cibis, quos lex immundos judicavit. Et non ita subtrahebat se a gentilium societate, ut saltem aliquoties cum illis, et aliquoties cum Judæis esset, sed et omnino *segregabat se*, id est seorsum a grege gentilium separatus, gregem suum cum Judæis faciebat. Et sic quadam simulatione dabat intelligi, hanc discretionem ciborum et alias carnales observantias esse necessarias ad justificationem; gentilesque conversos ad Christum, non posse Judæis credentibus adjungi. Quod quidem pejus erat quam si fratres scandalizaret, quia deterius est veritatem relinquere, quam permittere nasci scandalum. Et ita segregabat se ac sequestrabat a grege et a cibis gentilium, faciens de uno grege duos, cum Christus de duobus unum fecisset, quia timebat non cibos gentilium, sed Judæos *qui erant ex circumcisione*, ne recederent a fide *et simulationi ejus*, qua fingebat se cibos discernere, et gentilium conversationem abhorrere, *consenserunt cæteri Judæi*, qui prius erant cum eo, ac removerunt se a convivio et gentilium consortio, *ita ut Barnabas*, qui erat doctor gentium et gentes deberet sinceriter instruere, utpote mecum ad gentes missus, *duceretur ab eis in illam simulationem* Judaicæ comestionis et conversationis. Dixerat tamen Petrus in supradicto apostolorum et seniorum conventu : « Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu credimus salvari, quemadmodum et illi (*Act.* xv). » Bene ergo sentiebat de abolitione legis, sed simulavit pro timore Judæorum, ne occasione gentium a fide recederent, et sic perderet suum gregem. Simulavit autem et Paulus pro simili metu, quando Timotheum circumcidit (*Act.* xvi), et comam more Nazaræi nutrivit, quam in Cenchreis rasit (*Act.* xxi), vel quando purificatus in templo sacrificium obtulit (*Act.* xviii). Petrus ergo utpote Judæorum apostolus, saluti Judæorum pro-

Digitized by Google

videbat in hac simulatione, timens ne si coram Judæis communes cibos ederet cum gentibus, illi prædicationem ejus respuerent et a fide discederent. Ideoque permittebat adhuc illis ut facerent circumcisionem, cæterosque ritus legis observarent, et ipse cum eis ex parte servabat, ut paulatim eos ad fidem et ad Evangelii puritatem alliceret. Et ideirco si quis gentilium circumcidi vellet, in præsentia Judæorum non prohiberet. Paulus autem magno fidei ardore succensus, præcepta legis teneri carnaliter noluit; et qui gentium erat apostolus, circumcisionem in gentibus fieri vetuit. Et quia Petrus vel in populo circumcisionis adhuc legis consuetudinem servari volebat, ut gentes conversæ Judæis inæquales judicarentur, in faciem ei restitit, eumque in hac re fuisse reprehensibilem dicit. Et hoc ejus studium non solum culpam, sed (quod majus est) hypocrisim (id est simulationem) nominat. In qua simulatione Petrus, ut dictum est, saluti Judæorum providebat, sed salutem gentium negligebat. Unde Paulus, gentium apostolus, et de salute gentium sollicitus, in faciem ei restitit. Ipse vero Petrus quod a Paulo flebat utiliter libertate charitatis sanctæ ac benignæ, pietate humilitatis accepit. Atque ita rarius et sanctius exemplum posteris tribuit, quo non dedignarentur majores (sicubi forte recti tramitem reliquissent) etiam a posterioribus corripi. Nec solum tunc patienter hanc reprehensionem pertulit, sed etiam postea dum secundam scriberet epistolam, laudavit epistolas Pauli, in quibus reprehensionem istam legerat (*II Pet.* III). Certe enim nisi legisset Pauli epistolas, non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur, invenit. Amicus ergo veritatis, laudavit etiam quod reprehensus erat, atque ei et hoc ipsum placuit, quia in his non fallacuerat, quæ aliter quam debuerat sensit. Seque etiam minori fratri ad consensum dedit, tunc enim Paulus adhuc erat minor, quamvis nunc sit æqualis, atque in eadem re factus est sequax minoris sui, ut etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in apostolatus culmine, esset primus et in humilitate. In hac itaque re est in Paulo laus justæ libertatis, in Petro sanctæ humilitatis. Sunt vero nonnulli, qui non Petrum apostolorum principem, sed quemdam alium ejusdem nominis, qui a Paulo reprehensus est, accipiunt. Qui si verba Pauli studiosius legissent, ista non dicerent. Dicturus enim : Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipsa narratione præmisit, dicens : Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. Patet ergo de quo Petro Paulus loquitur, quem et apostolum nominat, et præfuisse Evangelio circumcisionis narrat. Et ne quis adhuc inhærendo litteræ dicat hunc, quem Paulus reprehendit, non Petrum, sed Cepham vocari, quamvis idem sit utrumque nomen, revolvat quod ibidem præmissum est, Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur esse columnæ, dextras mihi dederunt.

A Constat enim hunc Cepham, qui inter Jacobum et Joannem positus est, non minor eum Joanne vel Jacobo fuisse. Quod si nullus Cephas præter apostolum Petrum invenitur, qui Jacobo et Joanni valeat æquari, fatendum necessario est, hunc Cepham esse cui Christus ait : « Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur *Petrus* (*Joan.* I). »

« Sed cum vidissem quod non recte ambularent « ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram om- « nibus : Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis, et « non Judaice, quomodo gentes cogis judaizare? « Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores. « Scientes autem quod non justificatur homo ex « operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et « nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex B « fide Christi, et non ex operibus legis. Propter « quod ex operibus legis non justificabitur omnis « caro (*Rom.* III). Quod si quærentes justificari in « Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid « Christus peccati minister est? Absit! Si enim « quæ destruxi, iterum hæc reædifico, prævarica- « torem me constituo. Ego enim per legem legi « mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus « sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero « in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne « in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradi- « dit seipsum pro me. Non abjicio gratiam Dei. Si « enim per legem justitia, ergo gratis Christus mor- « tuus est. »

Petrus quidem et Barnabas simulabant, sed ego C solus sinceritatem servans, increpavi publice fictionem eorum. Vidi enim quod non recte ambularent, id est non utroque pede pariter incederent, quia in uno claudicabant, quantum ad gentes, quarum salutem negligebant; quantum vero ad intentionem bonam de salute Judæorum recte ambulabant. Quantum ad gentes, non recte ambulabant ad veritatem Evangelii tenendam et prædicandam, quia per hoc peribat veritas, si gentes judaizarent. Veritas quippe Evangelii est, ut homo justificetur sola fide sine operibus legis, et ut omnes ubi naturaliter mundi esse credantur, atque ut doctores Ecclesiæ, nec Judæorum nec gentilium salutem negligant. Ipsi taliter agebant. Sed ego *cum vidissem quod non recte*, sed flexuose D *ambularent ad veritatem Evangelii* servandam et docendam, succensus divino zelo, *dixi Cephæ coram omnibus* ea quæ sequuntur : Si clam soli Petro Paulus ista diceret, Judæis et gentibus nihil proficeret. Ideo cunctis audientibus dixit, ut cunctis proficeret. Ideirco voluit non timide obtegere, sed fideliter asserere, quod eum pariter sentire jam noverat, sive quia Evangelium cum eo contulerat (*Act.* XV), sive quia in Cornelii vocatione etiam divinitus eum de hac re admonitum acceperat (*Act.* X), sive quia antequam illi quos timebat venissent Antiochiam, cum gentibus eum discumbentem viderat. Non ergo tunc eum quid in ea re verum esset docebat, sed ejus simulationem qua gentes exemplo suo judaizare cogeret, arguebat. *Si tu*, inquit, *cum sis Judæus*, si-

Digitized by Google

vis gentiliter, id est indiscrete cibis omnibus uteris nullumque hominem reputans immundum, *et non Judaice*, id est non cum ciborum discretione sicut Judæi, *quomodo*, id est qua ratione, qua utilitate, cogis exemplo tuo *gentes judaizare?* id est Judæorum ritum sequi in discretione ciborum et receptione carnalium observantiarum, dum te ab his segregas, eo quo omnem creaturam Dei bonam esse credunt, et sine legis observantia per Evangelium justificari quærunt? Tu qui naturaliter Judæus es, reliquisti judaizare, et gentes cogis judaizare? Tu qui Judæus eras, Judaismum deseruisti, et hi qui nunquam fuerunt Judæi, assument Judaismum? Non vivis Judaice, id est non servas Judaicum morem in tuo victu, quia scis nihil utilitatis ibi esse. Quomodo ergo nunc gentes cogis judaizare, quæ omnia quæ vident in te, putant saluti necessaria esse? Vere non debent judaizare gentes quia nunquam justificarentur; et vere nunquam justificarentur judaizando, quia nec nos qui naturaliter sumus Judæi, potuimus unquam judaizando justificari, ideoque dimisimus legem, et confugimus ad fidem. Et hoc est : *Nos natura* sumus *Judæi*, id est non proselyti, sed genere sumus Judæi, ex semine Abrahæ prodeuntes, et legem Dei habentes, *et non peccatores ex gentibus*, id est non ita peccatores, ut omnes gentes idololatræ et immundæ. Peccatorum enim nomen gentibus imposuerant Judæi jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi essent justi, videntes festucam in oculo alieno, et non trabem in suo. Non sumus, inquam, ex gentibus peccatores, a cultura Dei omnino remoti et peccatis dediti, sed naturaliter Judæi, id est sub divina lege nutriti. Sed tamen *scientes quod non justificatur* ullus unquam *homo ex operibus legis*, sive Judæus, sive gentilis, *nisi per fidem Christi*, quæ carnales observantias aufert, et spiritaliter impleri legem facit, ut nos credimus. Opera sunt ex gratia, sed non ex operibus gratia, quia ipsa prima est, ex qua impetrantur cætera. Ideo nullus aliquo modo justificari valet ex operibus, nisi per fidem quæ procedit ex gratia. Quod scientes, et nos quoque Judæi sicut gentes, *in Christo Jesu* positi credimus in ipsum, ut justificemur ex fide Christi, per divinam gratiam, *et non ex operibus legis* per vires nostras. *Propter quod*, id est quia nos Judæi nequimus ex legis operibus justificari, qui ex his essemus justificati, si quis inde posset justificari, *ex operibus legis* carnalibus *non justificabitur omnis caro*, id est nullus in carne vivens, consequetur per hæc justitiam. Dixit superius Judæos non esse ex gentibus peccatores, et post subjecit quod etiam ipsi justificentur ex fide Christi. Omnis autem qui justificatur, injustus erat, id est peccator. Videtur autem fortassis alicui male intelligenti, quod Christus Judæis ad se venientibus peccata prius ministraret, ut eos per fidem et gratiam suam post modum justificaret. Et hoc est quod dicitur : Non sumus ex gentibus peccatores. Quod, id est sed *si quærentes justificari in Christo, inventi sumus* etiam nos *ipsi peccatores*, id est si accedentes ad lumen Christi, vidimus in eo tenebras peccatorum nostrorum, quas prius cæci videre non poteramus, et si ad subtilem regulam justitiæ Christi propinquantes, ut ad eam dirigamur, animadvertimus deformem tortitudinem injustitiæ nostræ, qui nos antea rectos arbitrabamur, nunquid ideo Christus nobis *minister est peccati*, id est nunquid idcirco consequens est, ut Christus ministret nobis peccatum, qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). Absit hoc a fidelium cordibus, ut Christum putent alicui ministrare peccatum, qui pro abolitione peccatorum nostrorum semetipsum obtulit sacrificium. Nam et aliquid deforme latet in tenebris, sed in radio solis evidenter apparet, nec tamen sol deformitatem illam operatur. Sic et Judæi qui se justos antea putabant, illustrati lumine Christi viderunt deformitates culparum suarum, quas Christus eis non ministraverat ut faceret, sed ostenderat ut agnoscerent et corrigerent. Vel ita : Ex operibus legis, ut dictum est, nemo justificabitur. Sed si nos Judæi transeuntes ad Christum, et in illo quærentes justificari, qui in lege nequivimus justitiam adipisci, inventi sumus etiam nos peccatores, sicut et gentiles, quia cognitum est nos semper in corde legem transgressos esse, licet eam servassemus in opere, nunquid Christus qui monuit ut legem relinqueremus, et ad se transiremus, est minister peccati, id est ministrat nobis peccatum in eo, quod jubet ut a rigore legis discedamus, et ad gratiam veniamus? Absit ut ipse nobis peccatum in hoc ministraret. Non est enim peccatum, sic relinquere legem vel destruere; sed peccatum est, rursum ad eam redire vel eam reædificare. Nam, *si quæ destruxi*, ut carnalia legis opera quæ jam in me et in aliis everti, *iterum hæc reædifico*, id est rursum statuo, vel per simulationem ut Petrus, vel per prædicationem ut pseudoapostoli, *prævaricatorem me constituo*, id est contra ipsam legem facio, quæ se determinandam prænuntiavit. Nam per auctoritatem legis ipsam legem dimisi, quasi ei mortuus, nullum sensum ejus habens. Et hoc est : *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Vere enim destruxi in me opera legis, quia sum mortuus legi, id est non vivo jam in operibus legis, nec in ejus carnali sensu; et ita sum mortuus per legem, quia ut in Christum crederem, lex ipsa mihi prædicavit, et de sua terminatione ac evangelici dogmatis susceptione commonuit, dicens per Moysen; prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis (*Deut.* XVIII). Id est postquam Christus venerit, non ulterius durabit lex, sed novam Christi doctrinam audietis. Vel per legem spiritaliter intellectam mortuus sum legi meæ, ne carnaliter in ea vivam, non mihi, id est ut voluntatem Dei, non meam in omni vita mea faciam. Quod jam possum quia *Christo confixus sum cruci*, id est cum Christo affixus sum cruci, socius passionis Christi; hoc est, crux Christi exstinguit in me ardorem peccati,

Digitized by Google

ne jam in me vigeat; et ligat manus meas, ne ad illicitum opus extendantur; et pedes, ne ad malum gradiantur. Sum quidem cum Christo crucifixus, sed tamen vivo in virtutibus, id est vigorem bene operandi habeo *jam non ego* ille qui prius peccator eram, sed *vivit in me Christus*, id est viget et regnat in me Christi novitas. Crucifixus sum, sed vivo, sed jam non ego qualis vixeram. Non ego vivo, sed vivit in me Christus. Quod est dicere : Ego quidem a memetipso exstinctus sum, quia carnaliter non vivo, sed tamen essentialiter exstinctus non sum, quia in Christo spiritaliter vivo. Hoc est dicere : Non est in me justitia mea, quæ ex lege est. in qua prævaricator effectus sum, sed justitia Dei, id est quæ mihi ex Deo est, non ex me. Sic quippe in me vivit, non ego, sed Christus, « qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio (*I Cor.* I). » Ego jam non vivo, sed Christus in me, id est non facio voluntatem meam, sed ejus qui habitat in me, sed tamen *quod nunc vivo in carne*, id est quod non exstinguor in carnis igne, quod in corpore positus bene possum operari, *in fide vivo*, id est non per laboriosa opera legis, sed per fidem *Filii Dei*, cujus fides valere potest. « Justus enim vivit ex fide (*Habac.* II; *Rom.* I), » quandiu est in corpore. Et per hoc Christi fides efficientiam habet in me, quia ipse *dilexit me*, *et* per illam dilectionem *tradidit* ad mortem *pro me* redimendo seipsum qui tantus est, non aliud animal. Et propterea *non abjicio gratiam Dei*, qui me per passionem Filii sui liberavit a peccatis, et dedit veram justitiam, quod lex facere non poterat, id est non quæro per legem justificari, quod esset abjicere gratiam. Nec debeo eam abjicere quia *si per legem justitia*, *ergo Christus gratis*, id est frustra sine causa, sine utilitate *mortuus est*, cum absque morte ejus per legem justificarentur observatores legis. Sed non frustra mortuus est, quia nec per legem, nec per aliam rem haberi poterat justitia quæ duceret ad salutem, nisi per Christi mortem. Sequitur :

CAPUT III.

« O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non « credere veritati, ante quorum oculos Jesus Chri« stus præscriptus est et in vobis crucifixus? Hoc so« lum a vobis volo discere, ex operibus legis Spi« ritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti « estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne con« summemini. Tanta passi estis sine causa, si tamen « sine causa. Qui ergo tribuit vobis spiritum et ope« ratur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex « auditu fidei, sicut Abraham credidit Deo, et re« putatum est ei ad justitiam? (*Gen.* XV; *Rom.* IV; « *Jac.* II.) Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, « hi filii sunt Abrahæ. »

Finita narratione, in qua docuit se non didicisse Evangelium ab homine, ipsumque Evangelium suum non in apostolis se contulisse, ac deinceps de simulatione judaizandi Petrum reprehendisse vertit se ad increpationem Galatarum, et fortiter arguit dementiam illorum, quia doctrinam ejus quæ tantis auctoritatibus fulcitur, deseruerant, et falsitati pseudoapostolorum credebant. Unde subversionem illorum attendens, prorupit subito in exclamationem, ut exagitando magnitudinem reatus illorum, facilius revocare eos possit. Quod quidem more rhetorum videtur facere. O inquit, *Galatæ insensati*, id est omni sensu rationis carentes sicut animalia bruta, *quis vos fascinavit*, id est livido intuitu læsit, *non credere*, id est ut non credatis evangelicæ *veritati*? Re enim vera insensati estis, qui mortiferam suasionem accipitis cujuslibet pseudoapostoli, qui nullius nominis et auctoritatis est, qui in populo latet, et cujus etiam vocabulum ignoro; meamque doctrinam postponitis, quam a solo Deo, non ab homine accepi, cui apostoli nihil novi in collatione Evangelii contulere, sed a me certiores facti sunt. Quis vos fascinavit, id est respectu invidiæ vos tenellos læsit, dolensque de promotu vestræ perfectionis ac fidei, solo livore nocuit, sicut aliquis qui solo respectu dicitur posse res alterius diminuere; et ita vos liventi aspectu suo tabefecit, non ut credatis veritati meæ prædicationis, sed falsitati sui pravi dogmatis? Vel sicut incantatores fascinant et deludunt homines, ut credant verum esse quod falsum est, ita nescio quis fascino suæ deceptionis adeo vos incantavit, ac verbis suis immutavit ut falsitatem pro « veritate teneatis. Unde et scriptum est, quia fascinatio nugacitatis obscurat bona (*Sap.* IV). » Non creditis veritati sicut insensati, *ante quorum* interiores *oculos Jesus Christus præscriptus est*, id est præostensus et prænotatus a nobis, non in tabulis lapideis sicut lex, sed *et in vobis*, id est in cordibus vestris, est *crucifixus*, quia crux et passio ejus qua redempti estis, erat maxime intimanda vobis. Unde magis dementes estis, qui Christum vobis præmonstratum, pro peccatis vestris crucifixum, negastis, non credentes vos ex fide posse justificari, sed ex operibus legis, vel, tales olim fuistis, ut ante oculos vestros præscriptus esset Jesus Christus crucifixus, quia ob compunctionem mentis habendam pingebatis eum crucifixum in locis illis, ubi semper eum videre possetis et memoria retinere. Vel ita estis insensati, quod Jesus Christus proscriptus est, id est exhæredatus ante oculos vestros, et non advertitis. Illi enim dicebantur proscripti, qui pro facto aliquo in exsilium trusi, hæreditate et patria privabantur. Et Galatæ cum ad Apostoli prædicationem credidissent se per mortem Christi posse justificari, facti sunt hæreditas Christi, quam ipse sua morte de diaboli possessione eripuit. Sed post ab hac fide recedentes, et justificationem in operibus legis quærentes, quantum in se erat, Christum exhæredabant, sese illi subtrahendo. Jesus Christus proscriptus est, id est damnatus et exhæredatus in vobis sibi sublatis; ipse dico, crucifixus, quod cum pondere legendum est, quasi qui tam charo pretio vos acquisivit in hæreditatem, patiendo pro vobis crucis asperitatem. Vel dum per legem Christum

Digitized by Google

deseritis. Christus a vobis proscriptus est, id est damnatus sicut a Pilato. Et dum insufficientem creditis, a crucifixoribus non differtis, vel proscriptio damnationis ejus quæ a Pilato facta est, ita fuit vobis nota, quasi ante vos fuisset facta, et in vobis, id est in intellectibus vestris crucifixio ejus, ut sciretis qualiter facta fuerit, et quid contulerit. Commoveat illos per prædictam increpationem, et nunc consequenter probat illis, quod lex non est observanda, quia non ex ea, sed ex fide veniunt omnia bona. Quasi dicat : Licet insensati et fascinati sitis, tamen *hoc solum* quod dicturus sum *volo dicere a vobis*, quia hoc tam evidens est, ut et stulti docere id queant; et si nihil aliud esset, hoc solum sufficeret ad probandum, quod lex tenenda non est. Cum constat quod Spiritum accepistis, docete me utrum accepistis hunc ex operibus legis quæ nondum feceratis, an ex fide quam a me audistis. Vel ita : Possum ut pueribus profundis argumentis, sed hoc solum quod planum est, volo discere a vobis, id est volo ut respondeatis mihi, quia vel in hoc solo satis apparet justificationem non ex lege esse, sed ex fide. *Spiritum*, id est Spiritus sancti charismata, sicut loqui diversis linguis, prophetare, infirmos sanare, et cætera hujusmodi : accepistis vos divinitus *ex operibus legis*, *an ex auditu fidei*, id est utrum *accepistis* Spiritum ex carnali observantia legis, an ex fide, quam solo auditu prædicationis sumpsistis? Non puto quod dicatis vos hæc spiritualia dona ex operibus legis accepisse, cum sciatis adhuc legis opera tunc nulla fecisse. Restat igitur tantum ex fide vos accepisse. Prius ex fide percepistis charismata, et nunc ex lege quæritis justitiam? Ergo *sic*, id est tam *stulti estis*, *ut cum Spiritu cœperitis*, id est spirituale inceptum habueritis, dum charismata per fidem acceperitis, *nunc carne consummemini*, id est carnali conversatione in nihilum redigamini, dum bona spiritualia vestra per legis custodiam annullatis. Cum Spiritu sancto cœperitis vel spirituaaliter vivere, vel legem spiritaliter intelligere, nunc carne, id est vel carnali vita, vel lege carnaliter intellecta, consummamini, id est annihilamini, amittendo quidquid habuistis Et ideo *sine causa*, id est sine utilitate vestra, *passi estis* ab adversariis *tanta*, id est tam magna et tam multa adversa pro fide tuenda, quam nunc sponte relinquitis. Non tamen affirmando hæc dico, ne in desperationem cadatis, et adhuc profundius in barathrum perditionis demergamini; sed quia utrumque est in voluntate vestra, dico conditionabiliter, quod tanta adversa pro Christo passi estis sine causa, *si tamen sine causa* hæc passi estis. Sine causa enim passi estis, si in hoc errore perseveretis; non sine causa, si resipiscatis. Et quando quidem ita perdere potestis omnia bona per legis observantiam, ergo Deus qui etiam nunc *tribuit vobis Spiritum* prophetiæ et sapientiæ, aliarumque gratiarum, *et operatur in vobis virtutes* miraculorum, dat vobis hoc *ex operibus legis*, *an ex fide* quam audistis? Idem interrogat quod superius, sed secundum præsens tempus, cum supra præteritum posuerit. Ne enim ipsi ad primam interrogationem, respondere possent. Nos adhuc legis opera non feceramus, quando Spiritum sanctum accepimus, sed si fecissemus illa, tunc majorem ejusdem spiritus gratiam accepissemus per ea; idcirco voluit eos interrogare secundo, quia neque nunc respondere possunt se ex operibus accipere spiritum. Ac si dicat : Nec in principio, nec nunc accepistis ex lege Spiritum sanctum, sed ex fide. Et ita percepistis ex fide Spiritum, sicut per fidem Abraham percepit justitiam, qui *credidit Deo* promittenti, *et reputatum est ei ad justitiam*, id est ex fide justificatus, id est absque legis operibus, quia credere est causa sufficiens justificandi. Et quando quidem Abraham ex fide justificatus est, *ergo cognoscite*, id est scitote *quia qui ex fide sunt*, id est quorum esse est ex fide, *hi sunt filii Abrahæ*, id est justi ad exemplum Abrahæ.

« Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia « benedicentur in te omnes gentes (*Gen.* XXII; *Eccle.* XLIV). Igitur qui ex fide sunt, benedicentur « cum fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus « legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est « enim : Maledictus omnis qui non permanse i in « omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea (*Deut.* XXVII). Quoniam autem in lege « nemo justificatur apud Deum, manifestum est « quia justus ex fide vivit (*Habac.* II; *Rom.* I). Lex « autem non est ex fide : sed qui fecerit ea, vivet in « illis (*Lev.* XVIII).»

Non solum justitia datur ex fide, sed et benedictio, quia Scriptura dixit Abrahæ, quod « gentes benedicentur in te,» id est in tuæ fidei conformitate. Vel ita : Dixi quia qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ, et hoc non est novum sed antiquitus in Scriptura notum. Quia Scriptura, id est Spiritus sanctus, vel Moyses Scripturæ compositor, providens, id est ostendens esse provisum longe ante quam fieret, *quia ex fide* non ex legis operibus, *justificat gentes Deus*, *prænuntiavit*, id est prænuntiatum esse retulit *Abrahæ*, *quia* non tantum Judæi, sed et *omnes gentes benedicentur in te*, id est in tua fide, et in Christo qui nasciturus est ex te. Benedictionem hic intelligimus baptismi consecrationem et in bonis operibus justificationem, ac perennis vitæ consecutionem. Et quia hoc Scriptura prænuntiavit, igitur illi qui sunt ex fide, id est qui ex fide cœperunt spiritualiter esse, *benedicentur cum fideli Abraham*, id est benedictionem consequentur ex fide, sicut Abraham per fidem est benedictus, et cum tanto patriarcha sociabuntur. Et vere qui ex fide sunt, benedicentur, nam qui ex operibus legis sunt maledicentur. *Quicunque enim sunt ex operibus legis*, id est quærunt justificari ex carnalibus observantiis, *sub maledicto sunt*, ut nequeant evadere nisi Christo liberante, id est merito suæ transgressionis obnoxii sunt, et præparati maledictioni sempiternæ

Digitized by Google

damnationis. Sic *enim scriptum est* in Deuteronomio (*cap.* XXVII) : *Maledictus*, id est æterna maledictione damnatus erit, *omnis qui non permanserit* assidue, non dico, in quibusdam, sed *in omnibus quæ scripta sunt in libro legis*, nec ita dico, ut vel solum intelligat ea et velit agere, *sed ut faciat ea*, id est opere compleat. Quod nullus adimplere valet. Hoc est enim « jugum, quod, sicut Petrus ait, neque nos, neque patres nostri portare potuimus (*Act.* XV). » Ideoque nullus ab hoc maledicto liber est, qui jugo legis collum supposuit, et auxilium gratiæ non quæsivit. Nemo enim omnia legis præcepta unquam adimplere potuit. Maledictus erit, qui omnia illa non fecerit ; sed tamen si quis ea fecerit, non inde justificabitur. Et hoc est : *Quoniam in lege nemo justificatur apud Deum*, qui veritatem inspicit, quamvis apud homines qui falluntur, justus videatur, *manifestum est* ex verbis Habacuc, qui dicit *quia ex fide vivit justus* (*Habac.* II) in anima, id est justificatur ex fide, non ex lege. Vita enim animæ interim justitia est, donec ad visionem Creatoris perveniat, qua perenniter vivat, et hæc justitia ex fide est. Justus vivit ex fide, id est ex eo quod credit ea quæ non videt. Sed *lex non est ex fide*, id est nihil mandat credendum, sed per timorem cogit ad faciendum, dicens quod *qui fecerit ea* quæ ibi scripta sunt, non punietur, quia non est transgressus, sed temporaliter *vivet in illis*, quæ carnaliter est operatus, aliter enim plecteretur.

« Christus nos redemit de maledicto legis, factus « pro nobis maledictum, quia scriptum est : Male- « dictus omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XXI), ut « in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo « Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per « fidem. »

Superius cum diceret : « Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea, » visus est contra se agere, quia per hoc videbatur circumcisionem et carnales observantias prædicare, ut qui eas servarent, non damnarentur æterna maledictione. Et quasi respondet nunc istud : Nos Judæi quandiu servivimus legi, fuimus sub maledicto ; sed Christus morte sua delens peccata nostra, et nobis dans justificationem, redemit nos de maledicto legis ; ideoque non est opus ut in ipsius legis umbra jam maneamus, postquam veritas nobis illuxit. Vel ita : Ex lege est maledictum, non justitia ; sed *Christus nos* Judæos qui sub maledicto eramus, redemit de maledicto legis. Cur ergo vos ad illud tenditis ? Ipse nos a maledicto redemit, *factus pro nobis maledictum ;* id est reputatus non solum maledictus, sed etiam ipsum maledictum. Vel factus in morte sua maledictum, id est hostia pro nostro maledicto, videlicet caro mortalis quæ vocatur maledictum, quia male dicto, id est peccato primi parentis facta est mortalis, *quia scriptum est* in Deuteronomio (*cap.* XXI) : *Maledictus*, id est morti addictus est *omnis qui pendet in ligno* crucis. Omnis prorsus qui pendet in ligno, etiam Filius Dei. Omnis enim dixit, contra hæreticos, qui veram Redemptoris nostri mortem erant negaturi, et insipienti locorificent a illam a morte separaturi. Qui enim semper benedictus est in sua justitia, maledictus ad horam fieri dignatus est propter delicta nostra in morte, suscepta ex pœna nostra. Maledictus autem non a quocunque, sed a Deo, sicut lex loquitur. Nisi enim Deus odisset peccatum et mortem nostram, non ad eam subripiendam atque delendam Filium suum mitteret. Quid ergo mirum est, si maledictum est a Deo quod odit Deus ? Tanto enim libentius dat nobis immortalitatem, quæ futura est Christo veniente, quanto misericordius odit mortem nostram, quæ in ligno pependit. Quoniam mors ipsa ex maledictio est, et maledictum est omne peccatum, vel ipsum quo fit ut sequatur supplicium, vel ipsum supplicium, quod et vocatur peccatum, quia fit ex peccato. Suscepit autem Jesus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. Itaque quia mors ejus vera fuit, eo crucifixo, maledictum nostrum pependit in ligno. Ipse enim maledictum suscepit pro nobis, quia mortuus est pro nobis. Nam pœna peccati nostri quam pertulit per divinæ sententiæ justitiam ex maledictione venit. Ita factus est maledictus pro nobis ut nos a maledicto liberaret, et benedictionem conferret, scilicet ut benedictio promissa Abrahæ qua dictum est : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen* XXII), compleretur in justificatione gentium per fidem Jesu Christi, qui est semen Abrahæ. Ita enim nos Judæos a maledicto redemit, ut etiam *in gentilus* quæ non erant sub maledicto legis *fieret benedictio Abrahæ* de gentium credulitate *in Christo Jesu*, *ut* tandem utrique *accipiamus per fidem*, et non per legis opera *pollicitationem spiritus*, id est beatitudinem, quam Spiritus sanctus in arrham datus promittit, vel pollicitationem Spiritus, vel Spiritum sanctum promissum credentibus, sive pollicitationem spiritus, id est munera gratiarum a Spiritu sancto promissa.

« Fratres, secundum hominem dico ; tamen ho- « minis confirmatum testamentum nemo spernit aut « superordinat (*Hebr.* XIX). Abrahæ dictæ sunt pro- « missiones, et semini ejus (*Gen.* XII, XXII). Non « dicit, et seminibus, quasi in multis, sed quasi in « uno, et semini tuo, qui est Christus. »

Locutus sum superius secundum rationes et secundum Scripturarum auctoritates, quod per fidem, non per legem datur Spiritus sanctus et justitia et beatitudo ; et nunc fratres hoc idem *dico secundum hominem*, id est secundum humanam consuetudinem, in qua licet sæpe desit firmitas, tamen firmum est testamentum hominis, id est ab homine factum suis hæredibus. Sic et testamentum divinarum promissionum datum Abrahæ, non potest per subsequentem legem infirmari. Quamvis enim secundum hominem loquar, tamen hominis cujusque Testamentum, id est chirographum, in quo constituit, qui

Digitized by Google

post se suam possideant hæreditatem, postquam morte ejus fuerit confirmatum (*Hebr.* IX). Mors enim testatoris, confirmatio est testamenti, nemo alius ultra spernit illud, ut irritum ducat, volens ex toto destruere, omnes hæredes auferendo et alios ibi ponendo; nec etiam superordinat, ut partim destruat et partim sic dimittat, alios ex hæredibus relinquendo, et alios tollendo, ac pro eis alios ponendo. Et si testamentum hominis jam mortui et in pulverem reversi non mutatur, sed ita permanet, ut ille dum adhuc viveret, constituit, quanto magis Testamentum Dei viventis et æterni sine immutatione permanet? Nam sicut *hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat*, sic testamentum Dei factum Abrahæ et semini ejus, in quo Deus constituit ut Abraham cum semine suo sit hæres patriæ cœlestis, non facit irritum lex subsequens, neque vel ex parte immutat. Abrahæ namque *dictæ sunt promissiones*, id est frequenter promissa est illi divinitus hæreditas *et semini ejus*, velut dum sub specie terræ Chanaan promitteretur ei terra viventium, dicente Domino : « Omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo (*Gen.* XII). » *Non dicit et seminibus* tui dabo terram hanc, *quasi in multis* seminibus, id est in multis filiis esset possidenda, *sed quasi in uno* semine, id est in uno filio sit obtinenda, *et semini tuo*, inquit, dabo illam, *qui est Christus*. Ideo posuit qui, et non quod, quia quod relativum nomen, positum inter proprium et appellativum, ad proprium debet respicere, sicut hic ad Christum, licet Christus non sit pure nomen proprium. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Semen Abrahæ Christus est, quia de Abraham processit populus Israel; et de populo Israel nata est Virgo Maria quæ peperit Christum (*Luc.* II). Et quia et nos ad id pertinemus quod est Christus, nobis simul incorporatis et illis pariter capiti cohærentibus unus est Christus. Nam Christus unum est cum omnibus membris suis, tanquam caput cum corpore suo, quod est Ecclesia. Unum ergo semen posuit Apostolus, ut ostenderet Galatas et alias gentes in fide non esse inferiores Judæis, nec Judæos illis superiores, sed omnes semen in fide, quasi unum corpus Christi (*Ephes.* II). Quod ne ipsi post perceptionem torperent a bono opere, sed unusquisque fratrem suum in sanctis actionibus studeret prævenire, ut posset illum et in remuneratione præcedere, quoniam « unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (*I Cor.* III), » et « in domo Patris mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). » Ideo posuit promissiones pluraliter, ut per merita dignioris vitæ festinarent ad præmium majoris gloriæ, quia et « stella a stella differt in claritate (*I Cor.* XV). » Sed tamen, ut diximus, unum est semen cui factæ sunt istæ promissiones, quia unum remunerationis denarium omnes accipient (*Matth.* XX) : et omnes sunt unum in Christo. Non enim dicit Deus Abrahæ : Tibi et seminibus tuis dabo hæreditatem vel benedictionem, quasi in multis seminibus vel filiis velit hoc intelligi, sed quasi in uno, id est Christo, utpote re vera in uno semine Christo volens intelligi; et semini tuo, inquit, dabo hæreditatem sive perpetuam benedictionem, quod semen est Christus cum corpore suo.

« Hoc autem dico, testamentum confirmatum a « Deo, quæ post quadringentos et triginta annos « facta est lex, non irritum facit ad evacuandam « promissionem. Nam si ex lege hæreditas, jam non « ex promissione. Abrahæ autem per repromissio- « nem donavit Deus. »

Abrahæ dictæ sunt promissiones. Lex vero post data, non destruxit illas. Fecit enim Deus Abrahæ testamentum promissionum hæreditatis, sed ego Paulus dico, quia *lex quæ facta est* in Sina *post quadringentos et triginta annos* a tempore promissionum, *non facit irritum*, id est falsum, *hoc testamentum* divinarum promissionum, confirmatum non ab homine, sed *a Deo*, non facit hoc irritum *ad evacuandam promissionem* Dei, quæ in eo facta est de æterna hæreditate. Quod faceret, si per eam daretur hæreditas regni cœlorum. Hoc namque sensat verbis istius versiculi, quod lex illa quæ data est sancto Moysi, non potest evacuare vel cassare promissiones illas, quas longo ante tempore Deus Abrahæ locutus fuerat (*Gen.* XII, XV, XXII). Postquam enim Dominus beato Abrahæ promissiones illas spondere dignatus est, descenderunt in Ægyptum filii Israel, et habitaverunt ibi quadringentis triginta annis (*Gen.* XLVI). Quibus expletis, exierunt inde, et ita Dominus legem etiam dedit Moysi in monte Sina (*Exod.* XII, XIII, XIV, XIX). Non ergo decebat ut lex tanto post tempore data, faceret irritum, id est cassum et falsum, hoc sanctum testamentum prius ab omnipotente Deo confirmatum. Volebant enim pseudoapostoli, ut lex faceret illud irritum, dum conarentur asserere justificationem et regni cœlestis hæreditatem non per gratiam, ut Deus Abrahæ promiserat, sed per legis opera dari; et ita evacuaretur divina promissio, et Deus fieret mendax. Sed non facit lex illud irritum, ut promissionem evacuet, dando cultoribus suis hæreditatem salutis, quia *si ex lege*, id est ex legis operibus esset *hæreditas*, id est æterna beatitudo, jam non esset *ex promissione*, id est ex dono Dei, et ita fallax esset promissio, hoc est, si ex lege Moysi proveniret cœlestis hæreditas, promissio quæ facta est Abrahæ, non esset vera, quoniam ex illa non daretur hæreditas. Si est ex lege hæreditas, jam non est ex promissione. Sed ex promissione, ergo non est ex lege. Et quod sit ex promissione, Apostolus subjungit, dicens : *Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus*, hoc est hæreditatem donavit Deus Abrahæ non per legem quam non habuit, quæ nondum erat, sed per gratiam quam repromisit. Hoc constat omnibus, quia Abraham habet hæreditatem, quoniam nullus id negare potest. Et cum habeat, aut per observantiam legis habet, aut per gratiam promissionis; sed per legis observantiam non habet, quia lex nondum

Digitized by Google

erat data, ergo per gratiam divinæ promissionis habet illam. Et si beatus Abraham ex gratia supernæ promissionis per fidem adeptus est hæreditatem, consequens est, ut et nos qui semen ejus sumus, eamdem hæreditatem ex gratia divinæ promissionis consequamur per fidem. Repromissionem ideo dixit, quia non semel Deus hæc Abrahæ promisit (*Gen.* XII, XV, XXII).

« Quid igitur lex? Propter transgressiones posita « est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata « per angelos in manu mediatoris. Mediator autem « unius non est. Deus autem unus est. »

Poterat aliquis interrogare : Si lex hæreditatem patriæ cœlestis dare non potuit, quid igitur data fuit post Abrahæ promissiones? Et ideo Apostolus ipse quæstionem sibi proponit, et ipse solvit. Quasi dicat : Quandoquidem ex lege non est justitia neque hæreditas, quia nec cultores suos justificavit, nec regnum cœlorum illis aperuit. *Quid igitur lex* utilitatis contulit? Quærendum est enim cur divinitus data sit, qua utilitate, qua necessitate data sit, quid commodi dederit, cur inter illa duo intervenerit, scilicet inter promissionem et rem promissam. Nunc ostendit quare data sit. *Posita est*, inquit, inter promissionem et promissam hæreditatem, propter illos qui naturalem legem transgrediebantur, ut vel timore cessarent transgredi, et paulatim erudirentur ad hoc, ut bona ex amore facerent. Sed videamus ordinem constructionis. *Lex ordinata per angelos in manu mediatoris, posita est* in populo Judæorum *propter transgressiones, donec veniret semen cui Deus* promiserat. *Lex est ordinata per angelos*, quia non per seipsum Deus, sed per angelos Moysi loquebatur, et præcepta legis disponebat (*Act.* VII). Et quia in ipsis angelis Christus erat, qui est mediator Dei et hominum, ac per eos legem ordinabat ideo dicitur ordinata fuisse per angelos in manu mediatoris. Ordinata est ergo, id est bono ordine posita inter promissionem et promissionis redditionem; ordinata est inter tempus naturalis legis, de qua conjuncti fuerant homines, quod juvare non potuit; et tempus gratiæ, ante cujus adventum erant convincendi de lege scripta. Et ideo qui nunc legem post adventum gratiæ reducit, contra ordinem qui divinitus per angelos dispositus est, facit. Ordinata est enim ita, ut semper esset in manu mediatoris, id est in potestate Christi, ut quandiu vellet maneret, et quando vellet cessaret. Et tali ordine posita est in populo Judæorum propter transgressiones illorum coercendas, ut scilicet audientes. Si quis hoc vel illud fecerit, morte moriatur, vel talem pœnam patiatur, saltem timore mortis aut pœnæ desisterent peccare. Nam propter justos et prophetas non fuit posita, qui non timore pœnæ, sed amore justitiæ Deo serviebant; et plenam habentes de Christo fidem, jam ad Novi Testamenti gratiam pertinebant, et in filiorum libertate jam vivebant; sed tamen ipsi propter varias causas ejusdem legis opera carnaliter faciebant, tum quia intelligebant illa esse futurarum rerum signa, tum quia cæteris pro quibus ipsa lex data erat, exemplum dare volebant observandi eam. Si enim qui sapientiores et sanctiores erant, ipsi carnales observantias legis postponere viderentur, jam populus ille minus eruditus putaret legem esse inutilem, nec custodiret eam. Illi autem qui timore pœnæ legem ipsam carnaliter observabant, et redemptionem humani generis exspectabant, ac de adventu Redemptoris qualemcunque fidem habebant, licet non ita plenam ut prophetæ, per eumdem Redemptorem salvati sunt, etsi non habent magnitudinem sublimioris gloriæ quam assecuti sunt prophetæ. Quia vero ex semine Abrahæ Christus erat nasciturus, in quo omnium gentium fuerat benedictio repromissa, et per quem patria cœlestis erat danda, et ab Abraham usque ad ipsum Christum multa fuerant sæcula transitura, providens Deus ne soboles dilecti sui Abrahæ cæteris nationibus misceretur, et paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, Chananæos, Assyrios, hoc signaculo distinguerentur. Quandiu enim fuerunt in Ægypto, inter idololatras et immundos circumcidebantur, ut se populum Dei dissimilem ab illis semper recognoscerent, nec opera eorum aliquando facerent (*Josue* V). Sed postquam in desertum pervenere, circumcisionem dimiserunt, præsente ipso legislatore, quoniam omnes erant Judæi, colentes unum Deum, et gentes cum quibus in idololatria miscerentur non videbant. Statim autem ut Jordanis ripam transgressi sunt, circumcisionem quam intermiserant, repetierunt (*ibid.*), propter quod et secunda vocata est illa circumcisio, quia inter gentes conversaturi, timebant ne ad idololatriam exemplo gentium declinarent, et ideo se illis dissimiles ostendere volebant. Unde possumus videre circumcisionem et carnales legis observantias prophetis et cæteris justis ad Novum Testamentum pertinentibus, nullatenus fuisse necessarias, eo quod non timore pœnæ, sed amore justitiæ Deo servirent, et se ab omnibus idololatris dissimiles sine lege recognoscerent. Nunc quoque jam nec signo circumcisionis, per quod Dei populus agnoscatur, opus est, quia modo non una gens est Dei, sed ex omnibus gentibus una congregatio, quia jam venit exspectatio gentium Christus. Itaque non propter justos, ut diximus (*Gen.* XLIX), posita est lex, sed propter cæterorum transgressiones refrenandas, quæ vel præcesserant, vel voluntatibus eorum instabant. Et posita est donec veniret semen Abrahæ, cui Deus promiserat, id est ad hoc posita est, ut duraret donec veniret Christus, cui Pater promiserat supernam hæreditatem, ut cum corpore suo quod est, Ecclesia, perenniter eam possideret. Qui ergo legem adhuc vult protelare, aut Christum negat venisse, aut Deum usque ad adventum ejus legem posuisse. Apostolus vero, quia mediatoris mentionem fecerat, vult ostendere de quo dicebat, et quam misericorditer ille mediator curam nostræ salutis

Digitized by Google

semper habeat. Ait enim : *Mediator autem unius non est.* Lex enim est in manu mediatoris, sed mediator non est unius. Hoc satis notum est, quia mediator non est unius rei, vel unius partis, sed duarum. Quod est dicere : Mediator, id est conciliator vel præl cutor, non est necessarius uni rei vel uni parti, sed duabus. Inter duos enim reconciliandos, necessarius est mediator qui utrique sit amicus, id est inter duos discordantes mediator, id est reconciliator debet currere, qui valeat illos ad pacis concordiam revocare, sicut Christus per humanitatem suam nobis amicus, et per divinitatem suam Patri, sanguine suo pacem inter nos et Deum fecit. Mediator non est unius, sed *Deus est unus.* Igitur mediator non est Dei solius, sed Dei et hominum. Inter nos enim et Deum Christus mediator est; ac per hoc dum per humanitatem suam nos Deo reconciliat, Patri et sibi sanctoque Spiritui reconciliat, quoniam trinitas unus Deus est. Vel ita : Mediator non est unius, sed duorum, quia duos discordes populos, Judaicum et gentilem, Christus pacificavit, faciens ex utroque unum Christianum populum. Christus est duorum mediator, sed Deus est unus, quia Pater et Filius non sunt duo dii, sed unus Deus. Quamvis enim Pater sit Deus, et Christus Deus, uterque tamen unus est, non duo dii. Sed prior sententia melior est et verior.

« Lex ergo adversus promissa Dei? Absit! Si « enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere « ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura om- « nia sub peccato (*Rom.* III), ut promissio ex fide « Jesu Christi daretur credentibus. »

Quia dictum est superius, quod si ex lege est hæreditas, jam non est ex promissione, videretur alicui quod lex esset contraria promissioni. Et hoc nunc Apostolus quasi vice adversarii objicit sibi ipsi, et refellit. Quandoquidem (inquit, ex promissione non potest hæreditas esse, si fuerit ex lege, *ergo lex est adversus promissa Dei*, id est contraria præcedentibus promissis, quæ Deus Abrahæ responderat. Absit ut lex Dei adversetur promissis Dei! Non potest hoc esse, ut Deus legem dederit quæ adversaretur promissis suis, quia jam in hoc sibi ipsi Deus esset contrarius. Nunquam lex subsequens adversata est præcedentibus promissis, sed ut homines digne se præpararent ad ea accipienda, jugiter admonuit. Vel ita : Quandoquidem lex propter transgressiones posita est, ergo est adversus promissa Dei, ut per eam impleantur aliter quam Deus promisit? Absit hoc! Non est illis contraria, ut in aliquo obsistat vel in aliam partem ea deflectat, quoniam aliter non potest haberi cœlestis hæreditas, nisi quemadmodum Abrahæ promissum est. Lex enim non potest illam hæreditatem dare, quia non potest veram justitiam conferre, sine qua nullus ad supernam hæreditatem valet pervenire. Et vere non potest justificare, quia nec a morte peccati valet animam vivificare. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia.* Si per Moysen data esset lex, quæ posset homines ab interna morte, quam prævaricatione protoparentis et sua iniquitate incurrerant, vivificare, tunc sine dubio veram justitiam lex ipsa posset conferre, per quam et regno cœlorum homines essent idonei. Sed non est data lex quæ posset vivificare, imo quæ posset occidere. « Littera enim occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III). » Littera enim legis prohibens peccatum, non vivificat hominem, sed potius occidit, augendo concupiscentiam et iniquitatem prævaricatione cumulando, nisi liberet gratia per legem fidei, quæ, est in Christo Jesu, cum diffunditur charitas in corde per Spiritum sanctum (*Rom.* V). Lex ergo Moysi non potuit vivificare, quia hoc servabatur evangelicæ gratiæ. Quod pulchre figuratum est, quando Giezi præcurrens cum baculo, non potuit mortuum suscitare; sed Elisæus post veniens, suscitavit eum (*IV Reg.* IV). Puer enim mortuus, humanum genus est, jacens in morte peccati. Giezi cum baculo, Moyses cum terrore legis. Elisæus subsequens, Christus post veniens. Sed Giezi præmissus cum baculo, non suscitavit mortuum, quia Moyses Christum præcedens cum terrore legis, non potuit humanum genus a morte animæ suscitare, quoniam juxta Apostolum non est data lex quæ posset vivificare. Elisæus vero post veniens suscitavit puerum, quia Christus in fine legis incarnatus apparens, humanum genus ab interna morte suscitavit. Lex itaque non potuit vivificare, quod si potuisset, tunc et justificare valeret. Unde liquido patet, quia evangelica gratia quæ mentem a peccati morte vivificat, veram præbet justitiam quæ facit homines idoneos hæreditati cœlorum. Non est data lex quæ posset vivificare, sed potius Scriptura, id est ipsa lex manens et scripta, vel quæ non dat Spiritum, sed tantum est Scriptura, *conclusit omnia* hominum genera *sub peccato*, id est omnes Judæos circumsepsit, ac sub peccati dominio detinuit, ut a nulla parte jugum peccati dum in lege tenerentur, possent evadere; vel quia jam difficilis erat, ut cum a nullo posset impleri, omnes faceret prævaricatores et accusabiles redderet, quod enim lex omnia quæ continebat sub peccato conclusisset, apte signavit piscina illa in Jerusalem, quinque porticus habens, in quibus jacebat multitudo magna languentium (*Joan.* V). Nam aqua piscinæ, vel plebem Synagogæ, vel doctrinam legis figuravit. Quinque porticus cingentes piscinam, quinque libros legis concludentes Synagogam. In quibus porticibus jacebat multitudo magna languentium, quoniam Scriptura legis, sicut nunc dicitur, conclusit omnia sub peccato, omnesque qui intra legis ambitum claudebantur, jacebant in languore peccati, exspectantes medicum Christum, per quem sanarentur. Ideo autem Scriptura conclusit sic omnia sub peccato, ut homines nota sua et legis infirmitate, properarent ad gratiam, et ita promissio benedictionis et hæreditas Abrahæ daretur eis credentibus, non ex operibus legis, sed *ex fide Jesu Christi.*

Digitized by Google

« Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. »

Modo fides nos liberat, et facit consequi promissionem; sed priusquam cum Christo veniret, custodiebamur sub lege. Lex enim conclusit omnia sub peccato, sed tamen fuit utilis, quia custodiebamur sub illa priusquam sponte sua *veniret fides*, nullis meritis nostris advocati, *sub lege custodiebamur conclusi*, id est constricti timore velut servi, ut nos ita concluderet onere carnalium observantiarum, ne per insolentiam et lasciviam evagaremur ad idololatriam. Ideo conclusi custodiebamur, ut legis disciplina coerciti, duceremur *in eam fidem quæ* tempore Christi *revelanda erat*, ubi multa sunt patefacta, quæ prius erant clausa et velata. Custodiebamur conclusi quasi in ergastulis servire coacti, ut transiremus in eam fidem quæ erat revelanda, id est in manifestissimam et plenariam fidem, quæ erat tempore gratiæ detegenda, quia in antiquis sanctis erat velata. Et quia lex nos custodivit ad fidem, *itaque lex* eadem *fuit pædagogus noster*, id est nos sensu pueros ab illicitis comprimens et ad recta dirigens timore pœnarum. Quia enim nos custodivit donec ad fidem liberi veniremus, idcirco pædagogus noster fuit, id est custodia ad tempus, non ut semper maneret, sed sicut pædagogus cessaret. Sicut enim pædagogus flagellat puerum, ut hunc reddat aptum ad regendam domum, et possidendam hæreditatem patris in ætate sua virili, ita lex fuit nobis imposita custodia, ut onera legis gravia saltem metu pœnæ servata nos reprimerent, ut idoneos hæredes summi Patris nos facerent. Lex fuit nobis pædagogus *in Christo*, id est in exspectatione Christi, ut sic venientes ad fidem quasi pueri ad perfectionem, *justificemur nunc ex fide*, et justificati consequamur hæreditatem. Ante fidem fuimus sub pædagogo, id est sub districtione et onere legis, sed postquam *venit fides, jam non sumus sub pædagogo* servitutis legis, sed in libertatem charitatis, utpote non jam pueri sensibus, sed adulti.

« Omnes enim filii Dei estis per fidem quæ est (218) in Christo Jesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis (*Rom.* VI). Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes. »

Quasi dicerent Galatæ, Judæi legem pædagogum habuerunt quæ illos custodivit, et ideo nunc filii possunt esse per gratiam, ut cœlestis patriæ hæreditatem accipiant; sed nos qui non habuimus pædagogum, non sumus filii : ideoque necessarius est nobis pædagogus, id est lex, ut possimus esse filii. Respondere videtur Apostolus: Non est verum. Nam *omnes per fidem* quam accepistis sine pædagogo, facti *estis filii Dei*, id est apti hæreditatem possidere cœlestem. Vel potius ita continuatur: Nos Judæi tempore fidei pædagogum deserimus, quia omnes vos gentiles qui non habuistis pædagogum, estis filii Dei per fidem. Nos qui exemplo vestro pædagogum deserimus, et vos illum accipitis, filii estis per fidem, existentes *in Christo Jesu*, id est facti membra Christi, et participes innocentiæ ac sanctitatis ejus, et ita digni possidere filiorum hæreditatem. Et vere estis in Christo per fidem, quam suscepistis in baptismo. Nam quicunque, id est cujuscunque conditionis vel sexus vel ætatis, *baptizati estis in Christo*, id est in Christi nomine, vel in Christo, id est in Christi baptismo, quem ipse fieri decrevit in aqua et in spiritu ac in nomine Trinitatis (*Joan.* III; *Matth.* XXVIII), *Christum induistis*, id est Christum pro veste accepistis, ut indumento justitiæ illius circumdati (*Isa.* LXI), non ostendatis ultra jam ab ulla parte quidquam in operibus et conversatione vestra, nisi sanctitatem Christianitatis. Christum vestem accepistis, quod est vobis honor et contra tentationum æstus protectio. In qua Christi induitione *non est Judæus neque Græcus*, id est in illa Christi conformitate nec Judæus prodest, neque Græcus obest, quia nec Judæus propter Judaismum suum est ibi superior, neque Græcus propter Græcitatem suam inferior. Sed nec servus est ibi abjectior, quoniam sine discretione nationis ac conditionis ac sexus estis omnes in Christo. Non estis ibi differentes, quia omnes vos sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi, sive mares, sive feminæ, *unum estis in Christo Jesu* per unitatem fidei et charitatis. Et si nos sic vivificat fides, per quam in hac vita recte ambulatur, quanto perfectius atque felicius nos efficiet ipsa species, qua videbimus sicuti est id ad quod tendimus? Omnes enim unum estis in Christo, id est in Christi corpore, et ita ejus membra estis effecti. Sed si vos membra Christi estis, id est Christo uniti, *ergo semen Abrahæ estis*, futuri hæredes regni cœlorum non secundum carnem, sed *secundum promissionem* quam Deus fecit Abrahæ. Vos enim facti estis hæredes secundum promissionem Abrahæ gratia Dei. Non de carne Abrahæ fecit illi cohæredes Deus. Nam imitando fidem Abrahæ, facti estis filii Abrahæ.

CAPUT IV.

« Dico autem : Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. »

Ab eo loco quo dixerat, *jam non sumus sub pædagogo*, fecit usque nunc interpositionem propter

(218) Anselmus hæc duo verbula, *quæ est*, non legit.

Digitized by Google

Galatas. Modo autem exponit, qua similitudine vocaverat legem pædagogum, et adaptat similitudinem, atque ostendit quia non debuimus esse sub lege, postquam fides venit. Quasi dicat: Superius dixi manifeste, quia priusquam veniret fides, sub lege quasi sub pædagogo custodiebamur, postquam vero fides venit, jam non sumus sub pædagogo, sed nunc dico idipsum per similitudinem, quia scilicet puer, qui patris sui futurus est *hæres, quanto tempore est parvulus*, ætate et scientia, *nihil differt a servo* id est cogitur alterius parere voluntati, et nullam potestatem habet, *cum* id est, quamvis *sit* jam secundum naturam *dominus omnium* quæ pater ejus possidet. Non quidem est servus, sed tamen nihil differt a servo, quia non est speciose vestitus, nec est in libera potestate sua, sed sub custode qui illum servat, et ducit quo ducendus est, quoniam παῖς puer dicitur, et ἄγω *duco*. Non differt a servo. *sed est sub tutoribus*, qui tuentur illum ab injuriis; *et* sub *actoribus*, qui pro illo agant ea quæ necdum ipse valet aut scit agere. Vel sub actoribus, id est præceptoribus et morum informatoribus, quorum auctoritatem et gravitatem sequatur, et qui auctoritate sua pro illo causas ipsius agant, et est sub illis *usque ad tempus præfinitum a patre*, id est usque ad quinque annos, vel usque ad aliud temporis spatium quod pater ejus præordinavit, ut deinceps liberæ voluntati suæ relaxetur. Simili modo sentiendum est et de populo Judæorum, qui per Christi gratiam futurus erat regni cœlorum hæres, quia quandiu fuit scientia et actione parvulus, servili timore compressus sub disciplina legis quasi sub districtione pædagogi, et coactus servire præceptis divinis, cum tamen futurus esset per Christum dominus omnium bonorum patriæ cœlestis, id est possessor cœlestium divitiarum. Quando erat parvulus cognitione Dei et viribus resistendi peccato, non differebat a servo, quia lex ei dominabatur, et minis eum terrebat ne peccare auderet. Nam erat sub tutoribus et actoribus, id est sub legis sermonibus, qui velut tutores contra malignorum spirituum impugnationes, et contra gentilium ad idololatriam persuasiones defendebant, illum admonendo et increpando atque puniendo, et velut actores informaverunt mores ejus, atque causam ipsius apud Deum egerunt, dum per sacrificia et expiationes Deum ei placaverunt. Et sub his fuit usque ad præfinitum tempus a patre, id est usque ad adventum Christi, in quo Deus constituit ut populus ille perfectus et liber fieret, et hæreditatem obtineret. Si vero prædictis tutoribus vel actoribus quandiu parvulus fuit, dedignaretur subjici, non posset idoneus esse opportuno tempore paternam hæreditatem adipisci. Nam hæc ita debere intelligi declarat ipse Apostolus, dum consequenter similitudinem adaptat, dicens: Ita, id est similiter ut prædictus puer, et nos Judæi *cum essemus parvuli* non ætate, sed intellectu et discretione ac mentis viribus et operum actione, *eramus servientes*, id est in servitute legis viventes, *sub elementis mundi*, id est sub carnalibus observantiis quibus comprimebamur, ne libere lascivire liceret. Sicut enim pueri discunt elementa et conjunctionem elementorum, nec tamen possunt intelligere profunditatem sententiarum quousque sint in libera potestate, postea vero se conferunt ad liberales artes, nec tamen possunt ad harum scientiam venire nisi per elementa, sic Judæi per carnales legis observantias instructi sunt. Ipsæ fuerunt illis quasi elementa, id est primordia per quæ venerunt ad fidem, et ad majorem Dei cognitionem, scilicet ad spiritualem intelligentiam ipsarum carnalium observantiarum. Quæ elementa dicuntur mundi, quia data sunt amatoribus hujus mundi, qui nesciebant appetere æterna et invisibilia, sed temporalia et visibilia; ideoque terroribus corporalium pœnarum et promissionibus temporalium bonorum per legem pueriliter sive serviliter compellendi erant ad Dei cultum. Elementa ergo mundi, lex Moysi et omne Vetus Instrumentum intelligitur, quibus et nos adhuc quasi elementis et religionis exordiis Deum discimus: quomodo elementa appellantur litteræ, per quas syllabas ad verba conjungimus, et ad texendam orationem longa meditatione procedimus. Ars quoque musica habet elementa sua, et geometria ab elementis incipit linearum. Sic elementis veteris instrumenti, ut ad evangelicam plenitudinem veniat, sancti viri eruditur infantia. Unde et centesimus nonus decimus psalmus, omnesque alii qui litteris prænotantur, per Ethicam nos ducunt ad theologicam, et ab elementis occidentis litteræ quæ destruitur, transire faciunt ad spiritum vivificantem. Propter quod et elementa quasi elevamenta dicuntur, quia nos elevant a visibilibus ad invisibilium intelligentiam. Sub quibus elementis, id est sub lege et prophetis carnaliter intellectis serviliter tenebantur Judæi, dum essent parvuli, et nescirent seipsos regere, ideoque indigerent pædagogi districtione et instructione. Ita, inquit, dum essemus sensu parvuli, eramus servientes sub elementis mundi usque ad præfinitum tempus a Patre. Sed postquam *venit plenitudo temporis* id est postquam impletum omne spatium illud temporis, in quo cœlestis Pater præfiniverat nos sub legis quasi sub pædagogi districtione more puerorum manere, et nos in virilis animi robur profecissemus, nec jam pædagogi custodia indigeremus, tunc Deus Pater, ut nos a vinculo pristinæ servitutis absolveret, misit non angelum, non archangelum, sed *Filium suum* unigenitum. Misit eum, id est fecit incarnari, ut hominibus esset visibilis; ipsum dico, secundum carnem *factum ex muliere*, id est ex femina matre, qui secundum divinitatem non est factus, sed genitus a Patre. Et *factum sub lege*, id est creatum secundum carnem sub legis observatione, ut susciperet circumcisionem et portaretur ad templum cum hostiis Judaico more, sicut veraciter filius Abrahæ cui promissus fuerat. Hunc ergo Deus factum ex muliere, id est maternæ carnis substantia, sine virili admistione conceptum,

Digitized by Google

ad humanos aspectus hominem verum protulit, qui in divina virtute ac substantia manens per omnia quod erat, veram naturæ mortalis infirmitatem, quam non habebat, induit. Usus namque divinarum Scripturarum, et maxime Hebraicarum, mulieres appellare consuevit, non corruptas, sed feminas, sicut legimus, quia ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam (*Gen.* II). Ut autem Dei Filius nobis necessariam obediendi virtutem præcipuo commendaret exemplo, factus est sub lege, id est subditus est legi; non quia ipse quidquam legi deberet, qui unus est legislator et judex, sed ut eos qui sub lege positi legis onera portare nequiverant, sua compassione juvaret, ac de servili conditione quæ sub lege erat, ereptos in adoptionem filiorum quæ per gratiam est, sua largitate reduceret. Factus est sub lege, *ut eos qui sub lege erant redimeret*, id est a legis servitute liberaret, sicut et mortem subire dignatus est, ut eos qui mortis Dominum evadere non poterant, a morte redimeret. Factus est sub lege non ut ab ea expiaretur, sed ut eos qui sub illa erant pressi et rei, liberaret; ita *ut* nos omnes Judæi, et gentiles *reciperemus* pariter *adoptionem filiorum*, quia nostram participavit naturam, et nos adoptavit ad suam. Propterea ergo voluit sub lege fieri et legem implere, ut eos qui erant sub onere legis compressi, a jugo legis redimeret; et nos omnes, tam Judæi quam gentiles, per gratiam novæ libertatis reciperemus adoptionem filiorum, quam in Adam perdideramus, id est efficeremur adoptivi filii, ac hæreditatem Patris æterni consequeremur.

« Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus spi-
« ritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba
« Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod
« si filius, et hæres per Deum. »

Modo repetit quod superius dixerat, Galatas esse filios Dei, ut ostendat similiter illos adoptivos filios esse, sicut Judæos, quasi dicat: Dixi vos esse filios Dei per fidem. Nec frustra hoc estis. Sed *quoniam* vos Galatæ *estis* adoptivi *filii Dei*, sicut et nos Hebræi, *misit Deus Spiritum* naturalis *Filii sui in corda nostra*, id est Spiritum sanctum, qui et a Patre procedit, et a Filio (*Joan.* XV). Nam et missio qua mittitur a Patre, ipsa est processio qua procedit a Patre. Et ideo dicit eum Apostolus mitti a Patre et Filio, ut ostendat eum ab utroque procedere. Misit Deus Pater Spiritum filii sui in corda nostra, id est in corda nostra omnium nostrum qui credimus, tam Judæorum quam gentilium. Nam propter utrumque populum misit eum *clamantem*, *Abba Pater*. Clamat enim in cordibus nostris ad Deum, id est magna piæ mentis devotione facit nos intus clamare, o Abba Pater. Abba namque et Pater, idem est. Sed propter Judæos clamat Abba, et propter gentiles Pater, ut ostendat ambos unum Patrem habere Deum. Abba enim Hebraice, *pater* dicitur. Effectus ergo probat utrosque Dei filios esse, dum in cordibus utrorumque clamat Spiritus sanctus ad Deum, Abba Pater. Et quid est spiritualis ille clamor, nisi pius affectus electorum erga Deum, et pia mentis postulatio esurientis, et sitientis justitiam? Quia vero superius dixerat hæredem, quandiu parvulus est, nihil a servo differre, quod de populo qui sub legis servitute fuerat, mystice voluit intelligi, et addiderat quomodo idem populus per adventum Filii Dei liberatus sit, facit inde consequenter illationem, quod jam non sit servus. Ac si dicat: Populus ille qui prius erat sensu et actione parvulus, et sub lege serviliter deprimebatur, postmodum per gratiam unigeniti Dei est in libertatem adductus, et in Filium adoptatus. *Itaque jam non est servus* ut antea sub lege, *sed filius*, quia filiorum adoptionem recepit dono gratiæ. Vel ita: Spiritus Christi clamat in cordibus utriusque populi, Abba Pater. Itaque jam neuter eorum est servus post acceptionem sancti Spiritus, sed est per gratiam filius. *Quod*, id est sed si jam, *filius* est, ergo *et hæres* in futuro erit *per Deum*, id est per Dei operationem, et per Dei gratiam. Vel per Deum juro ita fore. Hæc enim filiatio et hæreditas utrique populo concessa est. Sed quia Galatis Apostolus loquitur, ad eos sequentia verba respiciunt, cum dicitur:

« Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui na-
« tura non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cum
« cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quo-
« modo convertimini iterum ad infirma et egena
« elementa, quibus denuo servire vultis? Dies ob-
« servatis, et menses, et tempora, et annos. Timeo
« vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. »

Modo, inquit, estis filii, sed prius eratis servi, non in carnalium legis cæremoniarum servitute, sicut Judæi, sed idolorum, quia *tunc quidem ignorantes Deum, serviebatis his qui non sunt dii natura*, sed opinione insensatorum hominum, id est non sunt naturales, sed falsi dii. Hic ostendit non esse serviendum, nisi illi qui natura Deus est. Tunc quidem ignorabatis verum Deum, cui soli serviendum est; et ideo aliquid excusationis habebatis, quod falsis diis serviebatis. Sed *nunc cum* jam *cognoveritis Deum*, nulla ulterius vobis superest excusatio, si erraveritis, sed longe deterius quam olim, delinquetis. Nunc non est jam locus errandi, cum aperta sit veritas, cum cognoveritis Deum per fidem, *imo*, melius possum dicere, *cum sitis a Deo cogniti*, id est approbati per bonam operationem. Vel Deus cognovisse dicitur, quia fecit ut ab his cognosceretur, a quibus ignorabatur. Neque enim fas est ut credamus quod tunc Galatas Deus primo cognoverit, quos ante mundi constitutionem præcognitos habuit; sed tunc cognovisse dictus est, quod tunc ut cognosceretur effecit. Nam quia tunc ipsi eum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant, maluit typice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, quando eis cognoscendum se præstitit; et verbum corrigere, quasi hoc minus recte dixerat, quod proprie dixerat, quam sinere ut hoc sibi arrogarent, se potuisse quod eis posse ille donaverat. Cum enim dicitur, quod

Digitized by Google

nos cognoscit Deus, cognitionem suam nobis præstat ut per hoc intelligamus, ne hoc quidem nobis tribuendum, quod nos scimus Deum, sed eam quoque scientiam illius misericordiæ tribuamus. Prius quidem, inquit, per ignorantiam Dei serviebatis idolis; sed modo cum jam cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, id est cognitionem ejus percepperitis ab ipso, *quomodo*, id est qua causa, qua ratione, *convertimini iterum* (ut ante Dei notitiam) ad servitutem erroris? Quomodo postquam vobis veritas illuxit, convertimini iterum ut antea, dum a Judæis efficeremini proselyti? Quomodo, inquam, convertimini *ad elementa*, id est ad carnalia legis mandata, quæ sunt divini cultus Judæis exordia, et sunt *infirma*, quia per se non valent cultores adjuvare; *et egena*, quia egent auxilio gratiæ? Quomodo ad hæc convertimini, *quibus denuo*, id est iterum *vultis servire*? sicut quondam eis servierunt Judæi, sed jam ab eorum servitute sunt liberati. Illi desierunt eis servire, et vos qua ratione vultis iterum eis servire? Quæ scilicet elementa, id est carnalia legis præcepta, prius fortia et velut quamdam firmitatem dantia steterant, dum Judæos adhuc comprimerent, et cohortarentur ad justificationem fidei, et ad majorem Dei notitiam paulatim promoverent; et erant ditia, dum locupletarent eos, dando quamdam ipsis apud homines justificationem, ut non punirentur, ut nihil mali paterentur. Hæc namque erant illis quædam divitiæ, quæ præparabant illos ad veras divitias, ad fidem scilicet et justificationem, nec non et ad hæreditatem in supernis accipiendam. Sed nunc infirma et egena sunt hæc elementa, quia priusquam veritas advenit, jam neminem ad ejus susceptionem præparant, jam neminem ad Dei cultum constringunt, jam nihil præfigurant, nihil cultoribus suis prosunt, nihil boni conferunt. Et his ita destitutis ac inanibus elementis vultis denuo servire, sicut ante veritatis adventum Judæi quondam illis servierunt, cum jam nemo debeat illis servire, sed omnes in libertate quam Christus dedit, permanere: nec jam sub pædagogo vivere, postquam impletum est tempus præfinitum a Patre. Vere vultis denuo his elementis servire, et post expletum infantiæ tempus iterum jugo pædagogi colla vestra miserabiliter subdere. Nam *observatis*, id est observare dispositis *dies*, sicut Sabbata, *et menses*, sicut per primum et septimum mensem, vel menses, id est exordia mensium, hoc est neomenias, *et tempora*, sicut quando ter in anno omnes Judæi ad templum conveniebant, ac solemnitates agebant, *et annos*, sicut septimum et quinquagesimum annum. Hunc annum Galatæ nuper subversi necdum observaverant, et ideo (secundum quod præmisimus) quod ait, dies observatis et menses et tempora et annos, sic accipiendum est, non quod jam observarent, sed quod hoc observare vellent. Non enim tam fecerant quam facere disponebant carnalia legis opera. Et quia talibus, inquit, subjici non respuistis, *timeo vos*, ne mihi damnum de vobisipsis faciatis, scilicet *ne sine* A *causa*, id est sine utilitate vestra *laboraverim in vobis* convertendis et instruendis. Non idcirco timet eos, ut putet quod illi possint ei per apostasiam suam auferre mercedem laboris, quam in eorum instructione pertulit, sed quia metuit ne seipsos a fide subtrahendo, faciant ut non prosit eis labor apostolicus. Non enim suam mercedem, sed illos amittere timet. Quod forte, id est illorum arbitrio potest fieri. Utrumlibet contingere valet, ut vel sine causa quantum ad eos laboraverit in ipsis, si in errore perduraverint; vel non sine causa, si resipuerint. Dicamus quod nonnullis visum est, scilicet quia Galatæ partim ex Judæis, partim ex gentibus ad fidem venerant, sed post discessum Apostoli cogebantur a pseudo prædicatoribus, his qui de Judæis B conversi fuerant, iterum Judaizare; qui vero de gentibus crediderant, rursus elementa observare. Quibus apte congruit quod dicitur: Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum, quomodo convertimini iterum, sicut ante quam Deum cognovissetis, ad elementa, id est ad impiam observantiam solis et lunæ ac stellarum et cœli ac terræ? Quæ quidem sunt infirma, quantum ad vos, quia nequeunt vos adjuvare; et egena, quantum ad se, quia nihil habent nisi ex Dei dispositione, hic tamen post nostram conversionem vultis denuo servire sicut antea. Nam dies observatis, dicentes: Non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut quia sic C luna fertur; vel: Proficiscar, ut prospera cedant, quia sic se habet positio siderum, et menses observatis, dicendo: Nunc agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem, vel idcirco agam, quia suscepit mensem. Et tempora prævidentes in auguriis, quale tempus, sive carum, sive calidum aut pestiferum, evenire debeat et annos, ut illi qui dicunt: Non plantabo hoc anno vincam, quia bissextus est. Sive ergo his, sive aliis perversis modis, nonnulli Galatarum observabant dies et menses, atque tempora et annos, et inde culpat eos Apostolus, atque omnes qui talibus observationibus adhuc studeant, et quam grave sit periculum talia observare demonstrat, dum esse incassum quod illis qui hæc observant, laborasse timet. Quis enim æstimaret quam magnum peccatum sit talia observare, D sicut observant, ut dictum est, qui certis diebus aut mensibus, sive temporibus, sive annis, volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta vel infausta æstimant tempora, nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui nunc talibus ait: *Timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

« Estote sicut ego, quia et ego sicut vos: Fra« tres, obsecro vos nihil me læsistis. Scitis autem « quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis « jam pridem, et tentationem vestram in carne mea « non sprevistis, sed sicut angelum Dei excepistis « me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beati« tudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis,

Digitized by Google

« quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis et « dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, « verum dicens vobis? »

Ne labor meus in vobis sit inanis, *estote sicut ego* liberi a servitute elementorum, id est a legis observatione carnali, *quia et ego*, qui legi subditus fui, et legis observantiam novi, sum modo *sicut vos* sine lege. Nam quia ego qui legem habui consilio rationis eam deserui, ex quo Christum cognovi, scire potestis, quia nihil utile christicolis in ea esse consideravi, quam sic ex toto reliqui. Si igitur ego qui hanc habebam, dimisi, tunc vos, qui eam non habetis, assumere non debetis. Vel estote sicut ego in fidei charitate, quia et ego sum sicut vos homo correctus de errore. Nam et nunc potestis exemplo meo a legis observantia retrahi, sicut olim ab idolorum estis cultu revocati. Et debetis esse sicut ego, quia *obsecro vos, o fratres*, ut sitis sicut ego, id est dulcedine fraternæ dilectionis rogo. Ideo vos fraterno amore obsecro, ut non inimicus decipere quæro, sicut falsi apostoli de me vobis asserunt, quia dum essem apud vos, *nihil me læsistis*, sed in magno honore habuistis. Superius aspere correctos nunc demulcet ac revocat blandiendo, obsecrando, et bene gesta eorum memorando. Non me læsistis, sed potius vosipsi *scitis quia per infirmitatem carnis*, id est eo tempore quo infirmabar in carne mea, prædicavi vobis evangelium Christi jampridem; et tamen *non sprevistis*, ut me vilem judicaretis, *tentationem vestram in carne mea* ægrotante. Tanta enim, fuit infirmitas corporis in me, ut vos inde tentari possetis, et putare quod non esset in me virtus aliqua spiritualiter, qui corporaliter sic infirmabar; nec essem apostolus Christi, quem ita doloribus infirmitatis agitari permitteret. Vel hæc infirmitas fuit passio diversarum tribulationum. *Evangelizavi vobis jampridem* per infirmitatem carnis, id est per tolerantiam adversitatum, quibus vehementer affligebatur caro mea; et tentationem vestram in carne mea factam non sprevistis, id est non vilem existimavistis passionem tribulationum mearum, per quam tentabamini, utrum timore me desereretis, an charitate amplecteremini. Et inde vos esse firmos cognovi, quod adversitatibus quæ mihi in carne acciderant, non estis a charitate deflexi. Nam dum me propter annuntiationem Evangelii tam contumeliose tractari ab incredulis videretis, vos quoque similiter ab illis male tractandos fore propter ejusdem Evangelii susceptionem credere poteratis; et ideo consideratione tantæ persecutionis ac pœnæ quidam deficiebant a fide, vel metuebant ad eam accedere. Atque ita omnes tentabantur, et alii probati, atque alii reprobi per ignem tribulationis declarabantur. Illam infirmitatem, quæ in carne mea fuit vestra tentatio, non sprevistis, ut de me sic abjecto et afflicto non curaretis; nec ex toto respuistis, ut omnino converti propter illam renueretis, sed potius ita me excepistis, ac si nihil paterer, ac si essem immortalis et impassibilis. Cum tanta scilicet reverentia me excepistis, cum quanta Dei angelum venientem de cœlo exciperetis; et ut plus dicam, ita me excepistis, sicut ipsum Christum, si descendisset rursus in terram, et venisset vobis prædicare. Tantæ enim auctoritatis me habuistis, ac si de sublimibus veniens angelus loqueretur vobis, vel ipse Christus angelorum Dominus. Et quandoquidem in tanto honore me tunc habuistis, nunc autem sine causa spernitis ac respuitis, *ergo ubi est beatitudo vestra?* id est illa affectio et humilis devotio quam erga me habuistis, quæ erat causa futuræ beatitudinis vestræ. Bene revocat illos, vocando illam affectionem beatitudinem, quia si causam amittunt, effectum perdent; si amittunt illam devotam affectionem, perdent sine dubio futuram beatitudinem. Vere, inquit, *sicut angelum, vel sicut Christum Jesum me excepistis*, et inde beatitudinem meruistis, quia si posset juste et cum mea utilitate fieri, illa membra vestra quæ chariora sunt in homine, tulissetis a vobis, et dedissetis mihi. *Testimonium enim vobis perhibeo, quia si* ad utilitatem Ecclesiæ *fieri posset*, si cum justitia vestra et commoditate mea fieri posset, *oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi*, id est ad utilitatem meæ prædicationis. Consueto more loquitur, sicut solemus dicere: De carne mea vellem pro vestro profectu dare, si possem, et propter nimiam erga se charitatem illorum exaggerandam, dicit talia. Sed cum tanta charitas, et tantus honor illi fuisset exhibitus, nunquid propter ipsum honorem sibi exhibitum, ac dilectionem pepercit illis errantibus, ne forte negaretur ei et minus ipse cum argueret eos, laudaretur vel amaretur? Non utique, quia propter honorem sibi impensum non gaudebat, sed propter eorum salutem. Ideoque propter eamdem ipsorum salutem non timuit, et vituperari ab illis, vel odio haberi, dummodo quod verum et utile erat, prædicaret. Unde mox subjicit: *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Quia, inquit, tantum me dilexistis, ergo propter veritatem quam annuntiavi, inimicum vobis me factum putatis? Persuadebant enim illis pseudo apostoli, quod ipse causa odii noluisset eos docere circumcisionem, sed aliis illam prædicaret, et inde putaverunt eum sibi inimicum. Propter quod increpando nunc dicit: Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? Ac si dicat: Non debetis æstimare quod sim vobis inimicus, sed magis amicum me debetis agnoscere ex eo quod puram vobis veritatem prædicavi, scilicet ut absque legis observantia, per solius Evangelii custodiam quæreretis salvari, vel quia nemo vult se argui, reprehendens eos nunc videtur illis inimicus.

« Æmulantur vos non bene, sed excludere vos « volunt, ut illos æmulemini. Bonum autem æmu- « lamini in bono semper, et non tantum cum præ- « sens sum apud vos, filioli mei, quos iterum partu- « rio, donec formetur Christus in vobis. Vellem « autem esse apud vos modo, et mutare vocem « meam, quoniam confundor in vobis. »

Digitized by Google

Ego qui veritatem dico, videor inimicus; sed si blanditiis vos fallerem, tunc putarer amicus. Ego autem non sum vobis inimicus, sed illi potius, quos putatis amicos. Nam ipsi *æmulantur vos non bene*, id est non bona voluntate, quia non legitimo sponso vos æmulantur. Sancti viri æmulantur zelo Dei anima fidelium, ne castitatem mentis quam Christo sponso illibatam servare debent, aliqua perfidiæ subreptione vel peccati perpetratione violent. Et pseudoapostoli quasi zelo Dei se istos æmulari fingebant, quos quasi per transgressionem legis a castitate spirituali recedere judicabant. Sed non bene id faciebant, quia ex quo sponsus ipse Christus per fidem vos justificari decrevit, non est jam casta anima quæ per carnalia legis opera quærit justificari, quoniam aversa est ab amore sponsi. Et hoc est : Non bene vos æmulantur, id est non bene student in vobis castitatem custodire; *sed excludere vos volunt* a sponsi thalamo, id est ab Ecclesia catholica, *ut illos* in fornicatione, id est in hæresi sua foras *æmulemini*, id est quodam mentis fervore studeatis imitari. Ipsi volunt ut illos æmulemini, id est imitemini, vos autem nolite eos imitari, sed *bonum* quemlibet virum *æmulamini*, id est ferventi amore imitari studete; non ad horam, sed *semper*, et non in illis operibus, quæ vel mala sunt, vel nec bona nec mala, sed *in bono* tantum. Petrus enim bonus erat, et tamen in illa simulatione, qua metu Judæorum a gentilibus qui crediderant segregabatur, non est imitandus, sed tantum in bono quod egit. Vel malum quod in pseudoapostolis est, nolite æmulari, sed bonum ubicunque repertum fuerit, æmulamini, id est fervida mente imitamini in bono, id est in eo quod ipsum est bonum, non in alia re. Nonnulli enim bonum æmulantur non in bono, quia videntes justos pro bono opere laudari ab hominibus, student et ipsum opus agere, ut humanas laudes recipiant. Ideo tantum in bono, non autem in malo bonum est æmulandum, id est propterea solummodo quia bonum est, debetis illud imitari, ut ipsum bonum vos delectet, et ex amore sequamini illud. Et hoc agite *non tantum cum præsens sum apud vos* corpore, sed etiam dum absens sum, o *filioli mei, quos* nunc *iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. In absentia ejus non æmulati fuerant bonum, sicut fecerant dum ille cum illis esset; et idcirco monet eos, ut non sint similes servo ad oculum servienti, sed bona facere studeant illo absente, sicut et præsente. Quos vocat filiolos, quia diminuto corde fuerant; et rursus adhuc in obscuro matris utero manebant, nondum prolati in lucem per correctionem. Vocat et suos, quantum ad bonam voluntatem suam, et ad spem quam habet de illorum correptione. Qui materno more ex Deo conceperat illos prius per bonam voluntatem ac dilectionem, parturierat per prædicationem, pepererat per ipsorum conversionem. Sed postea per pseudoapostolos a vita fidei fuerant extincti. Ideo rursum modo concepit illos per bonam voluntatem, et iterum prædicando laborat, ut eos in lucem pariat. Et tandiu in eorum parturitione dolet et laborat, donec formetur Christus in eis, qui deformatus fuerat in ipsis. Quod gravius est dictum, quam si diceret eos formari in Christo. *Donec*, inquit, *formetur in vobis Christus*, id est similitudo Christi exprimatur in vobis, ut non nisi forma novi hominis appareat in fide, et operibus vestris. Parturire se dicit eos, quod matris est, non patris, ut ostendat maternum laborem et affectum, quem pro eis vel erga eos habet, quoniam sola mater dolores parturitionis sentit, et affectuosius quam pater diligit. Nunc, inquit, absens voco vos filiolos, sed *modo vellem esse præsens apud vos, et mutare vocem meam*, id est negare vos filios. Vellem esse præsens, ut digna vobis dicerem, quæ nolo scribere ne permaneant. Dum enim absens sum, blande alloquor, ne si vos exasperarem, malevolo animo fieri putaretis; sed vellem nunc esse vobis præsens, et vocem lenitatis ac mansuetudinis qua absens utor, mutare in vocem asperitatis et severitatis. Quia non ita commovet epistola vel quælibet Scriptura corda hominum, sicut viva vox præsentialiter loquentis. Motus etiam corporis et habitus ac vultus et modus loquendi, multum commovet audientes. Ideo vos aspere vellem redarguere, *quoniam confundor in vobis*, id est apud alios erubesco pro vobis ita recedentibus a doctrina mea. Vel aliter : Ego nunc absens multa vobis per similitudines loquor, volens vos corrigere, sed vellem esse modo vobis præsens, ut alio genere loquendi rem profundius et subtilius aperirem, et non parabolice, sed palam veritatem dissererem. Si enim profundiora nunc eis diceret, non haberent qui exponeret. Sed si ipse præsens esset, ubi dubitarent, ipse exponeret. Et præsens esse vellet, ut aliter loquens manifestius et profundius rem exponeret. Vellem esse præsens, quoniam absens confunditur in eis, id est doctrina absentis patitur confusionem in cordibus eorum confuse intelligentium dicta ejus subtilia. Sed prior sententia est verior et melior. Sequitur :

« Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non « legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham « duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de « libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est (*Gen.* XVI); qui autem de libera, per repromissionem (*Gen.* XXI). Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Unum « quidem in monte Sina, in servitutem generans, « quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui « conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et « servit cum filiis suis. »

Rursus Apostolus incipit ostendere ex ipsa lege quod non sit tenenda. *Dicite*, inquit, hoc est, respondete, *mihi* vos *qui sub lege* carnaliter *vultis esse, legem non legistis?* Quidquid eligant, probantur stulti. Si non legerunt, non debent recipere, quam nesciunt. Si legerunt, ipsa probat se dimittendam. Quod si non intelligunt, stulti sunt. Trans-

Digitized by Google

lata in Græcum fuerat lex per Septuaginta interpretes, et idcirco poterat a Galatis legi. Ideo autem quæro an legeritis legem, quia in ea *scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit;* quod si attenderetis, nunquam ad eam recurreretis, ibi enim innuitur, quia qui sub lege sunt, per gratiam sunt in libertate. Cum enim plures filios ille pater habuerit, de duobus spiritualiter agit Scriptura, innuens aliquid egregium in his præfigurari. Unus ergo pater duos filios habuit, *unum de* Agar *ancilla, et unum de* Sara *libera*. Quamvis enim pater unus esset, non tamen conditio et genitura utriusque fuit similis. *Sed* ille quidem *qui de ancilla* est procreatus, *secundum carnem*, id est secundum carnis naturam vel consuetudinem *natus est*, quia juvencula, sicut erat Agar, de sene solet concipere. Ille *autem qui de libera* genitus est, non per carnis usum, sed *per* Dei *repromissionem* natus est. Ob hoc enim ex Sara natus est, quia Deus promisit, imo repromisit, non quia caro id potuit. Sara enim erat sterilis et vetula, nec de sene marito si nunquam sterilis fuisset, concipere jam anus poterat (*Gen.* XVIII), sed Deus mirabili operatione dedit ex ea filium Abrahæ per gratiam repromissionis suæ. *Quæ sunt dicta per allegoriam*, id est per aliam locutionem, ut aliud exterius sonet, et aliud interius intelligatur. Quia *hæc*, id est hæ duæ matres *sunt*, id est significant *duo testamenta*. Duo tantum exponit, id est ancillam et liberam, ut per hæc intelligamus et cætera. Abraham ergo Deus Pater intelligitur. Duo filii, duo populi, Judæorum scilicet et Christianorum. Ancilla, carnalis doctrina Veteris Testamenti, quæ gignebat sub jugo servitutis, dum timore cogeretur Deo servire. Libera autem, prædicatio sive gratia Novi Testamenti, quæ liberos generat, qui per charitatem Deo serviant. In utroque enim Testamento genuit Deus filios qui sibi servirent, sed in Veteri Judæos servos, qui timore pœnæ et promissionibus temporalium ei serviliter obedirent, et hoc est secundum carnem, quæ et pœnas horret, et dulcia amat; in gratia vero Novi Testamenti liberos, qui ex dilectione serviant, non vi carnis, sed opere Dei. Quis enim impossibilia secundum naturam crederet, quæ suavia sunt in præsenti contemneret, non visa speraret, nisi Dei virtus hoc in eo operaretur? Duæ matres, ut dictum est, sunt duo Testamenta. *Unum quidem* veniens a monte Sina, vel datum *in monte Sina*, id est Vetus Testamentum, *in servitutem generans* Deo filios, qui essent sub districtione formidinis, et ex timore Deo servirent, *quæ res*, id est quod servile Testamentum *est Agar*, id est significatur per Agar. Hic relinquitur nobis intelligendum, quod Sara libera matrem gratiam vel prædicationem evangelicam significaverit. Dehinc redditur causa, cur per Agar significetur illud Vetus, quod deletum est. *Sina enim* ubi Testamentum illud datum est, *mons est in Arabia*, quæ est provincia extranearum gentium, non in terra promissionis, quæ est hæreditas filiorum, ut intelligamus eos qui Testamentum illud carnaliter observant, nequaquam ad hæreditatem pertinere filiorum, sed extraneos esse a terra viventium, et alienos a patria sanctorum. *Qui* mons *conjunctus est Jerusalem*, quia quod in monte illo carnaliter et serviliter jussum est, in Jerusalem ubi templum erat observatum est. Conjunctus et consociatus est ille mons non futuræ Jerusalem, sed *ei quæ nunc est*, id est non cœlesti, sed terrestri; et non est libera, sed *servit cum filiis suis*, qui doctrinam ejus sequuntur, et ex timore cuncta faciunt. Vel quia mons tumorem superbiæ designat, et Sina interpretatur *mandatum*, Judæi habuerunt servile testamentum a monte Sina, id est a superbia mandati, quoniam propterea digni fuerunt talem accipere legem, quæ reprimeret eorum cervicositatem, quia de mandato ipsius legis erant supra modum contra cæteras gentes gloriaturi. Quod testamentum generat eos in servitutem legis vel peccati, quia et terrore minarum cogit eos legi carnaliter deservire, et omnes facit prævaricatores, dum non possunt ipsam legem implere. Quæ Testamenti servitus est Agar, id est designatur per Agar ancillam, quæ interpretatur *advena* vel *alienatio*, quoniam peregrina est cum filiis suis, et alienat eos ab hæreditate cœlesti. Arabia vero interpretatur *humilis*, significans infirmam et humo repentem conversationem eorum qui legi serviunt, sicut et mons Sina tumorem designat elationis ipsorum, qua de mandato ejusdem legis extolluntur. Sina enim mons est in Arabia, id est mandatum legis tumor elationis est in humili (hoc est, per humum repenti) conversatione Judæorum, dum se legem Dei habere gloriantes justos se putant, et cunctos homines velut peccatores despiciunt, licet ipsi nunquam vel intelligendo, vel operando subleventur a terra. Qui mons, id est qui superbus tumor, conjunctus est et semper adhæret ei Jerusalem, quæ nunc est, id est ei parti Judæorum quæ in infidelitate persistens, sola temporalia quærit. Jerusalem namque *visio pacis* dicitur. Quo nomine plebs illa recte designatur, quæ nunc semper videre pacem temporalem desiderat, ut carnis suæ voluptatibus sine inquietudine vel metu servire valeat. Et ideo nunc esse dicitur, quasi quæ in alio sæculo futura non sit, quia nunc bonis præsentibus quantum potest fruitur, et in amore hujus sæculi habet cor omnino fixum, sed in alia vita bonis omnibus carebit, et suppliciis perpetualiter deficiens velut in nihilum redigetur. Ipsa est nunc sicut disseruimus, et servit adhuc miserabiliter sub jugo legis cum filiis suis, sicut Agar cum Ismaele, quia noluit recipere libertatem quam Christus attulit. Ex quibus omnibus evidenter ostenditur, legem amplius post adventum Christi non esse tenendam, sed servitutem quæ sub ea est, a cunctis hominibus fugiendam.

« Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, « quæ est mater nostra. Scriptum est enim : Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis

Digitized by Google

« quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV), Nos autem « fratres secundum Isaac promissionis filii sumus. »

Ita quidem terrestris Jerusalem servit cum filiis suis, quoniam ancilla est, et in servitutem generat ut Agar. Sed *illa Jerusalem quæ est sursum* mente cum Deo, *libera est* ut Sara, et *est mater nostra* generans nos in libertatem sicut Isaac. Sursum est enim sanctorum civitas, quamvis hic pariat cives, in quibus peregrinatur, donec regni ejus tempus adveniat. Nam et sancti angeli qui in cœlis feliciter habitant, cives ejus sunt. Illa Jerusalem cujus conversatio in cœlis est, quæ sursum cor habet, quæ superna appetit, quam Sara figuravit, libera est, id est ex amoris libertate bono animo studet placere Deo, non ex timoris servitute quærit pœnam evadere. Libera per spiritum dilectionis, quem accepit a Christo. « Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* VI). » Et hæc in libertate sua exemplo Saræ genuit nos, ut non quasi servi, sed sicut filii serviamus Patri nostro, qui est in cœlis. Vere est mater nostra, licet fuisset diu sterilis ut Sara. Hinc enim scriptum est in Isaia: *Lætare sterilis* (*Isa.* LIV), etc. Isaias namque per spiritum sanctum prænuntians futuram Ecclesiæ fecunditatem, ait: Lætare tu, superna Jerusalem, id est Ecclesia post adventum Christi futura, modo quidem, sterilis ut antea Sara, quæ nunc tempore prophetarum *non paris* filios in fide, erumpe in vocem prædicationis, ut quæ diu siluisti, vocem cum magno impetu per virtutem sancti Spiritus emittas, *et clama*, ut a multis audiri valeas, tu quæ modo ante adventum sponsi *non parturis*, id est non conaris parere, non doles ut parias. Idcirco te moneo hæc agere, quia tui desertæ ac derelictæ erunt *filii multi magis quam ejus* synagogæ *quæ* modo *virum habet* Deum vel legis sermonem. Dum plures filii promittuntur Ecclesiæ, non penitus Synagoga excluditur a partu, sed multitudo gentium illi præfertur. Et ipsa enim in apostolis, ac per apostolos primum populum genuit de Judæis. Sicut autem primo Abraham sibi in conjugium sociaverat Saram, sed propter ejus sterilitatem cognovit ancillam, ut vel ex ea prolem gigneret, et tandem ex Sara per donum gratiæ Dei Filium genuit, ita Deus ab initio mundi Ecclesiam in paucis electis sibi conjunxit; sed quia tunc illa per prædicationem filios non generabat, interim Synagoga velut ancilla ad amplexus ejus introducta, semen prædicationis accepit, unde carnalem populum in servitute legis pareret, donec circa finem sæculi per divinam gratiam Ecclesia multis filiis dotaretur, imo populum Christianum velut Isaac pareret. Unde exponendo subdit Apostolus: *Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus.* Ac si dicat: Judæi quidem secundum formam quæ præcessit in Isaac, sumus filii promissionis. Vel ita: Deus promisit Ecclesiæ filios, sicut Saræ promiserat Isaac; sed nos, o fratres, secundum formam Isaac sumus filii promissionis. Ubi ostendit priorem promissionem de vocatione gentium in Isaac, id est in filio promissionis. Nam sicut Sara genuit Isaac, quia Deus promiserat, sic Ecclesia gentilem populum in fide peperit, quia Deus hoc per prophetas prædixerat. Quod enim Sara formam Ecclesiæ præferens, sterilis erat, nec spem generandæ prolis habebat, significat quod natura generis humani peccato vitiata, ac per hoc jure damnata, nihil veræ felicitatis in posterum merebatur. Sed gratuito Dei munere postmodum fecundata, multitudinem liberorum Ecclesia genuit exemplo Saræ, quæ per gratiam divinæ promissionis genuerat Isaac. Qui scilicet Isaac *risus* vel *gaudium* interpretatur, et significat eos, qui in lætitia Deo serviunt, non ex tristitia vel ex necessitate; et gaudent si quid pro justitia protulerunt, vel a doctoribus suis audire digni sunt. Vos estis gloria nostra et gaudium. Itaque ex eis quæ nunc usque hac lectione dicit Apostolus, notandum est quod Agar legem et Synagogam designat, Ismael vero filius ejus populum Judaicum et singulos Judæorum. Et quando Agar legem, tunc Ismael populum significat. Quando vero Agar Synagogam vel plebem figurat, tunc Ismael singulos Judæorum vel omnes insinuat. Apostolus enim quando dixit unum Testamentum esse a monte Sina, in servitutem generans velut Agar, evidenter ostendit quod legem Agar significaverit, et Ismael populum. Sequenti quoque versu demonstravit Agar significasse Jerusalem, id est Synagogam, et Ismael filios ejus, id est singulos Judæorum. Similiter Sara novam legem et Ecclesiam designat, Isaac vero populum Christianum et singulos Christianorum. Nam quando Sara novam legem, tunc Isaac novum populum præfigurat. Quando autem Sara Ecclesiam, tunc Isaac filios Ecclesiæ. Ubi enim dixit Apostolus duas matres designare duo Testamenta, et Agar figurare Vetus, ibi necessario ostendit intelligendum, quod Sara novam legem expresserat, et Isaac populum Christianorum. Et in sequentibus dicens sub similitudine Saræ: *Lætare sterilis*, etc. indicat Saram designare Ecclesiam, et Isaac singulos quosque fidelium. Apte enim qui per repromissionem natus est, designat filios gratiæ, qui non per carnis generationem, sed per spiritualem regenerationem nascuntur ex Ecclesia.

« Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus (*Gen.* XII; *Rom.* IX). Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. »

Nos, ut dictum est, sumus filii promissionis, id est per gratiam geniti, secundum formam quæ præcessit in Isaac. *Sed quomodo tunc* Ismael *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum* genitus fuerat, id est Isaac qui secundum spiritalem operationem divinæ gratiæ procreatus erat ex anu sterili, *ita et tunc* fieri cernimus, dum Judæus quilibet ex ancilla Synagoga secundum carnem natus, Christianum ex libera Ecclesia secundum spiritalem gratiam natum persequitur, vel pœnis corporalibus eum afficiendo, vel (quod nunc

Digitized by Google

melius ad rem pertinet) carnales observantias suadendo. Nam qui legem secundum carnem intelligunt, adversantur his qui secundum spiritum sentiunt, et persequuntur eos, vel seducere conantur. Nulla autem persecutio Ismael adversus Isaac mota refertur, nisi quidam ludus infantiæ. Ludebat enim Ismael cum puero Isaac (*Gen.* xxi), et ludum illum vocat nunc Apostolus persecutionem. Nam et Saræ displicuit ludus ille, quia intellexit ibi seductionis aliquid inesse. Nam lusio illa, illusio erat. Si illusio, seductio et deceptio. Omnis enim ludus puerorum, simulacrum est negotii majoris. Et quando major ludit cum minimo, ad hoc ludit, ut quodammodo seducat eum, sciens se habere negotia alia quæ intendit; et simulat quædam puero, id est infirmo, ludens cum illo. Major erat Ismael, et roboratus in malitia. Sed ludens cum puero Isaac seducebat eum, et quasdam fraudes ludendi cum infirmo faciebat. Animadvertit mater ludum illum persecutionem esse. Sic et Ecclesia nunc per Apostolum intellexit ludum, quo Galatis pseudoprædicatores illudebant et maligna fraude illos seducebant, persecutionem spiritalem esse. Plus enim persequuntur, qui illudendo seducunt. Judaicus ergo populus in Ismaele designatus per pseudoapostolos persequebatur in Galatia populum Christianum in Isaac designatum, quasi superior et dignior fieri volens, velut primogenitus ad possidendam cum illo hæreditatem. *Sed* non ita erit, *quid* enim *dicit Scriptura* (*ibid.*) de eo? *Ejice* de domo tua (*ancillam*) Synagogam *et filium ejus* populum Judaicum, ne particeps fiat hæreditatis Christianorum. Et necesse est ut ita fiat. *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ*, id est non possidebit hæreditatem regni cœlorum populus Judaicus ex ancilla Synagoga natus, cum populo Christiano ex libera Ecclesia nato. Hoc ita completum cernimus, videntes ancillam synagogam vel legem carnalem cum filio suo foris ejectam, et ab hæreditate superna repulsam. Nam sicut Agar ancilla cum Ismaele filio suo ante nativitatem Isaac mansit in domo Abrahæ, sed post nativitatem expulsa est, ita lex secundum carnalem observantiam, vel Synagoga cum populo Judaico mansit apud eum priusquam populus Christianus cœpisset ex baptismo nasci; sed post ejecta est de Ecclesia et separata a summi Patris amplexu et familiaritate atque hæreditate.

« Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. »

Quando quidem nos sumus filii promissionis secundum Isaac, et Judæi filii ancillæ persequuntur nos, suadendo carnalem legis observantiam, *itaque* patet, o fratres, *quia* non sumus ancillæ filii ut serviliter subjiciamur legi, sed sumus filii *liberæ* Ecclesiæ vel gratiæ, ut libertate charitatis vivamus. Si enim essemus filii ancillæ, Judæi filii ejus pacem erga nos servarent. Sed quia nos ex alia matre, id est ex libera genitos vident, libertatem nobis invident et auferre moliuntur. Ne quis autem putaret A nos ita liberos esse naturaliter, sicut fuit Isaac, scilicet ut servitus nulla præcessisset, subjungitur quia Christus hac libertate nos liberavit, a jugo videlicet diaboli, sub quo prius tenebamur servi, id est non per liberum arbitrium nostrum, sed per Christum liberatorem a servitute peccati venimus ad libertatem innocentiæ, ac sanctitatis et justitiæ, secundum quam appellamur filii. Sed in hac lectione possunt adhuc aliqua subtilius inspici. Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, etc. Abraham senex (ut supra dictum est) Deum patrem designat, quem Daniel Antiquum dierum appellat (*Dan.* vii). Qui habuit duos filios, id est duos populos : unum terrena diligentem, alterum cœlestia quærentem : et ideo unum ex ancilla natum, alte- B rum ex libera. Nam quicunque etiam nunc in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt a Deo pro bonis quæ faciunt, adhuc filii sunt ancillæ, id est servitutis antiquæ. In Ismael namque sunt omnes, qui carnaliter Deum diligunt, id est pro temporali retributione, ad ipsos enim et Vetus Testamentum pertinet, et ipsi sunt adhuc in servitute. Qui enim propter bona terrena suscipiunt vel servant legem Dei, ipsi sunt hæredes Veteris Testamenti. Similiter quicunque vel in Veteri vel in Novo Testamento pro sola cœlesti remuneratione Deo servierunt aut serviunt, per Isaac designantur, et hæredes sunt Novi Testamenti. Nam et antiqui justi, licet Vetus Testamentum pro temporum distributione divinitus datum populo veteri congruenter servaverint, tamen pro Dei C gratia filii promissionis effecti sunt, et Novi Testamenti hæredes in occulto Dei consilio, deputati sunt. Etenim illis temporibus fuerunt spiritales viri, quos non occidebat littera jubens, sed vivificabat spiritus juvans; et nunc quoque sunt plurimi carnales, qui vel hæreses faciunt non intelligendo Scripturas, ve in ipsa Catholica fide aut adhuc parvuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perseverantes [*al.* perseverans] futuris ignibus præparantur. Itaque ad Vetus Testamentum pertinent, utpote filii ancillæ, dilectores temporalium, dilectores hujus sæculi, quocunque tempore sint vel fuerint; et ad Novum Testamentum, utpote filii liberæ, dilectores æternæ vitæ. Omnes ergo qui per fidem veniunt ad agnitionem Dei, possunt filii Abrahæ dici. Sed in his sunt D aliqui pro bonis temporalibus Deo servientes, et aliqui pro charitate Deo adhærentes. Et hi sunt duo filii, unus de ancilla, et alter de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, id est secundum carnis affectum vel cupiditatem, processit in hanc conversationem, ut honeste vivat pro temporalibus præmiis. Qui autem de libera genitus est, processit ad spiritalem vitam, et ad intentionem supernæ remunerationis, per repromissionem, qua Deus Abrahæ filios ut stellas, id est præclaros et cœlestes repromisit. « Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. » Ut supra dictum est, Sina interpretatur *mandatum*, Arabia *humilis*, Jerusalem *visio pacis*. Et

Digitized by Google

Arabia significat humilem, id est humo inhærentem, nec ad cœlestia se erigentem, in tentationem eorum qui tantum terrena quærunt pro bonis quæ faciunt; Jerusalem vero pacem ac prosperitatem, quam se in præsenti videre gaudent, ut sine perturbatione vel metu bonis hujus sæculi fruantur. Sina ergo mons est in Arabia, id est mandatum Dei, tumor elationis est in mente per intentionem humi dejecta, quia quisquis infima de his quæ bene videtur agere, quærit, tumet de observatione divini mandati, et quasi justum se esse gloriatur coram hominibus. Qui tumor arrogantiæ conjunctus est ei Jerusalem, id est ei prosperitati quæ nunc est, et servit peccatis et voluptatibus vel cupiditatibus cum filiis suis, quia prosperitatem et divitias solet comitari superbia, maxime apud eos, qui tantum præsentia diligunt. Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, etc. Hæc Jerusalem, id est hæc visio pacis, hæc prosperitas sæcularis, hæc civitas carnalium quæ nunc est, quæ nunc ad momentum floret, servit, id est servilia peccati opera, quæ lege prohibentur, facit, et servilibus mundi cupiditatibus acquiescit. Sed illa Jerusalem, id est visio pacis, illa prosperitas, illa sanctorum civitas, quæ sursum est, libera est ab omni servitute peccati, et ab omni cupiditate sæculi, quia nec peccat, nec sæcularia concupiscit. *Quæ est mater nostra*, si et nos exemplo ejus servire peccato contemnimus, et concupiscentias sæculi respuimus. Quæ per Saram vetulam designata est, quia et ipsa cœpit ab origine mundi. Sterilis autem dicta est, vel quia secundum carnem non parit, vel quia diu filios in terra non genuit. Sed lætari jubetur pro multitudine futurorum filiorum, quia si gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* xv), quanto magis super multis ad justitiam conversis? Quæ non parturit, quia dolores non patitur, sed generat spiritaliter sine passione, clamans in lætitia. Quæ et deserta fuit hominibus cœlestem justitiam vita deserentibus, atque terrena lucra sectantibus. Sed tandem fecundata est innumerabili multitudine filiorum. Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc illi qui secundum carnem nati sunt, persequuntur eos qui secundum spiritum nati sunt. Secundum carnem quippe nati sunt dilectores mundi, amatores sæculi. Sed secundum spiritum nati sunt amatores regni cœlorum, dilectores Christi, desiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum. Spiritales ergo patiuntur persecutionem a carnalibus, quia ludus carnalium, persecutio et afflictio est spiritalium. Ludit namque Ismael, et fratrem suum ludendo quærit seducere, quando carnales dulcibus verbis illicita suadent, vanitates loquuntur, ad delectationes provocant, risum movent, libidinem excitant, malis colloquiis mores bonos corrumpunt (*I Cor.* xv). Et talibus ludis gravius persequuntur spiritales, quam si gladiis illos appeterent. In omnibus ergo adversatur caro spiritui. Sive enim populus carnalium hominum adversatur populo spiritalium, sive etiam in unoquoque nostrum caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, et hæc sibi invicem adversantur, atque lex in membris nostris repugnat legi mentis nostræ, et captivos nos ducit in lege peccati. Si ergo caro, cujus personam gerit Ismael, qui secundum carnem natus est, spiritui blandiatur, qui est Isaac, et illecebrosis cum eo deceptionibus agat, si delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, hujuscemodi ludis carnis spiritum, Saram maxime, quæ est virtus, offendit; et hujusmodi blandimenta acerbissimam persecutionem judicat Paulus. Et tu igitur, quisquis hæc audis, non illam describi nunc persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris; sed si forte voluptas carnis te illiciat, si tibi libidinis illudat illecebra, hæc, si virtutis es filius, tanquam persecutionem maximam fuge, idcirco enim dicitur: « Fugite fornicationem (*I Cor.* vi). » Sed et si injustitia blandiatur, ut personam potentis accipias, et gratia ejus flexus non recte judicium feras, intelligere debes quia sub specie ludi blandam persecutionem ab injustitia pateris. Verum et per singulas malitiæ species, etiam si molles et delicatæ sint et ludo similes, persecutionum species dicito, quia in his omnibus virtus offenditur. Ita ergo filius ancillæ ludendo persequitur filium liberæ. Sed quid dicit Scriptura? Audi vocem ipsius liberæ: « Ejice ancillam et filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. » Ejice legis servitutem, qua pro temporali retributione servitur Deo, et populum carnalem, licet nomen Christianitatis habentem, non enim filius vetustæ servitutis erit regni cœlorum hæres cum filio novæ libertatis. Quicunque enim mores veteris hominis adhuc retinet, filius est ancillæ, id est servitutis antiquæ, licet Christianus vocetur, et ideo in fine de Ecclesia justorum ejicietur, ut non sit hæres cum his qui in novitate vitæ ambulant. Rursum ejice hæresim, et populum quem ipsa genuit: non enim hæres erit filius hæresis cum filio Catholicæ veritatis. Nam et hæresim designat ancilla. Itaque, fratres, non sumus filii ancillæ, ut serviamus peccato, et concupiscentiis sæculi vel erroribus; sed filii liberæ, ut nostram vel Dei voluntatem compleamus in charitatis libertate, exuti mundana cupiditate. Qua scilicet libertate Christus per gratiam suam nos liberavit, ut jam per liberum arbitrium bonæ voluntatis nostræ, possimus gratum Deo servitium reddere.

CAPUT V.

« State, et nolite iterum jugo servitutis contineri. « Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Act.* xv). « Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. »

Modo per Christum, sicut dixi, vos estis liberi, et ideo *state* in libertate quam accepistis, id est non recedatis ab ea, sed permanete semper usque ad

Digitized by Google

mortem in illa, *et nolite iterum contineri a jugo servitutis.* Prius enim vos continuit jugum servitutis idolorum, et nunc iterum vultis colla vestra subdere sub jugo servitutis legalium observantiarum Ex hac admonitione et multis aliis epistolæ hujus sententiis apparet, quia nondum se subjecerant per actionem servitutis legis, sed subjicere volebant. Nolite jugo servitutis iterum contineri, nec saltem jugo solius circumcisionis. Nam *ecce*, id est notum sit vobis, quia *ego Paulus*, qui notæ sum auctoritatis, qui hoc Evangelium non accepi ab homine, sed a Christo, qui et in me loquitur, *dico vobis*, veraciter, *quia si circumcidamini* sicut facere vultis, ut in circumcisione spem salutis ullam habeatis, tam ingens damnum incurretis, quod *Christus nihil proderit* vobis, quoniam circumcisio jam non solum non prod- B est, sed etiam obest. Tali intentione posset quis circumcidi, quod non magis obesset vel prodesset sibi illius pelliculæ abscisio, quam unguium vel capillorum resecatio. Sed istis persuasum erat, quod sine legis operibus salvi esse non possent, ideoque circumcidi volebant, et legis duritiam custodire, quasi per hæc justificandi atque salvandi. Quia ergo in hujusmodi legis operibus, et maxime in circumcisione putabant suam spem salutemque contineri, idcirco tanquam a certa pernicie vetantur. Nam si post Salvatoris adventum gentes illa prophetica legis sacramenta servarent, aut Christus adhuc venturus per ea promitti videretur, aut nunquam in eis fuisse promissus. Quisquis itaque adhuc umbram illam custodit, veritatem quæ Christus est, venisse C contradicit, et propterea nihil proderit. Volebant enim, ut dictum est, ideo circumcidi, quia putabant non aliter in Christo se posse salvari. Qui si hoc animo circumciderentur, Christus eis omnino nihil prodesset. « Si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est (*supra* II). » Nec solum, inquit, hoc dico, quia si circumcisi fueritis, nihil commodi ex Christo percipietis, sed etiam rursum *testificor omni homini* qui se circumcidit, tam Judæo quam gentili pro adipiscenda justitia, *quoniam debitor est faciendæ*, id est factis implendæ *universæ legis*, sicut qui baptismum percepit, debitor est faciendi præcepta Evangelii. Ac si dicat : Non solum hoc damnum ex circumcisione habebitis, quod Christi D fides et baptismus nihil vobis proderit, sed etiam necesse erit vos subire laborem tantæ servitutis, ut assidue cuncta legis præcepta faciatis. Et ideo magis dimittenda est circumcisio.

« Evacuati estis a Christo. Qui in lege justifica-
« mini, a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex
« fide spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo
« Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præ-
« putium, sed fides quæ per charitatem operatur. »

Circumcisis vobis necesse erit totam servare legem, etiam si nolueritis. Et mox ut illa dura litteræ prædicamenta servare cœperitis, *evacuati estis a Christo*, quo pleni eratis, ut non maneat amplius in vobis. Eratis enim vasa per fidem Christo plena, et A Christo in vobis manente, eratis referti innocentia et remissione peccatorum, atque gratia sancti Spiritus et justificatione in bonis operibus et spe futuræ gloriæ; sed nunc Christo recedente evacuati estis omni illo tam divite thesauro, si legis servitutem subieritis. Et *qui in lege justificamini*, id est justificari putatis, *excidistis*, id est ex toto cecidistis, *a gratia* Evangelii, in qua prius stabatis, dum spiritaliter in Christo vivere studeretis. Ad hoc enim venit gratia, ut cessante legis onere, sola justificet. Et ideo qui legis servitutem reducit, libertatem gratiæ perdit. Sic loquitur Apostolus, quasi jam omnia hæc fecerint aut pertulerint, ut magis a faciendo deterreat, cum viderint quanta ex his detrimenta sequantur. Possumus etiam intelligere quosdam eorum jam ad opera legis dilapsos fuisse, et ad eos specialiter nunc Apostolum verba dirigere, cum dicit : Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis. Vos, inquit, justificamini, id est justificari creditis in lege, sed erratis, quia nos soli justificabimur, qui justificari ex fide quærimus. Nos enim spiritu, id est per Spiritum sanctum qui non fallit, quem habemus ex fide, indubitanter exspectamus spem justitiæ, id est speratur ipsa justitia. Quamvis enim justificati simus ex fide, speramus tamen in ipsa justitia de die in diem proficere, et mens nostra esuriens sitiensque justitiam, non nisi in futuro sæculo satiabitur plenarie. Et hanc spem exspectamus spiritu gratiæ, non ex operibus legis. Ex his enim nemo justificabitur. Vel qui in lege carnaliter justificamini, a gratia futuræ beatitudinis in appetitum terrenæ felicitatis excidistis, quia nos soli consequemur gratiam illius retributionis pro justitia, quam ex fide credimus provenire. *Nos enim spiritu* accepto *ex fide exspectamus* per patientiam *spem justitiæ*, id est spem quam sperat justitia, hoc est gratiam felicitatis æternæ. Fides enim præcessit, et ex ea Spiritum sanctum divinitus accepimus, qui facit nos exspectare gratiam supernæ remunerationis pro labore nostro. Gratiam recte dico, quia nemo labore temporali juste sufficit æternam requiem promereri. Ex fide autem propterea dixi, quia ipsa fides est quæ valet apud Deum. Nam circumcisio quam vultis facere, nihil ibi prodest. *Nam in Christo Jesu*, id est in Christi membris, in Christi religione, *neque circumcisio neque præputium valet aliquid*, sed integra fides. Ne dicerent Galatæ se velle facere circumcisionem, quam fecit Abraham qui legem non habuit, quia, etsi non inde justificarentur, majoris tamen per hanc dignitatis essent in Christiana religione, dicit Apostolus quia in Christo Jesu, id est in Christi corpore, quod est Ecclesia, non valet aliquid circumcisio, id est nihil utilitatis vel dignitatis confert. Et rursum ne inciperent gloriari de præputio, existimantes illud alibi aliquid valere, quia circumcisionem dicit inutilem, subjungit quia nec præputium valet ibi quidquam. Nam sive circumcisus, sive præputiatus sit quisque, non propter hoc aut dignior aut vilior est in Chri-

Digitized by Google

stiana religione. *Sed* sola *fides* est ibi magnæ dignitatis, et fides *quæ per charitatem operatur*, id est non mortua, sed viva. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est; nec fides Veteris Testamenti, serviens ex timore, sed fides evangelica faciens ex charitate opera bona, non exspectans temporalem retributionem, sed videndam perpetuo Creatoris faciem. Hæc est fides electorum, quæ perducit ad salutem. Nam et dæmones credunt et contremiscunt, non tamen diligunt nec bene operantur. Et ideo fides quæ non habet charitatem et bona opera, fides dæmonum est, non Christianorum. Illa ergo sola fides, quæ et charitate flagrat, et bonis operibus insudat, valet in Christo Jesu.

« Currebatis bene. Quis vos fascinavit veritati B « non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio hæc « est non ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum « totam massam corrumpit (*I Cor.* v). »

Prædicta fides via est ad speciem divinæ contemplationis. In qua fide vos operando et desiderando *currebatis bene* ad bravium remunerationis æternæ. Sunt enim nonnulli qui male currunt. Sed vos bene currebatis, dum per opera fidei cum charitate ad cœlestem patriam festinaretis. Nunc autem *quis vos fascinavit*, id est quis vos livido aspectu læsit, *non obedire*, id est ne obediretis *veritati*, quæ ultro se vobis ingerit? Quis, id est cujus peritiæ, et cujus auctoritatis est, qui fascinatione suæ locutionis impedivit, ne obediretis veritati quam tradidi vobis, ut scilicet C sine legis operibus per observantiam Evangelii curretis ad vitam? Miræ enim sapientiæ et auctoritatis esse debuit, cui vos magis quam mihi credendum fore judicastis. Sed vos nemini talia vobis suadenti consenseritis, imo viriliter illi resistite, quoniam persuasio hæc non est ex eo, qui vos ad supernam patriam vocat, sed potius ex diabolo qui vos inde revocat. *Nemini* illorum qui legis opera vobis suadent, *consenseritis*, quia *modicum fermentum totam massam corrumpit*, id est pauci errantes totam Ecclesiæ multitudinem plerumque corrumpunt acredine fervoris perversæ doctrinæ suæ. Vel modicum fermentum totam massam corrumpit, id est modica persuasio erroris si ei consentiatur ut in corde recipiatur, acerbam et inutilem reddit to- D tam virtutum omnium multitudinem. Ubicunque enim vel modicum perfidiæ admissum fuerit, ibi protinus omne bonum deperit. Sive de sola circumcisione potest hoc intelligi, quoniam de illa multum dubitabant, quam fuisse quondam in parte fidei nostræ videbant. Quamvis, inquit, circumcisio sit modicum, id est modica pars legis, tamen vobis innovatis nullo modo facienda est, quia modicum fermentum, id est modica pars veteris doctrinæ, sicut est in circumcisione, corrumpit totam massam, id est totam plebem novellam et dulcem vertit in amaritudinem, et tumorem antiquæ plebis Judaicæ.

« Ego confido in vobis in Domino, quod nihil A « aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, porta- « bit judicium, quicunque est ille. »

Modicum pravæ doctrinæ corrumpit totam puritatem veritatis Catholicæ. Sed *ego confido*, id est confidentiam et certitudinem habeo *in vobis*, quos corrigendos prævideo *in Domino* salutem vestram operante, *quod nihil aliud* quam sinceritas Catholicæ fidei continet, sapietis. Et ita vos quidem bene per Domini misericordiam evadetis. Sed ille *portabit judicium* suæ damnationis, *qui vos conturbat*, id est qui purum fontem vestri intellectus ac limpitudinem vestræ fidei cœno suæ hæresis immisso turbidum reddit, vel rectum ordinem gressus vestri confundit, quo de servitute venistis ad libertatem. Hunc enim ordinem permutare volunt pseudoapostoli, qui de libertate ad servitutem vos reducere conantur, quod est ordo perversus. Sed quisquis hoc facere nititur, portabit judicium, id est sustinebit pondus suæ damnationis, *quicunque est ille*, id est etiam si sit filius Abrahæ, si sit facundus, si sit potens. Eodem spiritu quo præviderat Apostolus correctionem Galatarum, prævidit et pertinaciam atque damnationem pseudoapostolorum, qui eos seduxerant. Qui et subjungit :

« Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc « prædico, quid adhuc persecutionem patior? « Ergo evacuatum est scandalum crucis. »

Intelligendum est quia pseudomagistri cum vellent Galatis servitutem legis persuadere, et viderent eos Pauli apostoli auctoritate revocari, dicebant etiam ipsum Paulum id sentire, sed non eis aperire voluisse sententiam suam. Unde opportunissime subjecit: *Ego autem, fratres*, etc. Nam et ab ipsis patiebatur persecutionem, qui talia persuadere moliebantur, cum jam Evangelium suscepisse viderentur. Quos tangit et alio loco, ubi ait: « Periculis in falsis fratribus (*I Cor.* xi). » Nam quia Timotheum propter vitandum scandalum Judæorum, quos ad fidem quærebat adducere, circumciderat (*Act.* xvi), idcirco dicebant eum circumcisionem apud alios prædicare. Quod ipse nunc removet. Illi, inquit, vos conturbant, suadendo vobis circumcisionem, legisque servitutem, et dicendo me quoque aliis adhuc prædicare circumcisionem. Sed *ego, o fratres, si adhuc* post fidem ut olim *prædico circumcisionem*, sicut ipsi dicunt, *quid*, id est quare, *adhuc patior persecutionem* ab ipsis et a Judæis? Inde enim patet me non prædicare circumcisionem, quoniam patior a Judæis persecutionem, cum non sit alia causa cur me persequantur, nisi quia circumcisioni non acquiesco. Si enim illam prædicarem, nunquam me persequerentur; et si illam, ut asserunt, prædico, *ergo evacuatum est scandalum crucis*, id est non irascuntur Judæi de cruce Christi, si assero homines circumcisione justificari. Si illam justificationi vel saluti necessariam prædico, evacuatum, id est vacuum ab utilitate factum est Dominicæ

Digitized by Google

crucis scandalum, quo Judæi scandalizantur et irascuntur contra me, dum sola cruce et passione Christi assero credentes justificari. Sed utrumque fieri non potest, ut ego justitiam vel salutem esse prædicem et ex circumcisione, et ex cruce. Nam si ex circumcisione prædico salutem, destructa est evangelica prædicatio mea, qua annuntio reparationem humanæ salutis ex cruce Domini, unde et Judæi indignantur salutem ex cruce prædicari. Non est ergo causa ut persecutionem patiar, si circumcisionem prædico, quia prædicando illam, prædicationem crucis, quæ persecutionis meæ causa est, destruo. Sicque evacuatum est, id est supervacuum et inutile factum est scandalum crucis, quod Judæos conturbat : hoc est, Christus gratis mortuus est, si adhuc oportet circumcisionem et legem carnaliter observare eos, qui justificari quærunt et salvari.

« Utinam et abscindantur, qui vos conturbant ! « Vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, « sed per charitatem spiritus servite invicem. « Omnis enim lex in uno sermone impletur : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* « XXII ; *Lev.* XIX). Quod si invicem mordetis et co- « meditis, videte ne ab invicem consumamini. »

Scandalum crucis est evacuatum, si circumcisionem prædico, sicut pseudoapostoli dicunt me facere. Utinam autem et ipsi qui crucem Christi evacuare volunt nostra salute, evacuentur suo errore. *Utinam et ipsi abscindantur*, id est castrentur, sunt enim spadones qui seipsos absciderunt propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX). Utinam abscindantur non carnaliter, sed spiritaliter, id est vim generandi perdant, ut neminem corrumpere valeant, ut seminare in vobis et in aliis carnalia desistant, nullamque omnino generandi efficaciam habeant ipsi, *qui* nunc carnalia semina legalium observantiarum diffundendo *conturbant vos*, et generant erroris filios. Bonum illis optat Apostolus, ut scilicet spirituli ferro abscindatur ex eis illud, unde fervent spiritaliter ad corruptionem mentium aliorum. Quod si maledicendo intelligitur hoc dixisse, sciendum quia sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, et foras exsurgentia quo maledicto ferire debeant, cognoscunt ; et eo maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecuniam Simonem sententiam maledictionis protulit, dicens : « Pecunia tua tecum sit in perditione (*Act.* VIII). » Qui enim non ait, est, sed sit, non indicativo, sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Elias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit : « Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et consumat vos (*IV Reg.* I). » Quorum utrorumque sententia, quanta veritatis ratione convaluit, terminus cau- sæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur, qua mente sententia maledictionis promitur. Cum enim et maledicentis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicitur, usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur, quia ab imo et intimo judice in reum sententia jaculatur. Igitur et Paulus eodem modo pseudapostolos, quos in errore perseveraturos videbat, maledicere potuit, dicens : *Utinam abscindantur qui vos conturbant?* Nam si omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III), quanto magis quæ facit fructum malum ? Melius est ergo ut pauci qui periturі sunt pereant, ne alios qui salvari possunt, diutius in errore teneant, quam longo tempore viventes, multos secum in perditionem trahant. Itaque pro multorum salute paucos illos, quos spiritu prophetico perituros prævidebat, optare potuit ab hac vita citius abscindi, ne amplius peccata peccatis superadderent, et graviorem sibi perditionem, acquirerent. Hæc quippe maledictio non fuit ex malitia delinquentis, sed ex rectitudine judicis. Qui enim tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio succubuit, sed Dei judicio concordavit. Vel sic intelligatur hæc abscissio, sicut Dominus in Evangelio præcepit membra quæ nos scandalizaverint, abscindi et projici a nobis (*Matth.* V), ut quia isti pseudo scandalum generant inter eos, separentur penitus et alienentur ab eis. Et expedit, inquit, ut abscindantur ex vobis, qui vos conturbant, et rectum ordinem itineris vestri confundunt, revocantes vos a libertate in servitutem, quia *vos* a servitute peccati *vocati estis* divinitus *in libertatem* fidei, o *fratres*, qui unum Patrem habere cœpistis Deum, unamque matrem Ecclesiam. In libertatem vocati estis, ut non timore, sed amore bona faciatis. Quisquis enim vera charitate fervet, adeo liber est, ut ei libeat agere quidquid voluerit, quia non vult nisi quod bonum est. Et ita charitas ac bonæ voluntatis affectus ipsa est libertas, ad quam vocati estis. Liberi ergo estis, tantum ne libertate abutamini, faciendo quod vobis carna er placuerit. Tunc enim amitteretis libertatem, si vos ad satisfaciendum carni liberos putaretis, quia qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII). Cum ergo sitis in libertate gratiæ, et non in servitute legis, in libertate bonæ voluntatis, et non in servitute peccati, hoc *tantum* vobis est observandum, *ne* spiritalem vestram *libertatem detis in occasionem carnis*, ne scilicet quia liberi estis et metus legis non incumbit, ideo carnis desideria sequamini, quasi liberam potestatem habentes faciendi quod caro voluerit. Non permittatis ut caro ex libertate accipiat occasionem voluptuose vivendi, *sed* potius *per charitatem spiritus* quæ est virtus mentis, *servite invicem*. Quia vocaverat eos liberos, nollent

Digitized by Google

jam alicui servire, sed ex libertate propria unus adversus alterum præsumeret. Et hoc iterum removet. Ac si dicat: Non debetis libertatem vestram pervertere, sed potius servire invicem per charitatem Spiritus, id est alter alteri, non timore servili, sed libertate charitatis. Quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat sicut suam, ut eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille, cujus curat salutem. Et hanc liberam servitutem debetis libenter amplecti, quia *omnis* lex quam vultis implere, *in uno sermone*, id est in uno mandato impletur quo dicitur : *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Lev.* XIX). In proximi dilectione potestis omnia legis præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, implere. Merito enim qui proximum diligit ut se legem dicitur implere, quia quidquid non vult sibi ab alio fieri, studet cavere ne faciat alii; et quidquid jure sibi vult ab alio fieri, quantum potest, ipse facit alii. Sic enim quidquid lex prohibet, vitatur; et quidquid ipsa moraliter jubet, impletur. Nam et Deum necesse est diligat, qui proximum sicut se diligit; quia non se diligit, sed odit, qui Deum non diligit. Qui enim Deum non diligit, iniquitatem diligit; « qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* X). » Itaque in proximi perfecta dilectione complentur omnia quæ jubentur in lege. Si ergo per charitatem servieritis invicem, tunc fraterna dilectione complebitis universam legem. *Quod*, id est sed si vos *invicem* odiose *mordetis*, tunc omnia legis jura violatis. Si vos invicem mordetis, id est in aliquo alter alteri detrahitis, *et comeditis*, id est totum quod in vobis est devoratis, *videte ne ab invicem consumamini*, id est in nihilum redigamini. Occasione charitatis tangit hoc vitium eorum. Si vos invicem canino dente mordetis, clam detrahentes alter alteri, et lacerantes mutuo vitam vestram, ac manifeste verbis contendentes, comeditis vos vicissim, id est devoratis furiose totam ad invicem vestram conversationem litigando criminantes, et omnia bona vestra vicissim carpendo blasphemantes, vel injurias inferentes, videte ne dum more canum vivitis, more canum alternis morsibus consumamini, id est ne omnia virtutum bona quæ in vobis erant, devorentur ab invicem. Qui enim virtutibus alterius detrahit, virtutes proprias minuit vel amittit. Et qui bona alterius lacerat, ipse sua bona corrodit et annullat. Et qui injuriam alii facit, justam sibi damnationem acquirit. Qui ergo detractionibus et injuriis, vel criminationibus invicem se mordent et comedunt, invicem bona sua consumunt et perdunt. Consumuntur enim ab invicem, quia ille qui accipit injuriam, consumit eum qui infert, id est causa consumptionis ejus est; et alius similiter dum et ipse ab eo patitur injuriam vel criminationem sive detractionem, consumit eum, id est causa fit consumptionis virtutum ac bonorum ejus.

« Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria « carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. « Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod spiritu ducimini, « non estis sub lege. »

Superius, inquit, dixeram, ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem serviatis invicem; sed nunc dico, qualiter hæc agatis. Scilicet *ambulate in spiritu*, id est de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) promoveamini in bonis operibus duce Spiritu sancto, quod est per charitatem servire invicem, *et non perficietis desideria carnis*, id est non complebitis actu vel consensu delectationes quas caro desiderat, quod est, non detis libertatem vestram in occasionem carnis. Ambulandum, id est proficiendum spiritu semper est, ut mente et opere semper ad interiora tendatis, dum estis in via vitæ præsentis; et econtra cavendum vobis est, ne desideria carnis quæ militant adversus animam perficiatis. Non dico, ne faciatis, id est ne habeatis illa, quoniam in hoc sæculo non habere illa non potestis, sed ne perficiatis ea, id est ne opera eorum consensu voluptatis impleatis. Non enim perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostræ voluntatis assensus; sed tamen fiunt in eo ipso quod in nobis sunt, quia non potest esse quin desideremus. Et debetis omnino reluctari, ne carnis desideria, id est carnales concupiscentias perficiatis, quia *caro concupiscit adversus Spiritum* vestrum, vel adversus Spiritum Dei, qui in vobis est. Nam in malis hominibus non habet contra quem concupiscere. Ibi enim concupiscit adversus spiritum, ubi est spiritus. In malis autem non est Spiritus Dei. Sed et contra spiritum eorum non concupiscit caro, quia non invenit eum rebellem carnalibus concupiscentiis suis, sed secum pariter concupiscentem. In bonis vero, ubi et Spiritus Dei est, et spiritus humanus repugnat desideriis carnis, caro concupiscit adversus spiritum, sed et *spiritus adversus carnem*. Et hoc est grave et intestinum bellum. Quod nunquam in vobis esset, si natura humana per liberum arbitrium in rectitudine, in qua facta est, perstitisset. Nunc vero quæ pacem felix cum Deo habere noluit, secum pugnat infelix. Et cum sit hoc malum miserabile, melius tamen est, quam sine ullo conflictu vitiis servire. Melius est enim bellum cum spe salutis æternæ, quam sine ulla liberationis cogitatione captivitas. Caro itaque concupiscit adversus spiritum, sed et spiritus adversus carnem. Caro nihil nisi per animam concupiscit. Sed concupiscere caro adversus spiritum dicitur, quando anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur. Causa vero carnalis concupiscentiæ non est in anima sola, sed in anima et carne. Ex utraque enim fit, ex anima scilicet, quod sine illa nulla delectatio sentitur; ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non sentitur. Caro igitur concupiscens adversus spiritum, carnalis delectatio est, quam de carne et cum carne spiritus habet, adversus delectationem quam

Digitized by Google

solus habet. Solus quippe habet (nisi fallor) illam A delectationem, non cum carnis voluptate vel carnalium rerum cupiditate commistam, de qua dicitur . « Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* xxxvi). » Contrariæ ergo sunt concupiscentiæ carnis concupiscentiis spiritus, concupiscentiæ spiritus concupiscentiis carnis. *Hæc enim duo*, id est caro et spiritus, *adversantur sibi invicem* tantum, *ut quæcunque vultis*, sive bona sive mala *non faciatis*, id est non permittamini facere *illa*. Quæ enim vultis, nisi ut omnino nullæ concupiscentiæ malarum et illicitarum sint delectationum? Quis sanctus non hoc velit? Sed non efficit. Non vos permittunt implere quod vultis. Nolite eas permittere implere quod volunt, et ita nec vos, nec illæ facietis quod vultis. Dum enim pugna hæc in nobis B est, non facimus quod volumus. Quid enim facere volumus, cum perfici volumus fine summi boni, nisi ut caro adversus spiritum non concupiscat, nec sit nobis hoc vitium, contra quod spiritus concupiscat? Quod in hac vita quamvis velimus, quoniam facere non valemus, id saltem in adjutorio Dei facimus, ne carni concupiscenti adversus spiritum succumbentes cedamus, et ad perpetrandum peccatum nostra consensione pertrahamur. Nec carnis ergo concupiscentiæ perficiuntur, quamvis fiant; nec nostra perficiuntur bona opera, quamvis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis concupiscentia, cum consentit et spiritus ad opera mala, ut non concupiscat adversus illam, sed cum illa; sic et C bona opera nostra tunc perficientur, quando spiritui caro consenserit, ut adversus eum etiam ipsa non concupiscat. Hoc enim volumus, cum perfectionem justitiæ concupiscimus. Sed hæc nostra voluntas non perficitur, quandiu carnis concupiscentiarum quibus non consentimus, permanent motus. Nec in hac dissensione carnis et spiritus alterutrum putare debemus inimicum, sed vitium quo caro concupiscit adversus spiritum. Quod sanatum nec ipsum erit, et substantia salva erit utraque, et inter utramque nulla pugna erit. Postquam autem dixit Apostolus carnem et spiritum invicem adversari, ut ea quæ volumus facere nequeamus, ne ab ipsa pugna desides nos faciat, et per hanc sententiam laxamentum peccandi dedisse videatur, adjunxit : *Quod si* D *spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quasi diceret : Cum caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, his qui ducuntur desideriis carnis, jure dominatur lex, quæ terrendo compescat eos. Sed vos si spiritu ducimini, non estis sub lege. Sub lege enim est, qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ abstinet ab opere peccati, reus in voluntate, qua mallet non esse quod timeret, ut libere faceret quod occulte desiderat. Ergo nondum habet iste Spiritum sanctum quo ducatur. Quisquis enim Spiritu Dei ducitur in operibus suis, non est sub lege, quæ timorem incutit, sed in charitate, quæ non per legis litteram, sed per eumdem spiritum diffunditur in cordibus electorum.

Illi vero damnabiliter sunt sub lege, quos lex reos facit non implentes legem, dum nescientes gratiæ beneficium ad facienda Dei præcepta, quasi de suis viribus præsumunt, quia Spiritum sanctum non habent, quo rectore ducantur et adjuventur. Ab hoc autem loco demonstrare inchoat Apostolus, quia spiritu (sicut monuerat) sit ambulandum, et non perficienda carnis desideria, hinc carnis inhonestates et inutilitates, hinc spiritus honestates et utilitates proponendo. Nam subjungit :

« Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt : « Fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, « idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, « sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis sicut præ« dixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non « consequentur. »

Ambulandum, inquit, est spiritu, quia sicut dictum est, si a Spiritu sancto ducimini, jam istud commodum inde habetis, quod non estis sub onere vel servitute legis; sed in libertate charitatis; et econtrario cavendum est, ne perficiatis desideria carnis, quoniam ex perfectione eorum procedunt opera, quæ cunctis apparent mala. Non enim dubia, sed *manifesta sunt opera carnis*, id est prava et detestanda videntur doctis et indoctis, et ideo sunt fugienda, quæ quidem sunt hujusmodi : Fornicatio vulgariter fit cum meretricibus, quæ prostituebantur sub arcuatis, et loca illa vocabantur fornices, unde et fornicatio nomen accepit. Fornicatio prima ponitur inter opera carnis, quia nullum peccatum ita redigit animam ad carnalitatem sicut fornicatio, quoniam misera anima nihil aliud cogitare valet, nisi ea quæ carnis sunt, quandiu turpissimo fornicationis opere est occupata. Immunditia vero est quam mares inter se perpetrant, vel quam solus quis agit. Impudicitia, ea vero est quam cognati inter se exercent, alio nomine dicta incestus, quemadmodum supra admonuimus. Luxuria autem fit cum mulieribus, quæ nec publicæ meretrices sunt, nec legitimæ uxores. Idolorum quoque servitus inter opera carnis numeratur, quia nonnunquam ob amorem mulierum committitur, sicut a Salomone propter alienigenas uxores (*III Reg.* xi), vel a filiis Israel in Sethim, propter filias Madian (*Num.* xxxi). Sed et veneficia, id est inherbationes et venenorum confectiones sæpe fieri solent ob fornicationem et libidinosum amorem. In his omnibus apparet quam magnum et principale vitium sit fornicatio, de qua tot mortiferæ pestes prodeunt. Inimicitiæ vero sunt, quando aliqui se invicem odio habent, et molliuntur vicissim malum quod possunt vel faciunt. Quæ plerumque ex contentionibus oriuntur, quando prius verbis contenditur, et inde ad inimicitias venitur. Contentio enim pro lite accipitur. Contentio namque est, ubi non ratione, sed animi pertinacia defenditur, et ubi non veritas quæritur, sed animositas fatigatur. Vel contentio de primatu est, quando al-

Digitized by Google

ter præferri alteri vult. Quam apte sequitur æmulatio, quæ dicitur esse dolor animi, cum alius pervenit ad honorem, quem duo vel plures appetebant, et cæteri livore torquentur, qui non potuerunt assequi. Ira autem est subita tempestas animi, quæ multa mala sæpe perpetrare solet, dum nec rationem nec justitiam attendit, sed irrationabiliter irruit ad faciendum quod concitatus animus stimulat. Rixa vero est, ubi duo se invicem percutiunt, vel inter se confligunt. Dissensio est, ubi non omnes in una voluntate vel in uno sensu concordant, sed diversa volunt et partes faciunt. Unde et secta, id est hæresis plerumque generatur. Invidia vero, quæ aliena felicitate torquetur, et in duplicem scinditur passionem, cum aut quod ipse est, alium esse non vult; aut alium videns esse meliorem, dolet se non esse consimilem. Homicidium autem est hominis occisio, et recte homicidia subnectuntur invidiis, quia sæpe invidia generat homicidium, sicut diabolus per malignitatem invidiæ primum hominem occidit, et Cain Abel fratrem suum (*Gen.* IV), atque summi sacerdotes Christum. Ebrietas est nimia vini potatio, statum mentis immutans. Hæc namque simul cum corpore animam debilem reddit. In ebrietatis enim ægritudine corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur. Omnia membra fiunt debilia, pedes, manus, lingua resoluta. Oculos tenebræ, mentem velat oblivio, ita ut hominem se nec sciat esse, nec sentiat. Comessationes vero sunt inhonesta et luxuriosa convivia. Hæc omnia dicit Apostolus opera carnis esse. Et fornicationes quidem, immunditiæ, impudicitiæ, luxuriæ, ebrietates, ac comessationes ad voluptatem carnis pertinent. Servitus autem idolorum, veneficia, inimicitiæ et cætera quæ sequuntur, animi potius quam carnis vita sunt, quandoquidem fieri potest, ut propter idololatriam vel hæresim a voluptatibus carnis temperetur. Et tamen etiam tunc homo quamvis carnis libidines cohibere videatur, secundum carnem vivere hac apostolica auctoritate convincitur; et eo quod abstinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis demonstratur. Hæc enim omnia *et his similia* doctor gentium opera carnis appellat, quia eo locutionis modo quo totum significatur a parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi. Qui enim non secundum spiritum, id est secundum Deum vivit, sed secundum carnem, id est secundum hominem, scilicet secundum seipsum, merito vocatur caro. Hæc, inquit, et his similia sunt opera carnis, quæ nunc per epistolam absens prædico ac prænuntio vobis, sicut et dum præsens essem, prædixi mortifera esse. Prædico et præmonstro nunc vobis, dum licet cavere, dum licet pœnitere, ante judicium, ante damnationem, quæ sunt factura illa opera, id est ablatura illa regnum cœlorum, quia etiam quodlibet eorum tollet illud regnum, *quoniam qui talia agunt* opera, *regnum Dei non consequentur*. Non qui adversus talia confligunt, sed qui talia agunt. Aliud enim est prava opera facere; aliud, adversus ea confligere. Et hactenus quidem partim descripta sunt inutilia et exsecranda carnis opera, post hæc autem exponuntur et utilia ac sacra spiritus opera, cum dicitur:

« Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, « pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, « mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. « Adversus hujusmodi non est lex. »

Opera carnis qualia sunt, dictum est. Sed opera sancti Spiritus habitantis in homine, sunt ista quæ subduntur, quæ magis sunt appellanda fructus, quoniam ex bona arbore sicut optimi fructus prodeunt, ut refectionem perpetuæ saturitatis præbeant electis, ideoque propter seipsa sunt appetenda. Fructus enim a fruendo dicitur, et frui proprie non dicimur, nisi rebus illis in quibus finem lætitiæ nostræ ponimus, in æternis scilicet bonis, quæ in Deo possidere quandoque paramus; his ergo fructibus prima *est charitas*, qua diligitur Dominus et proximus, quia major est omnibus cæteris virtutibus, et ex ejus radice vigent omnes aliæ. Nam ex ista oritur gaudium, id est elatio non superba sed benigna mentis de bono exsultantis. Qui enim diligit Dominum, gaudet in Deo pura conscientia; et qui diligit proximum, gaudet de bono ejus. Pacem quoque servat erga Deum, qui diligit eum, quia in quantum potest cavet eum offendere et studet ei placere. Sed et cum proximo pacem custodit, non inquietans eum, si eum diligit. Non tamen violat pacem, si eum errantem pio studio increpat, vel etiam, si ita oportet, verberat. Quia vero multa sunt in conversatione humana, quæ pacem turbare possunt, necessario subjungitur patientia, per quam injuriæ et adversitates æquo animo sustineantur, ut fraterna pax queat observari. Patientia enim est, mala æquanimiter tolerare, et contra eum quoque qui mala irrogat, nullo dolore morderi. Et quia non ad horam, sed quandiu voluerit Dominus servanda est hæc patientia, subnectitur et longanimitas, per quam omnia perseveranter usque in finem sustineantur. Longanimitas enim est longitudo animi patienter adversa tolerantis et æterna præmia diu exspectantis. Ne quis vero inter eos quos longo tempore patitur, non amare versetur, sequitur bonitas, quæ est dulcedo animi et affectio pia, ut non rancorem animi, sed dulcedinem erga eos qui nos tribulant, habeamus, per quam eis et bona quæ possumus, impendamus. Ne enim sit inanis hæc bonitas, subjungitur alia virtus sibi cognata et consimilis, id est benignitas, quæ et ipsa est bona affectio animi, gratis sua tribuentis et hilariter propter Deum quidquid potest largientis. Et quia sunt nonnulli, qui dum bona proximis impendunt, aspere loquuntur eis et austeritatem ostendunt, congrue subnectitur mansuetudo, ut qui benigne tribuit, non intractabilis sit vel asper, sed mansuetus et levis, id est mitis et affabilis et familiaris. Mansuetus enim, quasi manu assuetus dicitur. Fides vero est, qua

Digitized by Google

veraciter credimus id quod non possumus videre. Cujus nomen inde appellatur, quod omnino fiat quod dictum est aut promissum. Fides enim vocatur ab eo quod fit illud quod inter utrosque placitum est, id est inter Deum et hominem, quando et homo facit opere quod dixit ore, et Dominus reddit quod promisit. Et ideo fides sine operibus non est vera fides, quia non facit quod dicit. Propter quod et inter duos homines servatur fides quando illud quod dixerunt et statuerunt invicem, custodiunt veraciter et faciunt. Modestia autem est, quando modus stat, id est tenetur et servatur in dictis et in factis. Continentia vero, ubi ab illicitis actibus carnis temperatur; castitas autem, cum jam caro sedata fuerit. Continentia enim in luctamine est, castitas autem in pace. Non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei resistit adversitas voluptatis. Consummatio enim veræ castitatis est, quæ non impugnat carnalis concupiscentiæ motum, sed toto horrore detestatur, ac jugem et inviolabilem sui retinet puritatem, nec potest aliud esse quam sanctitas. Hi sunt itaque fructus spiritus, quos contra carnis opera commendare volens Apostolus, a capite, ut præmissum est, cœpit, dicens : *Fructus autem spiritus* est charitas. Ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta et religata contexuit, quæ sunt gaudium, pax, etc. Omnia enim hæc ex fonte charitatis manant. Quis enim bene gaudet, nisi qui bonum diligit unde gaudet? Quis pacem veram habere potest, nisi cum illo quem veraciter diligit? Quis vere patiens, nisi dilectionem habuerit? Quis longanimis in bono perseveranter manendo, nisi ferveat diligendo? Quis est bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis utiliter mansuetus, nisi cujus dilectio moderetur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis bene modestus, nisi cui dilectio modum ponit in omnibus? Quis ab eo continet unde turbatur, nisi diligat unde honestatur? Quis sanctimoniam castitatis assequitur, nisi in cujus mente charitas dominatur? Charitas ergo non potest haberi sine cæteris bonis, et cætera bona sine charitate nequeunt prodesse. Adversus hujusmodi spiritales fructus, quos necesse est sequi gratiæ spiritum, non est lex, quia in nullo contradicit eis, sed favet in omnibus. Sed adversus præostensa carnis opera lex posita est.

« Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. »

Ostensa utraque acie, vitiorum scilicet atque virtutum, ostendit qui sunt qui pugnant contra vitia. Non enim omnes vitiis reluctantur, sed soli illi tantum, qui sunt ex parte Christi, qui sunt possessio Christi, *qui sunt membra Christi, illi sequentes vestigia passionis ejus, crucifixerunt*, id est cruciaverunt *carnem suam*, configendo, *cum vitiis et* cum *concupiscentiis*. Vitia secundum operationem intelligamus, concupiscentias secundum consensum. Quia servi Christi laborant, ut neque opera vitiorum faciant, neque concupiscentiis carnalibus vel in corde consentiant. Et reprimendo carnis voluptates, crucem sibi ipsis faciunt, ac præceptis justitiæ quasi quibusdam clavis se configunt, ut pravam actionem, et perversam voluntatem in seipsis refrenent. Potest et de his qui intentione remunerationis supernæ carnem jejuniis affligunt, hæc sententia specialiter intelligi. Cum vitiis quippe et cum concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit.

« Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non « efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provo- « cantes, invicem invidentes. »

Quia communiter dixerat eos qui sunt Christi, crucifixisse carnem suam cum vitiis et cum concupiscentiis, retorquet sermonem ad eos quibus scribebat, et se eis connumerat, quasi dicens : Non dico vobis quod ipse non velim. Qui sunt Christi, ita agunt ut dixi; et nos, quia Christi sumus, spiritu ambulemus, quia spiritu ad hanc vitam venimus. Quicunque enim vitiis carne mortificati sumus, jam virtutibus spiritu vivimus. *Si spiritu vivimus*, id est si per Spiritum Dei spiritaliter vivimus, *spiritu* etiam duce *ambulemus*, id est non remaneamus pigri in eo ad quod pervenimus, sed semper ad meliora promoveamur, quia nemo tam sanctus est in hac vita, qui non possit adhuc quotidie proficere. Quia vero nonnulli postquam in virtutibus excreverint, incipiunt velle laudari velut sanctiores, apte subjungitur : *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, id est si spiritaliter vivimus et spiritaliter de virtute in virtutem proficiendo ambulamus, non inde vanam gloriam transitoriæ laudis cupiamus, ne simus fatuis virginibus similes, quæ foris lucentes ostenderunt lampadas, et intus oleum in vasis suis recondere neglexerunt; ideoque veniente sponso, lampades eorum defecerunt (*Matth.* xxv). Ob hoc etiam caveamus cupiditatem inanis gloriæ, quia inde efficeremur *invicem* alii alios *provocantes* ad contentionem et iram vel ad deteriora, et *invicem* alii aliis *invidentes* meliora. Sicque per appetitum vanæ gloriæ fieret in nobis tanta subversio, ut qui putabamur cæteris meliores, nunc efficeremur aliis pejores.

CAPUT VI.

« Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in ali- « quo delicto, vos qui spirituales estis, instruite « hujuscemodi in spiritu lenitatis, considerans te- « ipsum, ne et tu tenteris. »

Hactenus toti Ecclesiæ locutus est Apostolus, improbando legem et commendando gratiam, et prælatos nunc alloquitur. Spiritaliter quidem, ut docui, vivendum est omnibus. Et tamen, *o fratres mei*, qui cæterorum curam sumpsistis, etiam si aliquis homo, id est infirmus ac fragilis ex ipsa humana fragilitate *præoccupatus fuerit*, id est subito lapsus *in aliquo delicto*, tractandus est humane. Delictum

Digitized by Google

est desertio boni. Quid enim sonat aliud delictum, nisi derelictum? Et qui delinquit, quid derelinquit nisi bonum? Græci etiam duo nomina huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos et πλημμέλεια dicitur, et παράπτωμα. Et πλημμέλεια simile nomen est negligentiæ, quoniam Græce negligentia ἀμέλεια dicitur, quia curæ non est quod negligitur. Hoc autem loco, παράπτωμα est in Græco. In paraptomate vero, tanquam decidere intelligitur qui delinquit. Unde cadaver quod Latini a cadendo dixerunt, Græce πτῶμα dicitur. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Delictum quippe est, declinare a bono; peccatum vero est, facere malum. Potest etiam illud esse delictum, quod ab ignorante fit; illud autem peccatum, quod a sciente. Indifferenter tamen plerumque dicuntur. Præoccupatio autem est, in qua delinquitur, dum quid faciendum sit aut ad horam non videtur, aut et quia viderit, vincitur, ut scilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas. Et cum non malitia, sed sola infirmitate vel ignorantia delinquitur, pro peccato necesse est, ut magno moderamine ipsa delicti correctio temperetur. Hoc est itaque quod nunc præcipitur : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos* præpositi *qui spirituales estis*, id est spiritaliter vivitis, non despiciatis, sed neque exasperetis hujusmodi hominem non per singula vitia quotidiano usu defluentem, aut sponte mala facientem, sed subito per imprudentiam vel infirmitatem in aliquo lapsum. Non exasperetis eum, sed *instruite hujuscemodi* rationabiliter ad pœnitentiam ut fratrem, *in spiritu* non nimii fervoris, sed lenitatis et mansuetudinis. Corripe, inquam, eum dulciter, mone ut surgat, tu qui ei prælatus es, *considerans teipsum*, id est propriam fragilitatem tuam, *ne* forte *et* ipse *tu* ex ea *tenteris*. Videlicet cum displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es, ut increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat, timet. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere, qualiter alienæ imbecillitati oporteat misereri, ne contra infirmitatem proximi, si ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus sui esse videatur. Post hæc ad generalem instructionem redit Apostolus, dicens :

« Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis « legem Christi. Nam, si quis existimat se aliquid « esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Opus autem « suum probet unusquisque, et sic in semetipso tan- « tum gloriam habebit, et non in altero. Unusquis- « que enim onus suum portabit (*I Cor.* III).

Vos prælati, sicut dictum est, instruite leniter subditum, si deliquerit. Et vos subditi *portate alter onera alterius*. Verbi gratia : iram fratris tunc portabis, cum adversus eum iratum non irasceris, ut rursum eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate et tranquillitate supportet. Ita diversis temporibus eadem infirmitas potest invicem ab utroque portari. Diversum autem infirmitatis genus uno simul tempore portari potest ab ambobus, veluti si quis in se loquacitatem vicerit, et pertinaciam nondum vicerit; alius vero adhuc loquax, sed jam pertinax non sit: debet ille hujus loquacitatem, et iste illius pertinaciam, donec illud in illo et hoc in isto sanetur, charitate portare. Similiter de cæteris infirmitatibus agendum. Et hoc est quod dicitur : *Alter alterius onera portate*, id est invicem infirmitatum vestrarum pondera sufferte, *et sic adimplebitis legem Christi*, id est charitatem, de qua ipse dixit : « Hæc mando vobis ut diligatis invicem (*Joan.* XV). Hujus enim dilectionis officium est, invicem onera vestra portare. Et justum est, ut alter compatiatur alteri, et propter onus infirmitatis ejus. Nam, si quis se supra cæteros extulerit, despiciens illos propter varias morum infirmitates, neque dignans onera illorum compatiendo portare, sed se quasi solum justum apud se magnificans, ipse sibi est inimicus. *Si quis* in corde suo *existimet se aliquid* magnum *esse* comparatione alterius peccantis, *cum* tamen *sit nihil* ex se, *ipse seducit* a veritate *se* ipsum, dum illud credit quod non potest esse. Qui enim sanctitatem sibi arrogat, nihil dicitur, quoniam comparatione spiritalis hominis, qui scit gratia Dei esse se quod est, quisquis vana præsumit, nihil est. Electus enim quisque non attendit bona quæ jam percepit, sed quæ necdum percipere valuit; ideoque magis humiliatur considerans inopiam suam, sicque cætera bona meretur accipere. Reprobus vero non attendit ea quæ non habet ut humilietur, sed ea quæ habet considerans, extollitur. Et se alicujus momenti esse judicans, nihil fit, amittendo quæ bona perceperat, quoniam conscientia sua quæ suggerit cogitationem superbiæ, ut magnum aliquid in virtutibus se esse putet, seducit eum, id est seorsum a via humilitatis ducit, et a charitate proximi quem jacentem despicit. Nihil esse dicitur talis homo, quia omnis creatura, quæ non adhæret ei qui semper habet esse, nihil est. Vel qui laudantibus aliis credens, æstimat hoc esse verum quod ab illis de illo dicitur, cum falsum sit, et ideo se magnum ac sanctum putat, non adulatores seducunt eum, sed ipse seipsum, dum plus aliis credit quam suæ conscientiæ. Non debet quis inaniter de se magna sentire, nec adulatoribus credere; sed potius probet et examinet *unusquisque opus suum*, non peccatum alterius, ut pharisæus qui non re, sed fallaciter justus erat (*Luc.* XVIII). Et, cum sic opus suum probaverit esse veraciter bonum, tunc *gloriam habebit in semetipso tantum*, id est in conscientia sua *et non in altero*, id est in ore alterius. Gloriam intus habere, et non ex aliena laude pendere, hoc est oleum in vasculo servare cum virginibus illis prudentibus (*Matth.* XXV). Sed quam gloriam habet intra se justus, nisi cum cui dicitur : « Gloria mea et exaltans caput meum? » (*Psal.* III.) Ut, quod sæpe dicendum est : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* I; *II Cor.* X; *Jer.* IX), » non æstimet quisquam se stantem aliquid

Digitized by Google

esse in comparatione cadentis, sed opus suum probet, et circumspiciat ac diligenter inspiciat unusquisque non lapsum alterius; et sic, id est probando suum opus non alterius, habebit gloriam in seipso, id est in sua actione bona, et non in altero, id est in casu alterius. Hoc est, non extra se quæret gloriam, ut aliis jacentibus se præferat; sed remanens in consideratione suimet solius, cum se bene agere probaverit, gloriabitur puro corde in Deo, a quo ut bonum operaretur, accepit. Ideo enim debet nunc unusquisque proprium opus examinare, et non alterius, quia unusquisque in judicio Dei *onus suum portabit*, id est gravabitur propria sarcina peccatorum suorum. Non est sibi contrarius Apostolus qui supra jussit ut invicem onera nostra portemus, et nunc dicit quia unusquisque onus suum portabit. Alia enim sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. Illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portatur. Non enim cum alio portat hæc alter, nec projicit in alterum; sed solus cogitur unusquisque sustinere proprium, ut juxta quod magis aut minus peccavit, gravetur in judicio.

« Communicet autem is qui catechizatur verbo, « ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite er- « rare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit « homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in « carne sua, de carne et metet corruptionem. Qui « autem seminat in spiritu, et de spiritu metet vitam « æternam. »

Ea quæ dixi, invicem vel apud se unusquisque custodite; sed erga doctores vestros, ut nunc moneo, largi estote. Scilicet *is qui catechizatur*, id est instruitur verbo sacræ doctrinæ ab aliquo, *communicet in omnibus bonis* suis corporalibus *ei qui se* instruit, id est omnia terrena bona quæ habet, faciat sibi et doctori suo esse communia, ministrans ei ex bonis propriis cibum et indumentum et quæque necessaria sicut cibi. Et in hoc *nolite errare* excusando vos avare, et dicendo: parum vel nihil dare possum magistro meo; quia Deus, qui videt quid aut quantum dare possitis, *non irridetur*, ut aliquis injustus vel fallax ridendo transeat judicium ejus, sed unusquisque recipit ab eo quod meruit. Nam ea quæ nunc *seminaverit homo*, id est opera quæ sibi velut semen reposuerit, vel bona, vel mala, sive multa, sive pauca sint, hæc eadem, id est fructum eorum metet in Dei judicio. Opera enim vitæ præsentis, semen sunt futuræ messis. Vel ita: Is qui instruitur verbo doctoris, communicet ei qui se instruit, id est communicatorem et participem ejus se faciat in omnibus bonis, recipiendo doctrinam ejus, et imitando virtutes ac bonos mores ejus. Communicat enim discipulus magistro in omnibus bonis ejus, quando omnium, quæ ille bene agit et loquitur, particeps et imitator efficitur. Et in hac communione nolite errare, faciendo eam simulatorie, sed puritatem cordis in hac exhibete; quia Deus non irridetur, id est non fallitur sicut homo, ut ignorare possit aliquid, sed videt intima cordis. Vel etiam sic: Is qui instruitur, etsi in solo verbo, non exemplo prædicatoris, communicet ei non in malis, si ea facit, sed in omnibus bonis quæ ille dicit, id est participem se exhibeat, recipiendo verbum ejus et in omnibus implendo. Et nolite errare imitando pravos mores ejus, si ipse male vivit et bene loquitur, quia Deus non irridetur, id est Dei judicium nullus potest irridere, seu magister, seu discipulus, sed ibi recipit unusquisque prout gessit. Quæ enim seminaverit, id est operatus fuerit homo, hæc et metet, id est horum mercedem recipiet judicante Deo. Et vere quæ seminaverit metet, sive bona sive mala: *Quoniam* ille *qui* modo *seminat in carne sua*, id est opera carnis agit in carne, *de carne metet* etiam *corruptionem*, ut tormentis incessanter corrumpatur, id est conteratur, et jugem habeat in se fetorem. Sed econtrario ille *qui seminat in spiritu*, id est spiritalia operatur in Spiritu sancto, de ipso *spiritu metet*, id est quasi messem capiet in futuro *vitam æternam*, quæ est contraria prædictæ corruptioni. Potest forsitan et hominis spiritus intelligi, in quo seminatur, et ex quo vita metetur, juxta illud Salomonis: « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV). » Nam quod Salomon ait ex corde vitam procedere, hoc videtur esse, quod ait Apostolus ex spiritu vitam fore metendam. Qualis enim radix est cordis, talis in conspectu interni arbitrii est omnis fructus actionis. Sed quisquis in futuro sæculo messem vitæ sine fine cupit colligere, debet in isto semper quandiu vivit opera bona seminare. Unde subjungitur:

« Bonum autem facientes, non deficiamus, tem- « pore enim suo metemus, non deficientes (*II Thes.* « III). Ergo, dum tempus habemus, operemur bonum « ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. »

Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Ideo nos malum nullum debemus seminare, id est facere, sed bonum. Et *bonum facientes*, id est bonum seminantes, nunquam cessemus quandiu tempus est sationis, ne deficiamus aliquo labore fatigati, quia et erit tempus messionis ac quietis. *Tempore enim suo*, id est huic rei præfinito metemus, id est mercedem operum nostrorum colligemus, *non deficientes*, id est incessanter et sine fine, quia, sicut non deficimus seminando, sic non deficiemus metendo. Et quia tunc non deficiemus metendo fructum boni operis, id est seminis nostri, *ergo*, *dum tempus* seminandi et operandi *habemus*, quod ignoramus quandiu habituri sumus, operemur nunc assidue bonum, sicut eleemosynas et cætera beneficia, *ad omnes* quoscunque poterimus, sed *maxime ad domesticos fidei*, id est ad justos, quia « justus ex fide vivit (*Habac.* II; *Rom.* I). » Domesticus enim fidei est, qui eadem tibi religione conjungitur, quem a consortio fraternitatis peccata non separant. Domesticus quippe quasi in domo stans dicitur. Justis ergo et sanctis præcipue debemus impendere beneficia. Non tamen aliis hominibus etiam peccatoribus misericordiæ claudenda sunt viscera, nec si etiam adversus nos hostiliter

Digitized by Google

animum gerant, ipso Domino monente. « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt (*Matth.* v; *Luc.* vi). »

« Videte qualibus litteris scripsi vobis mea « manu. »

Hactenus per epistolam vos revocavi et instruxi. Quam ut sciatis a me missam, *videte qualibus* eam *litteris*, id est quam bene formatis *scripsi vobis* non notarii *manu* sed *mea*. Ne suspicarentur hanc epistolam non ab Apostolo, sed ab alio aliquo fallaciter sub ejus nomine sibi missam, et dubitarent obedire monitis ejus, ideo nunc certum dat illis signum cognoscendi eam. Ac si dicat : epistolam istam scripsi. ego propria manu. Et hoc recognoscite per formas et qualitates ipsarum litterarum, per quas manum meam poteritis recognoscere. Multum etiam per hoc invitat eos ad audiendum se, quod tantam sibi curam de illis indicat fuisse, ut propria manu scriberet illis. Vel dum dicit, videte qualibus litteris scripsi vobis, monet eos ut considerent et intelligant quam profunda sacramenta, et quam rationabilia vel utilia monita contineantur in litteris hujus epistolæ. Litterarum enim nomine frequenter epistola solet appellari : *Videte*, inquit, *qualibus litteris*, id est quali epistola, quam spiritali, quam vera, quam rationabili, *scripsi vobis* correptionem *manu* propria.

« Quicunque enim volunt placere in carne, hi « cogunt vos circumcidi, tantum, ut crucis Christi « persecutionem non patiantur. Neque enim qui « circumciduntur, legem custodiunt; sed volunt « vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. »

Opus fuit ut scriberem vobis, quia pseudoprædicatores instant ut circumcidamini. *Quicunque enim* talium magistrorum volunt Judæis infidelibus placere *in carne*, id est in carnali observatione, *hi cogunt* improbitate, non ducunt ratione *vos circumcidi*, non ut legem impleatis, sed tantummodo ut ipsi *non patiantur persecutionem crucis Christi*, id est quæ nobis infertur propter prædicationem crucis Christi. Præceptum fuerat a Romanis principibus, ut Judæis sine perturbatione vel impedimento liceret observare suos ritus et legem, ubicunque essent, et si quis gentilium vellet illis consentire, circumcisionem, et legem, atque ritus ipsorum posset assumere, et cum illis viveret in securitate. Sed Christianos Judæi apud principes gentium accusabant, quia legem ac circumcisionem et carnales observantias illorum destruere videbant. Et quia neque gentilem ritum, neque Judaicam legem tenebant, occasionem accusandi illos sumebant. Quod huic Apostolo invidia concitati fere in singulis civitatibus gentilium faciebant. Sed pseudoapostoli ut absque persecutione Christum et crucem prædicarent, circumcisionem quoque et legis observantiam pariter docebant. Christum enim prædicabant, ut quæstum a fidelibus haberent; legem autem, ut Judæis placerent. Et hoc est quod dicitur, quia quicunque volunt placere in carne, hi prædicando carnaliter legem, cogunt vos circumcidi, propter hoc tantum, ut non patiantur persecutionem pro cruce Christi. Et vere tantum idcirco ut non patiantur adversa, circumcidi vos cogunt, non enim pro lege implenda id faciunt. *Neque enim* illi *qui circumciduntur, custodiunt legem*, sed magis prævaricantur, quia nec carnaliter, a circumcisis, sed spiritaliter a baptizatis potest custodiri. Non ut vos legem custodiatis, *volunt vos circumcidi*, sed potius *ut in carne vestra*, id est in dolore carnis vestræ circumcisæ glorientur apud Judæos, quatenus placeant eis, ne forte accusent eos apud gentium principes de nova prædicatione, et aliquid adversitatis pati faciant.

« Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini « nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus cru- « cifixus est, et ego mundo. »

Illi gloriantur in circumcisa carne, et timent crucem prædicare; sed *mihi absit gloriari* in potentia Christi, vel in majestate seu potestate, sed in cruce, de qua sapientes mundi erubescent, et in qua erat omne opprobrium quod Christiani patiebantur, ac persecutio quam sustinebant! Et ideo in cruce gloriabatur, de qua illi ab impiis insultabantur, quia sciebat in morte Christi vitam nostram consistere, in ejus humilitate nostram sublimationem, in ejus infirmitate nostram fortitudinem. Nam in fronte credentium ubi sedes est verecundiæ, idcirco crux figitur, ut de nomine ejus non erubescant. Signum Veteris Testamenti, circumcisio est in latenti carne. Signum Novi Testamenti, crux est in libera fronte. Ibi enim est occultatio, hic revelatio. Illud est sub velamine, hoc in facie. Cum quis inde transierit ad Christum, auferetur ei velamen, ut qui habebat in occulto circumcisionem, in fronte portet crucem. Et pseudo quidem apostoli tanquam in tenebris et in umbra remanentes gloriabantur in circumcisione, id est in veteri et operto signo. Paulus autem egressus ad lucem, transtulerat signum ad frontem, et gloriabatur in cruce, id est in signo novitatis, utpote innovatus. Non glorior, inquit, *nisi in* sola *cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus est crucifixus*, ut nec minis nec blandimentis, possit in me manus extendere, id est animam meam attingere, ut me revocet a fidei puritate; *et ego* quoque per Christum mundo sum crucifixus, id est mortificatus, ut nullatenus eum possim appetere. Si enim mihi mundus crucifixus est, scio quia mortuus est. Non diligo eum, scio quia præterit. Non concupisco eum, scio quia corruptela consumetur. Eumque quasi fetidum vito, quasi lutum caveo, quasi nocturum relinquo. Ego quoque velut mortuus et fetens ab eo contemnor. *Mihi mundus crucifixus est*, ut me non teneat; *et ego mundo*, ut eum non teneam, quia nec mundus in me suum aliquid cognoscit, nec ego in mundo aliquid cupio. Plerumque enim contingit, ut jam homo mundum mente non teneat, sed tamen mundus eum occupationibus astringat. Et ipse quidem mundo jam mortuus est,

Digitized by Google

sed ipsi mundus adhuc mortuus non est. Quasi enim vivus adhuc mundus eum conspicit, dum aliis intentum, suis actibus alio rapere contendit. Sed Apostolus cum et ipse sæculum perfecte despiceret, et talem se factum videret, qui jam ab hoc sæculo concupisci omnino non posset, ruptis hujus vitæ vinculis, liber dicebat : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Mundus quippe ei crucifixus erat, quia hunc corde suo jam mortuum non amabat. Sed et scipsum mundo crucifixerat, quia talem se exhibere studuerat, ut ab eo quasi mortuus concupisci non posset. Quia ergo nec mundi gloriam quærebat, nec a mundi gloria ipse quærebatur, et se mundo et mundum sibi crucifixum esse gloriatur. Nos quoque, in quantum Dei sapientiam, per quam facta sunt omnia, spiritaliter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos ipsi huic mundo moriamur et dicamus : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Nemo enim faciem, id est manifestationem ipsius divinæ sapientiæ potest videre et vivere (*Exod.* XXXIII). Ipsa enim species quæ rapit omnem animam rationalem desiderio sui, tanto ardentiorem, quanto mundiorem; et tanto mundiorem, quanto ad spiritalia resurgentem; tanto autem ad spiritalia resurgentem, quanto a carnalibus morientem.

« In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid « valet, neque præputium, sed nova creatura. »

Idcirco glorior in cruce tantum, et non in circumcisione, quia *in Christo Jesu*, id est in Christiana religione, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* prodest quidquam, *sed nova creatura*, id est innovatio morum. Non enim magni est meriti, si quid foris erga nos agatur; sed magno opere pensandum est quid agatur in mente. Nam præsentem mundum despicere, transitoria non amare, mentem medullitus in humilitate Deo et proximo sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et custodita patientia dolorem malitiæ a corde repellere, egenis propria tribuere, aliena non ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum et eos, qui inimici sunt amare, de afflictione proximi lugere, de morte inimici non exsultare, hæc nova est creatura.

« Et quicunque hanc regulam secuti fuerint, « pax super illos et misericordia, et super Israel « Dei. »

Ego vos docui quid agendum sit. *Et quicunque* ex vobis gentilibus *hanc regulam*, id est rectitudinem doctrinæ meæ et gloriandi in cruce, *secuti fuerint*, ut secundum ea quæ in hac epistola docui, dirigant suam fidem et opera, pax, id est reconciliatio ad Deum, sit *super illos et misericordia*, id est propitiatio peccati quod egerunt recedentes a fide, *et super Israel Dei*, id est super illos Judæos, qui per fidem et opera sunt possessio Dei.

« De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim « stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gra- « tia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, « fratres. Amen. »

His rationibus et argumentis ostendi vobis, non esse justificationem vel salutem in vetustate legis. Et *de cætero* disputationum genere, quo adhuc possem probare, nemo vestrum *sit molestus mihi*, ut amplius me fatigare velit, quærens ut aliis profundioribus rationibus hoc idem sibi adhuc probem, cum jam sufficienter probatum sit et ostensum. Vel de cætero vitæ spatio nemo vestrum sit mihi molestus, sed amodo fidem et opera sic servate, ut non mihi molestiam ultra faciatis, quoniam satis gravor aliis molestiis; *ego enim porto in corpore meo stigmata Domini Jesu*, id est ego, quasi servus ex fuga retractus, et per serviles notas cauteriatus, in toto corpore meo cicatrices vulnerum, quæ pro Christo passus sum, porto, et variis injuriis affligor. Stigmata enim proprie vocantur serviles notæ, quibus inurebantur servi, vel fugæ, vel alterius culpæ convicti. Vel ita : Nemo vestrum sit mihi molestus ut aliquid amplius quærat, quia verbis meis indubitanter credendum est. Ego enim porto stigmata Domini Jesu in corpore meo, id est ego sum de familia Christi, ego sum annumeratus in militia Regis æterni, quod multiplices plagæ in corpore meo per cicatrices ostensæ designant. Et ideo nullus verba mea leviter accipiat, sed auctoritati dictorum meorum in omnibus acquiescat. Stigmata enim vocabantur signa quædam quæ in manibus militum fiebant, per quæ recognoscebantur esse de militia Romani imperatoris. Sic et Paulus non una tantum corporis, sed multis et variis partibus gerebat notas et signa plagarum pro Christo perpessarum, per quas miles fortissimus summi Regis esse declarabatur. Qui in fine ponit : *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, id est quam Dominus dedit, sit *cum spiritu vestro, fratres*, id est cum rationali sensu vestro, ut omnes cogitationes et actiones bene disponat auxilio gratiæ, et non per se quærat justificari ex lege. Ad confirmationem solidæ veritatis omnium quæ dicta sunt, subjungitur. *Amen*, quod interpretatur *vere* vel *fideliter*, sive *fiat*.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS

ARGUMENTUM.

Ephesus metropolis civitas est Asiæ, in qua Paulus triennio moratus est prædicans Evangelium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum

Digitized by Google

Domini, Judæi et gentiles. Ipse enim primus Ecclesiam ibi fundavit, et Ephesios in fide ac moribus nobiliter instruxit, atque thesauro divinæ scientiæ mirabiliter ditavit, sed sancto sibi revelante Spiritu, prævidit surrecturos postea quosdam pseudoprædicatores in ipsorum Ecclesia, et promulgaturos impia dogmata, ex quibus fuerunt Ebion et Cerinthus, quos Joannes antichristos appellat (*I Joan.* II; *II Joan.* I). Unde eis novissime dixit: « Vos scitis quomodo vobis nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis et docerem publice et per domos (*Act.* XX). » Et item: « Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Ego scio quoniam intrabunt, post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, et ex vobisipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium die ac nocte non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum (*ibid.*). » Tanto itaque labore et studio, tantoque tempore et tam perfecte beatus Apostolus Ephesios docuit, et tales lupos in medio surrecturos præscivit, volentes scilicet legis cæremonias inducere, et eos tam liberos gratia, carnalibus observantiis serviliter subdere. Et alios quidem eorum Christum simpliciter esse Deum et non hominem affirmaturos, alios autem eum hominem et non Deum dogmatizaturos. Et ideo placuit sibi quadam circumspectione Ephesios hac epistola præmunire, ne hæretici qualibet astutia suasionis ad eos possent introire, vel lupinis dentibus transjugulare. In qua quidem epistola intendit primo confirmare eos in fide, qua Christus a Catholicis creditur Deus omnipotens et homo verus, atque excellentiam gratiæ Dei multipliciter commendare, ne libero arbitrio suo quid bonorum, sed gratiæ ascriberent omnia; dehinc eos non debere suscipere jugum legalis observantiæ. Non enim aperte reprehendit eos de aliqua culpa, per quod ostenduntur bene servasse ejus præcepta, sed timendum erat ne laberentur. Et quia ipse sapientiam inter perfectos loqui consuevit (*I Cor.* II), profundos valde sensus et arcana mysteria sæculo antea prorsus ignota pandit eis a Roma de carcere in hac epistola. Quæ post illam ad Galatas recte locata est, quia ibi Galatæ revocantur ad fidem, hic Ephesii confirmantur in fide. Ibi carnales observantiæ ab illis qui eas suscipere cœperant, removentur; hic ne suscipi debeant, prædamnantur. Quia vero nullus adeo perfectus est, ut adhuc crescere non possit, hortatur ad meliora proficere, et ne cedant pro tribulationibus ejus, sed maneant in charitate radicati et fundati, ac de morum instructione nobiliter agit. Et ne perfectio erigat illos in tumorem, ostendit etiam de quo statu ad quam dignitatem vocati sunt.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem « Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, et fidelibus « in Christo Jesu: Gratia vobis et pax a Deo Patre « nostro et Domino Jesu Christo. »

Paulus scribit, cujus scripta sunt authentica, qûia est *Apostolus Jesu Christi*, id est legatus Salvatoris ac Regis fidelium. Et est apostolus non per meritum suum, vel per humanam electionem, sed *per Dei voluntatem*, quoniam sola Dei Patris voluntas fecit hunc Christi apostolum. Dum dicit se apostolum Christi, id est missum a Christo per voluntatem Dei, commendat se in apostolatus auctoritate, ut per hoc suæ monitioni magis obediant, et ut insinuet omnes qui ab ejus doctrina voluerint dissentire, imperio Christi contraire, et Patris voluntati resistere. Per voluntatem Dei, et non per Deum, posuit, ut insinuaret solo nutu voluntatis divinæ constitutionem omnium rerum esse. « Nam omnia quæcunque voluit fecit (*Psal.* CXIII). » Paulus tantæ auctoritatis, scribit *omnibus sanctis*, id est in sancta religione perfectis, *et fidelibus in Christo Jesu*, id est minoribus qui jam fidem susceperunt, hoc est scribit omnibus, perfectis et imperfectis, qui *sunt Ephesi*, id est in illa urbe quæ caput est Asiæ Minoris. Quod si mysticum sensum requirimus, Ephesus interpretatur *voluntas ejus*, id est Dei. Quicunque ergo ita sancti sunt et fideles, ut maneant in voluntate Dei, non transgredientes voluntates ejus, ad eos nunc scribit Apostolus, ubicunque sint corporaliter positi. Interpretatur etiam Ephesus *consilium meum*, ut dicat Paulus, quia scribo sanctis et fidelibus qui sunt in Epheso, id est in consilio meo, qui non recedunt a munimento consilii mei. Et sunt sancti atque fideles in Christo Jesu, quia nihil prodest sanctitas vel fidelitas nisi in Christo. Nonnulli enim philosophorum visi sunt sanctitatem habuisse, jejunando, caste vivendo, mundum contemnendo, sed non in Christo. Item nonnulli sunt fideles, sed non in Christo. Si quis reddat depositum, si quis commendata non abneget, fidelem se exhibet. Et iste fidelis est, sed non in Christo. Ad distinctionem ergo talium dicit Apostolus se scribere sanctis et fidelibus in Christo Jesu, qui sanctitatem et fidem habent in Christo, id est in Christiana religione. Quos et salutat, dicens: *Gratia et pax sit vobis.* Gratia, qua vobis peccata remittantur, et virtutes conferantur; pax, qua Deo et sanctis angelis per bonam voluntatem et actionem semper concordetis. Et hæc gratia et pax sit vobis *a Deo Patre nostro*, id est Creatore qui nos in filios adoptavit; *et a Domino Jesu Christo*, id est a Redemptore, qui nos ab hoste clementer eripuit, et suo dominio mancipavit. Qui est Jesus, qui interpretatur *salvator*, quia salvum facit populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I); et Christus, qui est *unctus*, id est rex vel sacerdos (*Hebr.* VII), regnans in nobis et interpellans pro nobis, quia reges et sacerdotes unctione consecrabantur (*I Joan.* II).

Digitized by Google

« Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu « Christi, qui benedixit nos in omni benedictione « spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit « nos in ipso ante mundi constitutionem, ut esse- « mus sancti et immaculati in conspectu ejus in « charitate. »

Primo omnium benedixit Deum, considerans illum esse principium et fontem bonorum omnium. Ostenso enim quod Dominus Jesus sit æqualis Patri, dum gratia et pax æqualiter a Patre et Filio dari monstraretur, ostendit quod Deus benedicendus est a nobis propter beneficia gratuita, quæ nobis tot et tanta contulit. Non enim debemus illi esse ingrati, ut ea quæ ab illo accepimus, ascribamus nobis, sed agnoscentes a quo sint nobis data, benedicere semper illum debemus, et gratias ipsi debitas persolvere. Et cum similiter a Filio nobis dentur hæc eadem beneficia, patet quia et ipse pari benedictione est exaltandus cum Patre, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem (*Joan.* v). Sicque compotentialis et coæqualis Patri esse declaratur. *Benedictus* sit a nobis *Deus*, ut omnes illum benedicamus, et gratias ac laudes illi referamus pro beneficiis quæ ab ipso percepimus, non æstimantes a nobisipsis habere nos aliquid boni. Benedicamus illum, quia est Deus, id est creator noster, et creatura debet creatorem suum benedicere, *et Pater Domini nostri Jesu Christi*, id est Pater illius qui nos a diaboli tyrannide ereptos, dominio suo misericorditer subdidit, et salvavit nos a peccatis nostris, atque regnat in bonis actibus nostris. Dum dicit, benedictus sit Deus, aperte demonstrat quia et ipse est Deus. Ostendit, inquam, Filium Patris benedictione laudandum, quando dicit, benedictus sit Deus, id est creator omnium, quia et Filius est creator. « Quæcunque enim Pater facit hæc et Filius similiter facit (*ibid.*), » et ita constat eum esse æqualem Patri, et compotentialem atque coæternum. Sed et dum dicitur, benedictus sit Pater Christi, liquido demonstratur, quia et ipse Christus similiter a nobis sit benedicendus, quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum (*ibid.*). Non enim recte Patrem benedicere potest, qui Filium pariter non benedicit, cum Pater non dicatur nisi respectu Filii. Unde patet Filium esse coæternum Patri, et coæqualem, quia si Pater fuisset aliquando sine Filio, non esset Pater. Ac per hoc nec tantæ dignitatis tunc esset, quantæ nunc est : sicque cœpisset crescere, quod nefas est vel suspicari. Nunquam ergo fuit ante Filium, sed sine initio Filius est æternaliter genitus. Vel in eo quod dictum est : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi*, ostenditur Christus homo simul et Deus esse. Homo enim est, cujus est Deus ille qui benedicitur : et Deus est, cujus est Pater idem ipse quem benedicimus. Deus enim Christi est secundum humanitatem ejus, et pater Christi secundum divinitatem ejus. Qui merito benedicitur a nobis, quia ipse prior benedixit nos. Hinc ergo Apostolus incipit enumerare beneficia, quæ a Deo per Christum humano generi sunt concessa. Sit, inquit, benedictus, *qui benedixit nos*. Deus nos benedicit, cum virtutes nobis tribuit, vel in ipsis virtutibus nos promovet. Nos vero Deum benedicimus, cum pro beneficiis quæ contulit nobis ipsum laudamus. Benedixit nos non in quadam, sed *in omni benedictione*, non corporali, sed *spirituali*, id est in sermone Dei et sapientia et veritate, cunctisque reliquis virtutibus, et non in terrenis, sed *in cœlestibus*, ut, quamvis adhuc corpore hic detineremur, mente tamen et conversatione jam in cœlestibus essemus. Et hæc tam copiosa virtutum bonorumque spiritualium benedictio data est a Patre nobis *in Christo*, id est postquam cœpimus in ipso Mediatore ac Reconciliatore manere, incorporati visceribus Ecclesiæ, quæ est corpus ejus. Non enim extra Christum datur cuiquam ista benedictio. Vel præteritum pro futuro positum est, ut quasi jam factum indubitanter crederemus, quod faciendum speramus. Benedixit, id est benedicet nos, hoc est ditabit in die judicii, in omni benedictione spirituali, non corporali, quoniam divitias spirituales, non carnales dabit. Neque enim carnales cibos tunc præbebit, vel uxores et aurum, cæterasque delicias quas habent impii, sed illas spirituales, quas in supernis habent angeli. Unde et corpus nostrum ut illarum deliciarum particeps fiat, erit spirituale, quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura (*I Cor.* xv). Tantæ enim levitatis erit et claritatis, quantæ spiritus. Et ideo quidquid boni illud glorificatum corpus habebit, spirituale erit. Nihil ergo carnale, sed totum spirituale exspectemus illa benedictione, quoniam spiritualis erit; et non particularis, sed universalis. Omni enim benedictione spirituali nos beatificabit, replens omnibus bonis, ut nihil omnino spiritualium bonorum desit nobis, cum dixerit Christus : « Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv), » percipite regnum, et ponet localiter in cœlestibus inter agmina sanctorum angelorum et virtutum ac dominationum, ut eamdem cum ipsis beatitudinem et gloriam atque scientiam habeamus, ut simus illis etiam loci sublimitate pares. Et hæc est illa gloriosa beatitudo, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis excogitare potuit (*I Cor.* II), quam nobis Pater dedit, si in Christo nos invenerit, id est vera Christi membra. Aliter enim nullus ad hanc beatitudinem ascendere poterit, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). Quod Apostolus præteritum posuit, significat, ut dictum est, quia hoc quod Deus est nobis benedicturus in futuro, ita est stabile et impermutabile, sicut illud quod jam præteritum est, quod nulla ratione mutari potest. Nam quod factum est, non potest non fieri. Quod autem posuit, benedixit, et non donavit; et quod ait, benedictione, et non beatitu-

Digitized by Google

dine, voluit nobis designare Patris et Filii potentiam. Suum enim benedicere, est benefacere. Et quid est aliud tunc benefacere, quam participationem beatitudinis impendere? Unde Psalmista : « Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi (*Psal.* CXIV). » Et quod ipse nos benedicet illa tanta benedictione, ita est firmum et certum, sicut et illud quod antequam mundus fieret, nos elegit prædestinando ad vitam. Vel quod nos benedicet, non faciet improvide, sed *sicut elegit nos* a massa perdendorum ante mundi principium. Ita enim benedicet sicut prædestinavit, quia unicuique benedictionem dabit, juxta modum quem ei præordinavit. Elegit nos, id est extra de massa peccatorum legit et abstraxit, et hoc fecit *in ipso*, id est in Christo, ut essemus membra Christi, et ista electio facta est *ante mundi constitutionem*, id est ante omnem creaturam. Et ad hoc nos elegit, *ut essemus sancti et immaculati*. Inter sanctum et immaculatum hoc interest, quod sanctus immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus vero non statim sanctus. Nam parvuli quoque immaculati sunt, quia integro corpore nullum possunt facere peccatum; et tamen sancti non sunt, quia sanctitas voluntate et studio comparatur. Et quod immaculatus dici potest ille qui peccatum non fecit, sanctus autem is qui virtutibus plenus est. Sancti ergo intelliguntur perfecti, immaculati vero imperfecti. Sancti in virtutibus promoti, immaculati per baptismum a peccatis mundi, et post non inquinati. Tales igitur nos prædestinavit Deus futuros, et hoc non in vana æstimatione hominum, sed *in conspectu ejus* qui veritatem conspicit, et occulta considerat. Si enim viderit nos veraciter esse sanctos et immaculatos, quidquid homines de nobis æstiment, ipse nobis præmium reddet. Et econtra si per hypocrisim voluerimus simulare sanctitatem, licet nos judicent sanctos indocti homines, ipse tamen damnabit. Elegit ut essemus sancti et immaculati in oculis ejus, et hoc *in charitate*, id est ut in illam sanctitatem et immaculationem promoveremur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Notandum itaque quod ad commendandam magnitudinem gratiæ enumerat Apostolus beneficia ejusdem gratiæ, quæ a Deo per Christum humano generi data sunt. Deus enim ante mundi constitutionem, cum nullus quidquam meruisset, quia nullus adhuc erat, præordinavit quod in tempore gratiæ aliquos a perdendis separaret, et justos immaculatosque faceret, præordinavit quod et illos ad æternitatem perduceret. Harum prædestinationum alteram hic implet, quod sanctos facit; alteram in futuro complebit, dando immortalitatem et beatitudinem. Sic enim prædestinando jam benedixit nos in cœlestibus, cum adhuc in terris maneamus, sicut prædestinando elegit ante mundi constitutionem, cum necdum essemus. Et elegit non quia futuri eramus sancti, sed ut essemus sancti, id est ipse diligendo per gratiam fecit ut essemus sancti et immaculati.

« Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum « per Jesum Christum in ipsum, secundum propo« situm voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ « suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. « In quo habemus redemptionem per sanguinem « ejus, remissionem peccatorum secundum divitias « gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in « omni sapientia et prudentia : ut notum faceret « nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum « beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dis« pensatione plenitudinis temporum, instaurare « omnia in Christo, quæ in cœlis, et in terra sunt « in ipso. »

Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero jam ipsa donatio. Et nos jure benedicimus Deum, qui non solum præelegit nos ut faceret sanctos et immaculatos, sed etiam *prædestinavit in adoptionem filiorum*. Prædestinavit, id est ante et firme ordinavit. Et hoc est præ, id est ex antiquissimo tempore. Destinare enim, per se longinquitatem notat, præteritum, indicat tempus remotum. Prædestinavit, et hoc in adoptionem filiorum, id est ad hoc ut iremus in filios secundum multimodam conformitatem virtutum ejus in nobis expressam, scilicet ut quantum humanæ naturæ possibile est, in sanctitate et justitia nostro Patri efficiamur conformes; et imago bonitatis ejus, in quantum fieri potest, exprimatur in nobis. Quod ire in filios non est ex merito nostro, sed ex gratia sua, qua adoptavit nos in filios. Quod Apostolus notare voluit, dicens adoptionem. Majus vero est quod dicit adoptivos Dei filios, quam quod dixerat sanctos et immaculatos. Nos prædestinavit in filios, et hoc *per Jesum Christum* mediatorem, ut per eum qui naturalis est filius, faceret sibi adoptivos filios, tendentes *in ipsum* Christum, id est in conformitatem ejus per fidem et bonos mores. Vel hanc prædestinationem fecit per Jesum Christum, id est per virtutem et sapientiam suam, quia nihil fecit unquam Pater nisi per Filium, qui est virtus et sapientia ejus. Unde patet Filium esse coæternum et coæqualem Patri (*Philip.* II). Et quod nos prædestinavit, hoc fecit, *secundum propositum voluntatis suæ*, id est sequendo hoc propositum quod proposuit in prophetis, quibus suam voluntatem de nobis revelavit et intimavit, id est sicut per prophetas proposuit, ita ab æterno prædestinavit, hoc est non minus neque alio modo nos ire in filios prædestinavit ab æterno, quam post in prophetis proposuit. Non tamen quantum ad se prædestinatio præcessit propositum, sed quantum ad nos, quia illi præsentia sunt omnia, quæ nobis per tempora vel spatia transeunt. Quod propositum fuit voluntatis suæ, id est non meritorum nostrorum, sed suæ gratuitæ voluntatis. Gratis enim ab æterno prædestinavit, gratis in tempore per prophetas proposuit ac prænuntiavit. Et hoc totum fecit *in laudem gloriæ gratiæ suæ*. Nam quasi gloria gratiæ ejus est æterna adoptio. Hoc fecit in laudem gloriæ gratiæ suæ, id est ut in interiori et exteriori affectu laudemus gloriam,

Digitized by Google

id est abundantiam gratiæ suæ qua nos adoptavit. Quæ abundantia dicitur gloria, quia tanta et tam magna est, et in tantum debetur honor a nobis sibi, quam et in quantum de ipsa gloria multum nobis contulit, quod in prophetis prædixit, quod ante sæcula prædestinavit. Nam per hoc firmos et certos nos reddidit. Gratia fuit quod nos prædestinavit et quod elegit. Et hæc gratia in tantum abundavit, ut ea quæ prædestinaverat, per prophetas prædiceret. Et ideo quia prædixit, ex ipsa abundantia laudatur a nobis sua gratia. Nisi enim per prophetas quos solus prædestinaverat prædixisset, nobis sua prædestinatio nota non fuisset. Et, si nobis occulta fuisset, ad laudem suæ gratiæ nos non traxisset. Ex hoc igitur apparet, quod ex abundantia suæ gratiæ, qua nobis prædestinationem suam per prophetas voluit aperire, laus suæ gloriæ aucta debet procedere. Multum igitur est glorificandus, qui et nos prædestinavit in adoptionem filiorum, et ipsum gratis, et in prophetis hoc prænuntiavit. Quod autem nos dicitur prædestinasse, diversum est ab eo quod supradictum est, elegisse. Aliud enim est prædestinare, et aliud eligere, quia electio semper consideratur inter duos vel plures, prædestinatio autem minime; et electio fit de bonis tantum, prædestinatio autem de bonis et malis. Boni enim dupliciter prædestinatur, id est ad primam et secundam resurrectionem. At mali prædestinantur simpliciter ad indeficientis pœnæ retributionem, quam digne patientur pro peccatis commissis, ad quam quidem Deus nullum prædestinavit. Ad nihil enim aliud est quisque a Deo prædestinatus, nisi ad hoc quod ipsemet Deus post in eo operatur, quia ad hoc non valet aliquis prædestinari, quod inter creaturas Dei non poterit inveniri. Patet igitur nullum ad peccandum prædestinari, quia constat nullum a Deo peccatum creari. Ad pœnas autem prædestinatur, quas Deus fecit, ut re justa puniatur. Prædestinavit nos Deus secundum propositum voluntatis suæ, vel potius, ut in Græco legitur, secundum beneplacitum voluntatis suæ, quia non omne quod placet, potest et bene placere. Sed ibi tantum dicitur beneplacitum, ubi quod placuit, recte placitum comprobatur. Prædestinavit nos secundum beneplacitum voluntatis suæ, non nostræ, ne in tanto beneficio gratiæ de placito gloriaremur voluntatis nostræ. *In qua* utique voluntate sua *gratificavit nos*, id est sibi gratos fecit, ut ei grates redderemus pro suis beneficiis. Hoc est, non solum beneficia nobis collata procedunt ex voluntate ejus gratia, non ex merito nostro, sed etiam istud quod sumus ei grati, propter ipsa beneficia ascribendo sibi omnia. Sic dictum est gratificavit a gratia sicut justificavit dicitur a justitia. Gratificavit nos, et hoc *in Filio suo*, id est in operatione Filii sui proprii et naturalis, qui et sibi coæternus et consubstantialis exstitit. Et quia connaturalis, ideo in ejus operatione factum est. Et etiam in dilecto, id est propter hoc etiam potuit fieri, quia dilectus est a Patre super omnes alios filios, quoniam Filius est ab æterno, et semper manet et regnat cum eo. Vel nos qui prius displicebamus et inimici eramus, gratificavit sibi, id est gratia sua implevit; et hoc in dilecto Filio suo, id est per mortem et resurrectionem Filii sui, qui egregie ab eo diligitur, quia nihil in eo sibi displicet. Vel in dilecto Filio suo, id est in fide ejus gratificavit nos sibi. In Græcis tamen codicibus non habetur in dilecto Filio suo, sed simpliciter, in dilecto. Et cum non sit additum in dilecto Dei, vel in dilecto Patris, sive in dilecto Ecclesiæ, sed absolute dictum sit, in dilecto, ita intelligendum est, ut subaudiatur ab omnibus, ab omnibus enim diligitur, quia est summum bonum. Omnis ergo gratia quam consequimur in laudem et gloriam ejus, qui nos gratificavit, completur in dilecto, id est in Domino et Salvatore nostro, quia nihil boni esse potest nisi ex summo bono et in summo bono, quod naturaliter diligit et appetit omnis creatura. *In quo habemus redemptionem*, id est a Deo manumissionem Satanæ, hoc est, manumissi sumus et liberati a jugo diaboli, qui impediebat in nobis facultatem bene operandi. Non dixit, habuimus, sed habemus, ut continue nos habere illam manumissionem notaret. Et hoc *per sanguinem ejus*, id est per effusionem sanguinis ejus, quia ejus sanguis innocens effusus, pretium fuit, quo redempti sumus, et libertati redditi, qui tenebamur captivi. Per hoc quod dicit ejus sanguinem tantam efficaciam habuisse, ostendit eum non solum hominem sine peccato, sed etiam Deum omnipotentem exstitisse. Habemus in eo redemptionem. Et quam redemptionem? *Remissionem peccatorum* originalium et actualium in baptismate. Diabolus enim per peccata dominabatur nobis. Remissis autem peccatis nostris, amisit ille malignus dominium in nobis. Et ita peccatorum remissio facta est nobis redemptio et liberatio, ut in libertate serviremus Redemptori nostro. Aliud tamen intelligitur redemptio, et aliud remissio, quia remissio redemptionem facit, et redemptio est manumissio, ac nostri arbitrii ad bene operandum restitutio, quia et justi post mortem nullo tenentur vinculo, sed liberi ingrediuntur in regnum. Remissio autem simpliciter intelligitur peccatorum abolitio. Habemus remissionem peccatorum, et hoc *secundum divitias gratiæ ejus*, id est secundum divitem et copiosam gratiam misericordiæ, hoc est secundum multitudinem misericordiæ ejus gratis impensæ nobis, quæ, sicut est multa et exsuperans omnem sensum (*Philip.* IV), sic multiplicia et innumera delevit peccata nostra. Gratia dico, *quæ superabundavit in nobis*. Hic vult ostendere quæ Deus benigne circa eum et reliquos apostolos egit, ut per hæc ponderet suam auctoritatem, et sic efficacius possit suadere quod proposuit. Hactenus enim de his quæ toti sanctorum Ecclesiæ data sunt, est locutus; et nunc de his agit, quæ specialiter apostolis concessa sunt. Cum enim gratia in omnibus sanctis abundasset vel abundet super-

Digitized by Google

abundavit tamen in apostolis, quia ipsi copiosiorem largitatem ejus acceperunt quam cæteri. *In omni sapientia et prudentia.* Sapientiam et prudentiam esse diversas Stoici quoque opinantur, dicentes: Sapientia est rerum divinarum cognitio, prudentia vero tantum mortalium. Juxta hanc divisionem, possumus sapientiam invisibilium accipere fidem; prudentiam vero de his, quæ corporaliter a nobis exercentur, vel de moribus et de providentia temporalium. Gratia vero in apostolis superabundavit in omni sapientia et prudentia, quia Spiritus sanctus infuderat eis plusquam cæteris sapientiam, qua nossent Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum æternaliter ab utroque procedentem, atque Filium solum incarnatum, non Patrem neque Spiritum, et alia mysteria incarnationis, et arcana cœlestia, nec non et dona Ecclesiæ conferenda. Prudentiam quoque superabundanter dedit eis idem Spiritus de ministeriis Ecclesiæ, ut providerent ea quæ futura vel facienda erant in Ecclesia, et futuros status ac tempora prosperitatis et adversitatis ejus usque ad finem sæculi intelligerent, et quomodo per orbem dilatanda esset et exaltanda, atque ritus suos honorabiliter ubique celebratura, et omnes hæreses destructura. Subtilius enim sciebant de trinitate et unitate Divinitatis, et de mysteriis incarnationis Christi, et de statu Ecclesiæ acutius quam alii providebant. Vel prudentiam intelligamus, quantum ad regnum Ecclesiæ. Majorem enim notitiam habebant regendi Ecclesiam, quam alii. Sciebant namque qualiter unumquemque deberent admonere, et quos increpare, vel quos obsecrare, et cætera hujusmodi. Et quia omnis sapientia et prudentia per supernam gratiam superabundavit in eis, adhibenda est fides doctrinæ eorum, qua prædicant Christum, Deum creatorem et hominem verum esse. In tantum autem, inquit, superabundavit in nobis illa gratia, *ut notum faceret*, id est notificaret *nobis sacramentum*, id est mysterium *voluntatis suæ*, hoc est mysticam et occultam voluntatem suam quæ antea latebat. Voluntatem, inquam, suam de incarnatione Filii et renovatione humani generis, atque statu Ecclesiæ, et donis ejus conferendis, et ejus regimine. Licet enim prophetæ partim hæc novissent, nullus tamen eorum vel omnia quæ apostoli, vel tam lucide perspexit ut apostoli. Prophetæ namque noverunt ut illi, qui fuerunt in rerum prænuntiatione, apostoli vero ut illi qui erant in rerum exhibitione. Voluntatis dico, exhibitæ non hominum meritis, sed secundum bonum et pium *beneplacitum ejus*, id est quia tantum ei misericorditer placuit, ut vellet humanum genus reparare. Quod beneplacitum ipse proposuit, id est procul anteposuit, vel prorsus posuit, sive omnibus palam obtulit, *in eo*, id est in Christo, non alio tempore implendum, sed *in dispensatione plenitudinis temporum*, id est in plenitudine temporum dispensata et ordinata divinitus, cum jam impleta essent tempora, quæ ipse disposuerat prius implenda. Vel notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, et hoc faceret secundum placitum ejus, id est secundum quod ex sola potestate sibi placuit, et placitum illud est bonum, id est utile nobis. Quod sacramentum antequam notificaret nobis, proposuit ipse in prophetis, id est sacramentum illud prædixit per prophetas, qui mysteria incarnationis Domini, et dona quæ collaturus erat Ecclesiæ, præcinerunt. Si enim penitus ignari essent homines, et non aliquantulum prædocti, non reciperent illud. Quod sacramentum fuit in eo, id est in Christo, in morte ejus et resurrectione. Sacramentum dico, tendens in dispensatione plenitudinis temporum, id est ad hoc proposuit in prophetis, ut in plenitudine temporis, id est tempore præfinito, tempore gratiæ, distribueretur illud sacramentum per apostolos. Dominus dispensavit illud, quia aliis in Ecclesia tribuit fidem et notitiam incarnationis Christi, aliis virtutes quoque et charismata, et quæcunque dispensanda et distribuenda prædixerunt prophetæ. Et quod erat illud sacramentum? Instaurare, id est ad primum statum reducere, omnia per peccatum destructa. Et illam instaurationem facere *in Christo*, id est in fide et gratia Christi, ut in eo restaurentur, *quæ in cœlis* sunt, id est numerus beatorum angelorum qui divinitus erat stabilitus, cadentibus inde reprobis angelis; *et quæ in terra sunt*, id est homines; et omnia quæ instauraret, permanerent *in ipso* Christo sine fine, ne jam ulterius caderent. In eo quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde ex angelis ipsum est, ex hominibus redditur; in ipso instaurantur et quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt in vitam æternam a corruptionis vetustate renovantur. Instaurantur quæ in cœlis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, unde apostatæ angeli superbiendo ceciderunt; instaurantur et quæ in terris sunt, dum peccatores ad justitiam convertuntur. Vel ea quæ sunt in cœlis, sunt instaurata, id est in melius commutata in Christo, id est in Christi operatione, quia in revelatione mysterii incarnationis Dominicæ receperunt angeli quamdam in melius promotionem. Sed et gaudium eorum crevit, cum homines in suum consortium cœpissent recipere. Non enim pro angelis mortuus est Christus. Sed ideo etiam pro angelis fit, quidquid hominum per ejus mortem redimitur et liberatur a malo, quia cum eis quodammodo redditur in gratiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ damna reparantur. Et sic instaurantur cœlestia et terrena, sed tamen ea tantum quæ sunt in ipso ante mundi constitutionem electa et prædestinata. In ipso enim semper fuerunt et sunt, quos elegit ab æterno. Quod dixit instaurare, non dixit proprie, nisi respectu eorum quæ erant in cœlis, quia quæ sunt in terra, non sunt instaurata, sed restaurata. Nam instaurare dicimus, quando restauratum in melius instauratur, ut bonum in melius; restauratur autem,

Digitized by Google

quod cum prorsus destitutum sit, instauratur, ut malum in bonum.

« In quo etiam sorte vocati sumus, prædestinati « secundum propositum ejus, qui omnia operatur « secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in « laudem gloriæ ejus nos qui ante speravimus in « Christo. »

In Christo restaurata sunt omnia, *in quo etiam nos vocati sumus* de infidelitate ad fidem, et hoc *sorte*, id est gratia sola, non nostro merito. Nam sortis nomine designatur gratia, quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Ubi enim dicitur, iste facit, et iste non facit, merita considerantur. Et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla nostra merita invenit, sorte voluntatis suæ nos vocavit, quia voluit, non quia digni sumus. Sorte vocati sunt et ipsi apostoli, in quibus superabundavit gratia, ne viderentur meruisse aliquid melius cæteris. Vocati sumus, nos dico prædestinati, id est prius præparati in ejus sapientia, ab æterno præordinati ad vitam, et hoc *secundum propositum ejus*, id est secundum quod postea prædixit in prophetis. Prophetæ enim apostolos ad fidem Christi convertendos prænuntiant, et sicut ipsi prænuntiant, ita et Deus prædestinaverat. Prædestinati enim sunt secundum propositum ejus, quia sicut magnifice illos ad fidem venturos, in prophetis prænuntiavit, ita magnifice illos prædestinaverat. Vel prædestinati sumus secundum propositum ejus, id est secundum firmam et perseveraturam institutionem ejus. *Qui* etiam in apostolis *operatur omnia* etiam velle juxta *consilium voluntatis suæ*, ut nemo glorietur de suis meritis. Ac si dicatur : Cur nos magis elegerit ad officium apostolatus nescimus, sed tamen concilio facit omnia, id est rationabiliter et provide, non temere. Nam ad hoc solet fieri consilium, ut rationabiliter fiat illud, unde consilium habetur. Et consilium quo facit omnia, est voluntatis suæ, id est non extraneum, quia non ab alio accepit consilium, sed a sola voluntate sua. Et hoc consilio agit ipse, *ut simus* in æterna vita euntes *in laudem gloriæ ejus*, id est ut in illa vita laudemus diligendo et admirando ineffabilem gloriam ejus, scilicet illum gloriosum, laudabilem et admirabilem, *nos, qui ante speravimus in Christo*, id est antequam transeamus ad illam cœlestem patriam, posuimus in Christo spem nostram, vel nos Judæi qui ante conversionem nostram speravimus in Christo venturo, priusquam ille venisset. Judæi enim ab antiquis temporibus sperabant in Messia venturo, et in eodem sperabat Paulus antequam ad fidem novam conversus esset. Per hoc quod in Christo speratur, Deus esse monstratur. Et quia in eo speratum est ante adventum ejus, constat eum sine initio semper apud Patrem fuisse. Nisi enim ille fuisset, periissent omnes qui speraverunt in eo, quasi sperantes in nihilo. Vel ad hoc sorte vocati sumus, ut simus in laudem gloriæ ejus, id est ut per nos alii laudent gloriam ejus, vel nosipsi : nos dico, qui antequam A vos, speravimus in Christo; et ideo tales sumus ut per nos alli sperent et laudent. Prius enim crediderunt apostoli quam cæteri.

« In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, « Evangelium salutis vestræ, in quo et credentes « signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est « pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem ac- « quisitionis, in laudem gloriæ ipsius. »

Quia se et alios apostolos dixerat vocatos, ne videretur latenter dixisse Ephesios non esse vocatos, subjunxit quasi dicens : Nos ante sumus in Christo vocati, *in quo et vos* postea jam vocati estis, etsi non principaliter, tamen per ejus membra et ejus præcepta. Vocati estis ad fidem quam non accepistis ex merito aliquo, sed ex auditu solo, quia, *cum* B *audissetis* ex ore meo *verbum veritatis*, tunc vocati estis. In hoc multum commendatur gratia Dei, quam tam leviter, scilicet solo auditu receperunt, quia non intercessit eorum meritum, non vis arbitrii ipsorum, sed solus auditus, ut gratiam in fidem acciperent. Ideo credidistis, quia audistis verbum non falsitatis, ut antea in laude idolorum, sed veritatis in prædicatione Christi, quæ est nimia veritate suffulta, id est ideo credidistis, quia verum esse quod dicebatur, cognovistis. Quod verbum est *evangelium vestræ salutis*, id est bonum nuntium, quia in eo annuntiata est vobis salus, id est remissio peccatorum, et justificatio, et vita æterna. Et quia possent audisse illud et non credidisse, addit : *In* C *quo* Evangelio *et credentes signati estis*, id est segregati ab infidelibus *Spiritu sancto* cujus gratiam accepistis. Sanctus enim Spiritus credentes signat, id est ab aliis hominibus discernit et separat, quia a peccatis eos purgat, et spiritualibus gratiis ornat. Vel in quo Christo signati estis imagine ejus, id est vos qui culpa primi parentis deformati eratis, et quibus jam perierat imago et similitudo Dei, signati estis, hoc est imagine et conformitate Dei estis impressi, id est restituta facultate bene operandi secundum innocentiam et justitiam repræsentatis imaginem Dei Patris, scilicet institutione liberi arbitrii estis impressi similitudine Dei secundum innocentiam et bona opera; et hoc per Spiritum sanctum, non per merita nostra, fide interveniente. Hoc notavit, di- D cens, *credentes*, etc. Quasi diceret : Quia credidistis, ideo signati estis Spiritu sancto, id est hoc signum accepistis, quo distingueremini a cæteris, quod Spiritu sancto repleti estis, quem non habent increduli. Qui spiritus est *promissionis*, id est promissus a Deo, sicut discipulis Salvator præcepit ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris. Et item de eo dixit : « Ego mittam promissum Patris mei in vos (*Luc.* XIV). » Vel promissionis est iste Spiritus, quia his quos replet, promittit vitam æternam, et hoc ideo facit, quia ipse *est pignus* et arrha et certitudo *nostræ hæreditatis*, quam accepturi sumus a Deo, id est charitas quam nobis ille Spiritus infudit, arrha est futuræ hæreditatis. Pignus enim hoc loco pro arrha positum est.

Digitized by Google

Pignus enim quando datur, cum datum fuerit propter quod datum pignus est, pignus aufertur. Arrha vero quando aliqua pretii particula primum datur, ut sit signum totius massæ dandæ. Sic charitas per Spiritum sanctum data fidelibus, signum et arrha est dandæ plenitudinis vitæ perpetuæ. Hoc enim implebitur, unde arrha data est; nec ipsa arrha, id est charitas nobis auferetur, sed adimplebitur quando summa reddetur. Signati estis Spiritu sancto, et hoc *in redemptionem acquisitionis*, ut ultra non dominetur inimicus in vobis, sed Christus qui vos sanguine suo redemit, ut possideat, non ut amittat. Redemptio enim hoc loco vocatur immortalitas, quæ erit per resurrectionem. Acquisitio autem familiaritas illa quæ Deum quærit. Ducet ergo nos Spiritus ille in redemptionem immortalitatis et impassibilitatis, scilicet ut redimamur ac liberemur ex mortuis, id est faciet nos immortales per mortem Christi et resurrectionem. Et redemptio illa erit tanta, ut sit acquisitionis, quia illa immortalitas sic nos acquiret Deo et conjunget, ut ultra non separemur vel amittamur ab eo, sed semper illi inhæreamus, et ab illo possideamur; et hoc *in laudem gloriæ ipsius*, scilicet ut laudemus admiratione, dilectione, participatione gloriam ipsius, id est beatitudinem ejus, ideo posuit ipsius, ut innueret, quia quidquid boni habemus, a Deo est.

« Propterea et ego, audiens fidem vestram, quæ « est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes « sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, me- « moriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus « Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vo- « bis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitio- « nem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut « sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divi- « tiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit « supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui « credimus secundum operationem potentiæ virtutis « ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum « a mortuis, et constituens ad dexteram suam in « cœlestibus, supra omnem principatum et potesta- « tem et virtutem et dominationem et omne nomen « quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed « etiam in futuro, et omnia subjecit sub pedibus « ejus, et ipsum dedit caput supra omnia Ecclesiæ « quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus qui omnia « in omnibus adimpletur. »

Invitat eos Apostolus ad veram fidei constantiam, quam ab eo perceperunt de Domino Jesu, scilicet Christum vere esse creaturam in humanitate, et vere Creatorem in divinitate, id est esse verum hominem et verum Deum. Nam, ut in hanc fidem eorum, quæ per dilectionem operatur, roborarentur et augerentur, gratias pro ea Deo referebat, ut ipse Deus qui dederat, multiplicaret eam et confirmaret. Quasi dicat: Vocati estis, Evangelium audistis et credidistis atque Spiritu sancto signati estis. *Propterea*, id est propter has causas, gratias ago, quia non solum vicini vestri, sed *et ego* longe positus in Romano carcere, audio *fidem vestram*, quasi jam famosam et in vobis solidatam, quæ jam multis ut convertantur proponitur exemplar, quia constantes estis in ea. Et hoc ideo quia *est in Domino Jesu*, id est firmiter fundata et permanens in Domino Salvatore, qui vos suo dominio mancipavit, vosque salvavit. Et audio etiam *dilectionem* vestram redundare *in omnes sanctos*, id est charitatem vestram qua sanctos omnes ita diligitis, ut quidquid pie potestis, impendatis illis. Et ita charitatis opera, quæ facitis in sanctos, faciunt vestram charitatem longe divulgari, multique eam proponunt exemplar. Unde ego hæc *audiens*, *non cesso gratias* agere Deo *pro vobis*, quia fidem hanc et dilectionem vobis contulit. Magna illis erat utilitas, quod tantus apostolus pro illis gratias agebat, quia per hoc divinitus confirmabantur et promovebantur in fide et dilectione, quam nuper acceperant prædicato sibi Evangelio. Gratias, inquit, ago pro his quæ jam accepistis, et orationes facio, ut quæ necdum habetis, habere possitis. *Memoriam vestri* facio *in orationibus meis*, *ut Deus* det vobis intelligere quæ credidistis, scilicet ut quod fide credidistis, notitia percipere possitis discernendo. Et hoc det vobis Deus *Domini nostri Jesu Christi*, id est Deus illius quem revereri debemus, quia ejus servi sumus, et ipse Dominus noster: et est Jesus, id est salvator noster; et est Christus, id est rex noster sive sacerdos. Hoc totum dicitur respectu humanæ naturæ, quia secundum humanitatem tantum est Deus Christi, qui secundum divinitatem ejus, est Pater ipsius. Qui enim in tempore creavit eum ex virgine, ipse ante omnia tempora de seipso genuerat eum. Unde dicitur *Pater gloriæ*, quia ipse Christus secundum excellentiam æternæ divinitatis suæ est gloria Patris, id est virtus et sapientia et verbum ejus. Per hoc itaque quod dicit: *Deus Domini nostri Jesu Christi*, ostendit illum esse verum hominem; et per hoc quod subjungit, *Pater gloriæ*, notat illum esse verum Deum ex Patris substantia. Et rogo ut iste pater *det vobis spiritum sapientiæ* de cœlestibus ac divinis *et revelationis in agnitionem ejus*, ut non obscure, sed sine velamine agnoscatis eum, id est Christum, secundum quod Deus est omnipotens atque principio et fine carens, et omnia divinitate implens. *Det vobis Spiritum sapientiæ in agnitionem ejus*, id est Spiritum sanctum, quo infunditur hominibus sapientia, ut agnoscatis illum juxta quod agnoscendus est ab his qui adhuc in carne vivunt, ut omnia, quæ de illo possunt in hac vita cognosci, cognoscatis. Et det vobis spiritum revelationis de humanitate ejus, Spiritum sanctum, quo revelet vobis mysteria humanitatis Christi in agnitionem ejus, ut manifeste agnoscatis incarnationem ejus, non per umbram, sicut illi, qui fuerunt ante adventum ejus. Ideo orat ut hanc Christi notitiam det illis Deus, quia, si hanc habuerint, nulla adversitate superabuntur ab ejus fide et dilectione. Et declarat consequenter, cujusmodi sapientiam et revelationem vult ut det illis. *Illuminatos*, inquit,

Digitized by Google

oculos cordis vestri det vobis, id est aspectum vestræ mentis et rationis faciat clarum et perspicuum. Quod est dicere : Ita illuminet vestram rationem, ut perspicue remota umbra phantasmatum, advertat ratio vestra quod præmium speretur de fide, scilicet vita cum angelis æterna. Et hoc est, *ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus*, id est fidei ejus. Hoc est, sic illuminet interiores oculos vestros, ut intelligatis quod præmium erit pro fide ejus illis, qui constanter in ea perseverant, ad quod per Evangelium vocati estis. Vel quæ sit spes vocationis ejus, id est qualis et quanta sit gloria quam speratis, et ad quam vos vocavit; quam pretiosa est summa beatitudo, quam adipisci speratis per eum, qui vos ad fidem suam vocavit. Et ut sciatis *quæ* sunt *divitiæ gloriæ*, id est copia beatitudinis, id est quam sufficiens et multiplex et copiosa est beatitudo illius gloriosæ *hæreditatis*, quam firmo jure possidebunt communiter sancti, in perfectione virtutum consummati. Istæ enim divitiæ erunt *in sanctis*. Vel tantam esse beatitudinem illam intelligatis, quanta est in sanctis, id est quantam ipsi habent vel intelligunt esse. Et ut sciatis *quæ* et quanta *sit magnitudo virtutis ejus in nos* apostolos, id est quam larga et copiosa provenit virtus ejus in nos, ut spirituali scientia illustrati, et virtute Spiritus sancti confortati, nihil timeremus, sed magna auctoritate regibus et tyrannis contradicentes, Evangelium ubique prædicaremus, et miracula potenter operaremur, atque cunctos errores destrueremus. Et hæc magnitudo virtutis et fortitudinis, quæ data est nobis præ cæteris, est *supereminens*. id est super alios manens, quia nobis excellentiora sunt data quam aliis, ut et illi post nos studeant ad virtutem alta proficere. Et ista magnitudo tam celsa est in nobis apostolis, *qui credidimus*, quia nos intensius et firmius credidimus quam alii. Et est desuper a Deo missa in nos, et hoc *secundum operationem potentiæ virtutis ejus*, id est secundum opus quod virtus Dei, id est vis Dei operata est. Virtus dico potentiæ, id est potens in omnibus. Vel nos credidimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, id est attendentes potentem virtutem ejus factam. Et quam virtutem ? Scilicet illam *quam operatus est* potenter *in Christo, suscitans illum* ita ut procul esset a mortuis, id est ut nunquam amplius moreretur, sed immortalitatis virtute permaneret. In hac enim operatione ostensa est nobis potentia virtutis ejus. Quem et constituit, id est simul secundum animam et corpus statuit *ad dexteram suam*, id est in potentiori dignitate sua positum *in cœlestibus*, præferens illum omni creaturæ. Dextera enim Dei æterna beatitudo est, quæ sanctis datur; sicut sinistra ejus recte dicitur miseria perpetua, in qua sunt impii. In cœlestibus est Christus, ut ejus dignitas etiam ex loco monstraretur. Et est etiam loco *supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem*, ut per hoc ostendatur esse majoris dignitatis et amplioris felicitatis ac beatitudinis, quam aliquis spiritus in his ordinibus, quoniam excelsior cœlis, id est spiritibus angelicis factus est. Isti enim quatuor ordines angelorum, et juxta librum Dionysii Areopagitæ de cœlesti hierarchia numerantur ascendendo. Principatus enim est sub potestate, potestas sub virtute, virtus sub dominatione. Super dominationem vero est ille ordo qui vocatur thronus, quia Deus in eo sedet. Cum ergo Christus super dominationem exaltatus dicitur, liquido demonstratur sedere in throno cum Patre. Principatus autem vocantur, qui ipsis quoque bonis spiritibus angelicis præsunt. Qui subjectis aliis, dum quæ sunt agenda disponunt eis ad explenda divina ministeria, principantur. Ex quibus unus (nisi fallor) apparens Josue, dixit se esse principem exercitus Domini (*Josue* v). Potestates vero dignioris potentiæ intelliguntur esse quam principatus, ut et subjectis ordinibus angelorum potenter præsint, et ad divinam contemplationem super se potenter extendantur. Virtutes autem dicuntur illi spiritus, [qui virtuti divinæ fortitudinis firmius cæteris assimilati, ad omnia quæcunque voluerunt, fortiter prævalent. Dominationes vero nuncupantur, qui nobilissimi in illa cœlesti curia sunt, et subjectis quibusque dominantur, atque possident eos ut Domini. Et super omnes istos exaltatus est secundum humanitatem suam Christus, qui est caput nostrum, ut et nos membra ejus usque ad istorum societatem et æqualitatem pertingamus. Unde et quod supradictum est, *ut sciatis quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus*, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, de nostra resurrectione intelligi potest, ut quemadmodum Christus magnifice resuscitatus est et elevatus in cœlum, sic et nos in fine sæculi pro modulo nostro magnifice resuscitemur, et ad cœlestia sublimemur. Mirabilis enim et supereminens, id est super omnes alios ex toto manens magnitudo virtutis in nos a Deo veniet, quando in ictu oculi resurgemus, et immutabimur (*I Cor.* xv), atque « rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum illo erimus (*I Thes.* iv). » Qui, ut dictum est, exaltatus est super omnes præfatos angelorum ordines, et super cæteros altiores. Et ut generaliter dicam, *super omne nomen*, id est super omnem ordinem vel personam magnæ famæ et magni nominis, *quod nominatur non solum in hoc sæculo*, ut Michael et Gabriel, *sed etiam in* alio *futuro*, ut quædam personæ beatorum spirituum majoris dignitatis in illo cœlesti regno, quarum fama et appellatio ad nos in terra manentes nunquam perveniet. Id est dignitas ejus superat dignitatem omnium majorum inter cœlestes creaturas, et non solum sublimavit eum Pater super omnes choros angelorum vel personas, sed etiam *omnia subjecit sub pedibus ejus* (*Psal.* viii). A similitudine dictum est. Nam, sicut qui submissus est, sub pedibus conculcatur et conculcanti resistere non potest, sic omnia imperio et potestati Christi subjecta sunt, et illi contraire non valent. Omnia subjecit, et ita ut sint sub, id est inferiora. Aliud,

Digitized by Google

sub, notat omnimodam subjectionem, scilicet quod nec audeant, nec possint contraire imperio ejus. Per pedes enim intelligimus humanitatem ejus, quia sicut pedes sunt inferior pars corporis nostri, sic humanitas est inferior natura Christi. Divinitas enim superior natura ejus est. Et hæc scientia de futuro accipienda est, quando in die judicii omnes cognoscent se subjectos ei, alii recipiendo præmium vitæ, alii patiendo sententiam mortis æternæ, *et ipsum* Dominum, qui tantus et tam potens tamque sublimatus est, *dedit* non ex merito nostro, sed sola sua gratia *caput super omnia* bona virtutum *Ecclesiæ*, ut ipse caput et fons esset omnium bonorum Ecclesiæ, vel supra omnia membra Ecclesiæ, ut ipse majorum et minorum fidelium caput esset. Vel, sicut in aliis libris habetur, supra omnem Ecclesiam, Judæorum scilicet atque gentilium, ut nullus ad Ecclesiam pertineret, qui hunc caput non haberet. Nam, sicut omnia membra humani corporis reguntur a capite, id est visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, ita omnes spirituales sensus Ecclesiæ sunt in Christo, ut in eo videat Deum, et audiat verbum ejus, et gustet quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII), et odorem notitiæ ejus attrahat, et spiritualiter eum tangat, dicens : « Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII). » Qui longe aliter est caput Ecclesiæ, quam princeps aliquis caput exercitus, quia illa *est corpus ipsius*. Unum enim sunt sponsus et sponsa, ut caput et corpus. Ecclesia dico, *plenitudo ejus*, id est plenarium corpus ejus, nullum enim membrum deest ibi, quod soleat esse in humano corpore, sed sunt ibi qui providentiis, ut oculi ; sunt qui ministrant, ut manus ; sunt qui loquuntur verbum salutis, ut os, et sic cætera membra. *Qui* Christus *adimpletur* non in se, quia sic plenus est et perfectus, ut non possit augmentari, sed *in omnibus* fidelibus suis. Et quid adimpletur ipse in eis? *Omnia* bona quæ sunt in eis, id est charitas, humilitas, patientia, castitas, et his similia. Hæc enim omnia Christus est in electis suis. Et dum hæc augentur in eis et multiplicantur usque ad plenitudinem, ipse nimirum adimpletur in eis. Qui et in futuro feliciter adimplebitur in ipsum, ut sit Deus omnia in omnibus. Vel adimpletur ipse nunc omnia in omnibus, dum membra ejus quotidie secundum quantitatem proficiunt; et dum defunctis his qui modo sunt in Ecclesia oculi vel os, succedunt alii pro eis; et sic de cæteris, ut integer maneat numerus membrorum, et secundum successionem semper crescat. Omnia prædicta valent ad confirmandum eos in fide Christi, ut credant cum verum hominem et Deum, perfectamque salutem dare credentibus. Sequitur :

CAPUT II.

« Et vos cum essetis mortui delictis et peccatis « vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum « sæculum mundi hujus, secundum principem « potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur « in filios diffidentiæ. In quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis « nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. « Deus autem, qui dives est in misericordia, propter « nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in « Christo, cujus gratia estis salvati, et conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo « Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus « abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super « nos in Christo Jesu. Gratia enim estis salvati per « fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est, « non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim « sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. »

Ingreditur Apostolus dissuadere et superfluas ostendere carnales observantias, quas prævidebat fore introducendas ab hæreticis, commemorat etiam priora mala, ut in bonis quæ prius perceperunt, humilientur ; et certum sit quia, si hæc inimicis data sunt, multo magis ampliora dabuntur amicis. Ne enim in tumorem ex bonis erigantur, ostendit de quo statu ad quam dignum vocati sunt, dicens omnia beneficia eis vel apostolis vel toti humano generi, per solam Dei gratiam esse data. Littera sic conjungitur : Suscitavit Christum a mortuis, et ad dexteram suam elevavit, et vos quoque conresuscitavit, et in cœlestibus consedere fecit. Sed istud inferius ubi dicit, Deus autem, qui dives est, ideo interposuit, ut dissuaderet carnales observantias, et illos humiliaret ex recordatione præcedentium culparum ; ac si diceret : Deus corporaliter suscitavit Jesum Christum a mortuis, *et* vos spiritaliter cum eo resuscitavit ab interna morte, *cum essetis mortui* in anima *delictis et peccatis* vestris. Sicut enim justitia est vita animæ, sic peccatum mors ejus. Delictum nonnulli volunt accipere secundum consensum malæ voluntatis, et peccatum secundum exsecutionem operis, vel delictum est, quando aliquis facere negligit, quod a Deo præcipitur ; peccatum, quando præsumit agere quod prohibetur. Vos mortuos delictis et peccatis gratis Deus vivificavit. Hoc multum valet ad dissuasionem carnalium observantiarum, quia si de morte animæ ad vitam non illis observantiis, sed gratia duce pervenere, non est ratio ut post acceptam vitam his indigeant. Mortui eratis, quia *aliquando*, id est ante conversionem vestram *ambulastis* in illis delictis et peccatis. Et ambulastis in illis de alio ad aliud, *secundum sæculum hujus mundi*, id est sequendo et imitando sæculares homines ista mundana appetentes. Vel secundum malitiam sæculi hujus mundi, qui totus in maligno positus est (*I Joan.* V), ambulastis. Nam superior mundus, id est regnum cœlorum, habet aliud sæculum, in quo regnat justitia, vel secuti hoc sæculum, quia sicut in hoc sæculo succedit tempus tempori, ita semper in vobis succedebat peccatum peccato; et ita

Digitized by Google

parabiles sæculo fuistis in continuata serie peccatorum. Sæculo dico, hujus corruptibilis et caduci mundi, cujus sectatores diversis vitiis assidue corrumpuntur, et cito decidunt in interitum. Nec solummodo secundum hoc sæculum ambulastis in via iniquitatis, sed etiam, *secundum principem potestatis aeris hujus*, id est secundum quod suadebat vobis princeps, qui in hoc aere potestatem habet vel infideles tentandi, vel ipsum commovendi. Secundum hunc iniquitatis principem ambulant, qui secundum voluntatem ejus peccant. Qui est princeps potestatis aeriæ, quia principatur exercitui dæmonum, qui sunt potestas aeris, quia possunt in eo discurrere, et suggestiones hominibus ministrare; vel quia ipse Satanas in hoc eodem caliginoso aere, vicino terris, potestatem habet, ut diximus, volitandi ad suadendum mala, sive commovendi aliquoties tempestates ad incommoda hominum, sicut fecit adversum Job (*Job* I, II). Et quis est iste princeps? *spiritus*, id est non carnalis substantia, sed incorporea. Per hoc quoque innuitur, quia multum erant in peccatis, quoniam spiritus, id est res invisibilis a quo nesciebant cavere sibi, eos impugnabat. Periculosius enim impugnatur homo re invisibili quam visibili, quia si hostem videret, sibi fortasse caveret. *Qui* spiritus *operatur in filios diffidentiæ*, id est in illos qui volunt tenere carnales observantias, qui diffidunt de Christo, non credentes eum sufficere ad justitiam et salutem, nisi et carnales observantias superadjiciant. Ob hoc dicuntur filii diffidentiæ, quia diffidentia infidelitatis genuit eos in tali errore, id est fecit eos diffidere. In quibus operatur diabolus ut diffidant a Christo et carnales cæremonias quærant *nunc*, id est post adventum Christi, qui vera lux est, et umbram veterum observantiarum exhibitione veritatis removit. Ac si dicatur : Quandoquidem malignus hæc operatur, etiam postquam Veritas apparuit, id est opus illius est adhuc facere diffidere, videte ne forte vos diffidatis. Et hoc valet ad propositum. Nam si, cum adhuc tanta ac tali multiplicitate peccatorum irretiti erant, liberati sunt sola gratia, non carnalibus observantiis, patet, quia post liberationem superflue eas tenerent. Vel in filios diffidentiæ, id est in illis qui propter sua multa peccata diffidunt de æternis bonis, et desperant de salute sua, operatur diabolus nunc, id est postquam de manu ejus erepti fuerant. Vel ideo vocantur filii diffidentiæ, quia de eorum salute diffidit mater Ecclesia, considerans in eis operationem nequissimi spiritus. Ne autem viderentur Ephesii ideo fuisse tam gravibus irretiti peccatis, quia carnalibus observantiis non studuerant, ostendit etiam servientes illis cæremoniis similiter implicitos fuisse peccatorum multitudine. Et hoc est : *In quibus* delictis et peccatis non solum vos, qui non habetis carnales observantias, sed *et nos* qui illas custodiebamus, et illi qui modo sunt tanti apostoli, nos, inquam, *omnes conversati sumus*, id est per omnia genera vitiorum versati sumus *aliquando*, id est ante conversionem nostram *in desideriis carnis nostræ*, id est in concupiscentiis ejus. Et eramus *facientes voluntatem carnis*, id est opere complebamus, quod carnalitas nostra exigebat secundum libidinem et crapulam, et cætera quæ ad delectationem carnis attinent, et voluntatem *cogitationum* faciebamus, secundum iram et superbiam et ambitionem et cætera vitia, quæ in corde sunt, et non in delectatione corporis. Si vero carnis nostræ sic legatur (219), ita dico nos fuisse in delictis, quando manebamus in desideriis carnis nostræ, id est in vehementia concupiscentiæ, ministratæ a carne, plus voluit in desideriis notare, quam concupiscentiam, id est multiplicem et omnimodam vehementiam concupiscentiæ quam per legem incurrerunt. Unde Romanis ait : « Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris (*Rom.* VII). » Et item : « Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam (*ibid.*). » Et propterea de maledicto mortis venientes *eramus filii iræ*, id est filii ultionis, filii gehennæ, et hoc *natura*, id est originali peccato, *sicut et cæteri* qui legem non acceperant. Nam cum ira Dei nascuntur omnes mortales, et peccante primo homine, vitium pro natura inolevit. Sed per Dei gratiam nonnulli de filiis iræ fiunt filii adoptionis, quod per legem non valet fieri; ideoque Judæi carnales licet haberent legem, nihilominus filii iræ manebant sicut nati fuerant, quemadmodum et cæteri populi terrarum qui sine lege erant. Et per hoc voluit innuere, legem nihil posse ad peccatorum alleviationem, cum ipsi qui observabant legalia præcepta, debiti essent iræ Dei, sicut et alii qui mandata legis ignorabant. Hoc enim de lege sola sine adjunctione gratiæ dicitur. Quod totum ad gratiæ commendationem valet, et sic ad carnalium observationum destructionem, quia, cum essent mortui multiplicitate peccatorum, serviendo etiam illis cæremoniis, gratia Dei eos convivificavit, quod lex facere non potuit. Vos eratis mortui, et nos similiter, et eramus ex natura vitiata filii iræ; sed *Deus, qui dives est in misericordia* (*Rom.* V), quoniam secundum largas misericordiæ suæ divitias omnia peccata et originalia et actualia per baptismum remisit, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia *propter nimium charitatem suam* erga nos summam, id est omnium sensum superantem, cum ipse Filium sibi coæternum faceret incarnari et mori, *qua dilexit nos Deus, cum essemus* spiritaliter *mortui peccatis, convivificavit nos in Christo*, id est vivificavit nos cum Christo secundum remissionem peccatorum, et innocentiam atque virtutum consummationem; hoc est, sicut Christo perpetuitatem vitæ in æterna beatitudine attribuit, sic nobis largitus est veram vitam innocentiæ et

(219) Locus obscurus.

Digitized by Google

justitiæ. *Cujus* Christi *gratia* vos Ephesii et alii gentiles *salvati estis*, sicut et nos secundum remissionem, et innocentiam et justitiam. Et non solum convivificavit nos, sed etiam *conresuscitavit*, id est spe cum Christo jam resuscitavit, ut quemadmodum Christus est resuscitatus, sic nos spei certitudine exspectemus resuscitandos, et etiam *fecit* nos *consedere*, id est spe cum Christo sedere ut judices in æterna beatitudine, et hoc *in cœlestibus* locis, vel inter cœlestes essentias. In sessione enim designatur judicium, quia sedere solet qui judicat. Faciet ergo nos sedere cum Christo, quia faciet judicare cum illo. Imo cum eo jam nos resuscitavit, et cum eo sedere fecit in cœlestibus, quia, quamvis corpus nostrum nondum ibi sit, tamen spes nostra jam ibi est. Et hoc totum *in Christo Jesu*, id est in potentia et virtute et gratia ejus. Hæc omnia multum valent ad intentionem, quia, cum hæc universa det sola dives gratia, frustra post hæc inducuntur carnales observantiæ. Ideo sua prædestinatione et nostra spe nos fecit jam consedere, *ut ostenderet in sæculis venientibus super* ista temporalia sæcula, id est in sæculis æternitatis, vel in sæculis, quæ post nos in hoc sæculo venient, *abundantes divitias*, id est æternam beatitudinem, quæ adeo dives erit, ut ibi nulla re quis indigeat, vel donationem beneficiorum suorum abundanter divitem et copiosam, divitias dico *gratiæ suæ*, id est propter gratiam suam datas, et hoc *in bonitate* sua, non in consideratione meritorum nostrorum, « quoniam melior est misericordia ejus super vitas (*Psal.* LXII). » Et tantæ ejus divitiæ erunt *super nos*, id est multo majores quam digni sumus accipere. Vel super nos erunt, id est omnem intelligentiæ nostræ capacitatem exsuperabunt, quia tam magnæ et tales erunt, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis excogitavit (*I Cor.* II). Tantum enim dabitur, quantum mens investigare non potest. Quis enim intellectus capere sufficiat illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Et hæc omnia dantur *in Christo Jesu*, id est in potentia et gratia et largitate Christi. Ad quid igitur post hæc carnales observantiæ inducerentur? Vere gratia Dei largas habet divitias, nam *gratia ejus estis salvati* et mundati a peccatis, et hoc *per fidem*, id est fide interveniente, quia credidistis vos gratia posse salvari. Et tamen *hoc non* est *ex vobis*, sed ex vocante Deo, quia ex auditu Evangelii accepistis fidem. *Dei enim donum est* ipsa fides, vel vocatio vestra, et non partim, sed pure donum Dei, quia *non ex operibus vestris*, id est non est ibi admistio operum, *ut ne quis glorietur* quod fidem habeat ex operibus vel sine gratia salvatus sit propriis operibus. Hic videtur Apostolus innuere quod de operibus isti gloriarentur, non de gratia Dei. Sed ille maxime vult de suis operibus gloriari, qui per carnales observantias fidem et justitiam petit, vel se accepisse putat. Et vere gratia salvati estis, non ex operibus vestris, quæ ex vobisipsis habetis, sed tantum his operibus, in quibus vos fecit, id est formavit et creavit (*Gen.* I). Et hoc est: *Ipsius enim sumus factura* et nos et vos, *creati in Christo Jesu in operibus bonis*, non illa creatione, qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique jam homo erat: « Cor mundum crea in me, Deus (*Psal.* L). » Et Apostolus iste novam creaturam alibi laudat (*Galat.* VI). Facti ergo sumus et creati in operibus bonis, quia restitutione liberi arbitrii data est nobis libertas bene operandi, id est facti sumus habiles ad bene operandum. Et hoc factum est *in Christo Jesu*, id est in gratia ejus, non in merito nostro. *Quæ* opera bona *Deus* prædestinando *præparavit* præveniens arbitrium nostrum. Omne namque bonum a gratia Dei sumit originem. Et ita præparavit, ut in illis ambulemus, id est promovemur et proficiamus de bono ad melius. Et quia his modis nos salvavit, manifestum est nos gratia ejus esse salvatos. Et si gratia ejus sumus salvati, tunc frustra carnales observantiæ superinducuntur.

« Propter quod memores estote quod aliquando « vos gentes eratis in carne, qui dicimini præputium ab ea dicitur circumcisio in carne manu« facta, quia eratis illo in tempore sine Christo, « alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et « sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo « Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis « prope in sanguine Christi. »

Contulerat Judæos et gentes quod utrique fuissent sub peccato. Nunc ostendit gentes fuisse indigniores et improperia Judæorum perpessas, ut modo æquales Judæis, magis sint obnoxii gratiæ Dei. Ac si dicat: Quando quidem factura Dei estis, creati in operibus bonis, ergo nolite oblivisci de quanta vilitate vitiorum ad quantam sublimitatem virtutum Deus vos promovit, ut majorem gratiarum actionem ei referatis pro tantis beneficiis quæ vobis contulit. Et hoc est: *Propter quod*, id est quia de malis vos eripuit Deus et bonis ditavit, *estote memores, quod aliquando*, id est ante conversionem olim *vos eratis gentes*, id est quales geniti fueratis; nec solum secundum originem, sed etiam *in carne*, id est secundum carnem, hoc est secundum carnis voluntatem et carnis appetitum, quia faciebatis omnia, quæ carnis voluptas suggerebat. Vos dico, qui in tantum eratis peccatores, ut a peccatrice gente Judæorum despiceremini, objicientes vobis vos esse præputium, id est præputiatos. Et hoc est: *qui dicimini*, id est qui vocamini hoc nomine opprobrii, quod est, *præputium*, quia secundum illam partem viri magis ad delectationem carnis incenduntur, et libidine punguntur atque immunditia polluuntur, et hoc *ab ea* plebe, *quæ* peccatis est plena, sed tamen *dicitur* vere esse *circumcisio in carne*, non in spiritu; et *manufacta*, non a Deo. Sola

Digitized by Google

namque caro amputabatur, non cordis prava cogitatio. Et merito despiciebamini, *quia eratis illo in tempore* in nequitia notabili, *sine Christo*, id est sine Christi fide vel notitia. Et eratis *alienati* et separati *a conversatione Israel*, id est Judaici populi, quia dedignabantur vos secum habitare. Et eratis *testamentorum hospites*, id est si quis vestrum veniebat ad Judaismum, ut hospes et advena accipiebatur in lege, et vilis inter Judæos reputabatur. Legem dicit pluraliter testamenta propter multiplices promissiones suis cultoribus factas, et quia in Veteri Testamento continebatur Novum. Vos dico *non habentes ante spem promissionis*, id est de nulla promissione sperantes, quia nec ea sperabatis quæ promissa sunt Abrahæ (*Gen.* XXII), nec ea quæ promissa sunt David (*Psal.* CXXXI), vel cæteris patribus, et ideo non erat vobis spes illius divinæ promissionis, quia eratis *sine Deo*, id est sine Dei Patris notitia *in hoc mundo*, tam malo, qui totus in maligno positus est (*I Joan.* V). Quod nunc dicit, sine Deo, id est sine Dei Patris agnitione et gratia, hoc est quod dixerat, sine Christo, id est sine Christi notitia et gratia, quia quisquis ignorat Patrem, ignorat et Filium; vel quisquis non habet Filium, nec Patrem habet; et qui unum habet, habet et alium. Olim tales fuistis, *sed nunc*, id est post acceptionem gratiæ *in Christo Jesu*, id est in potentia et largitate Christi, *vos qui aliquando*, id est ante conversionem, eratis *longe* a Deo, non corpore, sed corde et meritis, *facti estis ei prope* vel omnibus supradictis, a quibus longe eratis, et hoc *in sanguine Christi*, id est in vi effusionis sanguinis Christi. Ille enim sanguis tantæ efficaciæ fuit, ut per illum hæc omnia possent haberi. Qui nisi emanasset, nihil prædictorum bonorum nobis contigisset. Omnia hæc accepistis cum in potentia Christi Jesu, tum in efficacia fusi sanguinis ejus, et non in carnalibus observantiis. Si ergo tunc cum tam multipliciter essetis remoti a Deo, ut notatum est, non indiguistis carnalibus observantiis, sed sola gratia salvati estis in gratia et sanguine Christi, multo minus modo, cum jam recepistis vestram salvationem. Solus itaque Christus vobis est tenendus firmiter et amandus, qui vos de tantis malis eripuit, et Hebræis fidelibus pares et socios fecit.

« Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque « unum, et medium parietem maceriæ solvens in- « imicitias in carne sua, legem mandatorum de- « cretis evacuans, ut duos condat in semetipsum, « in unum novum hominem, faciens pacem, ut re- « conciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, « interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens « evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et « pacem his qui prope, quoniam per ipsum ha- « bemus accessum ambo in uno Spiritu ad Pa- « trem. »

Vere sanguis Christi Deo vos proximos fecit in Israelitis atque testamento et promissionibus quia *ipse* Christus *est pax nostra*. Id est qui nos Deo et angelis pacificavit, et qui Judæos et gentes diversis ritibus discordantes fecit in fide concordes. Pax enim pacatos facit, sicut justitia justos. Pax nostra ipse est, *qui utraque fecit unum*, id est Judaicum populum et gentilem fecit unanimes in fide et cultura unius Dei et moribus. Et quomodo hoc fecerit, subditur : *Medium parietem maceriæ solvens*, parietem intelligitur vocare circumcisionem, quæ dividebat Judaicum populum a gentili. Sicut enim paries medius dividit locum a loco, ita circumcisio separabat populum a populo. Qui paries in adventu Christi facta est maceria, quoniam circumcisio quæ ante ejus adventum evacuari non poterat, postquam ipse venit, facile fuit ut destrueretur. Maceria quippe quasi macra series dicitur. Est enim maceria congeries lapidum, ubi nulla cæmenti colligatio est, quæ levi pulsu ruinam patitur. Paries autem vocatur series lapidum cæmento colligata et constricta, quam dejici non est facile. Sic circumcisio præcepto Domini firmata usque ad tempus correctionis, non poterat evacuari, sed tempore correctionis voluntate Dei debilitata, ruinæ subjecta fuit. Et bene posuit, solvens parietem, quia circumcisio quæ ante adventum Christi ligata erat ligamine præcepti, in adventu ejus soluta fuit, nullo jam præcepto eam cogente fieri. Nec solum circumcisionem solvendo fecit utraque unum, sed etiam solvendo *inimicitias in carne sua*. Inimicitias vocat idololatriam. Judaicus enim populus inimicabatur gentili idolis servienti, et gentilis Judaico idola contemnenti. Et recte vocavit idololatriam inimicitias, et non parietem, circumcisionem vero parietem. Circumcisio enim ante tempus correctionis fuerat in ædificio legis justitiæ, quia præceptum erat in lege, ut circumcisio fieret; at idololatria nullo modo unquam in ædificio Dei fuit, quia Deo semper contraria fuit. Destruxit inimicitias, et hoc in carne sua, id est per incarnationem suam, scilicet quia incarnatus est, ideo evacuata est idololatria. Postquam enim carnem assumpsit; discipulos elegit qui doctrina veritatis gentes illuminarent. Et proprie dictum est, solvens idololatriam, quia gentilibus astricta et ligata erat vinculo usus. Vel obstaculum legis vocatur paries, quia legales observationes erant quasi quidam paries disjungens gentes a Judæis. Paries dico maceriæ, id est qui facile destrueretur veniente gratia. Erat autem medius hic paries, ut neuter populus alteri concordaret. Stante enim hoc pariete, erant inimicitiæ, ira et invidia inter eos. Ideoque destruendus erat, ut inimicitiæ destruerentur. Et hoc factum est in carne Christi assumpta vel immolata, qui in carne apparens, et a mortuis resurgens, omnem legem cessare fecit, et ablato omni obstaculo et dissensione, utrumque populum in sua fide conjunxit. Vel paries erat obscuritas legis et prophetarum, obstruens nobis viam vitæ, et medium se inter nos et Deum objiciens. Christus carne et passione sua solvit medium parietem et maceriam, id est obscuritatem veterum prophetarum, et

Digitized by Google

omnis antiquæ legis aperuit sacramenta, et dissipata incedendi difficultate, viam oculis omnium revelavit, ut qui vult ad Deum pergere, nullo impediatur obice, nec obscuritatis caligine terreatur. Unde eo in cruce spiritum emittente velum templi scissum est medium, et Sancta sanctorum omnibus patuerunt. Idem enim significat illud velum quod et iste paries. Sed et inimicitias quæ inter nos et Deum erant, solvit in carnis suæ sacrificio Christus. Et hæc omnia fecit, *evacuans*, id est destruens et annihilans *legem mandatorum*, id est aliarum carnalium observantiarum, præter circumcisionem, quia de illa jam dictum est. Et bene carnales observantiæ dicuntur mandata, quia non erant stabiles, sed mutabiles; sicut illa quæ mandantur, possunt et solent permutari. Evacuans dico, et hoc suis *decretis*, id est impermutabilibus statutis, ex ratione firmiter factis, scilicet præceptis Novi Testamenti, cui succedit aliud testamentum. Decretum solemus dicere, quod a Deo ratum et autorisabile, ut non sit fas illud permutari. Quia ergo illa erant mandata, id est transitoria, et ista decreta, id est stabilia, merito illa, id est carnales observantiæ evacuantur, istis id est præceptis Novi Testamenti. Ubi enim baptismum et fidem suadet Novum Testamentum, ibi evacuatur secundum carnales cæremonias Vetus Testamentum. Et hoc totum, scilicet solvere inimicitias, evacuare legem, fecit ipse, *ut duos* populos prius per legem divisos *condat*, id est conjungat in tantum, ut eant ambo simul *in semetipsum*, id est in Christum, videlicet ut ambo tendant pariter *in unum novum hominem* qui Christus est, ut unitatem et novitatem in ipso habeant, et conformitatem ejus simul teneant. Ipse dico, *faciens pacem*. Inter eos destructis inimicitiis, ut alius non inquietet alium, sed diligat ut seipsum. Pax enim, id est remotio inquietationis, est gradus quo pervenitur ad unionem dilectionis. Quod dicit faciens pacem, diversum est ab eo quod superius dixit: « Ipse enim pax nostra, » quia illud declarat eum esse ipsam pacem, quæ pacificat discordantes; hoc autem quod dicitur, *faciens pacem*, notat illum esse mediatorem et auctorem pacis. Et iterum ad aliud ponitur. Nam illud, id est esse pacem, ad hoc ponitur, ut demonstret illos qui longe erant, factos esse prope in Christo Jesu; faciens vero pacem, ad hoc, ut ostendat quo gradu ad charitatem perveniatur. Et quod dicit, ut duos condat populos in semetipsum, diversum ab eo quod posuit, qui fecit utraque unum, quod intelligimus secundum fidem; condere autem duos in semetipsum, accipimus secundum charitatem. Ostenso itaque quomodo Christus utrumque populum sibi invicem conjunxit, venit consequenter ostendere quomodo utrumque reconciliavit Deo. Quasi dicat: Ita conjunxit duos in semetipsum, *ut reconciliet Deo* Patri *ambos* positos *in uno corpore* Christi, quod est Ecclesia. Et hoc fecit *per crucem*, id est crux fuit via, qua perventum est ad reconciliationem. Nisi enim Christus A se hostiam Patri obtulisset in cruce, nostra reconciliatio ad Deum facta non fuisset. *Interficiens inimicitias in semetipso.* Ac si dicatur: Cum per crucem nos reconciliaret Deo, non fecit hoc per crucem quam alius passus sit; sed ita, ut interficeret, id est deleret inimicitias quas Deus juste culpa primi parentis et nostrorum reatu peccaminum in nos habebat; et hoc faceret non in alieno corpore videlicet prophetæ vel apostoli, sed in semetipso. Ipse enim pro nobis Deo satisfecit, sustinendo passiones et opprobria vice nostri, quas nos merito pati deberemus. Et quia per eum inter nos et Deum facta est reconciliatio, frustra igitur post hæc observabuntur carnales cæremoniæ. Et non solum pacem facit in cruce, sed et antequam crucem ascenderet, B veniens, id est in carne apparens, *evangelizavit pacem*, id est bene nuntiavit ore proprio *vobis* gentibus, *qui longe* ab eo *fuistis*, id est recessistis in idololatriam, et *pacem his qui prope* erant, id est Judæis, quia unum Deum colebant. Hanc enim pacem evangelizavit, cum diceret: « Alias oves habeo, » etc., usque, « et unus pastor (*Joan.* x). » Et item: « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* xiv). » Jure enim pacem nobis ad invicem nuntiavit et ad Deum, *quoniam per ipsum habemus ambo* populi *accessum*, id est facultatem accedendi ad Deum *Patrem*, et hoc *in uno spiritu*, id est in unanimi voluntate fidei et religionis atque charitatis, ut sit nobis cor unum et anima una (*Act.* iv). Vel in uno C spiritu, id est in Spiritu sancto, qui unus atque idem est, licet varia dona distribuat. Ad Patrem accedimus secundum conformitatem bonitatis ejus, et in futuro secundum participationem beatitudinis illius. Et cum hæc omnia facta sint per Christum et sint, cur amplius carnales observantiæ inducentur?

« Ergo jam non estis hospites et advenæ: sed « estis cives sanctorum et domestici Dei, super- « ædificati super fundamentum apostolorum et pro- « phetarum, ipso summo angulari lapide Christo « Jesu. In quo omnis ædificatio constructa crescit « in templum sanctum in Domino. In quo et vos « cœdificamini in habitaculum Dei, in Spiritu « sancto. »

Quandoquidem vos gentiles unum cum Judæis in D Christo facti estis, et Deo pariter reconciliati, *ergo jam* a tempore fidei *non estis hospites* Testamentorum *et advenæ*, sicut olim eratis. Hospites enim et advenæ erant gentiles inter eos qui Testamenta habebant, vel quia ad tempus more hospitum veniebant et recedebant, vel quia si qui eorum ad Judaicum ritum convertebantur, advenæ, id est proselyti vocabantur. Hospites enim sunt in transitu. Sed jam isti non erant hospites Testamentorum, quia non in transitu et recessu videbant ipsa Testamenta, sed assidue morabantur et exercebantur in eis, et prout decebat, observabant ea. Advenæ autem dicuntur, qui cum non sint indigenæ morantur tamen in loco unde non sunt indigenæ. Sed isti postquam effecti erant unum cum illis, igitur qui quasi indigenæ

Digitized by Google

Testamentorum erant, non jam alienigenæ sed indigenæ reputabantur, ut ipsi cum his, cum quibus erant, essent unum, quoniam ita quasi naturaliter habebant Testamenta, ut illi qui in primis habuerant ea. Gratia enim divina utrisque æqualiter Novum Testamentum præbuit, sed et Vetus juxta spiritale sensum, et gentiles ideo quoque non erant jam advenæ in Testamentum, sed indigenæ, quia regenerati erant ex baptismo, qui prædicatur in utroque Testamento. In uno enim dicitur: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech.* XXXVI); » in alio: « Ite, baptizate omnes gentes (*Matth.* XXVIII). » Non estis jam hospites Testamentorum id est peregrini vel indigniores Hebræis in fide, sicut olim recepti in lege; et advenæ, id est alieni et exsules; *sed estis cives sanctorum*, id est ejusdem juris et dignitatis in civitate Dei; cives non carnalis Israel, sed sanctorum, quia cum sanctis unam incolitis civitatem, quæ est Ecclesia. Habetis enim communionem cum sanctis in omnibus sacramentis Ecclesiæ, qui olim fuistis alienati a conversatione Israel. Nec solum cives sanctorum estis, sed *et domestici Dei*, id est familiares et amici Dei in domo ejus, secundum multam perfectionem scientiæ et virtutum, et secundum multam dilectionem quam ipse erga vos habet. Domesticos enim suos familiarius diligit, et arcana secretorum suorum eis revelat ut amicis, atque dona largitur amplissima. Nunc estis domestici Dei, qui olim eratis sine Deo, vos dico *superædificati* in ædificio Dei *super fundamentum apostolorum et prophetarum*, id est super fidem Christi, super quam primo fundati sunt apostoli et prophetæ. Christus enim fundamentum est totius divini templi vel divinæ civitatis, quia ex eo et ex ejus fide et gratia inchoant omnia bona, et ipse totum spiritale portat ædificium. Ipse ergo est fundamentum apostolorum et prophetarum, quia super illum incumbunt et firmi permanent apostoli et prophetæ qui totam deinde fabricam sancti ædificii portant. Ipse est fundamentum, id est fides ejus est prima firmitas, et initium ac sustentaculum omnis ædificii virtutum ac bonorum operum. Super quam fidei firmitatem innitentes, superædificati estis in bonis operibus, id est ad altiora provecti in crescendo de virtute in virtutem. Et hoc factum est in *ipso summo angulari lapide*, scilicet *Christo Jesu*, qui duos in se populos quasi duos parietes conjungit, et fortitudo est totius ædificii. Qui ita est angularis lapis, ut non solum sit fundamentum ipsius ædificii, id est non solum sit in inferiori parte, sed etiam sit summus in ipso ædificio. Ita est summus iste lapis, ut non possit alius lapis angularis huic superaddi. Illi enim volunt huic superponere alium angularem lapidem, qui carnales observantias quærunt superaddere, et eas contendunt ad salutem valere. Sed nihil potest huic superponi. Ipse enim inferius est lapis angularis secundum fidem, ipse est et summus secundum justitiæ consummationem. Vel ideo est summus lapis, cum sit fundamentum, quia origo fundamenti hujus summitatem tenet. Et sicut fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritalis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Quia vero cœlestis fabrica est, ad cœlos præcessit fundamentum nostrum. *In quo* fundamento, in quo lapide summo *omnis ædificatio* tam Judæorum quam gentilium, constructa secundum fidem et sacramentorum perceptionem, atque secundum innocentiam et justitiam, *crescit* in virtutibus proficiens, quia nemo tam perfectus est, qui non possit crescere. Crescit unusquisque electorum et major et minor, quandiu est in hac vita. Neque enim ad ædificium electorum pertinet, licet Christianitatis vocabulum habeat, qui crescere in bonis et augmentari non studet. Omnis enim ædificatio tam singularum personarum fidelium, quam singularum virtutum, constructa in Christo, crescit assidue eundo et proficiendo *in templum sanctum*, id est ut fiat sanctum et mundum Dei templum, et hoc totum *in Domino*, id est in operatione Domini, quia Dominus hoc agit, non aliqua carnalis observantia. *In quo* Christo non solum Judæi ædificantur, sed *et vos* gentiles *coædificamini*, id est æque ut Judæi ædificamini cum eis secundum justitiam, et in tantum, ut eatis *in habitaculum Dei*, id est ut efficiamini domus et sanctuarium Dei, et hoc *in Spiritu sancto*, id est in operatione Spiritus sancti, et non in carnalibus observantiis.

CAPUT III.

« Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu « pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensa- « tionem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis, « quoniam secundum revelationem notum mihi « factum est sacramentum, sicut supra scripsi in « brevi, prout potestis legentes intelligere pruden- « tiam meam in mysterio Christi, quod aliis gene- « rationibus non est agnitum, filiis hominum, « sicuti nunc revelatum est sanctis apostolis ejus « et prophetis in Spiritu, esse gentes cohæredes « et concorporales et comparticipes promissionis « in Christo Jesu per Evangelium, cujus factus « sum ego minister secundum donum gratiæ Dei, « quæ data est mihi secundum operationem virtutis « ejus. »

Hujus rei gratia, id est pro hac re grata mihi, scilicet ut vos coædificemini, vel pro gratia Dei implenda in hac re (*I Cor.* XV), *ego Paulus vinctus sum*. Et ponit per quæ ipsi sunt coædificati, quia scilicet Deus revelavit illi salutem ad gentes pertinere, et misit illum eis prædicare, et facit pati pro illis, ut magis sint Deo grati. Ego Paulus vinctus *Christi Jesu*, id est pro servitio et nomine Christi, vel in potestate et voluntate ejus ego vinctus sum, quia quando voluerit, me dissolvet. Vel ego vinctus pro Evangelio sum Christi, non diaboli, ut illi qui pro suis criminibus tenentur in vinculis. Vinctus Christi sum, et hoc *pro vobis gentibus* quibus viam salutis

Digitized by Google

prædicabam; vel pro vobis, quia quod sum vinctus Christi, tendit ad utilitatem vestram, id est vobis est utile. Meritum enim pastoris provectum confert gregi. Tunc Romæ tenebatur Apostolus in carcere. Quia vero meritum pastoris non proderit ovibus, nisi se habeant prout religio Christiana exigit, supponit. *Si tamen audistis* aure cordis, id est si intellexistis *dispensationem qratiæ Dei*, id est apostolatum mihi dispensatum a Deo, qui scit cur me ad hoc officium elegit. Vel dispensationem, id est officium dispensandæ et prædicandæ gratiæ Dei, id est gratuiti beneficii Dei omnibus impensi. Si intellexistis dispensare gratiam Dei, id est si intellexistis gratuita ejus dona quæ vobis dispensavi, scilicet remissionem peccatorum innocentiam, virtutes, charismata, scientiam, fidem, doctrinam et his similia, vobis a Deo gratis esse collata, non aliquo merito, neque carnalibus observantiis. Si enim hæc gratis divinitus dari non creditis, non estis in fide sana. Et si fidem sanam non habetis, nihil vobis meritum meum valebit. Ac si dicatur : Quod sum vinctus, vobis proderit, si intelligitis quod vobis dispensavi esse gratuitum donum Dei, ut nihil meritis vestris ascribatis, nèc in carnalibus observantiis fiduciam ullam ponatis. Quod posuit, audistis, et non credidistis, ideo fecit, ut innuat istud usque adeo aptum et vicinum rationi, ut non solum fide sit dignum, sed etiam intellectum. Vere dispensatio est gratuitum donum Dei, id est gratis collatum vobis, quia ipsa dispensatio *data est mihi*, id est ipsum officium dispensandi est mihi datum, et hoc *in vobis* convertendis et ædificandis, id est ut vos per meam dispensationem converteremini, et in ædificio Dei constitueremini. Vel ipsum officium dispensationis meæ jam est hærens in vobis, quod vos aure cordis et interiore vestro auditu jam recepistis ex gratia Dei. Et si ego dispensationem non habeo nisi ex gratia, tunc patet quia vos notitiam Dei et remissionem peccatorum atque justificationem et cætera quæ vobis dispensavi, non habetis nisi ex sola gratia. Post hæc ponit rationem ad idem ostendendum, quod scilicet gratis habeat hoc quod eis dispensat, et hoc per medium. Nam ubi se gratis habere ostendit, et quod similiter gratis habeant, eos convincit. Ac si dicat : Gratis est mihi data dispensatio, *quoniam secundum revelationem* divinam non secundum humanam doctrinam, neque secundum vires meas, *factum est mihi notum sacramentum*, id est quoddam Dei occultum est mihi divinitus revelatum, hoc est non obscure, sed aperte intimatum; nec habeo hujus rei plus notitiæ, nisi inquantum mihi Deus revelavit et detexit, id est nihil habeo ex me, sed totum ex sola gratia. Et si ego quidquid vobis dispenso, ex gratia habeo, tunc et vos ex gratia totum habetis. Dei bonitas mihi revelavit sacramentum, id est quoddam mysterium multis hominibus occultum, scilicet quod vos gentes essetis incorporandæ Judæis in unitate fidei, et eamdem gloriam habituræ quam Judæi. Notificatum est mihi a Deo sacramentum, et hoc *sicut supra scripsi in brevi*, id est ita mihi manifestatum est divinitus, ut superius posui, cum dicerem, ipse est enim pax vestra qui fecit utraque unum, et cætera quæ ibi breviter dicta sunt de mysterio Christi et societate utriusque plebis. Id est nihil supra scripsi tunc de mysterio, quod non sit mihi per spiritum prophetiæ revelatum a Deo, id est quod non habeam a gratia Dei. Notum factum est mihi, *prout potestis legentes intelligere*, id est inquantum vos attente studio seque legentes potestis animadvertere in prædicta littera. « Ipse est enim pax nostra, » etc. *Prudentiam meam*, id est sapientiam et peritiam, quam ego habeo super *mysterio Christi*. Hoc est in tantum mihi notificatum est mysterium, in quantum prædicta littera ostendit me habere prudentiam de mysterio Christi, id est in quantum mittit studentes ad intelligendum illud mysterium. Per litteram enim illam, licet nos ignoremus, ad multiplicem tamen intellectum de mysterio Christi duci possumus. Aliter enim forsitan posset exponere litteram illam beatus Hieronymus, et aliter Ambrosius, atque aliter magnus Augustinus; et secundum omnem intellectum, qui inde potest fieri, id est de illo Christi mysterio, notificatum est Apostolo. Hoc totum tale est, ac si breviter dicat: In tantum notificatum est mihi sacramentum, in quantum, id est quam multipliciter potest intelligi in scriptura illa quæ est : « Ipse est enim pax nostra, » etc. Hoc ideo dixit, ut per hoc commendaretur auctoritas sua; et commendata auctoritate, majorem fidem exhiberent doctrinæ suæ, mandata legis dissuadenti. Quod sacramentum vel mysterium non *est agnitum*, id est vicine notum et plene *filiis hominum*, id est rationalium, hoc est vel carnalibus vel spiritualibus filiis patriarcharum et prophetarum in *aliis generationibus*, id est in præteritis temporibus. Licet enim antiqui sancti scirent gentes ad fidem venturas, tamen nescierunt quod ad eamdem vitæ sublimitatem et gloriam forent venturæ, ad quam Judæi culturam habentes unius Dei. Sed, et hoc latuit eos, quia sine lege forent salvandæ. Non est illis agnitum ita plenarie hoc mysterium, *sicut nunc* id est inquantum tempore gratiæ *revelatum est* illis quibus debuit, id est *sanctis apostolis ejus*, qui hoc prædicare missi sunt, *et prophetis* sub nova gratia, ex quibus fuit Agabus (*Act.* II), et hoc relatum est illis *in Spiritu* sancto, id est per Spiritum sanctum. Et quid sit hoc mysterium, subditur, scilicet *gentes esse cohæredes*, id est simul cum Judæis unam hereditatem in cœlo habituras, *et concorporales*, id est simul cum eisdem Judæis in uno corpore Ecclesiæ mansuras in præsenti, ut hæc sint tam honorabilia membra Ecclesiæ quam et Judæi, *et comparticipes promissionis* vitæ æternæ, ut æqualiter ad gentes pertineat illa promissio sicut ad Judæos, et æqualiter in ejus adeptione sublimentur utrique. Et hæc omnia fiunt *in Christo Jesu*, id est in eo quod Christus carnem assumpsit, et mundum per se et apostolos illuminavit. Nam hæc omnia gentes habent

Digitized by Google

per Evangelium, id est per receptionem et observantiam Evangelii quod eis ministro. Non enim prodesset illis incarnatio Christi, nisi prædicaretur, *cujus* Evangelii *factus sum ego minister*, non enim est meum. Et quod minister ejus factus sum, non est secundum merita mea, sed *secundum donum gratiæ*, id est secundum gratuitum donum gratiæ *Dei*, *quæ gratia est mihi data secundum operationem virtutis ejus*, id est secundum quod operata est virtus ejus, qua suscitavit Christum, in quo nos omnes a morte animæ resuscitaret, et sine legis opere salvaret. Et cum ego ministerium Evangelii habeam ex gratia, patet quia et vos habetis ex gratia quidquid ex auditu Evangelii, quod prædicavi vobis, accepistis.

« Mihi enim omnium sanctorum minimo data est « gratia hæc in gentibus, evangelizare investigabiles « divitias Christi, et illuminare omnes quæ sit di- « spensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, « qui omnia creavit, ut innotescat principatibus et « potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multi- « formis sapientia Dei secundum præfinitionem sæ- « culorum, quam fecit in Christo Jesu Domino no- « stro, in quo habemus fiduciam et accessum in « confidentiam per fidem ejus. »

Data, inquit, *gratia est mihi omnium sanctorum minimo*. Præ nimia humilitate dicit se minimum, omnium sanctorum, ostendens de se magnum humilitatis exemplum, vel minimus erat omnium sanctorum, id est magis humiliatus, hoc est, afflictus omnibus tribulationibus, quam alius aliquis sanctus. Multo enim plus persequebantur eum Judæi et gentiles, quam aliquem aliorum. Mihi minimo data est gratia *hæc in gentibus*, id est ministratio; et hoc, ut præmissum est, secundum operationem virtutis ejus, id est ita ut sequatur eam operatio virtutis Dei, quia ad confirmationem meæ prædicationis Deus per me miracula operatur. Data est mihi, id est gratis concessa a Deo ad utilitatem. Hæc gratia data est mihi, scilicet *evangelizare investigabiles divitias Christi*, id est multa ejus dona copiose et abundanter nobis collata, quæ adeo ditia sunt et magna, ut nullo prorsus intellectu queant investigari, cum Deus pro hominibus homo fieri, et pro mortuis vita mori, atque justus pro peccatoribus immolari dignatus sit, cunctisque per orbem nationibus lumen veritatis ostendere, fidem dare, et peccatoribus remissionem, justitiam, charismata, et cætera hujusmodi, quæ non possunt perfecte investigari, quam magna et qualia sint. In hoc etiam sunt investigabiles istæ divitiæ, quia aliis dantur, et aliis non dantur; et cur hoc fiat, investigare non possumus. Quando enim plures verbo prædicationis, et quorumdam mentes dono supernæ gratiæ tanguntur intrinsecus ut credant, quorumdam autem non tanguntur, quis nisi solus Deus scire potest cur isti eliguntur, et illi relinquuntur? Investigabiles itaque sunt divitiæ donorum Christi. Nec solum istas evangelizare missus sum, sed *et illuminare*, id est clare et lucide docere *omnes quæ*, id est quam mirabilis et ex quanta dilectione procedens *sit dispensatio sacramenti*, id est quam mirabiliter sit dispositum a Deo Patre sacramentum incarnationis, passionis et resurrectionis Christi, per quod gentes fierent cohæredes et concorporales et comparticipes. Quod sacramentum erat absconditum in divina mente *a sæculis*, id est a primo tempore sæculorum, quando cum sæculis cœperunt creaturæ, quia ex quo sæcula sumpserunt principium, nulli fuit ita patefactum ut nunc apostolis. Hoc ideo dicit, « ut ostendat sibi multum esse credendum, cui revelatum est tantum mysterium. » Per hoc idem ostendit dispensationem istam fieri ex sola gratia. Quod inde patet, quia a sæculis fuit abscondita, quoniam nec humana merita, nec carnales observantiæ potuerunt eam revelare. Recte dicitur dispensatio sacramenti, quia Deus diverse tribuit illud sacramentum, cum aliis dat plus esse participes et concorporales et cohæredes, et aliis minus. Sacramenti dico, *absconditi in Deo*, quia ita manebat in Deo, ut non extra Deum, procederet, sed in secreto ejus consilio lateret. Habet enim Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non in illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed in illo quo eas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Ibi est gratia, per quam salvi fiunt peccatores. Nam in mundo absconditæ sunt rationales causæ omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Levi in lumbis Abrahæ, ideo autem causæ eorum quæ per gratiam futura sunt. Sic et hoc mysterium nostræ salvationis, quo gentes Judæis æquarentur in sanctitate et gloria, ut omnino aliud futurum non esset, absconditum erat in Deo, *qui omnia creavit*, quia solus ipse Creator noverat, quid de suis creaturis facturus esset. Data est mihi gratia evangelizandi, ut effectum habeat in Ecclesia prædicatio mea, et per Ecclesiam, id est per ea quæ fiunt in multiplicibus Ecclesiæ membris et ordinibus vel operibus, *ut innotescat*, id est interius et subtilius, et magis notescat *principibus et potestatibus*, id est prioribus et potentioribus angelorum ordinibus, qui sunt *in cœlestibus*, *sapientia Dei multiformis*, quantum ad varia et multa opera quæ facit in ecclesia, non inquantum est in Deo simplex et invariabilis. In hoc enim eam ab initio cognoverunt, qui ei ab initio astiterunt. In se enim non multiplex, sed simplex est ista sapientia, sed propter multiplicia opera sua quæ sapienter disponit, dicitur multiformis, quia multas operum formas aptat. Et secundum hoc in cognitione hujus sapientiæ etiam angeli spiritus *per Ecclesiam* profecerunt, quia dum eam Christus vel per se, vel per apostolos instrueret, plurima secreta didicerunt angeli quæ ignorabant. Magna est igitur dispensatio sacramenti, ubi didicerunt vel discunt etiam virtutes angelicæ; et magna fides est attribuenda ver-

Digitized by Google

bis illius, qui tantum sacramentum dispensat. Innotescat sapientia principibus, et hoc *secundum præfinitionem sæculorum*, id est in tantum innotescat, in quantum Deus præfinivit et præordinavit de sæculis, id est de hominibus qui versantur in sæculis, hoc est de hominibus qui erant futuri a primo statu Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi. Quos ideo vocat sæcula, quia mutabiles sunt et transitorii ut sæcula, id est ut cursus prætereuntium dierum. *Quam* præfinitionem *fecit in Christo Jesu*, id est hæc omnia præfinivit Deus in Christo, non in carnalibus observantiis, vel in aliquo merito nostro. Vel Dei sapientia est multiformis, secundum præfinitionem sæculorum, quia secundum ea quæ præfinivit, id est præordinavit in sæculis fieri, apparet multiformis, cum hæc in operibus variantur multiformiter. Et hanc præfinitionem fecit Deus in Christo Jesu *Domino nostro*, quoniam ante sæcula præordinavit Pater in Filio, quid in sæculis acturus esset, *in quo habemus fiduciam*, id est in cujus Christi auxilio habemus spem et fiduciam accedendi ad Dominum, et non solum spem, sed et ipsum *accessum*, et secundum bona opera, et secundum præmium. Fiduciam habemus in eo vincendi tribulationes, vel adipiscendi supernam hæreditatem, et post finem vitæ præsentis accessum realiter ad Deum, et hoc *in confidentia*, id est merito confidentiæ habitæ *per fidem ejus*, scilicet quia tantum in eo solo omnimodam fiduciam posuimus per fidem ejus quam intemeratam servavimus, nihilque fiduciæ nostris meritis, vel carnalibus observantiis attribuimus.

« Propter quod peto ne deficiatis in tribulatio-
« nibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.
« Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem
« Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis pa-
« ternitas in cœlis, et in terra nominatur, ut det
« vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtutem
« corroborari per Spiritum ejus, in interiori ho-
« mine, Christum habitare per fidem in cordibus
« vestris : in charitate radicati et fundati, ut pos-
« sitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ
« sit latitudo et longitudo et sublimitas et pro-
« fundum; scire etiam supereminentem scientiæ cha-
« ritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitu-
« dinem Dei. »

In Christo ut præmissum est, habemus fiduciam et accessum ad Patrem in confidentia per fidem ejus. *Propter quod peto* a vobis ut confidentes et constantes in fide sitis, per quam ad tantam pervenietis gloriam. Omnia bona ut superius frequenter ostensum est, accepistis a præveniente vos gratia Dei; nunc superest ut vos arbitrio liberæ voluntatis vestræ, eamdem subsequamini gratiam, perseverantes in ea, et bene operantes. Peto enim a vobis, propter arbitrium voluntatis. Peto *ne deficiatis* a sinceritate et constantia fidei et perseverantia bonorum operum, in *tribulationibus meis*, id est respectu mearum tribulationum, hoc est tribulationes quas audistis me pati *pro vobis* quibus prædicabam, non sint vobis causa deficiendi, sed constantes estote in gratia, quam vobis annuntiavi, non erubescentes de vinculis meis, neque timentes similia pati. Vel pro vobis sunt tribulationes meæ, id est ad utilitatem vestram spectant, vobisque proficiunt. *Quæ* res, id est me pati pro vobis tribulationes, *est gloria vestra*. Gloria enim vobis est habere talem doctorem, non confusio, ut infideles æstimant. Et magno gloriæ præmio remunerabimini, si me nunc in tribulationibus non desperaritis, sed in firma fide permanseritis. Peto ne deficiatis. Quia enim voluntatis arbitrium habetis, peto. Sed quia vobis arbitrium non sufficit ad implendum quod peto, *hujus rei gratia*, id est ne deficiatis, *flecto genua mea* in oratione pro vobis. Facit enim pro eis Apostolus orationem, ut Deus det perseverantiam et augmentum virtutum et scientiæ. Et per flectionem genuum intelligimus humilitatem supplicantis. Nam ad hæc solent in orationibus flecti genua, ut humilitas interior denotetur, et humiliori supplicatione affectus orationis commendetur, et fortasse vinculis catenarum constrictus, non poterat Apostolus genua corporis flectere; sed si hoc impediebatur corporaliter agere, vel genua cordis humilius flectebat. *Flecto genua*, id est humiliter in precibus supplico *ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*, ut merito ejus obtinere possim quod peto. Id est oro illum, de quo non est diffidendum quin exaudiat, tum quia flecto ad eum mea genua, tum quia genuit eum qui noster est Dominus et est Jesus atque Christus, id est rex noster et sacerdos. Flecto ad Patrem genua mea, ut sicut prius Pater me exaudiat, *ex quo*, id est ex cujus similitudine *omnis paternitas* non dico est, sed *nominatur*. Nam proprie non dicitur Pater, nisi solus Deus; alii autem ad similitudinem ejus, de quibus non est dicendum quod sint patres respectu Dei, sed nomen illud participant, *in cœlis*, id est inter angelicos spiritus. Ibi enim superiores qui præsunt aliis, et curam super eos habent, patres nominantur; *et in terra*, id est inter homines. Dei enim ineffabilis dilectionis vehementia inæstimabiliter nos dilexit; ac diligit ac gubernat, ideoque Pater noster dicitur (*Matth.* VI; *Luc.* XI). Nos autem et angeli per eum dicimur patres in similitudine dilectionis et providentiæ quoniam ipsa dilectio et gubernatio, qua vocabamur patres, ab eo procedit. Ex eo nominatur omnis paternitas in cœlo et in terra, quia, ut dictum est quicunque sunt patres et præsunt aliis paterno affectu sive in cœlo, sicut dominationes cæteris subjectorum ordinibus; sive in terra, sicut episcopi et abbates, alique prælati, qui paterna bonitate, subditis præsunt, ab ejus imitatione vocabulum paternitatis sortiuntur. Vel angeli cœlorum nobis providentes, dicuntur patres in cœlis; et prælati Ecclesiæ, patres in terra. Possunt cœli, spirituales homines intelligi, terra vero, carnales. Ipse enim dicitur Pater, vel quia ex se Filium genuit, vel quia crea-

Digitized by Google

turas pio moderamine gubernat et regit. Ad cujus similitudinem ob eamdem causam dicuntur patres vel qui ex seipsis filios generant, vel qui subjectos pio moderamine et studio gubernant. Et quia talis tamque benignus et charitativus erga nos est Pater iste, non est diffidendum de eo quin nos exaudiat. Ad quem idcirco genua mea flecto, *ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ*, id est secundum divitem et copiosam largitionem abundantiæ majestatis suæ, *virtutem corroborari*, id est constantiam fidei, quæ interius et exterius vos faciat robustos et fortes contra omnes tribulationes. Virtutem corroborari *per Spiritum ejus*, id est per spiritum gratiæ, per operationem Spiritus sancti *in interiori homine*, id est in anima quæ ab hostibus non potest attingi. Et ut hoc salubriter vobis tribuat, det *habitare Christum per fidem in cordibus vestris* secundum perfectionem virtutum et constantiæ, et hoc per fidem de eo habitam et perfectam. Sunt enim nonnulli hæretici fortes ad tolerantiam adversitatum, sed non eis prodest. Vel det Christum habitare in mentibus et rationibus eas illuminando, id est illuminet Christo habitatore rationem vestram, et hoc per fidem. Ratio enim non illuminatur ad intelligendum, nisi fides præcedat. Unde scriptum est : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* sec. LXX). » Et in tantum illuminat rationem vestram, *ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum*. Vel secundum superiora sic potest continuari : Peto ne deficiatis, sed constanter perseveretis ; vos dico, in charitate radicati et fundati. Radicati, id est firmiter plantati ad instar arboris, quæ quanto plus terræ figitur, tanto plus crescit, et uberius fructificat ; et fundati sicut ædificium, quod quanto profundius fundatur, tanto firmius in altum construitur. Radicati enim dicuntur qui in activa vita strenui sunt, quibus charitas est radix, quia sicut ex radice crescit arbor, et crescens fructum adjutilitatem aliorum facit, sic illi qui sunt in activa vita, ex charitate crescunt ad hoc, ut ferant fructum, sive corporalem victum præbendo, sive spiritualem. Per fundatos autem intelliguntur contemplativi, quia non crescunt in hujusmodi fructum aliorum, sed firmi et immoti (prout est possibile) permanent in contemplatione divina. Hoc est dicere : Sive sitis in activa vita, sive in contemplativa, manentes semper in charitate, possitis, id est facultas sit vobis comprehendere, id est cum rerum exsecutione notitiam prendere, ut et intelligere et facere valeatis cum omnibus sanctis ; non enim aliter sancti eritis, nisi hoc mysterium quod omnes sancti intelligunt, intellexeritis. Possitis comprehendere quæ sit latitudo prædicti ædificii, in quo vos ædificamini, id est templi Dei. Latitudo ejus est amplitudo cordis sanctorum, qua cunctos diligunt cunctisque prodesse cupiunt, et prout valent prosunt. Longitudo ejus, quæ et longanimitas dicitur, exspectatio est promissionum Dei cum alacritate mentis. Sublimitas, vita cœlestis inter angelos. Profundum autem, id est fundamentum ædificii illius, fides est et baptismus, et cætera hujusmodi sacramenta Ecclesiæ. Hæc ergo quatuor orat Apostolus, ut possimus intellectu et actu comprehendere. Vel de superna mansionis templo, id est de perpetua regni felicitate possunt hæc intelligi. Æterna enim gloria illius regni ita erit lata, quod nullus ibi coarctabitur ; ita erit longa et continua, quod nunquam deficiet ; ita erit sublimis et alta, quod omne terrenum bonum excedet ; sic est profunda et admirabilis, quod nullus hominis vox in præsenti valet eam perfecte narrare, nulliusque mens ad plenum intelligere. Vel etiam in Deo possunt hæc intelligi. Habet enim Deus latitudinem, quia dilectionem suam usque ad collectionem persequentium tendit. Habet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tolerando perducit. Habet sublimitatem, quia ipsorum quoque intelligentiam qui recepti in superna fuerunt congregatione, transcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius, districtionis suæ judicium comprehensibiliter exerit. Quæ scilicet quatuor nobis in hac vita positis singulis exercet, quia et latitudinem amando, et longitudinem tolerando, et celsitudinem non solum intelligentiam nostram, sed etiam vota superando, et profunditatem suam exhibet, occultos et illicitos cogitationum motus districte judicando. Sed ejus celsitudo et profunditas quam sit investigabilis nullus agnoscit, nisi qui vel contemplatione ad summa provehi, vel occultis motibus resistens, tentationum cœperit importunitate turbari. Sed et in cruce Domini, et per crucem in moribus sanctorum possunt ista quatuor intelligi. Crux enim lata est in transverso ligno, quo extenduntur pendentis manus ; et significat opera bona in latitudine charitatis et hilaritatem mentis. Longa est a transverso ligno usque ad terram, ubi dorsum pedesque figuntur, et significat perseverantiam in longitudine temporis usque in finem. Alta est in cacumine, quo transversum lignum sursum versus extenditur, et significat supernum finem, quo cuncta referuntur, quoniam cuncta quæ fiunt latitudine, propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte, qua in terra figitur. Ibi quippe et occulta est, nec videri potest. Sed cuncta ejus apparentia et eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi, ac dijudicari non potest, universa procedunt. Profundum enim crucis est occulta voluntas Dei et incomprehensibilitas judiciorum ejus, unde ista gratia in homines venit cunctos prævenienes et omnia bona prout voluerit distribuens, aliis quidem sic, aliis vero sic, et alios eligens, alios respuens. Hæc enim omnia cur ita fiant, inscrutabile est. Sed orat Apostolus ut ita quatuor prout oportet valeamus intellectu, et operatione comprehendere, et hoc cum omnibus sanctis, quia omnes sancti comprehendunt quæ sunt ista quatuor. Nam comprehensio istorum

Digitized by Google

est quædam communio cœlestis rei publicæ. Et hoc etiam, inquit, oro, ut possitis scire charitatem Christi quam erga vos habuit et habet; quæ tanta est, quod supereminet omni scientiæ, et exsuperat omnem sensum, quia nullus sapiens est adeo in hac vita, qui possit perfecte tantam charitatem considerare, sed in futuro sæculo scietur hæc charitas. Ibi enim plena et perfecta dilectio est, sine ulla malorum tolerantia, quæ non fide credit quod non videt, nec spe desiderat quod non tenet, sed in æternum veritatis incommutabilem speciem contemplabitur, cujus sine fine quietum tempus erit laudare quod amat, et amare quod laudat. Sic ergo detur vobis *scire charitatem Christi supereminentem scientiæ* et præcellentem intellectum, et hoc ita, *ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, non ut sitis plenus Deus, sed ut perfecte sitis pleni Deo, ut sit Deus omnia in omnibus.

« Ei autem qui potens est omnia facere super-
« abundanter, quam petimus aut intelligimus, se-
« cundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi glo-
« ria in Ecclesia et in Christo Jesu, in omnes gene-
« rationes, sæculi sæculorum. Amen. »

Ego, inquit, genua mea flecto ad Deum Patrem ut det vobis hæc omnia; sed ipse *potens est facere superabundanter*, id est valde largius et affluentius *quam petimus aut intelligimus*, id est ultra omnem petitionem et intelligentiam nostram potest ipse nobis abundantiam donorum largiri, *secundum virtutem* gratiæ suæ, *quæ operatur in nobis* nonnulla etiam quæ nemo peteret vel intelligeret. Vel secundum virtutem quæ operatur in nobis, id est sicut potentia ejus operata est in nobis apostolis magnifice dona, ita potens est facere, omnia in vobis pro quibus oramus, et ei qui ista potest facere, et faciet si voluerit *ipsi sit gloria* non nobis, id est excellens honor, et hoc *in Ecclesia*, id est in consideratione eorum quæ facit in Ecclesia, sicut fidem, innocentiam, justitiam *et in Christo Jesu*, id est in respectu Christi, per quem hæc omnia fiunt, et in cujus judicio et gratia sunt hæc universa. Et non ad horam sit ei gloria, sed *in omnes generationes sæculi sæculorum*, id est in futuro sæculo quod constabit ex omnibus generationibus, quæ generantur in his præsentibus sæculis. Sæculum quippe sæculorum, æternitas est, cujus partes sunt tempora et omnia sæcula. Potest etiam sæculum sæculorum intelligi præsens hoc sæculum a principio mundi usque ad finem simul intellectum, quod in multa sæcula dividitur. Et in omnes generationes istius sæculi sæculorum extendatur gloria, quam Pater habet in Christo et in Ecclesia, ut nulla generatio sit ab initio mundi usque ad ejus terminum, in qua non glorificetur Deus per Christi gratiam in filiis Ecclesiæ. Nullum enim tempus transit unquam vel transibit sine electis, in quibus per Christum glorificabit Pater. *Amen*, id est *vere* vel *fideliter*. Hic tractatum suum commendatione gratiæ, in qua et carnales observantias improbavit, terminavit apostolus, et ad moralem exhortationem transit, dicens :

CAPUT IV.

« Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut
« digne ambuletis vocatione qua vocati estis (*I Cor.*
« VII), cum omni humilitate et mansuetudine, cum
« patientia, supportantes invicem in charitate, sol-
« liciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.
« Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis
« in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus,
« una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater
« omnium, qui super omnes est, et per omnia, et
« in omnibus nobis (*I Cor.* XII). »

Hactenus de fide et gratia tractavit, et omnia gratiæ tribuenda satis monstravit; nunc de moribus monet prius communiter omnes, post per singulos ordines. Quandoquidem sola gratia salvati estis, non ex operibus vel observantiis carnalibus, et habitaculum Dei estis effecti, sicut ostensum est superius, *itaque obsecro vos*, ut ita jam amodo vivatis, quatenus tantam gratiam vobis collatam non amittatis. Et hoc est : Obsecro, id est per sacra dona cœlestis gratiæ quæ percepistis, rogo vos ego quem audire debetis, quia vinctus et incarceratus sum, non in furto, *sed in Domino*, id est in amore Domini, videlicet propter amorem ejus, et propter nomen ejus in quo fixus permaneo. Et quia vinctus sum, compatiendum est mihi, non spernenda exhortatio mea. Obsecro *ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis*, id est ambuletis digne fide qua per gratiam vocati estis, id est ut ambuletis digne ad cœlestem patriam, id est ut ambuletis prout fidem decet, qua venietis ad cœlestem gloriam. Ambuletis, id est promoveamini et perseveretis operando ea quæ conveniunt fidei ducenti ad salutem æternam, id est bona opera. Bona enim opera exigit fides vestra. Vel quia gratis ad fidem vocati estis prædicatione mea, ambulate sic in fide et bonis operibus, ut ambulatio vestra prædicationi meæ conveniat. Hoc modo poteritis digne ambulare, scilicet *cum omni humilitate*, id est et interius in corde habita, et exterius exhibita, scilicet ut nullatenus vel in corde vel in verbo seu in opere præsumatis de vobis, aut vos aliis præferatis; *et mansuetudine*, id est lenitate et tractabilitate, ut scilicet sicut mansueta animalia vos tractari permittatis, ut sitis familiares et affabiles. Humilis dicitur quasi humi acclivis, mansuetus quasi manu assuetus. Et multi sunt humiles, qui non sunt mansueti, id est lenes et tranquilli, sed in ipsa humilitate intermiscent quemdam rigorem et severitatem quasi pro justitia. Ideo nunc Apostolus humilitati subnexuit mansuetudinem, at qui fuerit humilis, studeat et mansuetus esse. Nec solum cum humilitate et mansuetudine ambuletis in via Dei, sed etiam cum omni patientia, qua patiamini tribulationes pro Christo voluntate et actu, quia quidam non patiuntur aliquando voluntarie. Quam patientiam servabitis *supportantes invicem* vos, id est ut alter sustineat alterum in his quæ sunt gravia et aspera. Et

Digitized by Google

hoc poteritis facere, si vicissim reputaveritis vos esse supportantes, id est inferiores. Non enim ille bene patitur, qui se superiorem reputat. Et hanc variam supportationem facite *in charitate*, ut vos invicem tolerantes, diligatis vos invicem. Sunt enim nonnulli qui eos incipiunt non diligere, a quibus contumelias vel hujusmodi adversa patiuntur. Sed non debet charitas relinqui propter adversa quæ patimur. Vel in charitate vos supportate, id est non ficte nec propter terrenum commodum sive damnum, nec propter timorem alicujus personæ potentis, nec propter importunitatem temporis, nec propter inanem gloriam, vel aliquid hujusmodi, sed propter solam dilectionem, ut sola dilectio sit causa tolerantiæ vestræ; et non irascamini, nec turbetur cor vestrum in hora qua hæc patimini, sed permaneatis in charitate et animi lenitate. Vos dico, *solliciti servare unitatem spiritus*, id est sitis inter adversa quæ vicissim suffertis, solliciti et curiosi inviolabilem custodire unitatem spiritus, id est unanimitatem voluntatis, ut sit vobis cor unum et anima una, et hoc *in vinculo pacis*, id est pax et concordia exterior sit quasi vinculum et nexus interioris unitatis spiritus. Vel aliter : Ingreditur enim Apostolus removere quoddam quod contrarium est charitati, videlicet schisma, quod in eis tunc fuisse propter charismata non est dubitandum. Quoniam illi qui habebant charismata, despiciebant alios, et abrumpebant se ab eis, sicque schisma erat inter eos. Quod ipse prorsus vult eradicare, dicens. Solliciti servare unitatem spiritus, id est sollicite postponendo omne schisma servetis quod a vobis non habetis, scilicet unitatem, id est quod vos estis facti unum secundum fidem, et alia dona servetis quia unitas illa est spiritus, id est a Spiritu sancto vobis concessa, et ideo non est negligenda, sed studiose retinenda. Quam poteritis hoc modo servare, videlicet in vinculo pacis, id est pax taliter inter vos habita, ut alius non inquietet alium, vinciat vos in simul et conglutinet. Et sitis omnes *unum corpus* per unitatem fidei et concordiam licet diversis officiis videamini dediti, sicut diversa membra corporis, et sit vobis *unus spiritus*, id est una mens et voluntas, sicut et unam remunerationem vitæ perennis omnes speratis. Et hoc est, *sicut vocati estis* a Deo *in una spe vocationis vestræ*, id est in una exspectatione supernæ mercedis, ad quam vocati estis, vel ideo servare debetis unitatem spiritus, quia unum corpus est de quo vos estis, id est Ecclesia quæ est una et est corpus Christi. Unum corpus secundum fidem et dilectionem et sacramentorum perceptionem. Et spiritus Christi qui hoc corpus ejus vivificat est unus. Multis enim membris, constat unum corpus, et vegetat omnia membra unus spiritus. Ecce humano spiritu quo sum ipse homo, membra omnia colligo et vegeto. Impero omnibus membris ut moveantur, intendo oculos ad videndum, aures ad audiendum, linguam ad loquendum, manus ad operationem pedes ad ambulandum. Officia membrorum dispertita sunt, sed unitas spiritus continet omnia. Quod spiritus noster, id est anima nostra est ad membra nostra, hoc est Spiritus sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia. Omnia enim membra Christi cum sint diversis officiis dedita, uno tamen spiritu Christi vegetantur. Jam vero si membrum præscinditur de corpore, nunquid sequitur spiritus? Nequaquam, et tamen membrum agnoscitur. Quia homo separatus ab Ecclesia, sacramentum baptismi adhuc retinet, sed spiritum amisit. Cavendum est ergo schisma, et servanda est unitas. Non amittitur Spiritus sanctus qui non potest scindi, sed unus permanet; et eos qui unitatem custodiunt, replet; et hanc servare debetis, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, id est sicut fide vocati estis in una spe æternæ gloriæ. Hæc enim fides vocationis est, id est fidei vestræ, hoc est fides vestra est causa spei vestræ, quia præcessit ipsam spem, et dedit eam vobis. Quæ spes est una, quia unam vitæ æternæ gloriam exspectat. Illa enim est una, quia licet alii sint ibi ut stellæ, alii ut luna, alii ut sol, omnibus tamen sufficit quod habent. Quoniam illi qui non sunt in tam digna claritate adeo sunt unita dilectione cum majoribus, ut hoc quod majores habent, isti se habere reputent. Sic et vos in hac vita debetis facere, ut qui minus habent in charismatibus aliisque donis, ex unione dilectionis reputent se habere quod majores habent, qui ad eorum utilitatem habent. Non enim in hac re debet alius invidere alii, neque alius alium despicere. Et ob hoc debetis etiam unitatem servare quia *unus Dominus* omnibus vobis est Christus, qui vos manu misit et vivificavit. Non enim habetis plures dominos, pro quorum diversis voluntatibus vos oporteat discordare, sed unum, qui vobis unitatem præcipit. Unitas enim non habet in se contrarietatem, sicut nec Creator. Quod autem ab unitate separatur et extra unitatem est, jam contrarium et dualitas. Nam Creator erat quidem unus, sed statim ut creatura successit, contrarietas processit. Servanda est igitur unitas, ut uni Domino servistur. Quæ et ideo custodiri debet, quia *una fides* est. Licet enim unusquisque credentium suam fidem habeat, una tamen fides dicitur. Hæc enim in animo credentis est ei tantum conspicua, cujus est, quamvis sit et in aliis non ipsa, sed similis. Non enim numero est una, sed genere. Propter similitudinem tamen ex nulla adversitate magis unam dicimus esse quam multas. Nam et duos homines simillimos cum viderimus, unam faciem dicimus, et miramur amborum. Ita enim dicitur eadem credentium fides una, sicut eadem volentium voluntas una, cum et in ipsis qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua; alterius autem lateat, quamvis idem velit. Propter hoc etiam servanda est unitas, quia unum est baptisma. Non enim potest iterari, sed a quocunque datum fuerit, sive a bono, sive a malo, sive a catholico, sive ab hæretico juxta morem Ecclesiæ in nomine sanctæ trinitatis, scilicet Patris et

Digitized by Google

Filii et Spiritus sancti, tantumdem valet ad remissionem peccatorum et apertionem regni cœlorum. Sed ideo tenenda est unitas, quia unus est Deus in substantia sua. Non enim est multiplex substantia ejus, sed una et simplex. Unde et Moyses : « Audi Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est (*Deut.* VI). » Non potest esse major, non potest esse minor, non potest numerari. *Unus est Deus*, creator omnium, qui et unus *Pater omnium* est, paterno affectu diligens omnia et gubernans ; et ideo nemo potest se alteri præferre. Unus dicitur iste Pater, in eo quod unica affectione procurat omnia, sicut dulcis Pater. *Qui est super omnes*, id est præcellit omnibus creaturis, cujus dignitas nos invitet ; *et per omnia* diffusus, quia ubique est ; et ideo timendus, cum nusquam possit evitari ; *et in omnibus nobis* est per gratiam, qui unitatem servamus. Per omnia enim est potentia virtutis suæ, et prudentia dispositionis suæ, sed in nobis gratia bonitatis suæ. Vel super omnes est dominando et regendo, et est per omnia, subministrando omnia bona quæ habent, et in omnibus nobis collata beneficia servando. Illud per quod est ibi, per omnia, ordinale est, ostendens quod si omnia nostra discusserimus, omnia ordine perambulando inveniemus ab eo ministrata. Et quia omnibus dominatur, et per omnia nostra est præter peccatum, et quia nobis illa conservat, ideo solliciti esse debemus, ut quemadmodum ipse est unus, ita et nos unum simus et unitatem semper observemus.

« Unicuique autem nostrum data est gratia] secundum mensuram donationis Christi (*Rom.* XII ; *I Cor.* XII). Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII). Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia (*Joan.* III). Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum (*I Cor.* XII), in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitate fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. »

Nos quidem omnes sumus unum corpus, et unitatem servare debemus, sed non omnes æqualiter dona cœlestis gratiæ percepimus, nam *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Nam aliud donum gratiæ habet iste, aliud ille ; et quod habet ille, non habet iste. Mensura ista est et divisio quædam donorum, et concordia ibi unum corpus facit. Nam sicut in nostro corpore aliud accipit manus ut operetur, aliud oculus ut videat, aliud auris ut audiat, aliud pes ut ambulet ; anima autem una est quæ agit omnia, in manu ut operetur, in pede ut ambulet, in aure ut audiat, in oculo ut videat ; sic sunt etiam diversa dona fidelium tanquam membrorum, ad mensuram propriam cuique distributa, sed una est Christi gratia quæ distribuit. Propter quod non debent alii aliis invidere nec alii contra alios de donis superbire, quæ gratis dantur a Christo, et quæ mensurat ille et modificat, sicut scit singulis expedire. Nam ad hoc uni multum datur, ut per hunc multi promoveantur alii ; et ad hoc parum aliis, ut in omnibus erga omnes humilitatem conservent. Et si Christus metitur cuidam multum, ut multis aliis prosit qui tantum non habent, tunc non est rectum carentes invidere habentibus, sed potius debent reputare se habere quidquid majores habent, quia ad eorum utilitatem habent. Nec illi qui habent, debent despicere non habentes, cum ad hoc habeant, ut non habentibus subeerviant. Ita ergo debemus in variis donis quæ accipimus, servare unitatem, abraso omni schismate. *Propter quod* probandum quod Christus det diversa dona, dicit Spiritus sanctus in Psalmista : « Ascendens in altum, etc. (*Psal.* LXVII). » Versa tamen ad Christum locutione, dicit Psalmista : « Ascendisti in altum, captivasti captivitatem, accepisti dona in hominibus (*ibid.*). » Nec moveat quod Apostolus non ait : « Accepisti dona in hominibus ; » sed, *dedit dona hominibus.* Ille quippe auctoritate apostolica secundum hoc locutus est, quod Deus cum Patre est Filius. Secundum hoc enim dedit dona hominibus mittens eis Spiritum sanctum, qui spiritus est Patris et Filii. Propheta vero secundum illud, quod idem Christus intelligitur in corpore suo, quod est Ecclesia, unde et fideles cuncti membra ejus sunt, dixit eum accepisse dona in hominibus, quia ipse accipit, quidquid beneficii membris impenditur illius, unde dicturus est : « Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis (*Matth.* XXV). » Sed videamus sententiam : *Ascendens in altum* cœli habitaculum Christus, *captivam duxit captivitatem*, id est corruptionem nostram virtute suæ incorruptionis absorbuit ; vel captivam duxit captivitatem quia vicit mortem, quæ captivos tenebat, in quibus regnabat. Vel eos qui in inferno tenebantur captivi, qui et captivitatis nomine designari possunt, duxit secum ad regna cœlorum. Nam sicut militia cum dicitur, intelliguntur qui militant, sic appellatione captivitatis intelliguntur, qui in inferni claustris detinebantur capti. In hac quoque vita multi tenebantur a diabolo captivi in peccatis, qui et captivitas similiter appellantur, sed eos Christus felicem captivavit. Cur enim non sit captivitas felix, si et ad bonum homines possunt capi ? Unde Petro dictum est : « Ex hoc jam homines eris capiens (*Luc.* V). » Captivati ergo sunt, quia capti ; et capti, quia subjugati, id est sub leve Christi jugum missi. Sed hoc considerandum, quia captivi et terrigenæ, patriam nostram æstimabamus hoc exsilium. Sed dum a Christo ducimur ad regnum cœlorum, nimirum cu-

Digitized by Google

ptivitas nostra beata captiva ducitur ab illo. His itaque modis captivavit captivatam, ascendens propria virtute et voluntate in altum, non sustentatus auxilio cujusquam alterius. Dedit vero *dona hominibus*, quia misso desuper Spiritu alii sermonem sapientiæ, alii gratiam virtutum, alii gratiam curationum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit (*I Cor.* XII). Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, alii alia, sicut et supra dictum est, quamvis ipsum donum a quo unicuique propria dividuntur, omnes habeant, id est spiritum. Ista pars scientiæ qua dicitur, *dedit dona hominibus*, valet ad ostendendum quod Christus secundum mensuram dedit unicuique nostrum, gratiam. Cætera vero dixit, ut scientia magis patesceret. Ascendisse dixit eum propheta. Sed quid est quod ascendisse dictus est, nisi quia et antea descenderat? Verbum enim quod in principio erat Deus apud Deum (*Joan.* I), quo ascenderet, vel quomodo ascendere posset, nisi prius descendisset? Erat enim super omnia, vel potius erat ubique. Sed descendit quando formam servi accepit (*Philip.* II). Descendit in partes terræ (quæ sunt aereæ) inferiores ut inter homines conversaretur. Divinitate descendit ad nos, sed humanitate quam assumpsit, ascendit ad cœlos. Et hoc est quod eum Apostolus descendisse probat per hoc quod dictus est ascendisse dicens : *Quod autem ascendit, quid est nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ?* id est quomodo vel quare dictum est quod ascendit, nisi respectu præcedentis descensionis? Possunt inferiores partes terræ intelligi loca inferorum, in quibus tenebantur sancti. Et illuc secundum animam descendit Christus, non ruinam vel præcipitium seu violentiam passus, sed spontanea voluntate misertus, descendit in illas inferiores partes terræ, ut inde suos omnes potenter educeret. Primum quidem illuc descendit, ac deinde resumpto corpore ascendit in cœlum. Et ne videretur alicui quod alia persona esset ascendens, et alia descendens, addit: *Qui descendit* secundum divinitatem, accipiendo humanitatem, *et qui ascendit* secundum humanitatem, quo nunquam prius fuerat humanitus *ipse est* una et eadem persona. Ascendit non solum *super omnes cœlos* materiales, sed et super omnes cœlestium virtutum ordines, superans loco et dignitate omnem creaturam, *ut adimpleret omnia* quæ de eo fuerant prophetata. Nondum enim de eo fuerant adimpleta, quando ille necdum juxta humanitatem in dextera paternæ gloriæ consedebat regnans in æternum. Vel omnia donis suis adimplevit ascendens, ut etiam angelicæ creaturæ, quæ ante erant impletæ adimplerentur, id est promotionem quamdam acciperent. Nam non solum homines, sed etiam angeli promoti sunt ascensione ejus. Vel omnia adimplevit, id est rationalem creaturam perfecte ad integrum implevit, hoc est humanum genus et numerum angelorum. Nam in restauratione hominis suppletur numerus angelorum, qui diminutus erat casu reproborum spirituum. Sicque complendo numerum electorum ex angelis et hominibus, adimplet omnia. Vel omnia regna mundi adimplevit suo cultu. Et ut omnia adimpleret, *dedit ipse* nobis ad eruditionem quatuor regentium ordines, scilicet *quosdam quidem esse apostolos* sicut Petrum et Andræam (*Joan.* I), cæterosque tales, qui omnibus aliis majores erant, habentes officium prædicationis, et per se tradentes aliis, quorum nunc locum apostolicum, et primates, et archiepiscopi tenent in Ecclesia. *Quosdam autem* dedit esse prophetas, qui ventura prædicerent etiam sub Novo Testamento, sicut Agabum sibique similes (*Act.* XI). Quorum locum nunc tenent, qui Scripturas interpretando, prænuntiant per eas cæteris futura justorum gaudia malorumque supplicia; *alios vero* dedit *evangelistas*, sicut Lucam et cæteros, qui Evangelium ad posteros scriptum transmiserunt, vel etiam qui Evangelium prædicabant, et officium ministrandi pauperibus habebant, ut septem diaconi sub apostolis (*Act.* VI). Utrumque enim victum præbebant, et spiritualem et corporalem. Similiter adhuc deberent agere omnes diaconi. Inde est etiam quod hodie missa legunt evangelium. *Alios autem* dedit *pastores et doctores*, sicut episcopos vel presbyteros. Pastores enim et doctores unum regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipse veraciter pascit qui docet. Et ideo non dicitur distincte, alios autem pastores, alios vero doctores, sed dicitur conjuncte, *alios autem pastores et doctores*, ut intelligerent suum officium esse suam doctrinam. Unde et per prophetam Deus promisit: « Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina (*Jer.* III). » Si quid tamen differentiæ in his duobus esse potest, pastores dici videntur respectu ovium, id est simplicium et hebetum; doctores autem respectu eorum, qui jam sunt eruditi et rationabiliter intelligere cœperunt. Omnibus istis dedit Christus hæc varia dona ad instructionem Ecclesiæ. Unde nullus eorum de acceptis donis superbire debet contra eos qui non habent, vel se ab eis scindere, sed potius saluti eorum servire. Nec minores debent eis invidere, sed eos ut patres venerari et diligere; hos enim dedit Salvator *ad consummationem sanctorum*, id est ad hoc ut eos qui jam sancti sunt, consummet et perficiant in sanctitate, scilicet, ut eos qui sancti sunt secundum remissionem peccatorum et innocentiam atque bonorum operum inchoationem promoveant et consummet secundum augmentum virtutis et perseverantiam, et dedit eos *in opus ministerii*, ut unusquisque plene possit facere opus ministrationis sibi creditæ. Si enim unus faceret omnia, non perfecte ageret singula. Ideo unusquisque opus ministerii cui deditus esset, accepit. Et quo tendit hoc ministerium uniuscujusque eorum? *In ædificationem corporis Christi*, id est in hoc ut corpus Christi quod est Ecclesia, ædificetur, sive in virtutibus, sive in conversione infidelium ad fidem. Hæc est enim domus quæ, sicut Psalmus canit (*Psal.* CXXVI), ædificatur post captivitatem; quoniam de illis qui a diabolo tenebantur captivi, ædificatur Ecclesia,

Digitized by Google

quæ et domus et corpus Christi est. Tales prælatos dedit Christus Ecclesiæ, et tandiu dabit, *donec occurramus omnes*, id est donec omnes qui modo sumus in una et non discrepanti fide, et in una et non discrepanti agnitione Filii Dei, occurramus nobis invicem in die judicii de diversis mundi partibus, vel ipsi Christo, quasi desiderio currentes ad gaudium, *in virum perfectum*, ut unusquisque sit vir perfectus, quia sive claudus modo sit aliquis, sive cæcus, sive quolibet membro careat, in resurrectione perfectionem omnium membrorum habebit; *et in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, id est ut nec infra, nec ultra juvenilem formam resurgamus, sed in ætate et robore, ad quæ Christum hic pervenisse cognovimus, id est in ea meta ætatis, usque ad quam naturaliter crescit homo, et ultra quam nihil ei naturaliter accrescit, in qua et salvator habuit plenitudinem annorum et corporis, cum de hoc mundo transiret. Non ait mensuram corporis vel mensuram staturæ, sed mensuram ætatis plenitudinis Christi. Neque enim fas est dicere, cum resurrectionis omnium tempus advenerit, accessuram corpori alicujus eam magnitudinem quam non habuit. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumcunque majora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cum ipse nec capillum periturum esse promiserit (*Luc.* XXI). Restat ergo ut suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in juventute, etiam si senex obiit; vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. Vel ita: Prælatos dedit Christus in Ecclesia, qui sibi alii aliis succedentibus perdurent, donec occurramus omnes in virum perfectum, id est donec ita conveniamus et conjungamur omnes secundum charitatem, ut simus vir perfectus. Perfectus vir dicitur, quando jam nullum membrorum suorum crescit secundum quantitatem. Non est enim perfectus, donec habet ubi crescat. Sic Ecclesia tunc erit in statu perfecto, cum jam nullum membrorum suorum per successionem poterit excrescere. Crescit enim quotidie manus, quando uno mortuo, qui necessaria ministrabat fratribus, succedit alius hoc idem faciens, et sic de cæteris membris. Sed postquam numerus electorum completus fuerit tunc istud successionis crementum cessabit, quoniam tunc erimus vir perfectus, quia nullum membrorum jam crescendi locum habebit, quoniam completus erit numerus omnium. Donec occurramus in virum perfectum, id est donec Ecclesia efficiatur vir perfectus; hoc est, quando omne membrum Ecclesiæ suam quantitatem habebit. Occurramus omnes, et ita occurramus, ut nullum membrum remaneat quod suam quantitatem non recipiat. Per hoc quod dicit, occurramus, et non, conveniamus, ostendit quod multum erimus proni et prompti ad ipsam dilectionem. Currere enim majorem velocitatem notat, quam venire. Hoc totum tale est: Tandiu dabit doctores et pastores, quandiu erit necessarium, id est donec Ecclesia efficiatur vir perfectus cui nihil desit, et nihil post addendum sit in numero vel viribus. Et hoc erit, quando occurremus in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est quando ætas mensurata a Christo, erit plena. Mensura erit plena, quando Christus ipse in corpore suo plenus erit, omnes habens qui nunc per singulos crescit, et omnes in eo immortales et beati erunt. Et ultra non erit necessaria prælatio, neque durabit amplius, quæ modo necesse est ut permaneat usque ad illum terminum. Et ideo non est graviter ferenda, quæ cito transibit. Ob hoc autem in virum perfectum occurremus, quia manemus in *unitate fidei*, id est unam non variam fidem habemus de Filio Dei; et quia manemus in unitate *agnitionis Filii Dei*, id est quia agnoscimus, id est intelligimus idem de Filio Dei. Hoc est dicere, quia credimus et intelligimus idem de Filio Dei. Illi enim non occurrent in virum perfectum, qui idem non credunt in Ecclesia, et idem non intelligunt. Illi vero non tendunt ad idem intelligere, qui schisma volunt in Ecclesia facere. Vel Christo, sicut supradictum est, occurremus venienti ad judicium, et gaudentes eum excipiemus; nos dico qui nunc sumus in unitate fidei, id est qui tenemus unam fidem trinitatis et unitatis divinæ, qui sumus in unitate agnitionis Filii Dei, id est qui unam et concordem in fide tenemus agnitionem Filii Dei, credentes eum incarnatum et passum ac resuscitatum et exaltatum. Ad hoc enim nobis dati sunt prælati, *ut jam* post tempus gratiæ, post acceptionem spiritualis doctrinæ *non simus parvuli* sensibus, sed provecti in sapientia; *et ne* sinus fluctuantes, id est titubantes nostra debilitate in nostris operibus, seu dubitantes in fide; non simus fluctuantes inter undas tentationum, sicut navis tempestati exposita, sed firmi et immobiles, et ut non circumferamur, id est non in gyrum erroris feramur *omni vento doctrinæ*, id est omni flatu inanis dogmatis. Doctrina enim pravorum et hæreticorum, est quasi ventus tempestatis aut turbinis, quia statum mentis evertit, et in vertiginem errorum ducit, atque levis est et vana, non habens pondus veritatis, ideoque prudenter cavenda est. Doctrinæ dico, manentis in *nequitia hominum*, quoniam nequitia hominum est sedes perversæ doctrinæ. Nam hæresis non est nisi in anima subdita peccatis, quia peccata commissa, sunt causæ ut Deus permittat eos corruere in barathrum hæresis. Quæ seductionis doctrina manet etiam *in astutia*. Astutia denotatur, si dici potest, dolosa scientia, quoniam in ea manet doctrina hæresis, quia ipsius causa est et sustentaculum. Astutia dico, tendente *ad circumventionem erroris*, id est ad hoc studente ut circumveniat incautos et ducat in errorem. Nam per dolositatis et astutiæ fraudem solent hæretici multos decipere. Sed ab his tuti sumus per doctrinam veritatis, quam prædicant prælati Ecclesiæ. Apostoli enim et prophetæ Novi Testamenti qui exponunt Scripturas, reddunt nos non parvulos, sed fortes ad intelligendum. Per evangelistas qui Evangelium prædicant efficimur non fluctuan-

Digitized by Google

tes in fide, sed certi. Per pastores et doctores fit ut non circumferamur omni vento doctrinæ, sed constantes simus in fide et proposito religionis nostræ.

« Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illa per omnia, qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. »

Non circumferamur omni vento doctrinæ sed *facientes veritatem*, id est veram argumentationem contra astutiam illorum, id est ad inventiones veras et firmas et rationabiles contra illos qui hæresim volunt inducere, *crescamus in illo per omnia* quæ habemus, id est in omnibus quæ jam percepimus, scilicet in innocentia, humilitate, patientia et cæteris virtutibus augmentemur, et hoc fiat *in charitate*. Vel faciamus veritatem, id est bene operemur secundum doctrinam mandatorum Dei, de quibus dicitur : « Omnia mandata tua veritas (*Psal.* cxviii), » et hoc non in hypocrisi vel in timore faciamus, sed claritate ut sola claritas nos faciat hæc agere. Et ita crescamus ac proficiamus per omnia, bona quæ habemus, tam sensuum mentis quam et operum bonorum atque verborum, in illo *qui est caput* nostrum, id est providens nobis et regens nos. Et quis est ille? Christus, id est rex noster, sive pontifex. Et in isto atque sub isto capite debemus semper crescere et augmentari per omnia, ut sequamur eum ut membra caput, et in eo maneamus qui se nobis habitaculum dedit, dicens : « Manete in me (*Joan.* xv). » Dehinc Apostolus metaphoram capitis et membrorum prosequitur, ostendens quod nullus fidelium in aliquo bono possit crescere, nisi adhæreat capiti Christo sicut et in humano corpore si membrum aliquod a capite suo abscinditur, jam non crescit sed marcescit. Et hoc est : *Ex quo* capite Christo fit quod *totum corpus*, id est tota Ecclesia secundum omnia est *compactum*, id est conjunctum unanimitate fidei, *et connexum* vinculis charitatis. Et ita est ex fide compactum et charitate connexum, quod si eamus *per omnem juncturam* membrorum, inveniemus ibi esse omne, scilicet quia pes conjunctus est non solum cruri, sed etiam manui et capiti, et cæteris omnibus membris. Et sic invenitur ibi omnis junctura, quia et junctura pedis ad crus, et cruris ad manum et caput, et ita in cæteris. Quæ junctura est *subministrationis* quia præcedentibus electis subministrantur atque sibi subjunguntur per officia sacerdotum ii, qui fiunt Ecclesiæ membra. Subministrationis dico, digne existentis *secundum operationem*, quia ille digne subnexus est præcedentibus Ecclesiæ membris, qui bona quæ potest operatur. Et hæc operatio est *in mensuram uniuscujusque membri*, quia unusquisque juxta modum suum operatur bona, et per hæc crescit usque ad mensuram quantitatis suæ. Unusquisque enim secundum ea quæ operatur, magnus aut parvus dicitur. Vel junctura hæc est subministrationis, id est ad hoc ut alius subministretur alii. Ad hoc enim sunt juncti in Ecclesia fide et charitate, ut sicut in nostro corpore oculi provident pedibus ; sic illi qui in Ecclesiæ corpore sunt oculi, provideant illis qui sunt pedes, et sic cætera membra vicissim faciant. Quæ subministratio secundum operationem fit, ut ministret alius alii secundum ea quæ operari potest, id est in tantum subserviat, in quantum valet operari. Illi autem recusant in Ecclesia ministrare vel ministrari, quia schisma volunt facere. Et quid est aliud in Ecclesia schisma facere, quam dissolvere quod Christus compegit et connexuit? Hæc autem operatio fit in mensuram uniuscujusque membri, id est secundum quod unumquodque membrum potest operari. Et ita corpus istud compactum et connexum, dum membris membra subministrant vel subministrantur, facit augmentum corporis, id est sui ipsius, id est augmentat illos in virtutibus et numero, quæ jam sunt corpus. Et hoc facit *in ædificationem sui*, id est ut se ædificet, et se templum Dei construat, ponens semper in ædificio sui quoscunque potest convertere. Et hoc totum facit *in charitate*, quia propter solam charitatem ponit illos in ædificio Dei et in charitate docet permanere et operari. Econtra » autem faciunt qui schisma generant et hoc sacrum corpus minuere conantur, et ædificium cœleste destruere. Aliter quoque potest intelligi quod dictum est, in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit. Augmentatur enim corpus Ecclesiæ proficiendo in mensuram uniuscujusque membri, ut unumquodque membrum in quantum crescere debet, in tantum crescat per successionem. Crescunt oculi in hoc corpore, dum uno doctore mortuo, crescit et succedit ei alius. Non tamen dicuntur divisi oculi, quia non efficiuntur plures, sed augmentantur. Unus enim semper episcopus in civitate præest, et non plures. Et ita de cæteris sentiendum. Cum autem ista successio et ædificatio peracta fuerit, tunc completa erit mensura ætatis plenitudinis Christi.

« Hoc igitur dico et testificor in Domino (*Rom.* I) « ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant « in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis « ipsorum ; qui desperantes semetipsos tradiderunt « impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in « avaritiam. »

Admonet ut caveant ab antiqua consuetudine gentilitatis. Quasi dicat : Quandoquidem tanti capitis membra estis effecti, *igitur hoc dico* et suadeo vobis, ut ultra non vivatis more illorum, qui ad hoc caput non pertinent. Non obsecro nunc ut superius, sed dico, id est doceo et auctoritate mea veterem nequitiam inhibeo *et testificor*, id est testem me hujus rei facio *in Domino*, id est in confirmatione veritatis Domini et æquitatis ejus, vel testificor in Do-

Digitized by Google

mino, id est sub testimonio Domini assero. Hoc scilicet dico, *ut jam* post conversionem vestram *non ambuletis* sicut olim ambulastis, id est non operemini sicut prius operabamini, *sicut et gentes* quæ nunc sunt, ambulant euntes *in vanitate sensus sui*, id est habentes sensum vanitate plenum, quia non cogitat mens eorum nisi de transitoriis quæ sunt vanitas, ut scriptum est : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas (*Eccle.* I). » Quia ergo nihil sapiunt et nihil appetunt nisi caduca et temporalia, ambulare dicuntur in vanitate sensus. Et naturalem intellectum rationis habent obscuratum et hebetatum tenebris peccatorum ; et ideo minus mirum de illis est si ambulant in vanitate, quam de vobis, qui estis illuminati, et internæ lucis radiis illustrati. Præterita enim peccata sic obscuraverunt intellectum mentis eorum, ut non possit exercere vim propriam, id est vim discretionis. Et quia ambulant in vanitate sensus, ideo sunt *alienati a vita Dei*, id est a vita quæ in Deo est, a vita quæ Deus, id est separati a Deo qui est vita animæ, et cui adhærere vita est. Nam sicut vita corporis humani anima est, sic vita animæ Deus est. Vel secundum alios codices, alienati sunt a via Dei, quia scilicet nunquam ambulant in ea. Et quod alienati sunt a vita vel a via Dei, hoc fit *per ignorantiam quæ est in illis* permanens. Ignorant enim gloriam vitæ cœlestis et viam justitiæ, quæ ducit ad illam ; ideoque alieni remanent utriusque et illa ignorantia locum in eis habet *propter cæcitatem cordis ipsorum*, quia ad aspectum veri luminis oculos cordis apertos non habent, quos evangelicæ prædicationi clauserunt, ideoque jure cæcati sunt. Anima enim recedens a luce justitiæ, quanto magis quærit quod contra justitiam inveniat, tanto plus repellitur a lumine veritatis, et in tenebrosa demergitur. Hoc autem diversum est ab eo quod dixit, tenebris obscuratum habentes intellectum, quia illud accipitur de obscuritate peccatorum, istud autem de cæcitate ignorantiæ. Et revera sunt cæci, qui de venia et salute pro sua turpitudine desperantes, id est divitiarum supernæ gratiæ præmium non sperantes, nullo cogente, sed sua sponte *tradiderunt semetipsos impudicitiæ*, quæ fit in consanguineas, id est sic ex toto tradiderunt se libidini servos, ut nec a consanguinearum concubitu abstinerent. Ipsi dico cadentes *in operationem immunditiæ omnis*, id est in hoc devoluti, ut operentur omnimodam carnis immunditiam, sive in semetipsis, sive invicem, sive in pecudibus. Et hoc faciunt euntes *in avaritiam*, id est in insatiabilitatem, quia sicut avarus nunquam reputat se satis habere, ita nunquam isti perveniunt ad fornicationis saturitatem. Vel ita distinguamus : Delapsi sunt in operationem immunditiæ, quia seipsos inquinant voluptatibus carnis, tendentes omnes in avaritiam, id est in immoderatum amorem habendi, sive ambiendo honores, sive quamcunque pecuniam.

« Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis sicut est veritas in Jesu. Deponite vos secundum « pristinam conversationem veterem hominem qui, « corrumpitur secundum desideria erroris (*Coloss.* III). »

Gentes quæ excæcatæ sunt, ambulant in hujusmodi operibus ; sed vos non debetis taliter ambulare, quia *non ita didicistis Christum*, id est non ita percepistis a prædicatoribus notitiam Christi et doctrinæ ejus, ut in ea, sicut gentes in erroribus turpiter ambulant, ambuletis. Didicistis dico, sed tamen hac conditione, *si illum audistis*, id est si prædicationem quæ de eo fit, intellexistis, vel cum interius loquentem audistis. Loquitur enim Christus homini, cum rationem ejus intrinsecus illuminat et excitat. Homo vero audit, cum intelligit ad quid ratio ejus excitetur, et facit quod sibi divinitus suadetur. Et iterum hac conditione dico, si *in ipso edocti estis*, ut sciatis ea quæ scire et quæ agere in ejus religione debetis. Si [in ipso edocti estis, *sicut in Jesu*, id est in ipso est perfecta et integra veritas, sine ulla admistione falsitatis, veritas fidei et bonæ operationis et sapientiæ et salvationis. Ideoque veraciter bona debent esse opera eorum, qui in ejus scholis discedere cœperunt, et veritatem æternæ salutis in eo adipisci cupiunt. Et quæ sit illa veritas in Jesu, subjungitur, scilicet deponere vos *veterem hominem*, id est ut veraciter non simulatorie deponatis veterem hominem, non secundum substantiam quam traxistis de Adam, sed *secundum pristinam conversationem* vestram quæ erat in vetustate primi hominis, id est secundum priores actus pravitatis vestræ. Deponatis veterem hominem, id est imaginem et conformitatem veteris hominis, cujus vita conformitas ducit ad vetustatem et corruptionem. Veterem, inquam, hominem deponatis, id est omnes pravos actus qui defluxerunt ab eo, et pravos mores ejus. Qui scilicet homo jure deponitur, quia *corrumpitur* in suis delectationibus vel carne, vel spiritu, sive utroque. Corrumpitur non solum secundum opera, sed etiam *secundum desideria* quæ sunt erroris, id est error suadet illa, non veritas Domini Jesu. Et ideo si vere deponitis hunc hominem, deponite etiam desideria ejus quæ veniunt ab errore, vel ducunt in errorem.

« Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite « novum hominem (*Rom.* VI), qui secundum Deum « creatus est in justitia et sanctitate veritatis. »

Non solum deponere veterem hominem debetis, sed etiam *renovamini*, id est ad id quod retro est novamini, id est ad priorem novitatem quam habuit pater vester Adam, quando creatus fuit ad imaginem Creatoris (*Gen.* I). In mente autem et ratione et intelligentia qua Deum cognoscere potuit, factus est ad imaginem Dei. Sed peccando inveteravit, et deformis ac decolor facta est hæc imago. Unde nunc sectando justitiam renovatur et reformatur. Propter quod cum dictum esset, *renovamini*, subjunctum est, *spiritu mentis vestræ* ut in mente intelligatur fieri ista renovatio. Quod enim ait, *spiritu mentis*

Digitized by Google

vestræ, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud mentis spiritus, quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus meus est. Nam et Deus est spiritus (*Joan.* IV), qui nec renovari nec veterascere potest. Dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imagines similes corporum, de quo dicit alibi : « Si autem oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem infructuosa est (*I Cor.* XIV). » Hoc enim fit, quando id quod dicitur, non intelligitur, quia nec dici potest nisi corporalium vocum imagines sonos oris in spiritus cogitatione præveniant. Sed et hominis anima dicitur spiritus. Et etiam spiritus pecoris. Ventus quoque qui res est apertissime corporalis, vocatur spiritus, juxta illud : « Dixit et stetit spiritus procellæ (*Psal.* CVI). » Quia ergo tot modis dicitur spiritus, spiritum mentis dicere voluit eum spiritum qui mens vocatur. Et in hoc jubet ut etiam post novationem baptismi quotidie renovemur exercitio divini fervoris. Mens enim quæ igne superni amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem inveterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Sic ergo renovamini spiritu mentis vestræ. Et ut ita possitis renovari, *induite novum hominem*, id est accipite velut indumentum conformitatem conversationis Christi, quæ vos undique sic cooperiat, ut nihil in moribus vestris appareat, nisi similitudo operum quæ Christus egit, *qui creatus est* non secundum operationem carnalis concupiscentiæ, sed *secundum Deum*, id est sola virtute Dei et potentia Spiritus sancti conceptus est, ac per hoc immunis a labe originalis peccati. Creatus, id est conceptus est *in justitia et sanctitate veritatis*, id est in vera justitia ac vera sanctitate, non in peccatis, sicut cæteri homines non præservati speciali Dei privilegio. Justitia et sanctitas veritatis non solum in conversatione, sed in creatione ejus fuit, ad distinctionem eorum, qui falsam justitiam et simulatam sanctitatem habent. Et ideo induendus est vobis. Potest esse ordo : Induite novum hominem in justitia et sanctitate veritatis. Sic enim induitur Christus. Justitia est observatio præceptorum Dei. Sanctitas vero est, juxta Dionysium, omni inquinatione libera et incontaminatissima et perfectissima puritas. Et hæ pro modulo nostro veraciter in nobis esse debent, ut novi hominis novitas sit nobis indumentum.

« Propter quod deponentes mendacium, loquimini « veritatem unusquisque cum proximo suo, quo- « niam sumus invicem membra (*I Petr.* II). Irasci- « mini et nolite peccare (*Psal.* IV). Sol non occidat « super iracundiam vestram. Nolite locum dare dia- « bolo (*Jacob.* IV). Qui furabatur, jam non furetur ; « magis autem laboret, operando manibus suis « quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessi- « tatem patienti. »

Deponere veterem hominem debetis, et induere novum. *Propter quod* agendum, agite sequentia. Nam quia vetus homo deponendus est, deponite mendacium, id est desistite mentiri, quia « os quod mentitur occidit animam (*Sap.* I). » Quia vero novus est induendus, *loquimini veritatem*, quod ad novum pertinet. Loquimini veritatem *unusquisque cum proximo suo*, id est cum quolibet homine. Proximus enim est omnis homo, qui ex uno parente sumus omnes geniti. Omnesque proximi sumus conditione terrenæ nativitatis. Et aliter : Spe cœlestis hæreditatis debes proximum tuum putare omnem hominem, et antequam sit Christianus. Non enim nosti qualis futurus sit apud Deum, qui modo vel Judæus est, vel hæreticus, vel paganus. Forte enim per misericordiam Dei ita convertetur, ut inter sanctos primum locum habere mereatur. Et secundum hanc spem, quasi membrum Ecclesiæ æstimari potest. Nam ideo loqui debemus alter alteri veritatem, *quoniam sumus invicem membra*, ut vicissim serviat alter alteri, et diligat eum sicut se. Deponite veterem hominem. Si autem contigerit ut vos aliquid adhuc vetusto more agatis, irascimini inde vobismetipsis, id est agite pœnitentiam, et ulterius peccare desistite. Quid est enim pœnitens nisi homo irascens sibi ? Ut accipiat veniam, de seipso exigat pœnam. Potest et prælatis juberi, irascimini vitiis delinquentium, id est severitatem in corrigendo exhibete, *et nolite peccare*, id est nolite in hoc nimis districte agere, ne modum excedendo peccetis. Vel omnibus etiam ita dici potest : Irascimini, id est si forte irascimini, id est si surgit motus animi qui jam propter pœnam peccati non est in potestate, nolite peccare, id est saltem non ei consentiat mens et ratio. Etsi contigerit irasci, *non occidat sol super iracundiam vestram*, id est non teneatis eam diu, nec in crastinum reservetis, sed ante solis occasum ejicite illam de corde vestro. Iracundia enim dicitur quasi ira abscondita, quia scilicet diu tenetur in animo. Sed aliter melius intelligitur hæc sententia, quia noster sol Christus est, qui veritas et sapientia et justitia est, cujus luce anima humana illustratur. Sed hanc lucem desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tanquam nubilo superata. Et tunc quasi occidit super iracundiam hominis sol, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Propter quod multum cavenda est iracundia, per quam lux veritatis amittitur. Qua amissa, princeps tenebrarum diabolus locum in homine sibi invenit. Unde sequitur : *Nolite locum dare diabolo.* Iratus enim mala cogitat, et sic se diabolo ingerit atque pandit, ut cogitata perficiat. Pandit ostium cordis et hostem sinit intrare. Sed vos nolite ei locum dare, quærenti per suggestionem malorum invenire locum consensus aut delectationis in vobis. Qui enim suggestionibus ejus consentit, dat ei locum in se. Claudendum est cordis ostium, ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat. Si clausum invenerit, transit. Quia ergo in vestra potestate est hoc ostium claudere, nolite.

Digitized by Google

locum dare diabolo. Etenim si intravit et possedit, aut tu negligenter clausisti, aut claudere neglexisti. Hoc ostium habet tanquam duas valvas, cupiditatis et timoris. Aut cupis aliquid terrenum, et hac intrat; aut times aliquid terrenum, et hac intrat. Cupiditatis ergo et timoris januam claude contra diabolum, si vis tutus esse. Nam de cupiditate qua Satanas intrat, subjungitur : *Qui furabatur, jam non furetur*. Et hoc quoque, sicut et prædictorum vitiorum prohibitio, pertinet ad depositionem veteris hominis. Quodque sequitur, magis autem laboret, etc., ad induitionem Novi pertinet. Furtum vero hic intelligi potest, non solum occulta alienarum rerum ablatio, sed etiam quidquid acquiritur sub alterius damno vel deceptione. Qui ergo dum veterem vitam duceret, furabatur aliena bona, jam postquam novum hominem induit, non furetur, id est non auferat dolo vel aliqua machinatione fraudis aliquid alienum, sed magis, id est potius laboret non per servos, sed *manibus suis*, id est propriis operando non illud opus quod displiceat Deo, sed illud *quod est bonum*, id est utile et sine peccato. Ideo scilicet laboret, *ut habeat* non solum unde vivat, sed etiam *tribuat necessitatem patienti*, id est penuriam : hoc est ut possit pauperes de justo labore sustentare. Hinc enim ostenditur, quod eleemosyna debet fieri ex eo quod bonum est, id est quod juste habetur, non de eo quod injuste. Sequitur ·

« Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. »

Omnis sermo malus non procedat, id est nullus sermo malus procedat *ex ore vestro*, etiam si fuit corde conceptus, sed comprimite illum ne possit exire, ut nihil mali unquam loquamini. Sermo contumeliosus et lascivus aut murmuriosus, vel alius hujusmodi, non exeat ab ore vestro; *sed si quis est* in corde vestro *bonus*, id est humilis et charitativus et utilis, ille procedat non otiose, sed *ad ædificationem fidei*, id est ita opportune, ut ædificet alios in fide, quæ per dilectionem operatur, quia illa est vera fides et salutifera. Ad ædificationem procedat bonus sermo Ubi ostenditur quia nec bonus sermo proferri debet nisi ad ædificationem. Unde Psalmista : « Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis (*Psal.* xxxvm). » Ad hoc proferatur bonus, *ut det gratiam audientibus*, id est ut auditores per eum hauriant dulcedinem supernæ gratiæ, et promoveantur in bonis operibus. Talis sermo processit ex ore matris Domini, quando ad vocem salutationis ejus repleta est Spiritu sancto Elizabeth (*Luc.* xxxi). Nolite malum sermonem proferre. *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei* in mala conversatione vestra, id est nolite talia facere quæ Spiritui sancto sic displiceant, ut recedat a vobis, quasi offensus ac contristatus. « Spiritus enim sanctus, ut scriptum est, disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, et corripietur a superveniente iniquitate (*Sap.* i). » Nam in sua substantia Spiritus sanctus contristari non potest, cum ipse sit æterna et incommutabilis beatitudo ; sed ad similitudinem hominis contristari dictum est, qui domum illius, qui eum contristavit, egreditur. Vel Spiritum sanctum dicitur contristare, qui pravis moribus suis contristat sanctos, in quibus habitat Spiritus sanctus. Sancti enim sicut de profectibus fidelium gaudent, sic de lapsibus eorum contristantur. Propterea Spiritus sanctus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent, per quem tam boni sunt, ut eos mali mœstificent, hi maxime, quos bonos fuisse vel noverunt vel crediderunt. Contristari dicitur Spiritus sanctus, quia suis electis inspirat charitatem, per quam facit ut contristentur de aliorum detrimentis. Sancti autem qui sic contristantur, maxime sunt pii præpositi Ecclesiæ. Unde nunc subjectis præcipitur, ne per inobedientiam suam contristent eos, quia in eis contristarent Spiritum sanctum. Ut exaugeret peccatum, voluit Apostolus ita dicere. Præpositos enim contristant, qui eorum verba contemnunt, et eis obedire despiciunt. Non debetis hunc spiritum contristare, *in quo* vos quasi cera *signati estis*, ejus imagine vobis impressa Vel signati, id est ab infidelibus discreti. Et hoc factum est *in die redemptionis*, id est quando transacta nocte infidelitatis et ignorantiæ, illustrati estis luce fidei in baptismo, et redempti de servitute diaboli. In baptismo enim Spiritus sanctus fide et sacramentis et spiritalibus gratiis signat fideles, id est ab infidelibus secernit.

« Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis (*Coloss.* m). »

Omnis amaritudo quæ quidem contraria est benignitati, id est rancor et asperitas in dictis vel in factis sive in cogitationibus, *tollatur a vobis ; et ira*, id est subita commotio animi, aliquandiu ipsum animum possidens ; *et indignatio*, id est vehemens furor animi cum quodam arrogantiæ vitio. Hoc fit plerumque, si major viderit minorem in aliquo honore sublimari. Indignatur enim ex hoc nonnunquam graviter. Et quia istum impetum animi solent sequi clamorosa verba, subsequenter ponitur *et clamor*. Clamorem hic accipimus, quando omnes cum sunt in iræ furore, mala verba et ad contumeliam pertinentia proferunt; *et blasphemia*, id est prolatio verborum contra Deum vel sanctos ejus. Blasphemia enim est, per quam de ipso Deo falsa dicuntur vel sanctis ejus. Et omnia hæc jubet Apostolus ut tollantur a nobis, exhortans nos ad patientiam. Et quasi cunctis exterius jam bene compositis, ad interiora convertitur, dum subjungit : *cum omni malitia*. Malitia enim proprie ad mentem per-

Digitized by Google

tinet. Et frustra indignatio et clamor et blasphemia ab exterioribus tolluntur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur. Et incassum foris nequitia ex ramis inciditur, si subreptura multiplicius intus in radice servatur. Malitia ergo quæ est occulta radix vitiorum, exstirpanda funditus est a corde; et dulcedo charitatis inserenda, ne vitiorum rami foras erumpant. Sic enim tolerare debemus eos qui mala nobis irrogant, ut et puro corde diligamus illos. Hæc vitia dum tollimus a nobis, deponimus veterem hominem; novum autem induimus, facientes quod subditur : *Estote autem*, etc. Quasi dicatur : Nolite esse amari, sed econtra *estote invicem*, id est alter erga alterum benigni, id est bonum ignem piæ dulcedinis habentes. Benignitas enim est serenitas animi, quando aliquis clare et hilariter loquitur, et sua tribuit, et conversatur cum alio. Quæ, sicut diximus, contraria est vitio amaritudinis. Et nolite iram habere adversus quemquam, sed estote invicem *misericordes*, id est viscera miserationis habentes, ut affectum benefaciendi proximis semper habeatis, etsi deest quod tribuatis. Et non clametis irati contra aliquem, vel non deferatis ad judicem, de injuria vobis illata clamorem, sed estote *donantes invicem*, id est condonantes alter alteri, quidquid læsionis vel offensionis pertulistis. Et hoc facite non ficte, nec ex parte, sed ita pure et perfecte, *sicut et Deus in Christo donavit vobis*, id est sicut Deus per Christum omnia, quæ commiseratis, condonavit vobis, sine aliquo respectu vindictæ ulterius futuræ, sic et vos condonate vobis semper ad invicem sine respectu alicujus ultionis. Alioquin Deus repetet quæ vobis dimiserat.

CAPUT V.

« Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus « dilexit nos (*Joan.* XIII, XV), et tradidit semetipsum « pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem « suavitatis. »

Quandoquidem Deus in Christo vobis peccata, quæ in eum commiseratis, donavit, *ergo estote imitatores Dei*, id est sequimini exemplum bonitatis ejus, ut et vos fratribus dimittatis quidquid in vos delinquunt. Et hoc facite *sicut filii charissimi*, quia si hoc feceritis, tunc filii charissimi eritis illius Patris. Unde dicit Unigenitus ejus : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V; *Luc.* VI). Et non solum in condonatione peccatorum sitis imitatores Dei, sed etiam *in dilectione*, ut diligatis eos qui vobis adversantur. Scilicet in dilectione positi ambulate, id est promoveamini et proficite in ea in tantum, ut si opus fuerit, ponatis animas pro his quos diligitis, *sicut et Christus dilexit nos*, et posuit animam suam pro nobis (*Joan.* X). Magna et inenarrabilis dilectio, ut unicus Filius Dei semetipsum pro nobis traderet morti, Dominus pro servis, Creator pro creatura. Nam *tradidit pro nobis* redimendis, non arietem, non hircum, non etiam prophetam aut apostolum, sed *semetipsum* qui Deus est. Tradidit se, id est non invitus est ductus ad mortem, sed ipse spontaneus se dedit, et in hoc apparuit vis dilectionis. Tradidit enim se *oblationem et hostiam Deo*. Oblatio namque dicitur, quando nullo quærente aliquid sponte offertur. Sic Christus cum nemo id quærere auderet, obtulit se pro nobis in cruce sacrificium Deo. Hostia vero dicitur, quæ pro hostibus vel victis vel superandis celebratur. Sic et hostia Christi diabolus et dæmones superati sunt atque peccata. Vel oblatio fuit Christus, quia morte sua nobis dona virtutum et divinam gratiam acquisivit; hostia vero, quia nos ab hoste liberavit. Vel oblatio, dum fuit injuriatus; hostia dum fuit occisus. Qui dedit se hostiam talem, quæ iret *in odorem suavitatis*, id est in odorem suavem Deo. Quia sicut suavis et bonus odor est alicui acceptabilis, sic Deo sacrificium Dominicæ carnis. In quo Pater delectatus est non respectu simplicis mortis Christi, sed respectu fructus ab ea procedentis. Ex ea enim nunc salus humano generi provenit, in qua quidem Deus delectatus est. In intentione etiam Salvatoris et affectu pietatis ejus, dum se pro nostra redemptione immolari permitteret, delectatus est Pater, ut in odore suavissimo. Nam quia Justus pro justitia occisus est, optimum de sua morte præbuit odorem. Sicut enim peccatum fetorem, sic justitia bonum spirat odorem.

« Fornicatio autem et omnis immunditia aut ava« ritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, « aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, « quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum « actio. »

Deum imitari studete. Sed fornicatio et immunditia et avaritia sic prorsus rejiciantur a vobis, ut neque vel nominentur in vobis, id est nomen alicujus horum vitiorum non sit in aliquo ex vobis, scilicet nemo saltem solo verbo dicat quemquam vestrum esse talem; sed ita coram Deo et hominibus irreprehensibiles estote, ut nullum locum malæ suspicioni detis. Fornicatio dicitur a fornicibus, qui et arenarii nunc appellantur. Sunt enim theatrales arcus et lupanaria loca, in quibus erant meretrices, cum quibus spurcissimi quique commiscebantur. Immunditia autem vocatur omnis incontinentia ad libidinem pertinens, quoquo modo fiat. Fornicatio igitur quantum ad mulieres, hic accipitur; immunditia vero, quantum ad hoc quod fit contra naturam, sive in se, sive in alium. Avaritia vero illa pestis est animi, quæ nunquam dicit nisi accipe. Quam ideo ponit Apostolus cum fornicatione et immunditia, ut innuat eam esse fornicationem animæ, sicut illicita corporis operatio, corporis est fornicatio, sicut enim qui fornicatur, non sua, sed aliena muliere abutitur; sic qui peste avaritiæ contaminatur usque ad aliena habenda extenditur; et quod sub rapina habet, omnibus retinere molitur. Per hoc

Digitized by Google

quod posuit disjunctivam conjunctionem inter immunditiam et avaritiam, quod quidem non fecerat inter immunditiam et fornicationem, voluit significare alterius generis esse fornicationem et immunditiam, et alterius avaritiam, quia illæ sunt corporis, ista vero animæ. *Fornicatio et omnis immunditia aut avaritia* non solum non sit *in vobis*, sed *nec etiam nominetur*, id est tantopere vobis providete ab istis vitiis, ut neque vel infamiam illorum patiatur aliquis vestrum *sicut decet sanctos* a vitiis esse immunes et a nota infamiæ, *aut turpitudo* non nominetur in vobis, *aut stultiloquium*, *aut scurrilitas*. Turpitudo est, qua mens inflammatur ad libidinem, ut in osculis et amplexibus et multis aliis hujusmodi. Stultiloquium vero est stulta verborum prolatio, nullam utilitatem, nullamque scientiam continens, sine industria et discretione facta. Scurrilitas vero est facetia joculatoriorum verborum, quæ quadam industria et ingenio artis proferuntur, ut auditores ad risum moveantur. Quæ scurrilitas licet magno labore studii agatur, tamen *non pertinet ad rem*, id est ad aliquam utilitatem, sed tantum ad vanitatem et mentis enervationem. Hæc vitia non nominentur in vobis, *sed magis*, id est potius nominetur in vobis *gratiarum actio*, id est ita Deo semper agite gratias super beneficiis ejus, et ita laudibus ejus insistite, ut nihil de vobis dici possit, nisi quod omnis actio vestra Deo gratias rependit, scilicet et verbis et actibus assidue gratias Salvatori reddite.

« Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. »

Ratio quare fornicatio et cætera non debent esse in vobis, quia hoc sine ambiguitate sciatis, *quod omnis fornicator*, etc. Omnis dico, id est numeratis singulis partibus cujusque, nulla reperietur quæ habeat hæreditatem in regno Christi et Dei, id est quæ habeat hæreditario jure locum in regno gloriæ. Et hoc ideo, quia Christi est, contra cujus præcepta operantur tales; et Dei Patris, cui injurias faciunt. Et hoc erit vobis manifestum, si fueritis intelligentes, id est si adverteritis quod advertendum est, videlicet quid sit fornicatio et immunditia, id est quam immunda res sit et sordida omni vituperatione digna, et item quam pessima et prava res sit avaritia, videlicet quod avarum esse sit non solum idolis serviens, sed etiam ipsa idolorum servitus. Avari enim Deus, nummus est. Nam sicut qui idolis servit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ attribuit; sic et avarus impendit cultum effigiatæ pecuniæ, cum Deum colere deberet, non pecuniam. Ideoque pecunia quam diligit, veneratur et colit, facta est illi idolum, quia spem suam in ea posuit, et a Dei cultu pro ea recessit. Dum enim deberet adire Ecclesiam, custodit arcam. Dum deberet rogare Deum, petit forum, ut augeat lucrum. Quapropter idololatria merito judicatur. Vel etiam ideo, quia sicut idololatria rapinam facit, honorem Dei tollendo et idolis dando, sic avarus rapit pauperibus ea, quæ superflue sibi coacervat. Res enim quas Deus servire vult indigentibus, ipse sibi usurpat et recondit. Et propter hujusmodi causas avaritia est idolorum servitus. Et econtrario si adversitatis quod sit regnum illud, scilicet quanta felicitate plenum, ubi nullus locus desiderandi est, nisi quod quisque habet, quia unicuique sufficit omnino quod habet, et item si advertatis quid sit Christus, id est quam sanctus, quam immunis ab omni peccato; et quis sit Deus, id est quam justus judex; et quantum bonum, id est summum; si hæc omnia vultis advertere, scietis fornicatorem et similes excludi a regno Dei. Non enim intrabit in illud, sicut legimus, aliquid immundum (*Apoc.* XXI). Christus nunc primo nominatur, et postea Deus, ne secundum Arianos æstimaretur minor Patre Filius.

« Nemo vos seducat inanibus verbis (*II Thess.* II); « *Matth.* XXIV; *Marc.* XIII; *Luc.* XXI). Propter hæc « enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. »

Seducebant quidam auditores suos, promittentes impunitatem eis ex misericordia Dei, et persuadentes quia propter peccata superiora non amitteret homo regnum Dei. Contra quos nunc Apostolus : *Nemo*, inquit, *vos seducat inanibus verbis*. Inania enim sunt, id est ventosa, et omni veritate vacua, verba eorum, qui dicunt vel dicebant, non omnem fornicatorem aut immundum, aut avarum damnari, proponentes hoc, et dicentes : Si omnis fornicator et immundus, et avarus damnatur, tunc pauci in mundo salvantur. Quod reputant inconveniens et impossibile, cum sit conveniens et possibile. « Multi enim sunt, ut ait Dominus, vocati, pauci vero electi (*Matth.* XX). » Dicunt etiam aliquando misericordiam Dei tantam esse, ut etiam fornicatorem vel avarum non sinat æternaliter cruciari; atque naturale esse prædicant, ut his vitiis serviatur, dicentes : Cur fecit Deus mulieres, aurum, argentum, et similia, nisi ut his utemur? Sed Apostolus e contrario clamat : *Nemo vos seducat inanibus verbis*, id est a nemine vos permittatis seorsum ab hac ratione duci, scilicet quod fornicator et cæteri tales non habebunt partem in regno Dei. Omnes enim rationes eorum, qui vos ita seducere volunt, sunt inania verba. Et revera non debetis hujusmodi verbis ab hoc sano intellectu divelli, quia *propter hæc* verba *venit ira Dei*, id est ultio divina, ut in æternum pereant, *in filios diffidentiæ*, id est in eos qui cum sint filii Ecclesiæ non secundum bonam vitam, sed solummodo secundum sacramentorum participationem, sunt tamen diffidentiæ et desperationis, quia de illis diffidimus propter pravitatem eorum. Et quia ira divinæ animadversionis in obitu eorum venit in eos, *ergo* ne vos similia patiamini, *nolite effici participes eorum*, videlicet vel quod eadem dicatis, vel quod fidem eis adhibeatis. Sed et secundum veterem historiam (*Num.* XXI, XXV,

Digitized by Google

xxvi), propter inania verba et fornicationem, et his similia, venit ira divinæ ultionis in Judæos, prosternens cadavera eorum in deserto; qui erant filii diffidentiæ, quia de promissionibus diffidebant, non credentes quod essent veræ; et ideo murmurabant et fornicabantur, propter quæ et perierunt. Nolite ergo similiter vel agere vel loqui ne similiter pereatis.

« Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem « lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus « enim lucis est in omni bonitate et justitia et veri- « tate, probantes quid sit beneplacitum Deo. »

Non debetis jam effici participes eorum, quia vos *aliquando*, id est ante conversionem *eratis tenebræ*, id est obscuritas nigredinis peccatorum et in vobis-ipsis, et in aliis, pravo exemplo illos excæcando, et in errorem præcipitando, sed *nunc*, id est postquam ad gratiam accessistis, facti estis *lux* secundum fidem et justitiam et puritatem vitæ, quia lumine et exemplo vestræ operationis et scientiæ alios illuminatis. Et hoc non in vobis, sed *in Domino*, quia tenebræ fuistis in vobis, sed nunc estis lux in Domino, ut « qui gloriatur, in Domino glorietur (*Jer.* IX; *I Cor.* I). » Lux estis, sed lux illuminata, sicut et oculi nostri dicuntur lux, sed illuminata, quia videre non possunt, nisi vel in die sol luceat, vel in nocte aliquod luminare fulgeat. Et quia oportet ut vos qui lux talis estis, ut a vera luce quæ Deus est, illuminemini, non in vobis lux esse dicemini, sed in Domino. Et ideo filii lucis jure vocari potestis. Quia ergo lux estis et filii lucis, idcirco non jam ut filii tenebrarum, sed *ut filii lucis ambulate*, id est promoveamini de lucidis operibus in lucidiora. Et ratio suadet ut sic ambuletis, quia *fructus lucis*, id est utile opus quod gignit lux, sicut arbor fructum, *est in omni bonitate*, qua quisque sit bonus in seipso; et in omni *justitia* qua proximis quod justum est impendat; et in omni *veritate*, qua id quod verum est, credat et loquatur. Possumus autem justitiam et veritatem partes bonitatis intelligere. Justitia vero tenetur in observantia bonorum operum, veritas autem in sermonibus non falsis et cogitationibus. Et hæc omnia bona sunt, ideoque partes bonitatis. Et lux quæ tales fructus facit, homo est, lucificatus a vera luce, quæ Christus est. Ambulate ut filii lucis, et hoc facite, *probantes*, id est discutientes, et scire studentes atque discernentes *quid sit beneplacitum Deo*, id est quid Deus multum velit, ut illud faciatis, quod ei optime placere probaveritis. Quidquid enim facere volumus, antequam illud inchoemus, probare debemus an Deo placiturum sit. Et si Deo placiturum probaverimus, tunc faciamus illud; si autem displicaturum, non faciamus. Sequitur :

« Et nolite communicare operibus infructuosis « tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim « in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. »

Ut filii lucis ambulate, *et nolite communicare*, id est non habeatis voluntatem communicandi, id est consentiendi *operibus infructuosis tenebrarum*, id est eorum qui sunt tenebræ, id est excæcati in se, et excæcantes alios, quia infructuosa sunt illa opera, id est nullam utilitatem afferentia. Non communicetis operibus hujusmodi, sed *magis*, id est potius *redarguite* et corrigite ea. Duobus enim modis non nos inquinant mali cum quibus degimus, id est si non consentimus, et si redarguimus, hoc est non communicare, non consentire. Communicatur enim peccatori, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Hoc ergo nos admoneus Apostolus, ait : *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum* hominum. Et quia parum erat non consentire, si quæreretur negligentia disciplinæ, magis autem, inquit, et redarguite. Videte quoniam utrumque complexus est : *Nolite communicare, magis autem et redarguite.* Quid est, nolite communicare? Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, magis redarguite? Reprehendite, corripite, coercete. Prælatis vero datum est maxime hoc præceptum. Ideo non debetis communicare, sed potius redarguere, quia *turpe est* non solum facere vel videre, sed *et dicere ea quæ ab ipsis* tenebrosis hominibus *fiunt in occulto*, id est in secretis locis, quia verecundantur talia palam facere. « Omnis qui male agit, odit lucem (*Joan.* III). » Sequitur :

« Omnia autem quæ arguuntur, a lumine mani- « festantur. Omne enim quod manifestatur, lumen « est. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et ex- « surge a mortuis, et illuminabit tibi Christus. »

Ipsi faciunt in occulto turpia. Sed *omnia* opera eorum *quæ arguuntur*, *manifestantur eis a lumine* redargutionis ejusdem. Plerumque ignoratur culpa ab ipso, qui perpetravit eam. Sed dum increpatur, manifestatur ei. Et istia qui nunc ab Apostolo vocantur tenebræ, sic obscurata est usu peccandi conscientia, ut jam ea quæ faciunt, mala esse non intelligant; vel si intelligunt, pro nihilo ducant et obliviscantur. Quasi enim sub quadam obscuritate teguntur et latent peccata quæ fiunt, ut vel non intelligantur, et post ad memoriam non revocentur. Sed dum ab increpante ingeruntur oculis cordium suorum culpæ, quas nesciebant, et arguuntur, tunc a lumine veritatis manifestantur mentibus eorum, ut eas videant et confiteantur, ac pœnitendo deleant. Ecce quanta utilitas ex redargutione proveniat. Et vere manifestantur a lumine. Nam *omne peccatum quod manifestatur, est lumen*, id est evidens et non ambiguum, nec potest excusatione tegi, quod palam dictum est. Vel omne malum opus quod per confessionem manifestatur, lumen est; id est illuminans conscientiam, quia ex consideratione malorum quæ fecit, illuminatur pœnitentis animus ad agenda bona, ut videat quantum in pœnitentia se debeat affligere, et quanto studio bonis operibus insudare. *Propter quod*, id est quia omne quod manifestatur, fit lumen, *dicit* Isaias : « Surge, illuminare, quia venit lumen tuum (*Isa.* XL). » Sed Apostolus more

Digitized by Google

suo et auctoritate apostolica verbis aliis ponit hanc sententiam, et addit aliqua : *Surge*, inquit, *qui dormis*, etc. Somnus animæ est oblivisci Deum suum. Quæcunque enim anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Sicut enim qui corpore dormit, etiam si dies jam fuerit, tanquam in nocte est, quia non vigilat ut videat jam ortum diem; sic quibusdam jam præsente Christo, jam prædicata veritate, adhuc inest somnus ruinæ. Ideo unicuique talium clamat propheta vel Apostolus : Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, id est Christus. Vel *surge qui dormis*, id est qui torpes in obscuritate cordis, non recogitans Deum, nec advertens peccata tua, sed in terrenis desideriis oculos mentis habens, surge ab illa pigritia per recordationem Dei et intelligentiam culparum tuarum, *et exsurge*, id est ex toto surge per dignam pœnitentiam, tu dico, elevatus et separatus *a mortuis*, id est ab illis qui per peccata spiritualiter mortui sunt in anima, ut jam cum illis non jaceas similiter mortuus. Vel surge per confessionem, et exsurge per satisfactionem. *Exsurge a mortuis*, id est a peccatis, quæ in Epistola ad Hebræos vocantur opera mortua (*Hebr.* VI). Et tunc *Christus* qui illuminator est mentium, *illuminabit tibi*, id est lumen sapientiæ et veritatis et gratiæ suæ sic infundet cordi tuo, ut maneat tibi, id est ut ultra non amittas illud. Plus enim notat dicens illuminabit tibi, quam si dixisset, illuminabit te. Quia illuminabit te, notaret Christum ei lumen virtutum infundere; sed illuminabit tibi, non solum vocat virtutum jubar expandere sed etiam in eo conservare. Non enim illi, id est, ad utilitatem illius Christus illuminaret, si non illum in virtutum lumine conservaret usque in finem.

« Videte itaque, fratres, quomodo caute ambu-
« letis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, re-
« dimentes tempus, quoniam dies mali sunt (*Col.*
« IV). Propterea nolite fieri imprudentes, sed intel-
« ligentes quæ sit voluntas Dei (*Rom.* XII; *I Thess.* IV). »

Debetis, sicut dictum est, ut filii lucis ambulare, et operibus tenebrarum non communicare, sed potius ea redarguere. Et quia sic agendum vobis est, *itaque, o fratres, videte*, id est considerate *quomodo caute ambuletis*, id est prudenter agatis. Caute enim ambulant, qui sic per viam bonæ operationis incedunt, ut ab insidiantibus vitiis se sapienter custodiant. Caute ambulant, qui et bona faciunt, et nec suis nec aliorum vitiis maculantur. Quod agere soli possunt, qui et juste vivunt, et peccantibus non consentiunt, sed eos studio charitatis redarguunt. Ambulate caute *non quasi insipientes*, id est non solum cavete vobis a peccato, sed etiam a similitudine peccati; hoc est, ita vos custodite, ut nullo modo videamini habere similitudinem cum insipientibus. Multi enim sunt qui caute ambulant, conservando se cum Dei adjutorio immunes a peccato digno reprehensione, et tamen ambulant quasi insipientes. Ut si quis sacerdos redarguendo meretricem, frequentat domum ejus, videtur insipiens, licet nullum animum peccandi in eam habeat. Sed non decet sanctos malam de se opinionem dare per negligentiam vel indiscretionem suam. Non quasi insipientes ambuletis viam justitiæ, *sed ut sapientes*, id est ita irreprehensibiliter, ut in ipsa ambulatione videamini sapientes. Vel non ambuletis ut insipientes sæculi amatores, qui non provident sibi in futurum; sed ut sapientes qui sic in hoc sæculo vivere student, ut in futuro vitam æternam habeant. Vos dico, *redimentes tempus*. Redimere tempus est, ut quando aliquis infert tibi litem, perdas aliquid ut Deo vacet, non litibus. Quod enim perdis, pretium est temporis. Quomodo perdis nummos ut emas tibi aliquid, sic perde nummos vel quodlibet aliud, ut emas tibi quietem. Non enim habebis quietum cor, sed everteris cogitationibus tuis irritatus contra adversarium tuum. Et ita perdes tempus. Sed melius est ut nummos perdas, et tempus redimas. Vel tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. Dum enim male agimus, tempus, in quo bene operari deberemus, amittimus, sed damnum temporis redimimus, si ita vitam commendamus, ut ea bona quæ olim facere negleximus, et ea quæ nunc facere debemus, faciamus. Nec mirum si minus fecimus, quoniam dies mali sunt, id est temporis variatio nociva est, quia peccantes attrahit ad varietatem delectationum. Dies sunt mali, quia in ipsis viget malitia, et in ipsis leviter peccatur, quoniam tempus dat materiam male operandi, proponendo varietates rerum quas ex se affert. Dies enim malos duæ res faciunt, malitia et miseria. Nam per malitiam hominum et miseriam dicuntur dies mali. Cæterum dies isti quantum ad spatia horarum, ordinati sunt, ducunt vices, agunt tempora. Cui molesta sunt tempora, si homines sibi non sint molesti? Ergo dies malos, sicut dixi, duæ res faciunt, malitia et miseria. Sed miseria hominum communis est, non debet autem malitia esse communis. Ex quo enim lapsus est Adam et de paradiso expulsus, nunquam fuerunt dies nisi mali. Et quia dies mali sunt, et nos positi sumus in proclivio peccandi, *propterea nolite fieri imprudentes*, id est indiscreti vel inconsiderati, ut non possitis mala prudenter vitare, et bona eligere, vel consideratione rationis omnia facere; *sed sitis intelligentes quæ sit voluntas Dei*, id est quid Deus velit, ut illud faciatis.

« Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria;
« sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobis-
« tipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritua-
« bus cantantes et psallentes in cordibus vestris
« Domino : gratias agentes semper pro omnibus in
« nomine Domini nostri Jesu Christi Deo Patri, sub-
« jecti invicem in timore Christi. »

Intelligite voluntatem Dei. Et ut eam possitis intelligere et facere, *nolite inebriari vino*. Non prohibeo quin moderate vinum bibatis, sed modum non excedatis. Ebrietatem enim interdico. Non in-

Digitized by Google

briemini vino, *in quo* immoderate bibito *est luxuria*, id est luxuria est in nimia potatione vini. Non in natura vini est luxuria, sed in immoderatione potationis, ne quis perverse intelligens, conetur ostendere creaturam Dei, id est vinum, malum esse, sic argumentando : Cujus effectus malus est, ipsum quoque malum est; sed effectus vini, id est luxuria, malus est, igitur vinum est malum. Quod non procedit, cum sit creatura Dei. Idcirco dicendum est, in quo, id est in inebriari, est luxuria. Vel certe vinum in quo est luxuria, possumus intelligere concupiscentiam et cæteras vitiorum potiones, quæ mentem inebriant et evertunt. De cujusmodi Salomon ait : « Luxuriosa res vinum (*Prov.* xx). » Nolite vino ingurgitari, *sed implemini*, id est studete impleri *Spiritu sancto*, qui vos laudabiliter inebriet mutando mentes vestras, et amore æternorum calefaciens. Quo scilicet Spiritu impleri hoc modo poteritis, id est si ea quæ ore cantatis, mente cogitatis et intelligitis, ac vos de his intus instruitis. Et hoc est : Implemini Spiritu sancto, *loquentes vobismetipsis* intus secundum attentionem, id est intelligite quæ labiis profertis, quia non modicum placet Deo, ut quisque advertat quæ loquitur *in psalmis*, qui ad bonam operationem commonent; *et hymnis* qui de laudibus Dei, *et canticis spiritalibus* quæ de æterno gaudio resonant, et ideo spiritalia sunt. Sunt enim sæcularium hominum cantica, sed non spiritalia. Et post locutionem horum sitis *cantantes*, id est Deum laudantes, et de æternis exsultantes, sicut hymni et cantica docent, *et psallentes* opere sicut psalmi suadent. Cantate, inquam, et psallite *in cordibus vestris*, id est sicut in ore vestro laudes resonant Domino, sic resonent in cordibus vestris; et hoc facite non vanæ gloriæ vel alii rei, sed soli *Domino*, id est ad honorem ejus. Cantate, id est cœlestia resonate et desiderate. Nam qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde. Qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est. Desiderium enim et amor cordis, amœna vox est intus cantantis. Sic cantate in cordibus vestris Domino. Vos dico, *gratias agentes* non ad horam, sed *semper pro omnibus* quæ dedit vel dederit, sive sint prospera, sive adversa. Gratias ei semper agite, et hoc *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, per quem hæc omnia vobis a Patre dantur, ut ipse Filius in illis gratiarum actionibus glorificetur. Gratias, *inquam*, agite *Deo* qui vos creavit, *et Patri* qui vos in filios adoptavit. Vos dico, *subjecti invicem*, humiliter curam agendo alter alterius, et pie vicissim ministrando, et hoc facite *in timore Christi* casto, qui hujus vitæ subjectionis humilitatem præcepit, et venit non ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx).

« Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, « quoniam vir caput est mulieris (*I Cor.* xi; *I Petr.* « iii), sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse sal- « vator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. »

Ad familiaria præcepta se transfert Apostolus, et unicuique gradui quid debeat, præcipit. *Mulieres sint subditæ* reverendo, obediendo, *viris suis*, non alienis, *sicut Domino*, id est ad bene agendum solummodo, sicut nos subjicimur Domino Deo, ut illi serviamus bona faciendo, non mala. Vel sicut Domino, id est in simplicitate et charitate qua Deo servirent, serviant viris suis. Quod ideo facere debent, *quoniam vir est caput mulieris*, id est principium, quia mulier primum de viro facta est (*Gen.* ii). Ideo etiam caput, quia rector. Per virum enim regitur mulier, sicut per caput corpus. Et dignum est ut corpus regatur et subdatur capiti, id est mulier viro. Ita est vir caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, quia sicut Christus regit et instruit Ecclesiam, sic vir regere debet et instruere uxorem suam; et sicut Christus et Ecclesia spiritualiter sunt unum, sic vir et uxor carnaliter unum. Sicut Christus est decus Ecclesiæ, sic bonus vir decus mulieris. Christus est caput Ecclesiæ, *ipse* dico, *salvator corporis ejus*, id est Ecclesiæ, quia ipse salvat totum corpus ecclesiæ. Nullum enim membrum Ecclesiæ salvatur nisi per Christum, qui caput et Salvator est omnium electorum, et vir similiter pro modulo suo debet uxorem ab omnibus malis salvare. Nam sicut Ecclesia vitæ suæ causam habet ex Christo, sic mulier ex viro, quia ut consistat, virum accipit. Mulieres sint subditæ viris, et non qualitercunque, sed *sicut Ecclesia subjecta est Christo* in omnibus, *sic mulieres viris suis* subjiciantur *in omnibus*, quæ non sunt contra Deum. In omnibus est ita subjecta Ecclesia Christo, ut in nullo ei se præferat, ne velit esse superior eo vel etiam æqualis ei. Et eodem modo mulieres viris suis subdantur, ut in nullo velint eos superascendere.

« Viri, diligite uxores vestras (*Colos.* iii), sicut « et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit « pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam la- « vacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi « gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam « aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit san- « cta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxo- « res suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem dili- « git, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut « et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus cor- « poris ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Pro- « pter hoc relinquet homo patrem et matrem et « adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una « (*Gen.* ii). Sacramentum hoc magnum est, ego « autem dico in Christo et in Ecclesia. Verum- « tamen et vos singuli unusquisque uxorem suam « sicut seipsum diligat. Uxor autem timeat virum « suum. »

Diligite, inquit, o viri, uxores vestras quarum caput estis, *sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, cujus

Digitized by Google

caput, id est illa bonitate illas amate, qua Christus Ecclesiam, ut peccatum non ametis in eis, sed omne bonum, et juste gubernetis eas atque foveatis. Christus dilexit Ecclesiam, et præ nimia dilectione *tradidit* in mortem *seipsum pro ea* redimenda. Ita et vos pro salute uxorum, si necesse fuerit, tradite vos. Ideo se tradidit, *ut illam* suo sanguine *sanctificaret*, quia multis erat peccatis inquinata. Ipse dico, *mundans eam* ab omnibus peccatis *lavacro aquæ* sanctificatæ *in verbo vitæ*, id est lavacro baptismi. Baptismus enim Christi, lavacrum est aquæ in verbo vitæ. Tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus. Verbum vocat invocationem divinitatis, quod a baptizante super aquam profertur. Idcirco mundavit eam, ut ipse qui hoc bene poterat, *exhiberet sibi*, id est præpararet ad honorem suum electorum *Ecclesiam* pulchritudine virtutum *gloriosam*, *non habentem maculam aut rugam*, id est mundam ac simplicem. Maculam quippe et rugam non habet, quæ et turpitudine operis et duplicitate sermonis caret. Quia et per justitiam munda est, et per simplicem intentionem tensa. A similitudine vestis dictum est, quæ prius lavatur et post extenditur. Ecclesia enim non solum sponsa Christi, sed et vestis Christi solet appellari. Quæ mundata est, ut non habeat maculam; extensa est, ut non habeat rugam. Non habet in electis maculam criminis, nec rugam dolositatis. Non habet in eis rugam, quia nesciunt aliud de se foras ostendere, et aliud intus habere. Vel ideo non habet in eis rugam, quia non flectuntur ad amorem terrenorum, sed extenduntur spe et desiderio cœlestium bonorum. Non habet maculam *aut* rugam, sed nec *aliud hujusmodi*, quia nec consuetudine venialium peccatorum ita gravari se permittit, ut multitudo eorum possit alicui crimini comparari, *sed ut sit sancta* in bono opere, *et immaculata* in abstinentia mali. Immaculata est, id est sine crimine. Non enim sine peccato quisquam esse potest in hac vita. Vel ad futurum sæculum possunt hæc referri. Mundavit Christus Ecclesiam, ut ipse post diem judicii in æterna beatitudine exhibeat, id est præsentet eam sibi gloriosam, id est animo et corpore fulgentem, quia tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII; *Sap.* III). Tunc plene atque perfecte erit Ecclesia, non habens maculam peccati, vel rugam duplicitatis, aut aliquid hujusmodi, quia tunc etiam erit vere gloriosa. Non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum dicenda est esse gloriosa; sed tunc potius, quando malis omnibus liberata, gaudebit perenniter in bonis cum Christo. Et tunc erit vere sancta et immaculata, quia sic sola sanctitas in ea regnabit, ut omnis macula cujuscunque peccati procul sit ab ea. Vel sancta erit per carnis immutationem, et immaculata per corruptionis remotionem. Christus, ut dictum est, dilexit Ecclesiam, quæ est corpus ejus. *Ita* etiam *viri de-*

A *bent uxores suas diligere ut corpora sua*, id est sicut se, quia illæ sunt corpora eorum, et illi capita earum. Vel sicut spiritus hominis diligit et regit, et sibi in bono subjicit corpus et carnem cui conjunctus est, sic viri diligant et regant, et sibi subjiciant in bono uxores suas. Quod facere debent, quia *qui uxorem suam diligit, seipsum diligit*, quoniam ipse et uxor unum corpus sunt, et uxor est caro ejus. Et ideo vir debet eam diligere, quia *nemo unquam odio habuit carnem suam*. Nam quod nonnulli dicunt se malle esse sine corpore, omnino fallantur. Non enim corpus suum, sed corruptiones ejus et pondus oderunt. Non ergo nullum corpus, sed incorruptum et celerrimum corpus volunt habere. Sed nec illi qui se occidunt, odio habent carnem
B suam, sed aliqua gravia incommoda se per mortem effugere putant. Qui vero continentia quadam et laboribus persequuntur corpora sua, qui hoc recte faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum et paratum ad opera necessaria. Libidines enim male utentes corpore, id est consuetudines inclinationis animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quamdam militiam exstinguere affectant. Nam non se interimunt, et curam suæ valetudinis gerunt. *Nemo* itaque *unquam odio carnem suam habuit, sed nutrit eam* cibo et potu, *et fovet* indumentis, *sicut et Christus Ecclesiam* spiritualiter nutrit cibo potuque corporis ac sanguinis sui, vel cibo fortioris intelligentiæ
C et potu facilioris doctrinæ, et fovet eam indumentis virtutum. Ita et vir de uxore debet facere, quem caro ejus est. Christus fovet Ecclesiam, quæ est corpus ejus. Et vere corpus ejus, quia nos omnes membra sumus hujus sacri corporis. *Quia membra sumus corporis ejus*, id est Ecclesiæ, *de carne*, id est de imbecillitate *ejus*, *et de ossibus*, id est de fortitudine *ejus*; hoc est, alii sumus infirmi, et alii fortes in hoc corpore ejus quod est Ecclesia. Sicut enim corpus humanum ex carne et ossibus constat, et caro ejus sustentatur ab ossibus, sic Ecclesia de minus perfectis et magis perfectis constat, et perfectiores exemplo suo et exhortatione sustentat imperfectos. Ita et mulier quæ est quasi caro fragilis, debet a viro sustentari, qui est velati firmitas ossis
D (*I Cor.* XII). Vel de carne ejus et de ossibus ejus est, quisquis per gratiam ejus potest dicere, quia cum infirmor, tunc fortior sum et potens. De carne ejus et de ossibus ejus est, quisquis ad imitationem ejus dicere potest, quia « factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem (*I Cor.* IX). » Vel ideo sumus de carne ejus et de ossibus ejus, quia carnem ejus in ministerio sumentes, carni nostræ conjungimus, et virtute spiritus ejus confortamur velut internis ossibus. Nam sicut Eva de Adam facta, traxit ab eo carnem et ossa, sic Ecclesia ex Christo procreata, carnem ejus et spiritum, ut dixi-mus, in se traxit. Vel de carne ejus et de ossibus ejus sumus, id est eandem carnem et eadem ossa quæ ipse habuit, habemus, quia de nostra mortali-

Digitized by Google

tate carnem suscepit cum ossibus. Potest et ita intelligi, corporis constantis de carne ejus et de ossibus ejus, id est de firmis et infirmis, *propter hoc*, id est quia sumus de carne ejus et de ossibus ejus, et ipse dilexit Ecclesiam, ab initio fuit prophetatum de eo, quia *relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Matth.* XIX; *Marc.* X; *I Cor.* VI). « Homo enim iste, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (*I Tim.* II) » significabatur : Qui reliquit patrem, quando semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philip.* II). Ita enim reliquit Patrem, non quia deseru t et recessit a Patre, sed quia non in ea forma apparuit hominibus in qua æqualis est Patri. Reliquit et matrem, id est Synagogam Judæorum, de qua secundum carnem natus erat. Et adhæsit uxori suæ, id est sociavit et conjunxit se electorum Ecclesiæ. Et ipsi duo, id est Christus et Ecclesia sunt in carne una, quia carnem quam ille de virgine sumpsit, quotidie in missarum celebrationibus sumit Ecclesia. Vel in carne una, quia, ut supra dictum est, ipse de mortalitate nostra carnem suscepit, et per carnem particeps noster factus est, ut illius capitis corpus esse possemus. Sicque facta est ex duobus una quædam persona, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa. Totus itaque Christus caput et corpus tanquam integer vir, quia et femina ex viro facta est, et ad virum pertinet. *Sacramentum hoc magnum est* de conjunctione Christi et Ecclesiæ. Et ne quis istam magnitudinem sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, *ego autem*, inquit, *dico in Christo et in Ecclesia*. Ego quidem allegorice interpretor hæc verba Geneseos de conjugio Christi et Ecclesiæ, sed *tamen* vos moraliter et ad litteram ea intelligite, *et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat;* uxorem autem monemus, *ut timeat virum suum*, id est casto timore diligat eum, et obediat ei in omni bono et revereatur eum.

A

B

C

CAPUT VI.

« Filii, obedite parentibus vestris in Domino « (*Col.* III). Hoc enim justum est. Honora patrem « tuum et matrem tuam (*Exod.* XX; *Eccli.* III; « *Matth.* XV; quod est mandatum primum in pro- « missione, ut bene sit tibi, et sis longævus super « terram.

D

Præcipit filiis ut obediant parentibus suis in Domino, id est in his quæ ad Deum pertinent. Non enim suadet obediendum esse in eis quæ sunt contra Deum. Et ideo est obediendum parentibus, quia hoc est justum, ut eis obediatur a filiis, id est naturale jus habet. Nec solum jus naturale est hoc, sed etiam præceptum Domini dicentis : « Honora patrem tuum et matrem tuam (*Exod.* XX). » *Quod* ideo præcipue est observandum, quia *est mandatum primum in promissione*. Licet enim hoc mandatum sit quartum in Decalogo, tamen primum est in promissione, quia huic primo addita est promissio, cum cæteris præcedentibus non esset adjuncta. Tria quippe mandata præcesserunt istud, et pertinent ad charitatem Dei, quia Deus trinitas est. Alia vero septem in quibus est hoc primum, ad dilectionem proximi respiciunt et docent quomodo vivatur inter homines. Nam ipse septenarius præceptorum numerus incipit ab honore parentum. *Honora*, inquit, *patrem et matrem*. Ad parentes enim suos homo aperit oculos, et bona ejus vita ab eorum amicitia sumit exordium. Quisquis autem parentibus non defert honorem, quibus parcere poterit? Primum est hoc mandatum in secunda tabula, quæ continet mandata pertinentia ad dilectionem proximi. Et est in promissione. Nam et ita distingui potest, scilicet ut et primum intelligatur esse in altera tabula, et esse in promissione. Sed verius dici potest in utraque re primum esse, et in tabula, et in promissione. Quæ promissio magna est. Honora, inquit, parentes, *ut bene sit tibi*, id est carnalia et spiritalia bona per hoc a Deo consequaris; *et sis longævus super terram*, id est longævitatem æternitatis habeas super stabilem mansionem cœlestis patriæ.

« Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare « filios vestros, sed educate illos in disciplina et « correptione Domini. »

Vos filii, obedite parentibus, et vos parentes, nolite illis dare occasionem inobedientiæ; *nolite* illos *ad iracundiam provocare*, id est nolite illis ea facere, propter quæ peccent per iracundiam, quia patres estis illorum, et quia illi sunt filii vestri; *sed educate illos* dum pueri sunt, *in disciplina* Domini, ne indisciplinate incipiant vivere; *et in correptione Domini*, ut de pravitatibus morum suorum corripiatis illos secundum Deum bono animo, et ad rectitudinem reducatis.

« Servi, obedite dominis carnalibus cum timore « et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut « Christo, non ad oculum servientes, quasi homi- « nibus placentes, sed ut servi Christi, facientes « voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate « servientes sicut Domino, et non hominibus (*Colos.* « III; *Tit.* II; *I Pet.* II), scientes quoniam unus- « quisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet « a Domino, sive servus, sive liber (*Matth.* XVI). « Et vos domini, eadem facite illis, remittentes mi- « nas, scientes quia et illorum et vester Dominus « est in cœlis, et personarum acceptio non est apud « Deum (*Rom.* II; *Jacob.* II). »

Vos *servi*, *obedite dominis carnalibus*, id est, qui vobis temporaliter dominantur secundum carnalia, non secundum spiritualia. Habetis enim et spiritualem Dominum in cœlis æternum, qui vestris mentibus dominatur; sed non vult ut occasione ejus dedignemini servire carnalibus dominis, quibus ipso ordinante subjecti estis. Etiam si sunt iniqui vel infideles, servite illis donec transeat iniquitas. Multi enim religiosi dominis iniquis, non tamen liberis serviunt, quia « omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII). » Et utique felicius servitur homini quam libidini. Ordinavit enim sic Deus Ec-

Digitized by Google

clesiam, ut omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem aliquem et a melioribus. Et ideo obedite dominis vestris ut oportet, scilicet *cum timore et tremore*. Timor enim est causa tremoris. Filii parentibus cum reverentia honoris obediant, servi autem cum timore animi et tremore corporis, scilicet ut gestus corporis et apparitio ostendat interiorem timorem. Et hoc facite non in simulatione, sed *in simplicitate cordis vestri*, id est in puritate intentionis vestræ, quia licet sit habendus timor, tamen intentio servanda est simplex, id est absque duplicitate simulationis, ut sicut exterius ostenditis vos libenter obedire, sic habeatis in corde, scilicet non hoc faciatis solo timore effugiendi pœnas temporales, sed pura intentione bene agendi. *Sicut Christo* illis obedite, id est ex puritate intentionis, qua Christo debetis obedire. Cum enim Christo jubente servitis hominibus, non illis servitis, sed ei qui jussit. Vel sicut Christo illis obedite, id est tantum in bono. Præcipiunt enim sæpe mala agere, sed in his non est eis obediendum. In simplicitate cordis obedite, *non ad oculum servientes*, id est non existentes prompti et strenui ad serviendum tunc solummodo, cum a dominis vestris videmini, et illis absentibus agentes negligenter, quia hoc faciunt subdoli servi, qui volunt placere hominibus dominis, quos fallere possunt, non Deo, qui videt omnia. Non ita ficte serviatis, *quasi hominibus* solum *placentes, sed ut servi Christi*, id est in puritate cordis et veritate, nulli alii rei nisi veræ justitiæ studentes, vos dico, *facientes* in hoc *voluntatem Dei*, qui voluit ut carnalibus dominis serviretis, non inviti, sed *ex animo;* nec ex malo animo, sed ex bona voluntate, ut, etsi non potestis liberi fieri, vestram tamen servitutem quodammodo liberam faciatis, non timore subdolo, sed fideli dilectione serviendo. Ecce non fecit Christus de servis liberos, sed de malis servis bonos servos. Ex animo *cum bona voluntate servientes* sitis *sicut Domino* Deo, *et non hominibus*, cujus præcepto servitis hominibus. Vos dico, *scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber*. Id est ideo debetis servire dominis prout rectum est, quia certum vobis est, vos remunerationem a Deo fore percepturos, non solum de hoc, sed de omni bono quod feceritis, sive servi, sive liberi sitis, quoniam neque servitus impedit aliquem ad consecutionem præmii, neque libertas expeditum reddit, tantum quisque bonum faciat. Deus enim remunerator est omnium operum vere bonorum, quicunque faciat ea. *Et vos Domini eadem facite illis*, non quod illis serviatis, sed in simplicitate cordis, et bona voluntate secundum Deum illos tractate, id est sicut illis convenit subjectionem debitam et justam exhibere vobis serviendo, sic vos justam et dulcem potestatem exercete super eos humiliter dominando. Suavius illos tractate, *remittentes*, id est relaxantes illis *minas*. Non interdico minas fieri, sed jubeo remissius fieri. Et si minæ remissius faciendæ sunt, quanto magis verbera? Humane, inquam, illos tractate, *scientes quia in cœlis est et illorum et vester Dominus*. Id est licet sint vestri, tamen vos estis illorum conservi, unum Dominum habentes, contra quem de munere ejus superbitis, si illos quos per conditionem tenetis subditos, æquales vobis per naturæ consortium non agnoscitis. Nam si male illos tractaveritis, non ignosco nobilitati vestræ. *Non* enim *personarum acceptio est apud Deum*, id est non accipit homines propter personarum dignitates, quia in ejus judicio sublimitas personæ non confert aliquid alicui, nec humilitas personæ obest alicui; sed unusquisque secundum opera sua recipit, vel bona vel mala, sive liber sit ille, sive servus. Ideo et servi et domini studere debent ut juste agant.

« De cætero, fratres, confortamini in Domino et « in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam « Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. »

Specialibus expletis instructionibus mulierum et virorum, filiorum et parentum, servorum atque dominorum, ad generalem redit exhortationem, et ad spiritale bellum omnes simul instruit. Quasi dicat : Hactenus aliqui vestrum putaverunt se suis viribus sine adjutorio gratiæ bonum aliquod agere posse, sed *de cætero, fratres*, si bono animo volueritis agere, *confortamini* non in vobis, sed *in Domino*. Vel ita : Hucusque vos juvi, sed de cætero quod superest vobis vivendi spatio, confortamini jam in Domino, ut sine me fortes efficiamini contra bellum diaboli. Sive etiam ita : Multa vobis hucusque dixi, sed de cætero quod adhuc dicere possem hoc tantum agite; de cætero quod restat, sic agite, scilicet confortamini, id est fortes efficiamini contra omnes impugnationes adversarii, in Domino, id est in eo respectu quod Dominum habeatis, cujus dominio tuebimini, et confortamini *in potentia virtutis ejus*, id est in virtute ejus quæ omnia potest. Et ideo confortari debetis, tum quia Dominum habetis, tum quia ille potentem in omnibus virtutem habet. Et quia non in sola gratia confortandum vobis est, sed etiam liberum adhibere debetis arbitrium, *induite vos armaturam Dei*. Scilicet non solum confortamini in Domino, sed etiam excitando liberum, arbitrium, induite armaturam Dei, id est induite vos omnibus armis quibus militatur Deo. In armatura enim omnia comprehenduntur arma. Induite armaturam Dei, quod prædictum est respectu liberi arbitrii, *ut possitis stare adversus insidias diaboli*. Taliter enim insidiis ejus resistere poteritis, id est mediante auxilio divinæ gratiæ, et exercitio liberi arbitrii, quia aut sola gratia, aut solo arbitrio nemo potest ei resistere. Et ideo prius confortamini in Domino, et post induite armaturam Dei, quia gratia prævenit liberum arbitrium. Idcirco vobis induenda est armatura Dei, ut ei viriliter militantes possitis in prælio non cedere, non succumbere, sed stare adversus insidias diaboli, tum quia diabolus est criminator, tum quia insidiose agit contra vos. Longe enim gravior pugna quæ fit insidiis, quam quæ fit vi. Non

Digitized by Google

videnl diabolum homines cum quo pugnant, sed tamen facile habent remedium; seipsos interius vincant, et de illo foris triumphent. Ob hoc induenda est armatura Dei. Et quæ induenda est armatura, nisi omnium virtutum profectio, quibus a jaculis Satanæ defendimur?

« Quoniam non est nobis colluctatio adversus « carnem et sanguinem, sed adversus principes et « potestates, adversus mundi rectores tenebrarum « harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus. »

Ideo spiritualibus armis oportet nos undique munitos esse, quia contra spirituales hostes est nobis pugna. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est adversus homines qui caro et sanguis sunt. Galatis minus perfectis indixit aliud bellum, quod est adversus carnem et sanguinem, dicens : « quia caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem (*Galat.* v). » Ephesiis vero, quasi jam spiritualibus et concupiscentiæ carnis prævalentibus, atque persecutionem pro justitia foris sustinentibus dicit : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est adversus homines qui nos persequi videntur, sed adversus malignos spiritus qui eorum mentibus principantur, et per eos nos persequuntur. Et quia sic est, debemus homines diligere, dæmones cavere, homines misericorditer eripere, dæmones viriliter superare. Quomodo enim si contra aliquem in prælio constitutum de parte adversaria armatus equo sedens veniet, non equo, sed equiti irascitur, et quantum potest, agit ut equitem percutiat et equum possideat; sic contra omnes malos homines agendum, et non contra illos, sed contra illum qui illos instigat, totis viribus laborandum est, ut dum diabolus vincitur, infelices quos ille possidebat, liberentur. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est adversus homines quos videmus sævire in nos, qui potius miserandi sunt, quam odio habendi; *sed adversus principes* eorum dæmones, et adversus *potestates* iniquas malignorum spirituum. Principes dicuntur illi spiritus, qui principantur in vitiis suis, quæ specialiter suggerere soliti sunt; sicut est spiritus fornicationis, qui impugnat homines secundum luxuriam, et luxuriosis principatur, et spiritus superbiæ, qui impugnat secundum superbiam, cæterique tales, et sic unusquisque principatur in suo vitio. Potestas autem vocantur illi spiritus, qui habent vim et officium præcipitandi homines in majora peccata, quia præsunt illis secundum immissionem majorum et graviorum vitiorum. Et quam sit periculosum contra tales pugnare, quis non intelligat? et quo modo vincimus hujusmodi hostes quos non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus, hisque confligimus et illos percutimus? Vel principes intelligantur illi dæmones, qui principantur aliis dæmonibus; et potestates, qui super alios possunt. Sunt enim inter eos alii nequiores aliis et in malo fortiores; contra quos nobis lucta est, *et adversus rectores mundi*, id est adversus illos dæmones, qui justo Dei judicio regunt eos, qui sunt mundus, id est immoderate mundanis adhærentes. Hi sunt qui nos per homines sibi subditos persequuntur, quia regunt eos ad male agendum, et de vitio ducunt in vitium. Rectores enim sunt mundi, qui mundanos, ut dictum est, regunt. Rectores sunt, non mundi elementorum, id est cœli et terræ, maris et aeris; sed mundi *tenebrarum harum*, id est omnium istorum infidelium, et istorum iniquorum hominum. De quo mundo dictum est : « Totus mundus in maligno positus est (*Joan.* VIII). » Et conversis peccatoribus. « Fuistis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Sap.* v). Istum mundum qui hujusmodi tenebris, id est tenebrosis hominibus constat, regunt maligni spiritus. Et adversus istos est nobis pugna, non adversus eos quos regunt; et etiam *contra spiritalia*, etc. Per hoc ostenditur magna impugnationis vehementia. Multo enim graviori pugna et periculosiori exagitatur homo, cum ab hoste qui non subjacet oculis, impugnatur, quia nescit qua parte ab adversario impetatur. Spiritalia dico *nequitiæ*, id est defectionis et impossibilitatis. Nequitia quippe dicitur a nequam, quia per eam tenditur ad non esse, sicut reprobi angeli Deum, qui solus vere est, deseruerunt, et in perpetuum defectum ceciderunt. Quæ spiritalia nequitiæ sunt *in cœlestibus*, id est in hujus aeris infimi caliginoso habitaculo ubi et nebulæ conglobantur. Vel in cœlestibus, id est in mentis nostræ sanctis virtutibus patimur impugnationem a nequissimis spiritibus. Sive in cœlestibus pugnant contra nos, id est pro cœlesti hæreditate tollenda. Itaque adversus principes et potestates, atque rectores mundi tenebrarum harum, et adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus grave nobis certamen indicit Apostolus. Ipsa vero certaminis species sic intelligenda est, cum damna, cum pericula, cum opprobria, cum criminationes excitantur adversum nos, non id agentibus adversariis potestatibus, ut hæc tantummodo patiamur; sed ut per hæc vel ad iram multam, vel ad nimiam tristitiam, vel ad desperationem ultimam provocemur, vel (quid est gravius) fatigati et victi tædiis compellamus adversus Deum conqueri, tanquam humanam vitam non æque justeque moderantem, ut per hæc vel infirmemur in fide, vel decidamus a spe, vel transferri cogamur a veritate dogmatum, et impium aliquid de eo sentire suadeamur. Talia enim scripta sunt de Job, cum diabolus dari sibi facultatem bonorum ejus petisset a Deo (*Job* XII). Per quæ etiam illud edocemur, quoniam non fortuitis aliquibus incursionibus impugnamur, si quando nos talia aliqua facultatum damna percusserint; nec fortuitu nostrorum aliquis captivus abducitur, vel domorum ruinæ in quibus chari quisque opprimantur eveniunt, vel aliquid hujusmodi contigit. In quibus omnibus, vel in quolibet horum unusquisque fidelium dicat adversario. Non haberes adversum me potestatem, nisi data tibi esset desuper (*Joan.* XIX). Nihil enim

Digitized by Google

potuit contra Job, nisi quantum a Deo permissus est. Sic nec contra quemquam fidelium poterit amplius. Taliter nos oportet instrui, qui contra tales confligimus adversarios.

« Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis « resistere in die malo, et in omnibus perfecti sta- « re. State ergo succincti lumbos vestros in veri- « tate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes « in præparatione Evangelii pacis in omnibus su- « mentes scutum fidei, in quo possitis tela nequis- « simi ignea exstinguere, et galeam salutis assumi- « te, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. »

Talibus armis nos armat Apostolus, laudabilibus et invictis, insuperabilibus et splendidis, spiritualibus et invisibilibus, quia hostes invisibiles expugnamus. Si vides hostem tuum, videantur arma tua. Si autem non vides hostem, cur videntur arma quibus eum impugnas? Quia tam gravis et tam multiplex, atque tam periculosa est pugna, *propterea accipite armaturam Dei*, id est arma virtutum, quibus suos milites Deus armat. Accipite de manu imperatoris summi arma fortia, *ut possitis* non cedere prædictis hostibus, sed *resistere* fortiter illis *in die malo*, id est in hora tentationis, quando velut diem prosperitatis arridere faciunt offerendo delectationem peccati. Vel in die malo, id est in tempore quo viget malitia in tempore impugnationis diabolicæ, in tempore præsentis vitæ, quæ tota tentatio est (*Job* VII). Ut possitis non subjacere, *sed stare perfecti in omnibus* virtutibus, ut non in quibusdam virtutibus bonis perfecti sitis, et in quibusdam imperfecti, sed in omnibus (prout fas est) perfecti. Tunc enim a nulla parte vinci poteritis. Vel in omnibus impugnationibus stetis perfecti, quod plus est quam resistere. Sive in omnibus, tam prosperis quam adversis. Aut aliter : Ut possitis resistere in die malo, id est in die judicii ; qui malus propterea dicitur, quia terribilis erit accusationibus diaboli, ut quando suos accusaverit, puritate conscientiæ possitis vos defendere, sed etiam perfecti stare possitis in omnibus cum electis. Standum vobis est contra hostes in armatura Dei. *Ergo state succincti lumbos* mentis vestræ, id est state in castitate, quia ipsa est initium bonæ operationis, ideoque nunc prima ponitur in spiritualibus armis quæ describuntur. Quam diu enim quis luxuriæ subjacet, nihil boni potest agere, quia nihil eorum quæ facit, potest Deo placere. Sed postquam deseruerit luxuriam, incipit operari justitiam. Et ideo nunc prius jubemur succingere lumbos, et post induere loricam justitiæ. Lumbos enim succingimus, cum carnis luxuriam quæ in lumbis est, per continentiam coarctamus. Sed quia nonnulli simulant se lumbos habere succinctos et non habent, ideo præcipitur nobis, ut *in veritate* succinctos habeamus eos, non in simulatione, quatenus vera sit nostra castitas, non simulata. Vel mentis lumbos succinganius in veritate, ut cingulo casti amoris Christi nos contineamus a mendacio, quia qui mendacium loquitur, quantum in se est, corrumpit veritatem, et ita fornicatur. Qui autem vera semper loqui studet, quasi legitime conjugio utitur, veritatem vel sapientiam habens conjugem, sicut ille qui dicebat : « Hanc amavi et exquæsivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere (*Sap.* VIII). » Ita ergo succingendi sunt in veritate lumbi vestri, ut non accedamus ad scortum, id est ad mendacium, sed in legitima sponsa quæ est veritas, delectemur, et ex ea filios generemus. Deinde subjungitur, ut simus *et induti loricam justitiæ*, id est forti vestimento bonæ operationis undique muniti, ut nihil injustum appareat in operibus nostris, sed totum ab omni parte justum et æquum. Et hæc justitia recte vivendi est nobis lorica, quia interiora nostra non sinit transfigi, sed defendit undique præcordia nostra ab omnibus telis inimici. Sicut enim lorica multis hamis conficitur, ita vestis justitiæ multis operibus bonis et virtutibus connectitur. Et hujusmodi lorica debet interior homo noster indui, ne possit ab ulla parte vulnerari. Postquam vero libidinem vicerimus, et nos lorica justæ operationis induerimus, tunc et aliis bona prædicare idonei erimus. Unde sequitur : Et state *calceati pedes*, id est habentes calceatos pedes, hoc est munitos affectus vestræ mentis, ne tangant terrena, hoc est ne terrenis commodis innitantur, *in præparatione Evangelii pacis*, id est in eo quod præparatis cordibus aliorum evangelicam prædicationem, quæ annuntiat pacem inter Deum et homines. Calceamenta fiunt ex coriis mortuorum animalium, et significant exempla patrum jam defunctorum, quibus ab omni terrena læsione defenduntur pedes nostræ mentis, id est affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendum aliquid promovemur. Læditur enim pes prædicatoris a terra, si affectus ejus terrenum commodum ex prædicatione appetit, id est si propter terrenum commodum, non propter regnum cœlorum, prædicat Evangelium, Et ideo prædictis calceamentis induantur pedes nostri, id est exemplis patrum muniantur, ut sicut patres studio supernæ intentionis, non appetitu terrenæ commoditatis prædicaverunt Evangelium, sic et nos faciamus. Cujus prædicatores in nullo fidei debent regulam deserere. Unde subditur : *In omnibus sumentes scutum fidei*. Fides enim pro scuto sumenda est in omnibus congressionibus, quoniam ipsa prima resistit malignis spiritibus, et eorum tela excipit et repellit. Sub ea namque proteguntur cæteræ virtutes, quia ad omnia virtutum arma protenditur, et eam diabolus impugnare primam aggreditur. In omnibus præliis et in omnibus tentationibus sitis sumentes scutum fidei, *in quo* scuto *possitis* non solum repellere, sed etiam *exstinguere* omnia *tela nequissimi* diaboli, id est omnes suggestiones ejus acutissimas, quibus corda nostra ut vulneret impetit ; tela dico *ignea*, id est ignem vitiorum in humanis cordibus accendentis. Inflammant enim mentes hominum ad concupiscentiam, et igne totius malitiæ succendunt. Et hæc tela nequissimi hostis sunt, id est qui etiam ea quæ ne-

Digitized by Google

quit perficere præsumit, et in quibus nequidquam laborat. Sed adversus hæc fide invisibilium rerum armamur, et invisibilem adversarium sternimus. Iis armis vos induite, *et galeam quoque salutis assumite*, id est spem quæ salutem æternam exspectat; quæ ideo galea dicitur, quia sicut galea est in superiori parte armaturæ, scilicet in capite, ita spes altior est omnibus aliis virtutibus, et semper respicit ad superiora, spirans ad cœlestia. Et ob hoc addidit salutis, ut ostenderet spem assequi quod desiderat, id est salutem. Vel sicut scutum fidei fides est, sic galea salutis salus est. Cujus scilicet perpetuæ salutis memoria vel exspectatio caput mentis contra omnes ictus dæmonicæ impugnationis tutum facit. Qui enim cogitat diligenter quæ sint æterna gaudia, facile delectationes peccati a suo corde respuit, et adversitates vincit. Hæc sunt arma quibus muniti, nunquam diabolo vel alicui membro illius cedetis. Sequuntur arma, quibus illum et suos devincatis; et assumite *gladium spiritus*, id est ensem spiritalem, *quod est verbum Dei*, id est sermo divinæ prædicationis, quo diabolus interficitur, hoc est impugnationes ejus annihilantur, et quo tyrannos hujus sæculi et hæreticos, membra scilicet Satanæ devincetis, et vobis subjicietis, cæterosque peccatores. Cum dicitur, et gladium spiritus, quod est verbum Dei; quod ad significatum respicit, non ad gladium. Ecce hæc sunt arma, quibus muniuntur et pugnant milites Dei. Sequitur :

« Per omnem orationem et obsecrationem orantes « omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in « omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis et pro me, ut detur mihi sermo in apertione « oris mei, cum fiducia notum facere mysterium « evangelii, pro quo legatione fungor in catena, « ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui. »

Prædictis armis state muniti. Sed quia non est nostræ potestatis ut his muniamini, nisi donante Deo, nec his vincere poteritis nisi ipse dederit, estote *orantes per omnem orationem*, id est per omnia quæ oranda sunt, ut per omnem orationem quæ facienda est, transeat nostra supplicatio, id est nihil relinquatis de his quæ petenda sunt in oratione; et non solum per orationem, sed etiam per *obsecrationem*, id est per omnium sacrorum adjurationem. Majorem enim orandi expressionem notat obsecratio quam oratio, quia obsecratio est oratio cum adjuratione vel obtestatione, oratio autem simpliciter facta, est rogatio. Per omnem orationem et obsecrationem sitis orantes *omni tempore* competenti, id est omnibus horis ad orandum constitutis, vel omni tempore, id est tam in adversis quam in prosperis, et hæc oratio fiat *in spiritu*, id est mente, ut mentis affectus concordet verbis orationis quæ proferuntur ex ore, vel in spiritu, non in carne orate. In carne enim, non spiritu orat, qui polluta mente orat, iterum peccaturus non casu, sed ex proposito, vel omni tempore orate in spiritu, id est in cordis devotione, ut licet os non semper orare queat, spiritus tamen semper bonis desideriis intus oret. Et in ipso spiritu sitis intus *vigilantes*, id est solliciti, id est sicut oculi foris vigilant, sic spiritus agat intrinsecus, et hoc *in omni instantia*, ut spiritus et corpus instanter perseverent in vigiliis, et in omni *obsecratione, ut pro omnibus* obsecretis, pro quibus obsecrandum est, scilicet pro *sanctis*. Pro sanctis enim videtur esse obsecrandum, et pro infidelibus orandum, qui nihil sacri habent. Vigilate, inquam, et obsecrate pro omnibus sanctis, id est pro perseverantia et salvatione omnium sanctorum et specialiter *pro me*, ut tribulatio non me obtundat, sed *detur mihi sermo in apertione oris mei*, id est cum aperuero os meum, hoc est cum alta mysteria et altas sententias dixero. Nam hoc in divina Scriptura non reperitur, nisi ubi magnum quid et profundum debet dici. Cum os meum aperuero, ut abditos sensus proferam, detur mihi sermo, id est facundia exprimendi ea quæ voluero, ut luculenter ea possim exponere, scilicet *cum fiducia notum facere*, id est ut audacter et non timide notum faciam *mysterium Evangelii*, id est occultum secretum incarnationis et passionis Christi, ut occultas eorum causas notificem audientibus (*Psal.* L). Nam quia occultum est hoc mysterium, ideo necesse est ut notum faciam illud; et hoc agere volo, quia pro eo annuntiando *fungor legatione in catena*. Nam nec pro catena cesso a legatione. Quanquam enim pro Evangelio quod annuntiabam, sim catenatus, tamen illud sicut a Christo missus sum prædicare non omitto. Detur, inquam, mihi sermo ad notificandum mysterium Evangelii, *ita* scilicet detur mihi, *ut in ipso* Evangelio *audeam* sine timore *loqui* aliis *prout oportet me*, id est sicut expedit mihi, qui hoc agere missus sum. Sequitur in quibusdam codicibus hoc loco talis versiculus : Verbum autem Dei non potest alligari. Ac si dicat Apostolus : Pro Evangelio quidem vinctus sum, sed tamen prædicare non desisto, quia verbum Dei, quod annuntiari debet, nullo potest impedimento retardari.

« Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, « quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus « charissimus frater et fidelis minister in Domino, « quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra. »

Dixi ut oretis pro me, et quia pro Evangelio vinctus sum; sed quibus tribulationibus afficiar, non dixi. Sed quæ circa me sunt molestiæ, referet vobis Tychicus, ne de minimis adversitatibus meis moveamini, metu earum recedentes a fide. *Quæ*, id est cujusmodi tormenta *sunt circa me*, id est in corpore meo, quia ad mentis interiora non penetrant, et *quid agam*, id est quam constans sum, indicabit vobis *Tychicus*, qui est non vilis; sed *charissimus frater*, id est Christianus et non fraudulentus vel fallax, sed fidelis; ideo hunc audite, quia *fidelis minister est in Domino*, id est in his quæ sunt Domini.

Digitized by Google

Cui credere debetis, quia illum *ad vos misi*, ut puram veritatem de me vobis dicat, et consoletur corda vestra, id est leniat et mulceat; et dolorem, qui pro auditu tribulationum mearum increverat, temperet. Vel si de nostris tribulationibus dolebatis, nunc consolationem accipiatis ab eo, cognoscentes me libenter pati multo graviora.

« Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre, « et Domino Jesu Christo. Gratia cum omnibus « qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in « incorruptione. Amen. »

Pax cum Deo sit *fratribus*, id est Christianis, *et charitas*, ut eum toto corde diligant; et hæc pax et charitas detur eis *cum* integra *fide a Deo Patre* et Filio ejus *Domino* nostro *Jesu Christo*. Per pacem enim manebunt in charitate, quæ in fide est; et a quo est pax et charitas, ab illo est et fides, id est a Deo. Non enim fides, quia datur priusquam postuletur ab illo cui datur, ideo dicenda est non esse donum Dei, sed esse a nobis, quia data est nobis non petentibus. Omnia enim bona sunt a Deo. *Gratia* generaliter accepta, quæ est mater omnium bonorum et nutrix, sit *cum omnibus qui Dominum nostrum Jesum Christum* Ecclesiæ sponsum *diligunt in incorruptione*, id est casto amore sicut sponsam, quæ corruptionem non admittit. Non enim Christum in incorruptione diligunt; vel quorum fides in aliquo est corrupta, vel qui eum pro temporalibus et corruptibilibus bonis diligunt, non pro æternis et incorruptibilibus. Sed qui Christum propter solum Christum, et propter spem perpetuæ incorruptibilitatis amant, illi eum in incorruptione diligunt, quia sic eum diligunt, neque nunc corrumpi valeat mens eorum, neque tunc caro eorum.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

ARGUMENTUM.

Philippi, civitas est in partibus Macedoniæ, unde Philippenses dicuntur. Quibus prædicaverat Apostolus, qui fidei veritate ac morum honestate illos instruxerat. Et ipsi in fide morumque nobilitate in omnibus fere secundum apostolicam doctrinam perstiterunt, sed de primatu tantum inter eos erat contentio, quoniam alii se volebant aliis præferre, quasi gloriando de meritis. Qua de causa præcipue Apostolus scribens illis a Roma intendit illos ad humilitatem revocare, scilicet ut de meritis non glorientur, neque alter alteri se præferat; sed quidquid boni habet, sive remissionem peccatorum, sive dona virtutum, gratiæ Dei ascribat, a quo totum habet et nihil a se. Miserant autem ei aliquid substantiæ per Epaphroditum Romam, quem cum hac remittit epistola. In qua quia præsens non potest, munit eos contra duplex bellum tribulatorum, sed et pseudoprædicatorum, ut omnia pro Christo sustineant adversa cum humilitate, sicut et Christus fecit, et legalia a pseudoprophetis nunquam recipiant. Qui quoniam ad humilitatem illos invitavit, ideo non posuit nomen officii sui et auctoritatis, quod est Apostolus; sed et ideo forsan, quia ipsi nunquam de eo minus vel contra eum senserant. Secum vero Timotheum addit in principio epistolæ, quia ipse socius Apostoli fuerat in conversione eorum, atque sollicitus erat cum eo de salute ipsorum, et fortasse rogaverat eum ut scriberet illis. Sic enim exorsus est.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omni- « bus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, « cum episcopis et diaconis : gratia vobis et « pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Chri- « sto. »

Servos Christi se dicunt *Paulus et Timotheus*, quod est signum humilitatis, ut eis exemplo suo humilitatem suadeant. Sed cum ipse dominus dicat : « Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus (*Joan.* XV, ») qua ratione se servos nuncupant? Sed sciendum quia sicut est timor servilis, quem perfecta charitas foras mittit (*I Joan.* IV), atque timor castus permanens in sæculum sæculi, sic est servus qui non manet in domo in æternum, atque servus intrans in gaudium domini sui (*Joan.* VIII; *Matth.* XXV). Nam cum timore quem charitas expellit, etiam servitus quæ ad eum pertinet, simul expellenda est. Erant ergo *servi* Paulus et Timotheus, quantum ad timorem castum, non quantum ad timorem servilem; neque principis alicujus mortalis, sed Jesu Christi. Qui mandant ea quæ sequuntur, *omnibus sanctis*, id est omni plebi mundatæ per baptismum a peccatis, et sanctificatæ non in suo merito, sed *in Christo Jesu*, id est in gratia Christi, scilicet quia Deus factus est homo, passus est et resurrexit. Curialiter illos ad humilitatem revocat, ostendens illos esse sanctos in Christo Jesu, non in se, et determinat quibus sanctis, scilicet *qui sunt Philippis*, id est in illa civitate. Interpretatur autem Philippi *os lampadis*, et illi sancti sunt Philippis, id est in ore lampadis, qui sunt in lucidissima Dei illuminatione, quam et cæteris undique spargant, sicut et istis dicitur in sequentibus. In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, ver-

Digitized by Google

bum vitæ continentes. Talibus ergo sanctis ubicunque sint corporaliter degentes, scribitur hæc epistola. Omnibus sanctis qui sunt Philippis, id est omnibus subditis, *cum episcopis*, id est presbyteris *et diaconis*, id est minoribus cum majoribus. Episcopos namque pro presbyteris more suo posuit. Non enim plures episcopi in una civitate erant, neque presbyteros intermitteret, ut ad diaconos descenderet. Sed dignitatem et excellentiam presbyterorum declarat, dum eosdem qui presbyteri sunt, episcopos esse manifestat. Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedio factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Evangelium rumperet. Nam et Alexandriæ a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyterum unum de se electum, et in excelsiore loco et gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconos eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. Constat ergo apostolica institutione omnes presbyteros esse episcopos, licet nunc illi majores hoc nomen obtineant. Episcopus enim superintendens dicitur, et omnis presbyter debet intendere curam super oves sibi commissas. Omnibus, inquit, sanctis qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconis (220). Quia minores præmittit, ad humilitatem invitat. Quia vero et minores subnectit, ostendit non esse quemquam adeo perfectum, qui non hac egeat admonitione. Quod autem subdit, *gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*, in superioribus epistolis expositum est.

« Gratias ago Deo meo in omni memoria ve-
« stri semper, in cunctis orationibus meis pro om-
« nibus vobis cum gaudio, deprecationem faciens
« super communicatione vestra in Evangelio Chri-
« sti, a prima die usque nunc, confidens hoc ipsum,
« quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet
« usque in diem Christi Jesu, sicut est mihi justum
« hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam
« vos in corde et in vinculis meis, et in defensione
« et confirmatione Evangelii socios gaudii mei om-
« nes vos esse. »

Illorum benevolentiam captans, ostendit principium boni operis a Deo illis datum, et finem ab eodem esse dandum, ut de se non præsumant, sed gratiæ Dei omnia bona sua attribuant. *Ago*, inquit, *gratias Deo meo*, qui mihi facit quod volo in vobis, id est illum qui tanta nobis beneficia spiritualia contulit gratis, laudo quia non nostro merito, sed ejus dono ad bonum Christianæ religionis venistis, in qua et multum profecistis. Gratias ago, inquam, *pro omnibus vobis*, id est pro religiosa conversatione omnium vestrum ab illo data, *in omni memoria vestri*, id est quoties vestri memor fio; memoria dico, non ad horam, sed *semper*, scilicet *in cunctis orationibus meis*, id est quotiescunque oro. Vel memoria vestri dico, non pro parte vestrum facta, sed pro omnibus vobis. De præteritis beneficiis a Deo vobis collatis ago ei gratias, non cum tristitia, sed *cum gaudio*, quia non contristor de culpis vestris, sed de sanctitate vestra gaudeo, *faciens deprecationem*, id est Deum toto mentis affectu deprecans, *super communicatione*, id est de communicatione vestra; hoc est, ut magis ac magis communicetis semper, et unanimes atque unum cor habentes sitis, *in Evangelio Christi*, id est in fide et præceptis evangelicæ doctrinæ. Vel deprecationem facio super communicatione vestra, id est ut persistatis in eo quod mihi communicavistis in fide et operibus Evangelii. Et non horarie istud deprecor, sed *a prima die* conversionis vestræ, *usque nunc*, id est ex quo cœpistis credere, non cessavi pro vobis preces effundere. Sive communicatio vestra fuit in Evangelio, quoniam res vestras fecistis communes propter illud a prima die conversionis vestræ usque nunc, et ideo amodo magis standum vobis est in hoc. Deprecor Deum pro vobis, *confidens hoc ipsum* de bonitate ejus, *quia* ipse *qui* per prævenientem gratiam *cœpit in vobis opus bonum*, per subsequentem et cooperantem *perficiet* illud, dans perseverantiam *usque in diem Jesu Christi*, id est usque ad extremum diem vitæ uniuscujusque quando anima de corpore egrediens præsentatur ante tribunal Christi judicanda. Cooperando enim in nobis Deus perficit, quod operando incipit, quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Nam ut velimus sine nobis operatur. Cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet. Ego ita confido, videte ne frustra. Videte ne a vestra parte opus bonum remaneat, quod Deus vobiscum paratus est in vobis perficere. Ego istud certa fiducia spero, *sicut est mihi justum*, ut hoc sentiam et credam *pro omnibus vobis*, non enim justum est ut aliud sentiam de tam bonis. Hoc debeo sentire de vobis, *eo quod habeam vos in corde meo*, non in solis labiis, quia continue vos amore præcordiis meis teneo, et eo quod habeam vos *in vinculis meis*, quia vos quoque pia compassione condoletis afflictioni vinculorum meorum, et vos pariter mecum vinctos esse putatis, et quod habeam vos *in defensione Evangelii*, quia et vos defenditis illud (sicut ego) disputationibus contra impugnatores, et in *confirmatione* ejus vos habeam, quia vos quoque studetis illud confirmare in cordibus fidelium. Et propterea justum mihi est sentire, *vos omnes esse socios gaudii mei* futuri, id est æternæ lætitiæ, sicut nunc operum meorum et passionum socios esse vos video.

« Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam
« omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro,
« ut charitas vestra magis ac magis abundet in
« scientia et in omni sensu, ut probetis potiora, ut

(220) *Locus obscurus.*

Digitized by Google

« sitis sinceres et sine offensa in diem Christi, re- A « pleti fructu justitiæ per Jesum Christum in glo- « riam et laudem Dei. »

Ego, ut dixi, sentio, et desidero vos fore socios gaudii quod habeo. Nam cupio *vos omnes esse in visceribus Jesu Christi*, id est in interno sinu perpetuæ beatitudinis receptos. Et quomodo, id est quam ardenti desiderio hoc *cupiam*, *testis est mihi Deus*, qui occulta cordium nostrorum inspicit. Vel pro vobis, ut supradictum est, idcirco deprecationem facio, quia sicut et Deus testis est, cupio vos omnes esse in visceribus Jesu Christi, id est in intimo amore ejus, ut ab eo diligamini quasi ejus viscera. In visceribus enim sentitur plusquam in alia parte corporis, et ideo viscera pro dilectione ponuntur in Scripturis aliquoties. Ego quidem vobis talia cupio. B Et ut *hoc* desiderio consequamini *oro ut charitas vestra* semper proficiens *magis ac magis abundet* et excrescat *in scientia* divinorum et utilium *et in omni sensu* prudentiæ ac discretionis, *ut probetis potiora*, id est ut probare et discernere sciatis non solum mala et bona, sed etiam inter bona potiora, hoc est meliora, ut post probationem *sinceres*, id est sine carie *sitis* ne vos corrumpat aliquod vitium, sicut vermis lignum intrinsecus edens, sed integri permaneatis in bono. Sinceres (221) sitis, quantum ad vos, id est sine corruptione vitiorum; *et sine offensa*, quantum ad proximum, ut non eum offendatis *in diem Christi*, id est usque in diem vitæ novissimum. Vel sinceres, id est sine admistione vitiorum, quæ se bonis operibus immiscere solent; C et sine offensa, id est sine crimine, euntes passibus operum bonorum ac desideriorum in diem Christi, id est in diem justi judicii Dei, qui bona vobis pro sinceritate vestra sine malorum admistione retribuet. Sitis etiam ut bonæ arbores, *repleti fructu justitiæ*, id est abundantes bonis operibus *per Jesum Christum*, id est per gratiam Christi, non per vires vestras, *in gloriam et laudem Dei*, id est ut inde glorificetur et laudetur Deus, qui vos ita fructificare facit, non ut vos inde vanam gloriam capiatis, quasi per vos talia facientes. Hic satis congrue humilitas bene agentibus commendatur ab Apostolo. Vel in die Christi sitis repleti fructu, id est mercede justitiæ accepta per Jesum Christum judicem; in gloriam et laudem Dei, id est ut inde perpetualiter glorificetur et laudetur Deus, et dicatur, « mirabilis Deus in sanctis (*Psal.* LXVII). » D

« Scire autem volo vos, fratres, quia quæ circa « me sunt, magis ad profectum Evangelii venerunt, « ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in « omni prætorio, et in cæteris omnibus, ut plures « e fratribus in Domino confidentes, vinculis meis « abundantius auderent sine timore verbum Dei « loqui. Quidam quidem et propter invidiam et con- « tentionem, quidam autem et propter bonam vo- « luntatem Christum prædicant; quidam ex chari- « tate, scientes quoniam in defensionem Evangelii « positus sum. Quidam autem ex contentione « Christum annuntiant, non sincere, existimantes « pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim « dum omni modo sive per occasionem, sive per « veritatem Christus annuntietur? et in hoc gaudeo, « sed et gaudebo. »

Quia superius dixerat se habere in corde et vinculis, ne illi audientes eum esse vinctum, putarent evangelicam prædicationem deficere, et cederent pseudo apostolis, addit : *Scire autem volo* vos, etc. Ac si dicat : Ego quidem vinctus sum, sed tamen ideo non minuitur evangelica prædicatio. *Volo* vos, *fratres*, *scire quoniam ea quæ circa me sunt*, id est vincula mea et tormenta quæ patior undique, vel quæ non pertingunt ad interiora, *magis venerunt ad profectum Evangelii*, quam ad defectum, ut mali intenderunt, *ita ut vincula mea manifesta fierent* in *Christo*, id est in Christi nomine et prædicatione manifestarentur ubique; et per hæc Christus. Dum enim sermo de vinculis meis ubique volitat, Christus qui vinculorum causa est, in ore omnium resonat. Manifesta enim sunt *in omni prætorio*, ubi nobiles et divites conveniunt; *et in cæteris omnibus* locis Romæ ubi populares conversantur. Hoc omnibus Romanis nobilibus et ignobilibus notum est, me vinctum esse pro fide Christi quam prædicabam. Et ita profuerunt vincula mea, *ut plures* quam antea *e fratribus*, id est ex Christianis, non in se, sed *in Domino confidentes*, *vinculis meis*, id est consideratione vinculorum meorum, *auderent abundantius* solito *loqui* publice *verbum Dei sine timore*, cogitantes apud se : Si iste vinctus loquitur, cur non potius nos? Ideo autem dixi plures e fratribus in Domino confidentes, annuntiare ob mea vincula verbum Dei, et non omnes ita faciunt. Alii enim ex ipsis sunt mercenarii, alii filii. Nam *quidam quidem*, id est mercenarii, *prædicant Christum* etiam *propter* invidiam et contentionem, quia invident gloriæ meæ, et contendunt illam sibi usurpare, cupientes esse famosi et honorabiles apud homines sicut erant apostoli; sed *quidam* ab istorum intentione diversi, utpote boni filii, prædicant eum exemplo meo *propter bonam voluntatem*, id est studio generandi filios vitæ æternæ; quidam qui et boni sunt, annuntiant, illum *ex charitate* et amore mei *scientes quoniam positus sum* a Deo *in defensionem Evangelii* disputando et verum ac salutiferum esse probando. Et ideo quia vident me modo catenis detentum, non posse ad plenum exercere officium meum, vice ac loco mei prædicant Christum, ut ipsi suppleant quod ego nunc minus possum. Isti quidem casta intentione prædicant. Sed quidam ab his longe diversi, *annuntiant Christum ex contentione*, id est per contentionem, quia contendunt per hoc majora inferre supplicia, ut si qui de prædicatione eos accusaverint, indicent eis me ejus auctorem esse,

(221) Hujus etymologiæ superius mentio facta est.

Digitized by Google

sicque mala in me convertant. Vel ex contentione, id est ex privato odio inde genito, quod aliquando mecum contenderunt et confutati sunt. Et ne viderentur esse correcti, adjungo quia *non sincere*, id est non puro animo, sed malitia infecto prædicant, existimantes hoc modo *se suscitare*, id est commovere pressuram vinculis meis, id est ut ego vinctus opprimar adversis scilicet, ut dum Nero et ministri ejus viderint Romæ tot prædicatores Evangelii existiment me causam eorum esse, et majora mihi tormenta vel etiam mortem inferant. Et tali intentione salutem quam ipsi non habent, prædicant aliis; consulentesque terrenis cupiditatibus suis regnum cœlorum annuntiant, habentes in pectore falsitatem, in lingua veritatem. Et isti prædicant Christum nec prohibentur, sicut et boni. *Quid enim* refert, qua intentione Christus prædicetur, dum, id est tantummodo *annuntietur omnimodo* annuntiandi, id est *sive per occasionem* suscitandi tribulationes fidelibus aut acquirendi lucra temporalia, *sive per veritatem* puræ conscientiæ? *Et in hoc gaudeo*, quod omnes isti prædicant, etiam illi qui moliuntur hoc modo suscitare pressuram vinculis meis. Nec solum nunc gaudeo, *sed et* semper gaudebo ex hoc. Potest enim fieri, ut dum isti vel studio suscitandi tribulationes, vel cupiditate acquirendi pecuniam, sive temporalem gratiam, Christum per hujusmodi occasionem, utpote mercenarii, prædicant, his auditis nascantur fideles, et de malo eorum Deus operetur bonum; sicut aliquoties fit, ut homo ad concubitum ingrediatur non voluntate generandi, sed libidinem explendi, et tamen nascatur homo, bonum Dei opus de fecunditate seminum, non de turpitu ine vitiorum. Et ideo tolerandi sunt tales mercenarii (*Matth.* xx), dum per occasionem Christum annuntiant, quia et ipsi sunt ad aliqua utiles, ut quæ dicunt faciamus, quæ autem faciunt respuamus; Christus enim veritas est. Veritas a mercenariis occasione annuntietur, veritas a filiis veritate annuntietur. Filii hæreditatem æternam Patris exspectant patienter, mercenarii temporalem mercedem conducentis, festinanter exspectant. Mercenarii quippe occasione Christum annuntiant aliud quærentes, pastores autem Deum propter Deum prædicant.

« Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem « per vestram orationem et subministrationem spi- « ritus Jesu Christi, secundum exspectationem et « spem meam, quia in nullo confundor, sed in « omni fiducia sicut semper et nunc magnificatur « Christus in corpore meo, sive per vitam, sive « per mortem. Mihi enim vivere Christus est et « mori lucrum. Quod si vivere in carne hic mihi « fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor « autem e duobus, desiderium habens dissolvi, et « esse cum Christo multo magis melius; permanere autem in carne, magis necessarium propter « vos. »

Gaudeo, sicut dixi, dum malevoli prædicatores Christum annuntiant, etiam suscitando mihi pressuram. Nam *scio quia* etiam hoc, id est suscitatio pressuræ *proveniat mihi ad salutem* æternam in futuro consequendam, non ad oppressionem, ut illi putant. Et hoc non fiet non solum meo merito, sed et *per vestram orationem*, quæ mihi auxiliabitur, et per *subministrationem spiritus Jesu Christi*, id est per occultam dationem Spiritus sancti, qui sicut columnam vel fundamentum fulsit me subter, ne corruam. Ipse enim spiritus est fons omnium bonorum, ideo sanctis dicitur subministrare, quia de ejus fonte procedit quidquid illi beneficiorum accipiunt. Proveniet, inquam, mihi *secundum exspectationem et spem meam*, id est secundum quod exspecto donec veniat, et spero donec veniam. Non enim frustrabitur me exspectatio mea. Et quare *quia in nullo confundor*, id est in nulla re erubesco, quoniam nec in conscientia mea quidquam est, unde coram Deo erubescam, nec de his quæ pro Christo foris patior, verecundari possum. Et ideo certus sum quia consequar quod spero. Si enim videret Apostolus se in aliquo confundi et deficere, posset desperare de salute. Sed quia videt se constantem per omnia, et hanc Dei gratiam jam sibi esse concessam, ideo sperat quod majus est. Non confundor ut in aliquo cedam, quia et spes magna, et res vera atque honesta. Non confundor, inquam, ut timidus miles, *sed in omni fiducia*, et in omni audacia et constantia mentis, per quam fortiter prædicare soleo, *sicut semper* a tempore conversionis meæ magnificatus est Dominus Christus in me, ita *et nunc*, id est in hoc tempore, vel in vinculis meis, apud omnes *magnificabitur Christus*, id est fama et gloria ejus etiam *in corpore meo*, quod est fragilius, *sive per vitam*, *sive per mortem*, quia quandiu vixero, semper eum magnificabo prædicatione et bonis operibus; in morte quoque pro nomine ejus accepta glorificabo eum. Non enim ob aliud vivo, nisi ut eum magnificem, quia ipse *Christus est mihi vivere*, id est quod ego vivo, Christus est, non habeo vitam nisi Christum; non vivo veterem hominem, sed novum, qui totam vitam meam innovavit. *Et mori* est mihi lucrum, quia tunc pro terrenis cœlestia, pro temporalibus accipiam æterna. Mori est mihi lucrum. Quod, id est sed *si hic* in hac præsenti vita *vivere in carne est mihi fructus operis*, id est fructuosum et utile opus, dum multos Deo per prædicationem acquirere non cesso, quandiu vivo, tunc etiam *ignoro quid eligam*, mori scilicet an vivere. Quia nisi hic fructificare adhuc quotidie possem, haud dubium quin mori eligerem, cum Christum haberem lucrum. Sed quia me video multis assidue prodesse, charitas eorum adhuc me retinet in carne. Coarctor enim, id est constringor et compellor *e duobus* istis, id est ex morte et vita, quia dilectabiliter morerer, et patienter vivo. Non enim præsentem vitam diligo, sed tolero. Tædium mihi est manere in carne, et ex duobus patior angorem, *habens desiderium dissolvi* a compedibus mortalitatis qui-

Digitized by Google

bus constringor; *et esse cum Christo* præsentialiter in cœlesti patria, *multo magis melius* quantum ad me, quam in præsenti sæculo vivere; sed *permanere in carne* est mihi magis necessarium, non propter me, sed *propter vos*, quibus evangelium ministro. Cum enim e duobus coarcter, alterius habeo desiderium, et alterius necessitatem; desiderium scilicet dissolvi et esse cum Christo in cœlestibus, necessitatem vero manere in carne propter aliorum salutem. Dissolvi desidero, quia vinctus sum. Compedes enim nobis sunt infirmitas et corruptibilitas corporis, quod aggravat animam (*Sap.* IX). Et cum corruptibili carne exuimur, quasi ab his quibus nunc astringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque jam Deo cupimus, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Jure enim vincti dicimur, quia adhuc incessum nostri desiderii ad Deum liberum non habemus. Unde nunc Apostolus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat : Desidero dissolvi et esse cum Christo. Dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum cerneret. Qui idcirco dissolvi desiderat, ut cum Christo possit esse, quia perfectorum justorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. Sed tamen hujus tantæ beatitudinis gaudia eligit adhuc differri, præ nimia dilectione eorum quibus in carne manens prodesse potest, cum subjungit :

« Et hoc confidens, scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum et gaudium fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu, in me, per meum adventum iterum ad vos. Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. Et in nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis. Et hoc a Deo, quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me. »

Ecce Paulus, ut dictum est, non quod sibi melius est, sed quod multis expedit, id est manere in carne eligit, propter charitatem quæ major est omnibus aliis virtutibus. Prius enim ambigens dixerat, quid eligam ignoro; sed postea deliberans, victus est charitate discipulorum, et permanere se omnibus illis dicit. Ac si dicat : Necesse est me propter vos manere in carne. Et ego *confidens hoc* in misericordia Dei, scilicet me victurum adhuc propter vos, *scio quia manebo* adhuc in corpore; et non parum quidem, sed permanebo adhuc aliquandiu *omnibus vobis* majoribus atque minoribus, *ad profectum vestrum*, id est ut vos per me proficiatis et crescatis in virtutibus, et ad *gaudium fidei*, id est ut vos gaudeatis de fide quam didicistis a me, cum vos adhuc in ea confirmavero præsens, vel ut ego de fide vestra gaudeam, *ut gratulatio vestra abundet*, id est ut abundanter agatis Deo gratias cum gaudio *in Christo Jesu*, qui benefecit vobis *in me* vobis servato; id est in Christo gratulemini, per quem nos Deus respexit in me vobis reddito, scilicet *per meum adventum ad vos* confirmandos iterum futurum. Veniam rursus ad vos, tantummodo facite interim quod dicam, scilicet *conversamini digne Evangelio*, id est conversationem vestram facite talem, ut digne concordet Evangelio Christi. Ac si dicatur : Si ita vixeritis, tunc secundum meritum vestrum dabitur mihi vita ad opus vestrum. Digne, inquam, conversamini, *ut sive cum venero et videro vos*, ut dixi inveniam vos quales volo; sive non venero, *audiam absens de vobis* quod cupio, scilicet istud, quod vos non succumbitis aut ceditis, sed statis fortiter contra omnia adversa, et statum rectitudinis firmiter tenetis *in uno spiritui unanimes*, id est in Spiritu sancto, cui non hæret contrarius spiritus; et sicut est unus, ita vos facit unanimes sine dissensione, ut quod vult unus, velit et alius; *collaborantes fidei Evangelii*, id est simul omnes totis viribus laborantes ad implendum ea quæ fides evangelica exigit; et hæc agentes, non terreamini, id est non timeatis *ab adversariis* in ullo periculo, vel in ullo opere vestro, sive in ulla re, ut metu cadatis a proposito vestro. *Quæ res*, id est quod vobis adversantur et mala irrogant, *est illis causa perditionis* æternæ, *vobis autem* causa salutis perpetuæ. Nam etsi propterea sine fine peribunt, quia vos persequuntur; et vos ideo in æternum salvabimini, quia pro Christo ab illis patimini, *et hoc* non a vobis ipsis habetis, ut salutem per passionem consequamini, sed *a Deo*, ne gloriari de meritis incipiatis. Etiam quod patimini, non est a vobis, sed a Deo, quia inter alias gratias data est vobis hæc ab illo, *quia vobis donatum est* quasi præmium *pro Christo* quem diligitis, id est pro merito Christi, qui usque ad mortem crucis obedivit, *non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* ad cumulum gloriæ. Utrumque enim ad Dei gratiam pertinet, et fides credentium, et tolerantia patientium, quia utrumque est Dei donum. Patiamini, dico, habentes contra adversarios idem, id est simile certamen non armis, sed fide *quale et vidistis in me*, dum apud vos præsens essem, *et nunc audistis de me* absente. Apud istos enim Paulus et Silas publice virgis cæsi sunt, et tunicæ eorum scissæ, et ipsi in carcerem reclusi, atque pedes eorum ibi ligno stricti. Nunc quodque Paulus Romæ multa pertulerat, et ad similes agones nunc incitat istos (*Act.* XVI). Qui et hortando atque docendo subinfert, dicens :

CAPUT II.

1 Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humi-

Digitized by Google

« litate, superiores sibi invicem arbitrantes, non « quæ sua sunt singuli considerantes, sed et ea « quæ aliorum. »

Quasi dicat : Quia in uno spiritu unanimes, ut supra dixi, stare debetis et pati pro Christo, sicut et ego, igitur implete gaudium meum, quod habere cœpi de bona conversatione vestra, ut idem sapiatis, et eamdem charitatem habeatis, etc., et hoc facite, *si qua consolatio* est vobis *in Christo*, id est si per charitatem quam in Christo habetis, aliquem consolari potestis, quia id agentes, consolabimini me in tribulationibus meis. Bona enim vita vestra erit consolatio mea. Vel si aliqua consolatio vobis in Christo, id est si vultis habere consolationem in rebus Christi, in remissione peccatorum et in aliis donis, *si quod solatium* communis *charitatis*, id est si vultis ut charitas cæterarum ecclesiarum, quæ pro fratribus orant et bona agunt, sit vobis solatium in adversitatibus vestris; vel si habetis aliquod solatium charitatis erga proximum, ut per fraternam dilectionem præbeatis ei solatium, id est consolationem in mœrore tribulationis, *si qua societas spiritus* est vobis, id est si aliquam unionem concordis animi per Spiritum sanctum habetis adinvicem, vel si est aliqua societas Spiritus sancti ad spiritum vestrum. « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filii Dei (*Rom.* VIII). » Ad ipsum enim pertinet societas, qua efficimini unum corpus unici Filii Dei. Propter quam societatem illi in quos venit primum Spiritus sanctus, linguis omnium gentium sunt locuti (*Act.* II), quia per linguas consociatior est societas generis humani. Societas ergo spiritus, est illa conjunctio fidelium, quam dat ei Spiritus sanctus, per quam omnes unum fiunt; *si qua viscera miserationis*, id est si quis pius affectus est in vobis, de quo procedat miseratio erga me. Si hæc sunt in vobis, tunc implete, id est perficite *gaudium meum*, quo de vestra religione gaudeo; hoc est, plenarie religiosam ducite vitam, *ut idem sapiatis* in fide et cæteris, prout oportet; nec sit in vobis diversus sensus, sed idem, licet in aliis major et in aliis minor; *habentes eamdem charitatem* ad omnes, ut æqualiter omnes diligatis, sicut scriptum est : « Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* V; *Levit.* XIX). » Vel eamdem charitatem, ut iste diligat illum sicut se, et ille similiter istum sicut se; unanimes, id est unius voluntatis, ut sit vobis cor unum et anima una (*I Cor.* XII), *idipsum sentientes*, id est mala cujusque putant omnes sua esse, et bona similiter, ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra; *nihil per contentionem agentes* ut vel dictis vel factis adinvicem contendatis. Erant enim (ut ex his Apostoli verbis apparet) inter eos aliqui dissentientes, inquieti, inanis gloriæ causa contendentes, pacem Ecclesiæ rumpentes. Propter quod nunc monentur ut sint idipsum sentientes, id est nihil dissensionis habeant, neque per contentionem aliquid faciant, ut nec de primatu, nec de aliqua re A contendant, quia etiam bona non sunt contentiosis verbis dicenda, sed potius reticenda; *nec per inanem gloriam*, id est, propter famam sæculi quæ est inanis, faciant aliquid, ut de suis operibus humanum favorem appetant; *sed in humilitate* agant omnia, ut semper de seipsis humilia sentiant. Hoc enim proprium specimen electorum esse solet, quod de se semper infra quam sint sentiunt. Ideo nunc subditur, ut sint arbitrantes alii alios *sibi invicem superiores*. Nam quia iniquus quisque inferiorem se omnem quem cogitat putat, e diverso justus studeat, ut superiorem quemlibet proximum attendat. Ac ne dum se aliis alter humiliat, humiliatio iret alteri in elationem, utramque partem monuit Apostolus, dicens : *Superiores sibi invicem arbitrantes*, ut cogita- B tionibus cordis et ego illum mihi præferam et vicissim ille me sibi, ut cum ab utraque parte cor inferius premitur, nequaquam ex impenso honore inflatur. Nec ita debemus hoc æstimare, ut non existimemus, sed nos existimare fingamus, sed vere existimemus posse esse aliquid occultum in aliquo, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum. Istæ cogitationes deprimentes superbiam et augentes charitatem, faciunt onera fraterna invicem non solum æquo animo, sed etiam libentissime sustineri. Unde subditur : *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed et ea quæ aliorum.* Optime enim docet quomodo vitent contentionem et inanem gloriam, C et quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet si consideraverint non sua bona, sed aliorum. Vel non sint considerantes ea quæ tantum ad utilitatem propriam pertinent, sed quæ aliorum, id est ea quæ pertinent ad utilitatem aliorum. Nam et Christus non sua, sed aliorum commoda quæsivit; nec se super alios extulit, sed infra omnes dejecit, cum tamen super omnes esset. Ita namque sequitur :

« Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo « Jesu; qui cum in forma Dei esset, non rapinam « arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet- « ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in simi- « litudinem hominum factus, et habitu inventus ut « homo, humiliavit semetipsum, factus obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. »

D Ubi monemur, ut sicut ille in eo quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I), et sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua, sed nostra; ita et nos ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus, et non nostram utilitatem, sed aliorum quæramus. Non enim ulla res officiosum istum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, nisi cum cogitamus quanta pro nobis pertulerit Dominus. Unde Apostolus cum admoneret, dicens : « Superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum, » mox Domini exemplum quod imitaremur, subjecit, dicens : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu*, id est humilitatem et patientiam pro aliorum salute in vobis

Digitized by Google

veraciter sentite et habete, sicut sentitis et intelligitis in Christo fuisse. Cujus alta præmittit Apostolus unde se sua sponte usque ad infimam humilitatem inclinavit, ut prius visa sublimitate ejus, humilitas quoque major appareat; et homines in quibus locus est abjectionis, non dedignentur exemplo ejus humiliari, *qui cum in forma Dei esset*, id est omnimoda æqualitate Patris, *non rapinam*, id est usurpationem alienæ rei *arbitratus est esse se æqualem Deo*. Non enim ei rapina fuit, sed natura, æqualitatem Dei habere, quoniam noscendo eam sumpsit, non superbiendo præsumpsit. Sed ideo totum quod habet et quod potest, non tribuit sibi, sed Patri, quia a seipso non est, sed a Patre. Æqualis est enim Patri, sed hoc quoque accepit a Patre. Nec sic accepit, ut incremento fieret æqualis, sed natura et æternitate esset æqualis, sicut semper natus, ita semper æqualis. Non itaque inæqualem Pater genuit, et æqualitatem non nato dedit, sed gignendo eam dedit, quia æqualem, non imparem genuit. Ideo non rapina fuit, sed natura æqualitas Filii cum Patre. Non ergo rapinam arbitratus est esse æqualem Deo. Erat enim æqualis et sine rapina erat, quia æternus ab æterno natus erat. Erat in forma Dei, quia tantus quantus ille, talis qualis ille, hoc quod ille, non hic qui ille, sed hoc quod ille. Ille enim Deus, et iste Deus; ille omnipotens, et iste omnipotens; ille immutabilis, et iste immutabilis. Hoc est quod ille, non hic qui ille, quia et ille Pater, et hic Filius. Sic erat et est semper in forma Dei, id est in plena essentia Patris. Et cum tantus naturaliter esset et sine initio, non arbitratus est rapina, id est violenta invasione alienæ rei se esse æqualem Deo, quia sciebat se per naturam veraciter et omnino æqualem. Rapina enim est, quando quilibet alienam rem per violentiam sibi usurpat, quæ sibi non competit. Et per rapinam diabolus æqualitatem Dei quæ sibi nullatenus competebat, usurpare voluit, cum diceret: « Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV.)» Sed ita Filius per rapinam non æstimavit superbe Patris æqualitatem habere se, sed, ut dictum est, scivit naturaliter se æqualem prorsus esse. Vel secundum alios codices, non rapinam esse arbitratus est esse se æqualem Deo, id est æqualitatem Dei non arbitratus est alienam, sed suam; quia non alienum judicavit esse quod natus est, sed suum. Quod erat æqualis Deo, non arbitratus est esse rapinam, quia non rapuit illum æqualitatem, sed naturaliter habuit. Unde et inter homines corporaliter conversans, Patrem suum Deum dicebat, æqualem se faciens Deo, sicut in Evangelio legimus (*Joan.* X). Non enim propter assumptionem hominis amiserat æqualitatem Patris, quia non est mutabilis natura divinitatis, ut possit minui vel augeri. Æqualitatem Dei non est arbitratus rapinam, id est alienam, sed suam. Vel non est arbitratus rapina, id est violenta usurpatione se æqualem Deo, sed naturaliter habuit, sed tamen propter infirmorum salutem *semetipsum* A *exinanivit*, id est formam divinitatis quam oculi videre nequeunt, nostris visibus ad tempus subtraxit, *accipiens formam servi*, id est hominis, non quærens quæ sua sunt, sed quæ nostra. Et quippe semetipsum exinanivisse, est ab invisibilitatis suæ magnitudine se visibilem demonstrasse, ut servi forma tegeret hoc, quod incircumscripte omnia ex divinitate penetraret. Semetipsum exinanivit, quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis est Patri. Exinanivit se, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens. Forma servi accessit, non forma Dei discessit. Non amisit vel minuit quod erat, sed accepit quod non erat. Ac per hoc et minor factus est, et mansit æqualis; *in similitudinem hominum factus*, id est passibilis et mortalis, ut cæteri homines; et B *habitu*, id est induta humanitate, non sibi, sed eis quibus in homine apparuit, inventus ut homo, id est habendo hominem inventus ut homo est. Non enim poterat inveniri ut homo ab his, qui cor immundum habebant, et verbum apud Patrem videre non poterant, nisi hoc suscipiendo quod possent videre, et per quod ad illud lumen interius deverrentur. Habitus ejus est humanitas, qua se velut indumento vestivit. Habitus enim in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Sed cum sint et alia quæ nobis accidunt ut habitum faciant, nunc de ea re sermo est, quæ cum accidit, mutatur ut habitum faciat, et non mutat eum cui accidit, sicuti est vestis. Nam cum deposita est, non habet eam formam quam sumit, cum induitur et inducitur membris; sed ipsa C membra, et cum induuntur, et cum exuuntur, in suo statu manent. Sic et habitus Christi assumptus est, ut commutaretur ineffabiliter et excellentius atque conjunctius, quam vestis ad hominem cum induitur, nec mutaret assumentem. Igitur nomine habitus oportet intelligi non mutatum esse verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quanquam illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit. Itaque appellatione habitus, ostendit quomodo sit in similitudinem hominum factus, quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est, cum indutus est homine, quem sibi veniens quodammodo atque conformans, immortalitati et æternitati sociaret. Et non solum D ita se inclinavit, ut qui Deus erat fieret homo, sed etiam *humiliavit semetipsum*, tam altum *factus obediens* Patri, ut per ejus obedientiam salvaremur, qui per inobedientiam Adæ perieramus. Obediens non solum usque ad convicia et opprobria, sed etiam *usque ad mortem*, et non ad qualemcunque mortem, sed ad *mortem crucis*, quæ contumeliosior et acerbior erat. Illa enim morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis aut ligno pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi; sed diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor

Digitized by Google

citius finiretur. Et tam pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem nostram occideret.

« Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit « illi nomen, quod est super omne nomen, ut in « nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, ter- « restrium, et infernorum, et omnis lingua confi- « teatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est « Dei Patris. »

Ipse se tantum humiliavit, ut ultra non posset, *propter quod et Deus* tantum *exaltavit illum*, ut ultra non posset. Non enim major humiliatio vel major exaltatio fieri poterat. Deus illum secundum humanam naturam exaltavit, in quo et divina natura potest dici exaltata secundum ostensionem, quia cœpit sciri quod erat, sicut in assumptione infirmitatis dicitur exinanita. Sed propter unitatem personæ, potest divinitas dici exaltata in humanitatis exaltatione. Deus exaltavit illum, suscitans a mortuis et elevans in cœlum super omnes angelos ad dexteram suam, *et donavit illi nomen quod est super omne nomen*, ut in ipsa forma nominetur Filius unigenitus Dei. Hoc et ante resurrectionem habuit, sed post resurrectionem quod erat manifestatum est, ut scirent homines et dæmones, et omnes ei genu flecterent (222). Post crucem manifestatur quid a Patre cum generaretur accepit, cum a creatura cœpit sciri homini non esse datum nomen Dei, sed æqualem qui se exinanivit, cujus omnia a Patre sunt. Tam præcellens nomen ei datum est, ut omnia sint ei subdita, *ut in nomine Jesu*, exaltando *flectatur omne genu*, quod est evidens signum subjectionis, cœlestium, id est angelorum; et terrestrium, id est hominum; *et infernorum*, id est dæmonum, quia et ipsi tremunt sub ejus imperio et penitus subjiciuntur. Non quod angeli vel dæmones habeant (ut nos) genua quæ flectant, sed per simile dictum est. Dum enim videmus aliquem genua flectere alicui, credimus illum exhibere humilitatem et venerationem ei, ante quem genua flectit. Sic cœlestia et terrestria, id est beati angeli et sancti homines, et omni affectu piæ humilitatis Christo se libenter subjiciunt. Inferna quoque, id est dæmones, ut nequissimi servi tremunt sub ejus dominio, et se subjectos metu cogente fatentur. Sed et pravi homines vel in fine subjectos ei se animadvertent. Et non solum datum est ei ut omnis creatura se ei subjiciat, sed et ut *omnis lingua confiteatur*, id est omnes linguæ gentium diversarum, quæ in mundo sunt, concorditer prædicent, *quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris*, id est eadem gloria honoratur qua Pater, æqualis per omnia Patri. Hoc enim vel sponte vel inviti confitentur seu confitebuntur omnes boni et mali.

« Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis, « non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis « nunc in absentia mea, cum timore et tremore « vestram salutem operamini. Deus est enim qui « operatur in vobis et velle et perficere pro bona « voluntate. »

Christus, ut præmissum est, se humiliavit, obediendo usque ad mortem, et propterea exaltatus est. *Itaque* et vos, *charissimi mei*, exemplo ejus humiliate vos obedientes Deo, ut et vos similiter exaltari vestro modo mereamini, sicut a die conversionis vestræ *semper obedistis* Deo et mihi vel præpositis vestris, ita nunc agite, *non tantum* sicut *in præsentia mei* egistis, *sed multo magis* nunc agere laborate *in absentia mea*, scilicet *operamini vestram salutem*, id est bonis operibus agite ut digni sitis in æternum salvari. Et hoc facite non superbe, non præsumptuose, sed *cum timore* intimæ humilitatis; qui enim semper timet ne cadat, humilis est, et cum tremore corporis, id est et intus et extra sitis omnino humiles in bonis quæ agitis, ut nihil vobis, sed totum gratiæ Dei ascribatis, quia non vos operamini, sed Deus in vobis. Ideo timendum est. Ipse *est enim qui operatur in vobis et velle* bonum, *et perficere* illud pro sua *bona voluntate*, non pro meritis vestris. Quando jubet ut operentur, liberum eorum convenit arbitrium. Sed ideo cum timore et tremore, ne sibi tribuendo quod bene operentur, de bonis tanquam suis extollantur operibus. Tanquam ergo interrogaretur Apostolus et diceretur ei, quare dixisti cum timore et tremore, horum verborum rationem reddit, dicens : *Deus est enim qui operatur in vobis*. Ne enim sibi inde aliquid darent quia dixit operamini, continuo subjunxit : *Deus est qui operatur in vobis*. Ideo cum timore et tremore, id est cum humilitate. Si enim timetis et tremitis, non extollimini quasi de vestris operibus, quia Deus operatur in vobis. Timendum est vobis, ne forte quod datum est humilibus, auferatur superbis. Nam neque de perseverantia boni voluit ipse sanctos in viribus suis gloriari, sed in ipso, quia eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis operatur et velle, ut quia non perseverabunt, nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; et ideo sic volunt, quia Deus operatur ut velint. Sic operatur Deus in eis velle, et pro bona voluntate quam operatus fuerit, operatur et perficere.

« Omnia autem facite sine murmurationibus et « hæsitationibus, ut sitis sine querela et simplices « filii Dei, sine reprehensione in medio nationis « pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut lumi- « naria in mundo, verbum vitæ continentes ad glo- « riam meam in die Christi, quia non in vacuum « cucurri, nec in vacuum laboravi. »

Dixi, ut operemini vestram salutem, id est per bona opera conquiratis vobis æternam salutem. Sed omnia quæ facietis, *facite sine murmurationibus*. Hic

(222) Locus obscurus.

Digitized by Google

adjungitur prædictæ humilitati patientia. Superius enim dictum est, cum timore et tremore vestram salutem operamini; et nunc præcipitur, ut sine murmure cuncta faciant, id est æquo animo laborent in operibus bonis, quæ sibi jubentur a prælatis suis. Omnia facite sine murmurationibus, ut non sitis indevoti in ipsis bonis quæ facietis, neque sit vobis grave pro vestra salute labore; *sine hæsitationibus*, ut non hæsitetis in corde vestro, utrum faciatis an non bonum quod facere vultis, sed firma definitione bonum omne quod agere proposueratis, perficite prompti, ne sitis animo fluctuantes. « Qui enim hæsitat, sicut ait Jacobus, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur (*Jacob.* I). » Vel de præmio bonorum operum non hæsitetis. Sive non hæsitetis pati pro Christo, sed prompti sitis. Et hæc ideo sic agite, *ut sitis sine querela*, id est ut proximus non possit de vobis conqueri; et quantum ad vos sitis simplices, id est sine duplicitate cordis, quia « vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis (*ibid.*), » et « nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI; *Luc.* VI). » Duplex enim est, qui et Deo et sæculo placere cupit, volens et in hoc mundo et in cœlo dives esse. Sed vos qui *filii Dei* esse cœpistis, in simplicitate cordis quærite illum, ut sicut ipse unus est, ita et vos ad imitationem ejus simplices sitis, ut ei soli placere studeatis. Et etiam quantum ad exteros, sitis *sine reprehensione*, ut nihil reprehensibile possit in vobis ab infidelibus inveniri *in medio nationis*, id est gentilium qui non sunt renati, sed sicut nati sunt carnaliter, ita vivunt. Nationis dico, *pravæ* per opera, *et perversæ* per diversas sectas. *Inter quos* gentiles lucetis exemplo bonæ vitæ sicut luna et stellæ. Et ideo maxime decet vos esse sine reprehensione. Lucetis *sicut luminaria* cœli, quia sicut luna et stellæ non amittunt lucem suam propter noctem, sed magis lucent, sic vos mente in cœlo fixi, licet inter tenebrosos et infideles sit vestra conversatio, non obscuramini, sed magis lucetis bene operando. Hac sententia et laudantur et roborantur ab Apostolo discipuli, ut quia se tales esse cognoscunt, studeant valentius perseverare tales. Tales enim sancti de conversatione quam habent in cœlo, despiciunt omnia quæ iniqui faciunt in terra. Sicut stellas cœli non exstinguit nox, sic mentes fidelium adhærentes firmamento sanctæ Scripturæ vel cœlestibus desideriis, non obscurat mundana iniquitas. Qui enim mente sunt in supernis et de supernis cogitant, sicut dictum est: « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (*Matth.* VI), » de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt; et quidquid in terra fiat sic non curant, donec peragant itinera sua, quemadmodum luminaria cœli non curant quomodo exerceant dies et noctes, quamvis tanta mala videant fieri super terram. Et sicut luminaria patienter ferunt, quidquid de eis homines fingunt, ita justi debent patienter ferre omnes etiam de se falsas criminationes. Nam qui perdiderit tolerantiam, non est quasi luminare clarus desuper, sed obscuratus est et de cœlo cadit. Lucetis, inquit, sicut luminaria *in mundo*. Ac si dicat: « Vos estis lux hujus mundi (*Matth.* V), » et estis etiam vasa Evangelii, quia continetis in cordibus vestris verbum evangelicæ prædicationis, quo vivit anima vestra, non enim sinitis illud a vobis effluere. Et hoc facitis *ad gloriam meam*, necdum ad vestram, quia et ego de bona conversatione vestra gloriam accipiam *in die Christi*, id est in die qua Christus judicabit. Et vere tunc habebo gloriam, *quia non in vacuum*, id est non sine fructu, non frustra cucurri ad illam, quia vos et alii me prædicante credidistis. Non in vacuum cucurri in via Domini, *nec in vacuum laboravi* in vinea ejus, quæ est Ecclesia, quoniam plenam mercedem recipiam. Vel cucurri in his quos facile potui convertere, laboravi in illis, quos difficilius converti.

« Sed etsi immolar supra sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis. Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. »

Vestra religio fit ad gloriam meam in die judicii, quia pro vobis laboravi. Nec tantum hoc libenter egi, *sed etsi immolor*, id est occidor pro vobis, tunc gaudeo; hoc est, si sacrificium mei corporis adde *supra sacrificium vestræ fidei et obsequium*. Jam enim vestram fidem sacrificium Deo dignum obtuli, et obsequium bonæ operationis vestræ, qua Deo obsequimini, sacrificavi. Sed si etiam ipse pro vobis offeror, gaudeo, quia ad coronam pertingo; *et congratulor*, id est simul gratias ago omnibus vobis, quia estis mihi causa mortis qua vitam ingredior. Nec solus ego id agere debeo, sed etiam vos *gaudete idipsum*, hoc est, immolari pro me, si contigerit vobis; *et congratulamini*, id est grates reddite mihi, qui vobis causa sum ut martyres efficiamini.

« Spero autem in Domino Jesu Timotheum me « cito mittere ad vos (*Act.* XVI), ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem « enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione « pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quæ sua « sunt quærunt (*I Cor.* XIII), non quæ Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut Patri Filius mecum servivit in Evangelio. Hunc igitur spero me mittere ad vos, « mox ut videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos « cito. »

Hanc quidem epistolam nunc mitto vobis per Epaphroditum, sed spero non in me, sed *in Domino Jesu*, id est in misericordia Salvatoris, *me cito mittere*, id est dirigere, *Timotheum ad vos, ut* sicut vos bono animo eritis, cum cognoveritis quæ circa me sunt, ita *et ego bono animo sim* atque gaudeam, *cognitis quæ circa vos sunt*, vel adversis vel prosperis. Ideo autem magis Timotheum mittam quam alium, quia *neminem habeo nunc tam unanimem*. Hoc tempore multi cum Apostolo mercenarii erant,

Digitized by Google

filii vel pastores nulli, nisi Timotheus. Neminem, inquit, modo mecum habeo tam unanimem, id est ita concordantem meæ voluntati in hoc negotio, *qui sincera*, id est pura et non ficta cordis affectione, id est germana charitate *sit sollicitus pro vobis*, id est pro vestra salute. Multi enim videntur esse solliciti pro aliis, sed revera non pro ipsis solliciti sunt, sed pro rebus ipsorum quas habere cupiunt. Recte dixi quia neminem habeo tam unanimem; *omnes enim* quos nunc habeo, quærunt in vobis *quæ sua sunt*, non Christi lucra. Sic et modo faciunt in Ecclesia mercenarii sua quærentes. Quid est, sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Et quando hæc a præpositio amantur, atque propter hæc servitur Deo, quisquis talis est, mercenarius est; inter filios non se computet. De talibus enim dicitur, quia receperunt mercedem suam (*Matth.* v). Non quærunt ea quæ sunt *Jesu Christi*, id est multiplicationem boni gregis, religiosam conversationem subditorum, salutem animarum. Et ideo nullum istorum voluit nunc Apostolus mittere, sed Timotheum, qui sicut pastor salutem gregis quæreret, atque non solum verbo, sed et exemplo qualiter vivendum esset, ostenderet. Timotheum quidem vobis mittam, vos *autem cognoscite experimentum ejus*, id est quomodo sum expertus fidelem in omnibus in vita et doctrina, *quia sicut Filius Patri* devote obedit, ita mecum Deo *servivit in Evangelio* prædicando, in quo potuit experiri. Et quia de vobis sollicitus est et mihi probatus, *igitur spero me hunc ad vos mittere* non post longa temporis spatia, sed *mox ut videro ea quæ circa me sunt*, id est quem exitum sint habitura, utrum de his evadam an non. Et non solum spero me eum mittere, sed etiam confido in Dei misericordia, *quoniam et ego ipse cito*, id est non post multum temporis *veniam ad vos*.

« Necessarium autem existimavi Epaphroditum « fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, « vestrum autem apostolum, et ministrum necessi- « tatis meæ mittere ad vos, quoniam quidem om- « nes vos desiderabat, et mœstus erat propterea « quod audieratis illum infirmatum. Nam et infir- « matus est usque ad mortem, sed Deus misertus « est ejus. Non solum autem ejus, verumetiam et « mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Fe- « stinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gau- « deatis, et ego sine tristitia sim. Excipite itaque « illum cum omni gaudio in Domino, et ejusmodi « in honore habetote, quoniam propter opus Christi « usque ad mortem accessit, tradens animam suam, « ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum « obsequium. »

Timotheum quidem, ut spero, mittam ad vos, et ipse veniam, sed interim, *existimavi necessarium esse mittere ad vos Epaphroditum* cum hac epistola fratrem, id est Christianum, *et cooperatorem* in prædicatione, *et commilitonem meum* in bello contra dæmones et vitia, et contra omnes qui regno Christi resistunt, sed vestrum apostolum, id est specialem doctorem, et ministrum necessitatis meæ, id est qui mihi ministravit necessaria, vel necessitati inopiæ meæ ministravit, sive de labore manuum suarum, sive quod ab aliis fidelibus quæsivit. Ideo volui eum mittere, quia vos omnes videre optabat, *et mœstus erat quoniam audieratis eum infirmatum* fuisse. Forsitan quia verberatus est ab infidelibus in ministratione. Nec falsus ad vos rumor de ejus infirmitate pervenit, quia *et infirmatus est* ægrotatione sicut audistis; et hoc non leviter, sed usque ad mortis periculum, *sed Deus* miserando sanavit eum. Et non solum ejus in hoc *misertus est, sed etiam et mei, ne haberem tristitiam* de morte ejus, super tristitiam quam habueram de infirmitate ejus, quæ vobis nocebat. Et quia vos desiderabat, vosque de ejus languore timebatis, *ergo festinantius*, quam fecissem nisi hoc evenisset, *misi illum, ut eo viso iterum gaudeatis*, qui prius de eo, cum esset apud vos, gaudebatis; *et ego sim* absque tristitia, quam de vobis tristibus habebam. Ego quidem mitto illum propter has causas, et vos *itaque excipite illum* honorifice, non indevoti, sed *cum omni gaudio*, ut omne gaudium habeatis de adventu ejus, et illud gaudium sit *in Domino*, id est non vanum, non lascivum, non immoderatum, sed pium et castum. Nec solum in principio lætantes illum excipiatis, sed postea conversantem vobiscum *habetote in honore* virum ejusmodi, quia iste vester apostolus est. Et merito debet honorari, *quoniam usque ad mortem accessit propter opus Christi*, qui venerat non ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx). Propter opus quod Christus fecerat accessit iste ad mortem, quia ministrabat mihi de eleemosynis aliorum fidelium suo labore congestis, tradens ex deliberatione et exponens *animam suam*, id est vitam in mortis periculum, scilicet mori potius volens et animam reddere, quam opus Christi quod in me exercebat, dimittere. Et ideo hoc faciebat, *ut impleret erga meum obsequium id quod ex vobis deerat*, quia vos mihi de bonis vestris dederatis, sed ille supplere studuit quod vos minus feceratis, vel quia rem dederatis, sed qui ferret, ex vobis defuit, et ille attulit; vel quia quod miseratis defecit, ille mihi ex aliorum eleemosynis ministravit.

CAPUT III.

« De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Ea- « dem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vo- « bis autem necessarium. Videte canes, videte ma- « los operarios, videte concisionem. Nos enim su- « mus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et « gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fidu- « ciam habentes, quanquam et ego habeam confi- « dentiam in carne. »

Nunc de sinceritate fidei agere contra pseudoprædicatores incipit, quasi dicat: Illa quæ superius dixi, ita servate, sed *de cætero* quod dicendum est

Digitized by Google

hoc facite, scilicet *gaudete in Domino*, id est omne gaudium sit vobis in Deo, non in carnalibus observantiis. Vel ita : Olim gavisi estis in sæculo, sed de cetero vivendi spatio quod vobis superest, gaudete jam in Domino, ut quandiu amodo vixeritis, sit vobis omne gaudium in eo. Non gaudeatis in carnalibus et sæcularibus, ut pseudoapostoli suadent, sed in Domino, ut sæpe dixi vobis. Nam eadem quæ præsens dixi, id est ut in Domino tantum gauderetis, *mihi quidem non* est pigrum vel tædiosum *scribere vobis*, ut diutius maneat quam verborum prolatio, sed *vobis est* necessarium contra perversos doctores. Videte enim canes, id est cognoscite illos esse canes, hoc est non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes. Hæc est enim canum natura, ut cum quibus habent consuetudinem, sive illi boni sint, sive mali, non ad eos latrent; insolitorum autem personis visis, etiam innocentibus, irritentur. Ita pseudo consuetudinem legis tenent et contra veritatis nuntios irrationabiliter latrant et mordent; *videte malos operarios*, id est notate et cavete eosdem pseudoprædicatores, quia in agro Dei super frumentum seminant zizania errorum. *Videte concisionem*, id est eos concisos et excurtatos, quia carnem amputaverunt, sed vitia nutriunt, et a Christo cæsi, id est abcisi sunt. Hos voco concisionem, non circumcisionem, quia nos fideles, non illi, *sumus circumcisio* non carne, sed ratione, id est mundati a superfluis vitiorum. Hoc est, nos sumus justitia, qui Deo servimus spiritu, id est toto mentis affectu, non carnali custodia litteræ legis ; *et gloriamur* non in nostris meritis vel in carnalibus observantiis, sed in solo *Christo Jesu* et in ejus gratia. Non carne, sed spiritu Deo servimus. Carne enim servit Deo, qui de rebus carnalibus sperat se placere Deo. Cum vero et ipsa caro ad bona opera spiritui subditur, spiritu servimus Deo, qui carnem domamus, ut spiritus obtemperet Deo. Vel secundum alios codices, et maxime Græcos, spiritu Deo servimus, ea scilicet servitute de qua dictum est : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi servies (*Deut.* VI, X). » — « Ipse enim spiritus Deus est (*Joan.* IV), » cui ab omnibus sanctis talis servitus exhibetur. Et gloriamur, inquit, in Christo Jesu, *et non in carne fiduciam habentes*. Respexit quosdam in carne fidentes, ipsi erant qui de carnis circumcisione gloriabantur. Non sumus habentes fiduciam, id est spem salutis in carne, id est in carnalibus observantiis, vel generis nobilitate, *quanquam et ego habeam*, si voluero, *confidentiam* gloriandi *in carne*, id est in carnis nobilitate, et carnali custodia legis.

« Si quis alius videtur confidere in carne, ego « magis, circumcisus octavo die, ex genere Israel, « de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secun- « dum legem Pharisæus (*Act.* XXIII), secundum « æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secun- « dum justitiam quæ in lege est, conversatus sine « querela. »

Ne putetis, inquit, me contemnere quod non habeo. Quid enim magni est, si homo abjectus, vel plebs ignobilis contemnat nobilitatem ? Habeo ista, sed contemno ; et ideo vos doceo talia contemnere, quoniam videtis me habere quod contemno. Nam *si quis alius*, id est a me diversus qui vos decipere quærit, *videtur confidere in carne* quasi inde justus, *ego magis* confido quam ille pseudo. Et audi in carne fiduciam ; circumcisus sum *octavo die* sicut lex juserat (*Gen.* XVII), id est non proselytus, non advena ad populum Dei, non major circumcisus, sed a parentibus natus Judæus, habeo circumcisionem octavi diei. Et sum *de genere Israel*, non alienigena ; et non de viliori tribu, sed *de tribu Benjamin*, quæ dignior erat, quoniam procreata est ex Rachel, dilecta uxore Jacob ; et cum decem tribus in Samaria colerent vitulos, ista et tribus Juda non recesserunt a templo Domini. Et sum *Hebræus ex Hebræis* parentibus, id est non de ignobili gente progenitus, sed ex eis qui fuerunt nati ex Heber filio Sale, filii Sem, majoris filii Noe. Sum etiam *secundum legem*, id est secundum egregiam legis observationem, *Pharisæus*, id est divisus ab aliis, utpote religiosior. Nam primarii quidam erant et quasi ad nobilitatem Judaicam segregati, non contemptibili plebi commisti, qui dicebantur Pharisæi quasi divisi. Et *secundum æmulationem* quæ in me fervebat *persequens Ecclesiam Dei* quia non eram piger Judæus, sed quidquid erat quod legi meæ videretur adversarium, impatienter ferebam, acriterque insequebar. Et *secundum justitiam* legis, quæ manus comprimit, non animum, et timore, non amore servatur ; *conversatus* sum sine querela, id est sine clamore facto de me, quia nemo poterat conqueri quod aliquam injuriam ei fecissem, contra legis instituta carnalia faciens. Hæc apud Judæos nobilitas est, sed apud Christum quæritur humilitas.

« Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum « propter Christum detrimenta. Verumtamen exi- « stimo omnia detrimentum esse, propter eminen- « tem scientiam Jesu Christi Domini mei. Propter « quem omnia detrimentum feci et arbitror ut ster- « cora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, « non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed « illam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est « justitia in fide ad cognoscendum illum et virtu- « tem resurrectionis ejus, et societatem passionum « illius, configuratus morti ejus, si quomodo oc- « curram ad resurrectionem quæ est ex mor- « tuis. »

Ita diversis modis possum gloriari in carne, sed non jam glorior in talibus. *Sed* omnia illa carnalia *quæ mihi* ante Christi notitiam *fuerunt lucra*, id est utilia et chara, hæc post fidem *arbitratus sum detrimenta* salutis *propter Christum*, qui in his prænuntiatus fuerat. Et si adhuc ista servarem, ejus adventum ostenderem nondum factum. Quæ enim venturum eum significabant, si jam servantur, venisse eum negant. Et ideo sunt detrimenta, quia

Digitized by Google

deterunt veritatem fidei. Unde paulo superius Judæi dicti sunt concisio quia carnalis circumcisio, plena abscisio est a Christo. Non solum propter Christum hæc arbitratus sum detrimenta, *verumtamen* id est sed etiam *propter scientiam Jesu Christi Domini mei*, quam de eo habemus, eminentem omnibus scientiis aliis, sed quæ eminet in eo plus quam in aliis, *existimo omnia* illa detrimentum esse, quia retrahunt sectatores suos a tam eminenti scientia. Vel ita: Hæc olim fuerunt mihi lucra, sed existimo tamen nunc omnia ea detrimentum esse et impedimentum, propter sublimem Christi scientiam, qua mihi innotuit eum esse Deum super omnia, ut per eam Scripturas intelligerem. Nam etiamsi ipsum non possem assequi, vel propter solam ejus scientiam quæ tanta et tam præcellens est, respuerem omnia illa vetera. *Propter quem* Christum venerandum, et propter cujus dilectionem omnia illa non solum existimo detrimentum, sed et feci ea detrimentum bonorum, vivendo spiritaliter et docendo, ut aliis appareret ea esse detrimentum, et quod plus est, arbitror ea non tantum ut detrimenta bonorum, sed *ut stercora*, id est quæ coinquinent jam observatorem. Et hoc ideo, *ut Christum lucrifaciam*, id est in futuro Christum habeam præmium, et hic sim in illo membrum. Quod aliter nequit fieri, scilicet rationabiliter attendendo, nisi *et inveniar in illo* fidele membrum, *non habens meam justitiam quæ ex lege est;* quoniam ea justitia pœnam timet, non amat virtutem; *sed illam quæ ex fide est Christi, quæ justitia est ex Deo*, non ex hominibus. Justitia dico, manens *in fide*, quia sicut ex fide nata est, sic existere non habet nisi ex fide. Justitia in fide valente *ad cognoscendum illum*. Quasi dicatur: Qui in lege putat justificari, non agnoscit Christum; sed ego ex fide justificari volo, ut agnoscam illum, cur natus, cur passus sit, et agnoscam quæ est virtus *resurrectionis ejus*, id est justificatio credentium, quia resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV), et agnoscam *societatem passionum ejus*, quam bene noscit, qui se per eam ad cœli gaudia pervenire credit. Vel justitia in fide ad cognoscendum eum, quia fides ut in illa vita facit perfecte eum agnosci, qui in ista creditur et haberi virtutem resurrectionis ejus, id est immortalitatem, quia nostra resurrectio est virtus et efficacia resurrectionis ejus, et in hac vita facit haberi societatem passionum ejus, ut et nos patiamur adversa quæque pro eo, nisi enim per fidem, nemo tanta pateretur, et configurationem mortis ejus, ut moriamur sicut ipse, si opus est; vel moriamur semel vitiis, sicut ipse carne mortuus est semel. Sed littera sic jungitur: *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide, configuratus morti ejus*, id est per passiones consummatos ut ille, tentans *si quomodo occurrum lætus ad resurrectionem*. Si quomodo occurram, quia difficile est. Si quomodo contingat, tum ex Dei misericordia, tum ex meo merito, ut occurram Christo gaudens in judicio, quod sanctorum est tantum, veniens ad resurrectionem, *quæ est* non ex vivis, ut nunc, sed *ex mortuis*, ut ultra mori nequeant. Hæc Apostolus idcirco se ita egisse vel agere commemorat, ut illi similiter exemplo ejus omnes legis carnales ritus contemnant, et per justitiam fidei atque societatem passionis Christi festinent ad regna cœlorum.

« Non quod jam acceperim, aut jam perfectus « sim; sequor autem, si quo modo comprehendam « in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. « Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. « Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, « ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum. « ad destinatum prosequor, ad bravium superna « vocationis Dei in Christo Jesu. Quicunque ergo « perfecti sumus, hoc sentiamus; et si quid aliter « sapitis, et hoc vobis Deus revelabit. Verumtamen « ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in « eadem permaneamus regula. »

Iste qui ad tertium cœlum raptus fuerat (*II Cor.* XII), et tanta scientia emicabat, putabatur jam comprehendisse quod alii sequuntur, sed ipse hoc negat. Ne enim videatur superfluum tot adversa pati, cum fidem et alia bona habeat, suddit quasi dicens: Merito pro illa gloria tantum laboro, quia *non* dico *quod jam acceperim* aliquid, quia si quid gloriæ accepi, nihil est ad comparationem futuræ, aut si quid accepi de cognitione Christi, non dico quod in illa *jam perfectus sim*. Et si ita de me, quid de aliis? Non est quod jam acceperim, quod peto; aut jam perfectus sim, ut nihil mihi desit. Non dico, sufficit quod egi; sed semper aliquid addo, semper ambulo, semper proficio, semper sequor quod comprehendere laboro, *si quomodo fiat ut comprehendam*, id est perfecte teneam illud in eo modo, *in quo et* ego *sum comprehensus a Christo Jesu*, id est ut videam ipsum Christum sicut ipse me videt, et cognoscam eum perfecte sicut ab eo cognitus sum, ut sicut ipse plenarie me videt et cognoscit, ita ego plenarie humano modo eum cognoscam. Vel comprehendam eum, in quo et comprehensus sum ab eo, id est ut videam eum in ea claritate, in qua mihi apparuit in via, quando me comprehendit (*Act.* IX). Ideo enim sequor. Prævenit me justitia ejus, sequatur eum mea. Cœperunt mirari qui audiebant Apostolum dicentem, non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. *Fratres*, inquit, *ego non me arbitror jam comprehendisse*, id est nolite in me falli, plus me ipse novi quam vos, scio quid mihi desit, scio quid adsit. Ego me non arbitror apprehendisse. *Unum autem* hoc me non arbitror apprehendisse. Multa habeo, sed unum nondum apprehendi. « Porro unum est necessarium (*Luc.* X). » — « Unam petii a Domino, hanc requiram (*Psal.* XXVI). » Et quæ est illa? « Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (*ibid.*). » Ipsum est unum quod nondum apprehendi. Et in quantum mihi hoc deest, in tantum nondum perfectus sum, quia nondum æqualis angelis. Quia

Digitized by Google

ergo agis? quid agendum exemplo tuo doces? Ea *quidem quæ sunt retro*, id est terrena quæ reliqui obliviscens, id est a memoria cogitationis auferens, *ad ea vero quæ sunt priora*, id est ad cœlestia quæ sunt elevantia in divina, extendens desiderio meipsum, persequor, id est perfecte sequor mente et opere. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia et illa pergentes invenimus, et ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Vel ea quæ retro sunt, id est præterita merita mea obliviscens, et quasi pro nihilo ducens, ad futura merita me extendo, semper addens aliquid. Adhuc enim proficio, adhuc ambulo, adhuc in via sum, adhuc me extendo : nondum perveni. Extendo me *ad destinatum*, id est ad illud quod Dei providentia mihi destinatum disposuit, vel ad quod proposui currere. Et persequor, id est sequi non desisto usque dum veniam *ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*, id est ad præmium in supernis dandum, ad quod vocat me Deus in Filio suo. Et quandoquidem ego qui tantus sum, non arbitror me comprehendisse, sed adhuc sequor si forte comprehendam, *ego quicunque sumus perfecti, hoc sentiamus* omnes scilicet nos nondum comprehendisse, sed adhuc debere sequi et proficere. Videtur Apostolus quasi contrarius sibiipsi. Quomodo enim stare potest sententia, ut qui dixerat : « Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim ; » dicat : *Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus ?* Sed de duabus loquitur perfectionibus, ostendens omnem hominem, et universam creaturam, quamvis ad perfectionem venerit, tamen indigere misericordia Dei, et plenam perfectionem ex gratia, non ex merito possidere. Et ideo perfectus erat Apostolus juxta modum humanæ possibilitatis, sed adhuc perfectionem exspectabat ex dono supernæ largitatis, ut æqualis fieret angelis. Erat perfectus viator, sed nondum perfectus patriæ possessor. Et hoc de seipso debet unusquisque perfectus sentire, ut dum se viatorem et non habitatorem meminerit, studeat semper ambulare et proficere, ne forte ubi se satis egisse putaverit, ibi remaneat. Quæ sententia multum utilis fuit nonnullis Philippensium, qui jam se perfectos arbitrabantur, ne putarent sufficere sibi perfectionem suam, et inciperent remissius agere, ac perirent. Hoc, inquit, sentire debetis, quod imperfecti sumus comparatione futuræ perfectionis, et illuc tendimus. *Et si quid aliter sapitis* ut parvuli, id est si jam putatis vos aliquid egisse esse vel scire, *et hoc vobis revelabit Deus*, quod non recte id sapitis. Qui enim in pace catholica permanet, si quid aliter sapit quam oportet, humili Deus revelabit ; si illud superbus defendit, Deus abjiciet. Vel si quid nunc aliter sapitis, quam in futuro sapiendum sit, quia modo per speculum videtis, etiam hoc revelabit Deus, quia clare faciet vos cognoscere, et se et omnia alia, quæ modo obscure videtis (*I Cor.* xv). Vel si quid aliter sapitis, id est si perfectam Christi notitiam vos comprehendisse putatis, et hoc idem vos male sapere Deus per misericordiam vobis revelabit. Similiter et de aliis erroribus pro bona vita vos liberavit. Sive ita : Si quid modo alter sapitis quam in futuro et de Deo et de omnibus, etiam hanc imperfectam cognitionem vobis Deus per spiritum suum revelabit. Vel si quid aliter sapitis, et si quid melius ad cultum Dei excogitaveritis, sive in interpretationibus Scripturarum aliter secundum regulam veritatis senseritis, etiam hoc donum Dei esse sciatis, quia ipse vobis hoc revelavit. *Verumtamen*, id est sed tamen teneamus omnes illud, *ad quod pervenimus, ut idem sapiamus* credendo, *et permaneamus in eadem regula* disciplinæ, id est rectitudine vivendi, scilicet ut nemo propter novam inventionem vel intelligentiam suam deserat communem sensum fidei, seu regulam juste vivendi constitutam a patribus. Vel ita : Sentire debemus omnes quia nondum perfecti sumus, nec plenariam Dei notitiam apprehendimus ; sed tamen illud ad quod pervenimus, id est illam scientiam quam attingimus, tota mente teneamus, scilicet ut idem in fine sapiamus, et in eadem vitæ regula maneamus, id est nec diversa credamus, nec diversos vivendi ritus habeamus, sed omnes uno modo sincere et munde credamus et vivamus.

« Imitatores mei estote, fratres, et observate eos « qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. « Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, « nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi « (*Rom.* xvi) ; quorum finis interitus, quorum deus « venter est, et gloria in confusione ipsorum qui « terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in « cœlis est, unde et Salvatorem exspectamus Domi- « num nostrum Jesum Christum, qui reformabit « corpus humilitatis nostræ configuratum corpori « claritatis suæ, secundum operationem virtutis « suæ, qua etiam possit subjicere sibi omnia. »

Idem, ut dixi, sapiamus et in eadem vivendi regula maneamus. Et in his, id est in fidei unitate et regula disciplinæ *estote imitatores mei, fratres*, id est sicut me nostis idem sapere, et eamdem regulam servare, sic facite. Ac sicut ego, tradite oblivioni ea quæ retro sunt, id est præterita vitia, ut si vos delectavit aliquando vanitas, jam non delectet ; et in anteriora, id est in profectum virtutum atque in æterna bona piis desideriis atque conatibus semper extendamini. Extenditur enim animus desiderio lætitiæ nondum consecutæ. Et tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est. In his et talibus me imitamini, *et observate*, id est considerate diligenter, et sequimini eos qui mihi sunt similes in via Dei, *qui ita ambulant*, id est promoventur in operibus bonis, *sicut habetis formam nostram*, id est sicut tradidi vobis formam recte ambulandi, vel exemplo conversationis meæ, vel sermone prædicationis. Eos, inquam, qui ita ambulant, observate solliciti, *multi enim* sunt qui aliter incedunt, nec imitandi sunt, sed cavendi. Multi ambulant latam viam perditionis, id est multi promoventur in via perversæ actionis, quos esse *inimicos crucis Christi sæpe dicebam vobis*, dum præ-

Digitized by Google

sens essem, sed *et nunc* idem *dico, flens* tum de perditione eorum, tum de subversione simplicium quos decipiunt. Inimici enim Dominicæ crucis sunt pseudoprædicatores, quia dicunt mortem Christi non sufficere credentibus ad salutem, sine carnalibus legis observationibus. Et conantur ita impugnare crucem Salvatoris, ideoque merito pereunt, *quorum finis* est interitus, id est mors sempiterna, quia tunc non inveniunt auxilium crucis, cujus hostes fuerunt. *Quorum deus venter est*, quia quidquid faciunt, pro ventre faciunt. Vel escas quæ ventris sunt, Deum sibi faciunt, dum eas justificare homines dicunt, et salutem animæ putant in escis, *et gloria* eorum *in confusione ipsorum*, quia in talibus gloriantur, unde confundi et erubescere possent, id est in pudendis membris suis circumcisis; *qui terrena sapiunt*, quia in lege nihil spiritaliter intelligunt, sed omnia carnaliter. Malis etiam catholicis conveniunt hæc verba. Et ipsi enim sunt multi, quia multitudo palearum abundat in area, et ambulant in ampla via, quæ ducit ad perditionem. Ipsi sunt inimici crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt. Cum enim crux Christi in omnibus electis carnem affligat, et crimina mortificet, illi e contrario carnem voluptatibus fovent, et vitia nutriunt. Ideoque finis eorum erit interitus perpetuus, quia propter solam fidem, quam sine bonis operibus habuerunt, non evadent tormenta æterna (*Jacob.* II). Quorum deus venter est, quia sicut Deum summo honore venerari deberent, et omnia meliora de rebus suis illi offerre, sic venerantur suum ventrem, offerentes ei pretiosa et summo studio præparata ciborum genera, ac semper dediti sunt ventris servitio, colentes illum pro Deo, nec reminiscentes Creatoris sui. Et gloria eorum in confusione ipsorum, quia jam amissa peccandi verecundia, ex illis operibus nequitiæ gloriantur, de quibus erubescere debuerunt. Qui terrena sapiunt, quia in terrenis nil nisi quod vident, intelligunt : nec sensum mentis nisi in terrenis ponunt, sed semper cogitatione versantur in infimis. Sed *nostra conversatio* longe distat ab illis, quia jam secundum fidem, et secundum spem *est in cœlis*. Si enim non est in cœlis, quomodo habemus sursum cor ? Corpore ambulamus in terra, sed corde habitamus in cœlo. Sicut enim domus exterioris conversationis est ædificium, quod inhabitat corpus, ita domus nostræ cogitationis est res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Omne enim quod diligimus, quasi in hoc quiescentes habitamus. Unde nunc apostolus quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen a terra extraneus, de se suique similibus dicit : *Nostra conversatio in cœlis est*, id est et vivendo et intelligendo sumus angelis similes, unde, id est, ex quibus præter commoda quæ jam habemus, *et Dominum nostrum Jesum Christum exspectamus* venturum ad judicium, Salvatorem jam animarum nostrarum, et tunc etiam corporum. Nam ipse tunc reformabit, id est in meliorem formam resuscitabit *corpus humilitatis*, id est vilitatis et dejectionis nostræ, id est hoc corpus nostrum vile et abjectum, quod nunc tot miseriis subjacet. Ita reformabit illud, id est pristinam ei formam ita gloriosam in resurrectione restituet, ut sit *configuratum corpori claritatis suæ*, id est assimilatum clarissimo corpori suo, quod sumpsit ex virgine, et eamdem claritatis figuram habeat corpus nostrum, quam habet suum, quando justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum (*Matth.* XIII). Et hoc ipse faciet *secundum operationem* omnipotentiæ suæ, *qua possit* non solum corpus reformare, sed *etiam subjicere sibi omnia*, quia tunc omnino complebitur : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus (*Psal.* CIX; *I Cor.* XV). »

CAPUT IV.

« Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in « Domino charissimi. »

Quia Christus reformabit corpus humilitatis nostræ, et ad tantam perveniemus gloriam de tanta utilitate, *itaque, fratres mei*, state in eo quod cœpistis, ne tantam gloriam amittatis. Vos dico, mihi charissimi, quia multum ego vos habeo charos *et desideratissimi*, quia multum ego vos desidero, vel vos me ; *gaudium meum*, id est de quorum fide et opere gaudeo ; *et corona mea* in futuro, quia propter vos coronam gloriæ percipiam. Vos qui tales estis, state firmi *in Domino sic*, id est ut ego vos stare docui, et ut cœpistis; vel sicut me et mihi similes scitis, quia tunc eritis charissimi.

« Evodiam rogo et Syntychen deprecor, idipsum « sapere in Domino. Etiam rogo et te, germane « compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt « in Evangelio, cum Clemente et cæteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro « vitæ. »

Evodia et Syntyche erant matronæ religiosæ, quæ prædicatores suscipere solebant. Et forte audierat illas Apostolus a fide dissentire, ideoque nominatim rogavit, ut idipsum quod cæteri saperent in Domino, id est in ejus fide. Quasi dicat : Omnes moneo stare, sed specialiter Evodiam et Syntychen, quia plus de eis timeo. *Etiam rogo et te, o germane compar*, id est coadjutor meus in prædicatione, *adjuva illas* firmando tuis exhortationibus et instructionibus atque orationibus, ut possint unanimes stare in fide, quæ non sunt parvipendendæ, quia ecum laboraverunt in Evangelio, id est de labore uo ministraverunt mihi stipendium in prædicatione Evangelii. Laboraverunt, inquam, *cum Clemente*, qui in hoc laborabat, et cum cæteris qui me adjuvabant. Iste Clemens fuit tertius papa Romanus (223). Vel adjuva illas cum Clemente *et cæteris adjutoribus meis*, id est tu et cæteri adjutores mei qui sunt Philippis, adjuvate illas. Adjutores dico, qui

(223) Tertius si non a Petro, sed a Lino incipias.

Digitized by Google

non frustra laboraverunt ut me adjuvarent, quia nomina eorum *scripta sunt in libro vitæ*, id est assignata tenentur ad vitam in memoria divinæ prædestinationis. Quis est enim liber vitæ, nisi memoria Dei, in qua sunt illi qui vivunt in æternum? (*Apoc.* xx, xxii.)

« Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete (*I Cor.* i, *Jer.* ix). Modestia vestra nota sit « omnibus hominibus. Dominus prope est. Nihil « solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione « cum gratiarum actione petitiones vestræ innote- « scant apud Deum. Et pax Dei quæ exsuperat om- « nem sensum, custodiat corda vestra et intelligen- « tias vestras in Christo Jesu. »

Lætatus in fide et operibus eorum Apostolus, ut alacres sint in his proficientes, monet gaudere in Domino, et id iterat, ut se in eis gaudere vere ostendat. *Gaudete*, inquit, id est cor vestrum exhilarate, et omne bonum unde gaudendum est, statuite vobis *in Domino*, non extra. Et hoc adeo necessarium vobis est, quod *iterum dico gaudete*, ut tristitia sæculi nullum in vobis locum inveniat, sed totos lætitia spiritualis vos repleat. Gaudete in Domino, et non per intervalla, ut modo gaudeatis, modo non gaudeatis, *sed semper* gaudeatis, sive in prosperis, sive in adversis. Et non semel dico, sed iterum ut gaudeatis, confirmans et inculcans repetita commonitione gaudium. Gaudete, sed in Domino, non in sæculo. Sicut enim « nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* vi; *Luc.* xvi), » sic nemo potest et in Domino et in sæculo gaudere. Contraria enim sunt hæc duo gaudia. Nam sæculi gaudium est impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur in spectaculis, nugentur in ebriositate, ingurgitentur turpitudine, et ista mala non impediat fames, non belli, non alicujus rei timor, non aliquis morbus, non aliqua adversitas, sed sint omnia redundantia in pace carnis, in securitate mentis, et videte sæculi gaudium. Et ideo non in sæculo gaudete, sed in Domino, id est non in iniquitate, sed in veritate; non in flore vanitatis, sed in spe æternitatis. In Domino sit gaudium vestræ mentis, sed homines videant modestiam vestræ conversationis, ut exemplo vestro discant modeste agere. Modestia quasi modi statio dicitur, quando modus servatur in omnibus. Modestia est in animo, continens moderationem cupiditatum. Modestia in operatione, modificans omnes actiones, similiter et in verbis. Hæc modestia tantum fulgeat in vobis, ut *nota sit omnibus hominibus;* fidelibus, ut imitentur; infidelibus, ne possint reprehendere. Modestiam morum servate, quia *Dominus prope est*, ut auxilietur vobis assidue nisi per socordiam vestram defeceritis. Etsi enim super omnes cœlos ascendit corpore, non tamen recessit majestate. Ubique præsens est, qui fecit omnia. Dominus prope est, paratus dare quidquid opus est vobis in spiritualibus et corporalibus. Et ideo sollicitudinem vani timoris abjicite, quia et in bonis operibus vestris aderit Dominus vobis adjutor, et in passionibus quas pro nomine ejus perferetis, nec alimenta vobis corporea denegabit. *Nihil ergo*, id est de nulla re *solliciti* et timidi *sitis* quasi de futuro, sed estote sine mundi sollicitudine, habentes promissa Dei præ oculis, et ab ipso petentes omnia. Non sitis, inquam, solliciti, sed petitiones vestræ de his quæ vultis accipere, ita sint vehementes et instantes, ut *innotescant apud Deum*, id est perveniant ad Deum, hoc est acceptabiles sint Deo qui omnia novit, sed ea scire dicitur, quæ elegit et approbat. Vel vobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam. Aut forte innotescant etiam angelis, qui sunt apud Deum, ut quodam modo offerant Deo, et de his consulant; et quod Deo jubente implendum esse cognoverunt, hoc vobis vel evidenter, vel latenter reportent. Petitiones dico factæ *in omni oratione*, id est in oratione quæ nihil de his quæ oranda sunt prætereat, sed omne quod expedit, orando petat a Deo; *et obsecratione*, quæ cum adjuratione sacrorum fiat, cum *gratiarum actione*, de acceptis beneficiis, quia qui vult alia impetrare, debet ex perceptis gratus esse. Vel secundum alios oratio est pro præteritis excessibus ac delictis, obsecratio autem pro adipiscendis futuris bonis, gratiarum actio pro collatis beneficiis, petitio vero de rebus nominatim necessariis. Et talibus quidem precum modis hortor vos ut insistatis, et Deum *sine quo humanus labor inutilis est* oro ut præstet effectum, scilicet ut *pax Dei*, qua in seipso pacatus est, et cujus participatione pacificantur angeli et homines, *custodiat corda vestra, quæ exsuperat omnem sensum*, id est omnem intellectum hominum et angelorum, quia pacem Dei, qua Deus ipse pacatus est, sicut Deus novit, nec nos, nec angeli nosse possumus. Sed quia et nos pro modo nostro pacis ejus participes facti sumus, summam in nobis atque inter nos et cum ipso pacem, quantum nostrum summum (224); hoc modo juxta suum modum sciunt eam sancti angeli, homines autem nunc longe infra scientiam istam sunt, quantocunque provectu mentis excellant. « Videmus enim nunc per speculum in ænigmate (*I Cor.* xii). » Cum vero æquales angelis fuerimus, tunc (sicut illi) facie ad faciem, id est manifeste videbimus; tantamque pacem habebimus erga eos, quantam et ipsi erga nos, quia tantum dilecturi sumus, quantum ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia nostra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum nostrum. Dei vero pax, quæ est illis erga eos, et nostrum et eorum intellectum sine ulla dubitatione præcellit. Et ista pax Dei custodiat *in Christo Jesu corda vestra*, id est voluntates vestras, *et intelligentias vestras*, ut extra Christum nihil appetatis vel intelligatis. Contra illecebras sæculi custodiat corda, et contra fraudes pseudoprædicatorum cu-

(224) Locus obscurus.

Digitized by Google

stodiat intellectus vestros. Corda custodiat contra adversa omnia, intelligentias contra errores.

« De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa; quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ : hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis et vidistis in me : hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum. »

In conclusione quæ ad perfectionem sunt, exponit Apostolus. Quasi dicat : Hactenus contra persecutores, et contra pseudoprædicatores vos monui, sed *de cætero* monendi genere, quod ad mores optimos pertinet, nunc breviter dicam ; scilicet cogitate et agite *quæcunque sunt vera, et quæcunque* sunt *pudica*, ut nec in cogitatione, nec in actione falsum aliquid aut libidinosum admittatis, sed in omni sermone veridici, et mente et corpore pudici sitis, ne vel in aspectu vestro sit aliquid lasciviæ. Similiter *quæcunque justa, et quæcunque sancta*, cogitate et facite. Justa ad proximum, sancta in propria vita, id est erga proximum juste servanda ; sancta, id est animas, et corpora sanctificantia. Qui semper cogitat et agit quæ justa sunt, nec Deo, nec homini facere potest injuriam. Et qui sancta cogitat et facit assidue, nulla potest macula sordidari; *quæcunque amabilia* cogitate et facite, id est studete ut dicta et facta vestra in bono placeant hominibus, quatenus per hoc ad imitationem vestram eos alliciatis sicque Deo jungatis, *quæcunque bonæ famæ* sunt ea similiter cogitate et facite, ne de vobis habeatur mala opinio, sed bona, ut prosit aliis. Sanctorum enim conversatio etiam causa debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciviam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, qui quando reprehensi in aliqua negligentia sua, per quam fit ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non solum imprudenter, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, sive blasphemantium vitam Dei, quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis quæ casta est, displicet vita sanctorum, sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis autem famam et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra. Et utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem. *Si qua virtus* est, hanc sectamini, *si qua laus disciplinæ*, hanc habete, virtus sit in vobis, et post sequatur laus, ut homines qui virtutem vestram laudabunt, proficiant. Vel cogitate et facite ea quæ sunt bonæ famæ si qua virtus est in eis, vel si qua laus disciplinæ Christianæ. Non enim curanda est bona fama de viribus vel scientia vel aliis sæcularibus; *hoc*, inquam, *cogitate*, id est in memoria versate, *quæ* omnia *et didicistis*, me docente, *et accepistis* ut digna teneri, quia vobis accepta et grata fuerunt postquam ea didicistis, et audistis ea in me esse, et vidistis. Hæc agite, id est non tantum cogitate, sed et actu implete ; et tunc *Deus* dator *pacis, erit vobiscum*, adjuvans vos hæc facere. Qui enim sic vixerit, non solum cum Deo pacem habebit, sed et ab omnibus fere hominibus amabitur.

« Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis, occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare. Ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ. »

Bona acta eorum memorat, et gratias agit, ut incitet eos ad talia ferventius agenda, quasi dicens : Ego vos ad futura religionis studia moneo, sed de præteritis beneficiorum vestrorum studiis gaudeo, et *gavisus sum vehementer*, non in dono quod promisistis, sed *in Domino*, qui vobis inspiravit hanc charitatem, et redditurus est remunerationem, *quoniam tandem*, id est post multa tempora, *aliquando*, id est aliquo tempore, quia non omnia potuistis, *refloruistis*, id est pristinum largitatis florem resumpsistis, ut aliqua daretis mihi, sicut olim dare solebatis. Largitio enim est flos, quia inde fructus æternæ vitæ procedit. Et ab hoc flore quadam sterilitate marcueratis, ac velut hiemis frigore torpueratis. Sed nunc velut austro flante sancto Spiritu, ver ad corda vestra rediit, et refloruistis velut bonæ arbores. Refloruistis *sentire pro me*, id est compati mihi pro me, quia mihi prodest vestra compassio. Sentire pro me, id est ut sentiretis quod me pungebat *sicut et* prius sentiebatis ministrantes mihi. Nec aliqua mala causa hoc intermisistis, sed *occupati eratis* et impediti aliquibus adversis vel actionibus. Imprudenter delinquentes Galatas aperte increpat superius, dicens : « O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? (*Galat.* III.) » Nunc vero culpas istorum verecundantium quasi compatiens reprehendit, ut et illorum culpas increpatio detegeret, et horum negligentiam sermo mollior velaret. Similiter unusquisque rector Ecclesiæ juxta modum culpæ debet unumquemque rationabili discretione increpare. Gavisus sum et refloruistis. *Non quasi propter penuriam hoc dico*, id est non dico me gavisum esse quasi propter penuriam meam, quem consolati estis, quia non propter angustiam meam quæ relaxata est, sed propter affectum vestrum gaudeo. Vel non dico ista quasi propter penuriam meam adhuc relevandam, ut per hæc dicta vos invitare studeam ut iterum suppleatis inopiam meam. *Ego enim didici* et a Deo et ab usu quotidiano *esse sufficiens*, id est contentum rebus *in quibus sum* sive parvis, sive magnis. Nam *et humiliari* paupertate *scio*, quia non

inde frangor ; *et abundare* rebus *scio*, quia non inde erigor. *Ubique*, id est in omni loco, sive Romæ, sive alibi, sive coram principibus, sive aliis sim positus, *et in omnibus*, id est in omni genere rerum *institutus sum* et doctus a Deo, scilicet *et satiari*, ne noceat satietas ; *et esurire* tolerabiliter, *et abundare* humiliter, *et penuriam pati* moderanter. Hæc scio, et possum exsequi omnia ista, eo confortante, qui docuit. Magna scientia est scire humiliari et abundare, satiari et esurire, abundare et penuriam pati. Quem enim penuria sua non frangit, a gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderio non accendit, scit humiliari. Hoc enim loco Apostolus humiliari dicit penuriam pati. Nam statim e contrario subjunxit, scio et abundare. Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui per eas ad usum vanæ gloriæ non intorquetur, qui solus non possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer dividit, scit abundare. Qui acceptis alimentis, non ad ingurgitationem ventris utitur, sed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Qui alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus aliquid agit unde anima peccati laqueum incurrat, scit esurire. Quem ergo nec in abundantia superbia elevat, nec in necessitate cupiditas irritat, novit abundare, novit penuriam pati. Ubi cum statim Apostolus subderet, *omnia possum*, adjunxit *in eo qui me confortat*. Ecce in altum ramus producitur, sed quia in radice se tenet, in virilitate permansit. In altum enim surgens aresceret, si se a radice divisisset. Sibi enim nihil tribuit, qui omnia se posse non in se, sed in Domino qui se confortat, fatetur. Ego quidem, inquit, hæc omnia scio et possum ; sed *tamen* vos *bene fecistis* quantum ad vos, qui quod justum est explevistis *communicantes* vestra bona *tribulationi meæ*. Inde mihi placet actio vestra, quia bene egistis, ministrantes mihi misericorditer in afflictione mea, non quia mihi res misistis quibus carere possem.

« Scitis autem et vos Philippenses, quod in prin-
« cipio Evangelii quando profectus sum ad Macedo-
« niam, nulla mihi ecclesia communicavit in ratione
« dati et accepti, nisi vos soli, quia et Thessalonicam
« semel, et bis in usum mihi misistis. Non quia
« quæro datum, sed requiro fructum abundantem
« in ratione vestra. Habeo autem omnia et abundo,
« repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misi-
« stis in odorem suavitatis, hostiam acceptam, pla-
« centem Deo. Deus autem meus impleat omne de-
« siderium vestrum secundum divitias suas in glo-
« ria in Christo Jesu Deo autem et Patri nostro
« gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

Vos communicastis et nunc et olim mihi res vestras, sed alii non. Nam *scitis et vos Philippenses*, sicut et alii et plures, *quod in principio Evangelii*, id est quando prius prædicavi vobis Evangelium, *nulla ecclesia* nisi vestra *communicavit mihi in ratione dati et accepti*, id est ut rationabiliter consideraret quod deberet dare carnalia, qui accipiebat spiritualia, juxta illud : « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus (*I Cor.* IX). » *Vos soli* communicavistis, *quia* non tantum cum essem præsens apud vos, hoc fecistis ; sed *et Thessalonicam*, id est apud illam urbem moranti *misistis mihi* de rebus vestris *in usum semel et* iterum. Hoc memorat Apostolus, ut quasi laude digni magis studeant prædicatoribus ministrare, et ne illi putarent eum fuisse oblitum charitatis sæpe sibi impensæ. Qui ab eis hæc non refutabat, quia non idcirco dabant, ut vellent eum vitiis suis parcere. A cæteris vero non accipiebat, ne auctoritatem sibi correctionis minueret, et ne forte illis esset grave, cibum ei corporalem impendere. Dico, inquit, vos bene fecisse, non ut ego implear, sed ne vos inanes sitis. Et hoc est : *Non* dico ideo, *quia quæro datum* vestrum, *sed requiro fructum* dati *abundantem in ratione vestra*, non mea. Datum est res ipsa quæ impenditur, veluti nummus, cibus, vestis. Fructus vero dati est, si benigna mente futuræ mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde. Unde et idem fructus in ratione, id est in cordis lumine, debet abundare. Veliin ratione eorum debet abundare, ut cum rationem de suis actibus Deo reddiderint, abundet eis fructus justitiæ. Quia igitur discipulorum suorum Apostolus mercede potius quam munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur. Unde et subdit protinus, dicens : *Habeo autem omnia et abundo*. Quasi dicens : Non quæro datum, sed habeo omnia, quia Deum habeo, in quo omnia possideo ; et abundo non in uno, ut in alio egeam, sed *repletus sum*, quoniam nihil deest timentibus Deum. Repletus sum, etsi nihil dedissetis ; sed *acceptis ab Epaphrodito* vestris muneribus, *quæ misistis* mihi *in odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*, id est quæ placerent Deo, ut suavissimus odor puræ orationis. Quod enim odor sit oratio, testatur Joannes, ubi se vidisse refert seniores habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum (*Apoc.* V). Sed et istorum munera dicuntur nunc odor suavitatis, quia orant pro eis, sicut scriptum est : « Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo (*Eccli.* XXIX). » Sunt et hostia, quia data suut ab eis, ut vincerent hostes suos, vel quia vicerant. Et hæc hostia accepta est Deo et placens, quia Deus accepit eam placite. Vos me replevistis vestris bonis, sed Deus meus repleat vos suis. Proprio exemplo declarat Apostolus, quia pro his orare debemus, a quibus temporalia bona percipimus. Deus *omne desiderium vestrum impleat*, largiendo bona omnia quæ desideratis, ut nihil vobis desit ex his quæ optatis. Et hoc faciat *secundum divitias suas*, id est secundum quod ipse est dives, et plus dare potest, quam quis mereatur. Implcat, dico, vestrum desiderium, non in terrenis, sed *in gloria* supernæ felicitatis, et hoc *in Christo Jesu*, ut

Digitized by Google

in eo perenniter deliciis affluatis. Cujus beneficiis non simus ingrati, sed gratias ei semper et laudes referamus, scilicet *Deo* qui nos creavit, *et Patri nostro* qui nos in filios adoptavit, sit *gloria ;* et non ad horam, sed *in sæcula sæculorum*, id est in æternum. *Amen*

« Salutate omnem sanctum in Christo Jesu. « Salutant vos qui mecum sunt, fratres : salutant « vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris « domo sunt. »

Salutate, inquit, *omnem* apud vos manentem *sanctum in Christo Jesu*, id est qui non in lege, sed in Christo sanctus est, et nihil sanctitatis nisi in Christo habet, et a Christo. *Vos* autem *salutant fratres*, id est filii Catholicæ matris Ecclesiæ, *qui mecum sunt*, id est morantur. Nec ipsi solum, sed et *omnes sancti* qui sunt Romæ. Omnes quidem vos salutant, sed *maxime* illi *qui sunt de domo Cæsaris*, id est Neronis. In hoc multum confirmat eos in fide, dum ostendit eos præcipue diligi, et specialiter salutari ab his qui Christianæ religioni jam deserviunt in domo Cæsaris. Nec ultra debere tribulationes metuere, quasi graves et diu permansuras, cum jam consiliarii et amici imperatoris sunt Christiani.

« Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu « vestro. Amen. »

Gratia Christi Jesu Domini nostri sit cum spiritu vestro, ut quod spiritus per liberum arbitrium bene voluerit, adjuvante gratia possit implere, ne sitis « generatio quæ non direxit cor suum et non est creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII). » Cum Deo enim debet credi spiritus noster, quia nisi crediderimus quod spiritus nostræ voluntatis per seipsum nihil potest sine adjutorio gratiæ Dei, nihil unquam boni facere poterimus. *Amen.*

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

ARGUMENTUM.

Est civitas in Asia nomine Colossæ, unde Colossenses dicuntur. His non ipse Apostolus prædicavit, sed ejus discipuli Epaphras et Archippus, quando ex his originem ducebant. Epaphras enim quæ a Paulo didicerat prædicans eis, convertit illos, et factus est apostolus eorum; Archippus vero episcopatum super eos accepit. Supervenientibus autem pseudoapostolis, et carnales observantias prædicantibus, dubium fuit ouibus potius credendum esset. Unde Paulus, cujus auctoritas celebris erat, quasi medius judicat quæ pars sit potius tenenda. Describit autem Christum et ejus beneficia, quomodo est sufficiens ad omnia; carnalia vero omnino improbat, ut deinceps sincere fidem Christi teneant. Instruit et moraliter, confirmans quod illi docuerant. Unde fit ut hæc epistola magnam affinitatem et similitudinem habeat cum illa quæ est ad Ephesios. In illa quippe et in ista simili modo commendatur eminentia divinorum beneficiorum, et carnalium observatio legis destruitur, et mores Dei instruuntur.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, « et Timotheus frater, his qui sunt Colossis, sanctis « et fidelibus fratribus in Christo Jesu : Gratia vobis « et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu « Christo. »

Quia Paulus Apostolus gentium constitutus erat, ideo istis qui gentiles erant, pure se scribit apostolum, licet eis per se non prædicaverat, sed per discipulos suos. Nam et istis erat apostolus. At contra in epistola quam scripsit Hebræis, non se dixit apostolum, quia non erat apostolus Hebræorum, sed gentilium. *Paulus* cujus dicta sunt authentica, quia est *apostolus*, id est legatus Jesu Christi ; et hoc non per sua merita, vel per humanam electionem, sed per voluntatem Dei, contra cujus voluntatem faciunt pseudoapostoli, *et Timotheus frater*, qui est vir magnæ auctoritatis, mandant ea quæ sequuntur *his qui sunt Colossis*, non quidem idololatris, sed *sanctis et fidelibus fratribus*, id est majoribus et minoribus Christianis. Sanctis, id est in divina religione promotis ; et fidelibus, id est qui jam fidem habent, sed nondum in sancta conversatione sunt promoti. Vel eisdem sanctis et fidelibus, id est bonos mores et fidem habentibus, et hoc *in Christo Jesu*, id est in Christi gratia, non in legis observantia, nec in viribus liberi arbitrii. Quid volunt, aut quid petunt, ut *gratia vobis* sit *et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.*

« Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu « Christi, semper pro vobis orantes, audientes fi- « dem vestram in Christo Jesu et dilectionem, quam « habetis in sanctos omnes, propter spem quæ re- « posita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo « veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et « in universo mundo est, et fructificat, et crescit ; « sicut et in vobis ex ea die, qua audistis et cogno- « vistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab « Epaphra charissimo conservo nostro, qui est « fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam « manifestavit nobis, dilectionem vestram in spi- « ritu. »

A gratiarum actione inchoat, ut eos sibi benevolos reddat, et ad gratias Deo semper agendas pro acceptis beneficiis accendit. Scribit autem a Roma. *Gratias*, inquit, *agimus*, ego et Timotheus, id est gratiosas laudes referimus Deo, quia vobis omnia

Digitized by Google

dedit bona quæ habetis. Ideo gratias illi agimus, non vobis. Gratias agimus *Deo*, id est Creatori Jesu Christo, secundum quod homo est; *et Patri* ejusdem *Christi Jesu Domini nostri*, secundum quod Deus est, qui per eumdem Mediatorem vobis omnia tribuit. Nos dico, *semper orantes pro vobis*, ut crescatis et proficiatis die ac nocte, vel quoties oramus. Gratias agimus, *audientes*, id est quia audivimus *fidem vestram esse in Christo Jesu*, quia et fides vestra donum Dei est. Alioquin non essent illi agendæ gratiæ pro ea, et quia audivimus *dilectionem quam habetis* non otiosam, sed bonis operibus redundantem, non in quosdam *sanctos* sed in *omnes* quoniam beneficia vestræ charitatis abundant in eos quos vivere sancte nostis. Ideoque grates illi referimus, qui vobis talem inspiravit charitatem. Et hæc non propter humanam laudem, sed *propter spem quæ vobis est in cœlis reposita*, quæ non apparet modo, sed tamen est vobis in cœlis, tutoque loco servatur; hoc est, propter vitam perennem, quam vos in cœlis assecuturos speratis. Et quomodo res tam latens speratur? *Quam audistis*, inquit, id est quia audistis illam *in verbo veritatis*. Vel quia spem non habetis a vobis, sed a Deo, quia in verbo, id est in prædicatione non falsitatis, sed veritatis; nec cujuslibet veritatis, sed *Evangelii*, id est boni nuntii, quo annuntiatur Deus homo factus esse, ut homines deos faceret, id est angelis pares, et ne ipsi dissimularent se Evangelium audisse, quasi non esset eis prædicatum, sed alios audisse inde tenuiter loqui, quibus fuerat prædicatum, addit: *Quod* Evangelium *pervenit ad vos*, subauditur, etsi non per me, tamen per eos qui didicerant a me, sicque veritas vos non latuit. Rursum ne illi superbirent, quasi ad eos pervenisset Evangelium, et cæteras gentes devitasset, subdit: Ita pervenit ad vos, *sicut et in universo mundo*, id est non soli vos audistis illud, sed et omnis mundus, quia non est aliquod mundi regnum, in quo Christi nomen non sit prædicatum. Vel ita pure et vere pervenit ad vos, sicut per me et alios venit in universum mundum, et adhuc est et manet in eo, id est non minus est vobis factum, quam aliis ecclesiis et cum sit in mundo Evangelium, *fructificat* ibi per bona opera intellectus, *et crescit* augmento scientiæ et numero fidelium; non quod plus habeant alii quam vos, sed ita est factum illis, *sicut et in vobis*. Et ideo nihil debetis superaddere vel mutare, sed ita ut didicistis, Evangelium sinceriter servare, quod totus servat mundus, ne vos soli dissentiatis ab universo orbe. Sicut in orbe terrarum, ita et in vobis est, et fructificat et crescit *ex ea die qua audistis* illud, quia non fuistis rebelles, sed mox credere cœpistis et fructificare, vel in die illo, id est illuminatione cordis audistis credendo *et cognovistis* discernendo *gratiam Dei*, id est remissionem peccatorum, et cætera Dei dona gratuita *in veritate*, non in fictione, quia veraciter dat ea Deus, non fingitur dare, vel in veritate prædicationis ea cognovistis, *sicut didicistis ab Epaphra*. Epaphram modo laudat, et de Archippo tacet, quoniam Epaphras erat valde fervens studio charitatis, et sollicitus et apostolus eorum; Archippus vero episcopus, sed aliquanto remissus et tepidus. Cognovistis gratiam Dei, non sicut vosipsi vestro ingenio invenistis, sed sicut didicistis ab Epaphra magistro non vili, sed *charissimo et conservo nostro*, quia nobiscum in prædicatione servit Domino Christo. Cujus doctrinam non debetis spernere, sed honorare et servare. quia est non subdolus, sed *fidelis minister Jesu Christi*, id est dona Christi ministrans in prædicatione vobis, vel bona vestra offerens Christo, fidelis minister est *pro vobis*, non pro suis, qui non vestra quærit, sed vos; non res vestras cupit acquirere, sed vos Deo adjungere, quorum salutem desiderans, cœpit doctrinam meam vobis prædicare. *Qui et manifestavit nobis* relatione sua *dilectionem vestram* ad Deum et proximum esse fundatam *in Spiritu* sancto, non in carne dilectionem vestram nobis intimavit, quæ non est in affectu carnis, sed in gratia Spiritus sancti.

« Ideo et nos ex qua die audivimus, non cessamus pro vobis orantes et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia et longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ. »

Epaphras nobis nuntiavit dilectionem vestram spiritualem. *Ideo* non solum ipse Epaphras, sed *et nos ex ea die qua* hoc *audivimus non cessamus* orare humili affectu et pia devotione *et postulantes* quasi quadam audacia pro meritis vestris assumpta. Hoc scilicet oramus et postulamus incessanter a Deo pro vobis, *ut impleamini agnitione voluntatis ejus*, id est ut plene cognoscatis quid ipse velit, et quid non. Magnum est plene scire quid Deus velit in omnibus rebus activæ vitæ vel contemplativæ. Modo tamen consequenter exponitur per partes quid ipse velit. Agnoscatis, inquam, voluntatem ejus *in omni sapientia* rerum, quæ activæ vitæ sunt, *et intellectu spirituali*, id est cognitione spiritualium rerum, vel in omni sapientia divinorum atque cœlestium, et intellectu spirituali sacrarum Scripturarum, *ut vos ambuletis digne Deo*, id est agatis ita ut digni sitis Deum accipere præmium; vel ambuletis ut Deum deceat ambulatio vestra, per omnia quæ egeritis *placentes* ei. Ita scilicet, ut sitis non in quodam, sed *in omni opere bono fructificantes* multipliciter in majus, et per hoc bonorum operum merita *crescentes in scientia Dei*, in cognitione dilectionis sensu spirituali, juxta illud: « A mandatis tuis intellexi (*Psal.* CXVIII). » Bona enim operatio sensum mentis illuminat. Vos dico, *confortati* in Deo *in omni virtute*, id est fortes et constantes effecti in

Digitized by Google

charitate, et justi in sanctitate et cæteris similibus, et hoc *secundum potentiam claritatis ejus*, id est secundum quod potest vos fortes reddere claritas ejus, qua illuminantur electorum mentes, ut claram Dei notitiam habeant, et omnia clare discernere valeant, ut jam nullatenus ad peccati consensum flecti queant, sed semper quod bonum est, faciant. Dixi ut in omni virtute sitis fortes, scilicet *in omni patientia*, ut fortiter omnia adversa sustineatis per patientiam. Non enim in quadam patientia rogo vos esse fortes, ut quædam patienter sufferatis, et quædam non sufferatis : sed potius in omni patientia, ut videlicet omnia molestiarum genera patienter pro Deo sustineatis, *et* in omni *longanimitate*, id est longa animi perseverantia, in adversitatum tolerationе et promissorum cœlestium exspectatione. Patientiæ enim addenda est longanimitas, ne quis postquam per aliquod temporis spatium servaverit patientiam, deficiat in adversis, vel fastidiat tam longam patientiæ observantiam, et incipiat impatienter agere, sed potius per longanimitatem patienter omnia toleret usque in finem, et hanc patientiam atque longanimitatem servate *cum gaudio*, vel non sitis inter adversa quæ patimini tristes, sed potius sitis spe gaudentes, dum fueritis in tribulatione patientes. Non enim contristari, sed gaudere debetis, si contigerit ut propter justitiam adversa toleretis. Vos dico, *agentes gratias Deo Patri*, qui tanta nobis beneficia contulit, ut consortes sanctorum nos faceret ; hoc est nolite contra Deum murmurare, quia vos sinit in præsenti sæculo adversa tolerare, sed gratias illi agite semper, quia vos dignatus est in numero sanctorum computare, ut cum eo perenniter possitis regnare. Gratias illi exsultanter agite, *qui nos* per suam *fecit dignos* transire in partem, id est in participationem *sortis*, id est æternæ hæreditatis *sanctorum in lumine*, id est in claritate divinæ visionis, ut æternaliter irradiemur splendore majestatis ejus. Sors enim vocatur hæreditas, quando non meritis humanis, sed electione divina datur; sanctis patriarchis et prophetis. Et partem hujus sortis nos habere Deus voluit, ut cum sanctis patribus hæreditatem possideremus in lumine viventium. Vel Dei voluntas in humano genere sors est, apud quem non est iniquitas. Non enim ille personas accipit (*Rom.* II), sed occulta illius sors est unicuique hominum. Sortis nomine designatur gratia qua salvamur, quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iste facit, et iste non facit, merita considerantur. Et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus, hoc est sors. Et in partem sortis hujus nos, qui eramus indigni, fecit ipse misericorditer dignos, quod ad fidem vocavit, non solum ex Judæis, sed et ex gentibus (*Rom.* IX). Et hoc fecit in lumine, quo mentes nostras illustravit, ut cognosceremus eum, et verba prædicatorum ejus intelligeremus. Fecit autem hoc modo nos dignos, quia scilicet *eripuit nos*, id est potenter extraxit *de potestate tenebrarum*, id est dæmonum, qui nobis dominabantur intrinsecus, dum cæcitas infidelitatis et ignorantiæ, vel peccatorum obscuritas in nobis adhuc esset. De potestate hujusmodi tenebrarum, id est malignorum angelorum, ne nos in nocte suæ damnationis sine fine possiderent, eripuit nos Deus Pater; in baptismo delens peccata nostra, per quæ illi potestatem habebant in nobis, *et transtulit in regnum Filii* sui in Ecclesiam Christi, de qua dictum est, quia mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). Transtulit, inquam, nos in regnum Filii *dilectionis suæ*, ut per fidem et opera bona regnaret in nobis Filius ejus. Sed quid est, dilectionis suæ? Si enim in divina Trinitate non est alia dilectio nisi Spiritus sanctus, profecto Christus in hoc loco non solius Patris, sed et Spiritus sancti filius invenitur. Quod si hoc absurdissimum est, restat ut non solus ibi sit dilectio Spiritus sanctus; quod autem dictum est : *Filii dilectionis suæ*, nihil intelligatur aliud quam Filii sui dilecti, quam Filii postremo substantiæ suæ. Charitas enim vel dilectio Patris, quæ in natura est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quam ejus ipsa natura atque substantia, ac per hoc filius charitatis sive dilectionis ejus nullus est alius, quam qui de substantia ejus genitus est. In regnum Filii dilectionis suæ dicitur nos transtulisse, ut intelligamus quia nos quoque diliget, si perseveramus esse regnum Filii sui, quem ipse naturaliter et ineffabiliter diligit, id est si peccatum in nobis amplius non regnaverit. Ubi enim peccatum regnare incipit, ibi Christus regnare desistit (*Rom.* V).

« In quo habemus redemptionem et remissionem « peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primo- « genitus omnis creaturæ. »

In regnum Filii sui nos transtulit, *in quo* Filio *habemus redemptionem* de potestate diaboli, *et remissionem peccatorum*. In hanc enim redemptionem tanquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi. Quo accepto diabolus non ditatus est, sed necatus, ut nos ab eis nexibus solveremur, nec quemquam eorum secum, quos Christus ab omni debito liber, indebite fuso suo sanguine redemisset, peccatorum retibus obvolutum traheret ad secundæ ac sempiternæ mortis exitium. Tunc enim sanguis ille, quoniam ejus erat, qui nullum omnino habebat peccatum (*II Cor.* V; *I Petr.* II), ad remissionem nostrorum fusus est peccatorum, ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxerat, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerita pœna mortis affecit, hac enim justitia et hoc vinculo vinctus est ille fortis, ut vasa ejus eriperentur, vel homines quos tenebat, liberarentur (*Marc.* III). Sic habemus in Christo redemptionem et remissionem, quæ in baptismo consecuti sumus, destructa potestate diaboli, et restituta libertate nostri arbitrii. Vel trans-

Digitized by Google

tulit nos Deus in regnum Filii dilectionis suæ, id est transvexit nos jam per spem in cœlum, quia conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo (*Ephes.* II). In quo per spem similiter habemus redemptionem, id est liberationem ab his miseriis et afflictionibus, quas nunc patimur; et per rei exhibitionem habemus jam in illo peccatorum remissionem, quia et semel in baptismo per effusionem sui sanguinis delevit peccata nostra, et quotidie (si peccamus) non indigemus aliis hostiis; unde patet qui legales hostiæ non amplius offerendæ sunt, quia nullam omnino jam utilitatem præstant. *Qui* Christus secundum divinitatem *est imago Dei invisibilis*, et omnimoda similitudo Patris, sicut ait : « Qui me videt, videt et Patrem (*Joan.* XIV). » Nam sicut per contemplationem cujuslibet imaginis datur nobis ejus notitia, cujus illa imago est, licet ipse absens et nunquam visus a nobis, sic et apostoli videntes Filium, intellexerunt Patrem, qui corporaliter eis non apparebat. Et nos quidem sumus imago Dei, sed Filius est aliter ejus imago. Nam sicut imago imperatoris aliter est in nummo, et aliter in filio; sic et imago Dei aliter in Filio, qui est consubstantialis et coæqualis atque coæternus, et aliter in homine, qui est creatura. Et notandum quod admirabiliter commendat Apostolus excellentiam Christi in utraque natura, nunc de divinitate, et nunc de humanitate ejus sententiam proferens, ut hunc solum ad justificationem, et ad æternam salutem sine legis operibus sufficere cunctis credentibus ostendat (*ibid*). Nam de divinitate ejus sententiam protulit, dicens quia Pater transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ. Et de humanitate ejus subjunxit, quia in ipso habemus redemptionem et remissionem peccatorum; item secundum formam Dei dixit, quia ipse est imago Dei invisibilis. Nunc secundum formam servi subjungit, quia est *primogenitus omnis creaturæ*. Nam secundum formam Dei, non est primogenitus, sed unigenitus; secundum formam vero servi, ipse est primogenitus in multis fratribus. In substantia divinitatis est unigenitus, in susceptione humanitatis primogenitus in gratia. Primogenitus ergo dicitur omnis creaturæ, quia sicut primogenitus omnium fratrum primatum dignitatis obtinet inter omnes fratres, sic humanitas Christi primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat (*I Reg.* II).

« Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis « et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, « sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et « ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant, « et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens (*I Cor.* XV). Quia et in « ipso complacuit, omnem plenitudinem divinitatis « inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipso, « pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in « cœlis, sive quæ in terris sunt. »

Non est mirum si humanitas Filii Dei tantum præcellat omnibus, ut juxta eam sit ipse primogenitus omnis creaturæ, quoniam secundum divinitatis ejus potentiam condita, id est facta *sunt in ipso universa*, sicut et in Psalmo canitur Patri : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII), » id est in Filio tuo. Universa quæ sunt *in cœlis et in terra*, *visibilia*, sicut sol et luna, vel hominum corpora, *et invisibilia*, sicut angeli et animæ, creata sunt in ipso. Et ostenduntur per partes, invisibilia, quæ minus facta per eum videbantur propter magnitudinem excellentiæ ipsorum. Universa, inquam, sunt in ipso facta, *sive throni*, id est illi digniores spiritus, in quibus Deus sedet, *sive dominationes*, id est illi nobiliores spiritus, qui cæteris dominantur, *sive principatus*, id est illi qui præsunt aliis, et quæ agere debeant disponunt, *sive potestates*, id est illi spiritus, qui subjectis aliorum ordinibus potenter præeminent. Throni enim vocantur, quibus ad exercendum judicium semper Deus præsidet. Nam quia θρόνος *thronos* Latino eloquio *sedes* dicimus, throni Dei dicti sunt ii qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat, et per eos sua judicia decernat. Unde et ei canitur : « Sedes super thronum, qui judicas justitiam (*Psal.* IX). » Throni quippe dignitate loci superioris excedunt, ut sex alios angelorum ordines subter se relinquant. In quibus statim post thronos sunt dominationes, id est illi spiritus, qui in superni regis curia sunt nobilissimi, et subjectis quibusque dominantur, ac possident eos ut domini. Principatus etiam vocantur, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt. Qui subjectis suis, dum quæcunque sunt agenda, disponunt eos ad explenda divina ministeria, principantur. Dominationes tamen potentiam principatuum alta dissimilitudine mirabiliter transcendunt. Nam principari, est inter reliquos priorem existere. Dominari vero est, etiam subjectos quosque possidere. Potestates autem, juxta Dionysium, et ipsæ dignioris potentiæ, quam principatus esse creduntur, ut subjectis ordinibus cæterorum potenter præsint, et ad divinam contemplationem super se potenter extendantur. Vel juxta beatum Gregorium, potestates vocantur hi, qui hoc potentius cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni subjectæ sint potestates adversæ, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant quantum volunt. Et cuncta hæc invisibilia cœlestium atque præcellentium spirituum agmina, in Christo sunt creata, ut per hæc ostendatur esse non minor Patre. Nec solum angelici spiritus, sed omnia prorsus quæcunque sunt vel fuerunt, creata sunt a Patre per ipsum, sicut et evangelista testatur, quia « omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I), » id est nulla creatura. Et in ipso facta sunt omnia, sicut et Psalmistam cecinisse præmisimus : « Omnia in sa-

Digitized by Google

pientia fecisti (*Psal.* CIII). » *Per ipsum*, id est per virtutem ejus omnipotentiæ, *et in ipso*, id est intra signum immensæ magnitudinis sapientiæ ejus *creata sunt omnia*, et secundum formam servi *ipse est ante omnes*, id est omnibus prælatus, quia nullus est ei æqualis, etiam secundum quod ipse est homo, et secundum formam Dei *omnia in ipso constant*, quia sicut omnia creavit, sic omnia continet et regit. Omnia in ipso constant, quia secundum immensitatem incircumscriptæ et incomprehensæ divinitatis ejus, omnia sunt intra ipsum; et ne in nihilum redeant, per eum consistunt, et secundum formam servi *ipse est caput corporis sui*, scilicet *Ecclesiæ*, quia unius naturæ sunt caput et corpus. Ecclesiæ caput est homo ille, cujus susceptione « verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I); » membra vero cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur et completur Ecclesia. Sicut ergo anima totum corpus nostrum animat et vivificat, licet in capite sentit et vivendo et audiendo et odorando et gustando et tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantum; et ideo capiti cuncta subsunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum, quia ipsius animæ quæ consulit corpori, quodam modo personam sustinet caput. Ibi enim omnis sensus apparet; sic universo populo sanctorum tanquam uni corpori, « caput est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*I Tim.* II), » quod Dei sapientia non sic assumpsit ut cæteri, sed multo excellentius multoque sublimius, quomodo illum solum assumi oportuit, in quo sapientia hominibus appareret, sicut eam visibiliter decebat ostendi, qui et ipsius sapientiæ personam gereret, per quam cæteri fiunt sapientes. Ipse igitur est caput, cæteri vero membra, quia in ipso sunt omnia bona, sicut in capite omnes sensus; in cæteris vero quædam partes bonorum distributæ sunt, juxta mensuram uniuscujusque membri. Et ipse universa membra regit, omnia vero membra illi adhærent. *Qui* et secundum formam Dei *est principium*, quia ipse est Dei sapientia, quæ permanens in se, sicut scriptum est (*Sap.* VII), innovat omnia. Principium enim quodammodo semper incipit et nunquam deficit, sicut Filius æternam de Patre nativitatem habet. Vel sicut ipse dixit in Apocalypsi Joannis : « Principium est creaturæ Dei (*Apoc.* III), » quoniam omnis creatura ab illo habet esse. Vel omnium virtutum omniumque bonorum est nobis principium, quia nemo quidquam boni habere valet, nisi ab ipso acceperit, idcoque et caput jure vocatur. Et secundum formam servi est ipse *primogenitus ex mortuis*, quia primus resurrexit, non ultra moriturus (*Rom.* VI). Ipsa enim resurrectio mortuorum, est quædam generatio, sicut scriptum est : « In regeneratione cum sederit Filius hominis (*Matth.* XIX), » etc. Reliqui ergo mortui adhuc tenentur in matris utero, id est in sinu terræ clausi jacent in monumentis, hic autem jam ex utero matris processit, id est veniens de tumulo surrexit quasi gigas non ultra moriturus, sed in æternum cum Patre regnaturus in cœlestibus. Ideoque primo genitus ex mortuis, vel primogenitus mortuorum, id est ad immortalitatem genitus per resurrectionem. Et hoc idcirco, *ut ipse sit in omnibus tenens primatum*, id est dominium, quia potest et alios suscitare. Sicut enim primus omnium resurrexit, unde et ipse primitiæ dormientium appellatur (*I Cor.* XV), sic in omnibus sanctis tam prioribus quam sequentibus, tenet ipse primatum dignitatis et potentiæ, ac sanctitatis. Vel in omnibus dignitatibus tenet ipse primatum, quia sicut primus surrexit, ita primus cœlos ascendit, et primus faciem Dei vidit, et in universis dignitatibus omnes præcellit. Et recte primatum habet, non solum quia est primogenitus, sed etiam quia complacuit Trinitati, quod in ipso omnis plenitudo scientiæ et virtutum non modo esset, sed habitaret. *Quia et complacuit*, id est Patri simul cum Verbo et Spiritu sancto placuit, *inhabitare*, id est permanere *in ipso omnem plenitudinem*, id est omni modo perfectam abundantiam divinitatis, et omnium (*Joan.* I) gratiarum atque virtutum, omniumque bonorum. Hoc complacuit Deo, ut tanta bonorum plenitudo maneret in illo homine, cui non ad mensuram dedit Spiritum, sicut cæteris sanctis dare consuevit. Et placuit Deo *per eum reconciliare* sibi *omnia humana in ipso posita*, id est Judæos et gentes in fide illius constitutos, qui prius abinvicem, et a Deo discordabant. Hoc Deus, ut dictum est, voluit, ipse dico, *pacificans* adinvicem non per legis sacrificia, sed *per sanguinem crucis ejus*, id est per sanguinem ejus in cruce fusum, *sive ea quæ sunt in cœlis, sive quæ sunt in terris*, id est angelos et homines. Qua enim hora sanguis redemptionis exivit de latere Domini in cruce pendentis, dimissum est peccatum Adæ humano generi, et pacificata sunt cœlestia et terrestria, quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cœlorum. Magna enim discordia separabat homines et angelos, quia nemo tam sanctus erat, ut in consortium angelorum susciperetur, sed omnes ad infernum propter culpam primi hominis descendebant. Morte autem Christi pax tanta inter homines et angelos effecta est, ut nunc animæ justorum cum de corporibus exeunt, mox penetrent cœlos gaudentibus angelis. Vel pacificata sunt Deo per Christi sanguinem, sive ea quæ sunt in cœlis, id est animæ sanctorum, quæ jam sunt in regno cœlorum, et olim discordabant a Deo vel per suam, vel protoparentis culpam; sive ea quæ sunt in terris, id est electi qui adhuc peregrinantur in exsilio vitæ præsentis.

« Et vos cum essetis aliquando alienati et inimici « sensu in operibus malis, nunc autem reconciliavit « in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos « sanctos et immaculatos et irreprehensibiles co- « ram ipso; si tamen permanetis in fide fundati et « stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod au- « distis, quod prædicatum est in universa creatura « quæ sub cœlo est cujus factus sum ego Paulus « minister, qui nunc gaudeo in passionibus pro vo-

Digitized by Google

« bis ; et adimpleo ea, quæ desunt passionum Chri- A
« sti in carne mea pro corpore ejus, quod est Ec-
« clesia, cujus factus sum ego minister secundum
« dispensationem Dei, quæ data est mihi in vobis,
« ut impleam verbum Dei, mysterium quod ab-
« sconditum fuit a sæculis, et a generationibus;
« nunc autem manifestatum est sanctis ejus quibus
« voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti
« hujus in gentibus, quod est Christus in vobis spes
« gloriæ. Quem nos annuntiamus, corripientes om-
« nem hominem, et docentes omnem hominem in
« omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem
« perfectum in Christo Jesu ; in quo et laboro, cer-
« tando secundum operationem ejus, quam opera-
« ratur in me in virtute. »

Dixerat generaliter omnia reconciliata, et nunc B
dicit specialiter illos reconciliatos, non per sua me-
rita, nec per carnales observantias, sed per Chri-
stum, ut magis studeant subjici dominio tanti regis,
et non sint ingrati tantis beneficiis. Placuit, inquit,
Deo per Christum reconciliare sibi omnia ; *et vos*
etiam, o Colossenses, reconciliare sibi per eumdem
voluit, *cum aliquando*, id est ante fidem *esse-tis alie-
nati* ab eo, id est nihil cum eo habentes, dum diis
alienis adhæreretis, *et inimici* ejus non natura, sed
sensu, quia per hoc quod ei contraria sentiebatis,
putantes idola deos esse, et amantes quæ ipse odit,
inimici ejus eratis, permanentes *in operibus malis*.
Nam olim quidem tales fuistis, sed *nunc*, id est in
hoc tempore, gratiæ *reconciliavit* vos Deus *in corpore
carnis ejus*, id est in corpore Christi, quod est caro. C
Corpus enim carnis dictum est, ad distinctionem
cæterorum corporum, quæ non sunt caro. In cor-
pore carnis Christi *per mortem* ejus reconciliavit vos
sibi Deus *exhibere*, id est ut exhiberet *vos sanctos* in
virtutibus, *et immaculatos* a peccatorum sordibus,
et irreprehensibiles, ut nihil mali in vobis appareat
coram ipso qui videt omnia. Quod in hac vita fieri
non potest, sed in alia fiet, quando sancti jam nihil
maculæ, nihilque reprehensionis habentes, coram
suo Creatore permanentes, videbunt faciem ejus in
æternum. Tales vos exhibebit ipse coram se, id est
præsentabit et offeret ante conspectum gloriæ suæ at-
que præsentiam ; *tamen* hac conditione, *si permanetis
in fide*. Aliter enim non potestis ad hanc gloriam D
pervenire. Sed tunc pervenietis ad hanc, si nunc in
fide quam didicistis, permanseritis *fundati*, id est
alta radice firmati, et non titubantes, et stabiles, id
est ut neque cadatis, neque cedatis, id est ut neque
fraudulentis locutionibus pseudoapostolorum sedu-
camini, neque persecutionibus gentilium a constan-
tia fidei recedatis ; et si permanseritis *immobiles a
spe Evangelii*, id est si perduraveritis in bonis ope-
ribus ita firmi, ut nihil vos movere possit a spe re-
tributionis æternæ, quam promittit Evangelium ;
quod audistis a doctoribus vestris, ideoque illud te-
nere debetis, quia melius esset non cognovisse viam
justitiæ quam post cognitionem retrorsum converti
(*II Petr.* II). *Quod* Evangelium non ad vos solum-

modo pervenit, ne inde superbiatis, vel vos solos per
ipsum delusos putetis, sed *prædicatum est in uni-
versa creatura quæ sub cœlo est*, sicut Dominus jus-
serat : « Euntes in mundum universum, prædicate
Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI). » Potest
enim omnis creaturæ nomine omnis natio gentium
designari, quæ est sub cœlo in universo orbe. Non
est enim ulla natio gentium, in qua prædicatum
non sit Evangelium. Vel omnis creaturæ nomine si-
gnatur homo, qui habet commune esse cum lapidi-
bus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus,
intelligere cum angelis. Si igitur commune habet ali-
quid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis
creatura homo. Sic namque omnis creaturæ Evange-
lium invenitur in solo homine. Universæ ergo crea-
turæ prædicatur Evangelium, cum soli homini præ-
dicatur, quia videlicet ille docetur, propter quem
universa in terra creata sunt, et a quo universa per
quamdam similitudinem aliena sunt. Vel universa
creatura, est universa Ecclesia per novam gratiam
spiritaliter creata, secundum illud. « Cor mundum
crea in me, Deus (*Psal.* L), » etc. Ipsius sumus fa-
ctura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis
(*Ephes.* II). Quæ scilicet creatura est sub cœlo, id est
adhuc peregrinatur in hac valle lacrymarum, sed tan-
dem sublevabitur in cœlum. Dicitur enim, quia *Evan-
gelium prædicatum est in universa creatura quæ sub
cœlo est*. Ac si dicatur : Hoc Evangelium et hanc
fidem atque spem evangelicam tenere debetis, quia
sic tenet universus mundus fidelium. Quod Evange-
lium et Apostolus auctoritate sua commendat, sub-
dendo : *Cujus* scilicet Evangelii, *factus sum mi-
nister*, id est ministrator et prædicator, *ego Paulus*,
qui tantæ famæ tantæque sum auctoritatis. Et etiam
potestis scire quia verum est, atque firmiter illud
debetis retinere et illi obedire. Factus sum ejus mi-
nister, qui nunc pro ejus annuntiatione constrictus
vinculis et Romæ retentus, *gaudeo in passionibus*,
quia inde proficiunt credentes. Gaudeo inquam, in
passionibus *pro vobis* confirmandis in veritate Evan-
gelii ; *et adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi
in carne mea*, id est ea quæ Christus in carne sua
minus pertulit, ego in carne mea perfero pro multi-
plicando *corpore ejus, quod est Ecclesia*. Passiones
enim Christi non sunt in solo Christo, imo passio-
nes Christi non sunt nisi in Christo. Si enim Chri-
stum intelligamus caput et corpus, passiones Chri-
sti non sunt nisi in Christo. Si autem Christum in-
telligamus solum caput, passiones Christi non sunt
in solo Christo. Nam Apostolus : Adimpleo, inquit,
ea quæ desunt passionum, non mearum, sed Christi ;
in carne non jam Christi, sed mea. Patitur, inquit,
Christus adhuc passiones, non in carne sua in qua
ascendit in cœlum, sed in carne mea, quæ adhuc
laborat in terra. Quisquis ergo es in membris Chri-
sti, quidquid pateris ab eis, qui non sunt in mem-
bris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo addi-
tur, quia deerat, mensuram adimplens, non super-
fundens. Tantum pateris, quantum ex passionibus

Digitized by Google

tuis inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro, et patitur in membris suis, id est in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram, quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et passione virium nostrarum quasi canonem passionum nostrarum inferimus. Paritio plenaria non erit passionum omnium, nisi cum sæculum finitum fuerit. *Adimpleo*, inquit, *ea quæ desunt*. Cui desunt? Passionibus Christi. Et ubi desunt? *In carne mea*. Nam in carne Christi quam virgo peperit, nihil passionum deest, sed omnes in illa passiones sunt impletæ; sed adhuc restat pars passionum ejus in mea carne, quas quotidie tolero pro universali corpore ejus, quod est Ecclesia. Si enim ab eruditione fidelium cessarem has passiones ab infidelibus non sustinerem. Sed quia semper Ecclesiæ studeo prodesse, semper adversa cogor tolerare. *Cujus Ecclesiæ factus sum ego minister*, id est officium accepi ut ei verbum vitæ ministrem; et hoc non dispositione hominum, vel usurpatione mea sive merito meo, sed *secundum dispensationem Dei*, id est secundum quod mihi Dei gratia ordinavit. Vel factus sum minister Ecclesiæ secundum dispensationem Dei, id est ut ei dispensem cibaria Domini mei. *Quæ* dispensatio *data est mihi in vobis*, quia tantumdem valet quod per meos discipulos cibum vitæ vobis dispensavi, quantum si per me id fecissem. Vel in vobis, quia in cunctis gentibus est mihi data, et vos estis gentes. Idcirco data est mihi, *ut impleam verbum Dei*, id est impleam quod Deus præordinavit de vobis, et quod in secreto consilii sui locutus est ante sæcula de salute vestra, ne putetis salutem gentibus non fuisse promissam. Nam in secreto sapientiæ suæ, vel in prophetis locutus est bona de vobis. Et hoc verbum implere studeo, dum vos ad promissam salutem festinare moneo. Vel impleo verbum Dei, id est verbum prædicationis, quod Christus annuntiare per seipsum cœpit; id adimpleo per ministerium meæ prædicationis, quia in doctrina mea perficitur quidquid minus in Scripturis sanctis dictum fuerat, id est omnis perfectio justitiæ et sapientiæ quam mortales adipisci valent, completur in mea prædicatione. Adimpleo verbum, id est *mysterium*; hoc est secretum occultum redemptionis humanæ per incarnationem ac mortem Filii Dei, per quam gentes illuminatæ sunt, et credentibus Judæis sociatæ et coæquatæ, cæteri vero Judæi excæcati. *Quod* mysterium *fuit* hominibus *absconditum a sæculis*, id est ex quo sæcula esse cœperunt, hoc est dies succedere nocti, noxque diei, *et generationibus*, id est ex quo generationi generatio successit usque ad adventum Domini. Absconditum fuit omnibus tam longo mundi spatio, nisi paucis quibus per Spiritum sanctum Deus hoc revelavit (*Luc.* x; *Matth.* xi). Nam, etsi nonnulli philosophorum de divinitate Filii Dei multa recte dixerunt, nihil tamen de incarnatione et morte ejus, ac nostra per eam redemptione cognoverunt. Abscondit enim Deus hoc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis.

A Olim quidem fuit absconditum; sed *nunc* tempore gratiæ *manifestatum est* non cunctis hominibus, sed *sanctis ejus*; nec his omnibus, sed *quibus voluit Deus* ex sola gratia *notas facere*, id est notificare *divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus*, in quo sunt multa, fides, remissio, justificatio, conjunctio Judæorum et gentilium, dona Spiritus sancti, futura beatitudo, et propterea dixi divitias. *Quod* sacramentum *est Christus in vobis gentibus*, id est Christi incarnatio, passio et resurrectio, per quas facta est humani generis reparatio, et Judæorum atque gentilium coæquatio, quod nequivit facere carnalis observantia legis. Christus dico, existens in vobis *spes gloriæ*, id est per eum qui in cordibus vestris habitat, speratis gloriam sempiternam sine carnali-
B bus legis operibus. *Quem*, id est qualem nos eum cunctis *annuntiamus*, quod scilicet gentes sperant per eum, et consequentur gloriam sine lege. Hunc prædicamus, qui gentibus in se credentibus est spes gloriæ, et salus æterna, nos *corripientes*, id est increpantes et castigantes, non solummodo vos, sed etiam *omnem hominem* qui deviat a tramite fidei, vel rectæ agnitionis. Omnem hominem, id est tam Judæum quam gentilem, tam nobilem quam ignobilem, tam divitem quam pauperem, tam liberum quam servum, tam marem quam feminam, sumus corripientes; *et docentes omnem hominem* qui ignorat, docentes, inquam, eum *in omni sapientia*, quæ laudatur in Scripturis sanctis, per quam Deus
C agnoscitur et colitur. Quod ideo facimus, *ut exhibeamus*, id est præparemus atque reddamus *omnem hominem perfectum* fide et moribus *in Christo Jesu*, non in lege; nihil enim ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* vii). Hoc loco declarantur tres gradus actionis, quos magnus Dionysius esse testatur non solum in ecclesiastica, sed etiam in angelica hierarchie, id est sacro principatu, scilicet purgatio et illuminatio et perfectio. Purgatio in his qui corripiuntur, illuminatio in his qui docentur, et perfectio in his qui perfecti exhibentur. Homines enim purgantur a peccatis et errore, et illuminantur doctrina sapientiæ, ac perficiuntur sublimiori virtutum et sapientiæ assecutione. Angeli quoque purgantur ab ignorantia, et illuminantur divina scientia,
D et perficiuntur majori cognitione ejusdem scientiæ. Hos ergo gradus hierarchiæ, id est sacerdotalis actionis insinuans Apostolus, dicit de se, suisque sociis, quia Christum annuntiamus, corripientes omnem hominem, qui scilicet correptione indiget pro quacunque culpa, et docentes in omni sapientia divinorum omnem hominem qui jam correptus est, et ab errore vel peccatis purgatus. Non enim prius tradenda est homini doctrina sapientiæ, quam vas cordis ejus purgatum sit ad susceptionem illius. Ideo sic corripimus, ac deinde docemus, ut exhibeamus, id est faciamus omnem hominem qui correptus et doctus fuerit, perfectum in Christo, id est in Christiana religione. Vel in cœlesti patria exhibeamus, id est offeramus eum Deo tanquam sacrificium in

Digitized by Google

Christo Jesu perfectum, id est bonis omnibus perfecte plenum. *In quo*, id est qua re, scilicet ut corripiam et doceam, et exhibeam Deo perfectum omnem hominem in Christo, et ego *laboro*, id est laboriosis conatibus adnitor, *certando* contra rebelles, adjuvantibus signis, quæ Deus ad confirmationem adjungit labori meo, *secundum operationem ejus*, scilicet Christi, *quam ipse operatur in me in virtute* miraculorum, vel in virtute potentis per Spiritum sanctum et efficacis sermonis, sive virtute internæ fortitudinis, quæ per Spiritum sanctum me corroborabat interius ad constantiam prædicandi et bene agendi.

CAPUT II.

« Volo enim vos scire qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro his qui sunt Laodiceæ, et quicunque non viderunt faciem meam in carne, ut consolentur corda ipsorum instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus quæ in Christo est, fidei vestræ (*I Cor.* v). Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et superædificati in ipso, et confirmati in fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione. »

Ideo vobis refero me laborare ut omnem hominem corripiam et doceam et perfectum exhibeam, quia *volo vos scire*, id est volo ut sciatis, *qualem sollicitudinem habeo pro vobis*, quam curiosus sim de vestra salute, et pro his qui *sunt Laodiceæ*, id est apud illam civitatem vobis affinem, et pro cæteris *quicunque non viderunt faciem meam in carne*, id est non putetis me minus sollicitum esse pro illis, quibus in mea persona non prædicavi, quam pro his quos corporaliter præsens ore proprio docui; vel pro illis, quos oculis carnis non video, quam pro his, quos præsentia corporali foveo. Ad hoc sum pro illis sollicitus, *ut consolentur*, id est consolationem habeant *corda ipsorum*, dum me paternam sollicitudinem erga se habere cognoverint. Pro his, inquam, sollicitus sum, qui non viderunt faciem meam in carne, *instructi in charitate*, id est qui me corporaliter non viderunt, et in charitate sunt instructi, vel ad hoc sum sollicitus, ut ipsi in vobis consolentur corda ipsorum, id est corda sua instructi in charitate, quam Deus ad nos habuit, qui pro nobis Filium tradidit. Qui enim hoc attendit, potest se in hac miseria consolari, quia inde perpendit ad patriam se posse reverti. Qui hoc, inquam, attendit, potest se in adversis quæ patitur, consolari, quia inde perpendit, quam justum sit, ut ipse pro peccatis suis flagella patiatur, cum Dei Filius tanta sine peccato passus sit. Consolentur corda ipsorum, et hoc *in omnes divitias plenitudinis intellectus*, id est tendentium in omnes copias pleni intellectus, ut perfecte de humanis et divinis habeant intellectum, sicut et de anima et de supernis spiritibus; atque ita gradatim proficiant *in agnitionem mysterii Dei*, id est ut agnoscant illud quod est secretum, et a paucis agnitum de essentia Dei *Patris et* Domini *Jesu Christi*, unde sciant quod una est utriusque substantia, quamvis alia Patris, alia Filii sit persona; et quod Pater non est prior aut major Filio, nec Filius posterior aut minor Patre, sed ambo coæterni sunt et coæquales. Tendant ergo in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Patris et Christi ejus, ut accipiant agnitionem sacramenti Dei in Christo, advertentes has esse divitias sapientiæ et scientiæ, si agnoscatur Christus in deitatis suæ plenitudine adorandus cum Patre. Omne enim mysterium sacramenti Dei in Christo est, ut qui eum cognoscit, omnium notitiam habere videatur. Omnis enim ratio scientiæ supernæ vel terrenæ creaturæ, in eo est qui est caput omnium et acto; ut qui hunc novit, nihil ultra quærat, quia hic perfecta virtus est et sapientia; et quidquid alibi quæritur, hic perfecte invenitur. Quod infideles non putant, quia non legunt in evangeliis et prophetis astrologiam, et hujusmodi alia quæ Deo despecta sunt, quia nihil proficiunt ad salutem, sed nutriunt in errorem; et dum his student, curam animæ non habent. Qui vero Christum novit, thesaurum sapientiæ et scientiæ invenit, quia id novit quod utile est ad omnia. *In quo* scilicet Christo, *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*. Sapientia est divinorum, scientia vero humanorum, et hæc utraque, id est divina et humana, in Christo sunt. Omnia enim quæ pro nobis Verbum caro factum, temporaliter et localiter fecit ac pertulit, secundum hanc distinctionem ad scientiam pertinent, non ad sapientiam. Quod autem Verbum sine tempore et sine loco est Patri coæternum et ubique totum, ad sapientiam pertinet. Ac per hoc Verbum caro factum, quod est Christus Jesus, et sapientiæ thesauros habet et scientiæ. Omnes itaque thesauri et sapientiæ divinarum atque cœlestium rerum, et scientiæ humanarum atque terrestrium sunt in Christo. Sed thesauros istos alii fidelium magis noverunt in Christo, alii minus, infideles autem prorsus ignoraverunt eos. Sunt enim in Christo *absconditi*. Et ideo ne miremini si jam in Christo estis, et necdum eos invenistis, vel parum adhuc invenistis, quia nec omnibus patent, sed eis tantum qui petunt et pulsant. (*Matth.* VII). Sed hoc propterea dico vobis de mysterio Dei, quod in Christo est, id est de mysterio redemptionis humanæ, quam Deus in Christo posuit, et de divitiis thesaurum sapientiæ et scientiæ, quæ in eo sunt absconditæ, *ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum*, id est nec haereticus aliquis, nec pseudoapostolus, nec gentilis vos a fide Christi separet per sublimem facundiam, quia non est virtus in compositione verborum, sed in sensibus. Nemo vos ratione mundanarum rerum alienet

Digitized by Google

bat a spe, quæ est in Conditore ac Redemptore; nemo vos argumentis et eloquentia verborum separet a Dei sapientia, hortor vos ad agnitionem mysterii Dei, ne possitis decipi, quia licet corporaliter non sim inter vos, habeo tamen sollicitudinem pro vobis. *Nam etsi corpore absens sum, sed*, id est tamen, *spiritu*, id est sollicitudine et affectu dilectionis *vobiscum sum*. At contra mercenarius, cum sit ovibus corpore præsens, spiritu tamen longe est ab eis, quando venientem lupo fugit, non mutando locum, sed subtrahendo solatium, quia se sub silentio abscondit dum raptori contradicere non audet. Ego sum spiritu vobiscum, id est animo et sollicitudine, vel Spiritu sancto qui in me habitat, et ubique præsens est, ac replet orbem terrarum (*Sap.* I), sum vobiscum. Nam et Eliseus licet corpore abesset, spiritu tamen erat præsens, quando Giezi percipiebat munera a Naaman Syro, vel quando rex Syriæ contra regem Israel consilia tractabat (*IV Reg.* V, XVI). Ita ego sum spiritu vobiscum intuens quidquid facitis, ut jam revereamini perverse agere in oculis meis, et ad observantiam Evangelii proniores sitis. Spiritu sum vobiscum, *gaudens* de profectu vestro *et videns ordinem vestrum*, id est considerans quia inviolabiliter custoditis ordinem sacræ religionis, et videns *firmamentum ejus fidei vestræ, quæ est in Christo*, id est contemplans quia firmam fidem habeatis in Christo. Utrumque enim aspicio, et ordinem vestræ sanctitatis, et firmitatem vestræ fidei. Cavete ergo ne quid reprehensibile in vobis appareat, cum ego vestram et conversationem et fidem videam. Et quia ego de ordine quem servatis, et fide quam tenetis gaudeo, *ergo* nolite inde declinare, sed *sicut* a bonis doctoribus vestris *accepistis Jesum Christum Dominum* et Deum, id est sicut ab eis quemadmodum oporteat eum credi et coli didicistis, ita *ambulate*, id est proficite et augmentum facite, atque in interiora tendite *in ipso*, non extra ipsum, et nolite exorbitare a via rectitudinis quam tenere cœpistis; vos dico, *radicati* sicut bonæ arbores, quantum ad activam vitam fructum boni operis afferatis; *et superædificati* sicut domus Dei, quantum ad contemplationem, *in ipso* qui est vitis vera, unde palmites omnes surgunt (*Joan.* XV); et fundamentum, in quo totum existit ædificium. Nam « Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis (*I Cor.* III), » et perseverate *confirmati*, id est per omnia firmati atque constantes, *in fide sicut et didicistis*, docente Epaphra vel Archippo, non sicut pseudo volunt vobis suadere. Vos dico, *abundantes in illo* bonis operibus atque virtutibus *in gratiarum actione*, ut semper agatis Deo gratias de bonis quæ jam ab eo percepistis, et magis ac magis abundare studeatis. Sic enim proderit vobis confirmatos esse in fide. Alioquin fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa (*Jac.* II).

« Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis « plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo « repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis. »

Moneo ut ambuletis in Christo, et *videte*, id est cauta circumspectione cavete, *ne quis vos decipiat*, seducens in aliquem errorem *per philosophiam* terrenam, quæ argumentis et subtilitate componitur; et fallit, dum verisimilibus causis et commentitiis rebus nihil tam verum æstimatur, quam quod conspicitur in elementis. Quæ non a Deo, sed ab hominibus ordinata est; et ideo cavenda, quia cultrix est mundi, non Dei; a Christo retrahit, in quo est omnis perfectio, quia habet omnia quæ Pater. Videte ergo ne quis vos seducat per philosophiam, id est per mundanam sapientiam, quæ naturalia sequitur et argumentatis, et per *inanem fallaciam* pseudoapostolorum. Fallacia enim est, quod de lege dicunt; manis, quia in hac falsitate nulla est utilitas, quod solet esse aliquando in falsis. Quæ fallacia carnalium observantiarum est *secundum traditionem hominum*, id est Pharisæorum, quibus ait Dominus: « Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram (*Matth.* XV), » *secundum elementa mundi*, id est secundum cursum solis et lunæ, ut celebratio festivitatum et sacrificiorum, quæ diversis temporibus agebatur; *et non secundum Christum*, quia quisquis legem adhuc carnaliter observandam putat, a Christi veritate discordat. Nam ideo illæ carnales cæremoniæ non possunt jam observari, ne in his adhuc venturus promittatur Christus, aut nunquam in eis promissus fuisse credatur. Et propterea non secundum Christum est jam illa carnalis observatio. Vel cavete ne quis vos decipiat per philosophiam, id est per philosophicam interpretationem idolorum; et per inanem, id est ab omni utilitate et omni veritate vacuam fallaciam talium dictorum, quæ est secundum traditionem hominum, id est quasi sapientium, qui quasi prudentius idola exponunt secundum elementa mundi. Juno, inquiunt, est aer, et invitant ut mare colatur in Neptuno, terra in simulacro Telluris, aer in Junone. Elementa sunt ista, quibus hic mundus consistit. Non ergo quasi qualescunque adoratores simulacrorum, sed quasi doctiores interpretatores signorum cavendos esse vobis moneo, quia in hujusmodi interpretationibus est inanis fallacia, quæ seducere molitur incautos. Tradiderunt enim philosophi, qui hoc loco vocantur homines, quia se solos putabant ratione utentes, Deum non posse fieri creaturam nec hominem posse nasci de virgine, vel mortuum resurgere, considerantes elementa, id est has visibiles creaturas, in quibus ex commistione animalia generantur; et quod moritur, non iterum vivit. Sed talium dogmatum assertores cavendi sunt, quia sicut humanis rationibus agerent de aliqua creatura, sic agunt de Creatore, videntes eum sub legibus humanis contineri, et non secundum Christum, id est non considerantes potentiam, quæ facta est Christi car-

Digitized by Google

ne. *Quia in ipso inhabitat* non quædam pars cœlestis gratiæ, sicut in cæteris sanctis, sed *omnis plenitudo divinitatis* non umbratiliter, sicut in templo Salomonis, sed *corporaliter*, id est solide ac veraciter. Non enim ideo corporaliter [*al.* corporeus] quod corporalis sit Deus; sed aut verbo translato usus est Apostolus, tanquam in templo manu facto non corporaliter, sed umbratiliter habitaverit, id est præfigurantibus signis, nam omnes illas observationes umbras futurorum vocat (*Hebr.* x), etiam ipso translato vocabulo; summus enim Deus, sicut scriptum est (*Act.* vii), non in manu factis templis habitat aut certe corporaliter dictum est, quia in Christi corpore quod assumpsit ex virgine, tanquam in templo habitat Deus. Unde Judæis ait de templo corporis sui, « Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud (*Joan.* ii). » Quamvis igitur in quolibet præcipuo membro velut in aliquo magno propheta vel apostolo divinitas inhabitet, non tamen sicut in capite quod est Christus omnis plenitudo divinitatis. Deus enim qui ubique præsens est, et ubique totus præsens, non ubique habitat, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est et propitius. Capitur autem habitans ab aliis amplius, et ab aliis minus. In Christo enim, qui est caput omnium justorum, habitat omnis plenitudo divinitatis, cæteris vero secundum mensuram distribuitur gratia. Nam et in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinquepartitus. Ibi enim visus est et auditus et olfactus et gustus et tactus, in cæteris autem solus est tactus. Et etiam præter hoc, quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo divinitatis, est aliud quo intersit inter illud caput et cujuslibet membri excellentiam, quia de nullo sanctorum potest dici : « Verbum caro factum est (*Joan.* i), » nec quisquam eorum qualibet præsentia gratiæ unigeniti nomen accipit. Itaque in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est veraciter. Neque enim divinitatis corpus est. Sed quia in sacramenta Veteris Testamenti vocat Apostolus umbras, ut præmisimus, futurorum, propter umbrarum comparationem, corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis (*Hebr.* x), quod illo impleantur omnia, quæ illis umbris figurata sunt, et sit quodammodo umbrarum illarum ipse corpus, id est figurarum et significationum ipsarum ille sit veritas. Qui vero dicit carnales observantias adhuc necessarias, dicit Christum non esse corpus umbrarum, nec Deum ad omnia sufficientem. In Christo quidem manet omnis plenitude divinitatis corporaliter, et vos *estis in illo repleti* gratia divinitatis, per quam virtutibus et sanctis operibus abundetis. Nec mirum si in vos per eum transfunditur divina gratia, qui tantæ excellentiæ est, ut sit *caput omnis principatus et potestatis*. Neque enim est ullus principatus aut ulla potestas in cœlo sive in terra, qui ab hoc capite non descendat, et huic capiti subdatur, atque ab hoc capite regatur. A

« In quo et circumcisi estis circumcisione non « manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in « circumcisione Jesu Christi, consepulti ei in bap- « tismo, in quo et resurrexistis per fidem operatio- « nis Dei, qui suscitavit illum a mortuis, et vos cum « mortui essetis in delictis et præputio carnis ve- « stræ (*Ephes.* ii), convivificavit cum illo, donans « vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat « chirographum decreti, quod erat contrarium no- « bis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, « et exspolians principatus et potestates, traduxit « confidenter, palam triumphans illos in semetipso. »

Modo latenter ingreditur Apostolus ostendere observantias legis esse superfluas, et solam Christi fidem sufficere ad salutem. Vos, inquit, estis in Christo, spiritualibus bonis repleti, *in quo et circumcisi* estis. Resurrectio enim Christi, quæ facta est tertio quidem a die passionis, sed octavo in diebus hebdomadis, ipsa vos circumcidit. Resurrexit enim Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, et multo pejus quod male vivendo addideratis. Circumcisi in Christo estis *circumcisione non manu* hominis carnaliter *facta in exspoliatione corporis carnis*, id est in ablatione superfluæ cutis, *sed in circumcisione Jesu Christi*, quæ non carnem amputat, sed vitia. Non enim duas res intelligi voluit, quasi et aliud sit caro, et aliud corpus carnis; sed quia corpus multarum rerum nomen est, quarum nulla caro est (nam multa sunt, excepta carne, corpora cœlestia et corpora terrestria) corpus carnis, dixit corpus quod caro est, sicut alibi spiritum mentis, eum spiritum qui mens est. Circumcisi, inquit, estis circumcisione, quæ non est manu, id est opere humano facta in exspoliatione carnis corporis, id est in amputatione superfluæ carnis; sed est facta divinitus in circumcisione Jesu Christi, id est in resectione carnalium vitiorum et concupiscentiarum. Circumcisio enim Christi quæ octavo die facta est, significavit nos per fidem resurrectionis ejus ab omni superfluitate vitiorum fuisse spoliandos, et in octava ætate sæculi per resurrectionem corporum ab omni labe mortalitatis et corruptionis exuendos. Circumcisi estis spiritaliter circumcisione Christi (*Luc.* ii), *consepulti ei in baptismo*. Hæc est enim in vobis circumcisio Christi, vitiis scilicet vos esse mortificatos, ut sepulturæ ejus in baptismo participes facti, resurrectionis quoque ipsius incorruptibilitate morum et novæ conversationis sitis participes. Trina enim mersio baptismi, imago est triduanæ sepulturæ Domini, ut quisquis in aquam velut in sepulcrum deponitur, mortuus sit omnino peccatis, ut possit resurgere virtutibus. *In quo* scilicet Christo, *et resurrexistis* a morte animæ post sepulturam baptismi *per fidem*, qua credidistis eum resurrexisse, et vos per eum resurrecturos. Resurrexistis, inquam, per fidem *operationis Dei*, id est per hoc B C D

Digitized by Google

quod credidistis operationem quam Deus fecit in eo, *qui suscitavit illum a mortuis, et vos convivificavit* atque conresuscitavit, *cum illo, cum essetis* spiritaliter *mortui in delictis*, quæ commiseratis delinquendo bonum, *et præputio carnis vestræ*, id est carnali immunditia ad quam lapsi fueratis. Præputium enim hic vocatur illud, quod præputio significatur, hoc est peccata carnis. Cum ita essetis mortui, convivificavit vos Deus cum Christo, id est resuscitans Christum corporaliter, resuscitavit cum eo spiritaliter; *donans*, id est dimittens *vobis omnia delicta* tam originalia quam actualia, ipse *delens chirographum decreti, quod erat adversum nos*. Non solum enim vobis gentibus delicta donavit, sed et nobis Judæis prævaricationes quæ sunt ex lege dimisit. Et hoc est, delens chirographum, etc. Chirographum enim vocatur manualis scriptura, ad alicujus rei memoriam commendandam facta. Quod chirographum dividunt homines, inter quos res, unde sit chirographum, constituitur; et inde partem suam unusquisque reservat. Chirographum vero a Deo deletum fuit memoria peccatorum ex legis transgressione venientium, quæ non recedebat a mente Judæorum et malignorum spirituum. Delevit ergo chirographum decreti, id est memoriam transgressionis, quæ erat ex decreto, id est ex lege. Conscientia enim nostra et diabolus ad accusandum erat memoria illius transgressionis; et ita hæc memoria erat adversum nos, nocens nobis, et nos crucians. Sed hoc reatu per baptismum deleto, nec conscientia nostra jam timet, nec diabolus quod objiciat habet. Quod decretum erat nobis contrarium, id est rectitudo justitiæ quæ decreta fuerat in lege, erat contraria pravitati nostrarum prævaricationum; sed per auxilium novæ gratiæ concordavimus adversario nostro, id est legi divinæ, obtemperantes præceptis ejus, sicut ait Dominus : Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum illo in via, id est esto concors et obediens sermoni præceptorum cœlestium, qui tuis pravitatibus adversatur, cito dum es cum illo in itinere præsentis vitæ. Vel chirographum, id est manu scriptum, erat perpetratio prævaricationis Adæ. Quod erat adversum nos, id est adversabatur saluti nostræ, et intercludebat nobis ingressum cœlestis patriæ. Decretum vero quod erat contrarium nobis, ipsa fuit sententia damnationis nostræ, quæ erat cunctis hominibus adversa. Sed delevit Deus hoc chirographum, id est veteris culpæ cautionem, qua nos diabolus debitores mortis tenebat, ideo chirographum ipsum erat decreti, id est decretæ damnationis nostræ, qua decretum erat ut juste teneremur sub hoste captivi, cui nos sponte subdideramus ad consensum iniquitatis. Vel decretum Dei fuit : « De ligno scientiæ boni et mali ne comedas (*Gen.* II). » Hujus decreti violati chirographum, id est memoriam delevit Deus, quando peccatum primi parentis per sanguinem Christi abluit, et quasi oblivioni tradidit, *et ipsum tulit de medio*. Erat enim hoc peccatum inter Deum et nos, separans nos a Deo; sed Deus tulit ipsum de medio, ut possimus adhærere Deo. Ipsum tulit de medio, *affigens illud cruci*, ut sicut a ligno cœperat, ita in ligno finiretur. Crucifixo enim innocente Christo, interemptum est peccatum Adæ. Vel si decretum intelligimus legem Moysi, ipsum Deus tulit de medio Judæorum et gentilium, ne per legem amplius separarentur, sed in Christo fierent unus populus, affigens illud cruci, ut jam cesset, postquam omnia sacrificia in oblatione veri Agni sunt impleta; sicut nos a lege et a legis prævaricatione liberavit, sic et patres antiquos ab inferis eripuit, ne quis putet eos per legem salvatos, et hoc est quod de Filio subditur, cum de Patre ageretur, quoniam inseparabilia sunt opera Patris et Filii, *exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter*. Exspoliavit enim principatus et potestates dæmonum, auferendo illis animas justorum, quas in inferno propter culpam primi parentis detinebant; et traduxit, id est trans infernum duxit ad regna cœlorum ipsas ab inferis ereptas sanctorum animas; et hoc confidenter, id est cum magna fiducia fecit, non timens dæmones, utpote qui nullum habebat peccatum. Nec istud quod dicitur, exspolians principatus et potestates, repugnat sententiæ qua dictum est, « qui est caput omnis potestatis, » quia ibi est sermo de bonis principatibus ac potestatibus, hic autem de contrariis. Principatus enim vocantur illi nequam spiritus, qui principantur in vitiis suis, quæ specialiter suggerere consueverunt; sicut spiritus fornicationis, qui principantur libidinosis; et spiritus superbiæ, qui dominantur superbis. Potestates vero dicuntur illi spiritus, qui habent vim præcipitandi in majora peccata homines, quibus prævalent per internas eorum cupiditates. Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates. Et ideo si in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus et illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Spoliavit itaque Christus hos principatus et potestates, eripiens illis homines quibus dominabantur, dum per donum sancti Spiritus exstingueret sæculi cupiditates in cordibus ipsorum hominum, et traduxit easdem cupiditates vel principatus, id est ab his qui ad fidem conversi sunt, expulit, sicut dixerat : « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.* XII), » et hoc fecit confidenter, sciens se justam habere causam, et palam, id est coram omni populo pendens in cruce, triumphavit, id est cum gloria vicit *illos in semetipso*, id est in passione proprii corporis, qui postea triumphaturus erat et in martyribus suis.

« Nemo ergo vos judicet in cibo aut in potu, aut « in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, « quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Chri- « sti. »

Et quidem circumcisi spiritualiter estis circumcisione Christi, per quem non egetis circumcisione carnali, ergo nullam aliam carnalem observantiam.

Digitized by Google

debetis legi, cum istam quæ major est accipere non debeatis, præsertim quia Deus chirographum decreti, id est legis, sicut supradictum est, tulit de medio utriusque plebis, affigens illud cruci, ut jam quasi mortuum cesset, et per triumphum Dominicæ passionis a potestate dæmonum liberati sumus, a qua eripi per legem non valebamus. Cum hæc ita sint, et a servitute legis per novæ gratiæ libertatem sitis erepti, igitur nemo, id est nullus pseudo *vos judicet*, id est judicabiles et reprehensibiles dicat *in cibo aut in potu*, id est in discretione ciborum et potuum quod alii sint assumendi, et alii respuendi, quia quos cibos Judæi vitant in pecoribus, nos vitamus in moribus; et quos potus illi cavent in liquoribus, nos cavemus in voluntatis affectionibus. Nemo eorum qui magistros legis esse se jactant, vos judicet in cibo vel in potu, quod alii immundi sint, alii mundi, quoniam « omnia munda sunt mundis, coinquinatis autem nihil est mundum (*Tit.* I); » *aut in parte diei festi*, ut alios dies festos putent, et alios non festos, quia nobis qui in Christum credimus resurgentem, jugis et æterna festivitas est, *aut* in parte *neomeniæ*, id est Kalendarum et mensis novi, quando decrescens luna finitur, et noctis umbris tegitur, quia Christianorum lumen est æternum, et semper solis justitiæ radiis illustratur; *aut* in parte *sabbatorum*, ut non faciant servile opus et onera non portent, quia nos Christi sumus libertate donati, et onera peccatorum gestare desinimus. Νέον Græce, *novum* dicitur Latine, *μήνη luna*. Neomenia, nova luna, et novæ lunæ observatio, novæ vitæ est sanctificatio. Sabbatum verum perpetuum observat, qui spe futuræ quietis sanctis est operibus intentus, nec in ipsis bonis actibus suis quasi de propriis et de his quæ non acceperit, gloriatur illum in se operari cognoscens, qui simul operatur et quietus est. Sabbatum enim quod interpretatur *requies*, significavit requiem, quam animæ sanctorum habent a vitiis in præsenti vita, et quam habituræ sunt corporibus exutæ donec resumant corpora. *Quæ* omnia *sunt umbra futurorum* (*Hebr.* X), quia nihil sub Veteri Testamento carnaliter observabatur, quod non præfiguraret aliquid spirituale futurum vel in hac Ecclesia, vel in ea quæ jam in cœlis regnare cœpit; *corpus autem*, id est solida veritas hujus umbræ est *Christi*, id est pertinet ad Christum. Omnia illa sunt umbræ futurorum, in quibus Judæi juxta litteram hærent, et tenentur in terra; nos vero juxta spiritum transeamus ad Christum, qui ad distinctionem umbrarum nunc corpus appellatur. Quomodo enim in corpore veritas est, et in corporis umbra mendacium, sic in spiritali intelligentia mundus omnis cibus et potus, et tota festivitas, et perpetuæ Kalendæ, nec non, æterna requies exspectanda est. Universa hæc loquitur Apostolus contra eos, qui credentes ex Judæis in Dominum Salvatorem, Judaicas cæremonias observare cupiebant, (*Matth.* XXIV· *Marc.* XIII; *Luc.* XXI) unde et adhuc subdit :

A « Nemo vos seducat, volens in humilitate, et religione angelorum, quæ non vidit, ambulans, « frustra inflatus sensu suæ carnis, et non tenens « caput ex quo totum corpus per nexus et conjunc« tiones subministratum et constructum, crescit « in augmentum Dei. Si ergo mortui estis cum « Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc « tanquam viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveri« tis quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secun« dum præcepta et doctrinas hominum, quæ sunt « rationem quidem habentia sapientiæ in super« stitione et humilitate, et non ad parcendum cor« pori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. »

Ipsi qui de circumcisione venerant, et se Chri- B stianos dicebant, judaizandi consuetudinem non deserebant, aliosque in errorem suum trahere satagebant. Ideo credentibus dicitur de illis. *Nemo vos seducat* vel superet, id est nemo vos veritate in errorem trahat, nemo vos in certamine disputationis fraudulenter vincat, ut bravium vobis supernæ remunerationis tollat, *volens ea quæ non vidit*, id est volens tenere vel suadere carnalia legis mandata, quæ nunquam intellexit *in humilitate* litteræ *et angelorum religione* atque cultura, ut non serviatis spiritali intelligentiæ, sed exemplaribus futurorum. Humilitas enim hoc loco non est illa, quæ laudatur in Scripturis, sed illa, quæ deprimit sensum mentis in terrenam atque carnalem intelligentiam. Vere C enim humilis sensus et miseranda suspicio est, Dominum credere hircorum atque taurorum sanguine delectari, et nidore thymiamatis, quem sæpe homines declinamus. Religio angelorum vocatur hoc loco cultura, quæ non Deo, sed malignis spiritibus exhibetur. Ex quo enim factum est quod Dominus ait : « Relinquetur domus vestra deserta (*Luc.* XXI; *Matth.* XXIII), » omnis judaicarum observationum cultura destructa est; quascunque offerunt victimas, non Deo offerunt, sed angelis refugis, id est spiritibus immundis. Vel in humilitate et religione angelorum, quia hujusmodi sectatores plerumque solent in seipsis humilitatem et religionem angelorum ostendere, ut citius credatur eis quasi sanctissimis. Angelos enim juxta hunc sensum vel cœlestes spiritus, vel sanctos prædicatores intelligimus. D Nemo ita religiosum se fingens, seducat vos, *ambulans frustra*, id est faciens in vacuum et sine utilitate quidquid facit, qui infideliter cuncta facit; *inflatus sensu carnis suæ*, id est carnaliter cuncta intelligens, et traditionum judaicarum deliramenta perquirens, atque ex earum notitia tumens *et non tenens caput* omnium Scripturarum atque scientiarum, id est Christum qui est Dei sapientia, et est caput ecclesiæ sanctorum; et quia non tenet Christum, qui est caput omnis sacræ intelligentiæ et caput omnium electorum, patet quia fatuus et reprobus est. *Ex quo* capite *totum corpus* Ecclesiæ *per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei*. Corpus quippe il-

Digitized by Google

lius nos omnes sumus. Per nexus et conjunctiones corpus ligatur, quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachiis manus, dum digiti manibus sunt conjuncti, ac membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur. Sicut sancti apostoli, quia Redemptori nostro propinqui steterunt, ei quasi pectus capiti inhæserunt. Quos quia martyres sunt secuti, conjuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum pastores et doctores subuniti sunt per bona opera manus brachiis inhæserunt. Hoc vero omne corpus Redemptoris nostri quotidie per nexus et conjunctiones subministratur et construitur in cœlo, quia dum ad eum illuc electæ animæ ducuntur, ei sua membra colligantur. De quo recte dicitur, subministratum et constructum crescit in augmentum Dei quia Deus omnipotens redemptor noster, qui in se in quo proficiat non habet, adhuc per membra sua quotidie augmentum habet. Sed quisquis adhuc carnaliter legem observandam prædicat, non tenet caput hujus corporis, quia fidem et gratiam ejus impugnat, et corpus ejus quod ita connexum est scindere quærit; et ideo subtiliter vobis cavendus est, ut inimicus Christi et Ecclesiæ, licet Christianum se fingat. Non solum enim vaniloquos et mentis seductores, fabulosa et vana garrientes, id est in eis vanitatibus velut altam scientiam promittentes contra regulam fidei, quam catholicam suscepistis, cavere debetis; sed etiam ipsos, qui de ipsa incommutabilitate divinæ naturæ, vel incorporea creatura sive creatore veraciter disputant; et quod dicunt, omnino documentis atque rationibus certissimis probant, et tamen ab uno Dei et hominum mediatore conantur avertere, tanquam pestem insidiosiorem cæteris fugite. Quod autem sequitur, *si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquam viventis in mundo decernitis*, hunc sensum habere videtur : Si baptizati estis in Christo, et cum eo in baptismate mortui ab elementis mundi, cur mecum non dicitis : « Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Galat.* VI)? » nec auditis Dominum dicentem ad Patrem : « De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo (*Joan.* XVII); » sed e contrario quasi viventes in mundo, decernitis : *Ne tetigeritis* corpus hominis mortui, nec vestimentum aut scabellum in quo sedit mulier menstruata; *neque gustaveritis* carnem suillam, neque leporum, neque sepiarum, neque murenæ, neque anguillæ, neque universorum piscium qui squamas pinnulasve non habent *neque contrectaveritis* aliquid horum. Hic loquitur Apostolus eis, qui jam servare legem carnaliter ex parte cœperant. Hucusque enim monuerat stantes, ne seducerentur; et nunc aggreditur eos, qui jam aliqua de lege servabant. Quasi dicat : Vos videte ne seducamini. Sed vos alii dicite cur legem servatis. *Si mortui estis cum Christo*, etc. Si, inquit, cum fidem Christi accepistis, estis mortui ab electis, id est separati ab omni superstitione et abstinentia creaturarum mundi, quid adhuc decernitis alias esse vitandas, et alias esse assumendas? Elementa enim vocat has visibiles creaturas, quæ tota universitate per se considerata partes mundi sunt. Et isti erant, ut dictum est, ab elementis mortui, id est separati ab abstinentia creaturarum mundi, quibus in laico rite abstinebant. Vel elementa dicit, quæ ipsi colebant in idolis, sicut mare in Neptuno, et aerem in Junone. Sed per fidem Christi ab his separati erant. Nam ubi invenimus aliter et aliter, facta est ibi quædam mors. Mors enim est, non esse qui fuit. Immortalis quidem est anima, qui semper vivit; et est in illa semper quidem permanens, sed mutabilis vita; ideoque secundum mutabilitatem ejusdem vitæ, potest et mortalis dici, quia si olim vivebat sapienter et nunc desipit, mortua est in deterius, si vivebat insipienter et sapit, mortua est in melius. Ita mortui in melius erant isti, quibus nunc dicitur : *Si mortui estis ab elementis, quid adhuc tanquam viventes decernitis?* Cum Christo per fidem associati, mortem istam, laudabilem assecuti sunt, propterea mortui esse cum Christo dicuntur. Vel cum Christo mortui, quia Christo patiente et moriente, et illi compassi sunt et commortui, non quidem eo tempore quo ille mortem sustinuit, sed quo ipsi fidem perceperunt. Et quia mundo semel cum Christo mortui erant non iterum quasi viventis mundo decernere carnaliter debebant, dicentes adinvicem vel ad sequaces suos : Ne tetigeritis mortuum, sive reptile, ne inquinemini ab eo; neque gustaveritis carnem animalium quæ non ruminant, neque manu contrectaveris horum quidpiam. In his verbis adhibenda est quædam pronuntiatio in vultu et in modo vocis. Per irrisionem quippe verba posuit eorum qui dicunt, ne tetigeritis, neque gustaveritis, cum sint omnia munda mundis (*Tit.* I), *quæ omnia ipso usu*, id est, si quis utatur eis Judaico ritu, ut ab his abstineat, et illis utatur, credens se ita justificari, *sunt in interitum*, id est ducunt in mortem animæ, quia sunt *secundum præcepta et doctrinas hominum*, non Dei. Postquam enim veritas advenit, jam non Deus ea præcipit, sed Pharisæi; et quoniam auctoritate sua vel Dei male intellecta præcipiunt hæc, et rationibus docent, ideo usus eorum et cultura interimit, quia sunt præcepta et doctrinæ hominum, non Dei. Unde per Isaiam dicitur : « Populus hic labiis me honorat, cor vero ejus longe est a me (*Isa.* XXIX). » Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et præcepta hominum (*Matth.* XV; *Marc.* VII). Nam et super illa quæ lex carnaliter præcipit, addiderunt Pharisæi et Scribæ multa, adeo ut propter inventiones suas frequenter violarent ipsa legis carnalia mandata. Unde Dominus arguit eos, dicens : « Irritum fecistis mandatum Dei, ut traditiones vestras statueritis (*Matth.* XV). » Et quibus justum est, ut diebus Sabbati sedeat unusquisque in domo sua, et non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat, si quando eos juxta litteram coperimus arctare ut

Digitized by Google

non ambulent, nec jaceant, nec stent, sed tantum sedeant si velint præcepta servare, solent respondere et dicere : Barachias et Simeon et Ellel magistri nostri, tradiderunt nobis ut duo millia pedum ambulemus in Sabbato. Et cæteras hujusmodi doctrinas hominum præferunt doctrinæ Dei, *quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate.* Pro superstitione in Græco legitur falsa religio, et humilitas hic intelligenda est, quæ humilia sentiat atque terrena. Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos et vilem plebeculam imaginem habere rationis humanæque sapientiæ in falsa religione, et humilitate, id est in infimo et carnali atque terreno sensu. Vel sunt quidem rationem habentia sapientiæ in superstitione, id est non in veritate, sed in falsitate, quæ est superabundans, et in qua nulla est utilitas; et in humilitate, id est dejectione animæ. Quod si ad nonnullos id referatur, qui in Ecclesia de abstinentiæ virtute gloriantur, notandum est quod Apostolus superstitioni humiliatis speciem jungit, quia dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Apud Judæos tamen multo magis in ostentatione humilitatis regnat superstitio, quia unde se cæteris humiliores ostendunt, inde super omnes superbiunt. Et ea quæ observant, sunt *non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Non parcunt Judæi corporibus suis in assumptione ciborum, contemnentes interdum quæ habent, et quærentes quæ non habent. Et quia hoc faciunt, necessitate debilitates interdum et morbos contrahunt. Nec honorant semetipsos, cum omnia munda sint mundis (*Tit.* I), nihilque possit esse pollutum quod cum gratiarum actione percipitur (*I Tim.* IV), et idcirco a Domino sit creatum, ut saturitate et adimpletione carnis humanos artus vegetet atque sustentet. Elementa quoque mundi, a quibus fideles esse mortuos dicit, possumus et legem Moysi atque omne Vetus Instrumentum accipere, quibus quasi elementis et religionis exordiis Deum discimus; quomodo elementa appellantur litteræ, per quas syllabas ac verba conjungimus, et ad texendam orationem longa meditatione procedimus. Ars quoque musica habet elementa sua, et geometrica ab elementis incipit linearum. Sic elementis Veteris Testamenti, ut ad evangelicam plenitudinem veniat, sancti viri eruditur infantia (*I Cor.* III). Unde et illi Psalmi qui litteris prænotantur, per ethicam nos ducunt ad theologiam; et ab elementis occidentis litteræ quæ destruitur, transire faciunt ad spiritum vivificantem.

CAPUT III.

« Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera « Dei sedens : Quæ sursum sunt sapite, non quæ « super terram. »

Quando quidem si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, non debetis ultra tanquam viventes in mundo, mundana carnaliter discernere, et alia ac alia quærere, aliaque et alia respuere; *igitur si consurrexistis cum Christo*, debetis incessanter superna in quibus jam Christus est, quærere, ut ea cum ipso valeatis possidere. Nam sicut cum Christo mortui mundo, mundana debetis postponere, ita consequens est ut cum Christo resuscitati, superna debeatis appetere. Igitur si consurrexistis cum Christo, *quærite* ea *quæ sunt* de *sursum*, id est cœlestia bona, ubi jam corporaliter *Christus est in dextera Dei* Patris sedens. Non utique surreximus sicut Christus, sed tamen secundum spem quæ nobis in illo est, jam nos cum illo resurrexisse testatur Apostolus : « Spe enim salvi facti sumus (*Rom.* VIII).» Spe resurrectionem nostri corporis in Christi corporis resurrectione tenemus, et resurrectionem spiritus jam in re habemus, ut amodo in novitate vitæ ambulemus. Exstinctis enim vitiis nostris per mysterium ac virtutem Dominicæ mortis, a morte animæ resurreximus per gratiam Dominicæ resurrectionis. Vel ideo recte nunc dicitur : Si consurrexistis cum Christo, quærite bonis operibus et devotis precibus ea quæ sunt super cœlum, ut mereamini ea invenire, quia omnis qui quærit, invenit (*Matth.* VII); et debetis ea quærere, quia Christus quem invenire desideratis, est jam ibi in dextera Dei (*Matth.* XXV). Recte in dextera quia oves ponendæ sunt ad dexteram, et congruum est ut immaculatus Agnus locum immaculati gregis primus obtineat. Per dexteram enim, significatur æterna beatitudo. Et ibi jam sedet Christus, id est quiescit post laborem passionis. Sedere vel regnantis est, vel judicantis, et Christus in dextera paterni throni sedet, quia cum eo regnat in æternum. Ob hoc, inquam, sedere dicitur, quia nunc omnia judicat, et ad extremum judex videbitur. Quærite ergo perpetua bona, in quibus ipse jam ita secundum humanitatem sedet, *et sapite ea quæ sunt sursum*, id est palato cordis dulcem saporem supernorum bonorum tangite, *non quæ sunt super terram*, id est terrenorum et temporalium. Si enim terrena vobis dulcia non fuerint, tunc cœlestium dulcedinem gustare poteritis. Si terrenas concupiscentias non habueritis, tunc cœlestibus gaudiis inhiare valebitis, vel sapite superna, non terrena, id est habete sapientiam et prudentiam de cœlestibus et æternis, non de temporalibus et caducis.

« Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est « cum Christo in Deo. Cum autem Christus appa- « ruerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum « ipso in gloria. »

Superna, non terrena sapere debetis, quia mente mortui estis huic mundo. Morimur enim secundum spiritum, et resurgimus secundum spiritum, ut postea mortui secundum carnem resurgamus secundum carnem. Quomodo enim præcedit mors secundum spiritum resurrectionem, quæ est secundum spiritum; sic præcessura est mors secundum car-

Digitized by Google

nem, resurrectionem quæ futura est secundum carnem. Nam non facere quod faciebamus, nec credere quod credebamus, mors et resurrectio quædam in nobis est. Si qui idolis serviebat unum Deum cognovit, mortuus est in idololatria, resurrexit in fide. Si qui ebriosus erat, sobrius est, mortua est ebrietas, resurrexit sobrietas. Omnia ergo facta mala quæ desinimus facere, quasi mors in nobis est, quia non esse quod eramus, mors quædam est. *Mortui*, inquit, *estis*, sed mortui specie, vivi radice, sicut arbores in hieme, quoniam *vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* Patre, nec apparet nunc hominibus. Mortui enim estis, quomodo videntur arbores per hiemem quasi aridæ, quasi mortuæ. Sed ne arescatis, intus est radix, intus est vita, intus est charitas, quia vita abscondita est cum Christo in Deo. Erit autem postea tempus vestrum, erit æstas vestra, quando circumvestiemini dignitate foliorum, et replebimini ubertate fructuum. *Cum autem Christus apparuerit* veniens ad judicium, qui est *vita vestra*, *tunc et vos*, non adversarii vestri, *apparebitis in gloria cum ipso*. Modo tempus est hiemis, æstas autem vestra erit adventus Christi. Hiems vestra est Christi occultatio, æstas vestra Christi revelatio. Considerandum est, quia sancti viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Unde recte per Psalmistam dicitur : « Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum (*Psal.* xxx). » Quod quamvis perfecte postmodum fiat, et nunc ex magna parte agitur ; cum a temporalium desideriorum tumultibus delectationes in interiora rapiuntur, ut mens eorum dum in amore Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quod nunc apostolus per contemplationem ab exteriore vita mortuos et quasi in sepulcro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Mortui videlicet carnalibus desideriis et temporalium rerum cupiditatibus ; et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, quia intus apud Deum cum Christo vivit affectus desideriorum vestrorum, ut exstinctus mundo lateat, et a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum intimi amoris abscondat. Vere cum Christo abscondita est, quia cum Christo manifestabitur, cum enim Christus apparuerit esse vita vestra, id est cum omnes in judicio viderint Christum esse vitam et salvationem vestram, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria, id est cum magno honore atque splendore apparebitis omnibus ad dexteram ejus, participes gloriæ ejus. Notandum quia et Joannes hanc sententiam aliis verbis explicat, dicens : « Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Nam quod Paulus ait : *Mortui estis et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, hoc est quod Joannes asserit, quia « nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus, » et quod Paulus addidit : *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria ;* hoc Joannes subjecit : « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » Hoc igitur erit apparere cum Christo in gloria, in manifestatione ejus videre speciem divinitatis ejus sicuti est, et ex visione ejus accipere similitudinem ejus, ut qualis est ipse tales et ipsi pro modo suo fiant qui viderint eum. Hæc perfectis dicta sunt, deinde cæteris qui necdum tantam perfectionem assecuti sunt, dicitur :

« Mortificate ergo membra vestra quæ sunt su-
« per terram, fornicationem, immunditiam, libidi-
« nem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ
« est simulacrorum servitus propter quod venit ira
« Dei super filios incredulitatis. In quibus et vos
« ambulastis aliquando, cum viveretis in illis Nunc
« autem deponite et vos omnia, iram, indignatio-
« nem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem
« de ore vestro. Nolite mentiri invicem. »

Propter unitatem corporis, quia et majores et minores fideles membra sunt Ecclesiæ, cum sermo Apostoli dirigeretur latenter, quasi non essent alii, sed iidem ipsi, cœpit minores alloqui et ex his quæ præmiserat, causam exhortationis eorum assumpsit. Quia, inquit, ea quæ sursum sunt sapere debetis, non quæ super terram, quoniam in majoribus Ecclesiæ membris mortui jam estis huic mundo et vitiis, ergo quod in illis factum est, in vobis facite ; mortificate, scilicet in vobis ipsis *membra quæ sunt super terram*, id est exstinguite vitia vestra quæ ad corpus peccati pertinent, et in terrena conversatione vigent, vel super terram vestri corporis male dominantur. Corpus peccati est conformitas veteris hominis, et hujus corporis membra sunt omnia vitia et mala opera. Hæc itaque membra vestra quæ non ad naturam hominis, sed ad corpus peccati pertinent, mortificate, scilicet non membra naturæ vestræ quæ Deus creavit, sed membra corporis peccati, quæ vos fecistis, exstinguite, ne amplius in vobis vivant. Et exponam vobis illa membra, videlicet *fornicationem* mortificare, id est concubitum cum meretricibus quæ prostant in fornicibus, unde fornicatio nomen accipit ; *et immunditiam*, quæ et mollities appellatur, atque ab uno sexu perpetratur ; et libidinem, quæ fit cum feminis quæ non sunt publicæ ut meretrices ; et *concupiscentiam malam*, qua male concupiscitur vel mulier, vel aurum, vel aliud aliquid, quod non licet haberi. Concupiscentia vocatur hoc loco mala, ad differentiam bonæ concupiscentiæ, de qua dicitur : « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (*Psal.* LXXIII), » et : « Concupiscentia sapientiæ deducet ad regnum perpetuum (*Sap.* VI). » Non solum ergo opera prædictorum vitiorum debetis mortificare, sed et concupiscentiam talium, ut

Digitized by Google

nec in corde concupiscatis aliquid illicitum, sed cor ab omni desiderio malo servetis mundum, *et avaritiam*, id est insatiabilem amorem habendi mortificare. Quæ avaritia omni Christiano est detestanda (*Galat.* v; *Ephes.* v), quia *est simulacrorum servitus*. Sicut enim qui idolis servit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ tribuit; sic et avarus cum Deum solum colere deberet, colit potius nummos, in quibus præfiguratæ sunt imagines imperatorum; hoc enim unusquisque Deum habet, quod præ omnibus diligit, in quo præ omnibus spem atque fiduciam habet. Et quoniam avarus hoc agit specialiter de nummis, id est plus diligit nummos quam aliud, et plus cogitat de nummis quam de alia re, atque plus sperat et confidit in nummis quam in alia re, idcirco nummi ejus dii sunt. Jure ergo vocatur idololatra, qui Deum non colit, sed idola, id est imagines mortuorum regum nummis impressas. Hæc prædicta vitia, id est fornicationem (*ibid.*), etc. mortificare debetis, ne propter hoc si in vobis reperta fuerint, pereatis; *propter quæ* jam olim *venit ira Dei*, id est animadversio divinæ ultionis *super filios incredulitatis*, id est super homines quos incredulitas in errorem genuerat, quia non credentes in Deum, verterunt se ad hæc vitia exercenda; et propterea perierunt aquis diluvii et igne Sodomorum (*Gen.* VII, XIX), vel tempore Moysi (*Num.* II, XII, XIV, XVI, XXI, XXV) in deserto variis exterminationibus. Cavete ergo, ne et vos similiter aut gravius propter eadem vitia pereatis, quia nunc quoque propter hæc venit quotidie ira, id est ultio Dei super filios incredulitatis, id est super eos qui cum sint Ecclesiæ filii per susceptionem sacramentorum, non tamen firmiter credunt æternam iniquorum damnationem, et idcirco audent agere talia. *In quibus vitiis et vos ambulastis*, id est opera operibus velut passus passibus addidistis, aliquando, id est olim *cum viveretis in illis* vitiis, id est cum vitam vestram in talibus duceretis. Sed nunc postquam per baptismum talibus mortui estis, *deponite et vos* sicut et majores deposuerunt, omnia vitia. Deponite ea, id est deorsum ponite ut non super vos sint, sed subter vos, ut non premant vos, sed premantur a vobis. Deponite scilicet iram, id est perturbati animi commotionem adversus aliquem et *indignationem*, id est vehementem animi commotionem cum quodam arrogantiæ vitio in læsionem et in alicujus despectum accensi; et malitiam, qua mens intrinsecus mordetur, et quærit foris lædere fratrem; et blasphemiam, id est prolationem mendacii contra Deum contra sanctos ejus, et de sanctis ejus. Blasphemia enim est, per quam de Deo ipso dicuntur falsa, vel de sanctis ejus. Nec solum blasphemiam caveatis, sed et quemlibet *turpem sermonem* non emiseritis *de ore vestro*, ne per hunc, et os vestrum et aures audientium et mentes eorum maculetis, et *nolite mentiri invicem*, ut alter alterum fallat, mendacium ei pro veritate loquens. sed veram veritatem, quam cor vestrum noverit, ore proferte.

« Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum. Ubi non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus. »

Prædicta vitia deponite, *exspoliantes vos* in eorum depositione *veterem hominem cum actibus suis*, id est veterem vitam quæ in peccato est, in qua secundum Adam vivitur; *et induentes novum hominem*, id est novam vitam quæ in justitia ducitur, in qua secundum Christum vivitur. Exspoliate ergo vos hunc veterem hominem, id est injustitiam, et induite novum hominem, id est justitiam; eum scilicet, *qui renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit eum*. Totus enim homo, id est et interiore et exteriore sui parte inveteratus propter peccatum et pœnæ mortalitatis adflictus est; sed nunc renovatur secundum interiorem sui partem, ubi reformatur secundum sui conditoris imaginem; in resurrectione vero renovatur et secundum exteriorem sui partem. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum, ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursus in agnitione eadem renovatur. Nam inter notionem et agnitionem aliquid interesse dicitur, eo quod notio sit earum rerum quas ante nescimus, et ipsas scire postea cœpimus; agnitio autem earum, quas ante sciebamus, deinceps scire desinimus, earumque postea recordamur. Homo igitur in agnitione Dei creatus est, quia in principio creationis suæ, Creatorem suum ex ratione cognovit; sed postea per peccatum cæcatus, agnitionem Creatoris amisit. Nunc vero per illuminationem Evangelii et per infusionem gratiæ Spiritus sancti eumdem Creatorem suum recognoscit, et mox interius renovatur, qui vetustatem contraxerat, dum Creatorem ignoraret. Fit ergo renovatio reformatioque mentis secundum imaginem Dei. Ideo autem dicitur, secundum imaginem Dei, ut in ea re intelligatur fieri, ubi est imago Dei, id est in mente, sicut dicimus secundum corpus mortuum esse, non secundum spiritum, eum qui de corpore fidelis et justus abscedit. Quid enim dicimus secundum corpus mortuum, nisi corpore vel in corpore, non anima vel in anima mortuum? Aut si dicamus, secundum corpus est pulcher aut secundum corpus fortis, non secundum animum, quid est aliud quam corpore, non animo, pulcher aut fortis. Et innumerabiliter ita loquimur. Non itaque sic intelligamus secundum imaginem ejus qui creavit eum, quasi alia sit imago secundum quam renovatur, non ipsa quæ renovatur. Ipsa enim imago Dei renovatur in homine, qua

Digitized by Google

fuerat inveterata delicto. Novum, ut dixi, hominem induite, id est conversationem, ubi, id est in quo homine novo *non gentilis est* neque *Judæus*, id est nihil operatur, nihil prodest vel obest quod ille qui hunc hominem induit, secundum carnis originem gentilis sit aut Judæus; nec est ibi *circumcisio et præputium*, id est nihil ibi utilitatis operatur *circumcisio*, de qua Judæi præcipue gloriabantur, nec aliquid nocet ibi *præputium*. Neque *barbarus* est ibi, id est non nocet cuiquam sua barbaries, quia fit civis sanctorum et domesticus Dei (*Ephes.* II). Vel barbarus, id est aliquis tam longe remotus et tantæ feritatis, ut vix posset a Romanis vinci, non impeditur sua barbarie in hoc novo homine ne admittatur, *et Scytha* non est ibi, id est populus qui est in sinistro margine mundi ferocior aliis barbaris, et tam pugnax, ut vix unquam a Romanis superari posset, non juvatur sua feritate in novo homine, sed potius oportet omnem feritatem deponere, ut discat a Christo mitis esse et humilis corde (*Matth.* XI). Et neque *servus* est ibi abjectior, neque *liber* acceptior, quia neque servitus neque libertas corporalis nocet vel adjuvat ibi quidquam. Itaque nec natio, nec ritus carnalis, nec conditio, nec sexus ullam differentiam facit, aut valet sive operatur ibi aliquid; *sed omnia* in homine hoc novo Christus, id est nihil in eo est nisi Christiana pietas et Christiana religio. Christus est ibi sanctitas et justitia et charitas et omnia bona, *et in omnibus Christus* est qui hoc homine novo sunt induti; quia quidquid boni habent, a Christo habent; et quidquid boni faciunt, per Christum faciunt.

« Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti et « dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, hu« militatem, modestiam, patientiam, supportan« tes invicem et donantes vobismetipsis, si quis « adversus aliquem habet querelam; sicut et Do« minus donavit vobis, ita et vos. »

Illatio est quasi a toto. Quandoquidem induere debetis novum hominem, ergo induere debetis hic virtutum ornamenta, quæ sunt quasi membra vel partes ejusdem novi hominis, id est novæ conversationis, *sicut electi Dei*, id est Dei sapientia prænogniti, et a massa perdendorum separati, atque ad vitam æternam præordinati, et sancti id est baptismi sanctificatione a peccatis mundati, et sic jam a Deo dilecti, postquam purgati estis a peccatis quæ Deus odit. Et propterea ut amplius diligi ab eo mereamini, induite vos virtutes quas ipse diligit. Induite vos *viscera misericordiæ*, id est internum affectum misericordiæ circumdate vobis in opere, ut internus affectus piæ conversationis, quam erga proximos in corde habueritis, undique appareat in operibus vestris, undique vos adornet. Vestis quippe qua induimur ab omni parte nos tegit. Itaque et vos ab omni parte circumtegi debetis visceribus misericordiæ, ut in cunctis actibus vestris fulgeant viscera misericordiæ, quæ mens vestra concepit erga revelationem miseriæ proximorum, et similiter foris in operibus induite benignitatem, id est bonum ignem piæ dulcedinis, qui fervet in corde vestro. Benignitas enim est quædam serenitas animi qua aliquis hilariter loquitur et sua tribuit pro Deo ac conversatur cum proximo; humilitatem quoque induite, ut humilitas mentis appareat in omnibus verbis et operibus vestris, in vestibus, in incessu atque omni motu corporis. Ideoque et modestiam quasi vestem vobis circumdate, ut in omnibus dictis et actibus vestris modum teneatis. Modestia enim quasi modi statio dicitur, quia per hanc virtutem modus competens servatur in omnibus, modificans universas actiones, et ut modum non excedatis, induite patientiam, qua undique muniti, tranquillo animo toleretis omnia mala quæ vobis ingerentur a proximis. Impossibile est enim, ut qui cum aliis hominibus conversatur, non frequenter ab illis quædam sustineat, quæ in multis ad excessum compellant, si virtute patientiæ quasi vestimento circumdatus non fuerit. Si vero undique adversus omnia quæ acciderunt sibi, patientiam tenuerit, semper modestiam servare poterit. Et ideo patientiam induite, *supportantes vos invicem*, ut alter alterutrum sustineat in his quæ sunt gravia et aspera. Supportate invicem, id est portate invicem, alii alios, ut illos qui portaverunt se, judicent superiores, et se inferiores illis quibus sunt superiores. Non enim patienter alium portat, qui se superiorem illo reputat. Et estote *donantes vobismetipsis*, id est condonantes atque dimittentes alii aliis, si forte *quis adversus aliquem habet querelam* de contumelia vel injuria sibi ab eo illata. Donate invicem, quidquid læsionis vel offensionis pertulistis, unde merito conqueri poteratis. Et hoc facite non ficte, nec ex parte, sed *sicut Dominus donavit vobis*, ita et vos facite. Id est sicut Dominus in baptismo quidquid injuriarum ei feceratis condonavit vobis sine ullo respectu alicujus vindictæ ulterius sumendæ, ita et vos bono animo condonate vobis semper ad invicem omnia sine respectu alicujus ultionis. Debetis enim conservis non negare, quod a bono Domino gaudetis vos percepisse. Alioquin juxta parabolam evangelicam, repetet a vobis omne debitum quod dimiserat, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris (*Matth.* XVIII).

« Super omnia autem hæc charitatem habete, « quod est vinculum perfectionis. Et pax Chri« sti exsultet in cordibus vestris, in qua et vo« cati estis in unum corpus, et grati estote. Ver« bum Christi habitet in vobis abundanter. In « omni sapientia docentes et commonentes vos« metipsos in psalmis et hymnis et canticis spiri« talibus, in gratia cantantes in cordibus vestris « Domino. Omne quodcunque facitis in verbo aut « in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu

Digitized by Google

« Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per « ipsum. »

Prædicta virtutum ornamenta induite, *sed super omnia hæc charitatem*, quasi nobilius ornamentum, habete, quæ contineat et superornet omnia reliquarum virtutum insignia. Superexcellit enim et superfulget omnibus aliis virtutibus atque magis placet immortalis sponsi conspectibus, *quod*, id est quæ res, videlicet charitas (*I Cor.* XIII), *est vinculum perfectionis;* quia per hanc ligatur omnis virtutum perfectio, ne dissoluta defluat et dilabatur ac dispereat. Perfectionis vinculum est charitas, quia omne bonum quod agimus, per hanc, ne pereat ligatur. A tentatore namque citius et quodlibet opus evellitur, si solutum a vinculo charitatis invenitur. Si vero mens charitate ducitur et proximi dilectione constringitur, cum tentationum motus quilibet ei injusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, et nascentia in corde vitia reprimit. Charitas bona nostra vinciat in perfectione, *et pax Christi*, id est quam Christus habet et dat (*Joan.* XIV, XVI, XX), *exsultet in cordibus vestris.* Pax Christi est, qua reconciliati sumus Deo et sanctis angelis ejus, et qua diligimus Deum, atque peccatum exsecramur, et qua nos turbare cavemus, et qua nobis invicem credimus quod nos invicem diligamus; et qua invicem corda jungimus ut concordes simus atque cor unum in bona voluntate habeamus; et qua spiritui nostro carnem subjungamus, et hæc pax non sit torpens in cordibus vestris, sed exsultet ibi præ gaudio atque tripudiet, ut sitis scilicet semper memores hujus pacis, et eam assecutos esse vos gaudeatis, in qua pace etiam *vocati estis* evangelica prædicatione *in unum corpus*, id est in hoc ut sitis unum corpus Ecclesiæ, servantes pacem omnes invicem, sicut diversa nostri corporis membra pacem et concordiam invicem servant, et in hac pacis exsultatione non sitis ingrati Deo, qui vobis eam dedit, sed *estote ei grati*, ut pro tantis beneficiis semper ei gratias corde, verbis et operibus agatis; et ut hanc pacem intelligere valeatis atque servare eam, et grati in ea semper Deo existere, *verbum Christi*, id est doctrina Christianæ religionis, *habitet in vobis*, id est maneat in corde et ore vestro non parce, sed abundanter, id est affluenter et plenarie, ut et sciatis et loquamini verbum sacræ ædificationis. Dixi ut grati sitis, et verbum Christi habitans in vobis habeatis, docentes vosipsos invicem, vel unusquisque seipsum, *in omni patientia* divinorum. Hæc est abundantia verbi Christi quæ debet in cordibus vestris habitare, videlicet omnis sapientia, ut sensum perfectum habeatis in cognitione divinæ Trinitatis et Unitatis, et quidquid ad cultum ejus pertinet noveritis, atque piis desideriis gaudia regni ejus prægustetis, et bonis operibus incessanter quæratis. In hujusmodi rebus est omnis sapientia, quam Christianus habere debet in hac vita. Sitis ergo in omni sapientia docentes, ut dixi, vosmetipsos invicem, id est unusquisque seipsum ea quæ necdum sciebatis, *et commonentes vosmetipsos* in his quæ jam scitis, ut ea firmiter retineatis et opere complcatis: Docete, inquam, et commovete vosmetipsos, ut et instruamini, et ad bene agendum excitemini. *In psalmis*, qui ad bonam operationem commonent; et *hymnis*, qui de laudibus Dei canuntur; *et canticis*, non carnalibus, sed spiritalibus, quæ de æterno gaudio resonant, et ideo spiritalia sunt. Nam et carnalia cantica frequenter a carnalibus hominibus canuntur, et ad carnis voluptates pertinent. Sed his contraria sunt spiritalia cantica, quæ in solo conditore nos delectari admonent et gaudere. In talibus vosipses docete et commonete, vos dico, *in gratia*, id est in gratiarum actione *cantantes in cordibus vestris Domino.* Neque enim omnis qui labiis personat, Domino cantat; sed qui devoto corde eum laudans amat, et ad ejus visionem suspirat. Intus enim est hoc gaudium, ubi vox laudis canitur et auditur, qua voce laudatur, qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque suum accendit in se gratia sancti Spiritus sui. Ille enim in gratia cantat Domino, qui gratia sancti Spiritus accensus, gratis amat eum quem laudat. Ita cantate. Et omne etiam *quodcunque facitis in verbo aut in opere*, id est quæcunque loquimini, et quæcunque operamini, omnia facite in nomine Domini, id est nomen ejus invocate in exordio locutionis et actionis vestræ, atque sequentia verba et opera ad gloriam ejus semper dirigite. Tunc enim et peccata locutionis et operationis vitabitis, et bona erunt quæ dicetis vel facietis. *Omnia in nomine Domini* facite, in omnibus nomen Domini invocantes et glorificantes. In nomine Domini *nostri Jesu Christi* facite omnia, per quem habetis omnia quæ vobis a Patre dantur, vos dico, *semper ipsum* per quem omnia bona accipitis, *agentes gratias* de omnibus Deo, qui vos creavit, *et Patri* qui vos in filios adoptavit. Vel Deo, qui secundum humanitatem ejus Christum creavit; et Patri, qui Christum secundum divinitatem ipsius genuit.

« Mulieres, subditæ estote viris sicut oportet in « Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite « amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per « omnia (*Ephes.* VI) : hoc enim placitum est in « Domino. Patres, nolite ad indignationem provo- « care filios vestros, ut non pusillo fiant animo. »

Hucusque generaliter illos instruxit et monuit. Nunc vero specialiter ad familiarem et domesticam conversationem vertit exhortationem suam et mulieres viris, atque filios parentibus subjicit. Est enim etiam naturalis ordo in hominibus, serviant feminæ viris, et filii parentibus, quia et illis justitia hæc est, ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc enim in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant et dominatione. Unde nunc Apostolus congrua dat præcepta. Vos, inquit, o *mulieres*, *estote viris vestris subditæ* ad omnia non tamen ad male agendum, sed *sicut oportet vos in Domino* subdi, id est sicut vos in Christiana

Digitized by Google

religione viventes decet ad omnia illis subjici, præter quam ad transgressionem mandatorum Dei. Et vos, o *viri*, *diligite uxores vestras*. Uxorum timere est et cum timore diligere, virorum autem tantum diligere, quia dilectio perfectorum est. Viri, diligite uxores vestras, *et nolite amari esse ad illas*. Licet illæ ad iracundiam provocent, et talia faciant per quæ mereantur amaritudinem, vos tamen nolite eis amaritudine vicem reddere. Vos quoque *filii*, *obedite parentibus vestris per omnia*, sive carnalibus, sive spiritalibus. Obedite illis per omnia, sed tamen *in Domino*, id est in his tantummodo quæ præceptum Domini non excedunt, *hoc enim placitum est* Deo, ut illis taliter obediatis. Et vos, o *patres*, *nolite filios vestros*, sive carnales, sive spiritales, *provocare ad indignationem*, nimis aspere illos tractando, *ut non fiant pusillo animo*, id est ut non deficiat animus eorum, non valens sustinere nimietatem asperitatis vestræ, et fugiant a vobis, vel aliquid mali faciant per defectum animi. Et ideo cavete illis occasionem dare inobedientiæ, ne scilicet peccent per iracundiam, et frangatur mens eorum in adversis atque deficiat.

« Servi, obedite per omnia dominis carnalibus « (*Ephes.* VI; *I Petr.* II), non ad oculum servientes, « quasi hominibus placentes, sed in simplicitate « cordis, timentes Dominum. Quodcunque facitis, « ex animo operamini, sicut Domino, et non homi- « bus, scientes quod a Domino accipietis retribu- « tionem hæreditatis (*Levit.* XIX). Domino Christo « servite. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod « inique gessit, et non est personarum acceptio « apud Deum (*Deut.* I, X, XVI; *II Par.* XIX; *Job* « XXXII, XXXIV; *Rom.* II; *Ephes.* VI; *Act.* X). »

Vos, inquit, o *servi*, *obedite dominibus carnalibus*, id est qui vobis secundum corpus, non secundum spiritum dominantur. Obedite illis in bono *per omnia non ad oculum servientes*, *quasi hominibus placentes*, id est non tunc solummodo bene agentes, quando videmini ab illis; et quando non videmini, negligenter agentes. Non ita subdole agatis cupientes fraudulenter placere illis per ea, quæ coram ipsis positi strenue agere videbimini, *sed in simplicitate cordis*, non in duplicitate servite illis, ut quod foris in opere ostenderitis, intus in corde habeatis, *timentes Dominum*, qui inspector est cordium, et damnator dolosarum simulationum. Et *quodcunque facitis*, *operamini* illud *ex animo*, id est ex voluntate. Eam quippe Deus innocentiam probat, qua homo non metu fit innocens, sed amore justitiæ. Nam qui timore non peccat, quamvis ei non noceat cui vult nocere, sibi tamen plurimum nocet; et abstinens ab iniquo opere, sola mentis reus est voluntate. Simulata enim innocentia non est innocentia, et simulata æquitas non est æquitas, sed duplicatur peccatum in quo est iniquitas et simulatio. Propterea quidquid boni facitis, facite ex animo, non ex simulatione, *sicut Domino* facientes illud, *non hominibus*: *scientes quod* ex hoc a Domino, qui remunerator est omnium bonorum operum, *accipietis retributionem* æternæ hæreditatis cum filiis. Et ideo *servite Domino* nostro Christo in omnibus quæ facietis. Si enim propter præceptum bono animo servieritis carnalibus dominis, Christo potius quam illis servietis, et ab eo retributionem percipietis, licet ab illis nihil bonæ remunerationis consequamini. Vel quamvis hominum servitio sitis occupati, Domino tamen Christo servite, ut propter eorum servitium non omittatis Christo servire. Nec frangatur mens vestra, si vos male tractaverint; *qui injuriam facit*, licet sit in hoc mundo potens et nobilis, recipiet a mundi judice Deo *id quod inique gessit*. Ideo melior est tristitia patientis iniqua, quam lætitia facientis iniqua, quia et de malitia mali sæpe flagellatur bonus. Qui injuriam facit, recipiet quod gessit, ut ipse juste crucietur, qui injuste cruciavit alium. Et hoc ideo, quia *non apud Deum acceptio personarum*, ut nobilibus parcat, si inique egerint, cum ignobiles puniat, qui male egerunt. Omnes enim æquo judicio, sive dominos, sive servos, sive divites, sive pauperes, judicat, et unicuique reddit secundum quod egit.

CAPUT IV.

« Domini, quod justum est et æquum, servis præ- « state, scientes quoniam et vos Dominum habetis « in cœlo. »

Ideo vos *domini*, *præstate*, id est largimini servis vestris illud *quod justum est*, id est quod suo servitio promeruerunt; et quod est æquum, id est quod jus naturæ vel rationis exigit, eorum scilicet necessaria dari ipsis, etiam ultra quod servitium eorum promeruit. Multi enim sunt servi, qui vel infirmitatis, vel alicujus rei causa non promerentur suo laboro ea quæ sunt illis necessaria; et tamen debent domini illis ea quibus indigent retribuere. Hæc ita debetis præbere servis vestris, *scientes quoniam et vos habetis Dominum in cœlo*, cujus servi estis, et a quo bona accipere etiam ultra meritum vestrum indigetis. Contra quem etiam de munere ejus superbitis, si illos, quos per conditionem tenetis subditos, æquales vobis per naturæ consortium non cognoscitis. Nam justi etiam qui imperant, serviunt illis quibus videntur imperare, quia non dominandi cupiditate impetrant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed providendi beneficentia. Et si sancti Patres nostri habuerunt servos, sic administrabant domesticam pacem, ut secundum hæc temporalia bona filiorum sortem a servorum conditione distinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent.

« Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum « actione, orantes simul et pro nobis, ut Deus ape- « riat nobis ostium sermonis ad loquendum myste- « rium Christi, propter quod et vinctus sum, ut ma- « nifestem illud ita ut oportet me loqui. »

Reddit generalem exhortationem. Hoc enim omnibus convenit, ut instent orationi. Et bene in ea vigilare jubet, ut cum stamus ad orationem, cogi-

Digitized by Google

tatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec tunc quidquam animus cogitet præter id solum quod precatur. Subripit enim frequenter hostis, et subtiliter fallens, preces nostras a Deo vocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud proferamus in voce, cum intentione sincera Deum debeat non sonus vocis, sed animi sensus orare. *Instate orationi* ut obnixe et indeficienter oretis, *vigilantes* vivaci studio mentis *in ea*. Et hoc ut oratio sit *in gratiarum actione*, ut rogantes a Deo beneficia, gratias illi referatis pro his quæ jam vobis contulit. Ita orate pro vobis, *orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*, id est aperiat nobis os, quo sermo prædicationis egrediatur a nobis *ad loquendum*, id est ad disserendum et exponendum *mysterium Christi*, id est occultum secretum incarnationis et passionis Christi, ut occultas eorum causas pandamus audientibus, et in his restaurationem salutis humanæ consistere doceamus. *Propter quod* mysterium, quia illud prædicabam, *et vinctus sum*, id est detineor in vinculis Romæ, ne possim ire quo voluero, et pluribus evangelizare. Orate ut Deus det mihi loqui illud mysterium, *ut manifestem illud* et declarem aliis, *ita ut oportet* et convenit *me loqui* de tanto sacramento qui et annuntiare illud missus sum.

« In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, « tempus redimentes. Sermo vester semper in « gratia sale sit conditus, ut sciatis quo modo « oporteat vos unicuique respondere.

Vos in Ecclesia, id est incorporati membris Christi, simul omnes orationi, ut expositum est, instate, sed procedentes *ad eos qui foris sunt*, id est venientes ad loca ubi vos videbunt illi, qui adhuc per fidem in Ecclesiam non intraverunt, *ambulate in sapientia*, id est agite sapienter, operamini prudenter, figite gressum operis caute, ne quid insipientiæ, ne quid reprehensionis ab infidelibus notetur in vobis, ne nomen Domini per vos blasphemetur ab eis (*Rom.* II). Vos dico, *tempus redimentes*, id est vitam male actam pœnitendo et bene agendo redimentes, ut transacta damna quotidianis meritorum lucris recompensetis. Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus. Dixi ut in vestra ambulatione et in vestra actione luceat sapientia, et nunc addo ut et in sermone vestro semper appareat, scilicet *sermo vester in gratia*, id est, in dulcedine charitatis *semper sit conditus sale* sapientiæ, sicut bonus animæ cibus, ut nihil insipidum, nihil putidum habeat. Nam cibus cui sal immiscetur, fit sapidus; et caro bene salita, non putrescit nec fetet. Ita sit et sermo vester, ut quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipientiam, nec putidus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admistionem falsitatis, sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus, et integritate veritatis incorruptus, atque odorem cœlestis et incorruptibilis delectationis spirans. Et ita condimentum divini salis in se habeat sermo vester, *ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*, id est, per prudentiam moderatæ discretionis sciatis quomodo respondendum sit fideli, quomodo infideli, quomodo diviti, quomodo pauperi, quomodo seni, quomodo juveni, quomodo viro, quomodo feminæ, et quomodo cæteris gradibus vel conditionibus; unusquisque enim suo modo alloquendus est, et unicuique suo modo respondendum est: Respondendum est verbis ejus, si ipse prior locutus fuerit, vel respondendum facto ejus, si verbis tacuerit. Unusquisque suo modo vel corrigendus est, vel admonendus.

« Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet « Tychicus charissimus frater et fidelis minister « et conservus in Domino, quem misi ad vos ad « hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, « et consoletur corda vestra cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui ex vobis est, qui « omnia quæ hic aguntur nota facient vobis. »

Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus. Quia dixerat se vinctum causa Evangelii, ne putarent eum graviora pati, dicit Tychicum omnia sua eis et adversa et prospera dicturum. Cui credendum est, quia est frater, id est, Christianus, et pro vitæ suæ merito clarissimus Deo vel sanctis ejus, *et fidelis minister*, id est, fideliter ministrans sine fraude verbum prædicationis. Vel minister, id est, diaconus, *et conservus*, id est mecum serviens, *in Domino*, id est, in his quæ Domini sunt; *quem ad hoc ipsum*, id est ideo *ad vos misi*, *ut cognoscat quæ circa vos sunt* et mihi referat, et idcirco videte ne quid mali apud vos inveniat quod mihi renuntiet. Ob hoc etiam illum misi, ut *et consoletur corda vestra*, ne immoderatam habeatis tristitiam de his quæ patimini, vel quæ me pati audistis. Misi eum cum *Onesimo charissimo et fideli fratre*, non vilissimo et fraudulento servo, sicut olim fuit. Iste est enim Onesimus servus Philemonis, qui peracto furto apud Philemonem dominum suum vel postquam consumpsit vel dissipavit illud, confugit ad apostolum, et audivit ab eo verbum salutis, atque conversus est, et ideo sic commendat eum Apostolus, ne sit illis in aliquo suspectus. Unde liquido demonstratur, quod hanc epistolam a Roma de carcere Apostolus miserit sicut illam ad Philemonem direxit. Nam eosdem salutatores in ista ponit, et in illa, quos secum esse declarat, et adjutores suos appellat, id est, Aristarchum et Marcum et Epaphram et Lucam et Demam. Unde patet utramque epistolam ex uno eodemque loco missam, ubi vinctus tenebatur Apostolus. Nam Onesimum in vinculis Christo genuit (*Philem.*, I). Vincula autem eum in Epheso pertulisse tacet omnino liber Actuum apostolorum. Et ideo probatur non habere veritatem sententiam eorum, qui dicunt Apostolum

Digitized by Google

Ephesi tantum in vinculis fuisse, et inde hanc epistolam Colossensibus misisse.

« Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et « Marcus consobrinus Barnabæ (de quo acce- « pistis mandata; si venerit ad vos, excipite illum), « et Jesus qui dicitur Justus, qui sunt ex circum- « cisione. Hi soli sunt adjutores mei in regno « Dei, qui mihi fuerunt solatio. »

Aristarchus iste Thessalonicensis erat, et Apostolum secutus esse legitur. Unde et ad cumulum gloriæ cum eodem Apostolo captus teneri meruit pro nomine Christi. Marcus autem consobrinus, id est consanguineus Barnabæ apostoli, ipse est Joannes cognomento Marcus, pro quo facta est dissensio inter Paulum et Barnabam (*Act.* XII). « Barnabas enim volebat secum assumere et hunc Marcum. Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus Evangelii, non deberet recipi. Sicque facta est inter eos dissensio, ita ut discederent ab invicem : et Barnabas quidem, assumpto Marco, navigaret Cyprum. Paulus vero electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Domini a fratribus (*Act.* XV). » Quoniam Marcus iste in ipsa se aciei fronte constituens, nimis tepide steterat, et insuper ex acie socors recesserat, merito eum Paulus abjecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum. Prædicator enim fortia debet in seipso cæteris exempla monstrare, et in bonis quæ cœpit, viriliter perseverare. Sed quia Marcus nec fortiter egerat, nec perseveraverat, merito Paulus eum ulterius in via prædicationis socium habere noluit. Timens etiam ne alios exemplo suo vanos ac desidiosos redderet, mandavit Ecclesiis suis, ne reciperent eum. Sed postea correptus est Marcus, atque dignus effectus ut eum Paulus adjutorem habere gauderet. Et hoc est quod dicit : *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata*, ne scilicet eum reciperetis, sed nunc *si venerit ad vos, excipite illum*, quia videlicet bene correptus est, *et Jesus* vos salutat, *qui dicitur Justus*, id est cui ab eventu sanctitatis suæ datum est hoc agnomen quod est Justus, qui scilicet Marcus et Justus, *sunt ex circumcisione*, id est ex genere Judæorum. *Hi soli sunt adjutores mei in regno Dei*, id est in prædicatione Evangelii, de qua Dominus Judæis ait : « Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus (*Matth.* XXI), » vel in regno Dei, id est in Ecclesia ædificanda, de qua idem Dominus ait : « Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII). » Qui videlicet adjutores *fuerunt mihi solatio* in tribulatione mea.

« Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus « Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in ora- « tionibus ut stetis perfecti et pleni in omni vo- « luntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, « quod habet multum laborem pro vobis, et pro « his qui sunt Laodiceæ, et qui Hierapoli. »

Iste est sanctus Epaphras, de quo in principio epistolæ hujus dictum est. « Cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Jesu Christi (*supra* 1). » Quia ergo prædicaverat eis gratiam Dei, idcirco sollicitus precibus Deum semper exorabat, ut ipsi in eadem gratia permanerent, ne labor ejus fieret vacuus. Corporali enim præsentia illinc abierat, et propterea Deo qui nusquam deest, illos commendabat. Et hoc est : *Salutat vos Epaphras, qui est ex vobis* originem ducens, et est *servus Christi Jesu*, id est serviens mandatis evangelicis, ipse dico, *semper sollicitus pro vobis in orationibus*, id est semper sollicite et attente orans pro vestra salute, ut scilicet *stetis*, id est perseveretis. Unde dictum est de diabolo : « In veritate non stetit (*Joan.* VIII), » quia fuit ibi, sed non perstitit. Et vos estis in religione Christiana, ideoque precatur Epaphras, ut stetis, id est permaneatis in ea. Stetis *perfecti* bona operatione, *et pleni* bona voluntate. Perfecti exterius, et pleni interius, ne sit mens interius vacua, cum perfecta foris apparuerint opera. Tales, inquam, stetis *in omni voluntate Dei*, id est in observantia omnis divinæ voluntatis, ut scilicet omnem Dei voluntatem perseveranter impleatis Hoc ille vobis a Deo concedi precatur, sine cujus gratia nihil potestis. Nam ego *testimonium illi perhibeo*, *quod multum laborat* orando et vigilando *pro vobis*, id est pro vestra salute, *et pro his qui sunt Laodiceæ*, quæ est urbs vobis proxima, *et* pro illis *qui* sunt *Hierapoli*, quæ et ipsa est civitas non procul a vobis posita.

« Salutat vos Lucas medicus charissimus et « Demas. »

Lucas iste primo fuit medicus corporum, deinde conversus ad Christum, factus est medicus animarum. Inde est quod plus quam alii evangelistæ, loquitur de misericordiis Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animalibus pelluntur, et sacerdotis personam in Christo describit, intervenientis pro peccatis totius mundi.

« Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, et Nym- « pham, et quæ in domo ejus est Ecclesiam. Et « cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite « ut in Laodicensium ecclesia legatur; et ea quæ « Laodicensium est, vobis legatur. »

Prædicti sancti vos salutant. Vos autem salutate vicinos vobis *fratres qui sunt Laodiceæ, et* inter eos specialiter et nominatim *salutate Nympham* illam matronam religiosam, *et Ecclesiam quæ est in domo ejus*, id est familiam ejus, vel multitudinem fidelium apud eam congregatorum, quos ipsa hospitatur et pascit. *Et cum apud vos lecta fuerit hæc epistola, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur*, id est curate in conventu Laodicensium recitari, quia et propter eos secundarie scripta est, sicut

Digitized by Google

propter vos principaliter, *et ea* similiter epistola, *quæ Laodicensium est*, id est quam ego Laodicensibus misi, *legatur vobis*, quamvis et hanc epistolam quintam decimam, vel sextam decimam Apostolus scripserit, et auctoritas eam apostolica sicut cæteras firmavit, sancta tamen Ecclesia non amplius quam quatuordecim tenet, ut ex ipso epistolarum numero ostenderet, quod doctor egregius legis et Evangelii secreta rimatus esset. Quatuordecim quippe, quatuor et decem sunt; et quatuor significant Novum Testamentum, propter quatuor libros Evangelii; decem autem Vetus Instrumentum, propter Decalogum legis. Ex ipso itaque numero voluit Ecclesia sancta demonstrare, omnem sapientiam vel perfectionem Veteris ac Novi Testamenti breviter in his epistolis comprehendi; ideoque numerum qui hæc significabat, excedere noluit.

« Et dicite Archippo : Vide ministerium quod ac-
« cepisti in Domino, ut illud impleas. »

Dicite, inquit, *Archippo* episcopo vestro a nostra parte : *Vide ministerium quod accepisti*, id est attende et considera quale opus suscepisti, *in Domino*, id est in Domini gratia, vel in his quæ Domini sunt. Noli cæcus esse, noli oculos avertere ab officio ministerii tui, id est ab actione episcopatus tui, sed vide sollicita consideratione quale ministerium suscepisti, ut strenue *illud impleas*, non otiose vacuum teneas. Archippum præpositum eorum per eos commonet, ut qui regendam Ecclesiam eorum accepit, sit sollicitus de eis. Plebis causa scribitur epistola, et ideo non ad rectorem dirigitur. Vel quia ipse tepide agebat cum pseudoapostolis, idcirco Apostolus non per se, sed ad majorem confusionem per subditos suos, quasi pluris illos faciens, admonet eum.

« Salutatio mea manu Pauli. Memores estote
« vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen. »

Salutatio, *inquit*, *scripta mea manu Pauli*, id est manu propria, ut ex subscriptione mea sciatis epistolam a me missam. *Memores estote vinculorum meorum.* Memoriam vinculorum suorum hortatur eos habere, sive ideo, ut ejus exemplo informati, patientiam in tribulationibus habere discant; sive ut orent pro eo, ut citius absolvatur, et ad prædicandum liber discurrat : sive (quod minus est credendum) ut aliquid ei largiatur, in ipsis vinculis minus necessaria procurare valenti. Deinde : *Gratia*, *inquit*, *Domini sit vobiscum*, ut ea cooperante valeatis opera bona facere. Hucusque protenditur epistola, quæ missa est ad Colossenses. Congruum autem videtur, ut propter notitiam legentium subjiciamus eam, quæ est ad Laodicenses directa, quam, ut diximus, in usu non habet Ecclesia. Est ergo talis :

EPISTOLA PAULI AD LAODICENSES, UT NONNULLI OPINANTUR.

Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, fratribus qui estis Laodiceæ, gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratias ago Christo per omnem orationem meam, quod permanentes estis et perseverantes in operibus bonis, promissionem exspectantes in die judicii, neque disturbent vos quorumdam vaniloquia insimulantium veritatem, ut non avertant a veritate Evangelii, quod a me prædicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii sint deservientes, et benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis vitæ æternæ. Et nunc palam sunt vincula mea quæ patior in Christo, in quibus lætor et gaudeo, et hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod factum est orationibus vestris, administrante Spiritu sancto. Sive per vitam sive per mortem, est mihi vita in Christo, et mori gaudium, et ipse in vobis faciet misericordiam suam, ut eamdem dilectionem habeatis, et sitis unanimes. Ergo, dilectissimi, ut audistis præsentiam Domini, ita sentite, et facite in timore, et erit vobis vita in æternum. Est enim Deus qui operatur in vobis, et facite sine peccato quæcunque facitis. Et quod optimum est, dilectissimi, gaudete in Domino Jesu Christo, et cavete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiones vestræ sint palam apud Deum. Estote firmi in sensu Christi, et quæ integra et vera et pudica et casta et justa et amabilia sunt, facite. Et quæ audistis et accepistis, in corde retinete : et erit vobis pax. Salutate omnes fratres in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. Hanc facite legi Colossensibus, et eam quæ est Colossensium vobis.

IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES

ARGUMENTUM.

Thessalonica est urbs nobilis in Macedonia, ad quam cum venissent Paulus et Silas, quoniam ibi erat synagoga Judæorum, secundum consuetudinem suam Paulus introivit ad eos, et per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis. Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, et de colentibus, id est proselytis gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos et turba facta, concitaverunt civitatem, et assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes

Digitized by Google

Quoniam hi sunt qui urbem concitant, et huc venerunt, quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Jesum. Concitaverunt autem plebem, et principes civitatis audientes hæc. Et accepta satisfactione a Jasone et a cæteris, dimiserunt eos, fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam Berrhœam. Taliter conversi sunt Thessalonicenses, et talia mox pro fide pati cœperunt. Nam et postquam apostolos dimiserunt, multa pro Christi nomine pertulerunt. Quorum constantiam Apostolus collaudans scribit illis ab Athenis, et intendit exhortari illos, ut immobiles inter adversa permaneant, ac semper in melius proficiant. Deinde errorem quorumdam mortuos suos inconsolabiliter lugentium, quasi non amplius resurrecturos, corrigit; docens communem resurrectionem veraciter esse futuram. Sed et in aliis pluribus vitam illorum atque mores instruit. Et quia ipsi ad obediendum proni erant, ideo non ponit nomen auctoritatis suæ vel officii, sed ut pares admonet. Silvanum autem (id est Silam) et Timotheum idcirco secum ponit, quia in conversione eorum fuerant cum illo participes laboris, vel quia tunc erant cum ipso Athenis. Et hanc epistolam (nisi fallor) primam omnium scripsit. Non enim ante istam invenio illum aliquid scripsisse. Sic autem inchoat :

CAPUT PRIMUM.

« Paulus et Silvanus et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre et Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax. »

Paulus et duo socii ejus *Silvanus et Timotheus* mittunt hanc epistolam *Ecclesiæ Thessalonicensium*. Judæorum proprie Synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram vero apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde Synagoga, et convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid, quod scilicet pecora congregari solent, quorum et greges proprie dicimus; convocari autem magis est utentium ratione, sicut hominum. Paulus et socii ejus dirigunt has litteras Ecclesiæ Thessalonicensium, consistenti *in Deo Patre et Domino Jesu Christo*, id est in fide et charitate Patris et Filii, subintelligitur et Spiritus sancti, quo unctus est Christus. Vel in Deo Patre et Filio mittit Paulus et socii ejus hanc epistolam. *Gratia*, inquit, *et pax sit vobis*. Bene primo gratiam dicit, deinde pacem nominat, quia sine gratia Dei ad pacem reconciliationis pervenire non possumus, imo nihil pacificum nisi per gratiam ejus habere valemus. Gratia enim gratis datur sine præcedentibus meritis, et per hanc dum culpas remittit, accedimus ad pacem reconciliationis. Potest et ita intelligi : Gratia et pax a Deo sit vobis, ut qui humana gratia et sæculari pace privati estis, apud Deum gratiam et pacem habeatis.

« Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus « nostris sine intermissione, memores operis fidei « vestræ et laboris et charitatis et sustinentiæ spei « Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem « nostrum, scientes, fratres dilecti a Deo, electionem « vestram, quia Evangelium nostrum non fuit ad « vos in sermone tantum, sed in virtute et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa. sicut scitis, « quales fuerimus in vobis propter vos. »

Solito more incipit a gratiarum actione, quia multam Dei gratiam in his videt refulgere. Et idcirco Deum primo laudat, qui dedit eis gratiam, deinde ipsos, qui fide et operibus secuti sunt eum. Ac si dicat : Tenete quæ tenetis, agite quæ agitis, quoniam talia sunt, ut pro eis Deo gratias agamus. *Agimus* enim *gratias* et laudes *Deo* non ad horam, sed *semper pro omnibus vobis*, majoribus et mediis et minoribus, vel viris et mulieribus, quia gratiam quam vobis primo contulit, adhuc in vobis conservat et augmentat. Ab ipso enim sunt omnia bona quæ habetis, et ideo gratias illi pro his referimus. Nos dico, *facientes memoriam vestri in orationibus nostris*, et hoc *sine intermissione*, id est nunquam intermittimus facere memoriam vestri, quotiescunque oramus. Nam sumus *memores operis fidei vestræ*, id est quomodo fides vestra non est otiosa, sed semper bonum opus agit, et ideo libenter pro vobis oramus. Memores, inquam, sumus operis vestri *et laboris*, quem in ipso opere ducitis, id est mente retinemus, quomodo bene operantes laboratis, *et charitatis*, id est fraternæ dilectionis, quam bonis operibus ostenditis. Vel laboris tolerantiæ adversitatum, et charitatis qua inimicos diligitis, *et sustinentiæ*, id est exspectationis *spei Domini nostri Jesu Christi*, quoniam bona facientes et mala patientes, exspectatis longanimiter supernum illud præmium, quod a Christo speratis accipere cum venerit. Et hæc omnia facitis *ante Deum*, quia in his non humanos favores appetitis, sed omnipotentis Dei præsentiæ intenditis. Præsentem enim Dominum adesse cogitatis, et vos ante conspectum ejus omnia facere consideratis. Vel nos sumus memores vestri in orationibus ante Deum; ante Deum, qui nos creavit; *et Patrem nostrum*, qui nos adoptavit. Ita sumus memores vestri, *scientes electionem vestram*, id est scientes vos esse electos, et ad æternam vitam prædestinatos, *o fratres dilecti a Deo*, id est quos Deus diligit, quia paternis flagellis vos ad æternam hæreditatem erudit. « Quem enim diligit Dominus, corripit; et flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII; *Prov.* III). » Vel memores sumus vestri, scientes electionem vestram, id est scientes quomodo Deus per doctrinam nostram vos elegit de multitudine cæterorum, qui sunt in infidelitate relicti. Vere Deus, prædicantibus nobis, vos elegit, tangens interius corda vestra dono sancti Spiritus, *quia Evangelium nostrum*, id est prædicatio nostra *non fuit ad vos in sermone tantummodo, sed etiam in virtute* operis, vel in virtute miraculorum, *et in Spiritu sancto*, quia per impositionem manuum

Digitized by Google

nostrarum dabatur vobis Spiritus sanctus; *et in plenitudine multa*, quia plenarie vos instruximsu, et spiritalibus gratiis, auctore Deo, replevimus, et copiose in vobis talia operati sumus; *sicut vostpsi scitis* et testes estis, *quales*, id est quam religiosi et mirifici *fuerimus in vobis propter vos* convertendos et instruendos, ut non solum ratione verborum, sed et exemplo operum nostrorum vos informaremus.

« Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, « excipientes verbum in tribulatione multa cum « gaudio Spiritus sancti, ita ut facti sitis forma « omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia. « A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non « solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omnem « locum fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, « ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi « enim de nobis annuntiant, qualem introitum ha- « buerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad « Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, « et exspectare Filium ejus de cœlis (quem susci- « tavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira « ventura. »

Ipsi scitis quales fuerimus vobis propter vos informandos. *Et vos facti estis imitatores nostri, et* quod est amplius, imitatores *Domini, excipientes verbum* nostræ prædicationis *in multa tribulatione* vestra vel nostra, *cum gaudio Spiritus sancti*, id est quod vobis Spiritus sanctus de spe cœlestis mercedis inspiravit. Et propterea non immerito supradiximus nos scire electionem vestram, id est vos esse de electis Dei, quia non estis paleæ, sed grana. Non solum enim nostri, sed et Christi imitatores facti estis, dum nulla vos tribulatio a susceptione verbi cœlestis revocare valeret, sed potius gauderetis in tribulationibus pro verbo. Nam excepistis illud, id est ex omnibus, vel extra omnis reverenter susceptis in tribulatione multa, quæ vobis propter verbum est illata. Et licet tribulationes perferret vestra caro, animus tamen gaudebat in Spiritu sancto. Et in his Dominum atque nos imitati estis, *ita ut facti sitis forma*, id est exemplum permanendi constanter in fide inter adversa, *omnibus credentibus* qui sunt in *Macedonia et in Achaia*. Et ideo vos qui tot aliis exemplum fidei et patientiæ facti estis, videte ne deficiatis, sed semper robustiores in Christo perduretis. Vere forma facti estis multis, nam effectus hoc indicat. Nam *sermo Domini*, id est Dominicæ prædicationis, egrediens *a vobis, diffamatus est non solum in Macedonia et in Achaia, sed et in omnem locum* vobis affinem in circuitu *profecta est*, id est transivit audita *fides vestra quæ est ad Deum* se extendens. Et ita pervulgata est apud omnes, *ut non sit nobis necesse quidquam loqui* de vobis ad commendandum aliis bonam vitam vestram, ut eos ad fidem et religiosam conversationem exemplo vestri provocemus. Vere non est necesse nobis ut nos loquamur, nam ipsi loquuntur. *Ipsi enim* qui in circuitu degunt, *annuntiant de nobis*. id est narrant alii aliis, *qualem introitum habuerimus aa vos*, id est quanta virtute miraculorum et abundantia spiritalium bonorum accesserimus ad vos convertendos, *et quomodo*, id est quam facile, aut quam devote *conversi estis ad Deum* et quam facile doctrina nostra introierit ad corda vestra. Conversi estis ad Deum *a simulacris*, id est ad cultum Dei a cultura idolorum, *servire*, id est ut serviatis Deo, non mortuo et falso, sicut est Jupiter vel Hercules et cæteri, quos ex mortuis hominibus pagani deos constituerunt: sed *vivo et vero*, quia naturaliter Deus est, et exspectare, id est ut bene operantes exspectetis longanimiter sine murmuratione piis desideriis *Filium ejus* Jesum *de cœlis* venturum reddere mercedem servis suis, *quem Pater suscitavit ex mortuis; et qui* Filius ideo est exspectandus a nobis remunerator, quia delendo peccata nostra *eripuit nos ab ira ventura*, ab animadversione futuræ ultionis. Ira enim Dei non perturbatio est, sed judicium quo irrogatur pœna pro peccatis.

CAPUT II.

« Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad « vos, quia non inanis fuit, sed ante passi multa « et contumeliis affecti (*Act.* XVI, XVII), sicut scitis, « in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro « loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitu- « dine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque « de immunditia, neque in dolo; sed sicut probati « sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, « ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed « Deo qui probat corda nostra. »

Alii nuntiant qualem *introitum* habuerimus *ad vos, nam vos ipsi fratres scitis* eum qualis fuerit, quia scilicet non fuit inanis, id est infructuosus et levis; *sed ante* quam ad vos veniremus, passi sumus multa et contumeliis affecti sumus in Philippis, id est in urbe Philippensium, de qua migravimus ad vos. Ibi enim ego et Silas ad judices contumeliose tracti sumus, ita ut tunicæ nostræ scinderentur, et publice virgis cæsi atque in carcerem trusi, et in ligno pedes constricti. Hæc et alia passi sumus in Philippis, antequam ad vos accederemus, *sicut et vos scitis*. Et patientia talium afflictionum vel injuriarum confortati, *habuimus fiduciam* et audaciam non in viribus nostris, sed *in Deo nostro*, id est in ejus virtute et potentia *loqui ad vos*, id est prædicare *Evangelium Dei* in multa sollicitudine, ne scilicet priusquam vos bene instruerem, ab infidelibus impedirer, et tamen fiducialiter et audacter locuti sumus vobis, quia *exhortatio nostra non est de errore* ut aliquem errorem cujuslibet pravæ sectæ suademus: *neque de immunditia*, ut immundam vitam in carnis pollutione exhortemus; neque in dolo, ut aliud in ore, et aliud in corde habeamus. Nam cui veritatis est in dolo, quando non pro amore veritatis et utilitate audientium prædicatur, sed ut gloria vel aliquod lucrum acquiratur. Exhortatio nostra non est de errore, quia non exhortamur aliquem ut erret in veritate, neque de immunditia, quia nemini suadeamus

Digitized by Google

demus ut seipsum maculet; neque in dolo, quia fraudulentam simulationem in verbis non habemus; *sed sicut probati*, id est probi habiti sumus *a Deo ut crederetur*, id est committeretur *nobis Evangelium, ita loquimur*, hoc est : sicut illi quos approbavit et elegit non per errorem, vel per immunditiam, vel per dolum, sed per veritatem fidei et munditiam vitæ ac simplicitatem cordis : sic prædicamus aliis Evangelium, *non quasi hominibus placentes*, id est non sicut illi qui favorem hominum appetunt, *sed Deo* placere studentes, *qui probat*, id est scrutatur et inspicit *corda nostra* et cogitationum secreta. Ipse enim qui occulta cordium rimatur, novit quia non hominibus, sed illi placere quærimus. Et si hominibus placere quærimus, hoc non propter nos, sed propter ipsorum salutem agimus.

« Neque enim aliquando sumus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiæ, « Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possemus oneri vobis esse, ut Christi apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si « nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos « cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam « charissimi nobis facti estis. »

Vere non sumus ex prædicatione quærentes placere hominibus, sed Deo; *neque enim fuimus aliquando*, id est unquam *in sermone adulationis*, ut per adulatoria verba placeremus hominibus, palpando vitia eorum sive laudando, *sicut scitis; neque* fuimus *in occasione avaritiæ*, id est non prædicavimus ea intentione vel occasione, ut res vestras nobis congregaremus, et inde nobis *Deus est testis*, qui novit arcana pectoris; *nec* fuimus aliquando *quærentes ab hominibus gloriam*; et hoc ostendo per partes hominum, quia *neque a vobis, neque ab aliis*. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit. Quia, etsi cuiquam facile est laudem non cupere dum negatur, difficile tamen est in ea non delectari cum offertur. Justus autem quisque aut tantum temporalem gloriam non habet, aut hanc sub semetipso frangit, si habet, ut honori suo liber emineat, nec ei victus delectatione succumbat. A vobis, inquam, non quæsivimus aliquid terrenum, *cum tamen possemus vobis oneri esse*, id est vos gravare exigendo a vobis stipendia, ut cæteri *apostoli Christi* exigunt vel accipiunt ab auditoribus suis. Nos nec rebus vestris pasci, nec laudibus vestris magnificari quæsivimus; sed facti *sumus parvuli in medio vestrum*, id est apostolatus nostri gloriam ante oculos vestros humiliavimus, et magnitudinem nostri sensus ad parvitatem vestræ capacitatis inclinavimus, *tanquam si nutrix foveat filios suos*, quæ sedet in terra, et tenet in gremio filios ac lacte nutrit, et blandiens consolatur, atque balbutiendo informat ad loquendum. Sic enim propter vos humiliati sumus, et materno affectu vos in sinu pietatis patienter fovendo portavimus, et lacte inchoationis potavimus, atque blanditiis promissorum cœlestium vos consolati sumus, et de humanitate Christi vobis quasi balbutivimus, ut ad loquendum verbum divinitatis ejus vos instrueremus. Sunt nutrices foventes quidem, sed non filios suos. Et item sunt matres nutricibus dantes, non foventes filios suos. Apostolus vero germano et pingui affectu charitatis et nutricis personam suscipere videtur, dicendo *foveat*, et matris, addendo *filios suos*. Et nutrici ergo se comparavit, quia alebat; et filios suos addidit, quia pepererat, dicens : « Filioli mei, quos iterum parturio (*Galat.* IV). » Assimilati, inquit, sumus nutrici proprios natos alenti, quia *ita desiderantes vos cupide*, sicut nutrix desiderat filios suos, *volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras*, id est non solum prædicationem veritatis, sed etiam totam vitam nostram expendere in salute vestra, et hoc ideo, *quia facti estis charissimi nobis*, propter meritum vestræ sanctitatis, quam ab exordio vestræ conversionis protinus arripuistis.

« Memores enim estis, fratres, laboris nostri et « fatigationis : nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte « et juste et sine querela vobis qui credidistis, fuimus; sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum « tanquam pater filios suos, deprecantes vos et consolantes testificati sumus, ut ambularetis digne « Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. « Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, « quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus « Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, « sed sicut est vere verbum Dei, quia operatur in « vobis, qui credidistis in ipsum. »

Vere facti sumus parvuli vobis ut nutrix, quia humiliati sumus in labore, sicut nostis. Vel ita : Vere animas nostras parati eramus tradere vobis, sicut effectus operum nostrorum indicabat, quia incessanter laborabamus pro utilitate vestra, quemadmodum recordamini. *Memores enim estis, o fratres, laboris nostri*, quem apud vos habuimus, *et fatigationis*. Est plerumque labor sine fatigatione, sed labor noster non fuit talis, et non fuit levis et momentaneus, sed gravis et continuus. Assidue enim et in prædicatione, et in manuum opere laboravimus, et ideo præ nimietate jugis laboris fatigabamur, nec tamen deficiebamus. Nam *nocte et die operantes* manibus nostris, unde victum haberemus, *ne quem vestrum*, id est ex vobis *gravaremus*, accipientes ab eo stipendium, *prædicavimus in vobis Evangelium Dei*, ut exemplo nostro vos informaremus ad laborandum manibus propriis unde vivatis et indigentibus ministretis, atque falsos apostolos ventri servientes repellatis. Nam *vos estis testes* nobis et ipse Deus, qui novit omnia, *quam sancte*, quantum ad puritatem mundissimæ conversationis, fuerimus vobis; et quam *juste*, quantum ad æquitatem erga proximos servandam, faciendo debita; et

Digitized by Google

quam *sine querela*, id est quam innocenter et irreprehensibiliter *vobis fuimus qui credidistis*, quia nihil fecimus vobis, unde possetis conqueri de nobis; *sicut scitis*, vel sine querela fuimus vobis, quia nunquam questi sumus de vobis, dum imbecillitatem vestram portaremus. Taliter fuimus conversantes vobis, id est ad utilitatem vestram. Sicut scitis, id est ita hæc scitis, sicut et alia quæ subjungimus, scilicet *qualiter*, monebamus amicabiliter *unumquemque vestrum* tanto affectu, *tanquam si pater filios suos* instruat; nos dico, *deprecantes vos*, ut in melius proficeretis, *et consolantes* in tribulationibus, ne deficeretis. Et hæc facientes, *testificati sumus*, id est sub testimonio divinæ majestatis vel sanctorum vos adjuravimus, *ut ambularetis* in via recta, proficiendo et ad cœlestem patriam tendendo ambularetis, inquam, *digne Deo*, id est per viam quæ esset digna perducere ad Deum, vel sicut dignum est electos Dei ambulare, *qui vocavit vos in regnum suum et gloriam*, ut per iter virtutum festinetis ad eum, quatenus in regno ejus et in gloria ejus perenniter cum eo maneatis. Vel in regnum suum, id est in præsentem Ecclesiam vos vocavit, et post in gloriam suam, id est in angelorum societatem. Et quia vos ad tantam beatitudinem vocavit, vosque libenter sequi vocantem cœpistis, ideo non solum vos, sed *et nos agimus sine intermissione gratias Deo*, qui hoc fecit in vobis per gratiam suæ aspirationis, *quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei*, id est Evangelium, in quo audistis notitiam Dei, *accepistis illud non ut verbum hominum*, id est non inutiliter et negligenter, sicut verba hominum solent accipi, vel non ut verbum hominum, id est quasi a sapientibus esset, *sed sicut est vere verbum Dei*, id est ita reverenter et honorifice, sicut illud quod revera locutus est Deus. Quod effectus indicat, quia ipse Deus *operatur* quotidie bona opera *in vobis, qui credidistis*, tendentes *in ipsum* per fidem et desideria. *Gratias*, inquit, *agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis*, etc. Quid est quod hic Deo gratias agit? Nempe vanum est atque inane, si cui gratias agit pro hoc quod ipse non fecit. Sed quia hoc vanum et inane non est, profecto Deus, cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut qui percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei. Dicit igitur : Operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, ut non inaniter audiant Evangelium, sed eo audito convertantur et credant, excipientes non ut verbum hominum, sed ut verbum Dei sicut et vere est. Hucusque multa dixit contra pseudoapostolos, significans in eis esse cuncta vitia, quæ in se et sociis suis esse denegavit, ac deesse illis omnia virtutum bona, quæ in se et comitibus suis esse demonstravit. Jam vero ne Thessalonicenses pro sua vel apostolorum tribulatione moveantur, subjungit.

« Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis. Qui et Dominum occiderunt Jesum et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper. Pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. »

Contra falsos apostolos latenter fuerat locutus ut eos non susciperent, nunc contra Judæos manifeste loquitur, ut eos non metuant. Vere, inquit, in ipsum credidistis, quia *vos estis facti imitatores Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa*, id est in terra Judæorum, *in Christo Jesu*, id est in instructione ipsius Christi. In hoc estis imitatores, *quia eadem passi estis et vos*, quæ passæ sunt et illæ ecclesiæ. Passi, inquam, estis *a contribulibus vestris*, id est ab illis, de quorum tribubus originem ducebatis, *sicut et ipsi a Judæis*. Cives enim et amici vel consanguinei vestri vos persecuti sunt, sicut et illos sui. Nec mirum si Judæi more suo fideles persequuntur, *qui et ipsum Salvatorem Dominum Jesum occiderunt* et prophetas antea, qui prænuntiabant eum; et nos apostolos postea *persecuti sunt*, qui prænuntiabamus illis eum advenisse (*Act.* VII); et ideo ne miremini, sed patienter sustinete, si et vos persequuntur, qui semper persecuti sunt, et licet æmulatione legis hæc facere videantur, *Deo tamen non placent*, cujus gratiam impugnant. Nec tantum Deo rebelles sunt, sed *et omnibus hominibus*, id est saluti omnium hominum *adversantur, prohibentes*, inquantum prævalent, *nos loqui*, id est ne loquamur verbum Dei *gentibus ut credant et salvæ fiant;* et ita hostes sunt omnibus, dum conantur facere ut verbum salutis per nos ad neminem veniat, sed omnes in perditione relinquantur. Et hoc ex more faciunt, *ut impleant sua peccata semper*, id est peccata peccatis incessanter accumulent usque ad consummatam plenitudinem, quando pro his mittentur in gehennam (*Matth.* XXIII). Ideo autem semper peccata sua implent, quia ira Dei, ut excæcarentur, pervenit super illos, id est jam olim effusa est super corda illorum, ex quo reprobaverunt Salvatorem qui missus eis fuerat. Quando enim patres eorum dixerunt : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII), » tunc pervenit ira Dei super illos, et durabit usque in finem, quando, prædicante Elia, recipient gratiam. Vel ita : Ut impleant peccata sua semper. Quadraginta enim annos post passionem Domini dodit Deus Judæis ad pœnitentiam : illis transactis, cum credere nollent, completa sunt peccata eorum, ut pro his perire deberent. Quando autem hoc dixit Apostolus, stabat Jerusalem, nec erant peccata eorum adhuc completa, sed completa sunt, venientibus Romanis, unde subdit : *Pervenit enim*, id est antequam resipiscerent venit, antequam putarent venit *ira Dei super illos*, opprimens eos. Ira Dei est ultio quæ per Romanos facta est, quæ

Digitized by Google

ira perdurat super illos captivos *usque in finem* sæculi, vel hæc temporalis ira idcirco dicitur pervenisse super illos captivos, quia sequitur æterna, cum sine fine post hanc vitam puniuntur in inferno. Pervenit ira præsentis ultionis, perdurans super illos usque in finem ; sequitur ira futuræ damnationis, perdurans sine fine.

« Nos autem, fratres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus et semel et iterum, sed impedivit nos Satanas. Quæ est enim nostra spes aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium. »

Vos multa passi estis a civibus vestris, sed *nos, o fratres, desolati*, id est sine consolatione facti sumus *a vobis*. Desolatos non fecistis tristitia quam habuimus de tribulationibus vestris, antequam sciremus constantiam fidei vestræ. Desolati sumus *ad tempus horæ* quoniam horaria, et non diuturna fuit vel erit hæc nostra desolatio. Desolati, inquam, sumus ore, quia non possumus vobis præsentialiter loqui; et *aspectu*, quia non videmus faciem vestram; *non corde*, quia cor nostrum vos semper intuetur et est vobiscum. Os et aspectus cessat, sed cor et sollicitudo non quiescit. Nos ita desolati, *festinavimus abundantius*, id est multo magis acceleravimus videre faciem vestram, ne sit immutata, id est ne forte defeceritis in tribulationibus, quas passi estis a civibus vestris. Festinavimus, inquam, videre faciem vestram, id est vos videre facie ad faciem, videre præsentiam vestram, *cum multo desiderio* exhortandi vos, et ad constantiam perseverantiæ festinavimus quidem, sed quod festinabamus implere nequivimus. *Quoniam voluimus* quidem omnes *venire ad vos*, sed non potuimus; *ego quidem Paulus*, qui plus aliis curro et devotior sum, volui *et semel et iterum* ad vos venire, sed non potui, *quia impedivit nos Satanas*, qui interpretatur *adversarius*, id est diabolus, qui saluti semper hominum adversatur, opposuit nobis impedimenta. Ideo magis evigilate adversus insidias ejus, ne et iter vestrum, per quod ad cœlestem patriam tenditis, impediat. Nequaquam per semetipsum Satanas præpedire vias tanti Apostoli potuit, sed occultæ dispensationis nutibus dum adversaretur, nesciens deservivit, ut nimirum Paulus ad alios vellet accedere nec valeret, eis a quibus recedere non poterat prodesset. Ideo, inquit, voluimus ad vos venire, et ideo Satanas obstitit, quia *quæ est spes nostra* nisi vos? id est pro qua re nunc speramus quod in futuro mercedem accepturi sumus, nisi pro vobis? *aut quod est gaudium nostrum*? id est unde nunc et in futuro gaudemus, nisi de sanctitate vestra? aut quæ est nostra *corona gloriæ*, quæ victoribus dabitur, nisi vos? *Nonne vos* nobis hoc *estis ante Dominum nostrum Jesum Christum*, id est ante tribunal summi judicis *in adventu ejus*? Quia ante justum judicem nimirum gloriam tunc inveniemus, quam nunc in vestris moribus studio prædicationis exquirimus, et propter bonam conversationem vestram nostro labore præparatam coronabimur. Vere tunc eritis nobis corona gloriæ, quia et modo *estis vos gloria nostra apud ecclesias, et gaudium* apud nos. Gloriamur enim apud alios de profectu vestræ fidei et sanctitatis, et gaudemus in cordibus nostris. Sed et in futuro sæculo eritis nobis æterna gloria et perenne gaudium.

CAPUT III.

« Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solos, et misimus Timotheum, fratrem nostrum et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. »

Dixi quia desolati sumus a vobis, qui estis gloria nostra. *Propter quod* ego et Silvanus *non sustinentes amplius*, quia grave pondus erat nobis, dum nesciremus quid ageretis, *placuit nobis* duobus *remanere solos Athenis, et misimus* ad vos Timotheum, qui vos in proposito vestro confirmaret, et nobis certitudinem de vobis referret. Non modo cum hac epistola miserunt eum, sed antea. Alioquin non cum eis salutasset eos in postremo. Misimus Timotheum, qui veraciter suscipiendus est et audiendus, quia est frater noster, id est habens partem in cœlis nobiscum, et est minister Dei in Evangelio, id est ministrans fidelibus ea quæ Dei sunt in prædicatione Evangelii. Hunc misimus *ad confirmandos vos*, ut in his staretis in quibus eratis, *et exhortandos*, ut ad meliora proficeretis. Misimus eum confortare vos et exhortari *pro fide vestra* tenenda et defendenda, *ut nemo* vestrum moveatur a constantia sinceræ fidei *in tribulationibus istis*, quas et nos et vos ad tempus in exsilio præsentis sæculi toleramus. Nec debetis in his ab intentione vestra moveri, quia vos ipsi scitis quod in hoc positi sumus, ut adversa temporaliter sustineamus. Hinc est quod per Jeremiam de antiquo hoste dicit electorum populus : « Posuit me quasi signum ad sagittam (*Thren.* III). » Fidelis enim populus quasi signum ad sagittam hosti suo est positus, quia semper velut sagittis impetitur, dum ejus persecutionibus affligitur. Qui enim in hac vita assidua mala tolerat, quasi in signum positus, sagittas suscipit ferientis. Unde nunc recte prædicator egregius cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutore de adversario gemeret, teneram discipulorum mentem suis afflictionibus consolans ait : *Ipsi enim scitis*

Digitized by Google

quod in hoc positi sumus. Ac si aperte dicat : Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini, qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus ut feriamur? Hoc, inquit, scitis. *Nam* non tantum absentes hoc dicimus, sed *et cum essemus præsentes apud vos, prædicebamus* et prænuntiabamus *vobis passuros nos tribulationes*, id est quia tribulationes passuri eramus, *sicut et factum est* postea, *et vos ipsi scitis*, quia experimento in vobisipsis hoc probatis. Et sicut nos præscivimus tribulationes nos fore passuros, nec fugimus, ita vos qui scitis quod in hoc positi sumus, nolite moveri, sed immobiles in proposito vestro perdurate, patienter omnia tolerantes. Et quia nos prædictas tribulationes jam passi sumus, *propterea* ne vos pro nostris tribulationibus terremini, etiam misi ad vos, *ego amplius non sustinens* me esse incertum de vobis, quia incertus formidabam tribulationes nostras fore causas defectus vestræ fidei, misi Timotheum non modo cum hac epistola, sed prius *ad cognoscendam fidem vestram*, id est ut cognosceret et renuntiaret mihi si permaneretis in fide, et si ipsa fides vestra esset fortis an infirma, *ne forte tentaverit vos* et tentando superaverit *is qui tentat*, id est deceptor antiquus, cujus officium est tentare homines et seducere. « Deus autem intentator malorum (*Jacob.* I)» tentamentorum est, ipse enim neminem tentat, secundum eam scilicet tentationem, quæ deceptionis vel seductionis est. Secundum vero eam tentationem quæ probationis est, tentavit Deus Abraham (*Gen.* XXII). Sed ego timui ne vos tentaret is deceptor, qui tentat ad decipiendum; *et inanis*, id est infructuosus *fiat in vobis labor noster*, quem pro vobis pertulimus, nec est ne deceptori succumberetis, et non prodesset vobis quidquid in conversione et eruditione vestra laboravimus.

« Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, « et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram, « et quia memoriam nostri habetis bonam, semper « desiderantes nos videre, sicut nos quoque vos, « ideo consolati sumus, fratres, in vobis, in omni « necessitate et tribulatione nostra per fidem ves- « tram, quoniam nunc vivimus, si vos statis in « Domino. Quam enim gratiarum actionem possu- « mus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, « quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, « nocte ac die abundantius orantes, ut videamus « faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt « fidei vestræ? Ipse autem Deus et Pater noster et « Dominus Jesus Christus dirigat viam nostram ad « vos. Vos autem Dominus multiplicet, et abun- « dare faciat charitate in invicem et in omnes, quem- « admodum et nos in vos ad confirmanda corda « vestra sine querela in sanctitate ante Deum et « Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu « Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen. »

Priusquam sciremus quid ageretis, desolati fuimus a vobis. Sed nunc, revertente Timotheo, quem ad vos miseramus, et renuntiante bona de vobis, consolati sumus. *Nunc autem, veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram*, id est referente nobis quia inter adversa bene permanetis in fide, nec deseruistis charitatem, qua Deum et proximos vel etiam inimicos diligitis, et referente *quia memoriam nostri bonam habetis*, id est nostri memores estis, et nihil nisi bonum de nobis cogitatis, *semper optantes nos videre, sicut et nos quoque* desideramus *vos* cernere, *ideo* quia hoc de vobis audivimus, *consolati sumus, fratres, in vobis*, qui prius eramus desolati. Consolati, inquam, sumus *per fidem vestram*, id est constantia fidei vestræ est causa ut nos consolationem habeamus *in omni necessitate*, id est penuria, quam patimur in victu et vestitu, *et* in omni *tribulatione*, quæ nobis exterius ab adversariis infertur. Et vere consolati sumus *quoniam nunc* in hac miseria *vivimus* quasi jam in cœlo essemus, et quasi jam nos a mortuis resuscitatos æstimamus, *si vos statis*, id est si statum rectitudinis perseveranter *in Domino* tenetis. Nolo stetis in nobis, sed in Domino, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (*I Cor.* III). O quam mollia viscera gestabat Apostolus, quando circa filios suos tanto æstu amoris inhiabat, ut diceret : *Nunc vivimus, si vos statis in Domino.* Metuebat nimis, ne ejus discipuli in prædicatore suo tot persecutionum probra cernentes, fidem in eo despicerent, contra quam imminentes passionum contumeliæ prævalerent. Et idcirco nimis dolebat in tormentis, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebat; parvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendo suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus charitatis fuit filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, inter dolores proprios aliis timuisse, et statum mentis in primis etiam ex sua dejectione custodire. Qui securus erat de mercede sua, etsi discipuli caderent, et tamen velut si in casu illorum mercedem laboris sui perderet, in statu ipsorum dixit se vivere, id est vitæ præmium habere. Nolebat enim vivere illis cadentibus, sed illis stantibus in Domino, ut fructus ejus esset illis integer, et merces ejus apud Deum plena gaudiorum. Consolati, inquit, sumus per fidem vestram, nam Deo non possumus dignas grates ex hoc reddere. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis* bene stantibus, positi *in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum*, cujus oculis manifesta sunt occulta cordium? Non enim ante homines est gaudium nostrum, quia foris apparemus quasi tristes propter adversa quibus circumdamur, sed intus ante Dominum gaudemus semper de profectu vestro. Nec tantum agimus illi pro vobis quantascunque gratias possumus, sed et *nocte ac die* sumus *abundantius orantes, ut* veniamus ad vos et *videamus faciem vestram*, atque ore ad os vobis loquamur, *et compleamus ea quæ*

Digitized by Google

desunt fidei vestræ, quæ olim non potuimus complere, quia eratis parvuli, et quia longo tempore vobiscum manere nequivimus. Quia ergo fidem firmiter, qui jam adhuc totam perfecte non didicistis, retinere inter adversa studuistis, ideo cupimus ad vos pervenire, et ea quæ desunt vestræ fidei supplere. Ex hoc loco apparet, quia quod superius ait, « ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui (*supra* 1), » non idcirco dixit quod ipsi jam omnia fidei mysteria sufficienter scirent, sed ut diximus, propterea hoc dicit, quia non erat necesse ut ipse de illis quidquam loqueretur aliis, cum illos fama procul celebraret. Nos, inquit, oramus faciem vestram videre, et fidem vestram ad plenum instruere, sed Deus faciat quod oramus. *Ipse autem Deus*, Creator noster, qui potest, *et Pater noster* cœlestis, qui vult bonum, et paterno affectu nos diligit ac regit, *et Dominus Jesus Christus*, qui nos ab hoste redemit, et suo dominio mancipavit, *dirigat*, id est directam, ab impedimentis liberam faciat *viam nostram ad vos*. Sed vos Dominus, id est Spiritus sanctus, *multiplicet* in numero fidelium, *et abundare vos faciat charitate in invicem*, id est inter vos vicissim, *et in omnes*, et in eos qui vobis adversantur, et hoc faciat ita perfecte, *quemadmodum et nos* abundare fecit charitate *in vos*. Et istam charitatis abundantiam det vobis *ad confirmanda corda vestra*, id est ad hoc ut per ipsam dilectionem confirmentur corda vestra *in sanctitate*, id est in omni puritate atque munditia, et bonorum actuum observatione, *sine querela*, id est sine crimine, ut sitis tam innocentes, ut nemo de vobis possit jure conqueri. Et tales sitis *ante Deum*, id est in oculis Dei, qui veritatem inspicit, nec latet eum aliquid. Sunt enim qui sancti videntur coram hominibus, sed non coram Deo (*Matth.* XXIII). Vos autem estote veraciter sancti et sine querela, id est irreprehensibiles ante oculos Dei, qui vos cernit et creavit, et Patris qui nos adoptavit. Tales esse studete ante Deum *et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus sanctis ejus*, id est quando Dominus Jesus veniet ad judicium cum omnibus sanctis suis. Qualis enim quisque præsentem vitam finierit, talis in die judicii apparebit. Illi autem non sine querela esse apparebunt, de quibus judex queretur, dicens : « Esurivi, et non dedistis mihi manducare (*Matth.* XXV). » Vel, cum omnibus sanctis agite quæ dixi, quia sic agunt omnes sancti. Ad confirmationem omnium quæ præmissa sunt, subjungitur : *Amen*, quod interpretatur *vere* vel *fideliter*.

CAPUT IV.

« De cætero ergo, fratres, rogamus vos et obse-
« cramus in Domino Jesu, ut quemadmodum acce-
« pistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et
« placere Deo, sicut et ambulatis, ut abundetis ma-
« gis. »

Hactenus patientiam illam in sua vel aliorum tribulatione suasit, nunc eos in bonis actibus proficere admonet; et quales vel in seipsis, vel erga fratres esse debeant, docet. Magis tamen congruunt perfectis superiora, in quibus multifarie patientiam suasit; et sequentia magis aptantur imperfectis, ubi munditia et innocentia suadetur. Quia, inquit, hucusque bene vixistis, quemadmodum superius demonstratum est, *ergo de cætero* quod superest, vivendi spatio, rogamus ut illud ita ducatis, ut in bonis operibus magis abundetis, et hoc est : de cætero quod restat, *rogamus vos, fratres, et obsecramus*, id est per sacra adjuramus *in Domino Jesu, ut* sicut eum timetis et amatis, ita propter reverentiam et amorem ejus quod obsecramus, faciatis. Obsecramus *ut quemadmodum accepistis a nobis*, id est sicut didicistis ex doctrina nostra *quomodo oporteat vos ambulare* si vultis ad patriam pervenire, id est quomodo per viam justitiæ debetis incedere, et in omnibus *Deo placere, sicut et ambulatis*, quia quod vobis de hac ambulatione tradidimus, mox agere cœpistis; obsecramus, inquam, *ut abundetis magis* in hac bonorum operum ambulatione, id est amodo propensius quam antea tendatis ad cœlestem patriam per exsecutionem mandatorum Dei. Vel secundum alios codices obsecramus, ut quemadmodum accepistis a nobis, quo modo vos oporteat ambulare, et in ipsa ambulatione Deo placere, sic et ambuletis, de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII) proficiendo ac perseverando, ita ut abundetis magis ac magis quotidie.

« Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per
« Dominum Jesum, hæc est enim voluntas Dei, san-
« ctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione,
« ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere
« in sanctificatione et honore, non in passione de-
« siderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum. Et ne
« quis supergrediatur, neque circumveniat in ne
« gotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus
« de his omnibus, sicut prædiximus vobis et testi-
« ficati sumus. Non enim vocavit nos Deus in im-
« munditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui
« hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum,
« qui et dedit Spiritum suum sanctum in nobis. »

Propterea moneo ambulare sicut accepistis a nobis, quia *vos scitis quæ præcepta* ambulandi et recte vivendi *dederim vobis* ferenda et commendanda, idque non per me, sed *per Dominum Jesum*. Et licet sciatis, tamen ex parte replicabo. Nam *hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, quæ vobis prodest, non ipsi*, id est hoc vult Deus, et exigit a vobis, ut sanctificemini, *ut abstineatis vos a fornicatione*, id est ab omni illicito concubitu, ne tollentes membra Christi, faciatis membra meretricis (*I Cor.* VI). Vel, hæc est voluntas Dei et sanctificatio vestra, ut abstineatis vos longe remoti a fornicatione, quia dum vos abstinetis ab immundo opere, sanctificatur in vobis corpus et anima castitate. Ita vos abstineatis a fornicatione, *ut unusquisque vestrum sciat possidere*, et dominio mentis subditum tenere *suum vas*, id est suum corpus quod est vas animæ. Ille enim

Digitized by Google

possidere suum vas dicitur, qui in potestate sua suum corpus tenet, ut non serviat mens desideriis carnis, sed caro rectis voluntatibus mentis. Ita sciat unusquisque vestrum suum vas possidere, *in sanctificatione*, id est mundissima purificatione; *et honore*, ne inhonoretur opprobrio turpitudinis. Ex continentia enim fornicationis nascitur sanctificatio castitatis, et inde est honor apud homines. Nam etiam in hoc sæculo honoratur, qui mundam et castam vitam ducit; sicut econtra qui seipsum qualibet fornicatione contaminat, infamis et ignominiosus habetur. Ita possidete vestra vasa in sanctificatione et honore, *non in passione desiderii*, id est quando peccatum desideratur, et non perficitur, non in passione desiderii, id est nec saltem fornicandi desiderium habeatis, quod est passio et læsio animæ. Passio enim desiderii est, ut non patiamini interius incentiva carnis, quæ procedant ex desiderio vestro. Non præcipio ut non patiamini incentiva carnis, quia hoc est inevitabile, sed videte ut non procedant ex desiderio vestro, id est ne præmeditando concupiscatis aliquem illicitum concubitum, ut non postea patiamini intrinsecus desiderium, et subjiciamini pravis suggestionibus a desiderio ortis *sicut et gentes*, id est gentiles faciunt, de quibus non est mirandum; nec vos debetis esse similes eis, quia *ignorant Deum*, et ideo sine respectu divinæ formidinis aut reverentiæ coeunt nefarie, non solum cum quibuslibet mulieribus, sed etiam cum pecudibus. Et hæc est voluntas Dei, *ne quis ex vobis supergrediatur in negotio*, id est mercatione *fratrem suum*, id est alium Christianum, ut mercaturam centum solidorum extorqueat ab eo pro quolibet minore pretio; *neque circumveniet*, id est neque fraudulenter decipiat, ostendens illi congeriem pannorum exterius valde pulchram et quasi magni pretii, cum sit interius vilis; aut æs deauratum vendens illi pro auro, vel his similia faciens. Supergressio enim est, ubi pro minore pretio illud quod majoris pretii est, elicitur; circumventio autem, ubi per dolum frater in ipsa venditione vel emptione decipitur. Sed vos ab his vitiis, id est a fornicatione et a passione desiderii atque supergressione et circumventione fratris, idcirco vos continete *quoniam vindex est Dominus de his omnibus*, id est ipse punit hæc omnia in suo judicio, videlicet non solum opus fornicationis, sed et desiderium illiciti operis, atque iniquitatem non justæ mercationis. Ipse de his omnibus ultionem sumet, *sicut prædiximus*, id est sicut ante judicium denuntiavimus *vobis*, cum essemus apud vos, *et testificati sumus*, id est testimoniis Scripturarum probavimus. Vel testificati sumus, id est testes divini judicii fortiter hæc asseruimus. Ideo etiam ab his est abstinendum, quia *non vocavit nos Deus in immunditiam*, id est ut immundam et sordidam vitam duceremus; *sed in sanctificationem*, id est ut incontaminatissimam atque mundissimam et virtutibus plenam duceremus conversationem. Unde et per legem clamat : « Sancti eritis, quia ego sanctus sum (*Lev.* XI, XIX, XX; *I Petr.* I). » Et quia Dei voluntas est sanctificatio vestra, quæ tenenda est eo ordine quo subjunximus, nec vocavit nos Deus ut immunde viveremus, sed sancte; *itaque qui hæc spernit*, quæ nunc de sanctitate et munditia servanda diximus, et de vitiis exstirpandis, *non hominem spernit, sed Deum*, id est non me spernit, sed Deum, cujus præcepta loquor, et cujus voluntatem annuntio; *qui et dedit in nobis*, id est in cordibus nostris *Spiritum suum sanctum*, ut omnia per spiritum ejus loqueremur et faceremus; et ideo qui dicta nostra quasi verba hominum spernit, Spiritum sanctum per quem omnia loquimur spernit, et Deum cujus est ille spiritus (*Luc.* X). Erant inter Thessalonicenses nonnulli in supradictis vitiis manentes, et Apostoli verba spernentes; propter quos ita loquitur, ostendens quia contemptus apostolicorum præceptorum in Deum potius refunderetur non in Apostolum.

« De charitate autem fraternitatis non necesse « habemus scribere vobis. Ipsi enim vos a Deo di- « dicistis, ut diligatis invicem (*Joan.* XIII, 15; « *I Joan.* XXIV). Etenim illud facitis in omnes fra- « tres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, « fratres, ut abundetis magis, et operam detis, ut « quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et ope- « remini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, « et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et « nullius aliquid desideretis. »

De supradictis fuit opus scribere vobis, quia quidam vestrum sunt culpabiles in illis, sed *de charitate fraternitatis*, id est de dilectione qua fratres amare debetis, *non habemus necesse scribere vobis*, id est non est necessarium nobis ut per epistolam vos instruamus. Vere non habemus hoc necesse. Nam *vos ipsi didicistis a Deo*, id est docti estis ab Evangelio Dei, *ut vos invicem diligatis*, quia Christum dicentem audistis : « Hoc mando vobis, ut diligatis invicem (*Joan.* XIII, XV). » Vel per internam aspirationem didicistis hoc a Deo, quia Spiritus sanctus mox ut cor hominis repleverit, addere illud charitate facit; nec potest unquam discere charitatem, qui Spiritum sanctum non habet intus docentem. Vos hoc didicistis, sicut effectu declaratis. Nam *facitis illud in omnes fratres*, id est diligitis omnes Christianos, et operibus charitatis vos ostenditis illos diligere, non solum in urbe vestra, sed et *in universa Macedonia*, vos illud facitis; id est fratres diligitis; sed tamen *rogamus vos, fratres, ut abundetis magis*, in dilectione fratrum, id est adhuc abundantiorem erga fratres studeatis habere charitatem, *et operam detis ut quieti sitis* a curiositate, quæ non sinit cor curiosi esse quietum. *Operam detis*. Quasi diceretur : Difficile est dimittere consuetudinem, sed cogite vos. Studete ne curiositas vastet quietem vestræ mentis ut antea. Quæ scilicet curiositas, cum alienam quærit vitam discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare. Grave namque est curiositatis vitium, quæ

Digitized by Google

dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciat. Et curiosi animus quanto magis peritus fuerit alieni meriti, tanto fit magis ignarus sui. Ideoque quietem habere non potest, dum semper laborat aliorum vitam inutiliter scire; et sæpe vagatur per diversa loca, ut discere possit aliena facta. Sed vos satagite ut quieti sitis, *et ut vestrum negotium agatis*, id est unusquisque officium quod ad se pertinet, dimissis alienis, quia vobis est utile in emendatione vitæ vestræ sic agere, *et operemini manibus vestris*, unde victum habeatis, et unde beneficia tribuatis, *sicut præcepimus vobis* dum præsentes essemus, quia et opus manuum adjuvat quietos esse. Illud enim malum ex otio venit. Hinc est quod Scriptura dicit, « quia multum malitiam docuit otiositas (*Eccli.* XXXIII), » et date operam *ut honeste ambuletis*, id est irreprehensibiliter agatis *ad eos, qui foris sunt*, id est coram infidelibus qui sunt extra Ecclesiam, ut exemplo vestræ honestatis convertantur ad honestos mores et ad fidem. Non ergo sectandum est otium, sed opus faciendum, quia honestum est, et quasi lux ad infideles, et adhuc date operam, ut *nullius aliquid*, id est nullam rem cujuscunque fidelis *desideretis*, nedum rogetis vel tollatis; sed sufficiat vobis quod habetis, vel ex justo labore vestro quod vobis deest, acquiratis. Qui enim in otio vivit, res aliorum concupiscit. Idcirco abjicite otium, ut vincatis alienarum rerum appetitum.

« Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dor- C « mientibus, ut non contristemini sicut et cæteri, « qui spem non habent. Si enim credimus quod Je- « sus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, « qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. »

Quia quidam illorum inconsiderabiliter deflebant suos amicos mortuos, quasi non amplius resurrecturos, docet eos revera futuram omnium resurrectionem, et ideo non debere eos immoderate contristari de morte suorum. Quasi dicat : De charitate non indigebatis a nobis doceri, sed de resurrectione mortuorum indigetis. Et ideo, *fratres, nolumus vos ignorare*, id est nolumus ut ignoretis, sed volumus ut sciatis quæ scienda sunt *de dormientibus*, id est de mortuis, qui quasi de somno facile surgent, et integro corpore. Sicut enim citius homo a somno evigilat, ita concitæ ad conditoris nutum a morte corporis surgent. Ideo nolumus vos hæc ignorare, *ut non contristemini* de morte charorum vestrorum, *sicut et cæteri*, id est infideles contristantur de morte suorum, *qui spem non habent*, spem scilicet resurrectionis et incorruptionis æternæ. Nam et ideo etiam dormientes eos appellat scripturæ veracissima consuetudo, ut cum dormientes audierimus, evigilaturos non dubitemus. Unde et in psalmo dicitur : « Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat? (*Psal.* XL.) » Vehementer enim ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Est autem de mortuis qui diligun- A tur, quædam tristitia quodammodo naturalis. Mortem quippe horret non opinio, sed natura; nec mors homini accidet, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt ut suo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt et vitam diligunt, quanto magis homo qui sic fuerat creatus ut, si sine peccato vivere vellet, sine termino viveret! Itaque necesse est ut tristes simus, quando moriendo nos deserunt quos amamus, quia, etsi novimus eos non in æternum nos relinquere hic manentes, sed aliquantum præcedere secuturos, tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus ut non contristemur, sed ut non contristemur sicut et cæ- B teri qui spem non habent. Contristamur ergo in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur; inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. Permittantur itaque pia corda charorum de suorum dolere mortibus tristitia sanabili, et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas tamen reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, aliquantulum a nobis abire et ad meliora transire. Vere, inquit, non debetis inconsolabiliter contristari, sicut infideles, de morte charorum vestrorum, quasi non sint amplius victuri et vobiscum futuri, quia *si credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita* pro certo credere debemus, quia et Deus eos qui dormierunt per Jesum, id est mortui sunt in Christo, *adducet cum eo* ad judicium in die resurrectionis omnium, ut cum Christo judicent mundum et regnent. Unde et Zacharias ait : « Et veniet Dominus Deus meus, et omnes sancti cum eo (*Zach.* XIV).» Vel per Jesum mediatorem adducet eos Deus cum eo, quia quod resurgent, et quod cum Christo judices venient, hoc non nisi per Christum a Deo Patre accipient. *Si credimus*, inquit, *quod Jesus mortuus est*, etc. Quid est quod prædicator egregius mortem Domini, mortem vocat: mortem vero servorum Domini, non mortem, sed somnum nominat, nisi quia infima corda audientium respiciens, medicamentum prædicationis D suæ mira arte apponit; et illum quem jam resurrexisse noverant, eis mortuum insinuare non dubitat, eos vero qui necdum resurrexerant, ut spem resurrectionis insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat? Non enim verebatur dicere mortuum, quem auditores jam resurrexisse cognoverant; et verebatur dicere mortuos, quos resurrecturos vix credebant.

« Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia « nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu « Domini non præveniemus eos qui dormierunt « (*I Cor.* XV). Quoniam ipse Dominus in jussu et in « voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de « cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent « primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinqui-

Digitized by Google

« mur, simul rapiemur cum illis in nubibus ob- A
« viam Christo in aera, et sic semper cum Domino
« erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis. »

Vere illi qui nunc in mortis somno dormiunt, venient vivi cum Christo. Nam *hoc dicimus vobis* non in nostro, sed *in Domini verbo*, quia non noster, sed Domini est sermo, quem de hac re vobis loquimur, quoniam, ipso docente ac jubente, vel per os nostrum loquente, loquimur vobis talia. Hoc scilicet dicimus, quia nos qui tunc temporis in carne *vivimus*, *qui residui sumus*, omnibus præcedentibus sanctis, id est quorum vita tunc est adhuc in corpore residua, *non præveniemus in adventu Domini eos qui dormierunt*, id est non anticipabimus eos qui longe ante mortui fuerant, ut primi ante illos occurremus Domino, sed cum illis pariter occurremus. B Hunc modum resurrectionis ideo docet Apostolus, quia viderentur viventes citius posse Domino occurrere quam mortui. Tam velociter enim fiet omnium resurrectio, ut viventes nequeant præcedere mortuos. Nam voce justorum qui tunc viventes in carne sunt inveniendi, locutus est nunc Apostolus, quia et ipse justus erat, atque in carne vivebat, et novissimos sanctos fore communionis suæ prævidebat, ideoque verbis eorum utebatur. Sed Thessalonicenses hoc non intelligentes, putaverunt quod Paulus et qui cum eo scribebant epistolam, dicerent se reperiendos in die consummationis in carne, et conjecturis variis fluctuabant atque dicebant : Si Paulus inveniendus in corpore est, C proximus est dies judicii. Unde corrigit eos in secunda Epistola. Putabant enim quod in diebus eorum futura esset generalis resurrectio, quoniam Apostolus verbo præsentis temporis dixerat, nos qui vivimus. Qua causa præcipue coactus est aliam illis epistolam scribere. Viventes namque et residuos, ut diximus, nominavit, non quo vellet intelligi se cum sociis suis tempore resurrectionis in corpore reperiendos, sed nos dixit pro eo quod est, justos, de quorum numero et ipse erat. Ipsi enim rapientur obviam Christo, et non peccatores. Viventes autem, non juxta tropologiam sanctos accipimus, qui peccato mortui non sunt, sed omnes quos in corpore inveniet Christus adveniens. Quodque sequitur : non prævenient eos qui dormierunt, non ad peccatores D est referendum, qui somno negligentiæ sopiti sunt, neque enim peccatores cum justis rapientur obviam Christo, sed ad eos referendum est quos mors dissolverat. Non præveniemus ad occurrendum Domino eos qui dormierunt, sed ipsi prius evigilabunt, id est resurgent, quam nos incipiamus occurrere Domino. *Quonium ipse Dominus* in propria persona *descendet* localiter *de cœlo*, vel de cœlo, id est de occulto, et hoc *in jussu* Patris. Descendet enim missus a Patre, non diversitate virtutis, sed dispensatione judicis. Vel in suo jussu descendet, quia jubebit resurgere mortuos et occurrere sibi. Non enim veniet humilis et occultus ut olim, sed excelsus et manifestus et cum imperiosa auctoritate ut omnia mox fiant quæcunque jusserit, *et in voce archangeli*, quoniam archangelus voce magna clamabit, ante eum excitans mortuos. De cujusmodi voce dicit ipse : « Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exite obviam ei (*Matth.* XXV). » *Et in tuba Dei*, id est in aliquo sono magno et publico, divinitus facto. De cujusmodi tuba rursum ipse dicit, « quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent (*Joan.* V). » Hæc tuba omnes excitabit, et inimicos terrebit, suos ad bellum invitabit, ut expugnent adversarios, et effugient a facie Domini atque mittant in gehennam. Et iterum sicut tuba quondam in festis convocabat populum Hæbræorum (*Num.* X, XXIX, XXXI) : sic hæc tuba convocabit ad solemnitatem æternæ lætitiæ populum sanctorum. Deo, inquit, jubente et voce archangeli atque tuba Dei sonante (*Psal.* LXXX), *descendet* Dominus Jesus *de cœlo* in aera, non in terram. Nam quia in judicio erunt, et qui ad cœlum assumentur, et qui in terra relinquentur, idcirco Dominus inter cœlum et terram, id est in aere faciet de utriusque judicium. Et ipso descendente, *mortui qui in Christo sunt*, id est qui in fide et dilectione Christi præsentem vitam finierunt, *resurgent primi*, id est antequam illi qui tunc vivent, occurrent Christo. *Deinde*, id est facta illorum resurrectione, *nos qui vivimus*, id est illi de nobis qui vivi tunc invenientur, *qui relinquimur*, id est qui tormentis Antichristi erunt residui ex nobis, *simul cum illis rapiemur* ab angelis *in nubibus obviam Christo in aera*. Ultimis sanctis se continuat Apostolus propter unitatem Ecclesiæ, cujus membra sunt et primi et novissimi justi, et propter similitudinem passionum, quoniam similes apostolis erunt in passionibus illi novissimi, propter quod et dignissimi erunt. Qui tamen cum vivi reperientur non prævenient mortuos. Adeo velociter fiet resurrectio mortuorum. Sed cum illi fuerint resuscitati, occurrent Domino in suis corporibus et illi, qui viventes in corporibus fuerint inventi, ita tamen, ut in gloriam et corruptivum, et mortale, gloria, et incorruptione, et immortalitate mutetur, ut qualia corpora surrectura sunt, in talem substantiam etiam vivorum corpora transformentur. Revera enim quantum ad præsentia verba pertinet, videtur Apostolus asserere quosdam in fine sæculi, adveniente Domino, cum futura est resurrectio mortuorum, non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem, quæ sanctis etiam cæteris dabitur, repente mutandos, et simul cum illis rapiendos in nubibus. Sed videamus ne huic sensui sit contrarium quod idem Apostolus scribit ad Corinthios : « Omnes quidem resurgemus vel omnes quidem dormiemus (*I Cor.* XV). » Si ergo sanctos, qui reperientur Christo veniente viventes, eique venienti obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, ubi dicit : « Omnes resurgemus, vel omnes dormiemus, » quia nec illi erunt a resur-

Digitized by Google

rectione alieni, quam dormitione præcedent, quamvis brevissima, non tamen nulla. Neque enim dicendum est, fieri non posse ut dum per aera in sublime portantur, et moriantur et reviviscant. Quod autem subjecit : *et sic semper cum Domino erimus*, non ita accipiendum est, tanquam in aere nos dixerit cum Domino semper esse mansuros, quia neque ipse utique ibi manebit. Venienti quippe ibitur obviam, non manenti. Sed ita cum Domino erimus, id est sic erimus habentes corpora sempiterna, ubicunque cum illo fuerimus. Omnes scilicet electi, et qui de somno mortis excitati, et qui viventes in carne reperti fuerimus, rapiemur in nubibus obviam Domino in aera, et sic, id est omnes simul immortales erimus semper cum Domino, sicut ipse dixit : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum, ut videant claritatem meam (*Joan.* XVII). » Quandoquidem omnes resurgemus, et cum Domino semper erimus, *itaque consolamini invicem*, id est consoletur alter alterum de morte amicorum suorum *in verbis istis* quæ diximus de resurrectione et societate vel gloria perenni omnium justorum. Pereat contristatio, ubi tanta est consolatio. Detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem in tanta spe gloriæ. Omnes enim justi cum amicis suis sine fine simul manebunt immortales atque beati in regno Christi. Et ideo non debetis amicos vestros, qui mortui sunt, lugere quasi amissos, quia non amisistis eos, sed præmisistis.

CAPUT V.

« De temporibus autem et momentis, fratres, non « indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter « scitis quia dies Domini sicut fur in nocte, ita « veniet (*II Petr.* III). Cum enim dixerint, pax « et securitas, tunc repentinus eis superveniet in« teritus, sicut dolor in utero habenti, et non effu« gient. »

De resurrectione indiguistis per epistolam nostram doceri, sed de temporibus et momentis quibus futura est ipsa resurrectio, non indigetis ut scribamus vobis. *De temporibus*, id est utrum æstate an hieme, et utrum die ac nocte, sive quo mense vel post quot annos venturus sit Christus; *et momentis*, id est qua hora diei vel noctis venturus sit Christus, *non indigetis, fratres*, id est non est necesse *ut scribamus vobis*, quia non prodesset vobis hoc scire. Non est opus ut de his scribamus vobis, quia vos ipsi scrutando Scripturas vel docti a nobis, *diligenter*, id est studiose *scitis quia dies Domini*, id est dies judicii vel dies mortis, in quo Dominus unumquemque judicabit, *ita veniet* latenter incautis, *sicut fur in nocte;* veniet enim in nocte, id est in ignorantia, hoc est veniet nullo sciente aut sperante, veniet subitaneus et improvisus (*I Cor.* XV), veniet ut fur, qui latenter venit dum dormiunt homines, et omnia subripit, ut qui dives obdormierat, evigilans nihil inveniat. Sic enim continget securis et negligentibus per improvisum adventum diei Domini. Et propterea cœpit Apostolus loqui de temporibus, ut moneret discipulos cavere sibi, ne ita deprehendantur. Hoc igitur opus est scire, ut curent filii lucis esse, et parato corde vigilare, qui nolunt ab illa die sicut a nocturno fure comprehendi. Nam si ad cavendum hoc malum, id est ne dies Domini tanquam fur inveniat imparatum, opus esset nosse temporum spatia, non diceret Apostolus, non opus esse ut hoc scriberet, sed hoc potius esse scribendum tanquam doctor providentissimus judicaret. Nunc autem nec opus illis esse monstravit, quibus sufficiebat ut scirent, imparatis atque dormientibus diem Domini sicut furem esse venturam; atque sciendo hoc, essent ipsi vigilantes et parati post quanta libet tempora veniret; et suum servavit modum, ut scilicet Apostolus non tantum præsumeret alios id docere, de quo apostolis Dominum dixisse cognoverat : « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate (*Act.* I); » de his enim temporibus et momentis non erat opus ut scriberet eis. Vere, inquit, ut fur veniet amatoribus sæculi dies illa. *Cum enim dixerint*, *pax* est nobis et in ipsa pace *securitas* de futuro, quia nihil molestiarum amplius eventurum nobis formidamus, *tunc* subito, descendente judice, *repentinus eis superveniet interitus*, id est mors æterna corporis et animæ, *sicut dolor* supervenit mulieri *habenti in utero* prolem, quia malum conscientiæ ipsorum incipiet eos subito torquere, eum per judicis adventum cœperit urgeri ut ad lucem prodeat, id est omnibus appareat. Mulier enim prægnans quod in utero diu portavit cum pondere, tandem ejicit cum dolore, quia et reprobi malum, quod diu latuit intra conscientiam ipsorum et gravavit eam, in conspectu judicis cum gravi tormento cunctis manifestabunt. Mulier cum voluptate pondus illud concepit, sed, ut dictum est, cum dolore ejicit, quia et reprobi culpam cum voluptate libenter commiserunt, sed ante districtum judicem hanc inviti multa cum amaritudine manifestabunt. Mulier dum non sperat, subitis doloribus incipit urgeri ut pariat, quia et reprobi dum non prævident, incipiunt repentinis cruciatibus compelli, ut latentia mala quæ intus habent, ante tribunal æterni judicis ad publicum proferant. Ita ergo subitis doloribus incipient torqueri intrinsecus instar prægnantis, *et non effugient*. Mulier namque evadit, sed illi non effugient. Dominus circa finem sæculi tribulationem maximam esse denuntiat futuram (*Luc.* XXI), et dicit, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Apostolus vero testatur, quia dicent : *Pax est et securitas*. Sed Dominus hoc de electis loquitur, Apostolus vero de reprobis. Intelligamus ergo non ea impleri modo quæ Dominus prænuntiavit, sed tunc esse potius ventura, quando sic erit tribulatio universo orbi, ut ad Ecclesiam pertineat quæ in universo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulabunt eam. Ipsi enim dicturi sunt, pax et securitas, ut repentinus illis superveniat interitus, et eos adventus Domini sicut fur in nocte

Digitized by Google

comprehendat, quando econtrario gaudebit et exsultabit, qui diligit manifestationem Domini. Sed et hoc notandum, quia post mortem Antichristi, quadraginta quinque dies concedentur ad emendationem his, qui ad vitam prædestinati sunt, et in Antichristi persecutione offenderunt. Sed qui ad vitam præordinati non sunt, nec morte principis sui corrigentur, sed toto corde mundanis inhærentes, gaudebunt, et uxores ducent, atque convivia facient, et domos ædificabunt, dicentes : *Pax est nobis et securitas*, licet princeps noster sit mortuus. Et dum ita pacatos et securos se putaverint, subito judex apparebit, omnesque tales condemnabit.

« Vos autem, fratres, non estis in tenebris ut vos « dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim « vos filii lucis estis et filii diei, non estis noctis neque tenebrarum. »

Illis erit improvisus dies Domini, ut illaqueet eos ad mortem propter cordis ipsorum cæcitatem. Sed *vos, o fratres, non estis in tenebris* ignorantiæ et infidelitatis vel cupiditatum sæcularium, ita *ut vos dies illa tanquam fur comprehendat* ad mortem. Illi enim sunt in tenebris et non vigilant adversus adventum furis, qui præsumentes de cupiditatibus suis, et in deliciis hujus sæculi diffluentes, tument et eriguntur adversus humiles, et insultant sanctis intelligentibus atque tenentibus angustam viam, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII; *Luc.* XIII). Sed vos non estis tales, quia non cæcant vos sæculi cupiditates. Nam *omnes vos estis filii lucis*, id est Christi, qui ait : « Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat (*Joan.* XII) ; » *et filii Dei*, id est ecclesiæ sanctorum quam illuminat sol justitiæ Christus. Vere filii estis Christi et Ecclesiæ, quia *non estis filii noctis*, id est diaboli, qui est nox, de qua sanctus Job dicit : « Noctem illam tenebrosus turbo possideat (*Job.* III), » *neque estis filii tenebrarum*, id est infidelium et iniquorum, qui si conversi fuerint, audient : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V). » Vel omnes vos estis filii lucis, id est fidei ; et filii diei, id est sanctæ conversationis. Et ne quis putet partim posse esse diei, partimque noctis, addo quia non estis noctis, id est ignorantiæ vel infidelitatis ; neque tenebrarum, id est malorum operum. Nam filii noctis et tenebrarum, sunt infideles et iniqui. Noctis, inquam, et tenebrarum filii sunt, qui omnia mala operantur ; et usque adeo filii noctis sunt, ut timeant videri quæ faciunt. Qui autem publice talia operantur, sunt quidem in luce solis, sed in tenebris cordis.

« Igitur non dormiamus sicut cæteri, sed vigi- « lemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, no- « cte dormiunt ; et qui ebrii sunt, nocte ebrii « sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, « induti loricam fidei et charitatis et galeam spem « salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, « sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, qui mortuus est pro « nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Propter quod consolamini invicem et ædificate alterutrum, sicut et « facitis. »

Quandoquidem non sumus noctis, *igitur non dormiamus*, id est non torpeamus in bonis sæcularibus, *sicut cæteri*, id est sicut infideles, qui ad noctem pertinent ; *sed vigilemus*, id est vigili corde adventum occulti judicis exspectemus, attendentes omnia hæc esse transitoria et cito peritura ; et sobrii simus, id est sobrie his utamur non quasi bonis nostris, sed ad sustentationem datis. Non dormiamus, id est non simus securi et desidiosi, quasi hoc nobis sufficiat quod Christianitatis religionem suscepimus, et ideo negligenter agamus ; sed vigilemus, id est corporis et negligentiæ tenebras a nobis repellamus, et oculos mentis ad aspectum veri luminis apertos teneamus ; et sobrii simus, id est ebrietatem sæcularium cupiditatum caveamus. Et justum est ut nos, qui ad noctem non pertineamus, somnum et ebrietatem fugiamus, quia *qui dormiunt*, id est qui delectabiliter torpent et quiescunt in præsentibus, *nocte dormiunt*, id est iniquitate delectantur ; *et qui ebrii sunt*, id est quos inebriat amor sæculi, ut immoderate utantur his rebus transitoriis, in nocte cordis *sunt ebrii*. Nox enim est iniquitas, in qua illi obdormierunt et inebriati sunt cupiendo ista terrena, et omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium ; et quomodo qui videt thesauros in somnis dormiens dives est, sed evigilans pauper, sic omnia vana ista hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno apparent et in ebrietate cernuntur. Evigilabunt et sobrii fient amatores talium quando nolent, si modo quando utile est, non evigilaverint et sobrii fuerint ; et invenient somnia fuisse illa et transisse sicut umbram. Illi qui sunt noctis, dormiunt et inebriantur ; sed *nos qui sumus diei, simus sobrii*, id est moderate utamur his temporalibus, et propter præsentia bona non obliviscamur quærere futura, id est æterna. Sobrii, inquam, simus. Quod esse poterimus, si fuerimus, *induti loricam fidei et charitatis*, id est si fides et charitas instar loricæ nos undique munierint adversus omnia diaboli jacula, id est contra universa vitiorum tentamenta. Sicut enim lorica munit vitalia, sic fides et charitas munit cor nostrum, ne lædatur a vitiis irruentibus. Et quamvis nunc Apostolus dicat loricam fidei, alio tamen loco dixit scutum fidei (*Ephes.* VI). Scutum ergo est fides, quia tela inimicorum excipit et expellit. Lorica etiam est, quia interiora nostra transfigi non sinit. Similiter et charitas nobis est lorica, quia malignorum spirituum jacula non sinit ad cor nostrum interius penetrare. Simus etiam induti galeam, scilicet *spem salutis* ut spes æternæ salutis ad superna tendens, obvolvat, id est protegat caput interioris hominis, id est mentem nostram, ne lædatur ab ictibus inimicorum, id est a tentamentis dæmonum in hoc

Digitized by Google

conflictu vitiorum. Spes enim protegens mentis caput, est nobis galea, quæ scilicet spes dicitur salutis, quia per spem venimus ad salutem. Et recte dicitur spes salutis, *quoniam non posuit Deus nos in iram, sed in acquisitionem salutis*, id est non posuit nos ad hoc in spe, ut eamus in iram damnationis, sed ut acquiramus salutem bene operando. Non enim otiosis datur salus, sed his qui merito bonorum operum acquisierint eam. Et hoc *per Dominum nostrum Jesum Christum*, quia nullum justitiæ meritum salutem nobis acquirere posset, nisi per mediatorem Dei et hominum. Vel ideo sobrii simus et armis virtutum induamur, quia non posuit Deus nos in iram, sed in acquisitionem salutis, id est non ordinavit et statuit nos ad hoc ut iram exerceret in nos, sed ut acquireret nos ad salutem per Christum mediatorem *qui mortuus est pro nobis*, id est qui nos morte sua redemit ab æterna morte, *ut sive vigilemus*, id est in corpore vivamus, *sive dormiamus*, id est in somno mortis quiescamus, *simul cum illo* qui est vivamus, id est semper sit et vivat cum illo mens nostra, sive dum in hoc sæculo vivimus, sive dum in sepulcro dormimus. *Propter quod*, id est quia hæc spes est nobis, quia Christus mortuus est ad horam pro nobis, ut nos semper cum illo vivamus, *consolamini invicem*, id est consoletur ex vobis alter alterum in adversis præsentium tribulationum, vel in obitu charorum. *Et ædificate alterutrum*, id est vicissim vosmetipsos per bona colloquia et per bona exempla ædificate in virtutibus, ut et singuli et simul omnes ædificemini templum Domino. Ædificate, inquam, *sicut et facitis*. Collaudat eos, ut magis ac magis provocet ad studium bene agendi. Huc usque autem generaliter locutus est omnibus, sed nunc singulariter ad subditos admonendos, ut prælatos suos honorent et diligant, se transfert; postea monebit et prælatos, ut corrigant subditos. Quia vero humiles erant et ad obediendum prompti, ideo non imperando, sed rogando injungit eis ea quæ vult ut faciant. Unde nec apostolum se dixit in exordio epistolæ, quia non erat necesse ut cogerentur apostolica auctoritate. Sic et nunc prælati Ecclesiæ bonos subditos humiliter rogare debent, ut in melius proficiant non imperiose compellere, ut inviti bona faciant. Ecce enim subjungit Apostolus :

« Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos « qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Do- « mino, et monent vos, ut habeatis illos abundan- « tius in charitate; et propter opus illorum pacem « habete cum eis. »

Vos omnes consolamini et ædificatis invicem alii alios, ut monemus. Sed *vos, o fratres*, qui subditi estis, *rogamus ut noveritis*, id est ostendatis nosse vos per reverentiam et honorem *eos qui* in regimine ecclesiastico laborant inter vos, *et præsunt vobis in Domino*, id est ordinatione Domini, vel in his quæ ad Dominum pertinent *et monent vos* ut mala caveatis et bona faciatis, vel ad meliora proficiatis. Ita scilicet noveritis eos, *ut habeatis illos abundantius in charitate*, id est magis quam cæteros diligatis et honoretis illos, ac bonis corporalibus alatis. Volo enim ut ex charitate presbyteros honoretis, ac reverentiam illis exhibeatis. *Et propter illorum opus*, id est quia increpant vos aut etiam aliquando puniunt vos, videntes sic oportere fieri, *habete pacem cum eis*, id est nolite murmurare, nolite pacis amicitiam relinquere, si resecaverint vestra vitia, sed ideo magis pacem firmam servate, quia ipsi non ex odio, sed ex charitate corripiunt vos. Pulchre obviat Apostolus perversitati eorum, qui dum pro culpis suis increpantur aut verberantur pacem, quam cum prælatis suis habebant, abjiciunt, ac discordias et murmurationes faciunt, dum cum prælatis suis haberi pacem jubet propter opus ipsorum. Vel ita distingui potest : habete illos abundantius in charitate propter opus illorum, id est propterea magis amate illos, qui monent vos et corrigunt, sicut scriptum est : « Argue sapientem, et diliget te (*Prov.* IX), » et habete pacem cum eis ut nunquam discordetis ab illis, etiam si graviter vos increpaverint aut verberaverint.

« Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, « consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, pa- « tientes estote ad omnes. Videte ne quis malum « pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum « est sectamini invicem et in omnes. »

Nunc ad prælatos est sermo. Subditos rogavimus ut honorent præpositos suos, et pacem cum eis habeant. Sed *vos, fratres* qui præestis, *rogamus, corripite inquietos*, id est castigate curiosos et pacis quietem turbantes, atque indisciplinatos ac vagos. Corripite illos, ne sitis mercenarii, quia qui ideo cessat a correptione talium, ne perdat munus quod ab his accipere solebat, vel ne patiatur ab his adversa, mercenarius est, non pastor. *Consolamini etiam pusillanimes*, id est eos qui pusillum habent animum ad tolerantiam præsentium adversitatum, et contristantur pro malis quæ sibi accidunt, sive illos qui a spe deficiunt pro magnitudine peccatorum suorum. *Suscipite infirmos*, id est nolite abjicere eos qui in conscientia sua, vel in actionibus suis sunt infirmi, sed suscipite illos ad sanandum sicut spiritales medici. Et si in hoc officio vobis aliquid injuriæ a subditis illatum fuerit, *estote patientes ad omnes*, qui vobis molesti fuerint. Hoc etiam videte, id est diligenti consideratione attendite, *ne quis alicui reddat malum pro malo*, id est non solummodo vos non reddatis malum pro malo, sed etiam videte ne alius reddat. Tunc etiam *malum pro malo* reddetis, si eos qui malum vobis irrogant, ad pœnitentiam non provocaveritis. Hoc namque loco intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si is qui corripiendus est, non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur. Aliquando autem homines correptores suos putant inimicos suos. Ideo cum dixisset, *corripite inquietos;* subjecit, *consolamini pusillanimes*. Si forte enim de correptione incipit

Digitized by Google

deficere, et perturbatur, tunc oportet consolari. Suscipite infirmos, ne per infirmitatem cadant. Si tituhare eum fecit infirmitas, sinu tuo suscipiat charitas. Ac deinde : *Videte ne quis alicui malum pro malo reddat.* Ergo non est malum, correptio si fit. Ille autem malum pro malo ei reddit, cui correptionem subtrahit. Videte ne quis aliquando cuiquam id faciat, *sed semper sectamini omnes quod bonum* et rectum *est invicem*, id est vicissim inter vos, *et in*, id est erga omnes alios.

« Semper gaudete in Domino, sine intermissione « orate, in omnibus gratias agite : hæc est enim « voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vo- « bis. »

Hæc communiter omnibus dicuntur. Licet frequenter adversa patiamini, tamen nolite contristari, sed semper et in prosperis et in adversis gaudete. Sed quia malum est sæculari gaudio gaudere, propterea subjungo ut gaudeatis *in Domino*, non in sæculo nec in vobisipsis. In Domino gaudete, ut intus apud eum sit gaudium vestrum et gloriatio vestra. *Sine intermissione orate*, id est ut nullo die intermittatis certa tempora orandi. Sed et continuum cordis desiderium, continua oratio est. Nunquid enim sine intermissione possumus genu flectere, corpus prosternere, vel manus levare, ut de hoc nobis dicatur : *Sine intermissione orate.* Sed qui nunc vult intermittere orare, non intermittat desiderare. Sic enim orabat Moyses, cui tacenti dixit Dominus : « Quid clamas ad me? (*Exod.* XIV.) » Clamabat enim corde, quamvis diceret ore. Ita juge desiderium et incessabilis amor, assidua est oratio sanctorum. *In omnibus Deo gratias agite.* Vera fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum ; sed in omnibus Dei judiciis Deo gratias agere, Deumque laudare, cujus omnia opera aut justa sunt, aut benigna. In omnibus ergo quæ vobis acciderint, agite Deo gratias. Et debetis hæc non inviti facere, id est gaudere semper et orare et gratias agere, quia *hæc est voluntas Dei*, id est hoc vult Deus ut ista faciatis. Quæ voluntas est *in Christo Jesu*, quia in Christi beneficio concessit Dei voluntas hominibus, ut ista possint facere. Et est *in omnibus vobis* hæc Dei voluntas, id est Deus hoc vult ut omnes vos majores atque minores ista faciatis.

« Spiritum nolite exstinguere, prophetias nolite « spernere. Omnia autem probate, quod bonum est « tenete, ab omni specie mala abstinete vos. »

Quia quidam inter eos habebant spiritalia dona, sed ab aliis propter invidiam prohibebantur exercere illa, nec prophetare sinebantur, sed prophetiæ ipsorum ab æmulis contemnebantur, ideo nunc per Apostolum dicitur : *Spiritum nolite*, etc. Non quia Spiritus sanctus exstingui possit, sed quia quantum in ipsis est, exstinctores ejus merito vocantur, qui sic agunt ut exstinctum velint. *Spiritum*, inquit, *nolite exstinguere.* Et tanquam exponens quid diceret, adjecit : *Prophetias nolite spernere.* ExstinA gunt ergo quantum ad eos, spiritum, qui prophetias spernunt, quoniam ignem Spiritus sancti, qui prophetas ad loquendum illuminat et inflammat, extinguere et annullare conantur. Nolite spiritum extinguere, id est si Spiritus sanctus alicui revelat aliquid, nolite prohibere quod sentit loqui. Et prophetias nolite spernere, id est quæ sancti per Spiritum sanctum prædixerint, nolite putare falsa esse vel negligere, sed credite vera esse, et reverenter suscipite; sed tamen juxta Joannem : « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt (*I Joan.* IV). » Unde et hic subditur : *Omnia autem probate, quod bonum est tenete.* Honorate prophetias, sed tamen non omnium dicta indiscrete recipiatis, sed probate, id est ratione discutite omnia, B utrum bona an mala sint ; quod bonum invenietur, tenete. Postquam singula quæque discusseritis, et certa probatione quale sit unumquodque noveritis, quod bonum esse noveritis tenete; et econtra *ab omni specie mala abstinete vos*, id est non solum ab eo quod veraciter malum est, sed etiam ab ipsa similitudine mali, hoc est : si quid mala specie malum aliquid prætendit, etsi malum non sit, vos tamen abstinentes sitis ab eo, ne mala specie malum exemplum detis hominibus. Non enim occasionem male suspicionis de vobis dare hominibus debetis, cum vos malam conscientiam non habeatis.

« Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, « ut integer spiritus vester et anima et corpus sine « querela in adventum Domini nostri Jesu Christi C « servetur. Fidelis est Deus qui vocavit vos, qui « etiam faciet. »

Ego quidem vos moneo ita vivere et sanctam operam dare, sed *ipse Deus* faciat in vobis quod moneo. Deus pacis, id est, Deus cui per Christum qui pax nostra est, reconciliati sumus, et qui potest inquietudinem præsentium tribulationum removere, *sanctificet vos* interius exteriusque *per omnia*, ut nulla pars vestri absque sanctificatione sit: ita vos sanctificet, *ut integer servetur vester spiritus*, id est illud quo intelligitis ; *et anima*, id est illud quo vivitis ; *et corpus*, id est illud quo visibiles atque contractabiles estis. Tria sunt enim quibus homo constat, id est spiritus et anima et corpus. Quæ rursus ita D differunt, quia sæpe anima simul cum spiritu nominatur. Pars enim quædam ejus rationalis, qua carent bestiæ, spiritus dicitur. Principale itaque nostrum, spiritus est. Deinde vita quæ conjungit hæc corpori anima vocatur. Postremo ipsum corpus, quoniam visibile est, ultimum nostrum est. Hoc enim quo ratiocinamur et intelligimus atque sapimus, ita proprie spiritus nuncupatur, ut non sit universa anima, sed aliquid ejus, id est rationale nostrum, quo sentit et intelligit ipsa anima, non sentitur corporis sensibus, sed sicut ille est interior sensus, ex quo est appellata sententia. Hinc autem pecoribus sine dubitatione præponimur, eo quod sint illa rationis expertia. Non enim spiritum habent, id est intellectum et rationis ac sapientiæ

Digitized by Google

sensum, sed animam tantum. Et si spiritus pecorum in Scripturis appellatur, spiritus pro anima nominatur. Sit ergo vester spiritus integer, id est nullo consensu peccati vulneratus; et anima vestra integra, id est delectationibus carnis non sauciata; et corpus integrum, id est peccati perpetratione non læsum. Et ita servetur integra omnis vestræ substantia naturæ *in adventum Domini nostri Jesu Christi*, ut cum venerit Dominus, non inveniat in vobis peccatorum vulnera. Usque in adventum Domini, id est usque in finem vitæ præsentis servetur integra; quia qualis quisque de hac vita exierit, talis apparebit in adventum judicis. Et servetur *sine querela*, id est tam innocens ut nemo possit de ea juste conqueri. Aliud namque est, esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est (*I Petr.* II; *Luc.* I; *Philip.* III); aliud est, esse sine querela, quod de multis sanctis etiam in hac vita dici potuit. Quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione justa querela esse non possit. Quis enim juste queritur de homine qui nemini male vult, et quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat : « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris? (*Matth.* VI; *Luc.* XI.) » et tamen ex eo quod iterum dicit : Dimitte sicut et nos dimittimus, sine peccato se non esse declarat. Itaque sine querela conservemini usque in adventum Domini, id est usque ad terminum vitæ hujus, ut nemo possit de vobis querelam facere. Et vere integri sine querela conservabimini, quia *fidelis est Deus*, id est verus in promissis, *qui vos vocavit* ad vitam, *qui etiam faciet* ut integri perveniatis ad eam.

« Fratres, orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen. »

Orate, inquit, *fratres, pro nobis*, ut auxilio vestræ orationis liberemur a malis, et bona quæ cupimus assequamur, et ex nostra parte *salutate fratres omnes*, ut per hanc salutationem impleantur majori gratia, et magis accendantur in amorem nostri. Salutate illos *in osculo* non lascivo nec ficto, sed sancto, id est casto et vera dilectione pleno. Adjuro etiam *vos per Dominum*, ut si propter simplicem jussionem neglexeritis facere, vel saltem propter sacramentum adjurationis hæc faciatis. Adjuro vos *ut hæc epistola* quam mitto vobis, *legatur omnibus fratribus sanctis*, id est baptismo sanctificatis, ut omnes ædificentur per eam et confirmentur; vel sanctis, id est perfectis, ut et ipsi proficiant. Et ut hæc omnia facere valeatis, *gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum*, cujus auxilio compleatis. Amen.

IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

ARGUMENTUM.

Perseverantibus vel exercentibus se magnis tribulationibus, aliam scribit Apostolus ad Thessalonicenses epistolam, iterum monens eos ad patientiam, et ostendens fieri justo Dei judicio, ut boni per præsentes tribulationes ad gloriam perpetuæ quietis perveniant, et mali propter injurias quas sanctis inferunt, pœnas æternas subeant. Ostendit etiam non instare temporibus eorum diem Domini, sicut ipsi putabant propter quædam ejus verba, quæ de resurrectione posuerat in præcedente epistola. Nam quod dixerat : « Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera (I Thes. IV), » *hoc ipsi non intelligentes, conturbati sunt, æstimantes quod in diebus eorum qui tunc vivebant, venturus esset Dominus. Qua de causa præcipue secundam hanc Apostolus scribens eis ab Athenis epistolam, intendit hujusmodi opinionem destruere; ne cum transiret tempus, quo Dominum crediderant esse venturum, et venisse non cernerent, etiam cætera fallaciter sibi promitti arbitrantes, de ipsa mercede fidei desperarent. Nam si Apostolus in hoc mentitus putaretur, per omnia reprobaretur; et ita diabolus tali opinione deluderet eos ac deciperet. Propterea corrigit Apostolus hunc eorum errorem, et ostendit quædam certa signa demonstrari antequam dies judicii veniat, scilicet primo venturam discessionem et revelandum hominem peccati, qui est Antichristus. Remotione autem erroris hujus facta suo more transit ad moralem exhortationem, ubi et aspere corripit quorumdam inquietudinem. Sic autem incipit.*

CAPUT PRIMUM

« Paulus et Silvanus et Timotheus Ecclesiæ « Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domi« no Jesu Christo, gratia vobis et pax Deo Patre « nostro et Domino Jesu Christo. »

Hæc superius exposita sunt. Post salutationem sic inchoatur :

« Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, « fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit « fides vestra, ut abundat charitas uniuscujusque « vestrum invicem, ita ut nos ipsi in vobis glorie« mur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide « in omnibus persecutionibus vestris et tribulatio« nibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii « Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et

Digitized by Google

« patimini ; si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant, et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus in flamma ignis dantis vindictam his qui non noverunt Deum, et qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. »

A magna laude eorum inchoat, ut laudando eos roboret et nutriat, sed de omnibus quæ in eis laudat præmittit Deo gratias, significans eos a Deo habere omnia quæ laudat, vel pro quibus laudat eos, ne forte ex his quæ divinitus acceperant, extollerentur quasi ex seipsis hæc habentes. Superbia enim plerumque nascitur ex bene gestis. Debemus, inquit, o *fratres*, *agere semper Deo gratias pro vobis*, *ita* magnifice *ut dignum est*, quia pro magnis magnæ gratiæ sunt agendæ, *quoniam fides vestra* non decrescit in tribulationibus, sed supercrescit, id est quotidie major efficitur et superat adversitates, vel adeo proficit, ut operetur supra quam præcepimus, et similiter *charitas uniuscujusque vestrum abundat*, id est abundanter exuberat invicem, id est inter vos, et quia ita supercrescit fides vestra et abundat charitas, inde gratias agere debemus Deo pro vobis, non ita vos laudare tanquam hoc habeatis ex vobis. Ita supercrescit et abundat fides et charitas vestra, ut nosipsi qui non de parvo gloriaremur, *in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei*, id est apud Ecclesias fidelium, quibus exemplum de vobis damus. Videte ergo ne sitis exemplum defectus, gloriamur apud sanctorum Ecclesias in vobis, id est de bonis qui sunt et augentur in vobis. Gloriamur scilicet *pro patientia et fide vestra*, id est quia non deficitis nec murmuratis ; sed patientes estis et fidem servatis *in omnibus persecutionibus vestris* de loco ad locum, *et tribulationibus*, id est tormentis et afflictionibus, quæ vobis in uno loco fiunt, *quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei*. Ac si diceret : Dum tam dura toleratis, qui tam recta agitis, quid aliud quam justi judicii Dei exemplum datis? Quia ex vestra pœna colligendum est quomodo feriat quibus irascitur, si sic vos affligi patitur, in quibus lætatur; aut quomodo illos percussurus est, quibus justum judicium exhibet, si etiam vos sic cruciat, quos pie redarguens fovet. Hinc enim intelligitur quomodo non parcat impiis, tanquam sarmentis præcisis ad combustionem, quando justis non parcit propter perficiendam purgationem. Unde et Petrus ait : « Tempus est ut incipiat judicium de domo Domini (*I Petr.* IV). » Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non crediderunt Dei Evangelio? Hoc est exemplum futuri Judicii, quod nunc cernitur in afflictione piorum, sed si illi modo pro levibus peccatis suis graviter judicantur, multo gravius impii pro suis criminibus in fine judicabuntur. Ideo sustinetis flagella præsentium tribulationum, ut per hoc purgati *habeamini digni in regno Dei*, id est in æterna beatitudine, ad quam nullus intrabit immundus, quia non est dignus. Sed vos per has passiones efficiamini digni illo regno, *pro quo et patimini*, non pro humano favore, nec pro aliquo crimine. Nihil aliud enim quærit mens vestra pro his passionibus, nisi regnum Dei, nihilque criminis admisistis, pro quo talia pateremini. Dixi quia sustinetis in exemplum justi judicii Dei, quo puniuntur adversarii vestri, ut habeamini digni in regno Dei ; tamen hac conditione fiet istud, *si est justum apud Deum*, his dari pœnam et vobis quietem, id est si opera eorum tam pessima sunt, ut Deus judicet justum esse pro his retribui cruciatus æternos, et si opera vestra adeo vere bona coram eo sunt, ut ipse justum ducat pro his recompensare quietem perpetuam. Aliter enim judicat Deus et aliter homo, quia sæpe quod nos improbamus, ipse approbat, et quod nos laudamus, ipse condemnat. Subtilis enim et justa sunt judicia Dei. Et ideo ne isti nimium securi fiant de futura salvatione sua, et incipiant negligenter agere, ac nimium certi de damnatione suorum adversariorum, incipiant desperare conversionem illorum, pulchre temperatam dicit Apostolus de utrisque sententiam. Sustinetis, inquit, in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno ejus ; si tamen justum est apud Deum, *retribuere tribulationem æternam his qui* vos ad tempus *tribulant*, *et vobis qui* temporaliter *tribulamini*, *requiem nobiscum* sempiternam, non in præsenti vita, sed *in revelatione Domini Jesu*, id est quando revelabitur et palam coram omnibus apparebit Dominus, ut reddat unicuique secundum opus ejus (*Matth.* XIX). Domini dico, venientis *de cœlo cum angelis virtutis ejus*, id est per quorum ministerium ostendet ipse virtutem suam, dum bonos per eos elegerit, et malos foras miserit, et venientis *in flamma ignis*, non quod sit flamma circumdatus, sed per effectum, quia inimicos exuret. Ignis dico, dantis, id est inferentis *vindictam his qui non noverunt Deum*, id est infidelibus ; *et qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi*, id est illis qui fidem habuerunt, sed mandata Domini servare neglexerunt. Gravius peccat sciens, quam nesciens. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud enim est nescire, aliud scire noluisse. Voluntas quippe arguitur in eo, de quo dicitur : « Noluit intelligere ut bene ageret (*Psal.* XXXV). » Sed illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit quia non audivit quod crederet, sed fortasse ut mitius ardeat. Et si illi æterno igni cremandi sunt, qui Deum nescierunt, quid de illis fiet, qui prædicatores Dei vel servos ejus causa nominis ejus persecuti sunt? Aut si illi perpetuo passuri sunt, qui Evangelio quod acceperant, non obedierunt, quid illi patientur, qui præceptis ipsius Evangelii scienter et voluntarie prævaricati sunt?

« Qui pœnas dabunt in interitu æternas a fa-

Digitized by Google

« Domini et a gloria virtutis ejus, cum venerit glo- « rificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in om- « nibus qui crediderunt, quia creditum est testimo- « nium nostrum super vos in die illo. In quo etiam « oramus semper pro vobis, ut dignetur vos voca- « tione sua Deus noster, et impleat omnem volun- « tatem bonitatis et opus fidei in virtute, ut clarifi- « cetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, « et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et « Domini Jesu Christi. »

Ignis ille dabit vindictam, id est inferet pro culpis pœnam infidelibus, qui non noverunt Deum ; et vanis fidelibus, qui non obedierunt Evangelio Domini. *Qui* utrique *dabunt*, id est luent *pœnas* non horarias sed *æternas ;* nec immodico dolore, sed *in interitu*, id est in morte perpetua, longe remoti *a facie*, id est a B præsentia visionis *Domini et a gloria virtutis ejus*, ne eam videant gloriam, quam virtus ejus ostendet in se et dabit sanctis, sicut scriptum est : Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Nam in judicio videbunt boni et mali formam servi, ac deinde cum mali in gehennam præcipitati fuerint, boni sublevabuntur ad videndum claritatem divinitatis ejus. Tunc pro ignorantia et inobedientia sua dabunt mali pœnas æternas, projecti a facie Domini, ut *cum venerit glorificari in sanctis suis*, id est replere et illustrare sanctos suos gloria sua ut videntes eum sicuti est (*1 Joan.* III), similes ei fiant, et ipse gloriosus in eis appareat; *et admirabilis fieri*, id est admiratione et laude dignus ostendi *in omnibus* etiam minoribus, C qui crediderunt ea fide, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V). Admirabilis tunc fiet in his qui crediderunt, impiis admirantibus tantam salutem justorum, quos hic despiciebant, et ipsis justis suam salutem mirantibus (*Sap.* V). Ideo autem, sicut dictum est, dabit tunc vobis requiem nobiscum, *quia testimonium nostrum*, id est quidquid testificati sumus vobis de his quæ fierent *in illo die*, id est de gloria bonorum et pœna malorum *creditum est* a vobis, quamvis esset *super vos*, id est superans vestrum intellectum. Quamvis enim supra sensum esset quod dicebamus, nec posset illud intelligentia vestra capere, tamen vos nostro testimonio fidem accommodatis. Vel super vos fuit, id est vobis dominans, non quærentibus rationes. Vel quasi de loco D sublimiori loquentes, super vos testimonium protulimus, quod creditum est a vobis de his quæ fient in die illo. *In quo* die ut dignetur vos, id est dignos habeat vocatione sua Deus noster, nos *etiam oramus semper pro vobis*, id est non solum instruximus vos de illa justorum glorificatione vel impiorum damnatione, sed etiam oramus assidue pro vobis, ut ad illam gloriam pertingatis, ut scilicet *dignetur vos sua vocatione Deus noster*, id est dignos vos judicet quos ad regnum vocet, dicens : « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum (*Matth.* XXV), » *et impleat omnem vestram voluntatem bonitatis*, id est plenarie faciat quidquid bene vultis. Vel interim in hoc sæculo impleat omnem voluntatem bonitatis in vobis, A id est plene vos faciat velle omne bonum, et impleat in vobis *opus fidei*, id est omne bonum opus quod fides exigit, et hoc *in virtute* potentis actionis. Vel confessio est proprie opus fidei, ut quod mens credit, lingua fateatur. Impleat in vobis opus fidei, id est confessionem, et hoc in virtute constantiæ, ut nullo modo flecti possitis a fidei confessione. Ita videlicet impleat hoc in vobis, ut in præsenti vita *nomen Domini nostri Jesu Christi clarificetur in vobis*, id est clarum et gloriosum appareat in bonis operibus vestris ; *et vos* in alia vita clarificemini *in illo*, et hoc *secundum gratiam Dei nostri Patris, et Domini Jesu Christi*, id est secundum quod Pater et Filius per gratiam sancti Spiritus electis suis gratuita bonitate tribuunt supra quam mereri possunt.

CAPUT II.

« Rogamus autem vos, fratres per adventum « Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congrega- « tionis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro « sensu, neque terreamini, neque per spiritum, « neque per sermonem, neque per epistolam tan- « quam per nos missam, quasi instet dies Domini. »

Captata illorum benevolentia, illisque laudatis, secure descendit ad principalem intentionem, id est ad remotionem erroris, quo maxime turbati fuerant. Quasi dicat : Vos quidem, fratres, patienter omnia sustinetis, propter remunerationem quam a Deo speratis ; sed rogamus vos, ut a sensu catholicæ fidei nullatenus moveamini. *Rogamus autem vos, fratres*, non per leve aliquid, sed *per adventum Domini nostri Jesu Christi*, si vultis ut vobis prosit, et per adventum *nostræ congregationis in ipsum* Christum, si vultis esse in ea, quando omnes qui electi fuerimus, conveniemus et congregabimur in ipsum Salvatorem, *ut non cito moveamini*, id est non cito titubetis *a vestro sensu*, id est a sensu catholicæ veritatis, vel a puro intellectu quem hactenus habuistis. Non cito moveamini. Si enim movemini, cito est, quia nihil vobis infertur quod diu duret, *neque terreamini* quasi de vicino periculo imminentis judicii, *neque per spiritum moveamini aut terreamini*, id est si malignus Spiritus quasi angelus lucis apparens in visione (*II Cor.* XI), persuadeat vobis diem Domini vestris diebus imminere, vel si quis dicat se per Spiritum sanctum hoc cognovisse, non credatis ei ; *neque per sermonem*, id est si quis præsentialiter apud vos publico sermone et inter alia voluerit hoc astruere, nolite unquam credere ; *neque per epistolam* alicujus absentis *tanquam per nos*, id est jussu nostro missam vel sub nomine nostro, nolite seduci. Sive per epistolam quam vobis ante misimus, nolite turbari, id est nolite putare quod epistola nostra dicat vestris diebus Christum esse venturum. Nolite his omnibus terreri, *quasi instet dies Domini*, id est quasi vicinus immineat dies, in quo Dominus potentiam suam ostendet, puniendo malos et salvando bonos. Non ideo dicit hoc Apostolus, ut velit illos securitate torpere ac negligenter agere et imperatos esse, sed ne in ipsa perturbatione

Digitized by Google

exspectationis celerrimi adventus Dominici possent seduci, ad suscipiendum pro Christo diabolum, qui hoc agebat, ut sub nomine Christi se faceret adorari, sicut et beato Martino suadere voluit. Quod ut non possit, tempus et signa Dominici adventus describit Apostolus. Nam animos eorum vel occasio non intellectæ epistolæ, quam ipse eis miserat, vel ficta revelatio quæ per somnium deceperat, vel aliquorum conjectura, Isaiæ et Danielis evangeliorumque verba de Antichristo prænuntiantia, in illud tempus interpretantium moverat atque turbaverat, ut in majestate sua tunc Christum sperarent esse venturum. Cui errori medetur Apostolus, et exponit quæ ante adventum Christi debeant præstolari, ut eum illa facta fuerint, tunc exspectetur Christus. Parcens tamen eorum verecundiæ vel teneritudini, nequaquam eos aperte reprehendit, quia commoti fuerant, sed ne moveantur rogat, et prius etiam multum eos laudat. Plerumque enim pusillanimes utilius emendamus, si et eorum bene gesta memoramus et si qua ab eis inordinate gesta sunt, non jam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus, ut et illa quæ approbamus, illatus favor augeat; et contra ea quæ reprehendimus, magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat. Unde nunc magister egregius, ut dictum est, cum Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbari, prius in iis quæ fortia prospicit, laudat; et caute monendo postmodum quæ infirma sunt, roborat. Cum enim multa laude digna dixisset, subjunxit hoc de quo loquimur : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini*, etc. Egit enim verus doctor, ut prius audirent laudari quod recognoscerent, et postmodum quod exhortati sequerentur, quatenus eorum mentem, ne admonitio subsequens concuteret, laus præmissa solidaret. Et qui commotos eos vicini finis suspicione cognoverat, non jam redarguebat commotos, sed quasi transacta nesciens, adhuc commoveri prohibebat, ut dum se de ipsa levitate motionis prædicatori suo incognitos crederent, tanto reprehensibiliores essent, quanto magis ab illo se cognosci formidarent.

« Ne quis vos seducat ullo modo (*Matth.* XXIV ; *Ephes.* V). Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis ? Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui (*Isa.* XI), et destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et in signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. »

Videte, inquit, *ne quis vos seducat ullo modo*, id est ne quis errorem trahat vos, aut per spiritum, aut per sermonem, aut per epistolam, aut per aliam quemlibet seductionis modum, ut credatis instare diem Domini. *Quoniam* non instabit, *nisi primum venerit discessio*, ut omnes gentes quæ Romano imperio subjacent, discedant, ab eo; sive ut multitudo Ecclesiarum discedat a pontifice Romano, aut multitudo hominum discedat a fide, et nisi *revelatus*, id est manifestatus et ostensus *fuerit*, qui omnium prophetarum verbis prænuntiatur, *homo peccati*, id est Antichristus, qui non est Deus justitiæ, ut fateget, sed homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est; *et filius perditionis*, id est diaboli, qui est universorum perditio, vel filius perditionis, id est natus ad hoc ut perdat alios, et tandem ipse perdatur, qui scilicet homo pestifer, adversatur Christo, ideo vocatur Antichristus, id est contrarius Christo. Vel omnium saluti adversatur, *et extollitur*, id est effert se *supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, id est super illos qui nuncupative, non essentialiter sunt dii, et super illum qui naturaliter est Deus. Deus enim dici aliquando et homo potest, quod juxta Moysen dicitur : « Ecce constitui te Deum Pharaonis (*Exod.* VII). » Deus vero coli, purus homo non potest. Quia vero se Antichristus et super sanctos quosque homines, et super ipsius potentiam divinitatis extollit per exactum sibi nomen gloriæ, et hoc quod Deus dicitur, et hoc quod Deus colitur, transire conatur. Et ita erigetur, ut sedeat et se adorari jubeat *in templo Dei* (*II Cor.* VI), fortasse quod est in Jerusalem. Vel potius in templo Dei sedebit, id est in mentibus Christianorum quos seducet, qui fuerant templum Dei. Nam juxta hunc sensum dicitur in Psalmo : « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum (*Psal.* LXXVIII). » Gentes enim templum Dei polluerunt, quando pagani quosdam Christianos in persecutione idolis sacrificare coegerunt. In hujusmodi igitur templo sedebit Antichristus, *ostendens se tanquam sit Deus*, id est, super eorum mentes quos seducere poterit fasta gloriæ sæcularis, erigetur, ita ut cum sit homo peccator, homo tamen existimari despiciens, Deum se super homines mentiatur. Nisi ita fuerit Romanum imperium antea desolatum, et Antichristus ita manifestus præcesserit, Christus non veniet, qui ideo venturus est, ut Antichristum destruat. *Non retinetis* in corde *quod hæc* ipsa quæ nunc scribo per epistolam *cum adhuc apud vos essem*, præsenti sermone narrabam et *dicebam vobis*, Christum scilicet non esse venturum, nisi præcesserit Antichristus! Hoc debuissetis firmiter retinere, nec de suspicione

Digitized by Google

proximi adventus Domini fluctuare. Ego præsens dicebam Antichristum prius venturum. *Et nunc quid detineat scitis*, id est quæ causa sit quod Antichristus modo non veniat, optime nostis. Quoniam scire illos dixit, aperte hic dicere noluit; et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, aut vix aut nequaquam pervenire valemus ad id quod ipse in hoc loco sensit. De Romano tamen imperio intelligitur, qui et ideo videtur aperte noluisse dicere illud esse destruendum, quod ipsi qui imperabant æternum putabant, ne eos in odium Christiani nominis excitaret. Si enim aperte et audacter dixisset: Non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium, justa causa perditionis adversus nascentem tunc Ecclesiam consurgere videretur. Velavit ergo quadam obscuritate quod dicebat, ne Romanos incitaret ad persecutionem Ecclesiæ, vel impediret a suscipienda fide. Scitis, inquit, quid eum nunc detineat, ut modo non veniat, hoc scilicet detinet eum, quia ea quæ fieri debet ante adventum ejus, prius facienda erit discessio, ut gentes discedant a Romano imperio, sicut jam factum cernimus. Et adhuc prius est facienda gravior discessio, ut ingens multitudo eorum qui Christianitatis vocabulum portant, discedat a religione, vel ab ipsa fide Christiana, in tantum ut cum venerit Antichristus, facile suscipiat eum. Hoc et his similia sunt quæ adhuc detinent et retardant eum. Non enim debet aut potest venire, nisi quando ita depravatum fuerit genus humanum ut cum venerit, mox suscipiat eum. Scitis quid eum nunc detineat, id est quæ causa sit dilationis ejus, *ut reveletur*, id est manifestius cunctis appareat *in tempore suo*, id est sibi congruo, quando videlicet Satanas solvetur et adversus Ecclesiam totis viribus relaxabitur. Tunc namque erit tempus Antichristi, quia tunc regnabit, cum quod voluerit faciet, ideoque tunc aperte revelabitur. Nam in membris suis *jam operatur mysterium iniquitatis*. Quod est dicere multis malis atque peccatis quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur adventus; et quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur. Sic ergo in Nerone, cujus opera velut Antichristi videbantur, et in cæteris similibus operatur adversarius ille jam ab ipso tempore apostolorum mysterium iniquitatis, quia Nero et cæteri tales præfiguraut eum, sicut Abel et Isaac et David præfiguraverunt Christum, tantum hoc restat, *ut qui nunc* imperat, imperet donec in medio fiat, id est donec de medio tollatur. Tantum ut Romanum imperium, quod nunc fere universas gentes, *tenet*, *teneat eas donec de medio fiat*, id est donec illa potestas auferatur de medio mundi, quia omnes undique Romam confluebant velut ad caput. Vel de medio fiat, id est de communi tollatur illa potestas. De medio enim fieri, est de communi hominum aspectu auferri. *Et tunc revelabitur ille iniquus*, *quem* significare Antichristum nullus ambigit. Vel ita: Scitis quid nunc detineat eum, hoc fortasse, quia nondum sic depravati sunt omnes, ut statim suscipe- A rent illum, ut reveletur in suo tempore, quando parati erunt homines illum suscipere. Nam mysterium jam operatur iniquitatis. Ac si dicatur: Tunc Antichristus manifestus videbitur, nam in cordibus iniquorum secreta sua jam nunc occultus operatur. Jam in malis et fictis qui sunt in ecclesia, operatur mysterium iniquitatis. Quod ideo dicitur mysterium, quia videtur occultum, quia tales operarii ostendunt se velut ministros aut famulos Christi, cum revera ministri sint Antichristi. Nam iniquitas eorum est mystica, id est pietatis nomine palliata et sub specie boni perpetrat malum. Tantum est, ut qui tenet nunc fidem Christianæ religionis, teneat illam, id est tenaciter perseveret in ea, donec de medio fiat, id est donec de medio Ecclesiæ exeat mysterium iniquita- B tis, quod nunc occultum est, cum manifestum erit, quando omnes de Ecclesia palam exibunt, qui non ad Christum, sed ad Antichristum pertinebunt. *Et tunc revelabitur iniquus*. Vel Romanus pontifex, qui tenet nunc Ecclesias teneat illas donec de medio fiat, id est donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ est medium et cor Ecclesiarum, fiat iniquitas, ob quam ab ea multæ discedant Ecclesiæ. Variis modis intelliguntur hæc Apostoli obscurissima verba, ubi tamen nullum temporis spatium aperuit. Ait enim ut reveletur in suo tempore, nec dixit post quantum temporis id futurum sit. Et subjunxit, nam mysterium operatur iniquitatis, nec expressit quandiu hoc operetur. Item quod sequitur, *tantum qui tenet* C *nunc, teneat donec de medio fiat, et tunc revelabitur ille iniquus*, docet nos Antichristum manifestum futurum; sed post quantum temporis revelandus sit, nec saltem obscure locutus est Apostolus. Quid enim sit, qui modo tenet teneat; vel quid sibi velit, donec de medio fiat, potest quisque sic coaptare, ut intelligat vel aliquatenus suspicetur, quia quoquo modo scriptum legit, quandiu teneat, aut post quanta temporum spatia de medio fiat, hic tacetur omnino. Sed quantumcunque longum ac breve sit hoc intervallum, omnia tamen in eo fient, quæ prius fieri debent; et tunc Antichristus manifeste revelabitur fons totius iniquitatis. Qui nec modo in membris suis, nec tunc in seipso timendus est, quia ipsum *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, id est in- D visibili virtute spiritus sui, procedentis a se sicut a Patre, divina scilicet potestate et imperio majestatis suæ, cujus jussisse fecisse est, non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in auxilio angelorum. Sed quomodo tenebræ solis fugantur adventu, sic *et illustratione adventus sui eum* Dominus destruet atque delebit. Occidetur autem sicut e volumine Danielis intelligimus (*Dan.* XI), in monte Oliveti in papilione in solio suo, illo videlicet loco, quo Dominus in cœlum ascendit (*Act.* I). Post cujus interfectionem concedentur ad pœnitentiam quadraginta quinque dies his, qui ad vitam præordinati sunt, et persecutionem illam non sine offensione transierunt. Utrum vero completis illis quadraginta quinque diebus, mox adveniat Dominus, an adhuc

Digitized by Google

supersit aliquantulum temporis, omnino nescimus. Quod ergo dicitur : *Quia Dominus Jesus interficiet eum in spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* non ita intelligendum est, quasi in ipso judicis adventu sit interficiendus atque destruendus, sed antea. Illustratio enim adventus ejus non inconvenienter intelligitur aliqua claritas prænuntians adventum ejus, quæ tanta sit, ut visa ea, mox præ timore moriatur ille pestifer. Destruet itaque eum Dominus, *cujus est adventus secundum operationem Satanæ*, id est qui cum venerit faciet omnia diabolo instigante, non tamen sine sensu, ut phrenetici, qui culpam non habent de malis quæ faciunt. Nam sicut Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* v); ita diabolus erit in Antichristo, mundum seducens. Et sicut Christus ait : « Pater in me manens, ipse facit opera (*Joan.* XIV); » sic diabolus in Antichristo manens, faciet omnia quæ illi videbitur facere. Ejus itaque adventus erit secundum operationem Satanæ *in omni virtute*, quia tunc Satanas relaxabitur, ut in omni virtute sua per eum operetur ; et operabitur *signis*, quæ in quocunque tempore significent aliquid ; *et prodigiis*, quæ in futuro tantum aliquid significent. Vel signis minoribus et prodigiis majoribus. Quæ scilicet signa et prodigia erunt mendacia, id est falsa ; sive quia mortales sensus per magica phantasmata decepturus est, ut quod non faciet, facere videatur ; sive quia illa ipsa etiamsi erunt prodigia, ad mendacium pertrahent credituros. Operabitur ergo per eum et per sequaces ejus Satanas in omni virtute fortitudinis contrariæ, et in signis atque prodigiis falsorum miraculorum vel ad falsitatem ducentium ; *et in omni seductione iniquitatis*, quia simulabit se religiosum, ut sub specie decipiat pietatis, imo se Deum esse dicet, et se adorari faciet, atque regna cœlorum promittet. Alios quoque donis temporalium divitiarum corrumpet, alios autem cruciatibus et minis atque terroribus franget ; et in omni arte seductionis fraudes suas exercebit *his qui pereunt*, id est qui ad vitam prædestinati non sunt, sed ad perditionem vadunt. Illa ergo Antichristi tentatio cunctis præteritis major apparebit, quando pius martyr corpus suum tormentis subjiciet, et tamen ante ejus oculos miracula tortor faciet. Quis enim ad fidem convertatur incredulus, cujus jam credentis non paveat, et concutiatur fides, quando persecutor pietatis fiet etiam operator virtutis, idemque ipse qui tormentis sæviet ut Christus negetur, miraculis provocabit ut Antichristo credatur? Sed potens est spiritus Dei, corda suorum etiam inter tam gravia tentamenta custodire. Nam his signis atque prodigiis seducentur, qui seduci merebuntur, *eo quod charitatem veritatis non receperunt*, Judæi scilicet vel alii infideles, qui noluerunt recipere charitatem veritatis, id est spiritum Christi. Dicitur enim Spiritus sanctus charitas, et Christus est veritas (*ibid.*). Charitas ergo veritatis, ut diximus, est spiritus Christi. Sed hanc charitatem Judæi non receperunt *ut salvi fierent*, ideo seducentur ut pereant. Vel charitatem veritatis non receperunt, ut non bona spiritalia concupiscerent, sed carnalia. Et quia spe invisibilium bonorum gaudere non norunt, in laqueos Antichristi ruituri sunt, ut credant mendacio, quod illo duce velut in conspectu inimicorum suorum visibilium, qui eos visibiliter captivaverant, habituri sint visibilem gloriam. Quia ergo veritatem charitatis non receperunt, ut invisibilia bona, quæ sola sunt vera, diligerent, et Salvatore suscepto salvi fierent, *ideo mittet*, id est venire permittet *illis Deus* non operatorem, sed ipsam *operationem*, id est fontem *erroris*, *ut credant mendacio* quia « mendax est ille ipse et pater ejus (*Joan.* VIII). » *Ut judicentur*, id est in adventu judicis condemnentur *omnes qui non crediderunt veritati Christi*, *sed consenserunt iniquitati* Antichristi. Deus illis operationem erroris mittet, quia diabolum facere ista permittet juste ipse judicio, quamvis faciat ille iniquo malignorum concilio. Ut judicentur, inquit, omnes et cætera. Proinde judicandi seducentur, et seducti etiam judicabuntur. Sed judicandi seducuntur illis judiciis Dei, occulte justis, juste occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam judicare cessavit, seducti autem judicabuntur novissimo manifestissimoque judicio. Et quidem si Antichristus de virgine natus esset, et prior venisset in mundum, poterant Judæi habere excusationem et dicere quod postea venerit veritas, et ideo primitus mendacium poterant pro veritate suscipere, sed cum non ita sit, ideo judicandi sunt, imo procul dubio condemnandi, quia Christi veritate contempta, postea mendacium, id est Antichristum susceperi sunt.

« Nos autem gratias agere debemus Deo semper « pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit nos « Deus primitias in salutem, in sanctificatione spi« ritus et in fide veritatis, in quam et vocavit vos « per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ « Domini nostri Jesu Christi. »

Illi condemnabuntur, qui veritate reprobata mendacium suscipient ; sed nos et vos salvabimur, qui veritatem suscepimus, unde et gratias agere debemus. Et hoc est : *Nos autem debemus semper gratias agere Deo pro vobis*, quos ad suam notitiam vocavit, o *fratres dilecti a Deo*, pro merito vestræ sanctitatis, vel dilecti ab eo gratis priusquam aliquid boni meruissetis, et sic per prævenientem dilectionem vocati, quoniam ipse prior dilexit nos. Gratias, inquam, Deo agere debemus, eo quod ab æterno *elegerit nos* apostolos Deus in consilio providentiæ vel sapientiæ suæ, et elegerit nos *primitias*, id est primos et præcipuos, non ultimo tempore periculoso, sed in exordiis evangelicæ gratiæ et hoc in *salutem* æternam, ut in eam nos perducat, positos *in sanctificatione spiritus*, qui in baptismo sanctificat *et in fide veritatis*, non erroris, quia quidquid nostra fides credit, verum est, nec fallitur opinione alicujus erroris, sicut illi qui sequuntur Antichri-

Digitized by Google

stum : *In quam fidem et vos vocavit*, id est non solum nos primitus vocavit, sed etiam deinde vos *per Evangelium nostrum* quod vobis prædicavimus, *in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi*, id est ut per fidem acquiratis gloriam quam habet Jesus. Vel in acquisitionem gloriæ Christi, id est ut vos sibi Christus acquireret, ad glorificandum se, ut essetis populus acquisitionis, et bene vivendo glorificaretis (*I Petr.* II).

« Itaque, fratres, state et tenete traditiones quas « didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam « nostram. Ipse autem Dominus noster Jesus Chris- « stus, et Deus et Pater noster qui dilexit nos, et « dedit consolationem æternam et spem bonam in « gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in « omni opere et sermone bono. »

Quandoquidem vos Deus ad fidem convertit, ut per hanc ad gloriam pertingatis, nec instat adhuc dies Domini. *Itaque, fratres, state* in fide, et nolite moveri a vestro sensu, ut stare firmiter in fide valeatis, atque statum rectitudinis in operibus bonis servetis, tenete in corde et operibus *traditiones quas didicistis, sive per sermonem* nostrum, dum essemus præsentes; *sive per epistolam*, quam vobis misimus absentes. Et nos quidem sermonibus et epistolis vos admonemus, ut in bono stetis; sed ipse Deus per internam gratiam suam exhortetur interius corda vestra. Nos enim foris in vacuum laboramus, si ipse intus non fuerit operatus. Et ideo *ipse Dominus noster Jesus Christus*, qui nos suo dominio pie mancipavit; *et Deus* qui nos creavit, et Pater noster, qui nos in filios adoptavit, et paterno affectu *nos dilexit*, dans Unigenitum pro nobis, et per Spiritum Paracletum, qui interpretatur *consolator*, dedit nobis *consolationem æternam*, cum jam inter adversa præsentis miseriæ incipimus æterna gaudia prægustare; *et spem bonam*, qua de exsilio ad patriam exspectamus redire in gratia, id est in ejus gratuito munere, quia hoc non merueramus; ipse, inquam, Filius et Pater, qui jam tot et tanta nobis largitus est, *exhortetur corda vestra*, id est incitet ad meliora voluntates vestras, *et confirmet* contra impugnantes *in omni opere* bono, *et* in omni *sermone bono*.

CAPUT III.

« De cætero, fratres, orate pro vobis, ut sermo « Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos, et « ut liberemur ab importunis et malis hominibus. « Non enim omnium est fides. Fidelis autem Domi- « nus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. « Confidimus autem de vobis, fratres, in Domino, « quoniam quæ præcipimus vobis, et facitis et fa- « cietis. Dominus autem dirigat corda vestra in « charitate Dei et patientia Christi. »

De his quæ ad vos pertinent, diximus et monumus quomodo agere debeatis; sed *de cætero*, id est de eo quod ad alios pertinet, *fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei* quem loquimur, *currat* sine impedimento ad omnes gentes, ut multi velociter conver- A tantur. Currat, id est sine obstaculo festinanter ad omnes perveniat; *et clarificetur*, id est clarus et intelligibilis fiat audientibus, *sicut et apud vos* cucurrit et clarificatus est; et orate *ut liberemur*, ne detineamur *ab importunis et malis hominibus*, id est infidelibus, qui resistunt nobis, sed ubique liberi discurremus ad prædicandum. Liberemur ab importunis, id est infidelibus, qui resistunt veritati; disputando verbis contra eam, et malitia nos persequuntur, et tormentis cruciant. Ideo dico liberemur, quia *non omnium est fides*, id est non ad omnes pertinet fides, id est non adhuc omnes fidem acceperunt, qui accepturi sunt. Vel orate ut liberemur, quia non omnium est fides, id est non ad omnes pertinet fides, non omnes crediturі sunt B etiam orantibus vobis, sed tantum qui præordinati sunt. Nam posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum, habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratia est fidelium. Ideo autem Deus per orationes fidelium non credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quod se rogari præcepit ut faciat. Non omnium est fides, sed tamen nolite eos timere qui sine fide sunt, quia *Dominus est fidelis*, id est verax in promissis, quæ pollicitus est electis suis, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Fidelis est, id est C fideliter adimplens quæ promisit, *qui confirmabit vos in bono, et custodiet a malo*. Confirmabit, id est firmos et stabiles faciet, ne sitis « fluctuantes, et circumferamini omni vento doctrinæ in nequitia hominum (*Ephes.* IV), » et custodiet a malo, non ut nihil adversitatis patiamini, sed ut nihil possit nocere vobis. Diximus ut teneatis traditiones nostras, et cætera quæ jussimus impleatis; nec puto frustra, sed *confidimus de vobis, fratres, in Domino*, qui in vobis operatur, *quoniam ea quæ præcipimus vobis, et nunc facitis, et semper facietis*. Sed ne frustra hæc de vobis confidamus, Dominus, id est Spiritus sanctus *dirigat corda vestra*, id est rectas faciat voluntates vestras, existentes *in charitate Dei* Patris, ut eum toto corde diligatis; *et in patien-* D *tia Christi*, ut parati sitis libenter pati pro Christo, sicut ille passus est pro vobis. Tota Trinitas in hac brevi sententia declaratur. Dominus enim præmittitur, ipse, ut diximus, est Spiritus sanctus. Qui recte Dominus appellatur, sicut Pater et Filius, quia ubi vult spirat (*Joan.* III), et quidquid vult facit, atque regit universa, nec regitur, ut omnia illi serviunt. Unde et in superiori etiam epistola similiter Dominum Apostolus eum vocavit, dicens : « Vos autem Dominus multiplicet (*I Thess.* III), » etc. Post hoc autem de curiosis agitur, cum subditur :

« Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine « Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab « omni fratre ambulante inordinate, et non secun-

Digitized by Google

« dum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi « enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos « (*II Cor.* XI). Quoniam non inquieti fuimus inter « vos, neque gratis panem manducavimus ab ali- « quo, sed in labore et fatigatione, nocte et die « operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non « quasi non habuerimus potestatem, sed ut nos- « metipsos formam daremus vobis ad imitandum « nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denun- « tiabamus vobis, quoniam si quis non vult ope- « rari, nec manducet. Audivimus enim inter vos « quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed « curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, de- « nuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, « ut cum silentio operantes, suum panem manducent. »

Vos quidem præcepta nostra *sicut confidimus* fa- B citis et facietis, sed quicunque ea non fecerint, subtrahite vos ab illis. Et hoc *vobis denuntiamus, fratres*, id est de hac re nuntium vobis divinum afferimus *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, id est in auctoritate nominis ejus, vel in gloria ejus, ut propter reverentiam nominis ejus, vel propter gloriam nominis ejus faciatis quæ dicimus, ut scilicet *subtrahatis vos* et separetis *ab omni fratre*, id est ab omni Christiano *ambulante inordinate*, id est vivente non sicut ordo naturæ, vel ordo Christianæ religionis exigit, et ambulante *non secundum traditionem* ambulandi, id est vivendi vel operandi *quam acceperunt a nobis*. Ab omni fratre qui sic ambulat, vos subtrahite, id est non communicetis ei in cibo, vel in potu, vel in C mercatura, sive in colloquio, vel in alia re, nisi causa corrigendi eum, ne participes sitis delictorum ejus; sed vitate eum, ne videamini fovere pravitatem ejus ut erubescat et corrigatur, cum se viderit ab omnibus caveri. Ab eis qui non secundum traditionem nostram ambulant, vos subtrahite; nam vos *ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos*, id est non est opus ut exponam vobis eam traditionem, quia scitis eam. Scitis videlicet quomodo, qui recte volunt ambulare, debent ambulare per viam, per quam nos ambulamus, id est exempla nostra sequi. *Quoniam non inquieti fuimus inter vos*, ut illi qui aliena negotia curant otiose vagantes huc et illuc, ac divinum officium relinquentes, et vitam singulorum superflue scrutantes, ac fratribus D detrahentes, et murmurationes ac dissensiones, vel scandala nutrientes. Dum enim vacant et nihil operantur, callidus hostis vanam mentem eorum occupat talibus, quia sicut scriptum est, « multam malitiam docuit otiositas (*Eccli.* XXXIII). » Sed nos non ita fuimus inquieti. *Neque gratis*, id est, sine pretio justi laboris *manducavimus*, non dico deliciosas escas, sed nec ipsum *panem* sumptum *ab aliquo, sed in labore* manuum *et fatigatione*, quia laboramus usque ad fatigationem; *nocte et die operantes* unde victum haberemus *ne quem vestrum gravaremus*, id est ne alicui vestrum essemus oneri stipendia sumendo. Et *non* laboravimus *quasi non habuerimus potestatem* sumendi vestra, id est non A ideo victum proprio labore quæsivimus, quod non possemus a vobis accipere sumptus, *sed* ideo *ut nosmetipsos formam daremus vobis*, id est exemplum ad imitandum nos, id est ut vos otium dimitteretis, et in opere nos imitaremini. Si enim nos cum possemus ex prædicatione victum habere, maluimus ex labore nostro vivere, multo magis vos debetis in sudore vultus panem vestrum præparare (*Gen.* V). Propter aliam causam apud justos in opere laboravit Apostolus, et propter aliam apud Corinthios. Corinthii enim tenaces erant, et multis vitiis occupati; et si quid Apostolo dedissent, videretur eis quod Apostolus deberet levius erga eos agere, nec aspere increpare, sed eis blandiri propter dona ipsorum. Isti vero solebant in otio vivere, et idcirco dedit illis Apostolus in seipso exemplum operandi manibus propriis, ut inde haberent unde possent vivere, et indigentibus eleemosynam præbere. Sciendum itaque beatum Apostolum opera corporalia servo Dei operari voluisse, quæ finem haberent in magnam spiritalem mercedem, ad hoc ut et ipsi victu ac tegumento nullo indigerent, et manibus suis hoc sibi procurarent. Neque huic apostolico præcepto ex exemplo contrarium est quod Dominus ait: « Nolite solliciti esse, dicentes quid manducabimus, aut quod bibemus, aut quo operiemur? » (*Matth.* VI.) Non enim Dominus prohibuit servis suis ut ista non procurent, quantum necessitati sat est, unde honeste vivere possint, sed superfluitatem nimiæ sollicitudinis deliciosarum escarum et vestium interdixit. Non enim ait: Ne solliciti sitis animæ vestræ ut manducetis, sed quid manducetis; neque corpori vestro ut induamini, sed quid induamini: prohibens scilicet nimiam accurationem in eligendis vestibus et cibis, non laborem operis, aut moderatam curam in rebus necessariis. Nos ipsos, inquit, formam dedimus vobis, ut nos imitaremini in labore operis, nam et hoc dicebamus vobis. Qui videlicet non solum nunc dum sumus absentes, hoc vobis dicimus; sed etiam *cum essemus* præsentes *apud vos denuntiabamus* ac præcipiebamus *vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Non diximus, si quis non operatur, non manducet, sed, *si quis non vult operari*, quia sunt nonnulli qui vellent, sed non possunt, et ideo licet non operentur, inculpabiles tamen sunt, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). Qui vero possunt, sed nolunt, illi merito culpantur, et illis etiam corporeus cibus interdicitur. Idcirco autem et laboris nostri mentionem fecimus, et ut similiter agatis præcipimus, atque superius, ut ab omni fratre ambulante inordinate vos subtrahatis, admonuimus, quia *audivimus*, id est relatum est nobis, *quosdam inter vos ambulare inquiete*, id est de loco ad locum tota die vagari, et *nihil operantes* manibus suis, quod utile sit illis vel aliis, *sed curiose agentes*, id est cum quadam superflua et inutili sollicitudine et studio, quærentes ab aliis quid agat rex Francorum, aut quanti sit au-

Digitized by Google

bona, seu quale tempus in hoc anno sit futurum, vel his similia. Multa enim breviter hic reprehendit vitia, id est inquietudinem et otiositatem et curiositatem et multiloquium, in quo non deerit peccatum (*Prov.* x). Nam inquietudo, dum sollicite domus aliorum circuit, vel aliena acta curiose perquirit, in multis offendit. Curiose enim agunt, qui ad hoc vacant, ut dicere aut audire aliquid novi possint. Sed *his qui ejusmodi sunt denuntiamus, et* insuper *obsecramus*, id est per sacra adjurantes eos rogamus, *in Domino Jesu Christo*, ut saltem propter ejus reverentiam faciant quod dicimus, ut scilicet non curiose loquantur, vel interrogent quid agat ille vel ille, nec otiosi manentes vivant ex alieno labore, sed *cum silentio operantes*, id est linguam refrenantes, et manus in opere exercentes, *manducent* non alienum *panem*, sed *suum*, id est proprio labore præparatum, non ab aliis sibi datum.

« Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. Quod si quis non obedierit verbo nostro per « epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum « illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum « existimare, sed corripite ut fratrem. »

Propter necessitates sanctorum qui, quamvis obtemperent præceptis Apostoli, ut cum silentio operantes panem suum manducent, possunt tamen multis ex causis indigere supplemento aliquo talium sustentationum, ne illi qui habebant unde servis suis necessaria præberent, hac occasione pigrescerent, prævidens continuo subjunxit : *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.* Monuimus, inquit, loquaces et otiosos, ut silentium teneant, et manibus suis operentur, unde victum habeant. Sed vos fratres, qui habetis hujus mundi substantiam, nolite propter hoc quod diximus, deficere benefacientes illis, sed sustentate illos de bonis vestris quia, etsi operentur, possunt tamen nonnullis, imo pluribus indigere, cum sint forsitan infirmæ et delicatæ naturæ. Præcipimus ut operentur quantum poterunt. *Quod*, id est sed *si quis non obedierit verbo nostro*, id est huic præcepto, sive etiam cuilibet alii mandato, quod vobis damus *per epistolam, hunc notate*, id est notam reprehensionis huic imponite. Vel per epistolam hunc notate, id est per litteras quis sit mihi notificate; *et ne commisceamini cum illo*, id est ne communicetis illi, sed excommunicate illum, et a vobis separate, ut a vobis abjectus *confundatur*, id est erubescat, cum se viderit a cunctis abhorreri, et sic vel propter verecundiam corrigatur et obediat. Et licet præcipiam non commisceri, tamen nolite illum *existimare quasi inimicum*, id est nolite illum odio habere, putantes quod sit inimicus, *sed* affectu dilectionis *corripite* illum *ut fratrem*, quia unum habet vobiscum Patrem. Ac si dicat : Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite, ut mentem peccantis sic vestra discordia ferial, quatenus pax a vestris cordibus nec abnegata discedat. Nam, licet cum extraneis vel etiam paganis communia sint agenda, ut per hoc ad amorem nostræ religionis attrahantur, cum fratribus tamen aliquoties non sunt agenda, ut corrigantur. Extranei enim blandimentis ad bene agendum sunt alliciendi : fratres vero, si sponte peccaverunt, asperitate moderata sunt corrigendi.

« Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem « sempiternam in omni loco. Dominus sit cum om- « nibus vobis. Salutatio mea manu Pauli, quod est « signum in omni epistola. Ita scribo. Gratia Do- « mini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. « Amen. »

Monui ut inobedientem fratrem exterius corripiatis, et tamen interius apud vosmetipsos pacem erga eum teneatis ; sed quia hoc non nisi per donum gratiæ cœlestis facere valetis, *ipse Dominus* qui est *pacis* et concordiæ dator et amator, *det vobis pacem* non horariam, sed *sempiternam*, id est quæ finem non habeat. Pacem, id est fraternam concordiam, vel sedationem tribulationum, quas ab adversariis patimini, sive quietem ab impugnatione vitiorum, vel pacem cum Deo et sanctis angelis, quæ nunquam finiatur vel interrumpatur, det ipse vobis *in omni loco*, id est et apud domesticos et apud extraneos, et in hoc sæculo, et in futuro. Et ut pacem habeatis, *Dominus sit cum omnibus vobis*, qui vos et a malo defendat, et in bono custodiat. *Salutatio mea* subjungitur, *scripta manu Pauli*, id est propria manu mea, non manu notarii, *quod est signum in omni epistola*, ut per hoc cognoscatur esse mea *ita enim scribo*. Ne quis pseudo poneret nomen suum in principio pro Pauli nomine, et diceret suam esse epistolam, ideo Paulus in fine consueverat hoc signum ponere, per quod ab eo recognosceretur. Non tamen in unaquaque epistolarum ejus hoc invenitur, sed in ista, et in illa, quæ est ad Colossenses, et in prima ad Corinthios. Galatis hoc idem sic dicitur : « Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu (*Galat.* vi). » Et Philemoni : « Ego Paulus scripsi manu mea (*Philem.* xix). » Quod ergo dicit, quia hoc signum est in omni epistola, non sic intelligendum est, ut prorsus in unaquaque sit hoc ita scriptum, sed in multis, quia omne non semper plenariam universitatem significat, sed aliquando quamdam multitudinem. Nam quod dictum est ad Corinthios : « Salutant vos omnes sancti (*II Cor.* xiii), » nequaquam putandum est quod omnes sancti qui erant in universo mundo, tunc per illam epistolam salutarent eos, cum plures essent qui scriptionem illius epistolæ ignorarent. Similiter et quod Romanis dictum est : « Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi (*Rom.* xvi), » non de omnibus Ecclesiis, quæ erant in orbe, intelligitur. Sic ubi legimus, quia « omnes gentes narrabant de præliis Judæ (*I Mach.* iii), » nequaquam credimus quod omnes gentes quæ erant in Scythia, vel in India, vel in remotis insulis, tunc loquerentur de Machabæi præliis. Multa quoque similia in Scripturis sanctis reperiuntur, in quibus omne, non universitatem significat.

Digitized by Google

Non ergo mentitus est Apostolus, qui dixit hoc signum esse in omni epistola sua, quod tamen non per singulas quasque posuit, quia secundum usitatam Scripturarum sanctarum locutionem hoc dixit. Deinde *gratia Domini nostri Jesu Christi*, inquit, hoc est generale auxilium Christi ad omnia, et donum sit *cum omnibus*, tam majoribus quam minoribus, tam viris quam mulieribus Vel si hoc quod dicit nunc : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*, est illa salutatio quam sua manu in omni epistola pro signo se testatur scribere, tunc veraciter omne potest intelligi universitatem plenarie significare, quia hoc reperitur in fine universajusque epistolæ. Omnes enim quas scripsit finiuntur in precatione gratiæ. *Amen*.

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Sicut Lucas refert, cum discessisset Paulus a Barnaba perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias pervenitque Derbem et Lystram (*Act.* xv, *et* xvi). *Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris viduæ fidelis, patre gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant et Iconio fratres. Hunc voluit secum proficisci, et assumens, circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus gentilis esset. Non propterea circumcidit eum Paulus, quod putaret aliquid justificationis illi tam ex circumcisione pervenire; sed ne Judæi propter eum, si esset incircumcisus, retardarent fidem suscipere. Quem cum postea Paulus in Asia pontificem Ephesiorum reliquisset, pseudoapostoli, qui carnales observantias inducere nitebantur, propter hanc ejus circumcisionem vires in eum assumebant. Ipse minus fortiter quam oporteret resistebat eis. Et ideo scribit ei Apostolus, ostendens quodammodo rationes, quas illi objiciat. Scribit etiam de episcopali officio, quomodo scilicet Ecclesiam instruat, quales presbyteros vel diaconos ordinet, quales viduas honoret; quomodo seipsum in Ecclesia habeat, et quomodo eam regat : Sicque incipit :*

CAPUT PRIMUM.

« Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, Timotheo dilecto filio in fide : Gratia et misericordia et pax a Deo Patre nostro et Jesu Christo Domino nostro. »

Timotheo scribit *Paulus*, cui credendum est, quia est *Apostolus Christi Jesu*, id est legatus regis Salvatoris ; et hac auctoritate munitus, resistit pseudoapostolis. Et est Apostolus non secundum suam præsumptionem, sed *secundum imperium Dei*. Et idcirco qui ei resistit, imperio Dei resistit (*Rom.* xiii). Spiritus sanctus præcepit : « Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos (*Act.* xiii); » et nunc ipse Paulus dicit se apostolum esse juxta imperium Dei, quia imperium Spiritus sancti est imperium Dei Patris, cum inseparabilis sit voluntas et operatio Trinitatis : Paulus est apostolus secundum imperium Dei *Salvatoris nostri, et Jesu Christi spei nostræ*, id est juxta præceptum summi Patris, qui nos salvat, et Filii in quo est spes salutis et gloriæ nostræ, non in carnali observatione. Paulus, qui tantæ auctoritatis est, mittit hanc epistolam *Timotheo dilecto filio in fide*, id est quem ipse genuit non in carne, sed in fide. Licet enim jam fidelis esset, et bonum testimonium haberet, quando Paulus eum invenit, tamen per eum in eadem fide et religione sic instructus est, ut recte dicatur ab eo genitus in fide. Vel in fide scribit ei contra corruptores fidei. Et hunc Filium salutat, dicens : Sit tibi *gratia*, id est donatio Spiritus sancti, qua ministri Dei, id est episcopi armantur; *et misericordia*, per quam divinitus a miseria hujus sæculi, vel omnium malorum libereris (*I Petr.* iv) ; *et pax*, id est tranquillitas animi et prælibatio æternæ pacis, ut, vitiis et hostibus superatis, in pacata quiescas Ecclesia. Et hoc sit tibi *a Deo Patre nostro*, qui nos creavit, atque paterno affectu nos diligit ; *et a Christo Jesu Domino nostro*, id est ab eo quem unxit Deus, et Salvatorem constituit, qui et nos suo dominio clementer mancipavit.

« Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi, cum irem « in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne « aliter docerent, neque intenderent fabulis et ge« nealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant « magis quam ædificationem, quæ est in fide. »

Ita sit tibi gratia, misericordia et pax, *sicut rogavi te ut remaneres Ephesi*, id est resideres postilla apud Ephesios. Vel subauditur, ita fac, sicut rogavi te facere cum irem in Macedoniam, ut scilicet remaneres Ephesi, id est vice mea præsens ageres, et ordinares Ecclesiam Ephesi, quam ego absens non poteram sufficienter gubernare, *ut denuntiares*, id est ex parte Dei nuntius esses *quibusdam*, quorum nomina Spiritus sanctus, qui in me loquitur, ignorat, *ne aliter* quam nos *docerent*, *neque* audiares eorum *intenderent eorum fabulis et genealogiis interminatis*, id est locutionibus generationum et computationibus, quæ sine termino sunt præ longitudine, quia finis earum non potest inveniri ; quæ ideo sunt respuendæ, quia *præstant quæstiones* disputationum, id est generant lites *magis*, id est potius, *quam ædificationem* morum et justitiæ, *quæ est in fide*, non in

Digitized by Google

carnali observatione. Prius præcipitur de pseudo repellendis, tam doctoribus quam auditoribus, ut illis primo repulsis, deinde valeat puritas catholicæ veritatis prædicari et audiri. Fabulas vocat, quas alibi traditiones dicit, quas præter legitimas et propheticas Scripturas Judæi tenent, quas non scriptas habent, sed memoriter retinent, et alter in alterum loquendo transfundit, quas deuterosim vocant. Ubi etiam dicere audent et credere, Deum homini duas creasse mulieres, ex quibus texunt genealogias vere, sicut tunc dicit Apostolus infinitas, parientes infructuosissimas quæstiones. Et pseudoapostoli, qui volebant esse partim Judæi, partim Christiani, erant autem hæretici, docebant apud Ephesios non solum carnales observantias legis, sed etiam has Judæorum traditiones a libris propheticis et legitimis alienas, et nonnulli Ephesiorum intendebant verbis eorum. Sed Timotheus ad hoc relictus est Ephesi, ut auditores et doctores hujusmodi corrigeret aut expelleret.

« Finis autem præcepti est charitas de corde puro « et conscientia bona et fide non ficta. A quibus « quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, « volentes esse legis doctores, non intelligentes « neque quæ loquuntur, neque de quibus affir- « mant. »

Ipsi docent fabulas et legem carnaliter implendam, sed *finis præcepti*, hoc est plenitudo legis *est charitas*. Finis enim non consumptionem præcepti, sed consummationem hoc loco significat. Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est ad charitatem refertur omne præceptum, et per charitatem impletur. Totam enim magnitudinem et amplitudinem divinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum proximumque diligimus. Finis igitur, id est consummatio omnis præcepti, quod vel in Veteri, vel in Novo Testamento legitur, charitas est non qualiscunque, sed ea quæ est *de puro corde*. Nam et male viventes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, et dicuntur se amare, nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad mutuam sibi præsentiam. Sed amor iste tartareus est. Quamobrem ut a tali amore vera charitas Christianorum distinguatur, de corde puro esse dicitur. Latrones enim inter se et cæteri tales, charitatem de corde puro non habent, quia purum cor in charitate est, quando diligitur homo secundum Deum, et nihil aliud quam id quod diligendum est, diligitur, *et conscientia bona* subjungitur propter spem, et conscientiam ponit pro spe. Ille enim sperat, qui conscientiam bonam gerit; quem vero pungit conscientia mala, retrahit se a se, et non sibi exspectat nisi damnationem. Tertio *et fide*, inquit, *non ficta*. Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc et non diligimus, quod non est diligendum, et recte id credimus quod speramus, et speramus quod credimus, ut in nullo spes nostra fallatur. Qui vero fingunt sibi quod credant et sperent sicut hæretici et Judæi sive gentiles, fidem habent fictam et ideo non possunt habere charitatem, quæ complet mandatum. Ille etiam fidem habet fictam, qui bene quidem credit, sed propter metum aut verecundiam, seu propter quamlibet aliam causam non confitetur quod credit, sed quodammodo fingit se non credere. Sed illa charitas consummat omne præceptum, quæ est de corde puro, quæ nihil diligit, nisi quod debet diligi; et de conscientia bona, id est de bona spe quam gerit conscientia bene operantis; et de fide non ficta, id est non ab hominibus inventa, sed a divinis eloquiis sumpta; vel non ficta, id est non propter metum in corde celata, sed oris confessione libere prolata. *A quibus* virtutibus, id est a charitate de corde puro, et a spe bonæ conscientiæ, et a fide vera quidam procul aberraverunt, putantes se Deum et proximum puro corde diligere, cum non pure diligerent; putantes se spem bonæ conscientiæ habere sine meritis actionis religiosæ, et putantes se non fictam fidem habere, cum haberent fiduciam, sed fallebantur. Tales erant qui carnales observantias prædicabant, quia Deum se diligere putabant, cum non diligerent eum, sicut in actione eorum declarabatur, dum putarent se præcepta ejus adimplere, sed magis ea transgrederentur; et putabant se bonam habere conscientiam, quasi de observatione legis, et æstimabant se fidem non fictam habere, sed a divinis eloquiis sumptam, eum magis haberent fictitiam, credentes Deum hircorum atque taurorum sanguine delectari et odore thymiamatis, quem nos homines sæpe declinamus. Et hoc est quod dicitur, quia *quidam* a charitate et a bona conscientia et a fide non ficta *aberrantes, conversi sunt in vaniloquium*, ut vane loquantur de lege, *volentes esse doctores legis*, dum carnaliter eam docent observari debere; *non intelligentes* verba quæ docent, videlicet *neque ea quæ ipsi loquuntur*, id est verba quæ docent et mandata carnalium cæremoniarum quæ ipsi docent, quia non intelligunt quid sit Sabbatum vel circumcisio, vel hirci seu tauri immolatio vel aliquid hujusmodi, id est nesciunt quid in his significetur, *neque ea intelligunt de quibus affirmant*, id est auctoritates, et quibus assumunt quædam testimonia, per quæ conantur asserere cæremonias illas juxta litteram carnaliter esse complendas, quia non animadvertunt Scripturarum intentionem, et sensum spiritalem, ideoque vana loquuntur, volentes esse magistri aliorum, cum ipsi nihil sciant. Vel neque ea quæ loquuntur, neque ea de quibus affirmant, intelligunt, id est neque quæstiones quas proponunt, neque rationes quibus eas probant. Similiter faciunt hæretici, vel quilibet temerarii præsumptores, cum, si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi et convinci cœperint ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, libros sanctos unde id probent proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affir-

Digitized by Google

tinant. Postquam his verbis Apostolus improbavit adversarios, mox suam partem approbat, subdens :

« Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur, sciens hoc quia lex justo non est « posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis « et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum « concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, « quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, « quod creditum est mihi. »

Ipsi non intelligunt legem quam docere volunt, et ideo vane de eo loquuntur; sed nos intelligimus eam, et ideo vere de ea loquimur. Nam *scimus quia bona*, id est utilis *est lex, si quis ea legitime utatur*, id est sicut intendit ipsa lex, ut scilicet per eam confugiat ad gratiam, *sciens quia justo lex non est posita, sed injustis*. Justo non est lex posita, quæ tamen bona est, si quis ea legitime utatur. Hæc autem duo Apostolus velut inter se contraria connectens, monet lectorem ad scrutandam quæstionem atque solvendam. Quo modo enim bona est lex, si quis ea legitime utatur, si justo non est posita? Nam quis legitime utitur lege, nisi justus? At justo non est lex posita, sed injusto. Annon etiam injustus, ut justus fiat, legitime uti lege debet, qua tanquam pædagogo perducatur ad gratiam (*Gal.* III), per quam solam quod lex jubet, possit implere? Per ipsam quippe justificatur gratis, id est nullis suorum operum præcedentibus meritis. « Alioquin gratia jam non est gratia (*Rom.* II); » quando quidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed ut ea facere valeamus, id est non quia legem implevimus, sed ut legem implere possimus. Injustus ergo legitime lege utitur, ut justus fiat. Quod cum factum fuerit, ea jamjam non utitur tanquam pædagogo, cum eruditus fuerit. Quomodo enim justo lex non est posita, si et injusto est necessaria, non qua injustus ad justificantem gratiam perducatur, sed qua legitime jam justus utatur? Vel legitime utitur lege jam justus, cum eam terrendo imponit injustis, ut cum et in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus incentivo prohibitionis et cumulo prævaricationis augeri, confugiant per fidem ad justificantem gratiam, et per domum spiritus suavitate justitiæ delectati, pœnam litteræ minantis evadant. Ita non erunt contraria, nec pugnabunt inter se duo ista, ut etiam justus bona lege legitime utatur, et tamen justo lex posita non sit. Non enim ex ea justificatus est, sed ex lege fidei qua credidit. Legitime utitur lege, qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem. Et ideo bona est ei lex, quia plurimum prodest ei, dum perducit illum ad gratiam. At huic gratiæ qua justificatur impius, quisquis ingratus velut ad legem implendam de suis viribus fidit, ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere justitiam Dei non est subjectus (*Rom.* X). Et ideo fit ei lex non absolutionis adjutorium, sed criminis vinculum, ideoque non est ei bona, non quia mala sit lex, sed quia peccatum per bonum talibus operatur mortem (*Rom.* VII). Per mandatum enim gravius delinquit, qui per mandatum scit quam malum sit quod admittit. Justo autem non est lex posita, id est imposita ut supra illum sit. In illa enim est potius quam sub illa, quia non sua vita vivit cui coercendi lex imponitur. Injustus vero sub illa est, quia sua vita vivit, cui coercendi lex imponitur. Ut enim sic dicam, ipsam quodammodo legem vivit, qui cum delectatione justitiæ juste vivit, non proprio aut transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Sub lege autem quisque vivit, in quantum peccator est, id est in quantum a veteri homine non est immutatus. Suam enim vitam vivit et ideo lex supra illum est, quia qui eam non implet, infra illam est. Sed pseudoapostoli hæc non intelligentes, non legitime utebantur lege, et ideo volebant eam imponere justis, id est Christianis per gratiam juste viventibus. Nec contrarium est huic sententiæ Apostoli, quod Psalmista utique justus precatur : « Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum (*Psal.* CXVIII), » quia de Novi Testamenti gratia id postulat, cum de duritia litteræ Veteris Instrumenti dicat Apostolus, legem non esse justo positam, sed injusto. Qui enim sponte facit ea, quæ lex moraliter jubet vel amplius, cur ei necessitas legis imponeretur? Libertate enim facit, non necessitate, quod facit. Injustus vero, qui sponte noluit bonum facere, cogendus est legis necessitate. Apostolus itaque, ne videretur legem culpare, dicit quia bona est, si quis ea legitime utatur. Et rursus, ne videretur eam inducere, dicit quia non est posita justo ut ei dominetur, sed injustis, id est eis qui legem naturalem non servabant ; *et non subditis*, id est contumacibus, qui cum eis aliquid prohibetur, tunc illud magis ex quadam superbia faciunt. *Impiis* quoque posita est, id est pietatem rectæ fidei non habentibus ; *et peccatoribus*, id est sub ipsa fide graviter peccantibus. Et subsequenter exponitur per partes quibus peccatoribus videlicet *sceleratis*, sicut sunt raptores et fures ac sanguinis effusores ; *et contaminatis*, sicut qui seipsos libidine polluunt, vel etiam turpiloquiis, vel ebrietatibus, inhonestisque conviviis sordidant. *Parricidis quoque et matricidis* lex ponitur, id est iis qui patrem vel matrem occidunt, ut quia lex naturæ in eis est soluta, reformetur per legem litteris scriptam ; *homicidis* etiam, id est hominum occisoribus, et *fornicariis*, id est illis qui miscentur cum meretricibus, *masculorum concubitoribus*, id est Sodomiticam abominationem agentibus; et *plagiariis*, id est sicariis, vel quolibet gladio plagas facientibus *mendacibus*, qui falsa loquuntur; *et perjuris*, qui falso jurant. His qui talia faciunt est lex imposita, et qui aliud quid tale perpetrant : *si quid aliud adversatur sanæ doctrinæ*, id est morali doctrinæ legis naturalis vel scriptæ, quæ sensum mentis sanat, *quæ* scilicet doctrina *est secundum Evangelium*, id est concordat

Digitized by Google

Evangelio *gloriæ beati Dei*, id est quod prædicat vel dat gloriam Deo, qui ex seipso naturaliter est beatus, cum ipse sit æterna beatitudo, *quod* Evangelium *est mihi creditum* a Deo, sicut fideli dispensatori.

« Gratias ago ei, qui me confortavit in Christo « Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit « ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui et « persecutor et contumeliosus ; sed misericordiam « Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incre- « dulitate. Superabundavit autem gratia Domini « nostri, cum fide et dilectione, quæ est in Christo « Jesu. »

Deus mihi credidit Evangelium, id est commisit prædicationem Evangelii. Unde gratias illi ago, id est laudes ei devotus offero de hoc ejus gratuito dono, quia lex nullum meritum bonum in me posuerat. Ostendit se multis peccatis plenum fuisse sub lege, justificatum vero postquam recessit ab ea. *Gratias*, inquit, *ago ei*, id est Deo Patri, *qui me confortavit*, id est mentem roboravit *in Christo Jesu Domino nostro*, sicque fortem reddidit, ut nec mors, nec vita me possit a Christo separare ; sed fortis sim et ad agenda bona, et ad toleranda mala. Ita me confortavit, et inde gratias illi ago. Et justum est ut illi grates referam, *quia fidelem me existimavit*, id est prævidit, cum sub lege fuissem infidelis. Fidelem, inquam, me existimavit, *ponens in ministerio* prædicationis, quia præscivit me fideliter dispensaturum Evangelium, ita ut nihil subtraherem, nihilque peregrinum adderem, *qui prius sub lege fui blasphemus*, id est male loquens de Jesu Nazareno ; *et persecutor* (*Act.* IX) sanctorum ejus ; *et contumeliosus*, id est contumelias multas verbis et operibus faciens Christianis, *sed misericordiam Dei*, id est remissionem peccatorum a Deo *consecutus sum quia* non malignæ mentis studio id *feci*, *sed ignorans*, id est nesciens me male agere, quia zelo legis fervens, persequebar prædicatores gratiæ et inde putabam me Deo placere ; sicut Dominus prædixerat : « Venit, inquit, hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI). » Quamvis enim et illis sæpe venia concedatur, qui scienter peccaverunt, ego tamen multo facilius ideo sum misericordiam consecutus, quia non per malitiam, sed per ignorantiam peccavi, degens *in incredulitate*, quia ignorabam malum esse persequi Christianos, nec credebam Jesum esse Christum. Nec tantum misericordiam sum consecutus, qua mihi peccata dimitterentur ; sed etiam *superabundavit*, id est super omnem peccatorum meorum enormitatem abundavit, *gratia Domini nostri* Jesu Christi, quia superveniens nova gratia major fuit in me quam fuerat culpa, ut sanctitas vinceret peccata præcedentia. Gratia, inquam, superabundavit in me *cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu*, id est cum fide qua in Christum credidi, et charitate qua dilexi Christum, vel in Christo proximum. Cum hac enim fide et dilectione superabundavit in me magnitudo cœlestis gratiæ, ut divinis charismatibus exuberarem.

« Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores « salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo « misericordiam consecutus sum, ut in me primo « ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad « informationem eorum qui crediturі sunt illi in « vitam æternam. Regi autem sæculorum immor- « tali, invisibili soli Deo honor et gloria in sæcula « sæculorum. Amen. »

Gratia Christi superabundavit in me. Nam *sermo* quem de hac re loquor, est *fidelis*, id est verus ; *et est dignus omni acceptione* cordis et operis, quia corpus et animam salvat, ideoque dignus est, ut omnibus modis accipiatur a cunctis hominibus, tam Judæis quam gentilibus. Et quis est ille sermo ? *quia scilicet Christus Jesus*, id est rex salvator *venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, id est a peccatis salvare, vel a peccatis liberare. Nulla enim causa fuit ei ad nos veniendi, nisi ut peccatores salvos faceret. Omnes autem peccaverunt, vel in seipsis, vel in primo parente. Sed venit unus sine peccato, qui salvos faceret a peccatis. Venit peccatores salvare, *quorum primus ego sum*, non tempore, sed culparum magnitudine, qua omnibus pejor sum. Pejorem enim voluit intelligi primum. quomodo in artificibus quicunque vult ædificare, dicit : Quis est hic primus structor ? quis est primus faber ? Aut si curari vult, dicit : Quis est primus medicus ? Non utique interrogat quis prior sit ætate, aut quis prior sit professione, sed quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi sunt, sic iste in iniquitate primus, et in peccatis excellens. *Sed* cum, inquit, in malis actibus cæteros præissem, dum princeps persecutorum essem, *ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo*, id est maximo peccatore misericordiam consecuto, *ostenderet Christus Jesus omnem patientiam*, qua diu sustinet peccantes, ut tandem convertantur ; et ostenderet eam *ad informationem eorum qui crediturі sunt illi ut eant in vitam æternam*, id est ut informaret eos ad pœnitentiam exemplo meæ conversionis, dum viderent quanta patientia ipse me exspectavit ut converteret, tandemque conversum quanta gratia donavit, ut nemo jam desperare posset remitti sibi quæcumque peccata, cum ego tantorum scelerum indulgentiam accepissem, sed unusquisque peccator sibi diceret : Si Saulus sanctus est, ego quare despero ? Si a tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego vulneribus meis illas manus non optabo ? ad illas manus non festinabo ? Ut hoc dicerent homines, ideo Saulus factus est ex persecutore apostolus. Quia cum venit medicus volens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, et ipsum sanat. Et si pauperrimum inveniat, non ibi quærit mercedem, sed commendat artem. Ita et Christus potentiam specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo, ut omnes deinceps nossent cum sanare posse

Digitized by Google

cunctas infirmitates omnium confugientium ad se. Deinde, ego, inquit, propter hujusmodi causam consecutus sum misericordiam. Sed inde sit honor et gloria *regi sæculorum*, id est Patri et Filio et Spiritui sancto, qui regnat ab æterno in æternum per omnia sæcula, et Dominus atque Rex est omnium rerum, utpote Creator. Regi dico, immortali, id est incommutabili. Nam ubi invenis aliter et aliter, facta est ibi quædam mors. Mors enim est, non esse quod fuit. Et idcirco Deus est vere immortalis, quia nunquam mutatur, sed semper idem ipse permanet (*Psal.* ci). Et est invisibilis in sua substantia, quia videri divinitas humano visu nequaquam potest. Ideo enim dicitur invisibilis, quia hoc videri ab homine non potest, per quod videt homo corpora, non quia mentes piorum visione sua fraudentur, cum scriptum sit: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v). » Vel idcirco Deus invisibilis est, quia ejus magnitudinem nemo saltem valet mente comprehendere, cum et pax ejus exsuperet omnem intellectum. Et iste est solus Deus, quia præter eum nullus alius. Sed movere quemquam potest, quomodo de hoc solo Deo qui est ipsa Trinitas, dictum sit, *invisibili soli Deo*, cum sint etiam quædam creaturæ invisibiles, quia et a Christo condita sunt omnia visibilia et invisibilia. Sed quia sunt dii falsi visibiles, ideo dictum est, invisibili Deo soli *honor et gloria*. Nam est et creatura invisibilis, quæ tamen non est nobis Deus. Honor ergo et gloria soli Deo, qui est Deus invisibilis. Honor sit ei a creaturis, et gloria in essentia sua. Vel honor in bona conversatione sanctorum, et gloria in multiplicatione eorum, perdurans *in sæcula sæculorum*, id est in longitudinem omnium temporum, vel potius in immensitatem spatiorum æternitatis. *Amen.*

« Hoc præceptum tibi commendo, fili Timothee, « secundum præcedentes in te prophetias, ut milites « in illis bonam militiam, habens fidem et bonam « conscientiam; quam quidam repellentes, circa « fidem naufragaverunt. Ex quibus est Hymenæus « et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant « non blasphemare. »

Postquam commemoravit quæ et quanta sunt beneficia Patris et Christi circa peccatores, vult animare Timotheum ad bene agendum, ut scilicet sicut bonus miles pugnet contra vitia, et contra falsos apostolos, et populum sibi commissum defendat et doceat. Hoc, inquit, *præceptum commendo tibi, fili Timothee.* Cum filium vocat, ostendit quia patri præcipienti debet libenter obtemperare. Cum nomen ejus ponit, attentiorem reddit, et ad magnum sui desiderium excitat. Recte etiam Timotheum nominat, quem ad bene agendum provocat, quia Timotheus interpretatur *beneficus.* Hoc præceptum commendo, id est omnibus modis quibus possum mando, et attentius injungo tibi *secundum præcedentes in te prophetias*, id est secundum scientiam Scripturæ prophetarum, quæ jam diu in te est, vel secundum quod spiritus propheticus ostendit mihi de te. Hoc videlicet præ cæteris mandatis commendo, *ut in illis*, hoc est inter alios qui tibi sunt commissi, *milites bonam militiam*, id est in castris Dei sicut strenuus miles prælieris contra universos hostes populi Dei, et spiritualibus armis eos expugnes, ut nec falsi doctores, nec maligni spiritus, nec vitia tibi vel populo quem regis, prævaleant. Bonam exerce militiam, *habens fidem* rectam *et bonam conscientiam*, ut nullius pravi consensus tibi sis conscius, sed cor tuum videat te in omnibus bene velle agere. Ideo enim potest implere quod dico, ut bene milites, quia fidem habes et bonam conscientiam, per quas agitur Dei militia. Et idcirco semper has habere studeto. Quam puritatis ac bonæ voluntatis et humilitatis conscientiam *quidam repellentes*, et consentire peccatis eligentes, ut « qui in sordibus est, sordescat adhuc (*Apoc.* xxii), » dum vento superbiæ impellerentur, *naufragaverunt*, id est navem animæ scopulis errorum fregerunt, atque se et alios in mare hujus sæculi demerserunt. Et ita naufragium pertulerunt *circa fidem* quasi per circuitum veritatis euntes, et non ex toto a fide recedentes, nec tamen intra eam manentes. *Ex quibus est Hymenæus et Alexander*, qui idcirco fidem perdiderunt, et naufragium erroris pertulerunt, quia conscientiam bonæ humilitatis habere noluerunt. Superbia enim demersit eos in pericula errorum, dum doctores videri voluerunt. *Quos tradidi Satanæ*, id est excommunicationi et diabolo vexandos permisi, *ut* vel cruciatibus eruditi *discant non blasphemare*, id est corrigantur, et ad salutem revertantur. Licet enim prima peccati persuasio venerit a Satana, et ipse sit auctor omnium peccatorum, quidam tamen ei traduntur ad correctionem, ut opus Satanæ excludatur opere Satanæ. Nulla enim creatura est, sive quæ in veritate manet dans gloriam Deo, sive quæ in veritate non stetit quærens gloriam suam, quæ aut volens aut nolens divinæ providentiæ non serviat. Sed volens servit, quæ hoc sponte facit quod bonum est. De illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. Nam si etiam ipsi prævaricatores angeli cum principe suo diabolo non recte dicerentur procuratores vel actores providentiæ divinæ, non Dominus principem hujus mundi diabolum diceret (*Joan.* xii, xiv, xvi), nec apostolica potestas ei blasphematores traderet, ut a blasphematione corrigerentur. Sed princeps iste sub tanto imperatore non facit, nisi quantum illi permittitur, et procuratores isti nihil faciunt, nisi quantum Dominus sinit. Non enim latet eum sicut hominem aliquid, aut in aliquo est minus potens, ut procuratores et actores, qui sunt in ejus potestate, aliquid ipso sive non permittente, sive nesciente, in subjectis sibi pro suo gradu rebus efficiant. Non tamen eis reperditur quod de ipsis juste sit, sed quo animo ipsi faciunt, quia quo animo faciunt, ipse considerat. Quia neque liberam voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negavit, et tamen potestatem qua etiam injustos juste ordinat, sibi retinuit. Recte ergo non-

Digitized by Google

nulli tràduntur Satanæ ut corrigantur, quia non potest eis Satanas facere, nisi quod divinitus ordinatur. Hactenus de pseudoprædicatoribus egit Apostolus, nunc de cunctis hominibus subjungit.

CAPUT II.

« Obsecro, igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. »

Hic monet orandum pro omnibus. Quia, inquit, Christus venit peccatores salvare, et tu in hoc militare debes, *igitur* doce orare, ut impetretur quod faciendum est. *Obsecro*, id est per sacra adjurans rogo, *primum omnium*, id est maxime præ omnibus *fieri* a te vel a subjectis tuis, sive ab omnibus sanctis, *obsecrationes*, id est rogationes cum adjuratione sacrorum, ad majorem expressionem rogandi; et *orationes*, id est preces simpliciter fusas, atque *postulationes*, quibus petantur Dei beneficia generi humano tribuenda, et *gratiarum actiones*, quibus de jam perceptis beneficiis Deo referantur gratiæ. Vel ordo missæ in his verbis ostenditur, ut obsecrationes sint, quas facimus in celebratione sacramentorum, commemoratione sacrorum, antequam illud quod est in Domini nostri mensa, incipiat benedici; orationes vero, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur; postulationes autem cum populus ab episcopo benedicitur. Postulationes enim quasi ex debito petivit, velut cum quadam fiducia, vel adnisu, sic postulatio illi fit cum fiducia, ut quod hic geritur, in æterna vita perficiatur. Quibus peractis, et participato toto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Hæc autem causa præcipua fuit Apostolo ista dicendi, ut his breviter præscriptis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, *pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt* constituti, ne quis (sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas) æstimaret hæc non esse facienda pro illis, a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde et adjungit : *Hoc enim bonum est*, etc. Vel obsecrationes, id est cum adjuratione pro rebus difficilibus, ut pro conversione impiorum, vel pro removendis malis orationes, ut quando jam conversis virtutes et bona orantur. Postulationes, ut quando gloria cœlestis illis petitur. Gratiarum actiones de perceptis seu peractis bonis. Et hujusmodi preces fiant pro omnibus hominibus, ut nullus sit tam peccator, pro quo non oretur, cum et Saulus precibus Stephani sit conversus (*Act.* VII). Et pro illis etiam, de quibus minus videbatur, id est pro regibus, licet sint mali et sanctis infesti, et pro omnibus qui in sublimitate sæcularium dignitatum positi sunt; sicut consules et duces, quia de omni genere hominum convertuntur ad religionem, et perveniunt ad salutem, et de his qui fastu et elatione sæcularis potentiæ fidem et humilitatem videntur abhorrere, sicut cernimus quod etiam ipsi reges, desertis idolis, pro quibus persequebantur Christianos, unum verum Deum cognoverunt et colunt; et ideo pro illis orandum fuit, cum etiam persequerentur Ecclesiam: Ob hoc etiam orandum est pro principibus, *ut* nos, qui sub ipsis sumus, *vitam agamus quietam* a persecutione *et tranquillam* in pace, et hoc *in omni pietate* divini cultus, *et castitate* fidei, ut conversis principibus, gentiles non audeant inquietare nos, movendo persecutiones pro impietate idololatriæ; nec hæretici tranquillitatem nostram turbare præsumant, volentes corrumpere castitatem fidei quorumdam. In pace principum, quies et regnum servatur Ecclesiarum. Nam in bellis et discordiis eorum dissipatur tranquillitas, tepescit pietas, solvitur disciplina vel districtio, Qua soluta, infirmorum castitas violatur. Et ideo pro his orandum est, ne eveniant hæc per dissensionem principum. Unde et per Jeremiam Dominus Judæis, qui in Babylone captivi tenebantur, præcepit, dicens : « Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis (*Jer.* XXIX). » Babylon vero (quæ dicitur *confusio*) societatem iniquorum significat. Judæi autem cives supernæ Jerusalem, qui in hoc sæculo peregrinantur inter malos, et regibus atque principibus tributa reddunt, et cætera quæ salvo Dei cultu constitutio sæcularis exigit. Idcirco debent orare pro pace eorum, quia in pace eorum erit illis pax, utique interim temporalis, quæ bonis malisque communis est. Utimur ergo et nos pace Babylonis, ex qua per fidem et cœlestis patriæ desiderium ita populus Dei lætabitur, ut apud hanc interim peregrinetur. Pax autem nostra propria et hic cum Deo est per fidem, et in æternum cum illo per speciem. Orate, inquit, pro pace principum, et pro salute omnium, quia *hoc* agere *est bonum*, id est utile Ecclesiæ *et acceptum*, id est gratum atque placitum *coram Deo Salvatore nostro*, qui sicut nos salvat, ita *et omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, sicut jam venimus. Quamvis certum sit nobis, non omnes salvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentissimæ Dei voluntati aliquid derogare; sed ita intelligere quod dictum est, *qui omnes homines vult salvos fieri*, tanquam si diceret nullum hominem fieri salvum, nisi quem salvum fieri velit; seu quod nullus fiat salvus, nisi quem velit. Et ideo rogandus est, ut velit, quia necesse est fieri si voluerit. De orando quippe Deo agebat Apostolus ut hoc diceret. Sic enim intelligimus quod in Evangelio scriptum est: « Qui illuminat omnem hominem (*Joan.* V), » non quia nullus hominum sit qui non illuminetur, sed quia nisi ab ipso non illuminetur. Vult itaque omnes salvos fieri

Digitized by Google

qui salvi fiunt, et omnes ad agnitionem veritatis venire qui veniunt, quia nisi ipso volente nullus salvatur, vel *ad agnitionem veritatis* accedit. Aut certe sic dictum est, qui vult omnes homines salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dixit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset (*Matth.* XI ; *Luc.* X), sed ut omnes homines, omne genus hominum intelligamus, per quascunque differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integri corporis, debiles, ingeniosos, tardi cordis, sapientes, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, feminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, senes, decrepitos, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatibus, et in conscientiarum varietate innumerabili constitutos, et si quid differentiarum aliud est in hominibus. Quid est enim, oro, eorum, unde non Deus per unigenitum suum in omnibus gentibus salvos homines fieri velit, et ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest quodcunque voluerit ? Præceperat Apostolus ut oraretur pro omnibus hominibus, et specialiter addiderat pro regibus, et his qui in sublimitate sunt constituti, qui putari poterant fastu et superbia sæculari humilitatem Christianæ fidei abhorrere. Proinde dicens : *Hoc enim bonum est coram Salvatore*, id est ut etiam pro talibus oretur, statim ut desperationem tolleret, addidit : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut oratione humilium dignaretur salutem præstare sublimibus.

« Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus testimonium temporibus suis (*II Tim.* I), in quo positus sum ego prædicator et apostolus. Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide et veritate. »

Quia dictum erat quod Deus omnes homines vult salvos fieri, ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione, et unius Dei omnipotentis cultu, sine participatione corporis et sanguinis Christi, *unus enim Deus*, inquit, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, ut illud quod dixerat, omnes homines vult salvos fieri, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem, non Deum, quod semper erat Verbum ; sed hominem Christum Jesum, cum « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Erant enim mortales et peccatores ; Deus vero, cui erant reconciliandi, ut possent salvari, immortalis erat, et sine peccato. Mediator autem inter Deum et homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, et aliquid simile hominibus, ne in utroque esset hominibus similis longe a Deo ; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, et ita mediator non esset. Et ideo inter mortales peccatores et immortalem justum, apparuit mortalis cum hominibus, justus cum Deo, ut, quoniam vitæ stipendium pax est, per justitiam conjunctam Deo evacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis noluit habere communem. Et quia omnes homines, quandiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, quærendus fuit medius qui non solum homo, sed et Deus esset, ut homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem hujus medii beata mortalitas interveniendo perduceret. Proinde inter nos et Deum mediatorem, mortalitatem habere oportuit transeuntem et beatitudinem permanentem, et per id quod transit congrueret morituris ad id quod permaneret, transferret ex mortuis. Boni autem angeli inter miseros mortales et beatos immortales medii esse non possunt, quia ipsi quoque et beati et immortales sunt. Possunt autem medii esse angeli mali, quia immortales sunt cum illis, et miseri cum istis. His contrarius est mediator bonus, qui adversus eorum immortalitatem et miseriam, et mortalis esse ad tempus voluit, et beatus in æternitate persistere potuit. Ac sic eos et immortales superbos, et miseros noxios, ne immortalitatis jactantia homines seducerent ad immortalem miseriam, et suæ mortis humilitate, et suæ beatitudinis benignitate destruxit in eis, quorum corda per suam fidem mundans, ab illorum immundissima dominatione liberavit. Ad hoc enim se interponit medius immortalis et miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat, quoniam persistit quod impedit, scilicet ipsa miseria. Ad hoc autem se interposuit mortalis et beatus, ut, mortalitate transacta, et ex mortuis faceret immortales, quod in se resurgendo monstravit, et ex miseris beatos, unde ipse nunquam discessit. Alius ergo medius malus, qui separat amicos ; alius bonus, qui reconciliat inimicos. Et ideo multi sunt medii separatores, unus vero bonus, quia multitudo quæ beata est, unius Dei participatione fit beata. Cujus participationis privatione, misera multitudo malorum angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quam interponit ad beatitudinis adjutorium, et ipsa multitudine obstrepit quodammodo, ne possit ad illud unum beatificum pervenire, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat ; et hoc tali, ut ejus divinitatis participatione efficeremur beati. Neque enim nos a mortalitate et miseria liberans, ad angelos immortales beatosque perduxit, ut eorum participatione etiam nos immortales et beati esse possimus, sed ad illam trinitatem, cujus participatione et angeli sunt beati. Mediator enim est non inter Patrem et hominem, sed solum inter Deum et homines. Deus est, Pater et Filius et Spiritus sanctus ; homines sunt, peccatores et mortales. Inter illam trinitatem et hominum infirmitatem atque iniquitatem, mediator factus est homo non iniquus, sed infirmus, ut ex eo quod non est iniquus jungeretur Deo ; et ex eo quod infirmus, propinquaret nobis, atque ita inter Deum et homines mediator existeret. Sed A postoli verba

Digitized by Google

videamus. Vere, inquit, omnes vult salvos fieri, quia unus est Deus creator omnium, cujus participatione fient salvi omnes qui salvabuntur; et unus est mediator Dei et hominum, qui omnes uni Deo conjungat, ut fiant salvi. Christus Jesus est iste mediator, non secundum quod ipse est Deus, sed secundum id quod est homo; *qui dedit semetipsum* in cruce *redemptionem pro omnibus*, nullum excipiens, qui vellet redimi ad salvandum. In hoc enim patet quantum Deus homines diligat, et eos velit omnes salvos fieri, si perversitas eorum non obstiterit, quia mediator Deus, quem Deus inter se et homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes a morte redimeret. Et ideo qui non salvantur, non est quod de Deo, vel de mediatore possint conqueri, sed de seipsis, qui nec redemptionem, quam mediator dedit, nec salutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere. Sed ipsum dedit redemptionem, et dedit se *testimonium* salutis omnium electorum *temporibus suis*, quia resurgens ex morte et ascendens in cœlum tempore resurrectionis, et tempore ascensionis seipsum præbuit exemplum, et confirmationem secuturæ nostræ salvationis. Nam in eo quod resurrexit et ascendit, testatus est quodammodo quia membra ejus resurgent et ascendent, imo ipse fuit ipsum testimonium. Sed et futuræ damnationis eorum qui nolent salvari, dedit se testimonium, quando persecutores suos una voce prostravit (*Joan.* XVIII). Adventus enim ejus et quidquid in carne gessit vel pertulit, reprobis est testimonium damnationis, electis vero testimonium salvationis. In quibusdam codicibus legitur, cujus testimonium temporibus suis confirmatum est. Quod ita intelligitur: Testimonium quod prophetæ dixerunt de Christo, vel quod ipse Christus de se protulit, videlicet quando vel qualiter passurus esset, vel resurrecturus, et cæteris congruis temporibus revera et eventu confirmatum est. *In quo* testimonio confirmando et annuntiando, positus a Deo *sum ego prædicator et apostolus*, id est præco et legatus, ut omnibus testificer, quia ipse vult omnes salvos fieri. Prædicator, est nomen auctoritatis; apostolus, nomen dignitatis vel potestatis, quod plus est. Et in prædicatione testimonii hujus est mihi credendum, quia *veritatem* de hoc *dico*, et *non mentior* in hac parte. Et idcirco omnes mihi debent credere, quia omnes docere studeo fidem et veritatem, utpote *doctor in fide et veritate*. Fides est, quod non vides credere; veritas, quod credidistis videre. Fides ducit ad veritatem. Si maneatur in eo quod creditur, pervenitur et ad id quod videatur.

« Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et « mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate, ornantes se non in tortis crinibus (*I Petr.* III), aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. »

Quandoquidem sum doctor gentium et magister ecclesiarum, *ergo volo viros orare*, id est ut viri Deum orent, non solum in Ecclesia, sed et *in omni loco*, quia Deus ubique est, et orent *levantes* ad cœlestia, non deprimentes ad terrena *manus puras* a peccatorum sordibus. Ne enim confundantur manus ad Deum levatæ, debent et a peccatis esse puræ, et in bonis operibus exercitatæ. Manus puras levare jubemur, ut cum levas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia enim manus istæ levantur ut impetres quod vis, ipsas manus cogita in bonis operibus exercere, ne erubescant ad Deum levari. Et leventur *sine ira*, ut ne retineas iram in corde tuo adversus proximum, Sed libera conscientia dicas: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI; *Luc.* II). » *Et sine disceptatione*, id est sine litigio causarum, ne adhuc in corde retineas voluntatem contendendi judicio adversus fratrem tuum, sed remitte quidquid illud est, ut et tibi oranti remittantur peccata divinitus. Vel sine disceptatione apud Deum, ut non disputes in corde tuo, et judices de inscrutabilibus arcanis secretorum Dei, vel hæsites in fide. *Similiter et mulieres* orent *in habitu ornato*, ut vestes earum religionem prætendant, non libidinem provocet ipsarum indisciplinata nudatio. Et sint *cum verecundia*, ut sic humiles exaudiantur dum orant; *et* cum *sobrietate*, ut in cibo et potu modum teneant. Ipsæ dico, *ornantes se non in crinibus tortis*, id est arte crispantibus, *aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa*, quia talibus ornamentis concitant aspicientes ad luxuriam; *sed* sint *promittentes pietatem* non per verba jactantiæ, sed *per opera bona, quod decet mulieres*. Sic enim congruum est, ut illæ non verbis, sed operibus ostendant pietatem suæ mentis, et non induant se luxuriosis ornamentis.

« Mulier in silentio discat cum omni subjectione. « Docere autem mulieri non permitto, neque domi« nari in virum, sed esse in silentio (*I Cor.* XIV). « Adam enim primus formatus est, deinde Eva (*Gen.* « I, II, III). Et Adam non est seductus, mulier au« tem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur au« tem per filiorum generationem, si permanserit in « fide et dilectione et sanctificatione cum omni so« brietate. »

Mulier non in clamosa voce, sed *in silentio discat*, ne vox ejus audientes moveat ad libidinem. Et discat non erecta, sed *cum omni subjectione*, quia propter culpam primæ transgressionis subjecta est viro servitute conditionis potius quam dilectionis (*Gen.* III). Sed *docere non permitto mulieri*, quia nimirum aliquando cum docuit, a sapientiæ æternitate separavit, *neque* enim permitto eam *dominari in virum*, etsi dominetur in aliam mulierem; quia vir fortioris naturæ est, et dominium debet habere super mulierem; *sed* volo eam *esse in silentio*, ut neque cum vicina fabuletur. Silentium teneat, quia dum loquitur, magis ad luxuriam irritat et irritatur. Et ne videretur mulieris dura conditio, quæ tam in mariti redigeretur servitutem, ad antiquum et originale exemplum redit Apostolus, quod *Adam primus* factus sit,

Digitized by Google

deinde Eva ex costa ejus; et quod diabolus Adam seducere non potuerit. Sed Evam; et quod post offensam Dei statim viro subjecta sit. Illi autem seducuntur, qui quod faciunt, non putant esse peccatum. Adam vero scivit esse malum quod faciebat, sed inexpertus divinæ severitatis, in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum. Ac per hoc quidem in eo quod mulier seducta est, non est ille seductus; sed eum fefellit quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus : « Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi et comedi (*ibid.*). » Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus (*Exod.* xxiii); nec Salomonem credibile est, putasse errorem non esse idolis servire, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum (*III Reg.* xi); ita credendum est, illum virum suæ feminæ ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Mulier enim quod ei serpens locutus erat, tanquam verum esset accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati. Nec ideo minus reus, si sciens prudensque peccavit. Noluit enim conjugem contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia, non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicabili quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. Ergo alio modo quodam et ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo seduci potuit, ut qui spirituali mente præditus erat, crederet quod ei Deus ab esca illius ligni invidendo vetuisset. Hanc enim seductionem proprie appellavit Apostolus, quia id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est, id est quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quia sciret eos si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. *Adam* itaque *non est seductus*, sed *mulier seducta* fuit *in prævaricatione*, ut per illam et vir prævaricaretur. Sed *salvabitur per generationem filiorum*, etc. Hoc est, illa quæ connubio copulata est et redacta semel in conditionem Evæ, debebit errorem veterem procreatione filiorum; ita tamen, si ipsos filios erudierit in fide et dilectione Christi, et sanctificatione et pudicitia. Non enim (ut male habetur in Latinis codicibus) sobrietas est legenda, sed castitas, sicut testatur Hieronymus. Ubi ergo nuptiæ videbantur prædicari ad conferendam salutem, ibi prædicatur virginitas. Nam si salvatur mulier in filiorum generatione, et liberorum numerus salus matrum est, cur additum est, *si* permanserint filii *in fide et dilectione et sanctificatione cum omni* castitate? Tunc ergo salvabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permaneant; si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis, atque damnum et cariem radicis flore compenset et pomis; filios religione nutriat et instruat, ut teneant fidem, ut non deserant charitatem, ut sanctificationem quam in baptismo perceperunt, servent cum omni castitate mentis et corporis. Vel juxta Latinos codices, cum omni *sobrietate*, id est cum temperantia contra ustum vitiorum. Quamvis enim in publico non permittatur mulier prædicare, filios tamen et familiam vel adolescentulas domi debet instruere. Potest vir in hoc loco rationalem spiritum, mulier vero carnem vel sensualitatem designare. *Adam primus formatus est, deinde Eva*, quia rationalis sensus principaliter in homine factus est, et secundario caro. Quod Adam non est seductus, sed Eva, id designat quia quoties peccamus, rationalis sensus non est ita seductus in nobis, ut non putaret malum esse peccatum, cui cumulebat propter amicabilem carnis societatem; sed caro in delectationem ita est seducta, ut neque malum esse putaret, quod delectabiliter committitur. Sed per generationem filiorum salvabitur, quia per effectum bonorum operum perpetuæ saluti socialitur. Et hæc opera bona maxime in officiis misericordiæ frequentari solent. Opera vero misericordiæ nihil prosunt paganis sive Judæis, qui Christo non credunt, sive hæreticis, sive schismaticis, ubi fides et dilectio non invenitur. Et ideo tantum salvatur hæc mulier, id est caro per filiorum generationem, et per operum bonorum actionem, si ipsa opera permanserint in fide catholica dilectione genita, et in sanctificatione cum omni castitate corporis et animæ vel sobrietate. Nam « sine fide impossibile est placere Deo (*Hebr.* xi), » nec habet aliquid virilitatis ramus boni operis, si maneat in radice dilectionis; nec prodest quidquid agitur sine sanctificatione, nec opus bonum est aliquid sine castitate.

CAPUT III.

« Fidelis sermo : Si quis episcopatum desiderat, « bonum opus desiderat. Oportet ergo episcopum « irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, so« brium, prudentem, ornatum, pudicum, hospi« lem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, « sed modestum; non litigiosum, non cupidum, « sed suæ domui bene præpositum, filios habentem « subditos cum omni castitate. Si quis autem do« mui suæ nescit præesse, quomodo Ecclesiæ Dei « diligentiam habebit? Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Opor« tet autem illum et testimonium habere bonum ab « his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et « in laqueum diaboli. »

Fidelis, id est verax est hunc *sermo*, quem loquor, videlicet, *si quis episcopatum desiderat* bonum opus *desiderat*. Opus, non dignitatem; laborem, non delicias. Opus per quod in humilitate crescat, ne intumescat fastigio. Episcopatus, quid sit, notat exponere, quia nomen est operis, non honoris. Grecum est enim atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, illis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens, *invigilando* non

Digitized by Google

que *superintenuere* est. Ergo ἐπίσκοπος *superintendens* interpretatur, ut intelligat se non esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Nec desiderare episcopatum æstimandus est, qui suum desiderat lucrum vel honorem, non plebis salutem. Non enim dicitur, qui episcopatum desiderat bonum gradum desiderat, sed bonum opus desiderat; quod in majori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Bene facit qui episcopatum desiderat, id est superintendere aliis et sollicitudinem gerere pro multorum salute. *Oportet ergo episcopum esse irreprehensibilem*, ut nulli vitio mancipatus sit, et ex subjuncta virtutum enumeratione manifestatur, quæ sit illa irreprehensibilitas. Ac si talibus appetitoribus dicatur: Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis, ne dum vosmetipsos mentiri negligitis, tanto fœdior reprehensibilitas vestra pateat, quanto et a cunctis conspici in honoris arce festinatis. Notandum etiam, quia quando Apostolus hoc dixit, plebibus quicunque præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quasi ad martyrium festinaretur, neque dubium esset, si non ad mortem, saltem ad supplicia graviora veniri. Nunc autem locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi ita teneatur et administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Si autem sarcina hæc imponitur, suscipienda est propter carnis necessitatem (*Eccli.* xxxiii). In actione enim non amandus est honor vel potentia, in hac vita, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, id est ut valeat ad eam salutem subditorum quæ secundum Deum est. Et quandoquidem tale est officium episcopi, ergo oportet esse irreprehensibilem, id est talem, ut nullum in eo vitium notetur quod reprehendi possit, quæ res pene contra naturam est. Omne enim vitium, etiam in otioso verbo, reprehensione dignum est (*Matth.* xii; *Jacob.* iii). Et quis est, qui nec in his quæ loquitur, reprehendi queat? Sed futurus pastor Ecclesiæ talis debet eligi, ad cujus comparationem recte grex cæteri nominentur, ut cum reprehenderit alios, ipse a nemine reprehendi possit. Perdit enim auctoritatem arguendi, cui possunt ab eo quem arguit, propria delicta improperari. Oportet eum esse *unius uxoris virum*, id est qui unam uxorem habuerit, non habeat secundam, sicut beatus Hilarius, vel Antisiodorensis Germanus, *sobrium* sive vigilantem. Sacerdotes enim qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et siceram bibere, ne in crapula et ebrietate graventur corda eorum (*Judit.* xiii; *Luc.* xxi), et ut sensus officium Deo exhibens vigeat semper et tenuis sit, *prudentem*, ut excludantur illi, qui sub nomine simplicitatis excusent stultitiam sacerdotum. Nisi enim cerebrum sanum fuerit, omnia membra in vitio erunt; *ornatum* bonis operibus et honestis moribus, ut in his sapiens deprehendatur. Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam et tantæ stoliditatis ac irreverentiæ, ut in motu et in incessu et in sermone communi risum spectantibus tribuant; *pudicum*, id est verecundum vel castum, ne impudens sit vel castitatem violet; *hospitalem*, ut imitemur Abraham (*Gen.* xviii, xix), et cum peregrinis, imo in peregrinis Christum suscipiat, et hoc ante episcopatum quoque solitus sit agere; *doctorem*, id est qui habet gratiam docendi. Nihil enim prodest conscientia virtutum frui, ni et creditum sibi populum possit instruere, et eos qui contradicunt, redarguere. Innocens enim absque sermone conversatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Et latratu canum ac baculo pastoris, luporum rabies deterrenda est; *non vinolentum, non percussorem*. Vitia virtutibus opponit. Dixit qualis esse debeat sacerdos, dicit et qualis non esse debeat. Non sit vinolentus, sed sic bibat, ut ignoretur an biberit. Vinolentia enim scurrarum est, et commessatorum, venterque mero æstuans cito despumat in libidinem. Non sit percussor, id est ita irascibilis et perturbati sensus, ut percutiat, qui debet patiens esse et eum imitari, qui dorsum suum posuit ad flagella, et maledicentes non remaledixit (*I Petr.* ii). Vel non sit percussor, id est non percutiat verbo vel exemplo pravo conscientias infirmorum. Non convenit eum esse vinolentum ac percussorem, *sed modestum*, ut temulentiam et iram modestia refrenet, et modeste agat in omnibus; *non litigiosum*, id est qui litigare soleat. Nihil enim imprudentius arrogantia quorumdam, qui garrulitatem auctoritatem putant; et parati semper ad lites, in subjectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant; *non cupidum*, quia cito deviaret a justo propter cupiditatem munerum, sicut filii Samuelis (*I Reg.* viii). Avaritiam enim vel cupiditatem esse vitandam sacerdoti, et ipse Samuel exemplo suo docet (*I Reg.* xii), nihil se cuiquam rapuisse coram populo probans; et apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum a fratribus accipiebant, et præter victum atque vestitum nihil aliud volebant (*infra* vi); *suæ domui bene præpositum*, non ut opes augeat, sed ut ea quæ populis præcepturus est, prius a domesticis exigat, *filios habentem subditos cum omni castitate*. In filiis ejus probatur disciplina, si bene fuerint subditi et obedientes patri. Et tanta ab eo castitas exigitur, at si filii ejus casti non fuerint, ipse episcopus esse non possit, et eodem vitio offendat Deum, quo offendit et Heli pontifex, qui corripuerat quidem filios suos, quoniam in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant; sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit et mortuus est (*I Reg.* iv). Domui suæ, sicut dictum est, debet esse bene præpositus, ut regat eam secundum Deum. Sed *si quis nescit præesse domui suæ*, quæ parva est respectu Ecclesiæ, *quomodo habebit diligentiam Ecclesiæ Dei?* id est quomodo sciet sollicitudinem hæ-

Digitized by Google

bere, ut diligenter regat ecclesiam, quæ multo major est quam domus ejus, et majori prudentia est regenda? *Non neophytum*, id est rudem convenit eum esse. Non sit neophytus, id est noviter ad fidem conversus, qui ordinatur episcopus, *ne in superbiam elatus*, id est præ cæteris digniorem se putans, quasi eo indigeat Christiana religio, *incidat in judicium diaboli*, id est damnetur propter superbiam ut diabolus qui se cunctis meliorem judicavit, et factus est cunctis posterior (*Isa.* XIV). Nec nuper baptizatus, nec nuper a sæcularibus negotiis vel a malitia separatus fieri debet episcopus, quia unusquisque talis est neophytus. Nec congruit ut heri catechumenus, hodie sit pontifex; heri in amphitheatro, hodie in ecclesia; vespere in circo, mane in altari; dudum fautor histrionum, nunc consecrator virginum. Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem et mansuetudinem, nescit seipsum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem. Non jejunavit, non flevit, non mores suos sæpe reprehendit, et assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit. Judicium autem diaboli et ruina arrogantia est. Incidunt in eam, qui in puncto horæ necdum discipuli jam magistri sunt. Non solum prædictas virtutes habere qui ordinatur, prædictisque vitiis carere, sed *et oportet illum bonum testimonium habere ab his qui foris sunt*. Quale principium, talis et clausula sermonis. Qui irreprehensibilis est, non solum a domesticis, verum et ab alienis consono ore laudatur. Alieni extra Ecclesiam Judæi, gentiles et hæretici. Talis ergo sit pontifex Christi, ut nec hi qui foris sunt, religioni vitæ ejus detrahere audeant, ne si reprehensibilis fuerit, *incidat in opprobrium*, ut exprobrentur illi vitia sua; et ita contemptus incidat *in laqueum diaboli*, odio habens illos a quibus se contemni viderit. Solet namque evenire his, qui ab aliis despiciuntur, ut despectores suos et ipsi despiciant; sicque in iram et odium, et cæteros diaboli laqueos incidant. Ideoque pontifex sit talis, ut nemo possit ei exprobrare aliquam pristinam sordem. Si vero post fidem assumpta contraria virtutibus, quæ nunc descriptæ sunt habuit non ad pontificatum est recipiendus.

« Diacones similiter pudicos, non bilingues, non « multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, « habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et « hi autem probentur primum, et sic ministrent, « nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudi- « cas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. « Diacones sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene « præsint, et suis domibus. Qui enim bene ministra- « verint, gradum bonum sibi acquirent et multam « fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu. »

Ubi prætermissis presbyteris, mox post episcopi descriptionem subjungit de diaconibus, dat intelligi quia nomine episcopi et pontificem designavit et presbyterum; atque omnia quæ de episcopo dixit, de presbytero secundarie sunt observanda. Nam et presbyter est episcopus, id est superintendens Ecclesiæ quam regit. Sed ille est major episcopus, iste minor. Et quemadmodum præmissum est oportere episcopum esse pudicum, *similiter diacones*, oporteret esse *pudicos*, id est castos; *non bilingues*, id est non dupliciter loquentes, ut in præsentia cujusdam loquantur de eo bene; et cum absens fuerit, loquantur de eo male; *non multo vino deditos*, ne inebrientur; quia qui inebriatur, et mortuus et sepultus est, neque ebriosi regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI), *non turpe lucrum sectantes*, sicut avari qui emunt et pluris vendunt, vel usuras accipiunt; *habentes in conscientia*, a sordibus vitiorum *pura*, *mysterium fidei*, id est tenentes in corde mundo quod de fide est aliis occultum, sicut est quod Christus de virgine natus est, et quod peccatum non fecit, et quod moriendo mortem destruxit, et quod vere corpus ejus sit panis qui in altari consecratur, et cætera fidei arcana. Tales sint diacones. Sed *et hi primum probentur*. Hic innuitur, quia et episcopi sunt probandi. Primum probentur, *et si sic*, id est tales inventi fuerint, quales descripsimus, *ministrent* sacris altaribus, *nullum habentes*, non dico peccatum, sed *crimen*, quia nullus homo sine peccato est, sed multi sine crimine. Crimen namque est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum, sicut homicidium, adulterium, furtum, sacrilegium, et aliqua immunditia fornicationis (*Hebr.* XI). *Mulieres*, id est diaconissas, *similiter* ut diacones, oportet esse *pudicas*, ut munditia castitatis in eis regnum teneat, *non detrahentes*, id est non quærentes loquendo minuere bonam famam alicujus, sed *sobrias*, id est ab omni ebrietate immunes, et *fideles in omnibus*, dictis et factis suis, ut fidem Deo servent et hominibus. *Diacones sint unius uxoris viri*, id est non ordinetur diaconus qui duas aut plures habuerit uxores, sed qui tantum unam habuit; et ei non misceatur, postquam ordinatus fuerit. Ita sint diacones viri singularium uxorum, *qui bene præsint filiis suis*, si quos prius genuerunt, erudientes eos in disciplina domini; *et suis domibus*, bene prælati, ut eas bene regant. Et justum est ut filios suos atque domos bene gubernent; quia *qui bene ministraverint* in parvis rebus, *acquirent sibi bonum gradum*, id est altiorem gradum in bono, et acquirent *fiduciam multam in fide quæ est in Christo Jesu*, id est certitudinem sument vel dabunt, se bene conversaturos fideliter in majori, et instructuros alios in fide Christiana. Vel bene præesse filiis et domibus suis debent, ut his prius assueti, bene postea sciant ministrare in ecclesia, quoniam qui in diaconatus officio bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent, ut promoveri mereantur ad episcopalem gradum, et multam sibi fiduciam æternæ remunerationis acquirent in fide, quæ est in Christo, qui per humilitatem obedientiæ meruit exaltari (*Philip.* II).

« Hæc tibi scribo, fili Timothee, sperans me ad « te venire cito. Si autem tardavero, ut scias quo- « modo oporteat te in domo Dei conversari, quæ

Digitized by Google

« est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum « veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacra- « mentum, quod manifestatum est in carne, justi- « ficatum est in spiritu, apparuit angelis, prædica- « tum est gentibus, creditum est in mundo, assum- « ptum est in gloria. »

Hæc omnia firmiter retine et custodi, quoniam ea *scribo tibi, fili Timothee, sperans me ad te cito venire*, ut te præsens instruam adhuc plenius. Et ideo studiosius interim observare debes, quæ tibi adjungo, ut non erubescas cum te videro. Veniam, ut spero, velociter. Sed *si tardavero*, scribo tibi hæc, ut interim *scias quomodo conversari te in domo Dei oporteat*, ut prodesse possis omnibus qui in ea sunt, et scias qualiter unumquemque debeas instruere. *Quæ* domus in qua Deus habitat *Ecclesia est*, ex multis collecta fidelibus, qui variis modis sunt docendi. Ecclesia, *Dei* æternaliter *vivi*, et ideo æternaliter bene facientis eis, qui voluntatem ejus custodiunt; et econtra æternaliter punientis illos, qui præcepta ejus contemnunt. Et ipsa ejus Ecclesia est in perfectis, *columna*, id est sublimis et recta et inconcussibilis, et sustentans juniores atque sustollens, et in eisdem perfectis est ipsa, *firmamentum veritatis*, quia verbis et exemplis firmat in cordibus infirmorum veritatem fidei et mandatorum Dei. *Et manifeste magnum est in ea pietatis sacramentum*, in quo salus humana consistit. Sacramentum est res occulta, id est mysticum sive aliquid. Et in hoc recte potest intelligi sacramentum, de quo dictum est Colossensibus : « Mysterium quod absconditum fuit a sæculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus in vobis spes gloriæ (*Coloss.* I). » Sacramentum enim pietatis est, quia Dei Filius per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedebant (*Luc.* I). Sacramentum pietatis in eo est, quod Unigenitus Dei misericorditer homo fieri dignatus est per gratiam ut sibi fratres acquireret, qui cum eo possiderent hæreditatem regni cœlorum. Et hoc sacramentum manifeste magnum est, quia cuncti fideles noverunt hoc ita magnum esse, ut nemo sufficiat magnitudinem ejus excogitare, *quod nobis manifestatum est in carne*, Christi, quia in eo quod ipse carnem assumpsit, intelligimus omnes electos esse membra ejus vel fratres, ideoque simul regnaturos; *justificatum est in spiritu*, quia homo ille singularis quem virgo genuit, factus est per Spiritum sanctum justus in utero matris, id est in ipsa conceptione et creatione fecit eum Spiritus sanctus justum, ac deinde in præsenti vita servavit eum sine peccato. Nos quoque dum membra efficimur, in Spiritu sancto per baptismum justificamur. Et hoc tantæ pietatis sacramentum *apparuit angelis*, id est innotuit apostolis et prædicatoribus, qui pro eo quod gloriam regni cœlestis annuntiant, angelorum nomine designantur. Unde et Joannes in Apocalypsi septem angelis scribit, id est episcopis septem Ecclesiarum Asiæ. Et per hujusmodi angelos, id est per veritatis nuntios, *prædicatum est* hoc sacramentum *gentibus*, ac per eorum prædicationem *creditum est in mundo*. Quod autem sequitur, *assumptum est in gloria*, in nostro quidem capite perfecte jam completum est, sed in membris ejus completum ex toto non erit, donec omnes electi receptis corporibus, in regnum cœlorum simul sint ingressi.

CAPUT IV.

« Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissi- « mis temporibus discedent quidam a fide (*II Tim.* « III; *II Petr.* III; *Jud.* I; *Eccli.* XXXVI), attendentes « spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hy- « pocrisi loquentium mendacium et cauteriatam ha- « bentium suam conscientiam, prohibentium nubere, « abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum « cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cogno- « verunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, « et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione « percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et « orationem. »

Ecclesia quidem est columna et firmamentum veritatis, sed tamen *Spiritus* sanctus manifeste in me vel per me *dicit*, *quia in novissimis temporibus*, id est regnante Antechristo, vel antea, *discedent a fide quidam* notabiles, propter cujusmodi discessionem dictum est : « Nisi venerit discessio primum (*II Thess.* II). » Et quia tales surrecturi sunt, ideo vigilandum est, ne nostris temporibus surgant; vel si resurrexerint, ne alios seducant. Discedent enim a fide veritatis, *attendentes spiritibus erroris*, id est dæmonibus, qui per artem fallaciæ loquentur eis vel apparebunt, et aliqua velut bona dabunt, ut eos errare faciant, vel in errore detineant, sicut Agimnensibus hæreticis novimus contigisse, quos dæmones in equorum specie noctibus apparentes portant per aera ubicunque voluerint, et copiam eis temporalium rerum ministrant, atque pravis dogmatibus imbuunt. Vel attendentes spiritibus erroris, id est hæresiarchis, in quibus maligni spiritus loquentur et errorem docebunt. Et attendentes *doctrinis dæmoniorum*, id est hominum dæmonia habentium, *loquentium mendacium in hypocrisi*, id est simulata religione, ut magis decipiant, *et habentium conscientiam suam cauteriatam*, id est corruptam et putrefactam, atque putredinem cum fetore semper emittentem. Dæmoniorum dico, *prohibentium nubere, et abstinere* nubentium *a cibis quos Deus creavit*. Hoc Agimnenses faciunt et Manichæi, nonnullique alii fecerunt. Ille enim prohibet nubere, qui hoc esse malum dicit, non qui huic bono aliquid melius anteponit. Multum ergo interest inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius proponendo; et prohibentes nubere, concubitum propagationis, qui solus proprie nuptialis est vehementius accusando. Item multum interest inter abstinentes a cibis propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem, et abstinentes a cibis quos

Digitized by Google

Deus creavit, dicendo quod eos Deus non creavit. Nam et primi patres nostri a quibusdam cibis abstinuerunt, non tamen eos damnandi, sed significandi gratia; et nunc fideles, non quia cibos putent immundos, sed edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non solum a carnibus, sed a quibusdam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci; vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam fere omnes. Manichæi vero ipsam creaturam negabant esse bonam, et dicebant esse immundam, eo quod carnes diabolus operaretur. Et ab escis hujusmodi temperabant quod non significatione, sed natura malæ et immundæ essent. Qua in re Creatorem earum sine dubio blasphemabant, quod pertinebat ad doctrinam dæmoniorum. Deus enim creavit escas *ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus*, id est ut cum gratiarum actione perciperentur a fidelibus, qui bene credunt de ipsis escis, licet necdum intelligant quod credunt; *et his qui cognoverunt veritatem*, id est qui intelligunt quod de eisdem escis credunt. Hanc scilicet veritatem cognovere, *quia omnis creatura Dei bona est* in natura sua, *et nihil* ciborum *est rejiciendum*, id est abhorrendum et respuendum quasi naturaliter malum vel immundum, *quod percipitur*, id percipi solet, *cum gratiarum actione*, id est ut agantur Deo gratiæ a percipiente. Omnia quippe quæ naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt; et nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat. Patres autem nostri qui Deo placuerunt, tenuerunt ordinem suum in ipsa obedientia, ut quidquid Deus temporibus congruis jubendo distribuit, sic observarent quemodo ille distribuit. Itaque non solum carnes ad cibos datas, cum omnes natura mundæ sint vel essent, quasdam tamen nonnulla significatione immundas illo tempore non ederunt, quo eas non edi præceptum erat, ut talibus significationibus futura rerum manifestatio præfiguraretur, sed et azymum panem, et cætera ejusmodi in quibus fuit umbra futurorum. Qui tam rei essent illius temporis et illius populi homines, si observare contemnerent (quando illa sic fieri, et ista quæ nunc revelata sunt, sic prænuntiari oportebat), quam nos desipientes essemus, si nunc jam manifestato Novo Testamento, illas prænuntiativas observationes aliquid nobis prodesse putaremus. Nihil ergo ciborum est rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. *Sanctificatur enim* cibus ipse *per verbum Dei*, quod est in actione gratiarum, *et orationem*, quæ adjungitur ne diabolus per eum noceat. Verbum enim sanctificat, oratio autem impetrat, diabolus vero per cibum tentat.

« Hæc proponens fratribus, bonus eris minister « Christi Jesu, enutritus verbis fidei et bonæ do- « ctrinæ, quam assecutus es. Ineptas autem et ani- « les fabulas devita, exerce autem teipsum ad « pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum « utilis est. Pietas autem ad omnia utilis est, pro- « missionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ. « Fidelis sermo et omni acceptione dignus. In hoc « enim laboramus et maledicimur, quia speramus « in Deum vivum, qui est salvator omnium homi- « num, maxime fidelium. »

Hæc de cibis et creaturis quæ dixi, *proponens fratribus* ad tenendum, *bonus eris minister Christi Jesu*; tu dico, *enutritus* vel a matre tua vel ab aliis fidelibus, *verbis fidei*, id est verbis quæ fidem docent et verbis *bonæ doctrinæ*, quantum ad bonos mores, *quam assecutus es* ab infantia, et tunc cum studio perquirens eam et inveniens. Bonam quidem doctrinam tene et doce quam assecutus es; sed *ineptas et aniles fabulas*, id est Judæorum traditiones *devita*, quia sunt ineptæ, id est sine aptitudine; et aniles, id est vetularum sermonibus infusæ juniorum cordibus; et sunt fabulæ, id est inania verba sine veritate et utilitate. Hoc non de divinis eloquiis dicitur, sed, ut dixi, de traditionibus, quas Judæi a senioribus suis acceperunt præter legales et prophetico libros, et de stultiloquiis hæreticorum, qui prohibent nuptias et interdicunt cibos quos Deus creavit ut cum gratiarum actione sumerentur. Fabulas quidem devita, sed *teipsum exerce ad pietatem*, hoc est, fabulas impiorum cave, et ad pietatem temetipsum exerce, id est hoc sit studium tuum, ut mente sis religiosus, et erga Dei cultum devotus, atque fidei pietate sincerus. Idcirco moneo ut esse studeas mente pius erga Deum et proximum, quia *corporalis exercitatio*, quæ est in jejuniis et vigiliis ac labore manuum, atque multimoda corporis afflictione, in qua te fatigas, *ad modicum utilis est*, id est parum utilitatis habet respectu magnæ utilitatis, quam habet pietas religiosæ mentis. Nam illa corporalis exercitatio et in hypocritis vel hæreticis invenitur, pietas autem devoti ac benevoli cordis, non nisi in electis reperitur. Illa corporalis exercitatio ad modicum utilis est, *pietas autem ad omnia utilis est*, quia omni bono studet, *habens promissionem vitæ quæ nunc est et futuræ*, quia Deus piis promisit vitam quam habent in hoc sæculo animæ justorum, vel subsidia temporalia, et vitam futuræ beatitudinis, dicens: « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus et hæc omnia adjicientur vobis (*Matth.* VI; *Luc.* XII). » Et per Salomonem, dicens de sapientia: « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria (*Prov.* III). » Dextera enim vitam perennem, sinistra vero vitam præsentem, designat. Vel exerce te ad pietatem, id est ad compassionem proximorum, et ad opera misericordiæ. Pietas est ad omnia utilis, quia et in futuro et præsenti sæculo prodest, dans temporalia et æterna remedia. Habens promissionem vitæ quæ nunc est et futuræ, quia qui pietatis beneficia pauperibus impendit, et in præsenti dat ei Deus unde temporaliter vivat, et in futuro vitam sempiternam. Et *fidelis* est iste *sermo* de pietate, id est verax, quia scilicet pietas est utilis ad omnia, et fideliter adimpletur quod ei

Digitized by Google

promissum est, ut habeat vitam præsentem et futuram. Iste sermo est fidelis, neminem fallens, *et est dignus omni acceptione*, ut a cunctis hominibus omnino accipiatur. Vere pietas habet promissionem vitæ præsentis et futuræ, nam *in hoc laboramus*, ut promissionem hanc consequamur; *et maledicimur* ab impiis et blasphematoribus. In hoc laboramus, *quia speramus in Deum vivum*, id est in hoc insudamus pietatis ac justitiæ operibus, quia speramus vitam quam Deus vivens promisit pie agentibus. *Qui est Salvator omnium hominum*, quia solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v), atque salutem corporis in hac vita communiter parat bonis et malis, *maxime* tamen ipse est Salvator *fidelium*, quia præter temporalem salutem, quæ illis est communis cum reprobis, dat eis æternam salutem, quam possideant cum angelis.

« Præcipe hæc et doce. Nemo adolescentiam tuam « contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, « in conversatione, in charitate, in fide, in castita- « te. Dum venio, attende lectioni, exhortationi et « doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ est in te, « quæ data est tibi per prophetiam, cum imposi- « tione manuum presbyterii. Hæc meditare, in his « esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. « Attende tibi, et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim « faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui « te audiunt. »

Hæc quæ dixi de fabulis vitandis et pietate sectanda *præcipe* scientibus *et doce* nescientes. Præcipe hæc ut fiant, et doce quomodo fiant. Et ut præceptum tuum atque doctrina suscipiatur, *nemo adolescentiam tuam contemnat*, id est ita vive, et maturum te moribus ostende, ut nemo te quasi adolescentem possit contemnere, nec vita ætatem tuam faciat reprehensibilem, quamvis corpore sis adolescens, si quid reprehensibile feceris, audacius reprehenditur et quasi contemnitur. Potest etiam ad subjectos referri ut dicatur, nemo eorum quibus præcipies et quos docebis contemnat adolescentiam tuam, quia in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur, Salomone testante, qui ait : « Lætare, juvenis, in adolescentia tua (*Eccle.* xi). » Si enim unum esse utraque non decerneret, quem monebat in adolescentia, juvenem non vocaret. Sic et in hoc loco adolescentia pro juventute intelligitur, ut sanctus Timotheus in auctoritate prædicationis sit etiam solidæ ætatis. Nemo ætatem tuam contemnat, *sed* tu *exemplum esto fidelium in verbo*, ut ipsi exemplo tuo bona loquantur; et *in conversatione*, ut exemplo tuo bene et honeste conversentur; atque *in charitate* Dei et proximi, et in integritate fidei, et mundititia castitatis. Et ut ita possis exemplum bonorum operum aliis præbere, *attende lectioni* divinarum Scripturarum interim *dum venio*. Valde enim inter humana verba cor defluit. Cumque indubitanter constet, quod externis occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, studere incessanter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Attende, inquam, lectioni, et post lectionem, attende *exhortationi* jam volentium, *et doctrinæ* nescientium. Sic enim debes agere, ut quod lectio faciendum docuerit, facies; et subditos tuos, ut hoc idem faciant, admoneas; atque illos qui hoc ignorant, doceas. Sic age et *noli negligere gratiam* episcopalis officii, *quæ est in te*, quia ad hoc gratis Deus te prætulit illi populo, ut sic agas, *quæ* gratia *est tibi data per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Videtur Apostolus prophetiam vocare inspirationem sancti Spiritus, per quam præsciebat quid de hoc et de cæteris esset acturus. Vel certe de hoc quod fieri deberet, episcopus specialiter prophetavit, sive ipse Apostolus, sive quilibet alius sanctus. Impositionem vero manuum eam dicit, quæ in ordinatione ejus facta est. Quæ manuum impositio fuit presbyterii, quia per hanc impositionem accepit presbyterium, id est episcopatum. Episcopus enim vocatur sæpe ab apostolis presbyter, et presbyter episcopus. Vel hæc impositio manuum fuit presbyteri, qui Latine dicitur *senior*, quia ipse Apostolus qui juxta hunc sensum presbyter intelligitur, imposuit manus suas capiti ejus, dum illum consecraret episcopum. Nam et Petrus (*I Petr.* v) atque Joannes in Epistolis suis seipsos vocant seniores (*II Joan.* i; *III Joan.* i), id est presbyteros, propter gravem maturitatem morum et sapientiæ, vel etiam propter ætatem. Deinde, *hæc*, inquit, *meditare*, id est hæc pertracta et volve in animo tuo quæ injungo tibi, quia idcirco constitutus es pontifex; et *in his* actionibus atque meditationibus jugiter *esto*, *ut* dum ita vixeris et docueris, ut dixi, *profectus tuus sit manifestus omnibus*, id est cuncti te patenter sciant omnibus proficere. Et ut tibi aliisque proficias, *attende tibi*, id est mentis intuitum frequenter reduc ad teipsum, et diligenter attende qualiter vivas; ac si quid in te corrigendum inveneris, statim corrige, et semper ad meliora nitere; *et doctrinæ insta in illis*, id est instanter doce illos qui sunt commissi tibi. Et libenter debes utrumque facere, quia hoc ita faciens, duplicem fructum afferes, quoniam *et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt*. Te enim salvabis, si tibi attenderis; et auditores tuos, si doctrinæ institeris. Sic enim debet rector propriam salutem quærere, ut communem non deserat; et sic communem profectum quærere, ut proprium non negligat. Nam ita de subjectis suis rationem Christo judici reddet, ut et de seipso reddere cogatur.

CAPUT V.

« Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut « patrem, juvenes, ut fratres; anus, ut ma- « tres, juvenculas, ut sorores in omni castitate. »

Dixi ut instes doctrinæ, sed tamen hoc age cum discretione, ut unumquemque doceas vel admoneas prout congruum fuerit. Aliter namque admonendi sunt juvenes, et aliter senes. Quia illos plerumque

Digitized by Google

severitas admonitionis ad profectum dirigit, istos A vero ad meliora deprecatio blanda componit. Et ideo *seniorem ne increpaveris, sed* pro pietatis honore *obsecra* eum reverenter *ut patrem*, quatenus per benignam obsecrationem, facilius tuam suscipiat admonitionem. Indignatur enim et erubescit, si fuerit aspere correptus; *juvenes* vero admone cum affectu dilectionis, *ut fratres*. Senes et in Scriptura sacra vocantur, non qui sola quantitate temporum, sed qui morum grandævitate maturi sunt. Juvenes autem, qui nulla consilii gravitate deprimuntur. Et ideo tales etiam hoc loco possunt intelligi. Seniorem ergo qui maturitate provectus est, si in aliquo aliter quam oportet egerit, ne increpaveris, sed blande obsecra ut se emendet, et de cætero in melius proficiat; juvenes vero, quos morum levitas agit, increpa benigne (si deliquerint) ut fratres; *anus* similiter quæ vel ætate vel bonis moribus sunt provectæ, admone cum reverentia *ut matres; juvenculas* autem ætate vel moribus admone *ut sorores*, et hoc *in omni castitate*. In alloquio juvencularum rectissime juvenis de omni castitate admonetur, ut nec saltem minima carnis titillatione circa eas moveatur.

« Viduas honora quæ vere viduæ sunt si qua autem vidua filios aut nepotes habet discat primum « domum suam pie regere, et mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram « Deo, quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instat obsecrationibus et oratio- « nibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vi- C « vens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maxime do- « mesticorum curam non habet, fidem negavit, et est « infideli deterior. »

Viduas, inquit, *honora quæ vere viduæ sunt*, id est quæ omni auxilio suorum sunt destitutæ, quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit, quibus Deus spes est et omne opus oratio. Ex quo datur intelligi adolescentulas viduas exceptis quas excusat infirmitas, vel suo labori, vel liberorum, vel propinquorum ministerio delegari. Honor autem in præsenti, pro eleemosyna vel pro munere accipitur. Nam et quod alibi dicitur : « Honora patrem et matrem (*Exod.* xx, *Ephes.* vi), » non in verborum sono, qui inopiam parentum cassa potest adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debet intelligi. Itaque viduas honora, id est sumptibus ecclesiasticis ale, non tamen omnes, sed *quæ vere viduæ sunt*, id est quæ non habent auxilium nisi solius Dei. Sed *si qua vidua habet filios vel nepotes, discat primum pie regere domum suam*, in quo probabitur. Hoc discat primum, id est antequam ad ecclesiam veniat stipendiis ecclesiæ honoranda. Discat domum regere, *et parentibus* qui eam aluerunt, *mutuam vicem reddere*, ut et pari lege alios nutriat. Nec solum genitores, sed et filii, vel nepotes, cæterique propinqui dicuntur parentes, unde et tota progenies parentela vocatur. Et in mundana lege parens parenti per gradum et parentelam succedere jubetur. Mutuam ergo vicem, ut dictum est, reddit parentibus, qui nutritus a majoribus, nutrit minores; et quod a præcedentibus accepit, subsequentibus impendit. Vel mutuam vicem parentibus reddit, qui filiis et propinquis sibi servitia impendentibus subsidia rependit. Hoc agat bona vidua, quia *hoc est acceptum coram Deo;* et hæc tamen nondum est vere vidua, quæ parentes habet qui illi sunt solatio. Sed illa *quæ vere vidua est*, id est ab omni auxilio mundano destituta, et ab omni terreno solatio *desolata, sperat in Deum*, id est videns ex nulla parte se habere suffugium, toto animo adhæret Deo, a quo solo sperat auxilium vitæ et salutis; et ideo *nocte ac die instat obsecrationibus* pro remotione B lius mali, *et orationibus* pro adeptione bonorum. Talis erat sancta Anna, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte (*Luc.* II). Præ cæteris enim viduæ debent vacare orationibus quia et Dominus cum ad semper orandum hortaretur, viduam commemoravit, quæ videlicet iniquum judicem ad audiendam causam assidue interpellando commovit (*Luc.* XVIII). Quapropter cum in viduis destitutio et desolatio notetur, sic se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam et desolatam, quandiu peregrinatur a Domino, profecto quamdam viduitatem suam Deo defensori assidua et impensissima precatione commendat. Mystice enim vel Ecclesia vel omnis anima quæ intelligit se derelictam omni auxilio, nisi solius Dei, vi- C dua est. Unde enim mulier est vidua? Quia non habet auxilium aliunde, nisi solus Dei. Illæ vero quæ habent viros, quasi superbiunt de auxilio virorum. Videntur autem viduæ desertæ, sed robustius est auxilium earum. Ergo tota ecclesia una vidua est, sive in viris, sive in feminis, sive in conjugatis, sive in maritatis feminis, sive in adolescentibus, sive in senibus, sive in virginibus. Omnis ecclesia una vidua est, deserta in hoc sæculo, si sentit illud, si novit viduitatem suam, tunc enim auxilium præsto est illi. Sed simpliciter viduam mulierem iterum sicut superius intelligamus. Quæ enim vere vidua est et desolata, persistit in precibus, et fit Deo proxima. Nam e contrario illa *quæ in deliciis est*, id D est quæ carnem suam deliciose fovet, et in precibus et jejuniis nullatenus affligit *vivens* communi vita, *mortua est* in anima, quoniam Deus ab ea recessit, qui est vita animæ. Unde et beatus Job de sapientia quæ Deus est, dicit, quia « non invenitur in terra suaviter viventium (*Job* XXVIII), » id est in mente eorum qui voluptatibus hujus vitæ serviunt. Hoc est enim viventem mortuum esse non habere Deum manentem in sua mente. Ne ergo vivens sit mortua deliciæ spirituales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, id est oratio, jejunium, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio. Nam quando vidua pro deliciis nuptiarum quas in carne viri habere solebat, aliarum et carnalium deliciarum tanquam in solatio usum assumit, tunc vivens mortua

Digitized by Google

est. Nam sicut in ipsis sensibus corporalibus acutius audiunt qui non vident, et tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur, non intelligitur ex uno auditu nempe ex sensu auditus (225), luminum repressa intentione sentiendi, eam se in alios sensus promptiori dignoscendi acumine exercere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur ex altero; ita et sæpe carnis cupiditas a concubendi voluptate cohibita, majori voluptate in pecuniæ se porrigit appetitum; et illinc aversa, huc se impetitu ardentiori convertit. Mors autem est ipsa lætitia in perfruendo, cum quisque adipiscitur quod perdite concupivit. Et ideo mortua est vidua quæ in deliciis vivit, ad quas delicias per cupiditates tanquam portas mortis pervenitur. Et idcirco præcipe viduis ne deliciose vivant. *Et hoc est, præcipe* illis, *ut irreprehensibiles sint*, id est ut caveant facere ea quæ sunt digna reprehensione. Dixi superius, *ut vidua si filios vel nepotes habet, discat regere domum.* Si autem hoc agere neglexerit, fidem perdidit, quia *si quis non habet curam suorum, et maxime domesticorum*, ut quantum potest procuret illis necessaria, *fidem negavit* operibus, etsi non verbis, quia proximum non diligit, et infideliter erga eum agit. Vel viduæ non studeant congregare delicias, sed vel filii, vel cæteri propinqui impendant illis quod necessarium est. Sed si quis est qui nolit, fidem negavit quam in baptismo promisit, quando diaboli operibus abrenuntiavit, *et est deterior infideli*, qui nunquam fidem habuit. Hic enim veritatem novit, et se bene acturum promisit; infidelis autem nec novit adhuc nec promisit. Sed iste promisit, et implere noluit, ideo deterior est illo qui fidem nondum percepit. Multo enim gravius delinquitur scienter quam ignoranter, et multo pejus est bona opera promittere et non facere, quam nec promittere nec facere. Curam ergo suis, et maxime domesticis quisque debet impendere, quia cum cœperit velle prodesse quibus poterit primitus inest ei cura suorum. Ad eos quippe habet opportuniorem facilioremque aditum consulendi vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Nam infidelis curam suorum habet, et ideo deterior est infideli, qui hanc non habet.

« Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, « quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis te« stimonium habens, si filios educavit, si hospitio « recepit, si pedes sanctorum lavit, si tribulationem « patientibus subministravit, si omne opus bonum « subsecuta est. »

Hic commune dat præceptum de his viduis, quæ ecclesiæ pascuntur alimonis; et idcirco ætas præscribitur, ut illæ tantum accipiant pauperum cibos, quæ jam laborare non possunt, atque maturitatem habent morum pariter et ætatis. Simulque considera quod illa quæ duos habuit viros, etsi anus, etsi decrepita, etsi egens est, ecclesiæ stipes non meretur accipere. Dixi superius ut veras viduas honores sumptibus ecclesiæ. Et *vidua* quæ sic est honoranda, *eligatur* habens *non minus sexaginta annorum*, nisi jam est exstinctus fomes libidinis, *quæ fuerit unius viri uxor*, id est quæ non habuit nisi unum maritum, post mortem ejus *habens testimonium in bonis operibus*, scilicet *si filios* enutrivit quos habuerit; si pauperes *hospitio recepit, si sanctorum* prædicatorum *pedes lavit*, quos tunc recipere periculosum fuit. Cum fratres hospitio suscipiuntur, mos inolevit apud plerosque sanctos, ut pedes eorum laventur; et magna in hoc facto commendatio est humilitatis, ne dedignetur facere Christianus quod prior fecit Christus (*Joan.* XIII). Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso excitatur; vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. Et vidua est eligenda quæ testimonium habet hæc omnia fecisse, et *si tribulationem patientibus*, id est incarceratis vel quibuslibet afflictis bona quæ potuit *subministravit*, atque ut breviter concludam, *si omne opus bonum subsecuta est.* Et hæc talis pascatur alimentis ecclesiæ, et si vires habuerit, serviat sacerdoti.

« Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim « luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, ha« bentes damnationem, quia primam fidem irritam « fecerunt. Simul autem et otiosæ discunt circuire « domos, non solum otiosæ, sed et verbosæ et cu« riosæ, loquentes quæ non oportet. Volo ergo ju« niores nubere, filios procreare, matresfamilias « esse, nullam occasionem dare adversario male« dicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt « retro post Satanam. Si quis fidelis vel si qua « fidelis habet viduas subministret illis, et non gra« vetur Ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt, suffic.at.»

Dixi ut vidua eligatur non minus sexaginta annorum, nisi compressa est omnis lascivia. Sed *adolescentiores viduas*, quarum adhuc sanguis fervet, devita ad ministerium ecclesiæ. Et quare? Quia cum *luxuriatæ fuerint, volunt nubere in Christo*, id est quia sæpe contingit ut relicto proposito castitatis, per multos amatores luxurientur, vel in luxu ciborum et deliciarum versentur et post multam luxuriam velint nubere, id est copulari viris in Christo, id est per legitimas nuptias, quasi tunc non sit peccatum nubere. Ipsæ dico *habentes damnationem* æternam, *quia primam fidem irritam fecerunt*, id est quia castitatem Domino voverunt et non reddiderunt; voventibus videlicet virginitatem vel viduitatem, non solum nubere, sed etiam velle nubere est damnabile: ideo videlicet habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, et si non nubendo, tamen volendo. Non quia ipsæ nuptiæ velut malum damnandæ judicantur, sed damnatur propositi fraus, damnatur fracta voti fides; non damnatur susceptio de bono inferiore, sed ruina a bono superiore. Postremo damnantur tales non quia conjugalem fidem

(225) Locus obscurus.

Digitized by Google

posterius iniere, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt, volentes nubere. Voluntas enim quæ a proposito cecidit, damnatur, sive subsequantur nuptiæ, sive desint. Et ideo tenenda est in corde perseveranter voluntas boni propositi, ne quis vel quæ retro aspiciat (*Luc.* IX, XIII), et uxori Lot similis fiat. Quid enim fecit uxori Lot? Liberata est a Sodomis, et in via posita, retro respexit (*Gen.* XIX). Ubi respexit, ibi permansit, facta est statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, et non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant et alios condiant. *Simul autem et otiosæ*, etc. Nec solum quæ diximus, faciunt prædictæ mulieres; sed cum illis malis addunt, quod sunt otiosæ, nihil manibus operantes, et fiunt propter mentis vagationem etiam corpore instabiles, quia non stant in domibus suis, sed discunt, id est assuescunt circuire sine rationabili causa domos alienas, quod religioni inimicum est. Nec solum otiosæ sunt, *sed et verbosæ*, id est abundantes multiloquio fabularum et inutilium sermonum. Nec solum verbosæ, sed *et curiosæ*, id est investigantes aliorum facta, et negligentes sua, et studentes aliquid semper audire. Et sunt *loquentes ea quæ non oportet*, id est turpia et ad libidinem pertinentia, vel quolibet alio modo religioni contraria. Et quia quædam viduæ postquam Deo continentiam et religiosam conversationem promiserunt, talia mala faciunt, *ergo volo juniores* viduas non continentiam vovere, quam servare non possunt, sed *nubere, et filios procreare* legitimos, ne si quos ex fornicatione genuerint, exstinguant eos propter metum et verecundiam, et volo eas *esse matresfamilias*. Nubant, ne vagentur per alienas ædes; sed sub viris positæ, habeant frenum quo regantur. Procreent filios, et sint matres familiarum, ut non sint otiosæ, sed in nutritura filiorum et gubernatione familiarum utilibus occupentur actionibus. Bonum est enim nubere, bonum filios procreare, bonum matresfamiliarum esse, et ideo faciant hæc bona, ne forte committant supra dicta mala. Hoc volo eas facere, et *nullam occasionem dare adversario*, id est infideli, *gratia maledicti*, id est causa malæ locutionis. Hoc est, nolo ut infideli qui nobis adversatur, et cui magnum est de nobis male loqui, dent ullam occasionem, ut possit aliquid maledicere de eis; et fortasse darent occasionem, sicut jam nonnullæ dedere, quia *jam conversæ sunt quædam retro* a bono continentiæ, quod proposuerunt, euntes *post Satanam* qui retro cessit et periit. Hoc Apostolus addidit, ut in his verbis ejus intelligeremus eas quas nubere voluit, melius potuisse continere quam nubere, sed melius nubere quam retroire post Satanam, id est ab excellenti illo virginali vel viduali castitatis proposito, in posteriora respiciendo cadere et interire. Dixi ut juniores nubant. Sed si aliquæ nubere volunt, procurent eas sui. Et hoc est : *Si quis fidelis, vel si qua fidelis habet viduas*, id est viris orbatas sorores aut consanguineas, quæ aliqua linea generis ad eum pertineant, *subministret illis necessaria, et non gravetur ab eis ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt*, id est omni auxilio destitutæ *sufficiat* alimenta præbere. Hic ostendit Apostolus quia et fideles sibi et allis in posterum necessaria providere debent, ut intelligeremus quod præcipit Dominus non cogitandum esse de crastino (*Matth.* VI), non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur a sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur.

« Qui bene præsunt presbyteri duplici honore « digni habeantur, maxime qui laborant in verbo « et doctrina. Dicit enim Scriptura : Non infrenabis « os bovi trituranti (*Deut.* XXV; *I Cor.* IX), et di- « gnus est operarius mercede sua (*Matth.* X; *Luc.* X). « Adversus presbyterum accusationem noli reci- « pere, nisi sub duobus aut tribus testibus. »

De viduis ita fiat, ut hactenus ostendi. Sed de bonis presbyteris aliter, scilicet ut *qui bene præsunt* Ecclesiæ, *habeantur digni duplici honore*, ut in præsenti accipiant honorem stipendiorum a subditis suis, et in futuro a Deo honorem gloriæ perennis, *maxime qui laborant in verbo scientibus, et in doctrina* nescientibus, id est qui monere student eos qui sciunt, et docere eos qui nesciunt; et cum duplex honor, id est gemina retributio talibus debeatur, de uno honore probo, quem illis debent subjecti in oblatione sumpturum. Nam legis *Scriptura dicit : Non infrenabis os bovi trituranti*, id est non prohibebis prædicatorem cibos ex ecclesia sumere. Et Evangelii Scriptura secundum Lucam dicit quia, *dignus est operarius mercede sua* (*ibid.*), id est dignus est prædicator receptione sumptuum. Ex Evangelio enim Lucæ sumpsit Apostolus hanc sententiam, probans auctoritate sua. *Dignus est operarius mercede sua*, quia jam de mercede sunt operis ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum, quod uni nostro operi duæ mercedes debeantur, una in via, altera in patria : una quæ nos in labore sustentat, altera quæ nos in resurrectione remunerat, quoniam digni honore duplici boni presbyteri sunt. Merces itaque quæ in præsenti recipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendamus, quia unusquisque verus prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideo mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis enim ideo prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede se privat. Quisquis vero se vel ea quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, non ipse, sed Dominus ametur, vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne a prædicationis voce per indigentiam lassetur, huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via. Nam et homo dat in labore cibum operario suo, ut laborare sufficiat, et post

Digitized by Google

laborem reddit ei mercedem. Multo magis ergo Deus operarium suum dupliciter honorabit, id est remunerabit. Et ideo non facile recipias accusationem *adversus presbyterum*, quia non facile est accusanda tam alti nominis persona, *noli* contra eum *accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*, id est nisi accusator duos vel tres produxerit testes tam idoneos, ut accusatio sit sub eis, id est ut ipsi testes sint accusatore superiores, ut vita eorum non sit inferior vita accusantis. Testes enim, ut ait Isidorus, considerantur conditione, natura et vita. Conditione, si liber, non servus. Nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non femina. Nam varium et mutabile semper femina (*Ænei.* IV). Vita, si innocens et integer actu. Nam si vita bona defuerit, fide carebit. Non enim potest justitia cum scelerato homine societatem habere. Duo autem sunt genera testium: aut dicentium id quod viderunt, aut proferentium id quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, cum aut falsa promunt, aut vera silentio obtegunt. Nam apud veteres non minoris erat culpæ veritatem tacere, quam mendacium dicere.

« Peccantes autem coram omnibus argue, ut et « cæteri timorem habeant. Testor coram Deo et « Jesu Christo et electis angelis, ut hæc custodias, « sine præjudicio nihil faciens, in alteram partem « declinando. »

Sic age erga presbyterum, ut dixi. Sed *peccantes argue coram omnibus ut et cæteri* qui peccare volebant *timorem habeant*, ne talia facere præsumant. Dominus dicit : « Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII), » et nunc Apostolus peccantes coram omnibus jubet argui. Sed nulla contrarietas est in his duobus præceptis, quia aliquando corripiendus est inter te et ipsum solum, aliquando coram omnibus arguendus. Tunc enim secreto monendus est, quando peccavit in te, id est quando tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quære cum corrigis quod peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus corrigere, non es corrector, sed proditor. Ergo illa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius; illa vero arguenda coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Demum ad confirmationem observantiæ cunctorum præceptorum subitur : *Testor coram Deo*, ac si dicatur : Deus est mihi testis quod animam meam liberavi, dicendo quæ dicere debui, tu tibi cave ne pereas transgrediendo quæ jussi, et coram *Christo Jesu* testor, qui judicabit; *et* coram *electis angelis*, qui separabunt malos a bonis (*Matth.* XIII, XXIII). Testor *ut custodias hæc* quæ nunc præcepi de accusatione presbyteri non leviter suscipienda, et de manifesta correctione peccantium, vel etiam cætera præcepta per totam superius Epistolam data, et inferius adhuc danda. Hæc custodias, *nihil* unquam *faciens sine præjudicio*, id est sine præmeditatione, an sit faciendum an non faciendum, *declinando in alteram partem*, nisi in eam quam præmeditando cognoveris justam. Vel hæc custodias sine præjudicio, id est sine reprehensione, nihil faciens declinando in alteram partem quam non jussi, id est in partem sinistræ actionis. Vel hæc quæ dixi de accusatione presbyteri, custodias, nihil faciens sine præjudicio, id est sine præexaminatione, et ab examinatione non declines in aliud quam examinatio invenit.

« Manus cito nemini imposueris, neque commu- « nicaveris peccatis alienis. Teipsum castum cu- « stodi. Noli adhuc aquam bibere, sed modico « vino utere, propter stomachum tuum et frequen- « tes tuas infirmitates. Quorumdam hominum pec- « cata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, « quosdam autem et subsequuntur. Similiter et « facta bona manifesta sunt, et quæ aliter se ha- « bent, abscondi non possunt. »

Quia tam graviter tractanda est causa presbyteri, et ideo prius diligenter considera, quis sit ille quem ordinaveris presbyterum. Non enim facile debet ordinari, qui non facile potest ab ordine deponi; et idcirco *nemini cito imposueris manus* ordinando illum, sed diu proba illum antea, quia in morando poteris vitam ejus cognoscere; *neque communicaveris* consentiendo *peccatis alienis*, si inconsiderate peccatorem ordinaveris. Qui enim indignum ordinat peccatis ejus communicat. Et ut viles ab ordinatione possis expellere, *teipsum castum custodi*, ac si dicatur : Qui indignos vis repellere, teipsum debes in vitæ munditia custodire. Et qui alios judicas, vide ne possis ab aliis de pravo actu judicari : quisquis peccata caves aliena, cave propria. Dico ut te custodias castum, et jam tamen *noli adhuc aquam bibere*, sicut prius consueveras, *sed modico vino utere*, quia modice sumptum non nocet castitati. Et hoc præcipio *propter* dolentem ex longa abstinentia *stomachum tuum* in quo sedes est infirmitatis; *et* propter *infirmitates tuas frequentes*, id est frequenter tibi venientes. Quia de castitate admonuit, hac occasione immoderatam abstinentiam prohibet quam Timotheus inierat, et modicum vinum præcipit ob infirmitates sumendum, medici consilio magis quam apostoli, licet apostolus sit medicus spiritalis, et ne Timotheus imbecillitate superatus, non posset implere prædicationis opus. Vix tamen etiam propter has necessitates vini potio conceditur, quia vinum et adolescentia duplex incendium voluptatis (*Prov.* XX). Sed stomachi dolor et frequens infirmitas in sancto Timotheo fomenta libidinum reprimebat. Apostolus itaque cum dilectum discipulum de instituendis ecclesiæ officiis admoneret, ne quos forte ad sacros ordines inordinate proveheret dixit: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.* Qui ad infirmitatem ejus corporis protinus se convertens, ait : *Noli adhuc*, etc., usque, *tuas infirmitates.* Statimque subjunxit, dicens : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium,*

Digitized by Google

quosdam et subsequuntur. Et quid ad illud pertinet, quod ab infirmo bibi aquam prohibet, hoc quod de peccatis quorumdam hominum manifestisque subjunxit, nisi quod interposita de ejus infirmitate sententia ad hoc in extremo rediit quod superius dixit, *manus cito nemini imposueris*, etc.? Ut enim hæc eadem peccata quanta sollicitudine refellenda essent ostenderet, interposita contra infirmitatis molestiam discretionis admonitione, protinus intulit quod in aliis patescerent, et in aliis latérent dicens : *Quorumdam hominum*, etc. Similis interpositio reperitur in libro Domini Job, ubi de reprobis dicitur : « De mane usque ad vesperam succidentur, et quia nullus intelligit, in æternum peribunt (*Job* xx), » statimque de electis additur, « quia autem reliqui fuerint, auferentur ex eis (*ibid.*), » iterumque mox de reprobis subjungitur : « Morientur, et non in sapientia (*ibid.*). » Sed in aliis Scripturarum sanctarum locis inveniuntur frequenter hujusmodi interpositiones. Cum ergo Timotheus, vel quilibet episcopus nemini debeat cito manus imponere, ne peccatis alienis communicet, si peccatorem ordinaverit, subjungitur causa, cum dicitur : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium*, id est quorumdam peccata ita sunt aperta, ut eorum fama vel notitia prius veniat ad judicium, id est locum in quo fit discussio personarum, quam ipsi infames qui veniunt ad ordinandum. *Quosdam autem et subsequuntur* ad judicium peccata sua, quia tunc primum manifesta fiunt, cum ordinandi discutiuntur. De quibusdam peccatis hoc intelligendum est. Non enim omnia panduntur in illa discussione, sed aliquando latent plurima. Nec solum peccata quædam ita manifesta sunt, et quædam in discussione vel in conversatione paulatim deteguntur, sed etiam quædam *bona facta similiter manifesta sunt*, præcedentia ad judicium, ut non sit opus probandi ea esse bona; et quædam iterum esse bona, *quæ aliter se habent*, id est quæ non ita sunt manifestata, *non possunt abscondi* vel in ipsa discussione, et ideo probanda. Hieronymus. Quod dicit istiusmodi est. Quidam tam libere et palam peccant, ut priusquam eos videris, statim intelligas peccatores; alios autem qui callide occultant vitia sua, ex consequenti conversatione cognoscimus. Similiter et bona apud aliquos in propatulo sunt, in aliis longo usu discimus. Augustinus : Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant. Hæc præcedunt ad judicium, quia si fuerint ista subsecutum judicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quia nec illa latebunt tempore suo. Sic et de bonis factis intelligendum est. De manifestis ergo judicemus, de occultis vero judicium Deo relinquamus, quia et ipsa abscondi non possunt, sive mala, sive bona, cum tempus advenerit quo manifestentur.

CAPUT VI.

« Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos « omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Do- « mini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles « habent dominos, non contemnant, quia fratres « sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt; et di- « lecti, quia beneficii participes sunt. »

Quod de servo Hebræo præcipitur, ut sex annis serviat, septimo dimittatur liber gratis, ne servi Christiani hoc flagitarent a dominis suis, apostolica nunc auctoritas jubet servos dominis suis esse subditos, *ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Pseudo enim dicebant, non licere servos teneri nisi sex annis, vel potius neminem debere esse servum alterius, sed omnes æqualiter esse liberos, quia omnes ex uno patre Adam descenderant, et omnes Christus redimendo liberaverat. Et horum pravæ persuasioni contradicit Apostolus, dicens Christianos servos debere quibuscunque dominis, sive paganis, sive Christianis bene servire, quia hoc præcepit Christus, cum diceret : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Luc.* xx). » Et hoc est : *Servi* Christiani qui *sunt* gravati *sub jugo* infidelium dominorum, *quicunque* sint illi servi, id est etsi justi, etsi sapientes sint, *dominos* tamen *suos arbitrentur dignos omni honore*, bene serviendo illis, *ne* si servire contempserint, *blasphemetur* a dominis eorum propter eos *nomen Domini* quasi aliena invadentis, *et doctrina* Christiana quasi prædicans injusta, et contra legem mundanam decernens. Sequitur qui dominos habent infideles. Sed illi *qui habent fideles dominos, non* ideo quidem *contemnant* servire, sicut pseudoapostoli dogmatizabant, *qui sunt fratres*, id est dominis suis in Christo pares, quoniam utique Christiani; *sed magis*, id est majori affectione *serviant eis, quia fideles sunt*, id est participes sacramentorum Ecclesiæ ; *et dilecti* sunt a Deo, *quia participes sunt ejus beneficii* præsentis et futuri.

« Hæc doce et exhortare. Si quis aliter docet et « non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri « Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est « doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens « circa quæstiones et pugnas verborum : ex quibus « oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, su- « spiciones malæ, conflictationes hominum mente « corruptorum, et qui a veritate privati sunt, exi- « stimantium quæstum esse pietatem. »

Hæc quæ dixi de servis, *doce* ignorantes, *et exhortare* scientes. Et hoc age, *si quis aliter docet*, id est si quis prædicaverit communem omnibus in Christo libertatem, dicens omnes debere liberos esse, tu e contrario tunc præcipe, id est prædica, ut servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur, et non contemnant eis servire. Nam semper expedit quidem ista docere, sed tunc maxime quando perversus quis aliter docet, prædicans ut omnes sint liberi; *et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi*, dum ei objicitur Christum dixisse : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Luc.* xx); » et præcepisse Petro ut pro se et pro ipso Christo staterem repertum in ore

Digitized by Google

piscis daret his qui tributum exigebant (*Matth.* xvii), et item dixisse : « Discite a me quia mitis sum (*Matth.* xi); » *et* non acquiescit *ei doctrinæ* nostræ, *quæ est secundum pietatem*, id est quæ non facit odiosam Christianitatem, docendo insolescere. Ille qui his et hujusmodi sermonibus Domini et huic doctrinæ non acquiescit, sed aliter docet *superbus est*, id est superbia, non ratio ducit eum. Superbus est, id est non patiens vinci, et a sententia sua deflecti. Et quamvis se sciolum putet, tamen *nihil sciens* est, *sed* est semper *circa quæstiones languens*, id est inefficax et impeditus ad solvendum, et ad veritatis indaginem pervenire non valens ; *et* similiter est languens circa *pugnas verborum*, id est circa repugnantiam quæ videtur esse in quibusdam Scripturarum verbis, licet sensus concordet, sicut est : « Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* viii); » et iterum : « Quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus (*Marc.* ix; *Matth.* xx). » Videntur enim hæc verba huic stulto repugnare, ut nos filius liberos faciat, et iterum fit servus qui voluerit esse primus, cum primus inter nos maxime sit liber, si nos liberi sumus. Vel circa pugnas verborum languet, id est circa disputationes, in quibus disputatores pugnant verbis invicem. *Ex quibus* quæstionibus et verborum pugnis *oriuntur invidiæ* et *contentiones blasphemiæ* et *suspiciones malæ*, quia propter verba pseudoapostolorum libertatem hujusmodi prædicantium, hi qui servos habent, invident Christiano nomini et contendunt adversus fideles, et blasphemant Deum quasi qui aliena sibi tollit, et suspicantur male de nobis, quasi hanc libertatem finxissemus ad lucrum. Et contra illos oriuntur inde *conflictationes hominum mente corruptorum*, id est pseudo prædicatorum, quorum intelligentia vel ratio errore corrupta est, ne possit inviolatæ veritatis cognitionem habere in vera rerum notitia, vel mente corruptorum, quia, etsi caro eorum propter simulationem sanctitatis est integra, mens tamen interius delectatur immunditiis libidinum, et turpitudinibus vel amore pecuniarum. *Et qui privati sunt a veritate*, quia, etsi aliquando veritatem catholicæ doctrinæ aliquatenus cognoverunt, propter errores, quos menti suæ inseruerunt, cognitionem illam penitus amiserunt. Hominum dico *existimantium pietatem*, id est Dei cultum, *esse quæstum* temporalium rerum, quia pseudo putabant quod Christus esset colendus propter commoda præsentis vitæ, non futuræ, quoniam et ipsi propter acquisitionem præsentium lucrorum prædicabant.

« Est autem quæstus magnus, pietas, cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus. »

Ipsi putant pietatem nostræ religionis esse quæstum emolumenti carnalis, et verum quidem est quod Christiana *pietas est quæstus*, non tamen exiguus ut temporalia tantum acquirat, ut ipsi putant, sed *magnus*, id est æterna corporis et animæ bona conquirens. Magnus quæstus est *pietas cum sufficientia*, id est pietas cui sua parva sufficiunt, nec desiderat plus habere quam necesse est. Hanc autem sufficientiam non indecenter vult, quisquis eam vult, nec amplius vult. Aliquin non ipsam vult, et ideo nec decenter vult. Hanc optabat qui precabatur, dicens : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria (*Prov.* xxx). » Hæc necessaria debent nobis sufficere, quia incongruum est, ut qui nihil huc attulimus, et nihil hinc portabimus, multa hic habere quæramus. *Nihil* videlicet *intulimus in hunc mundum* quando nati sumus; et *haud*, id est non est *dubium quia nec auferre* hinc aliquid *possumus*, quando morientes de mundo eximus. Nudus enim egreditur de matris utero, et nudus migrat de mundo (*Job* i). Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. Cur itaque alius in hac vita quærit fieri ditior alio? vel cur dives contra pauperem inflatur, cum uterque sine divitiis venerit, et sine divitiis abiturus sit? Non igitur divitias multiplicare quæramus, quas hinc nobiscum portare non possumus; sed *habentes alimenta* quibus pascamur, *et* indumenta *quibus tegamur, his contenti simus*, nihil ultra quærentes in hoc sæculo, quia frigus et fames simplici vestitu et cibo expelli potest.

« Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes, erra erunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge. Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. »

Nobis apostolis quos cæteri debent imitari, sufficiunt alimenta et tegumenta, omnibusque Christianis sufficere debent. *Nam qui volunt divites fieri, in tentationem incidunt.* Non dico qui divites sunt, sed qui volunt fieri divites. Aliud enim est esse divitem, aliud fieri velle divitem. Hic cupiditas accusatur, non aurum, non argentum, non divitiæ. Diviti præcipitur ut eroget pauperi, ne desideret. Nam qui volunt divites fieri, etsi non fiant, ipsa tamen voluntate incidunt in tentationem, *et in laqueum diaboli*, id est in hoc ut consentiant suggestioni diaboli; amando divitias quarum amorem ille suggerit, et illa queantur ab eo per consensum iniquæ persuasionis, et per actionem pravitatis, et cadunt in *desideria multa inutilia et nociva*, quia nihil prosunt, sed valde nocent, quæ ita nocent, ut *mergant homines in interitum* corporum *et perditionem*, animarum. Et recte dixi quia per cupiditatem divitiarum cadunt in multa desideria; nam *cupiditas est radix omnium malorum*, id est non est aliqua species mali,

Digitized by Google

quæ non ex aliqua cupiditate aliquando procedat. Hac enim et primus angelus cecidit (*Isa.* XIV), qui utique non amat pecuniam, sed propriam potestatem. Hac et primi homines dejecti sunt (*Gen.* III), qui non aurum, sed inconcessam sibi divinitatem superbe cupierunt. Plus enim volentes habere quam acceperant, et quod acceperant, amiserunt. Nam cum initium omnis peccati sit superbia (*Eccli.* X), recte malorum omnium radix esse dicitur cupiditas. Vel avaritia hoc loco generalis intelligitur, qua quisque appetit aliquid amplius quam oportet, propter excellentium suam et quemdam propriæ rei amorem. Talis enim perversitas mentis, competenter vocatur superbia vel cupiditas. Cum sit ergo specialis quædam cupiditas, quæ usitatius amor pecuniæ dici potest, Apostolus nunc cupiditatem nominans, per speciem genus significavit, et universalem cupiditatem intelligi voluit, dicens : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ipsa quippe latenter oritur in mente, sed peccatorum omnium punctiones patenter producit in opere. Quas videlicet punctiones ab hac radice surgentes, statim prædicator egregius insinuavit, subdens : *Quam quidam appetentes, erraverunt a fide*, et *inseruerunt se doloribus multis.* Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes ex hac radice punctiones vel spinas innotuit. Quidam per cupiditatem erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis, sicut illi qui propter dona principum adoraverunt idola, et post etiam in hoc sæculo viles omnibus effecti, multas miserias pertulerunt. Nunc quoque multi per cupiditatem erraut a fide, quoniam avaritia est idolorum servitus (*Ephes.* V; *Col.* III), et inserunt se doloribus multis, quoniam mens eorum assidue pungitur spinis sollicitudinum pro acquisitione vel conservatione divitiarum, et multiplici labore corpus illorum atteritur. Illi per cupiditatem irrationabilem in tot mala decidunt. Sed *tu, o homo* ratione utens, quia es *Dei* non cupiditatis, *fuge hæc* mala, si quando per aliquam delectationem humanæ fragilitatis apprehendere te voluerint. Hæc quidem fuge, sed *justitiam sectare* ut nunquam observatio justitiæ te possit effugere, sed semper per omnes vias actionum ejus sequere. Sectare justitiam; faciendo unicuique quod jus exigit, non quod cupiditas. Et sectare *pietatem* ut egenti vel afflicto condescendas per compassionem, et ei clementer subvenias, prout necesse habuerit, et sine avaritia tribuas quod opus fuerit. Et sectare *fidem*, ut credendo bona invisibilia, contemnas visibilia, quia qui veram fidem de Deo et futura beatitudine habet non curat hic cum impiis in exsilio fieri dives, nec pluris est ei mundus quam Deus. Sectare *charitatem* erga Deum et proximum, qua penitus caret avarus, quia nec Deum diligit, cujus mandatum de dandis eleemosynis contemnit (*Luc.* XI, XII); nec proximum diligere probatur, cui de suis operibus nihil impartitur. Tu vero ut charitatem sectari possis, adde *patientiam*, qua perferas æquanimiter, quæ tibi a proximis inferentur, ne A mordearis intrinsecus ullo dolore indignationis adversus eos qui tibi hæc inferent, sed serenum et tranquillum cor erga eos serves. Multa enim oportet te æquanimiter a proximis tolerare, si charitatem non vis frequenter amittere. Et erga eos præcipue a quibus adversa perferes, sectare *mansuetudinem* ut nihil asperitatis, nihil amaritudinis illis rependas, sed mitis et tractabilis erga eos maneas. Cupidus autem neque patienter adversa tolerat, neque mansuetudinem erga quempiam servat. Certa quoque, id est pugna pro anima tua in agone præsentis vitæ, et coronam percipias in fine. *Certa* non malum certamen, sicut avari, qui certant alios superare divitiis : vel sicut hæretici, qui certant fideles a fide separare; sed certa *bonum certamen fidei*, ut B benigne contendas fide et bonitate alios superare, et infideles fidei subjicere. Vel certamen fidei, id est quod fides exigit, certa ut vel in martyrio, vel in agone justitiæ, vel contra hostes fidei vel contra quælibet vitia pugnes assidue. Et per victoriam hujus certaminis *apprehende*, id est vi quadam ad te prende *vitam æternam*, quam debes viriliter apprehendere, quia *in* eam *vocatus es* a Deo per evangelicam prædicationem, vel per propositum divinæ voluntatis, et *tu confessus es bonam confessionem* fidei et justitiæ *coram multis testibus* quando baptizatus es, sive quando in episcopum consecratus; ideoque fructum hujus confessionis, id est vitam æternam, niteris apprehendere.

« Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia, C « et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub « Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves « mandatum sine macula irreprehensibile, usque in « adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis « temporibus ostendet beatus et solus potens Rex « regum et Dominus dominantium (*Apoc.* XVII, XIX), « qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat « inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed « nec videre potest (*Joan.* I; *I Joan.* IV), cui gloria, « honor et imperium sempiternum. Amen. »

Ut vitam æternam possis apprehendere, et bonam confessionem tuam servare, *præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia* quæ vivificantur; et coram Christo, qui in passione sua bonam confessionem reD didit, ut serves mandatum. Non enim vitam consequeris æternam, nisi per eum qui vivificat omnia, et ideo nunc illum præceptionis meæ testem adhibeo, ut ipse tibi vitam tribuat, si obedieris; nec bonam confessionem tuam servabis, nisi imitando Christum, qui sicut sub Pilato bonam confessionem dedit, ita et tu coram potestatibus hujus sæculi non timeas veritatem confiteri, et propterea coram Christo tibi præceptum trado. Deus Pater vivificat omnia, non tamen sine Filio, quia quæcunque ille facit, hæc et Filius similiter facit. « Et sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult et vivificat (*Joan.* V). » Nec sine Spiritu sancto agitur ista vivificatio, quia sicut idem Filius ait : « Spiritus est qui vivificat (*Joan.* VI). » Non

Digitized by Google

solus Pater, sed tota Trinitas quæ unus Deus est, vivificat omnia. Quod autem sequitur *et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem* de Filio proprie intelligitur, quia sub Pilato in forma servi solum Filium novimus passum esse, non etiam Patrem, vel Spiritum sanctum. Tunc enim ipse Filius bonum reddidit testimonium, quia dixit se regem esse, quamvis sciret se inde moriturum esse; et illud testimonium fuit bona confessio veritatis. Hoc testimonium et hanc confessionem reddidit ipse, quando respondit Pilato : « Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem (*Joan.* XVIII). » Sic et tu nullo metu tyrannorum debes a confessione veritatis reticere. Itaque præcipio tibi coram Deo qui est Trinitas, et coram Christo, qui est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (*supra* II), *ut mandatum* bene agendi et bene docendi, quod tibi trado, *serves sine macula* criminalis peccati, et serves illud *irreprehensibile*, id est ut non sit habile ad reprehendendum propter aliquam similitudinem inhonestatis. Et ita serves illud *usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*, de quo ipse dicit : « Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit (*Matth.* XXIV), » id est usque ad obitum tuum. Vel in Timotheo præcipitur unicuique rectori Ecclesiæ, quia successurus est alius post alium usque in novissimum Domini adventum, ut servet sine macula criminis, et sine reprehensione inhonestæ similitudinis hoc mandatum. *Quem* Dominum Christum, vel quem adventum Domini, *suis*, id est congruis et dispositis *temporibus ostendet* (*ibid.*), id est palam omnibus visibilem ponet Deus Trinitas, qui naturaliter in seipso, et ex seipso *beatus* est, quod nulli creaturæ congruit. Nulla enim creatura potest esse beata, nisi participatione beatitudinis sui Creatoris (*Rom.* XIII). Qui *et solus potens* est, quia per seipsum naturaliter omnia potest. Creaturæ vero si quam habent potestatem, ab illo hanc accipiunt. Non est enim potestas nisi a Deo. Et ipse est *Rex regum*, quia sub ejus imperio regnant omnes quicunque regnant; *et est Dominus dominantium*, quia illi serviunt aut volentes, aut inviti, quicunque aliis dominantur. Hæc, ut diximus, de tota Trinitate dicuntur, quæ unus est Deus. *Qui solus habet immortalitatem* quia solus est immutabilis. In omni enim mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Proinde et ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quia qualitercunque secundum modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quamdam mortem suam. Quia si juste vivebat et peccat, moritur justitiæ. Si peccatrix erat et justificatur, moritur peccato. Ut alias ejus mutationes taceam, de quibus longum est disputare, et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et angeli peccaverunt, atque dæmones facti sunt; et qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicunque rationali creaturæ præstatur ut peccare non possit, non est creaturæ proprium, sed Dei gratiæ. Ac per hoc solus Deus habet immortalitatem, qui non alicujus gratia, sed natura sua nec potuit, nec potest aliqua conversione mutari; nec potuit, nec poterit aliqua mutatione peccare. Qui *et lucem habitat inaccessibilem*. Sed si inaccessibilis est lux, in qua ipse manet, quomodo nobis dicitur : « Accedite ad eum et illuminamini? » (*Psal.* XXXIII.) Sed inaccessibilis est viribus nostris, accedituur autem ad eum muneribus suis. Moyses enim accessit ad caliginem in qua erat Deus (*Exod.* XIX). Illa enim caligo lux ista est quæ hic dicitur inaccessibilis, quia et omnis etiam corporea lux quæ præ nimietate claritatis non potest aspici, recte caligo et inaccessibilis potest appellari. De hac caligine ad quam Moyses accessit, Dionysius ita scripsit : Divina caligo est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, et invisibili eo existente propter supereminentem claritatem, et inaccessibili eodem per superexcellentiam superessentialis luminum manationis. In hoc fit omnis scire Deum et videre dignus, eum non vivendo neque cognoscendo vere super visionem et cognitionem factus, hoc ipsum cognoscens, quia post omnia est sensibilia et intelligibilia, et quia prophetice videns : « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* XIII). » Inaccessibilis ergo dicitur lux ista, sive caligo quam Deus inhabitat, propter superexcellentiam splendoris, in cujus visione caligat interior oculus rationalis creaturæ, quia sicut idem Dionysius alibi de eo loquitur, eduelt super et verbum et intellectum, in obscuritatem super omne et verbum et intellectum superessentialiter superessentialis superdivinitatis, neque nomen ejus, neque verbum, sed superexaltatur (226). Ista exaltatio est illa lucis inaccessio. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (*Joan.* I), propter supereminentem claritatem, quæ exsuperat et reverberat humanum visum. Videri enim divinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur, quo jam qui viderint, non homines, sed ultra homines sunt. Scriptura quippe sacra omnes carnalium sectatores, humanitatis nomine solet notare. Unde Corinthiis dictum est : « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? (*I Cor.* III.) » Et paulo post : « Nonne homines estis? (*ibid.*) » More enim suo Apostolus et hic et ibi homines vocavit, humana sapientes, quia qui divina sapiunt, supra homines sunt. Videbimus igitur Deum, si per cœlestem conversationem supra homines esse mereamur. *Cui* sit *gloria* in amplificatione fidelium, et *honor* in assiduitate bonæ conversationis, *et imperium* in plenaria humilitate cordis eorum. Imperium dico *sempi-*

(226) Locus obscurus.

Digitized by Google

ternum ut ipse perenniter in bono corde eorum regnet. Vel sine initio et sine fine, et sine mutabilitate est ei perennis in seipso naturaliter gloria et bonor, nec non et imperium sempiternum, quo voluntas ejus æternaliter adimpletur. Non enim cœpit imperium habere, quando cœpit creaturas facere, sed ab æterno possidet imperium sempiternum. *Amen*, id est fideliter dicta sunt hæc omnia.

« Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in « Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad « fruendum, bene agere, divites fieri in operibus « bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare « sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. »

Superius ostendit pericula, quæ contingunt his qui volunt fieri divites, et ideo ne Timotheus de salute divitum desperaret, ipsosque devitaret, docet eum qualiter eis viam salutis ostendat. *Divitibus*, inquit, *hujus sæculi*, id est qui sæculares habent divitias, *præcipe non sublime*, id est non superbe *sapere*. Ubi notandum valde est, quod humilitatis doctor memoriam divitum faciens, non ait : Roga, sed præcipe, quia etsi impendenda est charitas vel pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectius jubetur, quanto et in rebus transitoriis altitudines cogitationis intumescunt. Nihil enim tam timendum in divitiis quam superbia. Non enim divitias expavit Apostolus, sed morbum divitiarum. Morbus autem divitiarum est superbia. Nam grandis est animus, qui inter divitias isto morbo non tentatur. Magnus ergo est dives, qui non se ideo magnum putat, quia dives est. Qui autem ideo se magnum putat, superbus et egenus est. *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus sæculi*. Non addere hujus sæculi, nisi essent et alii divites, qui non sunt hujus sæculi. Ipsi sunt enim, quorum princeps et caput ille, de quo dictum est : « Propter vos egenus factus est cum dives esset, ut illius inopia divites essetis (*II Cor.* VIII). » Paupertas enim Christi non pecuniam nobis attulit, sed justitiam. Paupertas illius unde? Quia mortalis effectus est. Ergo veræ divitiæ immortalitas est. Ibi enim vera copia, ubi nulla indigentia. Qui ergo has habet divitias, dives est, sed non hujus sæculi. Nec tamen et divites hujus sæculi contempti sunt, sed eis ostenditur, quomodo veras possint habere divitias. *Præcipe*, inquit, *divitibus hujus sæculi, non sublime sapere*, id est ut sublimitas non sit eis sapida et dulcis, *neque sperare in incerto divitiarum*, id est ut non sperent in divitiis, de quibus incertum habent quandiu illas possideant, et quid sibi pro illis venturum sit. Sicut poma vel arbores habent suos vermes, ita divitiæ suum vermem habent. Vermis divitiarum est superbia. Ergo præcipitur divitibus, non ut divitias abjiciant, sed ut superbe non sapiant. Vermis enim excluditur, usus divitiarum permittitur. Inde autem superbit dives, quia sperat in incerto divitiarum. Nam si incerta divitiarum prudenter attenderet, nunquam superbiret, sed semper timeret; et quanto esset ditior, tanto fieret sollicitior, etiam secundum hanc vitam. Multi enim pauperes in istis sæculi perturbationibus securiores fuere. Multi autem propter suas divitias quæsiti et comprehensi, atque cruciati vel interfecti sunt. Multi erant heri divites, et venientibus latronibus atque cuncta auferentibus, evigilant pauperes : ergo non est sperandum in incerto divitiarum, *sed in Deo vivo*. Ne enim se spem perdidisse arbitrarentur, subjunctum est, sed in Deo. In Deo speret, *qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum* temporalia et æterna. Sed magis ad fruendum æterna, ad utendum temporalia. Temporalia tanquam viatoribus, æterna tanquam habitatoribus. Temporalia, unde bona faciamus; æterna, unde boni efficiamur. Hoc ita debent facere divites et *bene agere*, id est bonis operibus insudare, et *divites fieri in bonis operibus*, ut repleantur divitiis bonorum operum. Sperent in Domino, qui dat omnia abundanter ad fruendum, id est qui nobis erit omnia ad fruendum. Nam non mihi videtur dictum, qui dat nobis abunde omnia ad fruendum nisi seipsum. Videtur enim aliud esse uti, aliud frui. Utimur enim pro necessitate, fruimur pro jucunditate. Ergo ista temporalia dat utendum, se autem dat ad fruendum. Si igitur se, quare dictum est omnia, nisi juxta illud quod dictum est, ut sit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV)? Divites, inquit, fieri in operibus bonis, *facile tribuere*. Hoc prosint illis divitiæ, ne sit eis difficultas tribuendi. Vult enim pauper, et non potest. Vult dives, et potest. Ergo quia facile potest, facile tribuat indigentibus. Dives enim debent *communicare*, id est bona sua sanctis pauperibus communia secum facere, et *thesaurizare sibi fundamentum bonum*, id est firmitatem perpetuæ stabilitatis *in futurum* ubi sunt vere divites, sed non hujus sæculi. Non enim, quia dico, ut facile tribuant et communicent, exspoliare eos volo et inanes relinquere. Non doceo lucrum, cum dico ut thesaurizent sibi. Non ut divitias perdant, moneo; sed quo eas præmittant, doceo. Præmittant thesauros suos in locum ubi est vera vita, *ut* ipsi postmodum sequentes, *apprehendent* eam, ne si hic thesaurizaverint, decipiantur a falsitate hujus vitæ, sicut ille dives purpuratus, qui Lazaro micas dare noluit; et ideo flammis postea traditus, impetrare guttam aquæ non potuit (*Luc.* XVI).

« O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ; quam quidam promittentes, circa « fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen. »

Cum plurima Timotheo Apostolus injunxisset, post omnia jubet ut depositum, id est commendatum sibi thesaurum scientiæ, videl cet acceptum a Domino talentum bene custodiat, ut multiplicatum illud reddat; et idcirco nomine proprio illum vocat, ut vigilantiorem et attentiorem reddat ad servandum quod admonet. *O*, inquit, *Timothee, depositum*, id est thesaurum sapientiæ, *custodi*, quem Deus et

Digitized by Google

ego tibi commendamus, ne quis illum tibi furetur per novas inductiones verborum. Et ideo custodi illum. *devitans novitates vocum profanas*, id est quæ sunt extra religionem. Aliæ enim non sunt vitandæ quæ congruunt doctrinæ religionis, sicut ipsum nomen Christianorum, quod post ascensionem Domini cœpit, quando primum in Antiochia discipuli sunt appellati Christiani (*Act.* XI), res tamen ipsa et ante nomen erat. Et adversus impietatem Arianorum novum nomen Patres addiderunt, ὁμοούσιον, sed non rem novam tali nomine signaverunt. Hoc enim vocatur ὁμοούσιον, quod est : « Ego et pater unum sumus (*Joan.* X), » unius videlicet ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec a Domino diceretur : « Mandatum novum do vobis, nec testamentum appellaretur novum (*Joan.* XIII). » Sed profanæ sunt *vocum novitates*, quoties hæretici novum quemlibet errorem inveniunt, et loqui cæteris præsumunt. Et hujusmodi novitates devita, si depositum vis custodire, *et oppositiones scientiæ falsi nominis* cave, id est oppositiones quæ Christianæ doctrinæ possunt objici ex scientia hæreticorum, qui se scientes esse jactant, cum sint inscii, vel ex scientia sæculari, quæ falso nomine vocatur scientia, cum nomen ejus verum sit ignorantia, sive error vel imperitia. Ex qua prædicationi evangelicæ multa opponuntur, sicuti est non potuisse Virginem parere, nec Deum potuisse mori, nec mortuum resuscitare seipsum potuisse, et his similia, quæ nobis ab imprudentia physicorum vel hæreticorum opponuntur. Sed hujusmodi oppositiones devita, quæ veniunt ex scientia, quæ falso nominatur scientia, quia non est scientia, sed inscientia, *quam* scientiam *quidam promittentes* aliis se daturos, *exciderunt*, id est ex toto ceciderunt in errores, eundo *circa fidem* semper, et nunquam intus intrando. Nihil enim sic amant isti quam scientiam promittere, et fidem rerum verarum quas credere parvuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere. *Gratia tecum*; ac si dicatur : Multa tibi per hujus epistolæ textum injunxi, sed ut hæc omnia custodire valeas, gratia Dei sit tecum, id est cum viribus arbitrii tui manens et cooperans. *Amen*, id est fideliter dicta sunt universa quæ continentur in hac epistola. Nam sicut amen, quod in fine orationis respondetur, totam confirmat orationem : sic amen, quod in fine epistolæ scribitur, confirmat epistolam.

IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

ARGUMENTUM.

Paulus Romæ vinculis tentus, et jam de mundo transiturus, scribit iterum Timotheo infirmitatibus et adversis fatigato, ut constanter laboret in gratia Dei sibi credita, exhortans multis modis eum ad martyrium. Roborat eum contra falsos prædicatores, et instruit de regula omnis veritatis, et de his quæ futura sunt temporibus novissimis, et de sua passione. Sicque incipit :

CAPUT PRIMUM.

« Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, « secundum promissionem vitæ quæ est in Christo « Jesu, Timotheo charissimo filio : gratia, misericor- « dia, et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino no- « stro. »

Timotheo scribit *Paulus* qui est *apostolus*, id est legatus *Christi Jesu*, quem misit Salvator rex prædicare viam salutis, et est apostolus non per suam usurpationem, sed *per Dei* Patris *voluntatem*. Est, inquam, apostolus, id est prædicare missus, *secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu*, id est ut annuntiet credentibus factam a Deo promissionem illius incorruptionis, quæ jam in Christo a mortuis resuscitato, quod scilicet Deus promisit membris eam vitam, quæ jam est in capite. Et ille qui taliter est apostolus, scribit *Timotheo* non vili, sed *charissimo filio* in sanctitate et sapientia genito. Et huic filio sit *gratia*, id est donum Spiritus sancti, per quod sanctificetur quidquid gerit; et *misericordia*, qua misericorditer a peccatis et hostibus, cunctisque miseriis liberetur; *et pax*, quam suis Christus reliquit in observatione fraternæ charitatis, quamque daturus est illis in requie beatæ perennitatis. Et hæc sint illi *a Deo Patre*, qui nos creavit, et in filios adoptavit, *et a Christo Jesu Domino nostro*, qui est rex et salvator et dominator nostri.

« Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitori- « bus meis in conscientia pura, quam sine inter- « missione habeam tui memoriam in orationibus « meis nocte ac die desiderans te videre, memor « lacrymarum tuarum, ut gaudio implear, recordia- « tionem accipiens ejus fidei, quæ est in te non fi- « cta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, « et matre tua Eunice. Certus sum autem quod et

Digitized by Google

« in te. Propter quam causam admoneo te, ut re-
« suscites gratiam Dei, quæ est in te per impositio-
« nem manuum mearum. Non enim dedit nobis
« Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis
« et sobrietatis. »

Gratias ago de te *Deo meo, cui* ego in conscientia pura *servio a progenitoribus meis*, id est ab Abraham, Isaac et Jacob, cæterisque sanctis patribus Hebræis, a quibus exemplum accipio divinæ servitutis, vel si de carnali patre et matre hoc intelligitur, ex quo ab his, processi et intelligere cœpi, semper Deo servivi *in conscientia pura* ab intentione mala. Nam etiam in persecutione quam zelo legis Christianos exercui, puram conscientiam habui, quia inde multum Deo me placere putavi, sicut ipse Christus eis prædixerat. « Venit, inquit, hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* XVI). » Itaque semper conscientiæ puritatem, id est cordis mundam intentionem habens ab infamia, non cesso servire Deo. Cui nunc gratias ago quam, id est quantum *habeam tui memoriam sine intermissione*. Hoc est perpendens assidue quantum sim tui memor, gratias Deo refero qui te talem fecit, ut sis dignus semper in memoria meæ mentis permanere. Vel secundum alios codices facilius legitur ita : *Gratias ago Deo, cui servio a progenitoribus in conscientia pura, quod habeam sine intermissione memoriam tui*, quod scilicet sis dignus propter meritum tuæ sanctitatis in corde meo semper esse. Hæc est sapiens exhortatio ad meliora. Memoriam tui habeo sine intermissione *in orationibus meis*, id est nunquam intermitto tui memor esse, quotiescunque oro, ut pro te orem *nocte ac die*. Et ideo te sic precibus meis sic intermisceo, quia sum *desiderans te videre*, ut aliquod solatium habeam in conspectu præsentiæ tuæ, qui tot malis afficior in hoc carcere. Videre, inquam, te desidero, *memor lacrymarum tuarum*, quas uberes fudisti, cum te Ephesi relinquerem, quia nimis erat tibi durum non semper esse mecum. Et propterea te desidero videre, ut videns te quem tantum diligo, *implear gaudio*. Magnum enim mihi gaudium erit, si te adhuc videre potero priusquam moriar. Dixi quia sum memor lacrymarum tuarum. Et sum memor earum, *accipiens recordationem ejus fidei, quæ est in te non ficta*, non simulata, nec fictitia, sed vera, et bonis operibus ornata, quæ te monet ut fortiter agas, cum etiam in feminis firma fuerit, quoniam et *habitavit primum in avia tua Loide, et in matre tua Eunice*, pater enim tuus fuit gentilis (*Act.* XVI). In illis habitavit fides, sed et ego *certus sum*, id est pro certo novi *quod et in te* habitet eadem fides, cujus exemplum ab illis accepisti, et ideo serva diligenter eam ; *propter quam causam*, id est quia fidem a bonis parentibus velut hæreditario jure possides, et tam bonus hucusque fuisti, ut non possis auferri de memoria cordis mei, *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, id est prædicando exercens officium episcopale, quod accepisti, quando tibi manus in ordinatione tua imposui, quod quasi mortuum est in te timore martyrii. Gratia enim episcopatus admonet eum resuscitare, ut confidentius prædicet verbum Dei, non timens terrenas potestates, nec erubescens se dicere servum Crucifixi, et discipulum vinci. Aliquantulum enim in hoc negligens et timidus fuerat factus, quoniam adversis erat fatigatus. Sed aviæ et matris ejus mentio præmittitur, quæ mulieres fuerunt, et fidem constanter tenuerunt, cum adhuc recentior esset, paucique fideles essent, ut cogitet quia ipse qui vir est, et sub eis nutritus, multo magis nunc cum jam multitudo fidelium abundet, fidem et gratiam viriliter tenere et prædicare debet. Moneo, inquit, ut resuscites gratiam Dei, quæ metu tribulationum quodammodo ecciditin te. Quod potes et debes agere, quia *Deus non dedit nobis spiritum timoris, sed spiritum virtutis*, id est non dedit nobis spiritum, qui faciat nos timere adversitates hujus sæculi, sed qui nos faciat fortes contra adversa omnia, ut per virtutem constantiæ semper vincamus timoris adversitatem. Non accepimus spiritum timoris illius, de quo dicit Dominus : « Nolite timere eos qui occidunt corpus (*Matth.* X), » ne scilicet negemus eum illo timore, quo turbatus est Petrus (*Joan.* XVIII) ; sed accepimus spiritum illius timoris, de quo subjungit : « Timete eum, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam (*Matth.* X). » Major quippe libertas est necessaria adversus tot et tantas tentationes, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc sanctorum martyria docuerunt, donante illo a quo perceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent ; sed virtutis *et dilectionis et sobrietatis*, quo cuncta minantia, cuncta mutantia, cruciantia cuncta superarent. Virtutis, ut contra adversa fortes essent ; dilectionis, ut Deum super omnia diligerent ; sobrietatis, ut sæculi cupiditatibus inebriari fugerent

« Noli itaque erubescere testimonium Domini
« nostri, neque me vinctum ejus, sed collabora E-
« vangelio secundum virtutem Dei, qui nos libera-
« vit, et vocavit vocatione sua sancta, non secun-
« dum opera nostra, sed secundum propositum
« suum et gratiam, quæ data est nobis in Christo
« Jesu ante tempora sæculoria, manifestata est au-
« tem nunc per illuminationem Salvatoris nostri
« Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illu-
« minavit autem vitam et incorruptionem per Evan-
« gelium, in quo positus sum ego prædicator et
« apostolus et magister gentium. Ob quam causam
« etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui
« credidi, et certus sum, quia potens est depositum
« meum servare in illum diem. »

Quoniam spiritum timoris non accepisti, sed virtutis et charitatis, *itaque noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi*, id est non solum non timeas, sed etiam non erubescas prædicare Christum crucifixum, quia surrexit, et ideo gloria resurrectionis penitus excludit confusionem crucis. Cum

Digitized by Google

ipse sit Dominus noster, cui omnes servire debemus, noli erubescere testimonium ejus, id est non sit tibi verecundia hunc prædicare Deum immortalem, qui pro omnibus in assumpta carne dignatus est ad horam gustare mortem, ne incidas in illam comminationem qua dixit : « Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua (*Luc.* IX). » *Neque* erubescas *me vinctum ejus*, quia non est rubor confusionis pro justitia pati vincula. Non est in hac re quidquam verecundiæ, et ideo noli propter insultationes infidelium erubescere me vinctum esse pro Christo, *sed collabora*, id est mecum labora, *Evangelio*, id est profectui Evangelii *secundum virtutem Dei*, id est a Deo nobis datam, *qui nos* sanguine Christi *liberavit* a jugo diaboli, sicut antea sanguine agni filios Israel a potestate Pharaonis, et per evangelicam prædicationem, vocavit nos, qui eramus aversi. *Vocavit nos vocatione sua*, id est sibi soli congrua; vocatione dico, *sancta*, id est ad hoc spectante, ut nos sanctos faciat. Vocationem Apostolus duplicat, ut insinuet nos a Deo vocatos per Filium et apostolos. Vocavit, inquam, nos, et hoc *non secundum opera nostra*, quia non feceramus opera, pro quibus digni essemus ab eo vocari, sed potius damnari, *sed* ipse, sine præcedentibus bonis operibus nostris, misericorditer vocavit nos *secundum propositum suum*, id est secundum quod proposuerat nos per misericordiam salvare quos posset, per justitiam damnare, et secundum *gratiam* suam vocavit nos, id est secundum gratuitam Dei donationem *quæ data est*, id est prævisa dari *nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*, id est antequam cœpissent cum sæculo ista tempora, quæ suis spatiis volvuntur et transeunt. Nam ante sæculum non erat tempus, sed ævum; sed cum sæculo, sicut diximus, exordium habuit tempus, quando cœpit mutabilitas et vicissitudo diei et noctis. Et in illo ætatis ævo, postquam mundus fieret, data est nobis in consilio divinæ Providentiæ per Christum ista gratia, sed *nunc manifestata est* in nostræ vocationis et salvationis completione *per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi*, id est per illuminationem novæ scientiæ quam Salvator attulit, et qua nos illuminavit, aperiens nobis sensum ut intelligeremus Scripturas (*Luc.* XXIV). *Qui destruxit*, etc. Hæc est illa gratia, quod scilicet Salvator *mortem quidem* nostram destruxit, *vitam autem et incorruptionem* sua resurrectione *illuminavit*, id est clara luce manifestavit, ut sit vita et incorruptio animæ et corporis, ad quam nos tendere voluit. Et hanc illuminationem fecit *per Evangelium*, id est per manifestationem Evangelii, in qua denudantur ea, quæ in lege velabantur. *In quo* Evangelio immobilis *positus sum ego prædicator*, id est præco clamans, *et apostolus*, id est legatus potestatem habens, *et magister gentium*, id est quotidie gentes docens. *Ob quam causam*, id est quia Evangelium prædico, *etiam hæc* adversa nunc Romæ tanta *patior*, *sed non confundor*, id est non erubesco in omnibus contumeliis et tormentis quæ perfero, scieus quia per hæc gloriam acquiro. Nam *scio cui credidi*, id est scio quis sit cui fidem meam commisi, *et certus sum* quia omnia potest, et *quia potens est depositum meum servare*, id est thesaurum meritorum meorum quem illi occulte servandum commendavi. Ipse potens est et hoc pretiosum justitiæ meæ depositum servare, differendo *in illum* notabilem judicii *diem*, ut tunc illud mihi restituat, et divitias justitiæ, quas illi commendavi, reddat. Usque in illum judicii diem, de quo frequenter loquor et cogito, potest ille thesaurum spiritualium divitiarum mearum sibi commissum custodire, ut tunc illum mihi copiosius reddat, et magnis me divitiis repleat.

« Formam habens sanorum verborum, quæ a « me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu, « bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, « qui habitat in vobis. »

Christus servabit depositum, quod ego illi commendavi, et tu serva depositum, quod Christus tibi commendavit. Tu *habens formam verborum sanorum*, id est regulam verborum, in quibus nihil est insaniæ, sed pura cordis sanitas, *quæ* non a quocunque magistro, sed *a me audisti in fide et dilectione* quæ est *in Christo Jesu*, id est sicut Christus Jesus instituit, *custodi bonum depositum*, id est thesaurum scientiæ a Christo tibi commendatum, vel officium tibi commissum, et *custodi* illud non per tuam industriam, sed *per Spiritum sanctum qui habitat in nobis*, id est in te sicut in me.

« Scis hoc quod aversi sunt a me omnes qui « sunt in Asia, ex quibus est Phygelus et Hermogenes. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam « non erubuit; sed cum Romam venisset, sollicite « me quæsivit et invenit. Det illi Dominus invenire « misericordiam a Domino in illa die. Et quanta « Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. »

Idcirco opus est ut tu bonum depositum a Deo tibi vel a me commendatum diligenter custodias, quia *scis quod aversi sunt*, id est recesserunt *a me omnes qui in Asia sunt* ficti, a quibus maxime est tibi cavendum, ne furentur depositum tuum. Illi de Asia qui ficto corde fuerant cum Apostolo, simulantes se ejus amicos, reliquerunt eum, cum viderent ipsum in arcto constitutum. Et istos ad hoc nunc commemorat, ut Timotheus sibi caveat, ne et ipse similiter ab eo se avertat. *Omnes*, inquit, *aversi sunt*, *a me*, non quidem *omnes qui sunt in Asia*, sed omnes illi Asiani, *ex quibus est Phygelus et Hermogenes*, id est qui tales sunt in Asia, quales isti duo. Illi simulatores tandem se qui essent detegentes, terga mihi dedere in faciem sed non ita fecit Onesiphorus, vel familia ejus. Onesiphori beneficia commemorantur, ut et Timotheus hunc imitetur, ipsique gratiam reddat, et in eo confidat, quoniam Ephesianus vel Asianus est. Qui cum ad imperatorem, utpote qui nobilissimus erat, magnæque di-

Digitized by Google

gnitatis, seu pro qualibet alia causa Romam venisset, requisivit ubi esset Apostolus ; et cum didicisset illum esse in carcere, non est dedignatus venire ad illum, sed consolatus est illum, et præbuit illi quæ necessaria erant. Et hoc est [quod Apostolus pro magno commemorat. Et quia misericordes misericordiam consequentur, misericordiam illi a Domino retribui precatur (*Matth.* v). *Det*, inquit, *misericordiam Dominus domui*, id est familiæ *Onesiphori*, quia non solum ipse, sed et familia quæ cum ipso venit, *sæpe me refrigeravit* suo colloquio et consolatione, ac pœnarum mearum mitigatione, et bonorum suorum ministratione ; *et catenam meam non erubuit*, sicut prædicti simulatores, qui aversi sunt a me, *sed cum venisset Romam* sollicite me quæsivit, ut opem mihi ferret, *et invenit*. Hic ostenditur quia fideles qui sunt in carcere vel in infirmitate, vel alicubi in afflictione tenentur aliqua necessitate, sollicite debent ab his qui misericordiam a Deo exspectant, inquiri et refrigerari. *Det illi*, id est Onesiphoro qui tam misericors in me fuit, *Dominus Christus invenire misericordiam* a Deo Patre *in illa die* judicii de qua sæpius cogito. Det illi Dominus invenire misericordiam *a Domino*. Tale est illud quod in Genesi legitur : « Pluit Dominus super Sodomam ignem et sulphur a Domino (*Gen.* xix). » Hæc quæ dixi, fecit mihi Romæ Onesiphorus. *Et quanta ipse mihi Ephesi ministravit, tu melius nosti*, quam ista quæ scribo, quoniam illa vidisti.

CAPUT II.

« Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ est « in Christo Jesu ; et quæ audisti a me per multos « testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui « idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus « miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat « se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se pro- « bavit. Nam qui certat in agone, non coronatur « nisi qui legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Intelige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. »

Quandoquidem Onesiphorus aliis recedentibus me quæsivit, et multa mihi non solum Romæ, sed Ephesi ministravit, *ergo tu, fili mi*, exemplo illius *confortare*. Tu, quasi dicatur : Tu confortare quoniam alii defecerunt. Confortare *in gratia quæ in Christo*, ut non solum in ea maneas, sed etiam robustior ilas in ipsa quotidie ad bona facienda et prædicanda, et mala per patientiam superanda. Et verba *quæ audisti a me per multos testes*, id est per multorum testimonia prophetarum confirmata, hæc commenda fidelibus. Vel per multos testes *hæc commenda fidelibus*, id est coadjutores tibi constitue, per quos ista quæ te docui commendes fidelibus, id est sanæ fidei *hominibus*, id est sine fraude fideliter agentibus, qui vita et scientia et facundia *erunt idonei etiam alios docere*, sicut ipsi docentur a te vel a tuis adjutoribus. Ita enim multiplicabitur doctrina virtutis, et crescet religio. Commenda hæc fidelibus. Et in hujusmodi exercitiis *labora sicut bonus miles Christi Jesu*. Et, ut more strenui militis Christi possis agere, audi qualiter agat quis talis miles : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, « quia nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* vi ; *Luc.* xvi), » id est Deo et sæculo. Clericus hac sententia tenetur. Si enim non contentus stipendiis quæ de altari, Domino jubente, consequitur, exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter accipit : hic negotiator magis potest videri quam clericus. Multo minus autem licet monacho, ut sit negotiator sæcularium mercimoniorum, vel implicatus curis sæcularibus. Itaque definitio boni militis Christi est, quia soli Deo qui dividi non potest, totus militans, non implicat se negotiis sæcularibus, id est non se involvit propter terrena lucra curis et actionibus sæculi, sciens illi multos peccatorum laqueos abscondi, ut solis divinis libere vacans, *ei placeat cui se probavit*, id est devovit. Et vere bonus miles præter regis sui militiam nihil debet agere, si eidem regi vult placere, sub cujus signis decrevit militare, quia agonista qui coronam appetit, agonem suum debet legitime perficere. Et hoc est : *Nam qui certat in agone*, id est qui cum adversario confligit in certamine, *non coronatur*, id est non consequitur victoris præmium, nisi legitime, id est prout lex agonis postulat, *certaverit*. Sic et athleta Christi qui cum diabolo pugnat in agone præsentis vitæ, non percipiet coronam æternæ gloriæ, nisi victor fuerit secundum legem Christianæ pugnæ. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum, quia ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Et profectus fidelium sine tentatione non provenit, nec sibi quidquam innotescit nisi probationis examine. Nec coronabitur nisi vicerit, neque vincet nisi certaverit, nec certabit nisi inimicum habens et tentationi resistens. Prosunt ergo justis labores certaminum, quia per hos merentur coronari. Dixi quia miles Dei non implicatur negotiis sæcularibus, nec justus certator transgreditur legem certaminis, sed tamen *laborantem agricolam*, id est prædicatorem *oportet primum*, id est ante alios *accipere de fructibus* agri in quo laborat, id est de carnalibus bonis Ecclesiæ. Timotheus iste exemplo Apostoli labore manuum suarum volebat vivere, et ab eis quibus verbum salutis prædicabat, nihil accipere. Unde et penuriam multam patiebatur, quia infirmus erat, et labori manuum vacare non poterat. Admonet ergo eum sub specie agricolæ, ut de agro quem colit, fructum quo sustentetur non spernat accipere. Itaque quoniam sciebat illum corpore infirmum, nec in opere corporali posse laborare, dicit illi quod miles Dei sæcularibus negotiis se non implicat, ne forte cum indigeret victu quotidiano, vellet ab eis, quibus Evangelium ministrabat, aliqua sibi negotia quærere, quibus animi ejus implicaretur intentio. Aliud est enim, corpore laborare animo libero, sicut opifex potest, si non sit

Digitized by Google

fraudulentus, aut avarus, et privatæ rei avidus; aliud autem ipsum animum occupare curis colligendæ sine corporis labore pecuniæ, sicut vel negotiatores, vel procuratores, vel conductores faciunt. Cura videlicet præsunt, non manibus operantur; ideoque ipsum animum occupant habendi sollicitudine. Timotheum ergo ne in talia incideret, quia per infirmitatem corporis operari manibus non poterat, sic exhortatur et consolatur : *Labora*, inquit, *sicut bonus miles*, etc., usque, *nisi legitime certaverit*. Hic, ne ille angustias pateretur, dicens : « Fodere non valeo, mendicare erubesco (*Luc.* XVI), » adjunxit statim : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*, secundum id quod ad Corinthios dixerat : « Quis plantat vineam, et de fructibus ejus non edit? » (*I Cor.* IX.) Fecit itaque securum, non ad hoc ut Evangelium venderet, sed tamen ut ab eis quibus Evangelium ministrabat, et quos tanquam vineam vel agrum excolebat, huic vitæ necessaria (quæ sibi suis manibus exhibere non valebat) sumeret. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus*, etc., id est, ille qui laborat in verbo prædicationis et regimine Ecclesiæ, debet, sicut primus est, ex bonis ecclesiæ primus sumere, et sic cæteris distribuere. *Intellige*, id est discerne, *quæ dico*, etsi videar contrarius esse, et contra id quod ipse facio, dicere. Tu enim infirmus es, ideo debes accipere; ego vero si acciperem, scandalum generarem. Et bene poteris hæc ita intelligere, quia *Dominus tibi intellectum dabit* non solum in his, sed et *in omnibus*.

« Memor esto Jesum Christum resurrexisse a « mortuis ex semine David secundum Evangelium « meum, in quo laboro usque ad vincula quasi « male operans : sed verbum Dei non est alligatum. »

Ut legitime certando tendas ad coronam, *memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis*, id est sedula meditatione in animo tuo revolve Christum per laborem passionis pervenisse ad gloriam resurrectionis, teque similiter opportuno tempore ad gloriam resurrecturum, si nunc pro ejus nomine non respueris amaritudines passionum. Fides resurrectionis Christi eos distinguet a paganis et Judæis, quia illi credunt esse eum crucifixum, nos autem credimus eum die tertia resurrexisse. Libenter enim credunt crucis contumeliam, sed confiteri nolunt resurrectionis gloriam, ideoque perpetuam sustinebunt ignominiam. Nos vero post crucem et sepulturam alacriter confitemur resurrectionis gloriam, ut ejus exemplo per certamina spiritualium bellorum accipere mereamur perennem victoriæ coronam. Qui est *ex semine David*, quia incorrupta ejus Genitrix veram de stirpe David duxit carnis originem. Nam Filius Dei, per quem facti sumus, et filius hominis per assumptionem carnis factus est, ut moreretur propter delicta nostra, et resurgeret propter justificationem nostram (*Rom.* IV). Et hoc *secundum Evangelium meum*, quia secundum authenticam veritatem meæ prædicationis asseritur Christus, et ex stirpe David incarnatus esse et post mortem resurrexisse, licet perversi negent. *In quo* Evangelio *laboro usque ad vincula*, et tu similiter agere debes. Laboro usque ad vincula in Evangelio, quoniam universos præcedentes labores, et ad ultimum vincula patior in evangelica prædicatione, habitus *quasi male operans*. Et ego quidem in corpore meo vincula porto, *sed verbum Dei non alligatum*, quoniam libere procedit ex ore meo; nec solum præsentes sermonibus instruo, sed et absentes epistolis confirmo. Quia ego ligari possum ab eis qui veritati contradicunt, non ipsa veritas quam loquor. Sic et tu in illis pœnis non debes a prædicatione veritatis cessare.

« Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi « salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, « cum gloria cœlesti. Fidelis sermo. Nam si com- « mortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et « conregnabimus : si negaverimus, et ille negabit « nos; si non credimus, ille fidelis permanet, ne- « gare seipsum non potest. Hæc commane, testifi- « cans coram Domino. »

Dixi quia verbum Dei non potest alligari. Et *ideo*, id est quia cohiberi non possum a prædicatione veritatis, *sustineo* libenter *omnia* mala, quæ mihi pro hac re inferuntur, et hoc facio *propter electos*, quia his qui ad vitam prædestinati sunt, valde proficit quod nulla me pœnarum acerbitas ab instantia prædicationis frangit. Vel quia sum memor resurrexisse, ideo sustineo patienter omnia propter electos exemplo mei informandos, *ut et ipsi* quemadmodum ego sustinentes, *consequantur* veram *salutem*, *quæ est in Christo Jesu*, et consequantur eam *cum gloria cœlesti*, ut simul accipiant et salutem æternam, et cœlestem gloriam. Et iste *sermo* de consecutione salutis et gloriæ eorum, quos Deus in prædestinatione sua jam elegit, *fidelis est*, id est verax et nihil fallaciæ habens. Et vere fideliter iste sermo complebitur. *Nam si commortui sumus*, id est si cum Christo mortui sumus, hoc est, si imitatione mortis ejus mortificati sumus in baptismo vitiis, ut ultra jam non vivamus in eis, *et convivemus*, id est etiam cum illo vivemus in æterna beatitudine. *Et si sustinemus* adversa pro ejus nomine, sicut ille sustinuit pro nostra salute, tunc *et conregnabimus*, id est cum illo regnabimus participes regni ejus. Si vero *negaverimus* illum metu passionum, *et ille negabit nos* in futuro judicio, dicens : « Nescio vos unde « sitis, recedite a me, operarii iniquitatis (*Matth.* VII, « XXV). » Hoc est enim quod ipse minatus est, dicens : « Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego « eum coram Patre meo (*Matth.* X; *Luc.* XII). » Et *si non credimus* de illo quæ credenda sunt, *ille permanet fidelis*, id est verax in his quæ de seipso locutus est, et *non potest negare seipsum*. De qua re Dionysius Areopagita sic argumentatur : Suimet negatio casus veritatis est. Veritas autem ὄν est, et veritatis casus non ὄν. Ὄν vero interpretatur *existens*, vel *qui est*. Si igitur veritas ὄν est, negatioque veritatis non

Digitized by Google

ὄν, *οντος* casus, ex onte cadere. Deus cadere non potest, et non esse non ὄν. Tanquam si quis dixerit, non posse non potest, et nescire secundum privationem nescit. Hæc ex dictis Dionysii. Si ergo Deus non potest negare se, et non potest mentiri vel aliquid injustum facere, quomodo est omnipotens, nisi quia hæc vel his similia posse non est potentia, sed impotentia? Nam qui talia potest, quod sibi non expedit potest, et quod non debet potest. Quæ quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia. Sed Deus inde vere est omnipotens, quia nihil potest per impotentiam, et nihil potest contra eum aliquid. Recte itaque de omnipotente dictum est, quia negare seipsum non potest. Nam et de Judæis legimus, quod propterea non poterant credere, quia dixit Isaias : « Excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum (*Isa.* VI; *Joan.* XII). » Sic autem dictum est, non poterant, ubi intelligendum est quod nolebant, sicut et de Deo nunc dicitur, quia negare seipsum non potest. Sicut ergo quod Dominus seipsum negare non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. *Hæc commone* attendere et servare, *testificans*, id est ut idoneus testis affirmans, ea *coram Domino*, id est in oculis Dei qui nos præsens aspicit.

« Noli contendere verbis. Ad nihil enim utile est, « nisi ad subversionem audientium. Sollicite autem « cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum « veritatis. »

Hucusque dedit rationes cur esse debeat constans in prædicatione. Et ne ipse studio constantiæ vellet contentionibus more garrulorum deservire, *noli*, inquit, *verbis contendere*. Non ait, noli rationibus contendere, quia hoc bonum est, sed, noli contendere verbis, ubi procax garrulitas est. Ideo noli verbis contendere, quia *ad nihil est utile* sic contendere, id est ad nihil valet hujusmodi contentio, *nisi ad subversionem audientium*. Auditores enim per hanc subvertuntur, putantes adversarios habere aliquam rationabilem causam, dum sic eos clamantes attendunt. Litigiosa verba desere, et adversarios tuos bonis operibus vince. Et hoc est : *Sollicite cura teipsum exhibere Deo probabilem*, id est laudabilem, ut scilicet te talem Dei oculis exhibeas, quatenus ipse te approbet. Et exhibe te *operarium inconfusibilem*, vel secundum alios codices irreprehensibilem, quod idem significat. Ex reprehensione enim nascitur confusio illi qui reprehenditur; et qui non potest reprehendi, non confunditur. Exhibe te ergo operarium inconfusibilem, id est irreprehensibilem, id est talem te fac in cunctis operibus tuis, ut in nullo eorum sustineas confusionem verecundiæ, nec reprehendi possis in aliquo, nec quisquam improperare tibi valeat quid dignum confusione. Et exhibe te *recte tractantem verbum veritatis*, ut neque sanctum des canibus, nec margaritas porcis (*Matth.* VII), sed, prout oportuerit, secundum qualitatem uniuscujusque personæ verbum Dei annunties, et nihil pravæ intelligentiæ admisceas. Hæretici enim non recte, sed perverse tractant verbum veritatis, quia conantur illud ad pravitatem sui sensus inflectere. De quorum doctrina subditur:

« Profana autem et vaniloquia devita. Malum « enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut « cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam, et subvertunt quorumdam « fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens « signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus, « et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. »

Verbum veritatis, ut dixi, recte tracta. Sed *profana*, id est verba hæreticorum aliena a pietatis religione, *et vaniloquia* eorum, id est dicta ipsorum quæ vacua sunt ab omni utilitate, *devita*. Et quare? Quia, si audita fuerint, *proficient multum ad impietatem* perfidiæ roborandam et augmentandam, dum destruunt fidei pietatem, *et sermo eorum serpit ut cancer*, id est magis ac magis occupat et devorat ac maculat mentes, in quibus radicare cœperit, sicut morbus qui dicitur cancer, latius semper occupat, et fœdat ac devorat illam partem corporis in qua nascitur; vel, sicut piscis qui dicitur cancer, non in ante, sed retro tendit, sic sermo eorum non audientes suos ad Deum ducit, sed a Deo retrahit, et apostatare facit *Ex quibus* sic loquentibus *ut Hymenæus et socius ejus Philetus, qui a veritate* fidei, in qua positi fuerant, *exciderunt*, imitantes diabolum, qui in veritate non stetit (*Joan.* VIII), *dicentes jam esse factam resurrectionem* in eorum cordibus, qui crediderunt, nec aliam ampliùs futuram; et talibus dictis *subvertunt quorumdam fidem*, ut non credant corporum resurrectionem. Omnes enim sectæ, quæ se aliquam religionem hominibus inserere præsumpserunt, non negaverunt istam mentium resurrectionem, ne dicerentur eis : Si non resurgit anima, quare mihi loqueris? Quid in me facere vis! Si non facis ex deteriore meliorem, quare mihi loqueris? Si non facis ex iniquo justum, quare mihi loqueris? Si autem facis ex iniquo justum, ex impio pium, ex stulto sapientem, fateris resurgere animam meam, si tibi obtemperavero, si tibi credidero. Volentes ergo credi sibi omnes qui instituerunt alicujus etiam falsæ religionis sectam, negare istam resurrectionem mendacio non potuerunt. Omnes de ista consenserunt, sed multi carnis resurrectionem negaverunt. Dixerunt in fide jam factam esse resurrectionem. Attendentes enim verba quæ assidue dicit Apostolus, quia et mortui sumus cum Christo, et resurreximus cum eo, nec intelligentes quare ista dicantur, arbitrati sunt jam factam esse resurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum esse sperandam. Et talibus nunc resistit idem apostolus.

Digitized by Google

Ex quibus, inquit, est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et subvertunt quorumdam fidem. Jam factam esse resurrectionem dicebant, sed eo modo, ut non speraretur alia ; et reprehendebant homines, qui sperabant resurrectionem carnis, velut jam resurrectio quæ promissa erat, credendo impleretur in mente. Subverterunt, inquit, fidem quorumdam. Et quasi diceretur ei, et quis eis potest resistere, subjecit statim : *Sed firmum fundamentum Dei stat.* Fides quorumdam infirmantium, et ad electorum sortem non pertinentium subvertitur ab hæreticis, sed firmum fundamentum Dei, id est firma fides, quam Deus per Spiritum sanctum in cordibus electorum suorum fundavit [*al.* solidavit], stat, id est nullatenus subverti vel inclinari potest, *habens hoc signaculum*, id est hanc velut sigilli impressionem, quia scilicet *cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate quicunque nomen Domini nominat.* Hoc signaculum cordi suo impressum bonus habet, id est hanc cogitationem sæmenti firmiter infixam, ut apud se dicat : Quid mihi prodesset, si exterius simularem esse justum vel fidelem, et interius nequam essem ? Nihil. Quia qui corda omnium inspicit, ipse novit qui sunt ejus. Ideoque veraciter in oculis ejus studeo fidelis vel justus apparere, ut possim ad eorum sortem qui sunt ejus, pertinere. Talis cogitatio est divini sigilli impressio. Per hoc etiam hæreses et omnia saluti contraria devitat, quia scit debere discedere ab iniquitate omnes qui Dominum invocant. Hæc itaque sigilli impressio, qua distinguuntur a cæteris qui subvertuntur, est in fundamento Dei firmo, id est in robusta fide electorum Dei, quia novit Dominus qui ad ejus hæreditatem pertineant ; et aliis recedentibus a fide, illi qui prædestinati sunt, non possunt recedere, vel si recesserint, necesse est eos redire. Nec moveat quod sæpe diabolus seducit etiam illos, qui regenerati, in Christo jam vias ingrediuntur Dei, quia novit Dominus qui sunt ejus. Ex his in æternam damnationem neminem ille seducit. Sic eos novit Dominus, ut quem nihil latet, etiam futurorum. Nam sunt etiam quidam ex eorum numero, qui adhuc nequiter vivunt, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jacent, et tamen etiam illic novit Dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia Dei, multi qui foris videntur, intus sunt ; et multi qui intus videntur, foris sunt. Et ne quis diceret, non curo amplius quid faciam, quia securus sum quod si Dominus me novit esse suum, non potero perire, et econtrario, si novit me suum non esse, non potero ad salutem pervenire, subjungitur utilis admonitio, ut discedat ab iniquitate omnis qui novit nomen Domini. Liberum enim arbitrium dedit nobis Dominus, ut arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, et simus ex illis quos ipse novit suos esse, vel permaneamus in iniquitate, et simus ex illis quos novit ad se non pertinere. Nam et hoc est illud signaculum, quod fundamento no-

A

B

C

D

stræ fidei apparebit impressum, si propria sponte recesserimus ab iniquitate. Ab iniquis enim recedere non possumus, quia mista est palea tritico donec area ventiletur. Mira comparatio. Nam ecce in ipsa area triticum recedit a palea cum exspoliatur, et non recedit ab area cum trituratur. Quando autem omnino separabitur ? cum venerit ventilator. Ergo modo area in orbe terrarum est. Necesse est ut si proficis, inter iniquos vivas, quia Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate potes. Satis enim fixum atque immobile velut sigilli impressione debet corde retineri Jerusalem captam ab hujus sæculi Babylonia, decursis temporibus liberandam esse, nullumque ex illa fore periturum, quia qui peribit, non ex illa erat. Recedat ergo ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini, quia nisi ab illa recesserit, non ei proficiet nominatio Dominici nominis, quoniam « non omnis qui dicit Christo, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris ejus (*Matth.* VII). »

« In magna autem domo non solum sunt vasa « aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et « quædam quidem in honorem, quædam autem in « contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab « istis, erit vas in honorem, sanctificatum et utile « Domino ad omne opus bonum paratum. »

Ab iniquitate recedat, qui nomen Domini nominat. Sed ab iniquis, ut diximus, non potest recedere, quia *in magna domo*, in Ecclesia toto orbe dilatata, *non solum sunt aurea et argentea vasa*, id est justi sapientia et eloquentia prædili, *sed et lignea et fictilia*, id est peccatores comburendi et confringendi. Cum enim auro sapientia vel charitas, et argento eloquentia designari soleat, per aurum quod pretiosius est metallis omnibus, intelliguntur nunc illi, quos charitas, quæ cæteris virtutibus præfertur, vel sapientia decorat ; per argentum vero quod mira claritate micat, illi qui nitore acris eloquentiæ resplendent in eruditione multorum. Hi enim merito vocantur aurea et argentea vasa ministerio summi Regis apta in ejus domo magna. Lignea vero et fictilia vasa carnales designant, quos ignis vitiorum facile incendit, et impetus adversitatis frangit. Sed et in die Domini lignea hæc vasa pœnalis ignis incendio concremabuntur ; et fictilia ab eo cui data est ferrea virga, frangentur. Hæc tamen vasa sunt nunc cum vasis aureis et argenteis in domo magna, quia cum electis admisti sunt reprobi nunc in Ecclesia. *Et quædam quidem* vasa sunt ibi *in honorem* æternum constituta, sicut aurea et argentea ; *quædam autem in contumeliam* opprobrii sempiterni congrua, sicut lignea et fictilia. Et quandoquidem in hac domo sunt etiam vasa in honestis usibus deputata : *ergo si quis se emundaverit ab istis* contumeliæ vasis, ut se reddat immunem a contaminatione eorum, *erit vas in honorem* deputatum et *sanctificatum*, id est locus sanctus Domino in hac do-

Digitized by Google

mo. Nam sicut in magna hominis domo, non in qualicunque loco ejus requiescit Dominus ejus, sed in aliquo utique secretiori et honoratiori loco : sic Dominus noster non in omnibus, qui in domo ejus sunt, habitat. Non enim habitat in vasis contumeliæ, id est in illis qui turpitudini vitiorum deserviunt, sed in vasis honoris, id est in illis qui honorabilem coram Deo et hominibus vitam ducunt. Qui emundaverit se ab his contumeliæ vasis, ut non sit particeps eorum coinquinationis, erit vas in honorem, sanctificatum in honorabilem honestæ actionis usum, *et utile Domino*, id est utilitatem conferens domui Domini, *paratum ad omne opus bonum*, ut non respuat agere quidquid boni operis ei fuerit injunctum vel qualibet grave [*al.* quolibet genere] sacræ actionis vel verbo prædicationis idoneum; et hoc erit tam sibi quam aliis prodesse, seu quælibet gradum sacrorum ordinum tenere.

« Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero « justitiam, fidem, charitatem, pacem cum his qui « invocant Dominum de corde puro. Stultas autem « et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia « generant lites. Servum autem Domini non oportet « litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem « patientem, cum modestia corripientem eos qui re- « sistunt veritati, nequando det illis Deus pœniten- « tiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a « diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipsius « voluntatem. »

Dixi quia in domo Dei sunt vasa honoris et vasa contumeliæ. Sed, ne fias vas inhonesti usus, *fuge juvenilia desideria*, quæ te juvenem prosequuntur, ne ad consensum pravæ delectationis te possint apprehendere. Hæc, inquam, fuge, sed *justitiam sectare*, ne te possit effugere. Sectare, id est frequenter sequere eam per vias justarum actionum, in quibus te præcedit, ut possis eam apprehendere. Similiter et *fidem* sectare, ne te in aliqua parte regula fidei latere possit vel effugere. Sed quoniam operatio justitiæ et veritas fidei non prodest sine charitate, sectare et *charitatem*, ut per eam operetur tua fides opus justitiæ. Illa enim fides est salutifera, quæ per charitatem operatur. Et sectare pacem cum bonis, ut nunquam discordes ab eis vel inquietes eos. Sive ita : Sectare justitiam, faciendo unicuique quod jus exigit; et fidem invisibilium bonorum, non invisibiles honores, quos juventus desiderare solet, id est charitatem, ut diligas Deum plusquam te et proximum; tanquam te, quod juventus sæpe negligit, id est pacem cui manifeste repugnat desiderium juventutis. Pacem, inquam, sectare non cum perversis, sed *cum his qui invocant Dominum de corde puro*, id est qui cor suum purificaverunt, id est Deum in illud venire piis orationibus petunt. Hæc, ut dixi, sectare, sed *stultas et sine disciplina quæstiones* cave. Stultæ quæstiones sunt, insolubiles et secreta humano generi prohibita quærentes. Sine disciplina vero quæstiones, quæ non humiliter ac modeste fiunt, et quas qui facit, non discere vult, sed litigare. Sed hujusmodi quæstiones *devita*, ut non respondeas eis *sciens quia generant lites*. Sed *servum Domini non oportet litigare*, quia lis generat odium; *sed* oportet eum *esse mansuetum*, id est quasi manu assuetum, hoc est contractabilem, id est mitem vel lenem *ad omnes*, ut nemini sit asper, id est quasi ferus; et *docibilem*, id est habilem, ut facile doceatur. Hoc enim distat inter docilem et docibilem, quod docilis est qui alios potest docere; docibilis autem qui facile potest doceri. Unde dicitur : « Erunt omnes docibiles Dei (*Joan.* VI), » id est facile docebantur a Deo. Non oportet servum Domini litigare, quia mundo et simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum et perversorum hominum deceptiones et errores obstrepunt, quos omnes evadere convenit, hoc est venire ad certissimam pacem et immobilem stabilitatem sapientiæ. Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi vel contendendi quisque non videat quod a paucis videri potest, ut parvus sit strepitus contradicentium, nisi et sibiipsi obstrepant. Recte ergo dicitur, quia servum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, et docibilem atque *patientem*. Et ne quisquam ex eo putet cessandum esse a correptione erroris alterius, adjungitur quia oportet eum esse *cum modestia corripientem eos qui resistunt*. Ita nos nec decesse convenit fratrum correptioni, nec studere certamini. Quomodo cum modestia corripimus, nisi cum lenitate cordis retinemus, et aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis aspergimus? Pax igitur et dilectio in corde retinenda est, modus autem sermonis, sive acrius, sive blandius proferatur, sicut salus ejus qui corripitur, postulare videtur, moderandus est. Modeste sunt corripiendi illi, qui adhuc procaciter resistunt, *nequando det illis Deus pœnitentiam*. Nam correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur, tunc est salubris, quando supernus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum facit, ut peccati sui quemcunque pœniteat; et quis hoc dat, nisi qui respexit Petrum negantem, et fecit flentem? Ideo non solum cum agitur pœnitentia, verum et ut agatur necessaria est ejus misericordia. Hic sermo quo dicitur, *nequando;* pro, si forte, ponebatur antiquitus, sed modo inusitatus habetur. *Corripientem*, inquit, *eos qui resistunt*, *nequando*, id est si quando, vel si forte det illis Deus pœnitentiam. Vel etiam ita potest hæc sententia concordare. Non desperemus de eorum salute qui adhuc resistunt, sed corripiamus eos, ne nobis eos non corripientibus, Deus aliquando per seipsum det eis pœnitentiam, et erubescamus qui de salute eorum desperabamus. Ob hoc enim studere debemus, ut eos ad pœnitentiam convertamus, ut mercedem nobis inde conquiramus, nequando sine nobis per internam aspirationem *det illis Deus pœnitentiam*, et nos mercedem inde non habeamus. Det illis pœnitentiam erroris sui *ad cognoscendam* veritatem ea-

Digitized by Google

tholici dogmatis, quod ignorantes impugnabant; *et resipiscant a laqueis diaboli, a quo capti tenentur ad voluntatem ipsius* implendam. Resipiscere est quasi resapere, cum quis ab eo quod male sapuit revertitur ad illud quod antea recte sapuit, vel sapere debuit.

CAPUT III

« Hoc autem scito, quod in novissimis diebus « instabunt tempora periculosa, et erunt homines « seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, « parentibus non obedientes, ingrati, scelesti sine « affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, « immites sine benignitate, proditores, protervi, « tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, « habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. »

Qui tenentur illaqueati a diabolo, resipiscent fortassis aliquando; sed tamen *hoc scito quod* tales abundabunt *in novissimis diebus*, id est in novissima ætate. Tunc enim *instabunt tempora periculosa*, in quibus multæ periclitabuntur animæ, et deinde periculosa, quia tunc *erunt homines seipsos amantes*. Nescio enim quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat; et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere, de se moritur utique amando se. Non ergo se amat, qui ne vivat, se amat. Cum autem ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut cum diligat de quo vivit. Quia vero circa finem sæculi maxime abundabunt, qui neglecto Dei ac fratrum amore, seipsos male amabunt, et sic amando se peribunt, ideo tempora periculosa tunc instabunt. Erunt homines seipsos amantes, quia non curabunt nisi de seipsis; nec quærent nisi propria lucra, propria commoda, propries honores, proprias glorias. Et ab hoc velut fonte, quod scilicet erunt seipsos amantes, manabunt multi vitiorum rivi. Nam quia secundum præsentem vitam seipsos male diligent, ideo erunt *cupidi* pecuniæ, *elati* corpore, *superbi* mente, *blasphemi*, id est falsa et impia de Deo loquentes; *parentibus*, sive carnalibus, sive spiritualibus, *non obedientes; ingrati* benefactoribus; *scelesti*, id est transcendentes domum peccati, et in atrocia graviter delapsi; *sine affectione*, id est sine visceribus compassionis; *sine pace*, id est discordes et inquieti; *criminatores*, id est crimen bonis impingentes; *incontinentes*, id est libidinem non cohibentes; et *immites*, id est asperi et litigiosi, *sine benignitate*, id est immisericordes; *proditores*, id est secreta bonorum adversariis eorum detegentes; *protervi*, id est procaces; *tumidi*, id est vento superbiæ inflati; *voluptatum* carnalium *amatores magis quam Dei*, sicut ipse dixit, quia « lux venit in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem (*Joan.* III). » *Habentes quidem* in habitu et verbis, sicut falsi monachi *speciem pietatis*, id est similitudinem religionis; sed *virtutem ejus*, id est rem factis et moribus *abnegantes*. Sed beatus Augustinus hæc a pastoribus Ecclesiæ specialius removere studens, loquitur: Non sint seipsos amantes, qui pascunt oves Christi, ne tanquam suas, non tanquam ipsius pascant eas, et velut ex illis sua lucra quærere videantur, sicut amatores pecuniæ; vel eis dominari, sicut elati; vel gloriari de honoribus, quos ab eis sumunt, sicut superbi; vel intantum progredi, ut etiam hæreses faciant, sicut blasphemi, nec cedant sanctis patribus, sicut parentibus non obedientes; et eis qui illos corrigere volunt, quia perire nolunt, mala pro bonis reddant, sicut ingrati; interficiant animas suas et alienas, sicut scelesti, materna Ecclesiæ viscera dirumpant, sicut irreligiosi, non compatientur infirmis, sicut sine affectione; alios quiescere non sinant sicut sine pace; famam sanctorum maculare conentur, sicut criminatores; cupiditates pessimas non refrenent sicut incontinentes; exerceant lites, sicut immites; nesciant subvenire, sicut sine benignitate; indicent inimicis piorum quæ occultanda cognoverint, sicut proditores; humanam verecundiam inverecunda excogitatione perturbent, sicut procaces; superba scientia inflentur, sicut tumidi; lætitias carnales spiritualibus gaudiis anteponant, sicut voluptatum amatores magis quam Dei; simulent religionem, sed hanc in veritate non teneant, sicut habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Hæc enim atque hujusmodi vitia sive uni homini accidant omnia, sive his alia, et aliis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum sint homines seipsos amantes, quod vitium maxime cavendum est eis qui pascunt oves Christi, ne sua quærant, non quæ Jesu Christi, et in usum cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi.

« Et hos devita. Ex his enim sunt qui penetrant « domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas « peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper « discentes, et nunquam ad scientiam veritatis per« venientes. »

In novissimis diebus tales erunt homines, quales descripsi, *et hos devita*, quia jam multi ex his apparuerunt. *Ex his enim sunt, qui penetrant domos*, etc. Non ait, penetrabunt, tanquam futurum prænuntians, sicut supra dixerat, instabunt tempora periculosa, sed ait, penetrant domos, *et captivas ducunt mulierculas*. Non ait, ducent vel ducturi sunt; sed, jam ducunt. Nec putandus est hoc loco pro temporis futuri verbis præsentis temporis verba posuisse, quandoquidem illos ab eo cui scripsit evitari admonebat. Nec tamen frustra dixit, in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; et hinc ea periculosa futura demonstrans, tales homines futuros esse prædixit, quia tanto plures erunt et magis abundabunt, quanto magis appropinquabitur ad finem. Videmus ergo tales nunc abundare. Sed quid si abundantiores erunt post nos, et omnino abundantissimi, quando jam jamque ipse finis instabit? Ex his jam sunt hæretici, qui penetrant domos, id est intrant

Digitized by Google

ut secrete loquantur illis qui sunt intus. Vel domos, id est conscientias audientium verbis seductoriis male penetrant, et captivas ducunt mulierculas, id est in captivitatem errorum trahunt insipientes et infirmas ac viles et inconstantes, seu virorum, seu mulierum animas. Animas dico, *peccatis oneratas*, et ideo dignæ erant seduci *quæ ducuntur variis desideriis*, id est nunc ista, nunc illa cupiunt, et ea quæ jam tenent fastidientes, alia semper appetunt, ac novis delectantur. Tales enim facile deserunt veritatem catholicam, et sermonibus novorum errorum libenter aurem accommodant; *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*. Semper discunt, et nunquam ad scientiam veritatis perveniunt, qui studium in discendo videntur habere, sed non veniunt ad hoc, ut discernant inter veritatem et mendacium, inter bonum et malum. Tales sunt discipuli hæreticorum atque Judæi (*Rom.* I). In hac enim vita semper sunt discentes, et ad notitiam veritatis non pertingunt. Cum vero de hac vita exierint, jam non erunt discentes, sed erroris sui mercedem recipientes. Sic enim dictum est, semper discentes, et ad veritatis scientiam non pervenientes; ac si diceretur: Semper ambulantes, et ad viam non pervenientes. Non solum enim illuc non perveniunt, quo ducit via, sed nec ad ipsam viam pervenientes. Nos autem semper ambulemus in via, donec eo veniamus quo ducit via. Nunquam in illa remaneamus, donec perducat ubi maneamus.

« Quemadmodum autem Jannes et Mambres re-
« stiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homi-
« nes corrupti mente, reprobi circa fidem, sed ultra
« non proficient. Insipientia enim eorum manifesta
« erit omnibus, sicut et illorum fuit. »

Tales non perveniunt ad scientiam veritatis, sed potius resistunt veritati, quæ a catholicis doctoribus prædicatur, sicut Jannes et Mambres restiterunt Moysi veritatem prædicanti (*Exod.* VII). Ili enim fuerunt magi Pharaonis, quorum nomina nunc dicit Apostolus, sed in Exodo non leguntur. Et hoc est: *Quemadmodum autem Jannes et Mambres* sub Pharaone *restiterunt Moysi*, ne de Ægyptia servitute educeret populum Dei: *ita et hi* hæretici *resistunt veritati* prædicatorum, ne per eam fideles ab ignorantiæ tenebris et a servitute peccati liberentur. Ipsi dico *homines corrupti mente*, quia mens eorum vitiata est ab adultero diabolo, amissa castitate, quæ est in Christo. Et sunt *reprobi circa fidem*, id est retro a probitate conversi, circumeuntes exteriora fidei, sed intus non manentes. Ipsi taliter captivant mulierculas, id est misellas et hebetes animas, et resistunt veritati, *sed ultra non proficient* in seductione hominum. Nam *insipientia eorum* quæ nunc latet, dum ipsi putantur esse sapientes, *erit omnibus manifesta* per Joannem apostolum, *sicut et illorum fuit* per Moysen. Per Joannem enim in Asia detegetur et destruetur insipientia erroris eorum, sicut per Moysen manifestata est illorum in Ægypto. Animositas hæreticorum semper inquieta est, quos magorum Pharaonis habere conatum declarat nunc Apostolus, dicens: *Quemadmodum Jannes*, etc. usque, *sicut et illorum fuit*. Quia enim per ipsam corruptionem mentis inquietissimi fuerunt, in tertio signo defecerunt, fatentes adversum se esse Spiritum sanctum, qui erat in Moyse. Nam deficientes dixerunt. « Digitus Dei hic est (*Exod.* VIII). » Sicut autem conciliatus Spiritus sanctus, requiem præstat mitibus et humilibus corde: ita contrarius et adversus malignus spiritus immites et superbos inquietudine exagitat. Quam inquietudinem muscæ illæ brevissimæ significaverunt, sub quibus ipsi magi, sicut dictum est, defecerunt, dicentes: « Digitus Dei est. » Quorum insipientia fit omnibus manifesta, cum ostenduntur palam omnibus esse insipientes, ne jam aliquos seducere valeant, qui prius tanquam per pollicitationem et ostentationem excellentis sapientiæ seducebant.

« Tu autem assecutus es meam doctrinam, insti-
« tutionem, propositum, fidem, longanimitatem,
« dilectionem, patientiam, persecutiones, passio-
« nes; qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii,
« Lystris; quales persecutiones sustinui, et ex om-
« nibus eripuit me Dominus. Et omnes qui volunt
« pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patie-
« tur. »

Hæretici resistunt veritati et sunt circa fidem reprobi. Sed *tu assecutus meam doctrinam*, id est ea quæ doceo didicisti, et scis aliis tradere, et assecutus es *institutionem* meam, id est quomodo instituam vitam ducere, vel alios instruere; et *propositum* meum assecutus es, quia proposuisti vivere sicut ego proposueram, ut scilicet eodem modo vel eodem tempore jejunes et vigiles, quo ego, et cætera similiter facias; et *fidem* meam, quia similiter credis ut ego; et *longanimitatem*, quia didicisti longanimiter, sicut ego, inter adversa non murmurans, exspectare divina promissa; et *dilectionem*, quia diligis et adversarios sicut ego, diligere; et *patientiam*, qua toleres æquo animo aliena mala, sicut ego, nec adversus eum doleas qui tibi hæc intulerit; et *persecutiones* meas de civitate in civitatem, quia tu mecum nonnunquam has sustinuisti; et *passiones*, id est afflictiones meas et tormenta quia tu factus es earum particeps et nosti eas; et *qualia mihi adversa sunt Antiochiæ et Iconii, et Lystris*, et quales *persecutiones*, vel ibi vel aliis locis *sustinui*, *tu assecutus es*, id est nosti et participasti; et in nullo relictus sum ut deficerem, sed *ex omnibus me eripuit Dominus*, et te similiter non deseret, sed eripiet. Antiochiæ et Pisidiæ excitaverunt Judæi persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis (*Act.* XIII). At illi excusso pulvere pedum in eos venerunt Iconium. Ubi cum factus esset impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystram et Derben. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi; et persuasis turbis lapi-

Digitized by Google

dantes Paulum, traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse (*Act.* XIV). Et hoc nunc commemorat Antiochiæ et Iconii et Lystris se pertulisse. Et ne quis putaret se sine tribulationum tolerantia posse Deo placere, adjungit : *Et omnes qui volunt*, etc. Ego, inquit, sustinui persecutiones, *et omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu*, id est qui volunt religiose et devote vitam ducere in Christi fide, *patientur persecutionem*. Nunquam deest pie viventibus persecutio, quia cum et ab eis qui foris sunt, non sævientibus videtur esse tranquillitas, multi sunt intus qui corda pie viventium suis perditis moribus cruciant quoniam per eos blasphematur Christianum nomen. Quod quanto est charius eis qui volunt pie vivere in Christo, tanto magis dolent quod per malos intus positos fit, minus quam piorum mentes desiderant, diligatur. Hæretici quoque cum conantur habere nomen et sacramenta Christianorum et Scripturas et professionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum quia multi volentes esse Christiani, propter eorum dissensiones hæsitare coguntur; et multi maledici in his etiam inveniunt materiam blasphemandi nomen Christianorum, quia et ipsi quoquo modo Christiani appellantur. His et hujusmodi pravis moribus et erroribus hominum persecutionem patientur, qui volunt in Christo pie vivere etiam nullo infestante, nulloque vexante corpus illorum. Patiuntur quippe hanc persecutionem non in corporibus, sed in cordibus. Pia tristitia est, viis alienis tribulari, non implicari, mœrere, non hærere, dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est illa persecutio, quam patiuntur omnes qui in Christo pie volunt vivere. Quid enim hic tam persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum? Nec cogit pium imitari quod displicet, sed cogit dolere quod videt. Quoniam vivens impie etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem. Sed et diabolus incessanter pios persequitur, et tanto periculosius quanto occultius. Persequitur, inquam, eos hostis, cui nomina sunt mille et mille nocendi artes (VIRG.). Persequitur eos et hic mundus illecebris suis, persequitur eos innumerabilium exercitus viticrum, persequitur eos caro ipsorum, persequuntur eos illicitæ cogitationes suæ.

« Mali autem homines et seductores proficient in « pejus, errantes et in errorem mittentes. Tu vero « permane in his quæ didicisti et credita sunt tibi, « sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras « litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salu« tem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis « Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docen« dum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eru« diendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad « omne opus bonum instructus. »

Pii patientur persecutiones, *mali autem homines et seductores* habebunt prosperitates. Mali, quantum ad se; seductores, quantum ad alios. Seductores dicuntur, qui quasi sub specie dulcedinis infundunt virus pestiferæ persuasionis. Mali et seductores *proficient in pejus*, id est successus habebunt in erroribus, et ad graviora pervenient, *errantes* ipsi et alios *in errorem mittentes*. Non tamen diu proficient, quod a Paulo superius dictum est, sed ultra non proficient. Tales errabunt et successum habebunt, aliosque trahent post se. Sed tu noli post eos in errorem ire, sed *permane semper in his bonis quæ didicisti a me, et credita sunt*, id est commissa sunt *tibi a Deo, sciens a quo* magistro *didiceris*, id est quam verax et quantæ auctoritatis, et quantum te diligens sim ego qui te docui, et ob hoc etiam in his permane, *quia sacras litteras nosti*, id est sacris litteris, legis videlicet et prophetarum scriptis, eruditus es *ab infantia*, quæ litteræ *possunt te instruere*, id est sufficienter doctum reddere, ad æternam *salutem* consequendam, et hoc *per fidem quæ est in Christo Jesu*, quia Veteris Instrumenti dicta non instruunt ad salutem, sed ad mortem, si Christus in eis non intelligitur et fides ejus tenetur. Recte dixi quia sacræ litteræ te possunt instruere ad salutem, tibi et aliis conquirendam. Nam *omnis Scriptura divinitus inspirata*, id est divino Spiritu facta, *utilis est* ad hoc. Illæ enim Scripturæ arcem auctoritatis obtinent, quæ per Spiritum Dei prolatæ sunt, quæ et canonicæ nuncupantur. Omnis Scriptura quam Deus aspiravit, id est quæ per divinam aspirationem est composita, utilis est *ad docendum ignaros, et ad arguendum*, id est ad convincendum eos qui resistunt; et *ad corripiendum*, id est ad increpandum, vel secundum alios codices, ad corrigendum, id est emendandum eos qui peccant; et *ad erudiendum* rudes, ut ad perfectum sensum proficiant *in justitia*, id est in observatione justitiæ, ut *homo Dei* qui sic eruditur, *sit perfectus* in conversatione, *instructus* per Scripturas *ad omne opus bonum* agendum, id est diligenter sciens qualiter agendum sit unumquodque opus bonum. Talis enim vir merito homo Dei dicitur, quia sequestratus a nequitiis eorum qui vitiis serviunt, possessio factus est Creatoris sui.

CAPUT IV.

« Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judi« caturus est vivos et mortuos, et adventum ipsius « et regnum ejus, prædica verbum, insta opportu« ne, importune, argue, obsecra, increpa in omni « patientia et doctrina. »

Quoniam sacris litteris es instructus, ideo *testificor*, id est adjuro te ut prædicare non cesses. Testificari enim est adjurare, quia qui adjurat, testem ponit in ipsa adjuratione. Testificor *coram Deo* Patre, id est in præsentia Dei, qui ubique est et omnia videt, te adjuro et ipsum testem adhibeo et coram Christo Jesu, id est coram Mediatore Dei et hominum, qui sicut Pater divinitate cœlum et terram implet, te obtestor ut prædices. Cujus Mediatoris testimonium spernere non debes, quia ipse *judicaturus est* omnes. « Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem (*Joan.* V). » Ipse judicaturus est *vivos* id est eos

Digitized by Google

qui in carne vivi reperientur cum venerit (*I Thes.* v); *et mortuos*, id est illos quorum animæ jam a corporibus fuerunt egressæ; et testificor, id est testem facio et in testimonium hujus meæ adjurationis erga te adhibeo *adventum ipsius*, in quo recipiet unusquisque prout gessit (*II Cor.* v), *et regnum ejus*, in quo justi perpetualiter regnabunt. Et quid est quod sub tam magnis et timendis testibus tam fortiter testificor? Hoc scilicet, *prædica verbum* Evangelii, et in hoc non sis horarius, sed *insta*, id est in prædicatione assiduus esto. Et hoc fac *opportune* volentibus, et *importune* nolentibus. Opportune, cum inveneris auditores qui verba tua libenter excipiant; importune, cum inveneris qui monita tua fastidiant. Vel opportune importune, id est opportune importunitatem exhibe, quia apud auditoris mentem ipsa sua vilitate destruit se, si habere importunitas opportunitatem nescit. *Argue* resistentes, ut rationibus convicti cedant; *obsecra* bene agentes, ut in melius proficiant; *increpa* delinquentes, ut confusi se corrigant. Et hoc age *in omni patientia*, id est patienter exspectando emendationem eorum, non mox ipsos repellendo, si fuerint inobedientes, et in omni *doctrina*, id est docendo eos attente, non irascendo illis vel indignando. Vel ita distingui potest. Insta opportune, ut alius sit sensus : Importune argue, deinde cætera contexantur, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, ut tunc opportunus sentiaris, cum instas ædificando; cum autem destruis arguendo, non culperis, etsi importunus videaris. Ita duo quæ sequuntur, ad duo superiora possunt sigillatim referri; obsecra, cum opportune instas; increpa, cum importune arguis. Deinde cætera duo similiter, sed converso ordine referuntur; in omni patientia, ad sustinendas indignationes eorum, quos destruis; et doctrina, ad instruenda eorum studia quos ædificas. Pensandum nobis est qualiter loquamur, quia sæpe verba quæ hunc ad salutem revocant, alium vulnerant Unde nunc Apostolus qui Titum admonet, dicens : « Argue cum omni imperio (*Tit.* II), » Timotheum exhortatur, dicens : *Argue, obsecra, increpa cum omni patientia.* Quid est quod uni imperium, alii patientiam præcepit, nisi quod unum lenioris, alterum vero ferventioris spiritus esse conspexit? Leni per auctoritatem imperii injungenda erat severitas verbi; is autem qui spiritu fervebat, per patientiam temperandus fuerat, ne plus justo infervescens, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret. Ob hæc ergo doctrinam suam Apostolus tanta arte dispensat, ut exhibendo hanc alteri imperium et alteri patientiam proponat, quia, ut dictum est, mansuetioris spiritus Titum, et paulo ferventioris vidit esse Timotheum. Illum per æmulationis studium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat; illi quod deest jungit, huic quod superest subtrahit; illum stimulo impellere nititur, hunc freno moderatur. Magnus quippe susceptæ Ecclesiæ colonus, alios palmites ut crescere debeant, rigat; alios, cum plus justo crescere conspicit, resecat, ne aut non crescendo fructus non ferant, aut immoderate crescendo quos protulerint, amittant. Sequitur :

« Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non « sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt « sibi magistros, prurientes auribus. Et a veritate « quidem auditum avertent, ad fabulas autem con- « vertentur. »

Ideo, inquit, tanta instantia debes prædicationi insistere, quia *erit tempus* in quo veritatis prædicatio non suscipietur, et idcirco festina tempus illud prævenire, dum tua prædicatio potest effectum habere. Non ante finietur tempus quam ea [quæ] dico fiant; sed erit adhuc tempus *cum sanam doctrinam*, id est ad sanitatem animæ pertinentem *non sustinebunt* homines, sed velut onus grave rejicient eam ab humeris suis. Hanc non sustinebunt, *sed ad sua desideria* complenda *coacervabunt sibi magistros*, id est acervum sibi congregabunt magistrorum, qui doceant eos ea quæ desiderant, ipsi dico *prurientes auribus*, id est pruritum habentes in auribus spiritaliter fornicantibus, sicut quodam pruritu libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Nam sicut caro quæ prurit, semper vult fricari, sic aures eorum semper cupient audire verba, quæ errores doceant et ad delectationes illiciant, *et a veritate quidem avertent auditum*, id est fugient audire sermonem veritatis quæ illis erit aspera, quia non mulcebit eos in nequitiis suis, *ad fabulas autem convertentur*, ut audiant eas, id est allocutiones falsas et otiosas. Nec solum ad tales fabulas, quales in theatris recitantur, vel quales a vanis hominibus sæpe dicuntur; sed etiam ad tales, quales contra Dominum hæresiarchæ poterunt fingere. De his quos nunc Apostolus prænuntiat, locutus est et Isaias : « Populus enim ad iracundiam provocans est, et filii mendaces, nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus : Nolite videre; et aspicientibus : Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra sanctus Israel (*Isa.* XXX). » Sic autem illi maxime loquentur, qui relinquent Ecclesiam, et sequentur Antichristum cum regnaverit. Et sanam Christianæ prædicationis doctrinam non sustinebunt. Sed avertent auditum ab ea, et convertentur ad Antichristi fabulas. Sed et olim temporibus hæreticorum fere hæc omnia facta sunt. Nunc quoque multi sunt qui nolunt sustinere doctrinam sanæ mortalitatis, et veritatem quæ in Ecclesia prædicatur, audire fastidiunt, fabulas autem histrionum libenter audiunt.

« Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac « evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius « esto; ego enim jam delibor et tempus resolutionis « meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum « consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita « est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Domi- « nus in illa die justus judex. Non solum autem « mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus. »

Digitized by Google

Illi respuent veritatem catholici dogmatis, et suscipient fabulas errorum; sed *tu vigila* prudenter attendendo veritatem et repellendo omnem errorem, *et in omnibus* actibus *labora* et *opus fac evangelistæ*, id est evangelici prædicatoris. Opus enim evangelistæ est, bene vivere et bene docere, moribus et verbis subditos instruere. *Ministerium tuum*, id est, tui officii *imple* ut non sit vacuum a bona actione tua, sed quidquid in eo debes agere, plenarie perficias, et *sobrius esto*, id est, non inebriet mentem tuam ullus error, aut sæculi amor vel avaritia, seu quodlibet aliud vitium. Idcirco te moneo vigilare adversus insidias dæmonum et hæreticorum et errorum atque vitiorum, et bene laborare, et opus evangelistæ facere, quia *ego* qui hucusque vigilavi et opus evangelistæ implevi, *jam delibor*, vel secundum alios codices, *immolor*, quod idem significat. Nam delibatio quæ est sacrificiorum degustatio, sacrificationem, id est immolationem proprii corporis hoc loco designat. Jam delibor, id est jam immolari cœpi, et hostia Deo grata pro populo mihi commisso per passionem offerri, *et tempus meæ resolutionis instat*, id est jam vicinum imminet tempus, in quo resolvar a vinculis istius corporis, ut liber in cœlum evolem. *Bonum certamen certavi*, hoc secundum Græcam locutionem dicitur, velut si diceretur, strenuam militiam militavi, fidelem servitutem servivi. Nam Latinus sermo diceret, bono certamine certavi. *Bonum*, inquit, *certamen certavi*, id est bene pugnavi, bene contra impugnatores fidei et contra mala transeuntia sine defectu certavi, *cursum* bonæ actionis meæ quo ad bravium cœleste festinabam, *consummavi*, *fidem* inviolabilem *servavi*. Quomodo potuit hoc dicere, cui adhuc restabat ipsius passionis, quam sibi impendere jam dixerat, tam magna conflictatio, tam molestum atque grande certamen? an ad ejus consummandum cursum parum adhuc deerat, quando illud deerat, ubi erat futurus acrior et crudelior inimicus? Quod si ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eamdem passionem jam illi revelaverat imminere, non re plenissima, sed spe firmissima hoc dicit; et quod futurum esse præsumpsit, tanquam factum fuerit indicavit. Cursum, inquit, peregi. Et *in reliquo*, id est in eo spatio quod restat amodo et usque in æternum, *reposita est mihi corona justitiæ*, id est secreto tutoque loco, servatur mihi corona quam juste merui, *quam* non dabit, sed *reddet mihi* quasi debitam *Dominus* Jesus *in illa* notabili *die* communis judicii, de qua sedule cogito; vel in illa optata die resolutionis meæ, et ideo reddet eam mihi, quia *justus judex* est, reddens unicuique secundum opus ejus (*Matth.* XVI; *Rom.* II). Sed *non solum mihi* reddet coronam hujusmodi ipse, *sed et his qui diligunt adventum ejus*, id est etiam omnibus qui sibi de bona operatione sunt conscii. Adventum enim judicis non diligunt, nisi qui in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt. Et ideo quisquis non dili- A git, sed metuit adventum ejus, corrigat vitam suam, ut bonam habens causam possit ut veniat desiderare; et coronam ab eo, non damnationem sperare.

« Festina ad me venire cito. Demas enim me de-
« reliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessa-
« lonicam. Crescens in Galatiam, Titus in Dalma-
« tiam, Lucas est mecum solus. Marcum assume et
« adhuc tecum : est enim mihi utilis in ministerio
« (*Colos.* IV). Tychicum autem misi Ephesum. Pe-
« nulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens
« affer tecum, et libros, maxime autem et mem-
« branas. »

Quia tempus meæ resolutionis instat, *festina ad me venire cito*, id est festinanter antequam morte B resolvar, ut te plenius adhuc instruam, vel ut sis mihi solatio, quoniam solus remansi, Nam *Demas* qui interpretatur *silens*, quoniam a prædicatione vel confessione veritatis obmutuit formidine mortis, *dereliquit me* in adversis, *diligens hoc sæculum* cum suis illecebris, *et* dimittens Romam ubi timebat mori, *abiit Thessalonicam* ut ubi posset vivere. *Crescens*, id est ille alius discipulus, abiit *Galatiam*, non me deserens, sed a me missus aliqua rationabili causa exigente. Similiter et *Titus* a me missus est *in Dalmatiam*. Lucas evangelista *est mecum solus*, qui semper mihi adhærere consuevit. Dixi ut cito venias ad me, et cum veneris, *assume Marcum et adhuc tecum*. Iste est Marcus Evangelii scriptor, C vel sicut magis credimus, iste est Marcus consobrinus Barnabæ (*Colos.* IV), quem nunc correctum jubet Apostolus adduci, quia quondam abjecerat eum, cum esset negligens ac tepidus. *Est enim*, inquit, *mihi utilis in ministerio* prædicationis, qui quondam ad hoc fuit inutilis. Titus abiit, ut dictum est, in Dalmatiam, sed *Tychicum misi Ephesum*, fortasse cum epistola quæ ad Ephesios est directa. *Penulam* quoque, id est vestem illam quæ sic vocatur, *quam reliqui Troade apud Carpum* discipulum meum, qui ibi manet, *veniens affer tecum*. Dicamus de hac penula, quæ ab aliis dicta reperimus. Penula vestis erat consularis, qua induebantur Romani consules in curiam intrantes. Sed fortasse quærit aliquis, unde hoc genus vestimenti beato Paulo acciderit, D cui respondendum est, Romanos ante incarnationem Christi hunc habuisse morem, quando sibi monarchiam totius orbis acquirebant, ut quæcunque gens illis cum pace et coronis occurrisset, ejusmodi libertatem eis concederent, ut fratres illorum dicerentur, civesque Romani appellarentur, dabantque eis potestatem, ut curiam ædificarent et consules haberent, sicut illi habebant. Pater igitur beati Pauli de Giscali oppido Galilææ, unde indigena erat, migravit Tharsum Ciliciæ, cum Romani cepissent illud oppidum. Quodam vero tempore venientibus Romanis per Ciliciam, occurrit eis cum aliis transeuntibus, utpote qui nobilis inter illos habebatur, et excepit eos cum pace. Tunc Romani dedere eis supradictam libertatem, scilicet potestatem ut curiam

Digitized by Google

ædificarent et consules haberent, sicut ipsi, vestesque consulares induerent, et penulati more Romanorum curiam intrarent. Ibique data est insigne penula a Romanis patri beati Pauli, quando susceptus est in socium et civem Romanum. Hæc ante nos scripta sunt, et fides veritatis horum apud eos sit qui scripserunt. Non enim omnia quæ facta sunt, legimus in nostris historiis; multæque noscuntur esse historiæ quas non novimus. Nam et his quæ dicta sunt, valde consonat quod Paulus frequenter in apostolorum Actibus legitur se Romanum appellasse, et maxime ubi tribunus interrogavit eum : « Dic mihi si tu Romanus es, et ille dixit : Etiam. Et respondit tribunus : Ego multa summa civitatem hanc consecutus sum, et Paulus ait : Ego autem et natus sum (*Act.* XVI, XXII, XXIII). » Quomodo enim juxta litteram verum potest esse, quod Paulus ex civitate Romana sit natus, nisi quia ex cive Romano natus est? Absit autem ut putemus eum in hoc sermone mendacem. Natus ergo est in civitate Romana, id est in domo parentum, qui erant cives Romani. Sed et juxta spiritalem intelligentiam, in eo quod se dixit natum in urbe Roma, prophetico spiritu prænuntiavit, natalitium suæ passionis in illa civitate futurum, et verbum præteriti temporis pro verbo futuro posuit. Si ergo vera sunt quæ de penula præmisimus, facile est animadvertere quod Apostolus hanc idcireo afferri jusserit, ut per eam apud Romanos licet pauco tempore, libertatem sibi vindicaret, quatenus ad prædicandum libere quo vellet, ire posset, et multos ad fidem per diversa loca converteret. Ait itaque : *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Hunc Carpum Dionysius multum in Epistola ad Demophilum laudat, referens quamdam valde mirabilem ejus visionem. Penulam, inquit, affer *et libros* quos ipse forsitan ibidem reliquerat, *maxime autem et membranas*, id est pelles ad scribendum (quas tamen Hieronymus aliter interpretatur) aptas.

« Alexander ærarius multa mala mihi ostendit; « reddet ei Dominus secundum opera ejus : Quem « et tu devita; valde enim restitit verbis nostris. »

Scias quod *Alexander ærarius*, id est faber æris vel custos ærarii, *ostendit*, id est fecit, *mihi multa mala* sed non impune, quia *Dominus reddet ei secundum opera ejus* quæ in me operatus est, *quem et tu devita*, ne tibi fiat impedimentum, quia *valde restitit verbis nostris*, et multo magis poterit resistere tuis. Non ait, valde restitit nobis, sed, verbis nostris, id est evangelicæ prædicationi quod multo gravius est, quia non hominibus restitit, sed Evangelio Dei. Nec ait, reddat ei Dominus secundum opera ejus, sed reddet, quod verbum pronuntiantis est, non imprecantis.

« In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed « omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Do- « minus autem mihi astitit et confortavit me, ut per « me prædicatio impleretur, et audirent omnes gen- « tes, et liberatus sum de ore leonis; liberabit me « Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet « in regnum suum cœleste, cui gloria in sæcula sæ- « culorum. Amen. »

Multoties, inquit, ductus sum ante Neronem pro defensione fidei, sed *in prima mea defensione*, id est quando ante tyrannum illum prima vice defendi Evangelium, *nemo*, id est nullus ex discipulis meis *adfuit mihi*, ut me adjuvaret coram Nerone ad defendendum dogma Christianorum; *sed omnes me dereliquerunt* metu suppliciorum : *non illis imputetur* hoc a Deo, sed ignoscatur. Non orabat pro Alexandro, qui invidentia fraternitatem oppugnando peccaverat; pro his autem qui non obruperant amorem, sed timore succubuerunt, orat, ut eis ignoscatur. Multum enim interest, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisquam oppugnat fraternitatem et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, sicut intelligitur Alexander fuisse, invidentiæ facibus agitur; et cum quis a fratre amorem non alienavit, sed officia fraternitati debita per aliquam infirmitatem animi non exhibet, sicut nunc discipuli timore Paulum deseruerunt in prima defensione, vel ipsi apostoli Christum in passione (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV), quem tamen non destiterunt amare. Quapropter non orat pro Alexandro, qui gratiæ Dei ingratus existens, ipsam gratiam impugnando, et charitatem fraternam persequendo peccabat ad mortem, quia Joannes dicit : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis (*I Joan.* V); » sed pro his qui non malitia, sed timore ab eo recesserunt, orat; quia idem Joannes ait : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem (*ibid.*). » Omnes, inquit, me dereliquerunt, *sed Dominus astitit mihi* derelicto ab hominibus, consolando me per internam aspirationem suam et loquendo per os meum, et mitigando furorem tyranni, *et confortavit me*, id est constantem me fecit, ut non cessarem a doctrina veritatis, sed rationibus tyrannum potenter superarem, ut me dimitteret, *ut per me impleretur* evangelica *prædicatio, et audirent omnes gentes* non solum in Italia, sed et usque in Hispaniam. Et ita per Dominum qui mihi adfuit, *liberatus sum de ore leonis*, id est a rabie leonis, qui me devorare voluit, id est a rabie Neronis, ne me mox interficeret. Et adhuc *liberabit me Dominus ab omni opere malo* ut nullius tormentis possim compelli ad perpetrationem mali operis; et sic martyrio consummatum *salvum faciet* me, perducens *in regnum suum cœleste, cui* Domino pro his omnibus sit *gloria in sæcula sæculorum*, id est in æterna sæcula. *Amen.* Eusebius [in historia Ecclesiastica scribit : Festus a Nerone in Judæam missus est succedere Felici, apud quem dicta causa, Paulus cum Luca et Aristarcho, quem concaptivum appellat, vinctus Romam mittitur (*Act.* XXIV, XXVIII). Ubi biennio positus, verbum Dei prædicabat, nemine prohibente. Quem tamen adfuisse ibi et defendisse se apud Neronem, et rursum profectum esse ad

Digitized by Google

prædicationis officium, sermo confirmat, et post hæc denuo redisse ad supra dictam urbem, ubi et martyrio consummatus est; et tunc in vinculis positus, secundam ad Thimotheum scribit epistolam, in qua et de prima defensione, et de præsenti simul indicat passione ita : *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleretur, et audirent omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis :* manifestissime per hæc designans, quia primo quidem ut per ipsum cœpta prædicatio compleretur, liberatus est de ore leonis. Neronem scilicet in leone pro crudelitate significans. Prævidens autem in spiritu consummationem suam, adjecit · *Liberabit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet, in regnum suum cœleste;* significans per hæc quod esset confestim martyrio coronandus. Non igitur eo tempore quo Pauli actus in urbe Roma conscripsit Lucas, martyrio perfunctus est Paulus, potuit enim fieri, ut inimicus adhuc lenior esset Nero, et defensionem Pauli pro nostro dogmate non aspernenter acciperet. Beda quoque in novissimo versu Actuum apostolorum, quo dicitur quia Paulus biennio docebat sine prohibitione, subjecit : Non solum Romæ prohibitus non est, sed necdum, Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, dimissus est ut Evangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicaret, sicut et ipse Romanis ait : « Nunc igitur proficiscar Jerusalem ministrare sanctis (*Rom.* xv); » et paulo post « Hoc igitur cum consummavero, proficiscar per vos in Hispaniam (*ibid.*). » Postea vero, id est ultimo Neronis anno, retentus ab eo, martyrio coronatus est. Quod utrumque in secunda ad Timotheum Epistola, passurus de vinculis dictans, exponit : *In prima*, inquiens, *mea defensione*, etc., usque *de ore leonis* manifestissime propter crudelitatem Neronem leonem esse significans. Et in consequentibus, *et salvabit me, et salvum faciet in regnum suum cœleste*, quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium.

« Saluta Priscillam et Aquilam, et Onesiphori « domum, Erastus remansit Corinthi. Trophimum « autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hie- « mem venire. Salutant te Eubulus et Pudens et « Linus, et Claudia et omnes fratres. Dominus Je- « sus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. « Amen. »

Saluta, inquit, *Priscillam et Aquilam* amicos meos, apud quos frequenter hospitari consuevi. Priscilla et Aquila uxor et maritus erant; et tamen Priscilla sæpe nominatur prior. Unde patet quod ipsa virum suum meritis optimis præcesserit, licet uterque apud Deum magni meriti fuerint. Saluta *et Onesiphori domum*, quæ mihi tantam exhibuit humanitatem. Quod si de Erasto scire volueris ubi sit, ipse *remansit Corinthi. Trophimum reliqui* ægrotantem *Mileti*, qui postea factus est Arelatensium episcopus. Dixi ut cito ad me venias, et nunc dico, ut *ante hiemem venire* festines, ne rem difficultas hiemis retardet, quia forsitan me in corpore non invenires. Romæ vero morantes te salutant Eubulus et Pudens et Linus (iste Linus fuit primus Romanæ sedis episcopus); *et Claudia;* neque solum isti te salutant, sed et *omnes fratres. Dominus Jesus Christus* sit *cum spiritu tuo*, ut per præsentiam deitatis suæ custodiat mentis tuæ cogitationes, et bonam voluntatem tuam ad omne bonum opus admittat. Et *gratia* ejusdem Domini sit *vobiscum*, ut ejus auxilio mala cavere et bona facere valeatis, tam tu quam subditi

IN EPISTOLAM AD TITUM.

ARGUMENTUM.

Titum apud Cretenses episcopum reliquerat Apostolus, ut universam Cretam regeret et doceret, ideo nunc per epistolam instruit eum, quales episcopos debeat ordinare, et qualiter falsos prædicatores repellere, qui legales cæremonias volebant inducere. Docet enim qualiter unumquemque debeat admonere, et instruit de spiritali conversatione, scribens ei a Nicopoli, quæ situ est in Actiaco littore.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus, servus Dei, apostolus autem Jesu Chri- « sti secundum fidem electorum Dei et agnitionem « veritatis, quæ secundum pietatem est, in spe vitæ « æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, « ante tempora sæcularia, manifestavit autem tem- « poribus suis verbum suum in prædicatione, quæ « credita est mihi secundum præceptum Salvatoris « nostri Dei, Tito dilecto filio secundum commu- « nem fidem, gratia et pax a Deo Patre et Christo « Jesu Salvatore nostro. »

Paulus servus Dei scribit Tito, non tamen servus ea servitute quæ est ex servili timore, sed illa potius, quæ fit ex amore et casto timore. Servus Dei est, qui peccati servus non est. « Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* viii), » etc. « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* vi; *Luc.* vi). » Paulus igitur qui peccati servus non erat, recte Dei servus est dictus. Deus autem hoc loco Pater intelligitur, vel etiam tota Trinitas. Paulus est quidem servus Dei. sed *apostolus Jesu Christi*,

Digitized by Google

id est legatus et princeps Mediatoris. Nam quod dicitur Apostolus Jesu Christi, tale est ac si diceretur, præfectus prætorii Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberii imperatoris. Ut enim judices sæculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus serviunt, et ex dignitate qua intumescunt, vocabula sortiuntur : ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, apostolum se Christi in titulo prænotavit, ut ex ipsa nominis auctoritate lecturos terreret, indicans omnes qui in Christum crederent debere sibi esse subjectos. Apostolus, inquit, sum *secundum fidem electorum Dei*, id est non dissensio in apostolatu meo a fide illorum, qui sunt a Deo non tantum vocati, sed electi. Apostolus, inquam, sum secundum fidem electorum Dei, et secundum fidem quæ habet *agnitionem veritatis*. Nam Salvator ad Judæos qui in eum crediderant est locutus : « Si permanseritis in verbo meo, cognoscetis veritatem (*Joan.* VIII). » Hi ergo fidem habebant, sed agnitionem veritatis consecuti non fuerant. Agnitionem dico veritatis *quæ secundum pietatem est*, id est secundum piam religionem, velut si quis grammaticam artem noverit vel dialecticam, ut rationem recte loquendi habeat, et inter falsa et vera dijudicet. Sed agnitio veritatis secundum pietatem, est nosse legem, intelligere prophetas, Evangelio credere, apostolos non ignorare. Et hæc veritas, cujus agnitio secundum pietatem est, *in spe vitæ æternæ* posita est, quia statim ei qui se cognoverit spem tribuit immortalitatis. *Quam promisit ante tempora sæcularia Deus, qui non mentitur.* Quomodo promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant ante tempora sæcularia, nisi quia in ejus æternitate atque in ejus verbo sibi coæterno, jam prædestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat? vel cui promisit nisi sapientiæ suæ, promittens omnes qui in illam crediturі essent, habituros esse vitam æternam? Et promisit ante tempora sæcularia, vel secundum aliam translationem, ante tempora æterna. Ex quo juxta historiam Geneseos (*Gen.* I), factus est mundus, et per vices noctium et dierum, mensium pariter et annorum, tempora constituta sunt, in hoc curriculo et rota labuntur sæcularia tempora quæ cum sæculo cœperunt; et ante hæc, id est antequam mundus cœpisset, promisit vitam æternam electis quos noverat futuros. Sed ante hæc mundi tempora æternitatem quamdam temporum fuisse credendum est, quæ vocatur ævum quia non variabatur mutationibus. Nam inter ævum et tempus hoc distat, quod ævum quidem stabile est, tempus vero mutabile. Et ante æterna tempora, id est ante ævum promisit Deus interminabilem vitam electis suis. Nam sicut legimus : « Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper et est ante ævum (*Eccli.* I). » In hac ergo sapientia quæ cum illo est ante ævum, id est ante æterna tempora, promisit ipse electis vitam ante æterna tempora. Promisit qui non mentitur, non quia possit mentiri, et nolit in falsitatis verba prorumpere; sed quia qui Pater sit veritatis, nullum in se mendacium habeat; et quia nunquam mentiri potest, ideo sine ambiguitate credamus vera esse quæ promisit; et tales nos studeamus præparare, ut digni simus ea percipere. Promisit quidem ante sæcularia vel æterna tempora vitam æternam, sed *temporibus suis*, id est congruis manifestavit eam, scilicet *verbum suum in prædicatione*. Vitam quam promisit, manifestavit verbum suum. Ergo vitam quam promisit, ipsa est Verbum quod « in principio erat apud Patrem, et Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I); » dixitque : « Ego sum resurrectio et vita.—Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XI, XIV). » Hanc vitam et hoc verbum manifestavit Deus mundo temporibus congruis in prædicatione Evangelii *quæ credita est mihi*, ut eam fideliter annuntiarem gentibus, et *secundum præceptum Salvatoris nostri Dei*, qui nos salvos esse voluit, implendo quod promiserat. Paulus qui taliter est apostolus, et tantæ salutis annuntiator, scribit *Tito dilecto*, id est cæteris meliori et germaniori *filio*. Sermo quippe et sapientia et doctrina, qua Titus Christi Ecclesias instruebat, efficiebat eum egregium Apostoli filium, non secundum carnem, sed *secundum fidem* illi et Apostolo *communem*, vel omnibus qui recte credunt communem, quæ Græce dicitur *catholica*, quia sicut unum baptisma est, sic et una fides. Ab hac communi, id est catholica fide separati sunt hæretici, qui in varios errores declinaverunt. Titus vero non secundum privatam sectam quorumlibet talium sed secundum fidem communem omnium electorum filius est Apostoli, quia recte docet catholicam veritatem, quam ab Apostolo didicit. Cui Tito sit *gratia* Spiritus sancti, quæ consecret omnia opera sacerdotalis officii ejus, *et pax*, quæ eum repressis hostibus et vitiis requiescere faciat, semperque cum Deo et sanctis angelis concordem permanere, et hoc *a Deo Patre et* Filio ejus *Christo Jesu Salvatore nostro.*

« Hujus rei gratia reliqui te. Cretæ, ut ea quæ de-
« sunt corrigas, et constituas per civitates presby-
« teros, sicut et ego disposui tibi. Si quis sine cri-
« mine est, unius uxoris vir, filios habens fideles,
« non in accusatione luxuriæ, aut non subditos
« Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut
« Dei dispensatorem, non superbum, non iracun-
« dum, non vinolentum, non percussorem, non
« turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum,
« sobrium, justum, castum, sanctum, continentem,
« et amplectentem eum qui secundum doctrinam
« est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari
« in doctrina sana, et eos qui contradicunt, ar-
« guere. »

Postquam dura Cretensium corda Paulus ad Christi fidem mollierat, et tam sermone quam signis edemuerat eos non jam in Jovem, sed in Christum credere, reliquit Titum discipulum suum Cretæ, ut rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret; et si quid videretur deesse, corrigeret; ipse pergens ad alias

Digitized by Google

nationes, ut et in eis fundamentum Christi poneret. Et hoc est quod dicit: *Gratia*, id est causa *hujus rei reliqui te, Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas.* Cum enim dicit, *ut ea quæ desunt corrigas*, ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis; et licet ab Apostolo correcti fuissent, tamen adhuc indigere correctione. Omne enim quod corrigitur imperfectum est. *Ut ea*, inquit, *quæ desunt corrigas*, id est ut ea quæ a me correcta sunt, et necdum ad plenam veri lineam sunt redacta, a te corrigantur, et normam æqualitatis recipiant; et quia solus non sufficeres hoc facere, *constituas per civitates presbyteros*, id est episcopos, *sicut et ego tibi disposui*, id est tales quales tibi designavi, non quales forte animus carnaliter voluerit, aut homines tibi persuaserint. *Ut constituas*, inquit, *presbyteros*, et post pauca subjungit, quod *oporteat episcopum sine crimine esse*, ostendens quia idem est presbyter qui episcopus. Nam antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: « Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio gubernabantur ecclesiæ (*I Cor.* 1). » Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, putabat suos esse non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, et schismatum semina tollerentur. Nam et alibi scriptum est: « Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus (*Philip.* 1). » Philippi una est urbs Macedoniæ, et certe in una civitate plures episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo in tempore, quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris locutus est. Et in Actibus apostolorum ad unius ecclesiæ sacerdotes ait: « Attendite vobis et cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos (*Act.* xx). » Hæc idcirco diximus, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos episcopos; paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita episcopi noverint magis se consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores. Et in communi debere ecclesiam regere imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret (*Exod.* xviii). Videamus igitur qualis presbyter vel episcopus ordinandus sit. *Constituas*, inquit, *per civitates presbyteros, sicut et ego tibi disposui. Si quis sine crimine est*, illum subaudi constituas. Non ut eo tempore quo ordinandus est, sine ullo crimine sit, et præteritas maculas nova conversatione deleverit, sed ut ex eo tempore quo in Christum renatus est, nulla criminis conscientia mordeatur. Crimen autem est grave peccatum, accusatione et damnatione dignissimum. Et prima libertas est carere

A criminibus. Multi quippe fideles sunt sine crimine, sine peccato autem nullus est in hac vita. Et ideo Apostolus designans quis sit ordinandus, non ait: Si quis sine peccato est hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: *Si quis sine crimine est*, sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cætera hujusmodi. Cum ea homo non habet, debet autem omnis Christianus homo non habere, incipit caput erigere in libertatem. Et idcirco qui ordinatur, careat omni crimine, ut libera fronte possit aliorum crimina redarguere, et nemo valeat illi sua objicere. Et sit *unius uxoris vir*, quam habuerit, non habeat. Multi superstitiosius magis quam verius, etiam eos qui cum gentiles fuerint, et unam B uxorem habuerint, qua amissa, post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotium non eligendos, cum utique si hoc observandum sit, illi magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices prius exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint; et multo detestabilius sit, fornicatum esse cum pluribus quam unam uxorem habuisse. Hæc Hieronymus. Augustinus autem ait: Unius uxoris virum acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento videlicet agitur, non de peccato. Nam in baptismo dimittuntur. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina (etiam si catechumena) vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, C ita non absurde visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc, sicut plures antiquorum patrum uxores, significaverunt futuras ex omnibus gentibus ecclesias uni viro subditas Christo; ita noster antistes unius uxoris vir, significat ex omnibus gentibus unitatem, uni viro subditam Christo. Sit etiam *filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos*, hoc est non in patris potestate: Ponamus enim aliquam bene instituisse liberos suos, et a parva ætate semper Dominicis erudisse præceptis, hi si postea se D luxuriæ dederint, et superantibus vitiis, lubidini frena remiserint, nunquid culpa eorum in patrem redundabit, et sanctitatem patris filiorum nequitia maculabit. Nam et Isaac credendus est bene instruxisse filium suum Esau qui tamen post fornicarius et profanus exstitit (*Gen.* xxv-xxviii). Samuel quoque filios habuit, qui declinaverunt post avaritiam, et propter munera perverterunt judicium (*I Reg.* viii). Ergo si tunc electio fieret sacerdotum, et Isaac propter Esau, et Samuel propter filios suos indigni sacerdotio putarentur. Sed sciendum qui tam sanctum est nomen sacerdotii, ut nobis etiam ea quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quo propter vitia nostra episcopi non fiamus, sed quo propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arguendi [*al.*

Digitized by Google

arcendi] sumus. Qua enim libertate alienos filios corripere et docere possumus quæ recta sunt, cum nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere: Antedoce filios tuos? aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat, exhæreda ergo filium fornicantem abjice filios tuos vitiis servientes? Cum autem nequam filius in una tecum domo maneat, tu audes de alterius oculo festucam detrahere, in tuo trabem non videns? (*Matth.* VII.) Non itaque justus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas ab Apostolo ecclesiæ principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere. Unde et considerandum adversus eos qui de episcopatu intumescunt, quia non statim omnibus his meliores sunt, quicunque episcopi non fuerint ordinati, cum nonnulli idcirco ad sacerdotium non pervenerint, quia eos liberorum vitia impedierint. Si autem peccata filiorum ab episcopatu justum prohibent, quanto magis se unusquisque considerans, debet retrahere ab hoc non tam honore quam onere, et non ambire alienum locum, quem magis digni debent occupare? Solent et per filios opera designari, ut ille intelligatur debere ordinari, qui in propria potestate habet opera sua, ut nulla subrepentium vitiorum labe sinat ea maculari. Ideo, inquit, dixi ut ordinetur, si quis sine crimine est, quia *oportet episcopum esse sine crimine, sicut dispensatorem Dei*, qui est sine peccato, ut Domini sui puritatem in aliquo imitetur, quoniam non sua sunt quæ præstat, sed Dei qui dispensat. Et oportet eum esse *non superbum*, id est non tumentem vel placentem sibi quod episcopus sit, sed quasi bonum villicum, id requirentem quod pluribus prosit; oportet esse et *non iracundum*: iracundus est, qui semper irascitur, et ad levem responsionis auram quasi a vento folium movetur. Et revera nihil est fœdius præceptore furioso, ut cum debeat esse mansuetus, patiens et sapiens, torvo vultu et trementibus labiis, raguta fronte, effrenatis convitiis, facie inter pallorem et ruborem variata, clamore perstrepat; et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua sævitia præcipitet. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est, sed qui crebro hac passione superatur. Oportet et *non vinolentum* esse. Quale enim est, episcopum videre vinolentum, ut sensu occupato vel exaltet risum contra gravitatis decorem, vel labiis dissolutis cachinnet, vel paululum tristis quasi cujusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat, et lacrymas seu quid aliud amentius faciat? Ubicunque saturitas et ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem et genitalia, nam juxta ordinem membrorum est et ordo vitiorum. Dehinc additur, *non percussorem* oportere esse sacerdotem. Quod quidem et simpliciter intellectum, ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum, ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius est autem ut non percussorem illum dicamus, qui mansuetus et patiens, sit in tempore quid loquendum sit, quid tacendum, nec sermone inutili conscientiam percutit infirmorum. Non enim Apostolus ecclesiæ principem formans, vetat esse pugilem, et corporeis ictibus alios corporaliter lædentem, quod etiam in plebeio et quocunque gentili si fuerit, reprehenditur; sed hæc, ut diximus, ne contumeliosus et garrulus perdat eum, quem potuit modestia et lenitate corrigere. Oportet etiam hunc esse *non turpis lucri cupidum*, ut non cupiat aggregare pecuniam; sed habens victum atque vestitum, his contentus sit. Hucusque, qualis non debeat esse episcopus vel presbyter, Apostoli sermo descripsit; et nunc econtrario, qualem oporteat eum esse ostendit. *Sed hospitalem*, inquit, *benignum, sobrium, justum, castum, sanctum, continentem, et amplectentem*, etc. Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur. Si enim omnis homo audire desiderat: « Hospes fui et suscepistis me (*Matth.* XXV), » quanto magis episcopus cujus domus omnium commune esse debet hospitium? Laicus enim vel duos aut paucos recipiens, implevit hospitalitatis officium; episcopus vero *nisi omnes* receperit, inhumanus est. Si etiam benignus, ut benigne diligat omnes; et quidquid boni potest tam corporaliter quam spiritaliter, impendat. Sit et sobrius, ut corporalis ebrietas longe sit ab eo, nec sensum ejus mundana cupiditas, vel ira, seu quodlibet aliud vitium inebriet, sed acuto sensu dijudicet omnia, sicut vir spiritalis (*I Cor.* II). Justus quoque sit, ut justitiam in populis quibus præest exerceat, reddens unicuique quod meretur, nec accipiat personam in judicio. Inter laici autem et episcopi justitiam hoc interest, quod laicus potest apparere justus in paucis; episcopus vero in tot debet exercere justitiam, quot subditos habet. Sit etiam castus (*I Cor.* VII). Si enim laicis imperatur ut propter orationem abstineant ab uxorum coitu, quid de episcopo sentiendum est, qui pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Quomodo igitur hospitalitas et benignitas atque justitia præcipua esse debet in episcopo, et inter cunctos laicos eminens, sic et castitas propria et ut ita dixerim, pudicitia sacerdotalis, ut non solum ab opere immundo se abstineat, sed etiam a jactu oculi et cogitationis errore, mens confectura Christi corpus, sit libera. Unde et additur, ut sit sanctus. Sanctitas enim quantum secundum nos, et dicenda ab omni inquinatione libera et perfectissima et incontaminatissima puritas. Sit etiam continens non solum ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus, ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia dejiciat, ne terror agitet, ne lætitia immoderata sustollat. Continentia enim non solum in carnis opere et in animi concupiscentia, sed in omnibus rebus est necessaria, ne honores indebitos appetamus, ne accendamur avaritia, ne ulla passione superemur. Ad extremum sit amplectens *eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*, ut quomodo sermo Dei fidelis est et omni acceptione di-

Digitized by Google

gnus, sic et ille talem se præbeat, ut omne quod loquitur, fide dignum existimetur, et verba ipsius sint regula veritatis, ac desiderio charitatis amplectatur hujusmodi sermonem, quo possint audientes doceri, *ut potens sit in doctrina sana exhortari eos* ad bene agendum. Sana doctrina dicitur, ad distinctionem languidæ infirmæque doctrinæ. Potens sit *et arguere eos qui contradicunt*, id est hæreticos vel Judæos et sæculi istius sapientes, sive etiam malos catholicos, qui moribus contradicunt, id est non loquendo, sed male vivendo. Nam præcipitur illis ut non fornicentur, et fornicantur; præcipitur illis ut non rapiant, et rapiunt; sicquæ cætera mala a quibus prohibentur, faciunt: et ita non lingua, sed vita semper doctrinæ sanctæ contradicunt. Superiora quidem quæ in episcopi virtutibus posuit, ad vitam pertinent: hoc vero quod ait, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*, ad opus prædicationis refertur. Quia si episcopi tantum sancta sit vita, sibi potest prodesse sic vivens; porro si doctrina et sermone fuerit eruditus, potest cæteros quoque instruere; nec solum suos instruere, sed adversarios repercutere; qui nisi refutati fuerint atque convicti, facile quærunt simplicium corda pervertere. Hic locus adversus eos facit, qui inertiæ se et otio ac somno dantes, putant peccatum esse si Scripturas legerint, vel negligunt eas legere; et eos qui in lege Domini meditantur die ac nocte (*Psal.* I), quasi garrulos inutilesque contemnunt, non animadvertentes Apostolum post catalogum conversationis episcopi, etiam doctrinam similiter præcepisse.

« Sunt enim multi et inobedientes, vaniloqui et « seductores, maxime autem qui de circumcisione « sunt, quos oportet redargui, qui universas domos « subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lu- « cri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum « propheta. Cretenses semper mendaces, malæ « bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum « est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani « sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et « mandatis hominum aversantium se a veritate. »

Ideo qui ordinatur episcopus, debet esse potens arguere eos qui contradicunt, quia *sunt multi*, latam viam quæ ducit ad perditionem ambulantes, *et* divinis mandatis *inobedientes*. Qui ergo futurus est ecclesiæ princeps, habeat eloquentiam cum vitæ integritate sociatam, ne opera absque sermone sint tacita, vel dicta factis deficientibus erubescant, maxime quia sunt non pauci, sed multi, nec acquiescentes, sed inobedientes; *vaniloqui*, id est vanas factas [fabulas?] prædicantes; *et seductores*, id est alios a veritate in errorem post se trahentes, sed illi *maxime* sic agunt, *qui sunt de circumcisione*, id est qui ex Judæis ad baptismum venerunt, nec carnales observantias legis deseruerunt, hi tunc temporis nascentem Christi ecclesiam subvertere nitebantur, et introducere legalia præcepta. Nam sine Scripturæ auctoritate garrulitas eorum non haberet fidem, ubi viderentur perversam doctrinam suam divinis testimoniis roborare, *quos oportet redargui*, id est tales homines doctores ecclesiæ debent ratione Scripturarum superare, et silentium illis imponere pondere testimoniorum, *qui* non unam vel paucas *domos*, sed *universas* cum dominis familiisque *subvertunt*, id est a statu fidei subruunt, *docentes* ea *quæ non oportet* ob gratiam *turpis lucri*, id est quasi sub specie consulendi, agentes negotium decipiendi propter pecuniæ quæstum, docent ea quæ non oportet, id est ciborum differentias, et otium Sabbati jamdudum aboliti, atque circumcisionis injuriam, et utinam zelo fidei talia docerent, ex parte enim aliqua posset eis ignosci, atque dici quod æmulationem Dei haberent, sed non secundum scientiam (*Rom.* XV). Sed quia venter est Deus ipsorum (*Philipp.* III), turpis lucri gratia volunt proprios facere discipulos, ut quasi magistri a sectatoribus alantur sive pecunias accipiant. Possumus et aliter intelligere turpe lucrum, quia omnes hæretici dum perversa docent, lucratores hominum se solent asserere, cum non lucrum, lucrum sit, sed perditio, animas interficere deceptorum. Econtra qui errantem fratrem suum juxta Evangelium corripuerit (*Matth.* XVIII), si fuerit ille conversus lucratus est eum. Quod enim majus vel pretiosius lucrum esse potest, quam si humanam animam quis lucretur? Omnis igitur doctor ecclesiæ, qui ad Christi fidem recta ratione persuadet, honestus lucrator est. Et omnis hæreticus qui fraudulentis sermonibus homines fallit, loquitur quæ non oportet turpis lucri gratia. Sequitur: *Dixit quidam ex illis*, etc. Quantum ad textum sermonis et continentiam loci pertinet hoc quod ait: *Dixit quidam ex illis proprius eorum p.opheta*, videtur ad eos referri, de quibus præmissum est: *Maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia;* ut sequatur, *dixit quidam ex illis proprius eorum propheta: Cretenses semper mendaces*, etc. Sed quia in illo prophetarum qui apud Judæam vaticinati sunt (227), hic hexameter versus reperitur:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

referatur (si placet) ad superiora, ubi dictum est: « Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, » ut sequatur, *dixit quidam ex illis proprius eorum propheta*, id est Cretensium. Quia vero multa in medio sunt, et hoc absurdum fortasse videtur, ideo cum his superioribus, quæ minora sunt, aliter aptandum est, ut legamus: *Sunt enim multi et inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime autem qui de circumcisione sunt; quos*, scilicet multos et inobedientes, vaniloquos et seductores, cum his qui de circumcisione sunt *oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis*

(228) Epimenides.

Digitized by Google

lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta; Cretenses semper mendaces, ut id quod dictum est, *proprius eorum propheta*, non specialiter ad Judæos, *et eos qui de circumcisione sunt*, referatur : sed ad multos et inobedientes, vaniloquos et seductores; qui utique quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. Qui quod vaniloqui sunt, quidam proprius eorum propheta sic prænuntiavit, *Cretenses semper mendaces*. Et quod sint seductores, atque domos subvertant, ita subnexuit *malæ bestiæ*. Et quod temporalis lucri gratia doceant ea quæ non oportet, ita subjecit, *ventres pigri*. Mendaces quippe sunt et malæ bestiæ et ventres pigri, quia falsa persuadent, et ferarum ritu sanguinem sitiunt deceptorum, et non cum silentio operantes suum panem manducant, quorum Deus venter est (*Philip.* III), et gloria in confusione ipsorum. Dicitur autem iste versus in Epimenidis Cretensis poetæ oraculis reperiri, quem nunc Apostolus sive alludens prophetam vocat, quod scilicet tales Christiani tales merentur habere prophetas, quomodo prophetas Baal, et quoscunque otiosos prophetas Scriptura commemorat (*Jer.* II, XXIII), sive vere, quia de oraculis scripserat atque responsis, quæ et ipsa futura prænuntient, et ea quæ ventura sunt, multo ante prædicant. Denique tempore ex illo exstabat oraculorum titulo prænotatus liber quidam Epimenidis, quem, quia videbatur divinum aliquid repromittere, propterea Apostolum arbitror inspexisse, ut videret quid in eo promitteretur, et in tempore usum versiculo scribentem ad Titum, quia erat Cretæ, ut falsos doctores Cretensium proprio insulæ suæ auctore contereret. Non tamen totum opus Epimenidis, quod de oraculis scripserat, per unum versiculum confirmavit; sed Cretenses tantum mendaces vitio mentis increpavit ob ingenitam mentiendi facilitatem, de propriæ gentis eos auctore confutans. Nam nemo est tam sicarius, tam parricida, tam veneficus, qui non aliquid boni aliquando fecerit. Ergo si unum bonum illius videntes laudaverimus, necesse erit ut et cætera quæ male agit, laudemus? absit! Et si inimicus adversum nos jurgitet et clamitet, nonne inter verba simultatis et rixæ aliquid loquitur veritatis, quod et a nobis quoque adversum quos loquitur, non usquequaque reprehenditur? Sic et Epimenides non ideo vera dixit omnia, quæ in carminibus ejus continentur, quia cæteræ res fallaces sunt, sed in eo tantummodo verum locutus esse probatur, quia ingeniti Cretensium mendacii vitium expressit, et eos malas bestias pro crudelitate, et ventres pigros pro commessatione et otiositate vocavit. Unde Apostolus considerate et circumspecte loquens, adjunxit : *Testimonium hoc verum est*. Non totum carmen de quo testimonium sumptum est, non universum opus, sed tantum hoc testimonium, hic versiculus. Nam qui in una tantum poematis parte consensit, cætera confutasse credendus est. Verum est, inquit, testimonium hoc, quia tales sunt Cretenses, quales illos esset testatur, licet non omnes.

A *Quam ob causam*, id est quia tales sunt, *increpa illos* non molliter, ut soles, sed *dure*, id est dura eorum corda penetret increpatio dura, *ut sani sint in fide*, id est ut mens eorum non infirmetur in fide, sed convalescat, et omnem languorem perfidiæ procul repellat a sua fide. Sani, inquam, sint in fidei puritate, quæ nullo tabescit languore perfidiæ, *non intendentes Judaicis fabulis*, quasi magistri Judæorum sine auctoritate Scripturarum, et sine ulla assertione rationis docent, *et mandatis* non Dei, sed hominum, id est Judæorum, humana tantum et carnalia sapientum, *aversantium se a veritate* spiritualis intelligentiæ. Si quis post adventum Christi conciditur, non circumciditur, sed Judaicis servit fabulis, et mandatis hominum adversantium se a veritate.

B Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in occulto Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera (*Rom.* II). Si quis pascha agit, non in azymis sinceritatis et veritatis, ut exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ *et* nequitiæ (*I Cor.* V), iste attendit fabulis, et *sequitur* umbras veritate neglecta. Si quis non resurgens cum Christo, nec quærens ea quæ sursum sunt, sed quæ super terram sunt (*Colos.* III), dicit : « Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque attractaveritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum (*Colos.* II), » iste fabulis est intentus, et observat mandata hominum, umbram

C tenentium et veritati terga vertentium. Unde et subditur :

« Omnia munda mundis, coinquinatis autem et « infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt « eorum et mens et conscientia. Confitentur se « nosse Deum, factis autem negant, cum sint abo- « minati et incredibiles, et ad omne opus bonum « reprobi. »

Quia superius, dixerat, sunt enim multi et inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt, et de his qui ab eis seducti fuerant, consequenter addiderat, increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate, et putabant inter cibos esse distantiam, ut aliqui

D mundi et aliqui essent immundi, propterea nunc subjungit : *Omnia munda mundis*, id est omnia ciborum genera secundum naturam sunt munda, et apud illos nihil habent immunditiæ, qui in Christum credunt, et sciunt omnem creaturam Dei bonam esse, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Mundis quidem munda sunt omnia, sed *coinquinatis*, id est carnaliter legem intelligentibus *et infidelibus*, id est tempus gratiæ a legis tempore non discernentibus, *nihil* ciborum *est mundum*, quia et his quæ respuunt, et his quæ sumunt, non sancte nec juste utuntur; *sed inquinatæ sunt* fetore infidelitatis; *et mens*, id est ratio *eorum et conscientia*, id est cordis arcanum. Propterea etiam quæ munda sunt per naturam, eis immunda fiunt.

Digitized by Google

quia pro qualitate vescentium et mundum mundis, et immundum contaminatis fit. In nobis itaque est vel munda comedere vel immunda. Si enim mundi sumus, munda nobis est creatura. Si autem immundi et infideles, fiunt nobis universa immunda, vel propter inhabitantem in mente nostra hæresim, vel propter conscientiam delictorum. Nihil est talibus mundum, qui tantum voce *confitentur se nosse Deum*, sed *factis negant* eum, *cum sint abominati*, id est ab humanitate destituti bestialiter vivendo; *et incredibiles*, id est indigni quibus debeat credi, quia toties sunt in mendacio deprehensi. Hi, quorum polluta est mens et conscientia, Deum verbis confitentur, factis autem negant, juxta illud Isaiæ: « Populus hic labiis me honorat, cor eorum longe est a me (*Isa.* XXIX). » Quomodo enim quis labiis honorat et corde recedit, ita sermone Deum quis confitens, operibus negat. Talis quisque merito dicitur abominatus, id est nulla veritatis ratione persuasus; et incredibilis, id est nolens credere divinis præceptis, ut eis obediat; *et ad omne opus bonum* reprobus, quo scilicet etiam ea quæ naturali bonitate superatus forte bona fecerit, non sint bona, dum mentis perversitate sunt reproba. Tales enim aut prava sunt quæ faciunt, aut recta opera non recto corde sectantur. Non enim de suis operibus retributiones perpetuas, sed transitorios favores quærunt, vel hæretico sensu quæ operantur faciunt. Æstimant quidam in eo tantum negari Deum, si in persecutione quis a gentilibus comprehensus, se negaverit esse Christianum. Ecce Apostolus omnibus factis quæ perversa sunt, Deum, asserit denegari. Deus charitas est (*I Joan.* IV), et per odium negatur charitas. Christus sapientia est, Justitia, veritas, sanctitas, fortitudo, et his similia; per insipientiam negatur sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescunque vincimur vitiis atque peccatis, toties Deum negamus; sicut econtrario quoties boni quid agimus, toties Deum confitemur. Nec arbitrandum est, in die judicii illos tantum a Dei Filio denegandos, qui in martyrio Christum negaverunt, sed per omnia opera et sermones atque cogitationes, Christus vel negatus negat, vel confessus confitetur.

CAPUT II.

« Tu autem loquere quæ decent sanam doctri-
« nam. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes,
« sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus si-
« militer in habitu sancto, non criminatrices, non
« multo vino servientes, bene docentes, ut pruden-
« tiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament,
« filios suos diligant; prudentes, castas, sobrias,
« domus curam habentes, benignas, subditas viris
« suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes
« similiter exhortare, ut sobrii sint in omnibus.
« Teipsum præbe exemplum bonorum operum in
« doctrina, in integritate, in castitate, in gravitate,
« verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex
« adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere
« de nobis. Servos dominis suis subditos esse in
« omnibus (*Ephes.* VI; *Colos.* III; *I Petr.* II), pla-
« centes, non contradicentes, non fraudentes, sed
« in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctri-
« nam Salvatoris nostri Dei ornent in omni-
« bus. »

Illi docent, ut supradictum est, quæ non oportet, sed tu loquere ea quæ decet ut loquaris, id est sanam doctrinam, quæ nullum erroris aut vitiorum in se languorem habeat, sicut hæreticorum vel philosophorum doctrina, quæ dum ab aliis vitiis retrahit, sæpe ad alia impellit. Sola enim Christiana doctrina ab omni languore vitiorum et errorum sanat. Generaliter Apostolus Tito præceperat, quid ipse deberet loqui ad cunctos, in eo quod ait: *Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam*, et nunc per singulas species quid unamquamque ætatem deceat, exponit. Primum senibus viris convenientia demonstrat, deinde anus quid deceat, tertio quæ adolescentibus apta sint, tam majoribus quam feminis, licet in præcepto mulierum vetularum de adolescentibus feminis mandata subjecerit, ut non tam ipse doceret adolescentulas, quam quid a vetulis docerentur, exponeret, extremo de servis præcipit. Et per singulas ætates atque conditiones sic decenter præcepta constituit, ut sermo ejus vitæ morumque sit regula. Loquere, inquit, ea quæ decet ut tu loquaris, qui doctor ecclesiæ Christi constitutus es, videlicet *ut senes sint sobrii*, id est in cibo et potu temperati, ut ætatis gravitas morum gravitatem habeat, et modum servare sciat, et sint *pudici*, ne in ultima ætate luxurient, ne jam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescentibus ad ruinam, et sint *prudentes* in respuendis vel cavendis malis, et eligendis atque faciendis bonis, ut cum solerti discretione faciant omnia. Sint etiam *sani in fide*, ut nullo infidelitatis vel perfidiæ languore infirmentur, sed sint valentes in fide, sicut « justus qui ex fide vivit (*Habac.* II; *Rom.* I; *Hebr.* X; *Rom.* IV), » et sicut Abraham qui non infirmatus est fide, nec in repromissione hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit, potens est et facere, et sint sani *in dilectione*. Sanus est in dilectione, qui Deum diligit ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, et proximum tanquam seipsum (*Deut.* VI). Qui sanus est in dilectione, « non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non inhoneste, non ad iracundiam concitatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia præstolatur (*I Cor.* XIII). » Languor autem dilectionis est, quando abundante iniquitate refrigescit charitas (*Matth.* XXIV). Hoc frigore charitatis et Amnon in sorore sua Thamar obriguit (*II Reg.* XIII). Timendum ergo, ne forte et nos hac infirmitate charitatis aliquando tabescamus. Nonnunquam enim evenit, ut primum a nobis in virgi-

Digitized by Google

nem, aut in quemlibet feminam sit sancta dilectio, et cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis languore pallescat et infirmari incipiat, et diligentem ad extremam mortem ferat. Unde Timotheo caute præcepit Apostolus, ut exhortetur adolescentulas in omni castitate. Omnis enim castitas in carne et spiritu et anima est, ne scandalizetur oculus, ne in pulchritudine vultus feminei pendeamus, ne blanda nos audire verba delectet, ne ad singulos sermones mens prius dura marcescat. Caveant ergo non solum juvenes, sed et senes, ne per sanitatem dilectionis introeat morbus charitatis; et per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam. Sint et sani *in patientia*, ut nullo languore impatientiæ vel murmurationis infirmentur, cum pertulerint adversa; sed glorientur in tribulationibus, et omne gaudium existiment, cum in tribulationes varias inciderint (*I Cor.* XII). *Anus similiter* doce. Quamvis apostolus Petrus moneat, ut viri uxoribus suis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuant, non tamen arbitrandum est, quod uxor quæ corporis vasculum habet infirmum, statim et anima infirmior sit. Unde et nunc præcipitur eis, ut in ipsis quoque illud Apostoli compleatur : « Virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII), » et dicitur ut et omnia habeant, quæ senibus viris sunt præcepta communiter, in eo scilicet quod ait : *Anus similiter*, hoc est ita ut viri senes, in omnibus sobriæ sint et pudicæ atque prudentes et sanæ in fide et dilectione et patientia. Et pro sexu suo hoc habeant proprium, ut sint *in habitu sancto*, ut ipse quoque earum habitus et vestitus et incessus atque motus et vultus ac sermo et silentium, quamdam sacri decoris præferant dignitatem. Et quia hoc genus muliercularum solet esse garrulum, ideo subditur *non sint criminatrices*, id est aliis male loquentes, ne ipsæ quæ adolescentiam jam transgressæ sunt, de adolescentularum ætatibus disputent, et dicant, illa sic ornatur, illa sic comitur, sic procedit, amat illum, amatur ab illo, cum etsi hæc vera sint, non tam apud cæteros debent infamare, quam ipsam secrete Christi charitate corripere; et magis docere ne faciat, quam in publico accusare quod fecerit. Solent autem hæ ætates, quia corporis frixere luxuria, licet quædam nec pudicæ fiant, vino sedare pro libidine. Unde a nimio potu vini prohibentur, quia quod in adolescentibus libido, hoc in senibus ebrietas est, et expresse dicitur, *non vino multo servientes*. Servitus enim quædam est et extrema conditio, vino sensus hominis occupari, et suum non esse, sed vini. Quia igitur docuit quales primo anus esse deberent, et post illas, quæ cum senibus viris habent communia, et propria eorum exposuit, ut in habitu honesto et sancto sint, nec aliarum criminatrices, nec vino proprios sensus occupantes, nunc consequenter doctrinæ ejus frena permittit, ut cum tales fuerint, docendi habeant libertatem, ut scilicet sint *bene docentes*, id est ea quæ bona sunt, *ut doceant prudentiam*, id est discretionem boni et mali, ut bona fiat, et malum caveatur, et hanc prudentiam doceant *adolescentulas*; licet enim alio loco dixerit « Docere autem mulieribus non permitto (*I Tim.* II), » sic intelligendum est, ut in viris sit illis doctrina sublata. Cæterum adolescentulas doceant quasi filias suas, *ut ament viros suos*, et *diligant filios suos*. Quæ doctrina est amare viros, cum hoc non in eloquio docentis, sed in corde amantis sit constitutum? Vult ergo eas amare viros suos caste, vult inter virum et mulierem esse pudicam dilectionem, ut cum pudore et verecundia et quasi necessitate sexus reddat potius debitum viro, quam ipse exigat ab eo, et operam liberorum ante oculos Dei et angelorum perpetrare se credat. Filios autem ita diligunt, si eos in Dei disciplina erudiant. Cæterum nolle eos contristare docendo quæ bona sunt, et libertatem tribuere peccandi, non est amare filios, sed odisse. Doceant et vetulæ juvenculas esse *prudentes*, ut licet corpore sint adolescentes, mente tamen per prudentiæ acumen sint bene callentes, et doceant eas esse *castas*, quia adversus castitatem magis in ætate florenti pugnat inimicus, et virtus ejus omnis contra feminas in umbilico ventris est (*Job* XL), *et sobrias*, ne per immoderatam potationem magis incalescant ad libidinem. Et *habentes curam domus*, et diligenter omnia procurent quæ sunt in domo; *et benignas*, id est mites et clementes, quia poterat evenire ut diligentia domus austeritate regeretur, et per hoc apostoli præceptum severe: matrona fieret in servulos, ideo copulavit *benignas*, ut tunc se crederet mariti domum bene regere, si hoc benignitate impetraret a servulis, non terrore. Doceant eas et *subditas esse viris suis*, ne forte divitiis et nobilitate tumentes, Dei sententiæ non meminerint, per quam subjectæ sunt viris, ait enim mulieri : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (*Gen.* III). » In quo consideranda est Scripturæ sanctæ prudentia, quia non viro Dominans ait : Dominaberis uxori tuæ, sed ipsi mulieri dixit, quia « vir dominabitur tui, » ut illi præmium relaqueret obsequelæ, dum in potestate ejus est, si Dei velit obedire præcepto, ut serviat viro, et subdita sit marito, ut scilicet et quodammodo esset libera servitus, et dilectionis plena, ideo servitus viro, quia metuit eum offendere. Cum vero caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus (*I Cor.* XI; *Ephes.* V), quæcunque uxor non subditur viro, id est capiti suo, ejusdem crininis rea est, cujus et vir si non subjiciatur Christo capiti suo, ideo sint subditæ viris, *ut non* propter eas *blasphemetur verbum Dei*. Verbum enim Dei blasphematur, vel dum contemnitur, et pro nihilo ducitur prima Dei sententia, vel dum infamatur Christi Evangelium, qui *contra legem fidemque naturæ est*, si ea quæ Christiana est, et ex Dei lege subjecta viro, imperare ei desiderat, cum et gentiles feminæ viris suis serviant cum communi lege naturæ. *Juvenes similiter exhortor*. Sicut in eo quod supra præceperat, dicens : habita

Digitized by Google

sancto similitudinem anuum diximus ad senes esse referendam, ita nunc in eo quod dicit, *juvenes similiter exhortare*, similitudinem juvenum ad anus et per anus ad senes arbitramur aptandam, ut senum habeant sobrietatem, et sint pudici ut illi, atque prudentes et sani in fide et dilectione et patientia, anuum autem sanctitatem habeant, neque criminatores sint, nec vino multo servientes, sed bene docentes. Proprium autem habeant, *ut sint in omnibus sobrii*, id est modum tenentes, et nullam superfluitatem sectantes, sicut sæpe consueverunt juvenes. Vel secundum alios codices, pudici sint in omnibus, tam scilicet mente quam corpore, tam opere quam cogitatione, ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Hæc sicut hactenus digesta sunt, doce; et ut doctrina tua sit efficax, *præbe teipsum exemplum bonorum operum*, id est ita vive, ut sis omnibus forma bene vivendi, et qui te viderint, legant in operibus tuis velut in libro quid agere debeant. Nihil enim prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, et ad loquendum trivisse linguam, nisi plus doceat exemplo doctrinæ quam verbo. Denique qui impudicus est, quamvis disertus sit, ad castitatem audientes cohortetur, sermo ejus est infirmus ac auctoritatem non habet cohortandi; sicut econtrario, quamvis sit rusticanus et tardus ad loquendum, si castus fuerit, exemplo suo homines potest ad vitæ similitudinem impellere. Præbe, inquit, teipsum exemplum *in doctrina*, ut alii exemplo tuo quæ recta sunt doceant; *et in integritate*, ut integritas animi tui nec amore laudis hominis corrumpatur, nec acceptione pecuniarum, nec qualibet alia re, similiterque cæteri exemplo tuo servent incorruptam mentis integritatem. Et *in castitate*, ut alii exemplo tuo castitatem custodiant. Vel in integritate intemerati corporis, ut et alii exemplo tuo virginitatis integritatem perpetuo servent, et in castitate cæteri qui virgines non sunt, ut vel post amissionem integritatis, servent munditiam castitatis. Ex hoc Titum æstimo, priusquam carnis opere occuparetur Evangelio credentem accepisse baptisma, et virginem permansisse; et ideo nunc ab Apostolo, ut in integritate formam sui præbeat, commoneri. Quam quidem integritatem in Timotheo non videmus. Nam cum ei diceret: « Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (*I Tim.* IV), » de integritate tacuit, et tantum posuit castitatem. Castitas autem et in cælibatu absque virginitatis integritate potest intelligi, *et in gravitate* sis exemplum cæteris, ut gravitas maturitatis in sermone in incessu tuo atque in moribus semper tuis appareat, et *verbum* tuum præbe *sanum irreprehensibile*, ut sermo tuæ prædicationis, vel etiam communis locutionis, nec ullum habeat in se languorem vitiorum, nec possit ab aliquo reprehendi. Non quo ullus tantæ facundiæ et prudentiæ sit, ut a nemine reprehendatur; reprehenduntur enim apostoli et Evangelistæ ab hæreticis et gentilibus, sed quo nihil dignum reprehensione dicat vel faciat, licet adversarii sint ad reprehendendum parati. Vel secundum alios codices, verbo sano et irreprehensibili præbe te exemplum fidelibus, et hoc ita fac, ut *is qui ex adverso est*, id est quilibet infidelis ac lividus, *vereatur* in nos dentem injicere, *nihil habens malum dicere de nobis*, id est nihil mali inveniens quod de nobis dicat, id est vitæ et doctrinæ nostræ sanitate perterritus, non audeat nos accusare, hoc est, nihil verisimile in accusatione confingere, et revera usque hodie quidam in nonnullis ecclesiis, quanquam rarius inveniantur, tantæ sunt gravitatis et continentiæ, ut et ab adversariis habeant testimonium. Nemo enim est tam immoderatæ impudentiæ, ut solis radios possit accusare tenebrosos, et clarum lumen caligine noctis offundere. Potest is qui ex adverso est, et diabolus intelligi, qui est accusator fratrum nostrorum, ut in Apocalypsi Joannis legimus (*Apoc.* XII). Qui cum nihil invenerit mali quod objiciat nobis, erubescet criminator, et non poterit criminari. Diabolus enim *criminator* interpretatur. *Servos etiam* doce *dominis suis subditos esse*, ne occasione spiritualis libertatis quam in Christo consecuti sunt, erigantur contra carnales dominos suos, sed humiliter eis subjiciantur *in omnibus*. Quoniam Salvator qui ait: « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* II), » nullam conditionem vel ætatem aut sexum a beatitudinis accessu repellit, ideo nunc apostolus eis et servis præcepta constituit, scilicet ut parti Ecclesiæ membrisque Christi; et quomodo superius quid Titus senes et anus et adolescentulas ac juvenes docere deberet, exposuit, ita nunc quæ præcepta servis tradat, ostendit. Primum, ut subditi sint dominis suis in omnibus, in his videlicet quæ non sunt contraria, ut si carnalis dominus ea jubet quæ non sunt Deo contraria, subjiciatur servus domino; si autem contraria præcipit, magis obediat spiritus quam corporis domino, et sint *placentes*, quod ex Græco significat ut complaceant sibi, ne videlicet super conditione sua videatur eis Dei iniqua sententia. Sed quomodo pauper juxta mensuram suam salvari potest, et mulier in sexus infirmitate a regno non excluditur, et omnis conditio secundum ordinem suum beatitudinem adipisci potest, ita et servi complaceant sibi quod servi sunt, et non idcirco putent se Deo servire non posse, quia subjecti sunt hominibus; sed in eo placere se credant voluntati Dei, si et dominis suis subditi fuerint in omnibus, et complacuerint sibi in conditione sua. *Et non* sint *contradicentes* mandatis dominorum suorum, quia solet esse maximum servorum vitium dominis contradicere, et cum aliquid jusserint, mussitare. Sed a Christianis servis auferenda est hujusmodi passio. Si enim quæ Dominus imperat, necesse habet servus implere, cur hoc ipsum non cum bona faciat voluntate, sed et Dominum offendat, et tamen faciat quod jubetur. Neque sint *fraudantes*, quia et hoc vitium solet esse servorum, ut

Digitized by Google

dominis suis fraudes faciant, furando res eorum, et infideliter illis serviendo. Non sint ergo fraudantes, id est fraudulenter ex rebus dominorum aliqua minuentes, *sed in omnibus fidem bonam ostendentes*, ut appareat eos fideliter in omnibus agere. Et hoc ideo, *ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*. Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Deum majora committi. Ornat autem doctrinam Dei, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt, facit ; e diverso confundit eam, qui non est subjectus hominibus, cui conditio sua displicet qui contradictor atque fraudator in nullo fidem bonam ostendit. Quomodo enim potest fidelis esse in substantia Dei, id est in doctrina ejus, qui carnali domino fidem exhibere non potuit ? vel hoc quod additur, ut doctrinam Dei ornent in omnibus, non solum ad servos referendum est, sed et ad omnes superius nominatos, ab eo loco ubi dictum est, senes ut sobrii sint, quatenus scilicet ut senes et anus et adolescentulæ et juvenes atque servi, ornent quasi margaritis operibus bonis doctrinam Dei nostri.

« Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes « impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste « et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum « pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, « et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. »

Post catalogum doctrinæ ad Titum, ubi descripserat, quid senes, quid anus, quid adolescentulas, quid juvenes, quid ad extremum servos admonere deberet, recte nunc addit, quia *apparuit* vel illuxit *gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus*. Non est enim aliqua differentia liberi et servi, græci et barbari, circumcisi et præputium habentis, viri et mulieris ; sed cuncti in Christo unum sumus, universi ad regnum Dei vocamur, omnes post offensam patri nostro reconciliandi sumus non per merita nostra, sed per gratiam Salvatoris, vel quod Dei Patris vivens et subsistens gratia ipse sit Christus, vel quod Christi Dei Salvatoris hæc sit gratia, et non nostro merito salvati sumus, secundum quod alibi dictum est : « Pro nihilo salvos facies illos (*Psal.* LV). » Ideo servi bene vivendo debent ornare doctrinam Dei, quia gratia Dei per quam doctrina possit impleri, apparuit omnibus hominibus. Et cum omnibus, utique servis. Vel ideo debes omnis ætatis et sexus et conditionis homines ad bene vivendum monere, quia gratia Dei Salvatoris, id est gratis datus nobis Filius Patris, humanum genus salvare volentis, apparuit per fidem omnibus hominibus, senibus et juvenibus, maribus et feminis, liberis et servis, nullumque a sua cognitione exclusit. Vel gratia Dei Salvatoris, id est gratia Domini Jesu Christi, genus humanum gratis per baptismum salvare cupientis, apparuit per illuminationem Evangelii omnibus hominibus, nullum excipiens, nullum qui cordis oculos aperire velit, præteriens. Gratia dico *erudiens nos*, id est ex rudibus provectos faciens, et perfecte instruens nos, ut abnegemus impietatem, id est infidelitatem paganorum et perfidiam hæreticorum, et sæcularia desideria, id est cupiditates voluptatum hujus sæculi. quæ decipiunt multos catholicorum. Impietas enim est, ubi fidei pietas non est, sæcularia vero desideria sunt, quæ a mundi istius principe suggeruntur ; et cum sint sæculi, cum sæculi hujus nube pertranseunt. Qui impius antea fuit. si conversus ad Christum factus est pius, iste impietatem abnegavit. Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutavit, abnegavit sæculi desideria. Si avarus quisque ambire jam desiit, et largiri dicit propria, qui aliena rapiebat, abnegavit desideria sæculi. Nam qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V), quia gaudia patriæ cœlestis appetunt, isti videlicet illecebrosa desideria præsentis sæculi quæ assequebantur, jam abnegaverunt, *abnegantes* ergo *impietatem et sæcularia desideria*, *vivamus in hoc sæculo* tam fragili *sobrie et juste* contra sæculi desideria, *et pie* contra impietatem. Sobrie autem quantum ad nos, et juste erga proximum, et pie erga Deum. Sobrie, id est temperanter vivamus, ut modum servemus, et a vitiis nos abstineamus ; et juste, ut opera justitiæ per observantiam mandatorum Dei faciamus ; et pie, ut in fidei pietate perseveremus, sive pium cor erga compassionem afflictionis proximorum habeamus ; nos dico *exspectantes* pro his *beatam spem* supernæ retributionis, id est exspectantes beatitudinem, quam pro bonis speramus. Hanc abstinentiam in tempore præsentis vitæ velut in quadragesima debemus omnes observare. Jejunium enim magnum et generale est, abstinere ab erroribus et illicitis sæculi voluptatibus, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Huic jejunio subnectitur merces, dum ait : simus exspectantes beatam spem. In hoc igitur sæculo quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus, cum ab impietate et illicitis voluptatibus abstinemus, et bene vivimus. Sed quia hic abstinentia sine mercede non erit, exspectamus illam spem beatitudinis. Non ergo in præsenti vita retributionem quæramus, sed toto corde simus exspectantes beatam spem æternæ remunerationis, *et adventum gloriæ magni Dei*, quando veniet in nubibus cum virtute magna et gloria (*Matth.* XXV), et cognoscetur magnus Deus, qui in primo adventu visus est parvus homo. Exspectemus adventum hujus magni Dei, *et Salvatoris nostri Jesu Christi*, quia qui magnus Deus reprobis sentietur, nobis Salvator esse dignabitur. Est et ordo sensuum. Exspectemus adventum gloriæ Jesu Christi magni Dei, et Salvatoris nostri. Quem idcirco debemus exspectare et salutem ab eo sperare, quia non aliud pretium *dedit pro nobis* qui tenebamur a diabolo capti, sed semetipsum qui tantus est, ut pretioso sanguine *nos redimeret*, quia ejus eramus.

Digitized by Google

Nam aliena dicimur emere, nostra vero redimere. Redimeret nos *ab omni iniquitate*, ut nulla jam iniquitas nobis dominaretur, id est nullum peccatum, sicut Joannes ait : « Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas (*I Joan.* III), » et *mundaret sibi populum*, id est ut non solum a jugo diaboli et iniquitatis nos redimeret, sed et mundaret nos, abluendo sordes peccatorum nostrorum in baptismo, et sic faceret nos populum sibi *acceptabilem* vel (sicut in græco habetur) peculiarem, populum dico, *sectatorem* sive ut Græcus habet, æmulatorem *bonorum operum*. Redemit ergo nos sanguine suo, ut sibi Christianum populum peculiarem et acceptum faceret, et horum sectator esset, ut in his perseveraret.

« Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni « imperio. Nemo te contemnat. »

Hæc quæ dicta sunt de apparitione gratiæ et abnegatione impietatis, et quod Dominus seipsum dedit redemptionem pro nobis, ut nos liberaret ab iniquitate, et mundaret sibi populum peculiarem sectatorem bonorum operum, *loquere* ignorantibus, *et exhortare* scientes ut ita vivant, *et argue*, id est convince contemptores vel resistentes. Et hæc age *cum omni imperio*, id est cum imperiosa auctoritate. Imperii nomine non dominationem potentiæ, sed auctoritatem suadet vitæ. Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrinæ fiduciam subtrahit, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo ei potestatem claræ locutionis, sed fiduciam insinuat bonæ actionis. Unde et de Domino scriptum est : « Erat enim docens sicut potestatem habens, et non sicut scribæ et Pharisæi (*Matth.* V; *Marc.* I). » Singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitate quippe potentiam habuit, id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit. Ob hoc et jubetur Titus et loqui, et exhortari, et arguere *cum omni imperio*, quia valde mitis erat, et propter nimiam lenitatem poterat sermo ejus inefficax esse, nisi per auctoritatem imperii ferventius juberetur. Quod autem imperii nomine, sicut præmisimus auctoritas vitæ principaliter designetur, ex eo declaratur quod protinus additur : *Nemo te contemnat*, id est nolo te talem exhibeas, ut merito possis ab aliquo contemni. Vel nemo te contemnat, id est nemo eorum qui in ecclesia sunt, te seguiter agente sic vivat, ut se putet esse meliorem, et te despiciat velut inferiorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si intelligat magistro se esse majorem. Unde non solum episcopi, presbyteri et diacones debent magnopere providere, ut cunctum populum cui præsident, conversatione et sermone præcedant, sed et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, et omnes omnino qui domui Dei serviunt, quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse quam clericos.

CAPUT III.

« Admone illos principibus et potestatibus subdi- « tos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum pa- « ratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos « esse, sed modestos, omnem ostendentes mansue- « tudinem ad omnes homines. »

Quia superius dixerat, tantum servos dominis suis subditos esse debere, putaret forsitan aliquis, quod illi qui non essent de servili conditione, nemini deberent esse subditi, et ideo nunc dicit : *Admone illos*, licet a servili conditione sint alieni, tamen *subditos esse*, id est ut sint subditi principibus, id est regibus, quia, prima et maxima sunt populi capita; *et potestatibus*, id est ducibus, consulibus, tribunis et similibus, qui potestatem super alios habent. Ob hoc etiam fortassis ista jubet, quia Judæ Galilæi per illud tempus adhuc dogma vigebat, et habebat plurimos sectatores, cujus et in Actibus apostolorum fit mentio (*Act.* V). Qui inter cætera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere dominum nisi solum Deum vocari, et eos qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Quæ hæresis tantum creverat, ut et Pharisæorum, et populi partem multam conturbaret, ita ut ad Dominum quoque nostrum referretur hæc quæstio, Licet tributum dare Cæsari an non? Quibus ipse prudenter cautequæ respondens, ait : « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX). » Cui responsioni nunc Apostolus congruens, docet principibus et potestatibus credentes debere esse subjectos, etsi sint infideles, quibus indignum se subdere judicabant et dicto eorum obedire, ne oporteat illos violentia cogi, et quia poterat his qui tormenta formidabant, occasio ad negandum dari, dum juxta Apostoli præcepta assererent se principibus et potestatibus esse subjectos et facere quod juberent, propterea subjunxit, *ad omne opus bonum paratos esse*. Si bonum est, inquit, quod jubet imperator aut præses, paratus sit obedire jubenti. Si vero malum est et contra Deum, quod præcipit, responde ei, quia « obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act.* V). » Hoc ipsum et de servis intelligamus apud dominos, et de uxoribus apud viros, et filiis apud parentes, sive carnales, sive spirituales, quod in illis tantum eis debeant subjici, quæ contra Dei mandata non fuerint. Potest et ita distingui, dicto obedire ad omne opus bonum, ac deinde alius sensus sit, paratos esse. Paratos autem esse, ut omnia quæcunque evenire possunt, sibi in animo præfigurent; et cum acciderint, nihil quasi novum sustineant, sed præparati sint ad omnia. Admone illos *neminem blasphemare*, quia plebs sæpe detrahit rectori suo, et male loquitur de eo. Sed nec fideles perversum principem blasphemare debent, ne premantur et affligantur ab illo. Non tamen simpliciter accipitur, neminem blasphemare. Neque ait, neminem hominem blasphemare, sed absolute, neminem, id est non hominem,

Digitized by Google

non angelum, non aliquam creaturam Dei. Omnia quippe a Deo facta sunt bona valde, nec omnino Christi discipulis convenit, ut aliquem blasphement aut maledicant. *Non litigiosos esse, sed modestos.* Si enim sumus filii pacis, et volumus super nos pacem requiescere, et accessimus ad Jerusalem cœlestem quæ ex pace nomen accepit, cum his qui oderunt pacem, habeamus pacem (*Psal.* CXIX); et quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacati simus, non solum cum modestis, sed et cum rixosis, quia nulla virtus est ferre mansuetos, locumque demus iræ. Non ergo decet Christianos esse litigiosos, sed modestos, id est temperatos, ne prorumpentes in iram, blasphement aliquem, vel infidelem appellent canem, vel diaboli filium, nec aliquid hujusmodi per iram dicant vel faciant. Et *ostendentes omnem mansuetudinem* ut non solum in corde sint mansueti, id est mites et tractabiles, sed et foris aperte demonstrent omnem mansuetudinem in incessu suo, atque in verbis et operibus suis. Hanc ostendant non ad quosdam, sed *ad omnes homines*, tam bonos quam malos; ad bonos, ut perficiat : ad malos, ut resipiscant. Non quo vanæ gloriæ desiderio nos esse mansuetos omnibus hominibus ostendere debeamus, sed quia dum omnes ferimur, et injuriæ vicem non rependimus, ipsa opera notiora fiant universis. Potest aliquis ob jactantiam et opinionem vulgi auramque popularem, simulare apud quosdam mansuetudinem, et fingere bonitatem; sed ubi non est vera et germana et solida mansuetudo, nescio an eum esse mansuetum possit omnibus persuaderi.

« Eramus enim aliquando et nos insipientes et « increduli, errantes, servientes desideriis et volu- « ptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odi- « biles, odientes invicem. »

Idcirco neminem blasphemare debent, nec contra quemquam litigare, sed modestiam servare, et mansuetudinem omnibus ostendere, quia et hi qui nunc perverse videntur agere, forsitan convertentur a pravitatibus suis, sicut et nos conversi sumus. Nam *et nos eramus aliquando*, id est olim seu quandoque, *insipientes*, id est sapientiam divinæ cognitionis non habentes; *et increduli*, id est non credentes quod de Deo credendum est; et *errantes*, id est credentes quod de Deo non est, putantes lucem tenebras, et tenebras lucem (*Isa.* V), putantes falsum quod verum est, et verum quod falsum est. Et eramus *servientes*, id est obedientes *desideriis* nostris, quia post concupiscentias nostras ibamus, et illicita desideria sequebamur, satisfaciendo illis prout poteramus; *et voluptatibus variis* serviebamus, id est voluptatibus carnis et voluptatibus gulæ, ac voluptatibus mollium vestimentorum, et similium rerum. Nos dico, *agentes in malitia*, quantum ad alios, id est actionem malam contra alios exercentes; *et in invidia*, id est in malevolentia, quia si malum facere non poteramus, malevoli saltem et invidi quod poteramus, aliis eramus, malum eorum desiderantes, et bonum ipsorum detestantes, quia ideo eramus *odibiles*, id est habiles ad odiendum, hoc est digni ut odiremur ab aliis; et *odientes invicem*, quia et nos odiebamus alios, et alii odiebant nos. Tales non solum fuere gentiles ante fidem, sed et Judæi non credentes post Domini resurrectionem, postquam videlicet clamavere : « Crucifige, crucifige eum; » et : « Non habemus regem nisi Cæsarem; » et : « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Luc.* XXIII; *Joan.* XIX; *Matth.* XXVII). » Ex eo tempore fuere insipientes, id est sapientiam Dei quæ Christus est, non habentes; et increduli, id est nolentes credere Christum in carne venisse; et errantes, id est pro Christo Antichristum exspectantes, atque carnalibus desideriis ac voluptatibus servientes, et cætera quæ describuntur, agentes. Annon insipiens erat Saulus et incredulus, et errans, quando æmulationem Dei habebat, sed non secundum scientiam, et persequebatur ecclesiam, et lapidantium Stephanum vestimenta servabat (*Act.* VII), cum in tantum odium contra Salvatorem instigatus exarserat, ut litteras a sacerdotibus acciperet, pergens Damascum ad eos (*Act.* IX), qui in Christum crediderant, vinciendos? an æstuantem flammam voluptatum restinguere poterat, cum non esset templum Dei? Quæ autem major potest esse malitia et invidia, quam contra absentes epistolas sumere, et ubique Christi vastare discipulos, nolle seipsum salvum fieri, et cæteris qui salvi esse poterant, invidere, odisse Christianos, et consequenter ab omnibus odium promereri?

« Cum autem benignitas et humanitas apparuit « Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ « fecimus nos, sed secundum suam misericordiam « salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et « renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos « abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum, « ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secun- « dum spem vitæ æternæ. »

Tales fuimus ante Christi notitiam, quales descripsimus : ideo merueramus damnationem, sed per Dei gratiam in Christi cognitione reperimus salutem, nam salvos nos fecit, *cum apparuit*, id est quando illuxit nobis, *benignitas*, id est largitas exhibitionis misericordiæ, *et humanitas*, id est affectus misericordiæ Dei Patris et *Salvatoris nostri*, benignitatem videlicet vocat exhibitionem operum divinæ misericordiæ; humanitatem vero, ipsum bonum affectum ejusdem misericordiæ. Et dicitur humanitas in Deo ad similitudinem nostri. Nam ille apud nos dicitur humanus, qui humanitus et misericorditer erga homines afficitur, quia humanitas ipsa misericordiæ est effectus. Secundum fidem et intellectum nobis apparuit humanitas et benignitas Dei Salvatoris, quando comperimus Deum Patrem esse miserato-rem et misericordem. Et tunc salvos nos fecit, qui nostris meritis eramus perditione digni. Non enim *ex operibus justitiæ quæ fecimus nos*, processit hæc salus, quia nulla opera justitiæ feceramus, unde salutem meruissemus, *sed ipse secundum misericordiam suam salvos nos fecit*, non secundum merita nostra

Digitized by Google

nobis hanc salutem dedit; *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, id est per baptismum, in quo regenerati et renovati sumus adveniente in nos Spiritu sancto, per quem data est nobis peccatorum remissio. Spes quidem futuræ salutis, non ipsa salus quæ promittitur, data est nobis in baptismo; et tamen quia certa spes est, tanquam jam data esset, eadem salus salvos, inquit, nos fecit. Alio videlicet loco dicit, quia spe salvi facti sumus (*Rom.* I). Nondum ergo re, sed jam certa spe salvos nos fecit, id est salutem æternam corporis et animæ nobis dedit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, id est per ablutionem baptismi, in quo sumus a peccatorum sordibus loti, et iterum post carnalem generationem spiritaliter generati, ac vetusto homine deposito, renovati per Spiritum sanctum, ut nunc iterum percipiremus in baptismo novitatem innocentiæ, quam perceperamus in primo parente priusquam peccasset, ac deinceps ambularemus in novitate vitæ, quem Spiritum sanctum Deus Pater *effudit in nos*, id est extra fudit in nos, quid adhuc foris a paradiso sumus exsules, ut major ejus super nos clementia monstraretur. Effudit, videlicet *abunde*, id est sufficienter ad remissionem omnium peccatorum, et ad dationem virtutum. Vel abunde, id est abundantem spiritalibus donis suis, et hoc fecit *per Jesum Christum Salvatorem nostrum*, id est per operationem Jesu Christi, qui sanguine suo salvos fecit nos a peccatis nostris, et salvos adhuc faciet ab omnibus malis. Ad hoc effudit Pater in nos, id est in interiora nostra hunc spiritum, ut justificemur per eum, et *justificati* non nostris meritis, sed *gratia ipsius*, Patris, vel Spiritus sancti, *simus jam secundum spem hæredes vitæ æternæ*, etsi nondum secundum rem, id est hæreditario jure jam nunc possideamus in spe certa vitam æternam.

« Fidelis sermo est. Et de his volo te confirmare, « ut curent bonis operibus præesse qui credunt « Deo, hæc sunt bona et utilia hominibus. Stultas « autem quæstiones, et genealogias et contentiones, « et pugnas legis devita, sunt enim inutiles et vanæ. »

Fidelis est iste *sermo* quem præmisi, ut justificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ. Dignus est videlicet fide sermo de hæreditate Dei, et de spe vitæ æternæ. *Et de his volo te confirmare*, id est de his supradictis volo te non dubium esse, sed certum, et ut credant cæteri, confirmare te illos, id est ut tu confirmes alios de his prædictis, de gratia, de justificatione, de hæreditate, de spe vitæ æternæ, et his similibus. Vel volo te confirmare de his id est volo ut confirmando loquaris de his, et vehementer hæc asseras, ita ut qui te audierint, credant tibi, et curent præesse, id est studeant alios præire *bonis operibus*. Qui videlicet hæc vera esse crediderint, necesse est ut curam habeant bonorum operum, per quam hæreditas Dei et spes vitæ præparatur æternæ. Curent bonis operibus præesse aliis, id est summa cura et maximo studio laborent agere bona opera unde præbeant aliis exemplum bene operandi, et hæc agere sic studeant, *qui credunt Deo*, ut fidem operibus adornent, quia *hæc sunt bona*, id est justa et sancta, *et* sunt *utilia*, id est utilitatem æternæ remunerationis tribuentia hominibus. De his, inquam, volo ut confirmes Deo credentes, quia bona sunt et utilia; *stultas autem quæstiones* devita, quia econtra vanæ sunt et inutiles, stultæ quæstiones sunt, ubi evidenter apparet stultitia, sicut in multis hæreticorum interrogationibus, quas de Christo vel de aliis rebus faciunt ad deprecationem catholicorum, sed hujusmodi quæstiones devita; *et genealogias*, id est computationes generationum, quas Judæi faciunt, qui in eo se jactant et putant legis habere notitiam, si nomina teneant singulorum, et ab Adam usque ad extremum Zorobabel omnium generationes memoriter velociterque percurrunt, atque in supputatione annorum et in referendis nepotibus, abnepotibus, avis, proavis, doctores se credunt; et contentiones devita eorum, qui per argumentationes artis dialecticæ non ratione, sed stomacho litigantium disputant, in hoc diebus ac noctibus vacantes, ut vel interrogent, vel respondeant, vel dent propositionem vel accipiant, assumant, confirment atque concludant. Si igitur illi hoc faciunt, quorum proprie ars contentio est, quid debet facere Christianus, nisi omnino fugere contentionem? *Et pugnas quoque legis devita.* Frequenter enim accidit ut habeamus pugnas legis, non ob desiderium veritatis, sed ob jactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiunt, docti volumus æstimari, aut certe ex hoc rumusculo turpia sectamur lucra. Quid enim prodest spumantibus labiis et latratu garrire canum, cum simplex et moderata responsio possit te placare, si vera est, aut si falsa, leniter a te et placabiliter emendari? Occasione legis oriebantur altercationes, dum alii dicerent a quibusdam cibis abstinendum esse, quoniam sic fuerat in lege præceptum; et alii responderent in Evangelio esse concessum, dicente Domino: « Non quod intrat in os, coinquinat hominem (*Matth.* XII); » et aliis contendentibus totam ipsam legem oportere carnaliter intelligi et servari, aliis vero respondentibus et dicentibus non jam carnaliter, sed solummodo spiritaliter eam debere servari et intelligi. Sed hujusmodi quæstiones et genealogiæ et contentiones et pugnæ ideo sunt vitandæ, quia *sunt inutiles*, id est nec dicentibus nec audientibus prosunt; *et vanæ*, id est inanes, quia tantummodo speciem scientiæ habent.

« Hæreticum hominem post unam et secundam « correptionem devita, sciens quia subversus est, « qui ejusmodi est, et delinquit cum sit proprio ju- « dicio condemnatus. »

Hæresis Græce *ab electione* dicitur, quod unusquisque scilicet id sibi eligat, quod ei melius esse videatur. Unde stoici, Peripatetici, Academici et Epicurei, illius vel illius hæreseos appellabantur. Hæreticus ergo est, qui generalis ecclesiæ doctrinam deserens, errorem sibi perversi dogmatis eligit, quem specialiter sequatur. Et ideo hæreticus, quia

Digitized by Google

homo est humana tantum sapiens, et de Deo secundum humanas rationes disputans. Sed iste debet corripi, et si in errore perduraverit, caveri, sicut et Dominus plurimos doctores arbitrio suo dimittendos præcipit, sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi : « Sinite, inquit, illos, cæci sunt, et duces cæcorum (*Matth.* xv). » Inde est quod et Apostolus nunc hæreticum jubet vitari. Non solum, inquit, prædictas quæstiones et genealogias cave, sed et *hæreticum hominem devita post unam et alteram correptionem* vel commonitionem. Quasi dicat : « Si vides aliquem a fide errantem, commone illum rationabiliter, ut catholicam teneat fidem; et si distulit, adhuc severius corripe illum de erroris sui pravitate. Non videlicet sufficit tantum semel eum corripi vel commoneri, sed et secunda est ei adhibenda correptio, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*II Cor.* xiii; *Deut.* xvii). Si bina correptione vel commonitione noluerit resipiscere, ulterius jam illum devita, non habens cum illo participationem aliquam vel societatem, nec admonens eum, *sciens quia subversus est*. Qui videlicet, semel bisque correptus, audito errore suo, non vult corrigi, errare æstimat corrigentem; et econtrario se ad pugnas et jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere, a quo docetur. Qui ergo *hujusmodi est*, id est tam perversi erroris, et tam pravæ obstinationis, subversus est, id est a contemplatione supernorum versus ad superiora intuenda, ut terrena semper intueatur, et nihil nisi terrenum et infernum (*sic*) sapiat; *et delinquit*, id est derelinquit magis ac magis veritatem, *cum sit proprio judicio condemnatus*, id est corpore simul et anima damno sempiternæ damnationis deditus. Qui propterea suo judicio dicitur esse condemnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cæteri criminosi per sacerdotes de ecclesia propelluntur; hæretici autem in se ipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de ecclesia recedentes. Quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. Inter hæresim autem et schisma hoc distat, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma vero propter episcopalem dissensionem ab ecclesia se separet. Nullum tamen schisma est, quod non sibi aliquam confingat hæresim, ut recte ab ecclesia recessisse videatur.

« Cum misero ad te Artemam aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim. Ibi enim statui hyemare. Zenam legis peritum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis desit. Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi. »

Hæc interim quæ scribo, serva, et *cum misero ad te Artemam vel Tychicum*, tunc *festina venire ad me Nicopolim*, ut et alibi prædices, quia *ibi statui*, id est firmiter proposui *hiemare*, id est in hieme morari. Dictum est in exordio istius epistolæ : Hujus rei gratia « reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros (*supra* 5), » ut quia Cretenses nuper crediderant, recedente Paulo, et ad alias ecclesias proficiscente, non dimitterentur orphani, sed haberent apostolicum virum, qui ea quæ videbantur deesse, corrigeret. Quia ergo post fundamentum aliarum ecclesiarum necessarius erat Titus, qui ædificium substrueret, scribit ei ut cum Artemam vel Tychicum, unum scilicet e duobus qui secum fuerant, Cretam misisset, qui impleret locum ejus, ipse Nicopolim veniret, ibi se hiematurum contestans. Ex quo paternos affectus Pauli in Cretenses, a quibus idololatriæ semina primum pullulaverant, probamus. Necessarium habet Titum in Evangelii ministerium, tamen non eum ante ad se vult venire, nisi in locum ejus Artemas vel Tychicus successor advenerit, cujus doctrina et solatio Cretenses confoveantur. Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatremque superaverit, nomen accepit : νικόπολις videlicet Græce, quasi *victoriæ civitas* dicitur Latine. Dixi venias ad me et antea *præmitte Zenam legis peritum, et Apollo ita sollicite ut nihil desit illis*, id est ut nullis careant necessariis, sed secum afferant quæcunque illis necessaria, quoniam non est mihi facultas procurandi eos. Hic innuit se pauperem esse, nec terrenis rebus colligendis inhiare. De hoc Apollo dictum est Corinthiis : « Unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ (*I Cor.* i; *Act.* xviii). » Fuit autem vir Alexandrinus ex Judæis, valde eloquens et doctus in lege, episcopus Corinthiorum, quem propter dissensiones quæ in Corintho erant, ad vicinam insulam Cretam, cum Zena legis doctore putandum est transfretasse, et Pauli epistola dissensionibus Corinthiorum temperatis, rursus Corinthum remeasse, Zenam vero legis peritum vel doctorem, de alio Scripturæ loco, qui fuerit, non possumus dicere, nisi hoc tantum, quod ipse apostolicus vir fuerit, obtinens id operis, quod Apollo habuerit Christi ecclesias exstruendi. Præcipit itaque Tito, ut quoniam de Creta ad Græciam navigaturi erant, non eos faciat marsupiis indigere, sed habere ea, quæ ad viaticum necessaria sunt. Et quia poterat suboriri occulta responsio, ut non tam Titus, quam quicunque epistolæ lector hoc diceret : Et unde Tito ut viaticum non habentibus largiretur? solvit hanc quæstionem, et quasi nihil sibi opponatur elidit, dicendo : *Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi*. Nostros, suos vocat, qui in Christum crediderunt; qui, quia Christi erant, recte et Pauli et Titi appellari merebantur, habentes videlicet victum et vestitum, his contenti erant. Et ne forsitan vel epistolam Pauli (*I Tim.* vi), vel præceptum Titi facile contemnant, infructuosos vocat, quicunque evangelistis non ministraverint. *Non sint*, inquit, *infructuosi*. « Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*I Matth.* iii). » Qui ergo sanctis prædicatoribus necessaria non vult tribuere, arbor infructuosa est, et ob suam sterilitatem combustione digna. Littera

Digitized by Google

sic legitur : Illos præmitte. Sed et nostri, id est illi quos ego ad Christum converti, et tibi diutius instruendos reliqui, discant te docente, præesse bonis operibus eorum ad usus necessarios, id est parati esse semper ministrare prædicatoribus eorum quæ necessaria sunt. Vel discant præesse, id est cæteros prævenire in bonis operibus, factis ad necessarios usus prædicatorum, ut non sint infructuosi, non ministrando eis necessarios sumptus.

« Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos, « qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus « vobis. Amen. »

Salutant, inquit te, id est salutem tibi imprecantur, *omnes qui sunt mecum*. Vel solita consuetudine usus est, ut Titum ab omnibus qui secum erant, diceret salutari, vel certe proprie in Titum, quod talis esset ut amorem eorum qui cum Paulo erant, omnium mereretur. Magna videlicet est laus Titi, per Paulum ab omnibus salutari. Illi, inquit, te salutant, et tu ex nostra parte, *saluta eos qui* apud Cretam, *nos amant in fide*, non in carne. Neque enim omnis qui amat, amat in fide, sed multi sunt qui amant absque fide, amant quippe et matres filios, sed non amant in fide, et uxores maritos, sed amor ille non fidei est. Sola sanctorum dilectio in fide diligit intantum, ut etiam si ille qui dilig tur, in fide non sit, tamen sanctus in fide eum diligat. Ideo enim in fide diligit, quia credit in eum, qui pollicitus est se pro expletione mandati retributurum esse mercedem ; et infidelem quem diligit ea intentione diligit, ut efficiatur fidelis. Deinde Tito et cæteris qui cum eo erant, imprecatur gratiam Dei, dicens : *Gratia Dei cum omnibus vobis sit. Amen.* Et quomodo Isaac patriarcha benedixit filium suum Jacob (*Gen.* XXVII), et ipse Jacob duodecim patriarchas (*Gen.* XLIX), Apostoli quoque ingredientes domum dicebant : « Pax huic domui (*Matth.* X); » et si digna erat domus, requiescebat pax Domini super eam (*Luc.* X); si vero se exhibebat indignam, revertebatur ad eos qui jam fuerant imprecati : et nunc in fine epistolæ suæ Apostolus gratiam credentibus imprecatur, quæ cum voto habebat effectum, et erat in potestate credentium, si talem se benedictus, qualem benedicens imprecabatur, præbere voluisset.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

ARGUMENTUM.

Philemoni familiares litteras mittit Apostolus a Romano carcere, pro servo ejus Onesimo rogans, quia rem ipsius furatus fuerat, et ab eo ne comprehenderetur, Romam fugerat; sed ibi familiaritatem Apostoli consecutus, baptismum Christi perceperat, et in tantum se correxerat, ac doctrinam apostolicam didicerat, ut idoneus Christi prædicator efficeretur. Ideoque veniam a Philemone intendit illi Apostolus impetrare, remittens eum cum hac epistola.

CAPUT UNICUM.

« Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus « frater, Philemoni dilecto et adjutori nostro, et « Appiæ sorori charissimæ, et Archippo commili- « toni nostro, et ecclesiæ quæ in domo tua est : « Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Do- « mino Jesu Christo.

Paulus vinctus Jesu Christi scribit Philemoni. In eo quod nomen suum præmittit celeberrimum, innuit ei quod tanto viro denegare non debeat quod expetit. Apostolum vero se non dicit, quia cum impetrare veniam intendat, verba tantum blandientia oportet eum ponere, non nomen auctoritatis præferre. Non imperat, sed orat. Majoris tamen videtur supercilii, vinctum Jesu Christi se dicere, quam apostolum (*Act.* V). Gloriabantur enim apostoli, quod digni fuerant pro nomine Jesu Christi contumeliam pati. Sed necessaria est auctoritas vinculorum. Rogaturus enim pro Onesimo, talis rogare debuit, qui posset impetrare quod posceret, et mentione suorum cruciatuum Philemonem ad misericordiam flecteret, ne et dolorem super dolorem adderet, si veniam Onesimo denegaret. Non omnis autem qui vinctus est, Jesu Christi vinctus est ; sed ille tantum, qui pro Christi nomine, et pro ejus confessione vincula patitur, sicut sanguis effusus ille tantummodo martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. Scribit igitur ad Philemonem Romæ vinctus in carcere, quo tempore videntur ad Philippenses et Colossenses et Ephesios epistolæ esse dictatæ. Ad Philippenses illa ex causa primum (*Philip.* IV), quod cum solo Timotheo scribit, quod in hac epistola facit. Dehinc quod vincula sua manifesta dicit facta pro Christo in omni prætorio. Quod sit autem prætorium in ipsius epistolæ fine significat. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt. A Cæsare videlicet missus in carcerem, notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit ecclesiam. Porro et ad Colossenses principium est simile : « Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater (*Coloss.* I) . » Et in fine dicit : « Memores estote vinculorum meorum (*Coloss.* IV) ; » et idem Onesimus qui nunc Philemoni commendatur, etiam perlator ejusdem epistolæ fuit. Sic videlicet legimus : « Quæ circa

Digitized by Google

me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino, quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, et consoletur corda vestra, cum Onesimo charissimo et fideli fratre, qui est ex vobis (*ibid.*). » Hic autem Philemon, ad quem hæc epistola scribitur, Onesimi dominus est, imo frater esse cœpit in Domino, et ad Colossenses refertur quod Onesimus ex eis sit, unde ratio nos ipsa et ordo deducit, quod et Philemon Colossensis sit, et eo tempore communem ad omnem ecclesiam Onesimus epistolam tulerit quo privatas et sui commendatrices ad dominum litteras sumpserat. Est et aliud judicium, quod in hac eadem epistola et Archippus nominatur, cui hic cum Philemone scribitur: « Dicite, inquit, Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas (*ibid.*). » Quod est ministerium, quod Archippus accepit a Domino? ad Philemonem legimus, « et Archippo commilitoni nostro; » ad Ephesios etiam scribit se vinctum jn Domino (*Ephes.* III. VI), et in fine dicit : « Ut sciatis quæ circa me sunt, omnia nota vobis faciet Tychicus charissimus frater et fidelis minister, quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa me sunt, et consoletur corda vestra (*Coloss.* IV). » Tychicus autem is est, qui et ad Colossenses cum Onesimo mittitur; et eo tempore Onesimum habuit comitem, quo Onesimus ad Philemonem litteras perferebat. In quarum principio Paulus sibi Timotheum adjungit, ut epistola majorem haberet auctoritatem, quæ non ab uno scribebatur, et Philemon non solum propter Apostolum, sed propter Timotheum, qui sibi familiaris erat, faceret quod rogabatur. Paulus *et Timotheus frater* scribunt *Philemoni dilecto*, et quia dilectus est ab eis, debet eorum gratia concedere veniam Onesimo. In Græco tamen non habetur *dilecto*, sed : diligibili. Inter dilectum autem et diligibilem hoc distat, quod dilectus appellari potest et ille, qui dilectionem non meretur; diligibilis autem is tantum, qui merito diligitur. Denique et inimicos nostros diligere præcipimur (*Matth.* V; *Luc.* VI), qui sunt dilecti, sed non diligibiles. Amamus quippe illos, non quia amari merentur, sed quia Dominus hoc præcepit. Philemon vero et dilectus et diligibilis est, quia et diligitur, et diligi meretur. Philemoni, inquit, dilecto *et adjutori nostro*, id est per suam prædicationem adjuvanti nos ad disseminandum Christi evangelium; et ideo dilectus est a nobis, quia in eodem sanctæ prædicationis opere quo et nos laborat. *et Appiæ sorori charissimæ* non habenti in se falsæ aliquid et fictæ germanitatis; *et Archippo commilitoni nostro*, quem arbitror cum Paulo et Timotheo contra adversarios pro Christi nomine dimicantem, exstitisse victorem ; et propterea nunc commilitonem dicit, quod in eodem certamine bellogue superaverat, vel quod adhuc commilitaret illis in prædicatione assidua et hostium repressione. Illud quod ad Galatas scribens Apostolus ait (*Galat.* III), in Christi fide nihil referre, gentilis sit aliquis an Judæus, vir an mulier, servus an liber, etiam in hoc loco perspicuum fit. Inter duos quippe viros apostolicos, inter cooperatorem Pauli et commilitonem ejus, medium Appiæ nomen inseritur, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem sexus habere, sed meriti. Sunt qui intelligant Appiam conjugem esse Philemonis, et Archippum ejus filium. Quod satis videtur congruum, ut scilicet Philemoni tanquam patrifamilias principaliter mittatur epistola, deinde Appiæ uxori ejus et Archippo filio ejus, necnon *et ecclesiæ*, id est convocationi fidelium, *quæ est in domo ejus*, id est in familia ipsius, vel quam ipse pro Christi nomine pascit et tenet in domo sua. Uxorem et filium, et domesticam ecclesiam ideo salutat Apostolus, ut omnes pro Onesimo interveniant, et ei ex corde dimittant, quia et ipsi ab illo offensi fuerant. *Gratia*, inquit, *et pax sit vobis a Deo Patre et Domino Jesu Christo*. Gratia est, qua nullo merito, nulloque opere salvamur; pax qua reconciliati Deo per Christum sumus. Sed quoniam a Patre et a Christo gratia et pax rogatur, una Filii Patrisque natura esse vel potentia monstratur, cum id potest Filius præstare quod Pater, et id dicitur Pater præstare quod Filius. Hucusque Paulus et Timotheus Philemoni et cæteris, hinc jam solus Paulus soli Philemoni usque ad finem epistolæ loquitur.

« Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui « faciens in orationibus meis, audiens charitatem « tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu, et « in omnes sanctos, ut communicatio fidei tuæ evi- « dens fiat in agnitionem omnis boni, quæ in nobis « est in Christo Jesu. »

Multipliciter laudat Philemonem, ut postmodum facilius eum flectat ad concedendum quod rogabit. *Gratias*, inquit, *ago* et cætera, quasi dicat : O Philemon, ignoscere debes Onesimo, nec jam ullum rancorem vel odium retinere contra eum in corde tuo, quoniam es egregiæ charitatis et fidei; unde *gratias ago Deo meo*. Quomodo enim tam charitativus vir charitatem suam non extendet usque ad servum bene correptum ? Aut quomodo tam fidelis non indulgebit illi, qui eamdem fidem jam habet ? *Gratias ago* pro te *Deo*. Deo dico, *meo*, id est quasi proprio, quoniam speciali quadam excellentia præ cæteris illi servio. Gratias illi ago *semper memoriam tui faciens in orationibus meis*. Ambiguum est utrum gratias agat Deo suo semper, an memoriam Philemonis faciat in orationibus suis semper. Et utrumque intelligi potest. Qui enim præcipit aliis ut in omnibus gratias agant Deo, nullis angustiis poterat concitari, ut gratias semper Deo ipse non referret. Si autem pro sanctis et melioribus quibusque semper orabat, credibile est eum pro Philemone semper orasse, ut fides ejus et charitas,

Digitized by Google

Christi misericordia servaretur. *Gratias*, inquit, *ago semper*, vel semper sum *memoriam tui faciens in orationibus meis*, id est quotiescunque oro pro me, intermisceo et orationem pro te. Gratias ago, audiens, id est quoniam frequenter audio *charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus*. Ob hoc enim grates refero, et orationes pro te facio, quoniam sæpe narratur mihi te habere charitatem in Domino Jesu, qua diligis eum super omnia; et in omnes sanctos ejus, quos tanquam teipsum diligis, ideoque debes et Onesimum diligere, quia jam sanctus ejus est. Fidem quoque habes in Domino Jesu, et in sanctis ejus, juxta quod in Exodo legimus (*Exod.* XIV), quia credidit populus Deo et Moysi servo ejus. Quicunque credit Deo, aliter ejus fidem recipere non valet, nisi credat et sanctis ejus, id est prædicatoribus et Scripturarum sanctarum auctoribus. Nec est in Deum vera dilectio et fides, quæ in ministros ejus odio et infidelitate tenetur. Talem habes charitatem et fidem, *ut communicatio fidei tuæ fiat evidens* in bonis operibus. Vel ideo pro te oro, ut communicatio fidei tuæ, id est quod fides tua credit omnia quæ habes, debere sanctis omnibus esse communia. Fiat evidens, id est exterius videatur in opere, ut quod intus credit, foris demonstret in operis exsecutione. Et hoc faciat, proficiens *in agnitionem omnis boni*, ut scilicet bene credendo et bene operando ad hoc perveniat, ut omne bonum prout in hac vita possibile est, agnoscat, id est intelligat et a malo discernat, et quale sit sciat. Sunt enim plerique simplicium, qui faciunt opera justitiæ, et non habent eorum quæ ipsi operantur scientiam. Sed tu bona cuncta quæ feceris intellige, ut communicatio fidei tuæ fiat evidens in agnitionem omnis boni; boni dico, existentis *in Christo Jesu*. Quantis gradibus, quantisque profectibus apostolicus in altiora se sermo tendit? Habet quispiam charitatem et fidem in Deum et in sanctos ejus, sed forsitan non æquali eam in omnes lance communicat. Et communicat forsitan in omnes, sed opere non explet voluntatem. Implet aliquis et opere, sed gestorum suorum perfectam non valet habere notionem. Sit alius quoque qui et opus habeat et scientiam, sed non habet omnis boni. Multa enim juste, mansuete, studioseque perpetrans, impar est suis in aliqua parte virtutibus. At non talis Philemon, habet quippe communicationem operatricis fidei et charitatis evidentem in Deum et in omnes sanctos ejus, in agnitionem omnis boni. Quæ scilicet agnitio cum in apostolis sit, non eam putemus ob id tantum esse perfectam, quod similis sit; sed in eo totam esse, quia Christi est : ut quidquid boni et in Philemone laudatur et de apostolorum exemplo sumitur, inde bonum sit, quia de Christi fonte ducatur.

« Gaudium enim magnum habui et consolationem « in charitate tua, quia viscera sanctorum requieve- « runt per te, frater. Propter quod multam fiduciam « habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad « rem pertinet, propter charitatem magis obsecro, « cum sis talis ut Paulus senex, nunc autem et « vinctus Jesu Christi. Obsecro te pro meo filio, « quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquan- « do inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, « quem remisi tibi. Tu autem illum ut viscera mea « suscipe. »

Plenius inculcat et docet quia dixerat : « Gratias ago Deo meo semper memoriam tui faciens in orationibus meis. » Ideo, inquit, gratias ago, quoniam audita charitate tua, quam in sanctos exerces, *habui* in ea *gaudium*, non qualecunque, sed *magnum et consolationem*. Desolationem videlicet quamdam et tristitiam habueram, dum vererer ne si ad te reverteretur Onesimus, aliquid mali a te pateretur. Sed audito quod in omnes sanctos charitas tua redundaret, consolationem et gaudium habui, credens quod et Onesimo qui jam unus ex sanctis est, veniam dares. Ideo gaudium et consolationem *in tua charitate percepi quia* tanta est, quod *viscera*, id est corda *sanctorum*, quos frequenter hospitio suscepisti, *requieverunt per te*, o bone *frater*, id est tanta illis beneficia foris exhibuisti, ut etiam internus eorum affectus in bonitate tuæ charitatis requiesceret. Requiescunt videlicet mens et voluntas sanctorum per eos, qui pietatis opera sectantur, sicut et affligitur per illos, qui perverse agunt, et dignum erat agere gratias Deo pro charitate Philemonis, qui internum cordis affectum et profundos animi recessus sanctorum recipiendo refecerat. Hanc videlicet habet apostolus consuetudinem, ut semper viscera vocet, volens plenam mentis ostendere charitatem. Unde gaudens cum gaudentibus (*Philip.* IV), et cum his qui requieverant, refectum esse se credens, habet lætitiam non transitoriam et levem, et quæ fortuitu possit accidere, sed magnam et *prout erat in Philemone charitas* eminentem, quam augebat consolatio super ejusdem Philemonis charitate, descendens a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis (*II Cor.* I). Hinc ad rem venire paulatim incipit, subdendo : *Propter quod*, id est quia sæpe viscera sanctorum per te requieverunt, ego *habens in Christo Jesu*, pro quo tanta facis *multam fiduciam imperandi tibi*, id est multam certitudinem quod *si voluero* possim imperare tibi illud, *quod pertinet ad rem*, id est ad utilitatem tuam et meam, *propter charitatem* nolo imperare, id est nolo te imperiosa auctoritate cogere, sed intermisso imperio *magis*, id est potius *obsecro*, id est per sacra te precor, scilicet per fidem, per charitatem tuam te rogo, ut facias quæ postulo. Obsecro, inquam, te, *cum sis talis ut Paulus senex*, id est quia es talis qualis ego Paulus senex, id est tam provectus ætate corporis sicut ego; et ideo non impero tibi, sed te obsecro, quia senes non sunt imperio cogendi, sed obsecratione rogandi, sicut in alia epistola dictum est : « Seniorem ne increpa-

Digitized by Google

veris, sed obsecra ut patrem. (*I Tim.* v). » In hoc ipso senem Apostolus se nominat, et illam in senectute sibi æquiparat, ne senem offendere negando quod possit debeat, cum et ipse sit senex, liquido notat. Senex, inquit, sum, nec tantum senex, sed etiam *nunc vinctus* sum, id est catenis in senectute constrictus, ideoque magis annuere debes petitioni meæ, ut sic quodammodo lenias vinculorum meorum aggravationem; vinctus, inquit, sum et vinctus *Jesu Christi*, id est pro ejus Evangelio vinculis mancipatus. Et propterea non me contristes, ne et illum offendat cujus vinctus sum. Multis in Philemonem laudibus ante præmissis, cum sit talis res pro qua rogaturus est, quæ et præstanti sit utilis et roganti, poterat Paulus magis imperare quam petere. Et hoc ex fiducia illa veniebat, quod qui tanta ob Christum opera perpetraverat, utique impar sui in cæteris esse non poterat. Sed vult magis petere quam jubere grandi petentis auctoritate proposita, per quam et apostolus supplicat, et senex, et vinctus Jesu Christi. Totum autem pro quo rogat, hoc est, sicut et in exordio prælibavimus: Onesimus servus fugam furto cumulans, quædam ex bonis domini sui tulit, et pergens ad Italiam, ne e proximo facilius posset apprehendi, pecuniam domini prodige dissipavit. Hic igitur, cum ob confessionem Christi Paulus esset in carcere, credidit in Dominum Jesum, et ab eo baptizatus, digna pœnitentia maculas vitæ prioris abstersit, in tantum ut is apostolus conversionis ejus testis fieret, qui quondam Petrum increpaverat non recto pede in Evangelii veritate gradientem (*Galat.* II). Quantum igitur ad peccatum et ad facinus pertinet, quo Dominum læserat, veniam non meretur. Quantum vero ad Apostoli testimonium, qui scit eum plene esse conversum, grandi pondere premitur qui rogatur ut veniam non neget, qui e servo fugitivo atque raptore minister Apostoli factus erat. Quod autem aliud habebat Apostolus ministerium, nisi evangelii Jesu Christi, ut non quasi a domino, sed quasi a converso et coevangelista ignosceretur ei, qui servus esset Christi, similiter et minister? hoc est itaque quod rogat, subdens: *Obsecro te pro meo filio*, et cætera. Quasi dicat: Dixeram, propter charitatem magis obsecro, et non manifestaveram pro quo, vel quid obsecrem te. Sed nunc scias, quia obsecro te pro filio meo, id est proprio et quasi singulariter dilecto, *quem* spiritaliter *genui in vinculis* positus. Et quia ille vincula mea non abhorruit, sed animosius fidem suscepit, condonandum est ei quod prius erravit. Modo primum nominat ipsum filium, pro quo postulat, præmissis multiplicibus causis, cur debeat impetrare quod pro illo rogat, scilicet pro *Onesimo*, inquit, obsecro. Et cur pro illo sit obsecrandum, subjungit: *Qui tibi aliquando inutilis fuit*. Ideo, inquit, pro illo obsecro, quia aliquando, id est olim fuit tibi inutilis, id est, non quærens utilitatem tuam, sed damnum, cum pecuniam tuam furaretur, et fugeret. Sed *nunc est utilis tibi et mihi* ideoque debes illi ignoscere *quem remisi tibi* ut a te veniam peteret, et tibi satisfaceret, tuoque servitio deditus esset. Domino tantum antea inutilis fuit. Neque enim servus fur atque fugitivus alteri nocuit nisi domino suo. Nunc econtrario utilitas compensatione, qua et ipsi domino et Paulo utilis est, cæterisque per Paulum, plus charitatis meretur quam odii ante meruerat. Unde ait: *Qui tibi aliquando inutilis fuit*. Tibi, inquit, soli, non cæteris, nunc autem tibi et mihi utilis. Utilis domino suo, quia posset Paulo servire pro domino suo. Paulo vero in eo utilis, quia illo in carcere vinculisque detento, posset in Evangelio ministrare, id est, Evangelium pro illo foris prædicare. Simul autem admirandum de magnanimitate Apostoli et in Christum mente ferventi. Tenetur carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, et non sentit injuriam, non dolore cruciatur, nihil novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare. Sciebat servum, sciebat fugitivum, sciebat aliquando raptorem ad Christi fidem esse conversum. Grandis laboris est, talem hominem in eo perseverare quod cœpit. Idcirco filium suum et filium vinculorum suorum et ministrum Evangelii in vinculis constituti inculcat ac replicat, ut Philemon illo prudenter et dispensatorie tantum in præfatione laudatus, non auderet negare, ne suis laudibus videretur indignus. *Remisi*, inquit, *illum tibi*, id est iterum misi ad te unde discesserat, quoniam alieno servo nolebam abuti. Sed tu non repellas eum vel affligas, sed *suscipe*, id est sursum accipe illum, hoc est, honorifice illum accipe, illum dico, *viscera mea*, hoc est quod supra diximus viscera significare internum cordis affectum, et plenam ex animo voluntatem, cum totum quidquid in nobis est, suscipitur a rogante. Alioquin autem omnes liberi viscera sunt parentum.

« Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te « mihi ministraret in vinculis Evangelii. Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut « ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. »

Remisi illum ad te *quem primo volueram detinere mecum ego* tanti nominis et auctoritatis apostolus, qui satis auctoritate mea possem illum detinere. Ad hoc, inquam, eum detinere volueram, *ut mihi necessaria ministraret pro te*, id est loco tui qui mihi solebas ministrare, ut illud servitium quod ipse mihi impenderet, tibi imputarem et tu inde fructum æternæ remunerationis colligeres. Mihi dico, in *vinculis* posito, et ideo multum indigenti ejus ministerio, in vinculis dico *Evangelii*, id est, quæ pro Evangelio patior, non pro crimine meo. His de causis volueram eum detinere. Sed postea mecum retractans, *nihil* de servo tuo *volui facere sine tuo consilio*, id est sine tuo nutu et communi voluntate, *uti ne velut ex necessitate*, id est ut non quasi ex necessitate *esset bonum tuum*, id est ut non esset invitum bonum tuum *sed voluntarium*, id est ex tua

Digitized by Google

voluntate procedens. Bonum Philemonis erat ministerium quod servus ejus pro eo exhibebat Apostolo. Qui scilicet Apostolus poterat et absque voluntate Philemonis Onesimum sibi in ministerio retinere. Sed si hoc sine ipsius voluntate fecisset, bonum quidem erat, sed non voluntarium. Quod autem non erat voluntarium, alio genere arguebatur non esse bonum. Nihil quippe bonum dici potest, nisi quod ultroneum est. Ex quo apostoli consideranda prudentia, quod idcirco fugitivum servum remittit ad dominum, ut prosit domino suo, qui prodesse non poterat, si domino teneretur absente et invito. Potest etiam ex hoc loco solvi, quod a plerisque semper quæritur, quare Deus hominem faciens ad suam imaginem et similitudinem, facere eum ita noluit ut malus esse non posset. Si enim Deus voluntarie, et non ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens ad suam imaginem et similitudinem, facere ut ipse voluntarie et non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri, ut malum recipere non posset, hoc dicunt : Talis fieri debuit, qui necessitate bonus esset et non voluntate. Quod si talis factus esset, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. Ex quo manifestum est, rem eos postulare contrariam. Nam ex eo quod dicunt : Debuit homo similis Deo fieri, illud petunt, ut liberi fieret arbitrii sicut ipse Deus est. Ex eo autem quod addunt : Talis debuit fieri, qui malum recipere non posset,—dum necessitatem ei boni important, illud, ut homo similis Deo non fieret, volunt. Solvitur ergo ista quæstio : Potuit Deus sine voluntate ejus hominem facere bonum. Porro si hoc fecisset, non erat bonum voluntarium, sed necessitatis. Quod autem necessitate bonum est, non est bonum, et alio genere malum arguitur esse ; igitur proprio arbitrio nos relinquens, magis ad suam imaginem et similitudinem fecit. Similem enim esse Deo absolute bonum est.

«Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut « in æternum illum reciperes, jam non ut servum, « sed pro servo charissimum fratrem maxime mihi. « Quanto autem magis tibi et in carne et in Do« mino? »

Nonnunquam malum occasio fit bonorum, et hominum prava consilia Deus vertit ad rectum. Quod dico, manifestius exemplo fiet : « Joseph fratres sui, stimulis invidiæ concitati, vendiderunt Ismaelitis (*Gen.* XXXVII); » hoc initium patri et fratribus et toti Ægypto bonorum omnium fuit. Denique ipse fratribus postea dixit : « Vos cogitastis de me malum, et Deus vertit illud in bonum (*Gen.* L). » Simile quid et in Onesimo possumus intelligere, quod mala principia occasiones fuerint bonæ rei. Si videlicet dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vinctus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, fidem Christi non recepisset. Si Christi fidem non habuisset, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur : ex quo gradatim colligitur, quod ideo minister Evangelii factus est Onesimus, quia fugit a domino. Et hoc est quod dicitur : Debes illum honeste et libenter suscipere, quia *forsitan ideo ad horam*, id est ad breve tempus *discessit a te, ut in æternum illum recipe-res*. Pulchre autem addens *forsitan*, sententiam temperavit. Occulta quippe sunt judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare quod dubium est. Forsitan, inquit, ideo discessit, caute, timide, trepidanter loquens, et non totum fixo gradu, ne si non posuisset *fortisan*, omnibus servis fugiendum esset ut apostolici fierent. Forsitan idcirco discessit a tuo servitio non diu, sed ad horam, id est quasi ad unius horæ spatium, ut pro tam brevi recessione reciperes illum in æternum, id est æternaliter tecum permansurum, qui tantummodo temporaliter erat tecum mansurus nisi recessisset ; hoc est, fortasse Deus prævidit et eum a te ad horam, id est ad breve tempus discedere secreto consilio voluit, ut tu qui non eras illum æternaliter tecum habiturus, si non discederet, ut ad me perveniens fidem acciperet, reciperes illum habitaturum tecum non horarium sed æternum. Cum enim eamdem fidem ac religionem teneat quam tu, hic et in futuro tecum semper erit, qui perenniter a te separandus erat et suppliciis mancipandus, si non ad horam discessisset, ut infidelitatem lexueret. Licet hæc Apostolus quasi dubitative dixerit, tamen ita veraciter completa sunt ut pronuntiavit. Nam Onesimus iste, sicut ex litteris patris didicimus, factus est postea pontifex et martyr gloriosus. Reciperes, inquam, in æternum, *jam*, id est post acceptum libertatis spiritum in baptismo, *non ut servum* sicut prius, *sed pro servo fratrem*, quia cœpit eumdem in cœlo tecum habere patrem. Fratrem non qualemcunque, sed *charissimum* cunctis ecclesiæ filiis, qui sanctitatem quam nunc habet noverunt ; sed *maxime*, id est multo plus quam aliis est charissimus *mihi*, qui magis novi quos chariores æstimare debeam et qui magis hujus perfectam conversionem scio quam alii. Et mihi quidem pro sola spiritali fraternitate tam excellenter charus est, sed *quanto magis*, id est valde amplius debet esse *tibi* charissimus, *et in carne*, id est respectu carnis, quia tibi carnale servitium debet, utpote servus, *et in Domino*, id est in respectu Domini, quia ejus per fidem factus est filius et regni ejus particeps est tecum futurus. In eo quod ait, ut æternum illum reciperes, notandum est, quod nullus sit æternus dominus servi sui. Potestas quippe ejus et utriusque conditio morte finitur. Onesimus vero ex fide Christi factus est æternus æterno Philemoni ; et spiritu libertatis accepto, jam non servus, sed frater cœpit esse de servo ; frater, pro sanctitate sua charissimus, frater æternus æterno et ipsi apostolo et domino suo, cui Onesimum ut carnis ante conditio, illum postea spiritus copulabat. Et tunc quidem quando erat ei subjectus in carne, non erat ei junctus in Domino, nunc au-

Digitized by Google

tem et in carne junctus est, in Domino. Ex quo intelligimus, servum qui crediderit in Christum, si dominus ejus fidelis est, duplici lege eidem domino suo constringi, ut ei et carnis necessitate jungatur ad tempus, et in æternum spiritu copuletur.

« Si ergo me habes socium, suscipe illum sicut « me. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet, hoc « mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu, ego « reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi « debes. Ita frater, ego te fruar in Domino, refice « viscera mea in Christo. »

Quando quidem tam bene emendatus est Onesimus, et intantum factus est mihi charissimus, *ergo suscipe illum* reverenter *sicut me*, id est quam accurate, quam studioso hospitio et animo tuo me susciperes, si venirem ad te, sic illum suscipe, ita dico, *si habes*, id est si habere vis *me socium*, id est consortem et amicum. Aliter videlicet non ero tibi socius. Philemon Paulum socium habere cupiebat, et in Christum credens, tales utique volebat habere profectus, ut Paulo similis fieret, et ei communicaret in vinculis. Consideremus ergo quantum hic laudetur Onesimus, quantum profecisse monstretur, cum ita recipiendus sit ut apostolus, et sic dominus ejus ut Pauli debeat desiderare consortium. Breviter quod dicit, tale est : Si me vis habere consortem, habeto Onesimum, quem ego consortem et filium et viscera mea habeo. Quem si non susceperis, nec habere volueris, scias quod me habere non possis. Suscipe, inquam, illum sicut me. Sed *si nocuit tibi aliquid* destruendo ex rebus tuis, sicut vineam eradicando, vel domum incendendo, vel aliud aliquid tale committendo, quod sæpe faciunt fugitivi, aut si debet tibi aliquid, id est si quid pecuniæ tuæ secum tulit, quod debeat tibi restituere, hoc quod ille nocuit, vel debet *imputa mihi*, id est puta in me esse, non in illo nocumentum et debitum, ut ego reddam illud tibi pro Onesimo, sicut et Christus pro nobis in passione quod non debebat, exsolvit. *Ego Paulus*, qui tam famosi nominis sum, et tam probatus in veridica locutione, *scripsi* non per notarium, sed *mea propria manu* epistolam istam, in qua me redditurum promitto quod ille debet, *ego* videlicet *reddam*. Et hoc ita dico *ut non dicam tibi* aliud, quod juste possem dicere, scilicet *quod debes mihi etiam teipsum*, id est non solum tua, sed quod est majus, etiam teipsum mihi debes, ut si necesse fuerit, reddas mihi teipsum moriendo pro me, quoniam quidquid boni est in te, totum est per fidem, quam didicisti a me; et ideo totum mihi debetur, quidquid bonorum est in te. Quod dicit, tale est : Quod Onesimus furto rapuit, ego me spondeo redditurum, hujus sponsionis epistola hæc et manus testis est propria, quam non solito more dictavi, sed mea manu ipse conscripsi. Crede igitur mihi, pro Onesimo pollicenti. Hoc autem dico quasi ad extraneum loquens. Cæterum si ad jus meum redeam, propter sermonem Christi quem tibi evangelizavi et Christianus effectus es, teipsum mihi debes. Quod si tu meus es, et tua omnia sunt mea. Si autem tua omnia mea sunt, Onesimus quoque qui tuus est, meus est. Poteram igitur eo uti ut meo, sed voluntati tuæ relinquo, ut mercedem habeas ignoscendo. Quod autem ait : *Ego reddam*, non de pecuniali, sed de spirituali redditione, id est de cœlesti remuneratione intelligendum est, scilicet quod suis intervenientibus impetraturus sit perpetuam a Domino retributionem spiritalium bonorum pro temporali damno, quod pertulit ab Onesimo. Suscipe, inquam, illum sicut me, quia quod ille debet, ego spiritaliter reddam. *Ita, frater*, in illa cœlesti retributione *ego te fruar*, id est in te delectabor *in Domino*, id est in illa beatitudinis gloria quæ est sanctis in Domino. Et ideo nunc *refice viscera mea*, id est benigne refove Onesimum, et hoc age *in Christo*, id est in Christi charitate. Vel *refice viscera mea*, id est recrea internum affectum meum, et comple desiderium meum in Christo, dando veniam Onesimo, et honorifice jam illum habendo. Quod dicitur : *Ita, frater*, in Græco est quasi adverbium blandientis, sed in Latina lingua proprie non potest dici. Significat enim deprecantis affectum. *Ego*, inquam, *te fruar in Domino*. Cum homine in Deo fruetur, Deo potius quam homine fruetur; illo enim fruetur, quo efficietur beatus, et ad Deum se pervenisse lætabitur, in quo spem ponit ut veniat. Recte ergo dicit, ego te fruar in Domino, quod si non addidisset, in Domino, et tantum te fruar, dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. Quamquam etiam vicinissime dicitur frui, cum delectatione uti. Cum videlicet adest quod diligitur, etiam delectationem secum gerat necesse est. Per quam si quis transierit eamque ad illum in quo permanendum est, retulerit, utitur ea; et abusive, non proprie dicitur frui. Si vero inhæserit atque permanserit, finem in ea ponens lætitiæ suæ, tunc vere et proprie frui dicendus est. Quod non est faciendum, nisi in illa Trinitate quæ est summum et incommutabile bonum. Apostolus itaque Philemone fruitur in Domino, habens eum secum in illa contemplatione Creatoris, in qua est perfecta consummatio delectationis et gaudium justorum. Qui et viscera sua Onesimum, quem et superius eodem nomine appellaverat, refici vult per Philemonem. Et ambigue dictum est, utrum viscera Pauli in Christo Onesimus sit, an viscera Pauli Onesimus per Philemonem in Christo reficienda sint. Si superius accipere voluerimus, recte Pauli in Christo viscera dicetur Onesimus, quem in Christi vinculis genuit; si posterius, in Christo reficiendus est Onesimus a Philemone, ut ejus in Christo sermonibus erudiatur.

« Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens « quoniam et super id quod dico, facies. »

Reficere debes viscera mea, nam ego *confidens in obedientia tua*, id est omnino fiduciam habens et certus existens, quia in hac re mihi obedies, sicut in cæteris semper obedire consuevisti, *scripsi tibi* de Onesimo, ut ignoscas ei et suscipias illum sicut me.

Digitized by Google

Hæc, inquit, scripsi tibi, *sciens quoniam et facies super id quod dico*, vel plus dabis quam peto, et ultra id quod rogo facies, atque amplius quam postulo concedes. Qui præsumit de eo quem rogaturus est, ipsa quodammodo præsumptione præjudicat quod rogat. Porro, si scit ille qui postulat, plusquam rogavit, rogatum esse facturum, in Deo majora petit, ut habeat rogatus spontaneam voluntatem et majorem ex præstatione mercedem. Si autem Philemon hoc ob hominis præceptum facit, quanto magis faciet ob dilectionem Dei? Unde et merito Apostoli voce laudatur, quod mandata ejus opere prævenerit, et possit dicere : « Voluntaria oris mei complaceant tibi, Domine (*Psal.* CXVIII), » ut plus faciens quam ei præceptum est, vincat eos qui tantummodo imperata faciunt. Nam et virginitas idcirco majori B præmio coronabitur (*I Cor.* VII), quia præceptum Domini non habet, et ultra imperata se tendit.

« Simul autem et para mihi hospitium. Nam spe« ro per orationes vestras donari me vobis. »

Non solummodo suscipias Onesimum sicut me, sed *et mihi para simul hospitium. Nam spero* quod Deus adhuc per orationes vestras dabit me vobis, ut liberatus ab hoc carcere, revertar ad vos, et iterum vos aliosque doceam. Non puto tam divitem fuisse Apostolum et tantis sarcinis occupatum, ut præparato egeret hospitio; et non una contentus cellula, ædes amplissimas quæreret; sed ut dum eum exspectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est, ne forte cum venerit C erubescat. Si autem hic non dispensatorie, sed vere quis æstimat imperatum, ut sibi hospitium præparet, apostolo magis quam Paulo hospitium præparandum est. Venturus enim ad novam civitatem prædicaturus crucifixum, et inauditum dogma delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros. Et necesse erat primum ut domus in celebri esset urbis loco ad quem facile conveniretur; deinde ut ab omni importunitate vacua esset ac ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima spectaculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis, postremo ut in plano potius esset sita, quam in cœnaculo. Quam ob causam eum æstimo et Romæ in conducto mansisse biennio, nec parva (ut reor) erat mansio, ad quam Judæorum turbæ frequenter confluebant. C Spero, inquit, *per orationes vestras donari me vobis*, Filium patri Deus rogatus indulget, et frater sæpe oratione fratris servatur. Apostolus vero totius Ecclesiæ precibus conceditur, ob eorum qui eum audituri sunt utilitatem; et hoc donum non tam in eum dicitur esse, qui differtur a martyrio, ad martyrium paratus, quam in eos ad quos Apostolus mittitur. Quod autem crebro Paulus in carcere fuerit, et de vinculis liberatus sit, ipse in alio loco dicit : « In carceribus abundantius (*II Cor.* XI). » De quibus nonnunquam Domini auxilio, crebro ipsi persecutoribus nihil dignum in eo morte invenientibus, dimittebatur. Necdum enim super nomine Christiano senatus-consulta processerant, necdum Christianum A sanguinem Neronis gladius dedicaverat; sed pro novitate prædicationis, sive a Judæis invidentibus, sive ab his qui sua videbant idola destrui, ad furorem populis concitatis, missi in carcerem, rursum impetu et furore deposito, laxabantur. Et hæc ita esse ut dicimus, apostolorum Acta testantur, in quibus et Agrippa loquitur ad Festum, potuisse dimitti Paulum si non appellasset Cæsarem (*Act.* XXVI); et Festus ad Agrippam, quia nullam invenerit causam præter quæstiones quasdam de religione propria, et de quodam Jesu quem Paulus vivere prædicabat. (*Act.* XXV). Ex quo animadvertimus et a cæteris judicibus similiter eos potuisse dimitti id agente Domino, ut in toto orbe nova prædicatio disseminaretur, propter quod et nunc dicit Apostolus se sperare quod possit adhuc dari fidelibus per B orationes eorum.

» Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chri« sto Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, « adjutores mei. »

Id quod principio dicebamus, quoniam ad Colossenses epistola eodem in tempore et per eumdem esset scripta bajulum litterarum, quo et ad Philemonem quoque scripta est, etiam eorum qui salutantes inducuntur, nomina docent. Nam et in ipsa subscribitur : « Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, et Epaphras qui est e vobis servus Christi; » et paulo inferius : « Salutat vos Lucas medicus charissimus et Demas; et dicite Archippo : Vide ministerium C quod accepisti in Domino, ut illud impleas. » Et : « Memores estote vinculorum meorum (*Colos.* IV). » Si autem ex eo aliquis non putat pariter scriptas, quod ad Colossenses pauca sint nomina quæ hic non ferantur ad scripta, sciat non omnes omnibus aut amicos esse, aut notos; et aliud esse, privatam ad unum hominem, aliud, publicam ad universam Ecclesiam epistolam fieri. *Salutat te* ergo, inquit, *Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu*, de hoc Epaphra dictum est Colossensibus : « Cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo et conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu (*Coloss.* I). » C Quem et concaptivum suum in Christo dicit nunc Apostolus, quia cum eo Romæ tenebatur pro Christi Evangelio captus ac vinculis astrictus. Marcum vero quem subjungit, crederemus illum esse qui scripsit Evangelium, nisi ad Colossenses diceretur consobrinus Barnabæ, ideoque magis credimus hunc esse Marcum, pro quo inter Paulum et Barnabum fuerat olim dissensio, id est Joannem qui cognominatus est *Marcus;* et sic ex societate Barnabæ melioratum, ut dignus esset Paulo adhærere, qui quondam ab eo fuerat rejectus. Aristarchus autem, quem et ad Colossenses concaptivum suum Apostolus scribit (*Colos.* IV), Thessalonicensis erat, et comitatus est eum Hierosolymis ascendentem, atque inde cum eo ipse et Lucas Romam sunt missi, sicut et eccle-

Digitized by Google

siastica historia meminit. *Demas* vero ipse est, de quo ad Timotheum queritur Apostolus : « Demas me dereliquit, diligens hoc sæculum, et abiit Thessalonicam (*II Tim.* IV). » Qui fortasse postmodum pœnitentia ductus, et in Christo confortatus, rediit ad Apostolum, aut, si non est ad eum reversus, tunc constat hanc epistolam prius esse scriptam, quam scriberetur ad Timotheum secunda. *Lucas* autem medicus charissimus, ipse est frater ille gloriosus, « cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias (*II Cor.* VIII). » Qui Evangelium et Actus apostolorum Ecclesiis derelinquens, quomodo apostoli de piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, ita de medico corporum in medicum est versus animarum. Cujus scripta quotiescunque leguntur in ecclesiis, toties ejus medicina non cessat. Hujus autem epistolæ talis est terminatio : A B

« Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu « vestro. Amen. »

Sicut a meliori parte hominis, id est capite dinumeratur populus Israel, dicente Scriptura, secundum capita eorum, ita in toto quidem homine et omni parte sanctorum gratia est Domini nostri Jesu Christi, sed a majori et meliori parte, id est spiritu per synecdochen de toto homine dicitur : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.* Cum autem in spiritu gratia Domini fuerit, totum facit hominem spiritualem, ut et caro spiritui serviat, et anima non vincatur a carne; et redacta simul in substantiam spiritalem, adhæreat Domino, quoniam qui adhæret Domino, unus spiritus est.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

ARGUMENTUM.

Paulus in Italia positus, Hebræo sermone scripsit hanc epistolam et misit Judæis ad fidem Domini Jesu conversis, et in Judæa post veritatis agnitionem conversantibus, intendens principaliter eos in puritate fidei Christianæ confirmare, et a legalibus observantiis quibus adhuc detinebantur, prorsus avellere. Putabant enim fidem Christi solam sine admistione legalium cæremoniarum ad beatitudinis consecutionem nullatenus esse sufficientem, sed utrumque simul dicebant ad salutem esse necessarium. Nullum namque in fide Christi sine legali observatione, vel in legis observantia sine fide, dignum vitæ perpetuitate judicabant. Et apostolus eorum beatus Petrus permisit eos adhuc in legalibus cæremoniis vivere; timens ne, si carnales observantias illis omnino auferret, et ab operibus legis in quibus semper vixerant, removeret, potius a fide Domini Jesu recederent, quam legem desererent. Consideravit enim quod si ad fidem Salvatoris converterentur, atque post fidem et veritatis meritum inutilitas signorum et umbræ manifestaretur eis, facilius ab errore illo revocari possent, quam si primo auditu diceretur eis, ut a legis operibus omnino cessarent. Et quod tunc Petrus prævidit posse fieri, nunc Paulus aggreditur facere. Timebat enim ne fides eorum, quæ nimis imperfecta erat, et conversio ipsorum inanis fieret et superflua. Ideoque scribit eis per multas rationes de eminentia Christi et inutilitate legis, ad ultimum et de moribus instruit. Studet enim, ut dictum, est persuadere illis fidem Salvatoris sine carnalibus observantiis ad vitam æternam sufficientem esse, et ut ulterius carnalibus observantiis non insistant, sed in fide Christi justificationis et salvationis suæ fiduciam ponant. Quod autem hæc epistola superscriptionem solitam non habet, id est Paulus apostolus, ista ratio est, quia præjudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne dicta ejus susciperent; et idcirco prudenter declinavit, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, ejus lectio repudiaretur; et quia a Domino omnipotente Paulus dicitur missus ad gentes præcipue, non ad Hebræos. Pro humilitate ergo Paulus, qui ad gentes fuerat destinatus, non scribit semetipsum Hebræis apostolum, vel propter honorem Domini, qui se missum dixerat ad oves domus Israel (Matth. XV), vel quia gentium videbatur apostolus, et non Hebræorum. Nam neque fidem, neque aliud quidquam illis contulerat. Interpretantur autem Hebræi transitores vel transeuntes. Et quicunque radicem cordis in amore præsentis mundi non plantavere, sed assiduis desideriis ad superna transeunt; qui peregrinationem terræ non diligunt pro habitatione patriæ, sed veram patriam inquirunt, ipsi sunt vere Hebræi, et ad se scriptam esse credant hanc epistolam. In qua Apostolus primum proponit audienda esse Verba Christi, conferendo cum prophetis, quia in eo locutus est Deus ut in prophetis, et major est eis, sic enim dicit : C D

CAPUT PRIMUM.

« Multifariam multisque modis olim Deus loquens « patribus in prophetis novissime diebus istis locu« tus est nobis in Filio. »

Multifariam, id est multis locutionum generibus aliquando manifeste, aliquando obscure, aliquando proprie, aliquando figurate, aliquando per angelum, aliquando per occultam inspirationem, aliquando Hebraice, aliquando Chaldaice, aliquando blandiens, aliquando terrens, locutus est Deus; *et multis modis*, id est diversis et variis actionum generibus, quia non solum dicta prophetarum, sed et omnia facta eorum prænuntiavere ea, quæ nostris temporibus

Digitized by Google

erant futura. Et quam varia sint et quam multa prophetarum gesta, quæ referuntur in Scripturis, quis facile noscat? Et in omnibus illis patrum gestis locutus est futura. Nam de verbis eorum quæ multa sunt, atque diverso et multiplici genere locutionum prolata, non est dubium quin ipse ea locutus sit. Ita ergo multifariam et multis modis et qualitatibus *olim*, id est in antiquis temporibus, *loquens Deus patribus*, qui nos carnaliter genuere, et fidem suam de Christo nobis reliquere. Et loquens eis *in prophetis*, quia ipse in cordibus eorum dixit, quidquid illi foras vel dictis vel factis locuti sunt hominibus. Nec vacat quod dicit, loquens olim, et jungit præsens cum præterito. Nam ea quæ locutus est patribus in prophetis, omnia nobis usque hodie loquitur in Scripturis, ut sicut ipsi, ita et nos credendo ea et opere complendo vitam consequamur æternam. Potest et de solis verbis intelligi, quod ait, multifariam multisque modis. Multifariam, id est multis locutionibus, multisque modis, id est multis locutionum qualitatibus, olim Deus Pater loquens patribus, qui in carne et in fide nos genuere; *novissime*, id est in fine temporum, quando jam alia non sequitur Dei locutio, quoniam in hac continetur omnis perfectio sanctitatis et justitiæ, *diebus istis*, id est tempore istorum hominum, qui adhuc in carne vivunt, *locutus est nobis in Filio* suo, quia quidquid foras Christus locutus est hominibus, Pater in eo loquebatur intus. In prophetis fuit Deus secundum inhabitationem gratiæ et revelationem voluntatis sapientiæ suæ, in Filio autem omnino totus manebat, scilicet usquequaque mentem et rationem illius illuminans, ut nihil sibi deesset ad perfectionem animæ, utpote cui sapientia Dei personaliter erat unita. Et qui loquebatur in prophetis, quod in eis loquebatur patribus nostris, hoc nobis ad ultimum locutus est in Filio suo; et ideo verba Filii non minoris auctoritatis sunt, quam prophetarum; imo majoris, quia illi sunt servi, iste Filius in quo Pater locutus est; novissime, quia post istam nulla alia futura est locutio. Illa enim quæ, facta est Moysi, non fuit novissima, quia tantum posita fuit usque ad tempus correctionis, et ideo quandiu durabit hæc novissima locutio, id est Novum Testamentum, pro certo durabit fides nostra, quia in aliud non poterit transmutari, quod nobis plus valeat ad acquisitionem vitæ cœlestis (*infra* IX). Et ut diligentius observentur ea quæ locutus est Filius, transfert se Apostolus commendationem ejus secundum utramque naturam, dicens :

« Quem constituit hæredem universorum, per « quæ fecit et sæcula. Qui, cum sit splendor glo- « riæ et figura substantiæ ejus, portansque om- « nia verbo virtutis suæ, purgationem peccato- « rum faciens, sedet ad dexteram majestatis in « excelsis. »

Ostendit videlicet quantus sit Filius, in quo Pater A locutus est hominibus, ut cognita magnitudinis ejus dignitate, fides de eo sufficiens esse ad salutem æternam cognoscatur. *Quem* ipse Pater secundum humanitatem *constituit* jam immutabilem *hæredem universorum*, id est possessorem omnium creaturarum, atque totius mundi Dominum, ut jam non sit tantum Jacob funiculus hæreditatis ejus, sed fiat quod scriptum est : « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (*Psal.* II). » Unde patet quia omnes in eum debent credere. Et *per quem*, secundum quod verbum Patris est, ipse Pater *fecit* non solum æterna, quæ minus sunt etiam nobis nota, sed *et sæcula*, id est omnia mutabilia, quæ variari cernimus per tempora. Sæculum enim a sequendo dicitur, eo quod semper sit B in motu, quia semper aliquid præcedit, et aliud sequitur : Et cum sæcula per Filium facta sint, manifestum est eum esse Creatorem hominis et omnium reliquorum, quæ in cœlis facta sunt. *Qui* Filius post laborem militiæ et obedientiæ suæ sedet, id est requiescit, nihil ultra laboris sustinens, ad dexteram paternæ majestatis. Et jure secundum humanitatem exaltatus est ad dexteram Patris *cum sit* secundum divinitatem eidem Patri coæternus et coæqualis. Est enim *splendor gloriæ et figura substantiæ ejus*. Splendor gloriæ quasi lumen de lumine, Pater enim est gloria, sicut idem Filius ei canit in Psalmo : « Gloria mea, et exaltans caput meum (*Psal*, III). » Et hujus gloriæ, id est Patris splendor est Filius, quia a Patre est, sicut splendor C de sole, et coæternus est Patri, sicut splendor coævus soli. Nam, sicut natura non patitur ut sit unquam sol sine splendore, et ignis sine calore, ita Pater nunquam potuit esse sine sapientia sua; et sicut sol non est a splendore, nec ignis a calore, ita Pater non est a Filio, sed Filius a Patre; et sicut splendor ostendit illud cujus est splendor, ita Filius manifestat Patrem cujus ipse est sapientia; et sicut substantialiter splendor in sole est, et sol in splendore, ita substantialiter Filius in Patre est et Pater in Filio. Et quia posset esse coæternus, et tamen non esset eadem substantia, addit, *et figura substantiæ ejus*, per quod ostenditur consubstantialis Patri. Quia est figura substantiæ ejus, id est expressa si- D militudo ejus, non secundum exteriora, sed secundum substantiam. Figura substantiæ ejus est, id est forma et imago substantiæ ejus, quia quantus est Pater, tantus et ipse; qualis est Pater, talis est ipse, cujus substantiæ est Pater, ejusdem et ipse, quod est Pater, hoc et ipse. Filius enim, qui est sapientia Patris, per hoc quod ipsum revelat et facit cognosci, figuram substantiæ ejus exprimit, cum semetipsam primum describit eadem sapientia, et sic Patrem manifestat (228). Cum enim æternitas Patris cernitur a nobis, prout infirmitatis nostræ possibilitas admittit, imago ejus mentis nostræ oculis antefertur, quia, cum vere in Patrem tendimus, hunc quan-

(228) Locus obscurus.

Digitized by Google

tum accipimus per suam imaginem, id est per Filium, videmus et per eam speciem, quæ de ipso sine initio nata est eum aliquo modo cernere, qui nec cœpit, nec desinit, conamur, et hæc est figura expressa substantiæ Dei. Unde idem Filius dicit : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV), » et : « Qui videt me, videt et Patrem (*ibid.*). » Qui et portat *omnia*, id est sursum tenet ne decidant, et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant et sustentat ea non labore, nec difficultate, sed *verbo virtutis suæ*, id est imperio suæ potentiæ, hoc est sola voluntate sua, quæ in eo virtus est et omnipotentia, per quod patet, quia Patri compotentialis est. Et est *purgationem peccatorum faciens*, quia sanguine suo nos a peccatis mundat. Commonet Apostolus crucis ejus et mox resurrectionis et ascensionis. Nam, postquam fudit in cruce sanguinem, ut faceret peccatorum nostrorum purgationem, suscitatus est de sepulcro, et elevatus est in cœlum. Ubi *sedet* nunc, id est quiescit et regnat et judicat sublimatus *ad dexteram*, id est æqualitatem et honorificentiam *majestatis*, id est Patris, qui est majestas, id est major potestas, quia omnibus potestatibus major est, ad cujus dexteram Filius est in eadem sede, sicut æqualis, ne si, in alia parte sederet, minor esse videretur, et sedet *in excelsis*, id est super omnem creaturam in eminentissimis spiritibus angelicis, qui vocantur thronus, id est sedes Dei.

« Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te? (*Act.* XIII; *Psal.* II.) et rursum : Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium? (*II Reg.* VII; *II Par.* XXII). »

Hic comparat eum angelis et præfert, usque ad locum, quo ait : Propterea abundantius oportet. Sedet in excelsis, *effectus tanto melior*, id est dignior *angelis* secundum humanitatem, secundum quam minoratus fuerat paulominus ab angelis, *quanto hæreditavit*, id est hæreditario jure possedit nomen (quod est Filius) differentius, id est magis differens. Dum enim mortalis esset differens nomen habuit, quia angeli ministrabant ei, sed tamen confortasse eum legitur angelus in passione. Postquam autem immortalis factus est, magis differens nomen habuit, quia ministrare adhuc ei possunt angeli, sed jam confortare eum non possunt (*Matth.* IV; *Luc.* XXII). Et ante passionem, licet nonnunquam vocaretur Filius Dei, tamen fere semper vocatus est Filius hominis, post resurrectionem vero Filius Dei vocatur. Et secundum quod ipse differentius nomen habet est *præ illis*, non post illos. Nam etsi angeli aliquando vocantur filii Dei, hoc nomen significat illos a Deo creatos esse, non eamdem substantiam habendo cum Deo, sed potius quod sunt sola Dei voluntate facti. In Christo autem significat illum esse naturaliter a Patre genitum, et ejusdem cum Patre substantiæ, et humanitatem ejus personaliter unitam eidem unigenito Dei. Propter quod et ipsa humanitas appellationem Filii Dei meruit; et ita nomen istud quod Filius, est in Christo differentius et longe dissimilius quam in angelis, et longe præ illis. Vel præ illis habet Christus nomen, quia honorificentior quam illi factus est quando surrexit et ascendit. Et vere præ illis nomen habet. Nam *cui angelorum dixit* Deus, quod Christo dixit? Nec majori angelorum dixit hoc aliquando, id est nec in creatione, nec postquam confirmati sunt in supernis. Similiter nullus angelorum tam sublimis est, cui legatur Deus aliquando dixisse quod Christo dixit *Filius meus es tu* consubstantialis mihi, quia *ego hodie*, id est in die æternitatis, quæ caret principio et fine, semperque præsens habet sine præterito et futuro, *genui te*, ex substantia mea. Genui te, dixit et non gigno te, ne imperfectus videretur esse Filius, et ne contra prophetam Deus recens esse putaretur idem unigenitus : Si enim dixisset, hodie gigno te, posset existimari hæc genitura hodie principium habuisse. Sed, cum dicit, *genui*, ostendit quod hodie sit, sed non hodie cœperit. Ac per hoc nullum principium habuisse declaratur. Tamen si in Actibus apostolorum verba Pauli consideremus, videbimus eum hanc sententiam ad resurrectionem Domini retulisse : dixit enim de Patre : « Resuscitans Jesum Christum, sicut in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Act.* XIII). » Juxta hoc igitur Apostoli testimonium dixit ei Pater in die resurrectionis : « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » ut illa resurrectio ejus quam Pater operatus est, intelligatur quædam generatio. Nam et nostra resurrectio vocatur regeneratio, cum dicitur : « In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ (*Matth.* XIX); » et iterum de electis dicitur, quia in futuro sæculo sunt filii Dei, cum sint filii resurrectionis (*Luc.* XX). » Christus ergo secundum humanitatem qui, dum esset mortalis, erat Filius hominis, in resurrectione vestiens immortalitatem, factus est Filius Dei, sic tamen, ut non amitteret esse Filius hominis, quia verus homo permansit; sed gloriam, quam humanitus non habebat, accepit, et ita homo ille quem Unigenitus Dei in sua persona susceperat, audivit in resurrectione : « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » quod nulli unquam angelorum dictum est : quia nec propter aliquam promotionem quæ illis aliquando facta est, dignus fuit aliquis illorum hoc audire. *Et rursum*, cui angelorum dictum est quod de Filio hominis Verbo Dei personaliter unito dixit : Ego qui Verbi mei semper sum Pater, *ero illi in Patrem*, id est ero pater illi homini quem Verbum meum assumet, *et ipse* homo *erit mihi in Filium* (*II Reg.* VII), id est erit mihi filius? Nulli angelorum dictum est hoc, vel de nullo angelorum. Sed homo iste propter unitatem personæ, verbi et carnis, factus est ejusdem Patris Filius cujus et verbum; quia et virgo, Dei genitrix idcirco dicitur, quod non solum

Digitized by Google

hominem sed et Deum genuit (*Psal.* XCVI.) Caro enim communicat altioribus, sicut et divinitas humilioribus.

« Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli « Dei ; et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam « ignis (*Psal.* CIII). Ad Filium autem: Thronus tuus « Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga « regni tui (*Psal.* XLIV). Dilexisti justitiam et odisti « iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus « oleo exsultationis præ participibus tuis. Et : « Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera « manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent; et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non « deficient (*Psal.* CI). »

Ostenso per auctoritates quoniam differentius nomen præ angelis Christus hæreditavit, ostendit per alias auctoritates eum esse meliorem et præstantiorem angelis. Quasi dicat : Antequam Filius Dei homo fieret, promisit Deus se eidem homini fore in Patrem. *Et iterum, cum introducit in orbem terræ*, id est in hunc mundum *primogenitum* in multis fratribus, dicit de eo, ut adoretur ab omnibus sanctis angelis. Iterum introducit visibilem carne assumpta, qui ante invisibilis in mundo erat. Quæ assumptio dicitur exitus a Patre, et introductio in hæreditatem. Vel introducit, id est intus usque ad corda hominum ducit eum, ut cognoscatur ab eis, pro quorum salute carnem induit, et in orbem terræ, id est in reparationem humani generis ubique terrarum existentis. Qui Filius secundum divinitatem quidem, in qua fratres non habet, dicitur unigenitus; sed secundum humanitatem, inqua fratres habere dignatus est, appellatur primogenitus. In qua humanitate eum adorare monentur angeli, quia in divinitate ut adorarent eum, non indigebant admonitione, et quia homo unitus Deo, adoratur ab angelis, patet quia longe melior est ipse quam angeli. Hoc autem testimonium in cantico Deuteronomii juxta Septuaginta interpretes ita legitur : « Lætamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes angeli Dei (*Deut.* XXXII). » Ubi notandum est quod translatio Septuaginta interpretum authentica erat Hebræis, quibus scribebat Apostolus, utpote Græcam et Hebræam linguam scientibus. Quia ergo cœli lætantur cum homine quem Dei Filius assumpsit, et adorant eum omnes angeli Dei, manifestum est ex hoc, quantum ipse prælatus sit angelis; et etiam ex hoc quod sequitur, *quia ad angelos dicit, qui facit angelos*, etc. Illud enim quod supra dictum est refertur ad Filium, ostendendo illum esse meliorem angelis; et istud quod subditur, refertur ad angelos, ostendendo eos inferiores illo cui serviunt et ministrant. Et hoc est quod dicit Scriptura, quod ad angelos quidem pertinet : *Qui* scilicet Filius *facit angelos*, id est nuntios et legatos suæ voluntatis ad homines. *suos spiritus* cœlestes, angelus enim nomen officii, non naturæ. Nomen vero naturæ spiritus est. Nam sancti illi Spiritus supernæ patriæ semper quidem sunt spiritus, sed non semper angeli. Tunc enim solummodo sunt angeli, cum nuntiant. Eos ergo, quos semper Christus habet spiritus, quando vult, angelos facit, mittendo eos nuntiare quod jusserit, *et flammam ignis*, id est seraphin, qui *ardentes* interpretantur, quia igne divini amoris toti sunt inflammati, et ante omnes alios sunt, facit *ministros suos*, ut ministrent ei et serviant, scilicet primos cœlestium spirituum facit sibi ministrare, et hoc *quidem ad angelos dictum est*, ad ostendendam subjectionem eorum, sed *ad Filium* quod sequitur, id est ad declarandam ejus excellentiam : *O Deus* Fili, *tuus thronus* (*Psal.* XLIV), id est tua sedes regia permanet *in sæculum sæculi*, id est in æternum. Non enim posset Deus habere sedem temporalem. Dominum vocat eum, ut omnibus, qui videbant eum esse hominem, divinitas ejus innotesceat. Per thronum, id est per sedem regiam designatur regnum ejus. Qui thronus perseverat in sæculum sæculi, quia regni ejus non erit finis (*Luc.* I), et alibi dicitur : « Quia sedebit Dominus rex in æternum (*Psal.* XXIII). » Per virgam quoque, id est sceptrum, insigne regnantis exprimitur. Quæ virga est æquitatis sicut et per prophetam de eo dictum est : « Ecce in justitia regnabit rex (*Isa.* XXXII). » Vel thronus intelligatur judiciaria sedes, et per hanc ipsum judicium. Qui thronus permanet in sæculum sæculi, quia novissimum Christi judicium semper stabit. Unde ait : « Ibunt hi in supplicium æternum, illi autem in vitam æternam (*Matth.* XXV). » Per virgam autem æquitatis, intelligi potest rectitudo sententiæ judicii ejus, quia percutiet reprobos. Hæc virga, fortitudo est in vindicta et æquitas rectissima. Vel certe *virga regni tui*, id est disciplina et regnum, qua bonos regis et malos flagellas, est *virga æquitatis*, id est regula directa et inflexibilis. Nec mirum, quia *dilexisti justitiam*, id est omne bonum non coactus habuisti, sed est amore; et econtra odisti iniquitatem, id est omne malum. Nam, sicut Joannes in Epistola dicit : « Omnis qui facit peccatum, et inquitatem facit, et peccatum est iniquitas (*I Joan.* III). » Non simul utraque habuisti, id est bonum et malum; sed unum ex amore tenuisti, et alterum ex odio detestatus es, et *propterea*, id est ut bonum diligeres et malum odires, *unxit te, o Deus* Fili *Deus tuus* Pater per se, non per ministros. In eo enim quod dicitur, *unxit te Deus, Deus tuus*, sicut et in Hebræo et Græco patet, primum nomen Dei vocativo casu intelligendum est, sequens nominativo. *Unxit te Deus, Deus tuus.* Unxit secundum hominem, quia deitas nullo indigebat. Deus enim, qui unctus est, homo factus erat; et ideo unctus est Deus, quia homo erat Deus. Unctus est *oleo*, id est Spiritus sancti dono. Sed *præ participibus* suis unctus est, quia omnes nos prius in peccato existimus, et postmodum per unctionem

Digitized by Google

sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante sæcula, per Spiritum sanctum in utero Virginis homo conceptus est, in fine sæculorum ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus et postmodum unctus est sed hoc ipsum de Spiritu sancto et carne Virginis concipi, a Spiritu sancto ungi fuit. Non potuit apertius dici nomen Christi, quam ut diceretur unctus Deus. Christus enim Græce, *unctus* dicitur Latine, et unctus significat regem, vel sacerdotem. Unctus est Deus oleo, sed spirituali. Oleum enim visibile in signo est, oleum autem invisibile in sacramento. *Oleo exsultationis unctus est*, id est Spiritus sancti gratia quæ conscientiam ejus exhilaravit, facietis ut nullum omnino peccatum in ea unquam esset, sed omnis omnino sanctitas. Et ideo præ participibus suis unctus est, quia nullus sine peccato, nisi iste solus, nullusque tantum sanctitatis habere potest. Nam neque boni aliquid habere quisquam valet, nisi ab isto acceperit. Quia enim omnes sancti ab eo accipiunt quidquid habent, ideo participes ejus dicuntur, sicut et in sequentibus epistolæ hujus legimus : « Participes enim Christi effecti sumus (*infra* III). » Propter quod et ipse vocatur Christus, illi vero Christiani; in qua appellatione declaratur, quia ipse singulariter unctus est majori gratia præ omnibus. Non enim ad mensuram dedit ei Spiritum Deus (*Joan.* III), sed totum Spiritum sanctum ei largitus est; nobis vero dedit ad mensuram. Hæc dicta sunt ad Filium, in quibus humanitatis ejus excellentia demonstratur. Et iterum Propheta (*Psal.* CI) insinuans æternitatem divinitatis ejus, ait ei : O *Domine* Fili, *tu fundasti terram in principio* mundi, id est nutu et dispositione tua immobilem subsidere [*al.* subsistere] fecisti. In principio fundasti eam, quia tu jam eras ante omne principium, et in principio dedisti esse creaturis. *Et cœli sunt opera manuum tuarum*, quia manibus tuis, id est virtute jussionis tuæ operatus es cœlos. *Ipsi* qui tam durabiles sunt, *peribunt in die judicii*. Non tamen hoc intelligitur de superioribus cœlis, sed de novissimis, qui sunt propinqui terræ, et in quibus aves volitant. Qui secundum quantitatem et spatia aeris hujus peribunt igne judicii occupante tantam aeris capacitatem, quantam occupavit aqua diluvii. Ipsi peribunt ab ea quam habent specie, ut in meliorem mutentur. *Tu autem permanebis*, quia sicut ante omnia permanebas incommutabilis in æternitate tua, sic et postquam illi perierint, permanebis semper, id est æternaliter; *et omnes* illi cœli aerii *veterascent ut vestimentum*, id est longævitate paulatim deteriores fient. Quod nos quotidie cernimus impleri ipsa jam aeris immutatione et terræ sterilitate. Nam et de terra similiter hoc intelligitur. *Et velut amictum mutabis eos.* Amictui comparantur cœli, quia terram operiunt et circumdant. Sicut amictum mutabis eos, id est tam facile, sicut amictus extenditur et plicatur. Ita ergo peribunt cœli et terra, ut mutentur, non ut omnino desinant esse, quia ab ea quam nunc habent specie, tergentur per ignem, et tamen in sua semper natura manebunt. Creaturæ quidem *mutabuntur*, sed tu immutabilis permanes, juxta quod alibi dixisti : « Ego Dominus et non mutor (*Malach.* III); » et : « Ego sum qui sum (*Exod.* III). » *Tu* semper *idem ipse es* æqualiter incommutabilis, *et anni tui non deficient*, id est æternitas tua, anni nostri quotidie deficiunt, nec stant omnino. Sed anni tui non deficiunt, quia semper stant; et quia stant, ipsi anni qui stant, unus annus est, et ipse annus qui stat, unus dies est. Quia ipse unus dies, nec ortum habet, nec occasum, sed semper stat et lucet. Hi sunt anni qui non deficiunt, sed permanent. His itaque dictis evidenter ostenditur Dei Filius æternaliter incommutabilis in sua deitate, sine initio et fine permanere, et omnium creator esse, ac per hoc fides ejus ad æternam salutem optime sufficere. In Psalmo possunt hæc prophetica verba mystice tractari, sed in hoc loco juxta litteram melius intelliguntur, quia tunc in eis manifestius æternitas et potentia Filii, quam nunc Apostolus studet ostendere, declaratur. Nam ad Filii personam, non ad Patris in hac epistola dicitur : *Tu in principio, Domine, terram fundasti*, etc., licet in Psalmo et ad Patrem convenienter ista dicantur, vel potius ad totam Trinitatem. Sed nunc Apostolus excellentiam solius Filii propheticis testimoniis intendit ostendere, qui Judæis propter assumptionem carnis minor videbatur. Unde et adhuc subjungit :

« Ad quem autem angelorum dixit aliquando; « Sede a dextris meis quoadusque ponam inimicos « tuos scabellum pedum tuorum? (*Psal.* CIX.) Nonne « omnes sunt administratorii spiritus, in ministe« rium missi propter eos qui hæreditatem capient « salutis? »

Item de gloria humanitatis ejus loquitur, ostendens cum angelis multo digniorem. Quasi dicat : Non solum per supradicta major angelis esse declaratur, sed etiam per hoc, quia *ad quem angelorum* quantæcunque excellentiæ fuisset, *aliquando*, id est in aliquo statu eorum vel ante ruinam superiorum, vel post confirmationem humilium, *dixit* Pater quod Christo dixisse legitur, scilicet : *Sede a dextris meis?* Nam de excellentissimis angelis scriptum est, quia seraphin stabant in circuitu ejus (*Isa.* VI; *Apoc.* VII). Seraphin stant ut ministri, Filius sedet ut Dominus. Seraphin in circuitu, Filius ad dexteram. Nam victori Christo Pater in die ascensionis ejus obtulit consessum suum, dicens : *Sede a dextris meis*, id est quiesce et regna in potioribus meis, et hoc, donec *ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, id est prorsus subjiciam tibi. Per pedes stabilitas æterna designatur, ubi quasi vestigiis positis virtute omnipotentiæ consistit, vel certe humanitas ejus, et his pedibus ejus quotidie subjiciuntur inimici, vel per spontaneam conversionem, vel per justam damnationem (*I Cor.* V). Cum autem omnes subjecti fuerint, id est in fine sæculi, tunc patebit omnibus,

Digitized by Google

quia ipse perenniter sedebit ad dexteram Patris (229), et ideo nunc necesse fuit dicere, quod ipse ibi sessurus sit post diem judicii, sed tantum usque ad illum diem propter eos qui adhuc eum ibi sedere non credunt : hoc nulli angelorum dictum est, scilicet : *Sede a dextris meis*, quia non est ministri sedere ad dexteram illius cujus minister est, sed Filii est sedere ad dexteram Patris. Nam omnes angeli sunt ejus ministri, et hoc interrogative quasi per increpationem dicitur. *Nonne omnes* angeli tam magni quam parvi, *sunt spiritus administratorii*, id est ad ministrandum apti, ut unusquisque Deo ministret ex officio suo? administratorii sunt, id est ministrandi officium habent, et quia possent officium habere ministrandi, ut non ministrent, ut dapifer regis dicitur ejus minister, etiam si non ministret, subditur : *missi in ministerium*, subaudi actualiter explendum, hoc est, et ministrandi officium habent, et ministrant, ministrando scilicet serviunt, et id faciunt non propter se, sed propter homines, quibus licet minoribus imperio Christi serviunt, propter eos in bonis operibus adjuvandos et malignis spiritibus defendendos; *qui capient hæreditatem salutis*, id est consequentur hæreditatem patriæ cœlestis, ubi perpetuam animæ corporisque salutem habebunt. Mittuntur itaque propter nos huc angeli, vel a Domino, vel a majoribus angelis. Ex minoribus enim angelorum agminibus foris ad exemplum ministerium immittuntur, id est ad humana solatia vel angeli vel archangeli veniunt. Nam sublimiora agmina ab intimis nunquam recedunt quoniam ea quæ præeminent, usum exterioris ministerii non habent. Unde Daniel ait : « Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei (*Dan.* VII). » Aliud enim est ministrare, aliud assistere. Nam ministrant Deo, qui ad nos nuntiando exeunt; assistunt vero qui contemplatione intima perfruuntur, ut ad explenda foras opera non mittantur. De minoribus ergo intelligendum est, qui sint in ministerium missi propter homines qui hæreditatem salutis percipient. Nusquam enim legimus dominationes vel thronos in ministerium mitti. Qui tamen dici possunt administratorii spiritus, quia et intus ministrant Deo, dum divinas scientias ab eo susceptas inferioribus tradunt, et ad supernam eos contemplationem adducunt. Sed et illi qui foras exeunt, semper ei assistunt, quia et cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desint interius per contemplationem. Unde Salvator de parvulis, id est humilibus ait : « quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei (*Matth.* XVIII), » et mittuntur igitur, et assistunt, quia, etsi circumscriptus sit angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque et missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniant, intra ipsum currunt.

(229) Locus obscurus.

CAPUT II.

« Propterea abundantius, oportet observare nos « ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si « enim qui per angelos dictus est sermo, factus est « firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia ac- « cepit justam mercedis retributionem, quomodo « nos effugiemus, si tantum neglexerimus salutem? « Quæ cum initium accepisset enarrari per Domi- « num, ab eis qui audiere, in nos confirmata est, « contestante Deo signis et portentis et variis vir- « tutibus et Spiritus sancti distributionibus secun- « dum suam voluntatem. »

Hucusque multis auctoritatibus demonstravit Filium esse meliorem angelis; et nunc consequenter asserit, quod verba ejus magis sint observanda quam angelorum. Locutus fuerat Deus in prophetis, locutus fuerat et in angelis, sed novissime locutus est nobis in Filio. Et *propterea* quoniam ille tanto dignior est eis, *oportet nos ea quæ* ab ipso *audivimus*, *observare* et opere complere *abundantius*, quam illa quæ a prophetis vel ab angelis qui ministri legis fuerunt, audieramus. Abundantius, id est largius et studiosius servare debemus verba quæ locutus est Deus in Christo, quam servavimus ea quæ locutus est in angelis, id est præcepta Evangelii quam legis. Ea enim quæ Deus refertur dixisse Moysi, certum est angelos esse locutos (*Act.* VII). Sed dicit aliquis : Cur ergo scriptum est, Dixit Dominus ad Moysen, et non potius, Dixit angelus ad Moysen? Quia cum verba judicis præco pronuntiat non scribitur in gestis, ille præco dixit, sed ille judex. Locuti sunt itaque angeli verba legis. Sed magis observare nos oportet verba Evangelii quæ locutus est Christus, *ne forte pereffluamus*, id est puniamur; fluimus enim, quia sicut fluvius in defluxu et mutabilitate sumus, de infantia ad pueritiam de pueritia ad juventutem, de juventute ad senectutem, et inde ad decrepitam ætatem. Effluimus vero, cum in morte anima et corpore dissolvimur. Effluimus, id est extra fluimus, cum animam exhalamus; pereffluimus si a vero Dei esse perpetualiter separati per varia tormenta sine fine deficimus; et ne hoc nobis contingat, observemus verba Christi saltem timore pœnæ, si necdum regnat in nobis amor justitiæ. Vel fluimus per pœnas mortalis naturæ, effluimus peccatum addendo, pereffluimus in æterna damnatione. Vel ita : Fluere, est mori, effluere pati pœnas sive in hoc sæculo, sive in futuro : pereffluere acriora tormenta perpetualiter pati et hæc cavenda nobis sunt. Sed et moraliter pereffluere est ab intima intentione appetitus interiorum et æternorum, penitus extra fluere, cogitando et appetendo sola exteriora et temporalia, quod eis accidit, quorum mentes gratia Dei prorsus deserit, et qui custodire negligunt, merito suæ perversitatis deseruntur a Spiritu sancto, ut concupiscentias suas sequantur et pereant. Unde mox de pœna futuræ damnationis eo-

Digitized by Google

rum, comparatione vindictarum, quæ prævaricatoribus legis quondam inferebantur, terribiliter subditur : *Si enim qui per angelos dictus est sermo*, etc. Nam, si illi puniti sunt, qui verba angelorum contempsere, quanto gravius punientur qui verba Christi contemnunt? A minori probatur hoc. Vel secundum priorem sensum ita continuatur : Revera pereffluemus in tormentis, nisi ea quæ dicta sunt nobis a Filio servaverimus. Nam quomodo effugiemus pœnas æternæ ultionis, si tantam salutem novæ gratiæ neglexerimus, cum nec illi effugerint, qui legem veterem neglexere? et hoc est : Si sermo Dei qui dictus est Moysi per angelos, id est per officium angelorum, *factus est firmus*, id est ratus et stabilis et in minis et in promissis, quia et quidquid minata est lex et quidquid promisit, completum est, *et si omnis prævaricatio et inobedientia*, etc. Prævaricatio est vetita facere, inobedientia vero jussa non facere. Et non solum omnis prævaricator qui multorum reus erat, sed et omnis prævaricatio, id est omnis culpa transgressionis, ut pro singulis ultio fieret, et omnis culpa inobedientiæ, quæ legis præcepta facere contempsit, *accepit* retributionem factorum suorum, retributionem dico *mercedis*, id est meriti, *justam*, id est parem, non pro levi culpa magnam, nec pro magna, levem, sed juste modificatam, ut oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI; *Levit.* XXXIV; *Deut.* XVI). Melius positum est prævaricatio et inobedientia, quam si poneretur, prævaricator et inobediens quia per hoc, ut diximus, ostenditur pœna illata fuisse pro unaquaque transgressione et inobedientia. Nam prævaricator non solum de uno, sed de multis dicitur; et si hic positus esset prævaricator posset intelligi quod non pro una, sed pro multis culpis quis puniretur. Si, inquam, sermo angelorum tam firmus factus est, ut tanta necessitate cogerentur nostri majores illum operibus adimplere, quoniam si quis aliter fecisset, non poterat evadere, *quomodo nos* debitam ultionem *effugiemus*, si nunc neglexerimus tantam salutem, id est æternam beatitudinem, quæ nobis offertur in observatione mandatorum Novi Testamenti? Nullo modo pœnas effugiemus, si hanc inæstimabilem salutem parvipendamus. Non enim tanta salus fuit in Veteri Testamento, quanta est hæc quam Filius nobis attulit. Illa temporalis fuit, hæc est perpetua. Illa terrenas divitias, hæc cœlestes promisit. Illa victoriam de carneis hostibus, hæc concessit de spiritualibus. Illa temporalem feliciter vitam, hæc tribuit æternaliter beatam. Ideoque saltem non negligenda, quod est minus quam prævaricari. Gravior enim vindicta sumetur de his qui salutem istam neglexerint, quam sumpta est de illis qui sermonem angelorum prævaricabantur; ibi enim sermo, hic autem salus, quia ibi tantum littera jubens, hic vero spiritus adjuvans. Quia vero Judæi possent respondere. Non sequitur, quod si illi puniti sunt qui legem per angelos datam prævaricabantur, nos quoque puniamur, si negligamus ea quæ dicta sunt a Filio Dei, quia ipsi videre angelos et audiere, nos vero Filium nec vidimus, nec audivimus, ideo subjungit : Quæ salus in nos confirmata est ab eis qui audiere, ac si dicat : Non idcirco pœnam evadetis, quod eum fortasse præsentem in carne non audistis quia audistis eos qui eum audiere, et hoc est : *Quæ* salus et vita perennis electorum, *cum per Dominum* Jesum *accepisset initium* non constitutionis, quia ab æterno est; sed enarrationis, quia unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit; *ab eis*, id est ab apostolis, qui ab ejus ore *audiere*, *confirmata est*, id est valida affirmatione prædicata est, transiens in nos, id est ad sedem et intelligentiam animæ nostræ perveniens. Confirmata est in nos ab eis qui audiere, non in fine tantum Dominicæ prædicationis, sed a principio cum illa salus cœpisset *enarrari*, id est evidenter et manifeste enarrari per Dominum, non figuris involvi, sicut antea per prophetas. Confirmata est inquam, ab eis *Deo contestante*, id est cum eis testante quidquid illi dicebant, et quomodo contestabatur Deus, id est testimonium et *certitudinem* dabat prædicationi eorum, *signis*, id est minoribus miraculis, ut erectione claudi, *et portentis*, id est, majoribus et stupendis mirabilibus, ut sanatione omnium infirmitatum per umbram Petri (*Act.* III, XIV), vel signa erant, quia aliud signabant (*Act.* V), ut erectio ejusdem claudi erectionem claudicantis populi Judæorum; et portenta, quia aliud portendebant, ut sanatio infirmitatum sub umbra Petri, sanationem omnium spiritualium languorum animæ nostræ in præsenti Ecclesia, quæ per umbram Petri figuratur, sicut superna Jerusalem per corpus ejus. Talibus signis et portentis contestabatur Deus vera esse quæ docebant apostoli, *et variis virtutibus*, aliorum miraculorum, quæ non ita erant mystica. Vel variis animæ virtutibus, id est charitate, humilitate, castitate et cæteris hujusmodi, quas Deus in eorum moribus relucere faciebat, ut eorum vita prædicationi concordaret, quatenus humilitatem docentes, humiles essent, largitatem prædicantes, largi essent, quibus nimirum virtutibus contestabatur Deus veram esse doctrinam eorum, *et* etiam *Spiritus sancti distributionibus*, id est donis Spiritus sancti diverso modo datis, ut ille haberet genera linguarum, iste interpretationem sermonum, alius prophetiam et alii alia. Distributionibus dico, factis non secundum meritum, sed *secundum suam voluntatem*, id est secundum placitum suæ misericordiæ. Secundum voluntatem ejusdem Spiritus, quia ipse est dividens singulis prout vult (*I Cor*, XII). Vel secundum voluntatem Dei Patris, quia una voluntas est individuæ Trinitatis.

« Non enim angelis subjecit Deus orbem terræ « futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in « quodam loco quis, dicens : Quid est homo quod « memor es ejus, aut Filius hominis quoniam visitas « eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis, glo« ria et honore coronasti eum, et constituisti eum

Digitized by Google

« super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti « sub pedibus ejus (*Psal.* XVIII; *I Cor.* XV). In eo « enim quod ei omnia subjecit, nihil dimisit non « subjectum ei. Nunc autem necdum videmus om- « nia subjecta ei. Eum autem, qui modico quam an- « geli minoratus est, videmus Jesum propter pas- « sionem mortis gloria et honore coronatum, ut « gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. »

Dixit superius, quia oportet nos ea quæ a Christo audivimus, observare abundantius quam observavimus illa (*Philip.* III), quæ audieramus ab angelis, id est carnales cæremonias, et nunc declarat cur abundantius, quia videlicet non angelis, sed Christo data est potestas judicandi nos in futuro sæculo et regnare super omnia. *Non enim angelis*, sed Christo *subjecit Deus* Pater *orbem terræ futurum*, id est qui futurus est post diem judicii, quando erit cœlum novum et terra nova *de quo* orbe tunc futuro nunc *loquimur*, non de eo quem nunc cernimus. Iste enim ex parte recusat adhuc subjici Christo, ille autem omnino subjicietur ei. Non angelis tunc subjectus est orbis terræ, sed potius Christo, quia sic asseruit in psalmo propheta, cujus nomen vobis reticeo, non abscondentis affectu, sed quia vos memoriter psalmos retinetis, et a rege David compositos scitis. Hoc *testatus est quis* prophetarum, qui pro habita excellentia sine proprio nomine intelligitur, et ex sola auctoritate cognoscitur, et testatus est *in loco* Scripturæ *quodam*, id est egregio et notabili, ut per testem et per locum pateat sine ambiguitate verum esse quod dixit. Testatus est *dicens*, *quid est homo*, etc. Omnis filius hominis homo est; sed non omnis homo filius hominis. Adam quippe homo, sed non filius hominis. Homo igitur hoc loco terrenus est; filius autem hominis, cœlestis; et ille longe sejunctus Deo, hic autem præsens Deo; et propterea illius memor est tanquam longe positi, hunc vero visitat quem præsens illustrat vultu suo, de quo propter infirmitatem carnis et humilitatem passionis recte dicitur : *Minuisti eum paulo minus ab angelis*; et propter clarificationem, qua resuscitatus est et in cœlum elevatus, *gloria et honore coronasti eum*, etc. Quod ergo dicitur : Quid est homo, cum despectu legendum est. O, inquit, Domine Deus Pater, *quid est homo*, quasi fragilis, despectus, peccator, *quod memor es ejus*, quando peccata dimittis, *aut* quid est, id est quantæ dignitatis et excellentiæ *filius hominis*, id est Christus, qui non ex duobus parentibus, sed ex sola Virgine natus est, *quoniam visitas eum*, resuscitans de sepulcro? Ibi es memor, patriarchis de cœlo misertus; hic visitas, quia Verbum caro factum est. Vel totus versus de Christo potest legi, et admirative dici : Quid, id est quam magnum et quam mirabile est mediator Dei et hominum homo Jesus Christus, quod memor es ejus, id est quia licet in terris conversetur, tu tamen non oblivisceris ejus aliquando ut peccet, sed semper es memor ejus, faciens ut semper sit immunis ab omni peccato, et plenus omni sanctitate; aut quid est, A id est quam gloriosum est filius hominis, id est idem Christus, homo ex homine matre natus, quia per hoc quasi infirmum visitas eum resuscitando. Omnes enim alii sunt filii hominum, quia originem habent ex conjunctione duorum; sed Christus Filius est, ut diximus, solius hominis, quia sine carnali patre natus est de virgine et ideo magnum quid et incomparabile est ipse apud Deum. Quia, visitas, inquit, eum sicut medicus in infirmitate ejus, et omnem languorem mortalitatis et passibilitatis atque corruptionis per resurrectionem expellis ab eo. Et indigebat visitatione, quia *minuisti eum*. Erat enim et est semper consubstantialis et coæternus tibi, sed minuisti eum, dum exinaniens seipsum, formam servi acciperet (*Philip.* II). Minus angelis, quia mortalis factus est; paulo, quia sine peccato. Nam minor angelis fuit propter humilitatem carnalis generationis atque passionis, non propter naturam humanitatis. Natura enim humanæ mentis, quæ ad imaginem Dei facta est, si peccato careat, par est angelis. Christus ergo corpore, non mente minor fuit angelis, et corpore mortali atque passibili. Cum dicitur, *paulo minus ab angelis*, illud *ab*, notat non esse intelligendum ita minorem, ut angeli aliquo modo habeant illam naturam, qua dicitur minor, sed ex toto ab eis esse remotam innuit. Ista non valent ad hoc ostendendum, quod ei subjecta sunt omnia; sed potius ostenduntur quidam gradus et merita, quibus ipse ab hoc pervenit, ut ei subderentur omnia, ut per hæc, quæ jam completa sunt, credamus et illa fore complenda, quæ necdum sunt completa. Minuisti, inquam, eum, id est minus minuisti majori, hoc est hominem conjunxisti Verbo in unitate personæ, *et* post expletam passionis obedientiam *coronasti*, id est circumdedisti *eum* ad modum coronæ, quæ totum caput circumdat, *gloria* quantum ad animam, ut omnes internæ vires ejus glorificarentur; *et honore*, quantum ad corpus, ut esset immortale et lucidissimum. Tres enim sunt vires in anima, id est ratio, sensificatio, vegetatio. Secundum rationem nihil recepit in resurrectione, quia neque sapientiam ampliorem, neque dilectionem Dei et proximi vehementiorem. Sed secundum vegetabilitatem et sensificationem recepit, quoniam anima suum corpus per resurrectionem ita vegetavit, ut subjici non posset ulli corruptioni; et sic etiam sensificavit, sic omnes sensus corporis vigere fecit, ut nullo modo posset detineri vel aliquid molestiæ pati. Quod videlicet corpus ita tunc factum est pulchrum, ut pulchrius fieri non posset et secundum decorem coloris, et secundum aptitudinem corporis ipsius. Vel in resurrectione et ascensione coronatus est gloria, in similitudine triumphatoris et honore in consessu Patris, vel gloria, id est claritate immortalitatis, et honore quod sibi flectitur omne genu, *et* etiam *constituisti*, id est stabiliter *eum* posuisti, ut ibi regnet perenniter *super opera manuum tuarum*, id est super angelos et homines, ambabus fecisse manibus diceris, quia digniores

Digitized by Google

sunt cæteris creaturis. Nec solummodo super angelos et homines eum posuisti, sed etiam super omnia, quoniam *omnia* quæ sunt in cœlo et in terra et in inferno et in universitate totius creaturæ ita *subjecisti* ei, ut sint *sub pedibus ejus*, id est ut nullo sibi modo possint æquiparari, sed infra subjaceant ut adorent eum. Quia igitur omnia Pater ei subjecit et non angelis, ideo abundantius oportet nos ea servare, quæ ab illo audivimus, quam servavimus quæ ab angelis audieramus in lege. Per hoc omnia, quæ dicta sunt, ostendit ipse ad salutem sufficere sine carnalibus observantiis. Et si non amore præcepta ejus servamus, saltem terrore judicii servemus ea, quoniam omnia subjecta sunt ei, vel post modicum subjecta erunt. Præteritum enim pro futuro posuit propheta. Omnia subjecit ei Pater. Dum dicit omnia, nec terrena excipit, nec cœlestia. Nam *in eo quod ei subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei* in universitate creaturarum, hac enim intentione protulit vates istam universalem sententiam, ut nullam facere vellet exceptionem, sed vel voluntariam, vel necessariam subjectionem omnium demonstraret. Dixit propheta quod Pater illi subjecerit omnia. Sed nos *nunc*, id est in hoc tempore *necdum videmus omnia subjecta ei*, quia necdum completa est tota hæc prophetia, licet major pars ejus sit jam completa; hic enim voluntariam tantum subjectionem credentium in eum videmus, sed in futuro videbimus invitam dejectionem superborum. Quotidie namque subjiciuntur aliqui, sed non omnes donec in judicio; et quod omnia sint illi subjicienda, constat ex eo quod cætera prophetiæ verba jam sunt adimpleta. Nam adhuc non videmus, omnia illi subjecta, sed tamen jam videmus, id est ita patenter intelligimus, ac si corporeis oculis videremus eum, videlicet magnum et denotabilem in divinitatis natura, *qui minoratus est modico quam angeli*, id est qui factus est parum minor angelis, *proter passionem mortis*, qui pati et mori potuit, quod beati angeli non possunt. Eum, inquam, qui talis factus est, scilicet *Jesum*, id est Salvatorem qui sine carnalibus observantiis salvare potest, *videmus* oculis fidei *coronatum gloria et honore* secundum animam et corpus, qui coronatus est propter passionem mortis, id est qui usque ad mortem fuit obediens Patri. Hic jam incipit Apostolus ostendere, non pro potentia tantum vel ultione verba Christi audienda esse, sed potius pro dilectione, qua dilexit nos, ut pro nobis moreretur. Dico quia minoratus est, et hoc ideo, *ut gustaret mortem*, id est horariam et non longam, quasi aliquid gustando transiret, pro omnibus ad vitam prædestinatis, vel pro omnibus, quia pretium sanguinis ejus sufficit omnibus. Et hoc factum est *gratia*, id est gratuito munere *Dei*, quia homo non meruit; vel, ipse Christus est gratia Dei, qui pro salute omnium mortem gustavit, quia non debebatur nobis, ut Filius Dei moreretur pro nobis. Qui mortuus est pro omnibus, quia etsi omnes non credunt, ipse tamen quod suum est fecit.

« Decebat enim eum, propter quem omnia, et per « quem omnia, qui multos filios in gloriam ad- « duxerat, auctorem salutis eorum per passionem « consummare. Qui enim sanctificat, et qui sancti- « ficantur, ex uno omnes, propter quam causam « non confunditur fratres eos vocare, dicens: « Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio « Ecclesiæ laudabo te (*Psal.* XXI); et iterum: Ego ero « fidens in eum (*Psal.* XVII); et iterum: Ecce ego « et pueri mei, quos dedit mihi Deus (*Isai.* VIII). « Qui ergo pueri communicaverunt carni et san- « guini, et ipse similiter participavit eisdem, ut « per mortem destrueret eum, qui habebat mortis « imperium, id est diabolum, ut liberaret eos qui « timore mortis per totam vitam obnoxii erant ser- « vituti (*Ose.* XIII; *I Cor.* XV).»

Christus est gratia Dei, id est gratuita donatio ejus, quia gratis eum dedit nobis, nullo id promerente. Dedit eum nobis, ut brevi haustu mortem gustaret pro nobis. Nam hoc facere decebat Deum Patrem, quia nihil in hoc fecit quod esset contra honorem suum, sed potius hoc illum decuit, ut per Filium suum majorem subveniret minoribus. Et hoc est, quia *decebat eum*, id est Patrem, *propter quem* glorificandum sunt *omnia*, et propter cujus summum esse, habet omnia inferius esse, *et per quem* sunt *omnia*, quoniam per ipsum constantia et perseverantia est omnibus impertita; *qui* jam prædestinatione, quamvis nondum re, *adduxerat in gloriam* supernæ beatitudinis *multos filios* adoptivos; eum, inquam, decebat *consummare*, id est simul omnium summum facere, id est super omnia sublimare *per passionem* et resurrectionem *auctorem salutis eorum*, id est Filium suum, qui est auctor salutis omnium adoptivorum, quia nemo salutem habet nisi per ipsum. Et ideo conveniens fuit, ut Pater eum morti traderet pro salute omnium. Vel, secundum alios codices, dicamus quia decebat per passionem consummari eum, id est Christum, propter quem laudandum et per quem creantem sunt omnia, qui multos filios, id est sibi fratres adoptatos jam prædestinando, adduxerat in gloriam, qui fecit quæ futura sunt, ut propheta testatur, eum dico auctorem salutis eorum qui, nisi pateretur, non esset auctor salutis; et ita falsa esset prædestinatio de adducendis ipsis, nec in his quæ propter eum glorificandum facta sunt, glorificaretur, sed frustra essent facta omnia, cum homo, cui cætera serviunt, perditus esset. Decuit ergo eum passione consummari. Videretur enim indecens quod auctor salutis pateretur. Sed non dedecet, quia ex Deo pendet, et ei est subditus, ut alii homines, et ideo convenit pati. *Nam* ipse Christus, *qui* sanguine suo *sanctificat* prædestinatos, *et* illi, *qui* per eum *santificantur*, *omnes* sunt *ex uno* Patre Deo, qui est unus et singularis, cui nemo adæquatur, id est ex eo omnes pendent, et omne bonum suum ab eo habent. Sed Christus

Digitized by Google

ex eo ut proprius Filius, cæteri ut adoptivi, et quia ille tantus et tantæ potentiæ est, ut possit alios sanctificare, et alii adeo sunt infirmi, ut indigeant sanctificatione, ideo potius illum quam alium fratrem oportuit subire passionem. Omnes sunt ex uno, *propter quam causam*, scilicet quia utrique eumdem Patrem habent, *non confunditur*, id est non erubescit *vocare eos fratres*. Confundi enim accipitur pro erubescere, quia, cum quis erubescit, simul confunduntur humores in facie. Cum dicit, *non confunditur fratres vocare*, ostendit non ejus naturæ esse fraternitatem nostram, sed misericordiæ secundum ejus divinitatem; et quod nos fratres vocet, probat auctoritate prophetica, ne putetur novum, *dicens* (*Psal.* XXI) : *Nuntiabo* post resurrectionem meam in toto orbe *fratribus meis*, quos mihi adoptabis, *nomen tuum* quod est Pater, ut cognoscant te Patrem, qui eos paterno affectu ad hæreditatem supernæ beatitudinis ut filios vocas. Vel nomen tuum, quod est Deus, id est famam et gloriam deitatis tuæ, ut cognoscant omnipotentiam tuam, et te Creatorem suum esse sciant. Et etiam ego existens *in medio Ecclesiæ*, quasi columna, ut super me omnes convocati ad fidem undique invitentur, et me sustentatorem habeant, *laudabo te*, id est faciam te laudari, accendens omnes de circuitu ad tuam laudationem. Vel in medio Ecclesiæ, ut omnibus communiter adsim et consulam atque subveniam. Sive in medio, id est in corde fidelium laudabo te, *et iterum*, id est si hæc non sufficit vobis auctoritas, iterum alibi (hoc est, in Isaia) dicit, quod ad idem confirmandum valet, videlicet quia ipse et qui sanctificantur, ex uno sunt : *Ego, inquit, ero* ut homo *fidens in eum* (*Psal.* XVII), scilicet in Patrem. Id est homo fiam, et non in meis viribus confidam, sed ero fidens in eum, id est non in me remanebit fiducia mea, sed tota transibit in eum, quia ex ipso mihi omne bonum, sicut et aliis hominibus. Dum dicit quod confidat in eum manifeste declarat quia ex eo est, et ejus auxilio indiget. Et cum se ex eo esse et pendere manifestet, ipse, qui major est, aperte docet illos longe inferiores se, et non in hominibus, sed in Deo fiduciam debere ponere; *et iterum*, id est iterato dicit ipse apud Isaiam (*Cap.* VIII), quod ostendit eum et cæteros fideles ex uno esse. *Ecce*, inquit, id est in aperto sumus ad præbendum exempla bene agendi cæteris hominibus, *ego*, qui me dignatus sum sic humiliare, *et pueri mei*, id est qui per me puri facti sunt a criminibus, quos ex me tamen non habeo, sed Deus Pater eos mihi gratuita sua voluntate dedit, unde patet quod ex eo sumus ego et illi; et ideo jure recipitur et honoratur a nobis iste qui, cum sit auctor salutis nostræ, sic se humiliat, ut fratrem nostrum se tam in prophetis quam in Evangelio vocet. Nam et ipse juxta humanitatem et omnes sancti ex uno genere sunt, et ex uno Deo. *Ergo quia pueri*, id est quos humiles et a vitiis puros facere volebat, *communicaverunt carni et sanguini*, id est communiter habuere omnes carnem et sanguinem, id est erant homines corruptibiles ex corpore et anima, quæ nunc per sanguinem intelligitur, propter hanc rationabilem causam *et ipse* quoque qui tantus erat in divinitate, *participavit eisdem*, id est carne et sanguine, et hoc similiter ut pueri ejus, qui sanctificandi erant, quia similiter mortalem et passibilem naturam humanitatis accepit. Ecce quomodo veraciter nobis frater dignatus est fieri. Sanguis hoc loco pro anima positus est, quia sedes animæ, sanguis dicitur esse, testante Moyse (*Lev.* XVII), quoniam anima carnis in sanguine est, et quia sanguis Domini redemptio est humani generis, et ipse carnem suam obtulit pro nobis in ara crucis atque sanguinem fudit, designatum est quod integrum hominem redemerit, id est corpus et animam fidelium suorum ab originali culpa liberaverit. Quod etiam in sacramento corporis et sanguinis sui designare voluit, qui sine carnalibus obervantiis hoc solum sacrificium nostræ redemptioni prorsus suffecit. Et ideo dicitur, communicaverunt, id est communem naturalem habuere ipse et pueri ejus, quoniam illam naturam quæ communis in hominibus fuit, assumpsit, ut omnes communiter redimeret, quorum naturæ ipse communicare dignatus est. Quæ tamen redemptio solis pueris ejus ad vitam prædestinatis proficit, qui puritatem mundæ conversationis custodiunt, et quia ipse et pueri ejus ex uno genere sunt, vel ex uno Deo, atque pueri omnes communiter habuere carnem et sanguinem, ergo et ipse carnis et sanguinis particeps factus est similiter, quia eodem modo fragilem naturam habuit ut illi, præter peccatum; et ideo talem assumpsit naturam, ut eam morti daret, pro illis, et moriens diabolum occideret. Nisi enim homo esset, qui diabolum vinceret, non juste, sed violenter ei tollerentur homines. Ideo mori voluit, *ut per mortem* sui innocentis *destrueret* principem mortis. Non quæsivit alia arma quibus pugnaret contra mortis auctorem, nisi ipsam mortem. Et per eam destruxit *eum*, id est deorsum struxit atque subvertit velut aliquod ædificium altitudinem superbiæ ejus et fortitudinem potentiæ ipsius, *qui habebat mortis imperium*, quia ex quo sibi per Adam captivaverat humani generis liberum arbitrium, jam quadam potentia imperabat, id est suadebat hominibus ea quæ ad mortem ducunt, id est peccata, et nemo illi resistere poterat, quia nemo peccatum omnino respuere valebat. Non enim ob aliud dicitur imperium et potestatem mortis habuisse, nisi quia peccatum persuasit, ex quo mors accidit. Unde ille qui sine ullo peccato vel originali vel proprio mori dignatus est, innocenti morte sua hunc principem iniquitatis et morti destruxit, et potestate privavit, *id est diabolum*, qui interpretatur *deorsum fluens*, quia et ipse semper ad ima per nequitiam defluit, et eos, qui sibi consentiunt, defluere facit, donec in infernum decidant. Sic enim habet super eos mortis imperium. Sed nos econtra sursum tendamus, quo Chri-

Digitized by Google

stus nos vocat, qui et morte sua liberavit a principe mortis. Nec tantum ideo mori voluit, ut hunc hostem destrueret, sed etiam *ut liberaret* a jugo timoris, et a servitute legis *eos*, videlicet Judæos, *qui erant obnoxii servituti*, id est ut timorem pœnæ eis auferret, et amorem justitiæ per Spiritum sanctum infunderet, ut in libertate Deo servirent. Qui non ad horam, sed per totam vitam præsentem quandiucunque duraret, erant obnoxii servituti legis, serviliter adimplendo carnales ejus observantias *timore mortis* corporis et animæ, quia timebant corporaliter occidi, si legem violarent, et post obitum in inferno cruciari, quoniam et in lege didicerant Abiron et Dathan cum suis vivos in infernum cecidisse (*Num.* XVI), et in prophetis æterna reproborum supplicia manifestius audierant. Sed Christus moriens, liberavit eos et a jugo legis, et ab inferno; et nunc electi ejus mortem desiderant, ut ad regnum transeant. Ecce quanta bona operatur mors per Christi gratiam. Qui utique poterat etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem. Sed, si hoc fecisset, carnis quædam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post mortem beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret; sed propter removendam mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Plus ergo gratiæ præstitit fidelibus suis. Quid enim magnum erat, videndo non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? Quanto majus est ita credere, ut se speret moriturum sine fine victurum? Enervis enim et debilis est fides, nec fides omnino dicenda, si homines credendo præmia visibilia consequantur, id est si fidelibus immortalitas in hoc sæculo reddatur. Hinc et ipse Dominus mori voluit, ut sicut dictum est, per mortem evacuaret eum, qui potestatem mortis habebat, et Judæos a servitute legis eriperet.

« Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen « Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fra- « tribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pon- « tifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In « eo enim in quo passus est ipse et tentatus, po- « tens est et eis qui tentantur auxiliari. »

Dictum est quia participavit carni et sanguini ut moreretur, et ita principem mortis angelum destrueret, et merito sic dictum est, quia *nusquam*, in nullo Scripturarum sacrarum loco *apprehendit* ipse *angelos*, qui ab eo recesserant. Nusquam in Scripturis invenitur quod voluisset apprehendere, id est ad se prendere et reducere angelicam naturam quæ perierat, cum omnes Scripturæ de hominum reparatione concorditer loquantur. Duas enim ad intelligendum se creaturas fecerat, angelicam scilicet et humanam. Utramque vero superbia perculit, et a statu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed una tegimen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne gestavit, angelus namque solummodo spiritus, homo vero spiritus et caro. Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse, et eo altius apostatam angelum debuit repellere, qui, cum a persistendi fortitudine corruit, nil infirmum ex carne gestavit. Est adhuc aliud, quo et perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimirum angelus sua malitia cecidit, hominem vero aliena prostravit. Propterea nusquam, id est in nullo, sicut diximus, Scripturarum loco vel nusquam, id est nec in cœlo, nec in aere, nec in terra, nec in abysso apprehendit angelos apostatas, imo penitus deseruit, eos, *sed semen Abrahæ apprehendit*, quia nos quasi recedentes ab eo et longe fugientes insecutus misericorditer apprehendit, et in unam personam nostræ fragilitatis naturam sibi contemperavit. Semen, id est filios Abrahæ apprehendit. Melius posuit Apostolus semen, quam si posuisset filios, quia semen tam de longinquis quam de propinquis *parentibus* dicitur, filii vero magis dicuntur propinqui. Gentes ideo omittit, quia Judæis loquitur; et quod posuit semen Abrahæ, sufficit suæ intentioni. Et etiam per hoc reddit eos magis obnoxios Christo, qui non ad gentes, sed ad Judæos missus est, sicut ait : « Non sum missus nisi ad oves, quæ periere domus Israel (*Matth.* XV). » Vel etiam gentes ad fidem conversæ, sunt semen Abrahæ, quia, dum in Abrahæ semen, id est in Christum credidere, ejus filii facti sunt, cujus semini sunt uniti. Unde eis dicitur : « Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis (*Galat.* III). » Sive igitur de Judæis, sive de gentibus fideles, semen Abrahæ sunt, quod Christus apprehendit. *Unde*, id est propter hanc causam, *quia* non angelos, sed homines apprehendit, *debuit fratribus similari*, ut homo fieret quod illi erant. Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda. Idcirco namque redemptor noster non angelus, sed homo factus est, quia hoc procul dubio fieri debuit quod redemit, ut et perditum angelum non apprehendendo desereret, et hominem in semet-ipso apprehendendo repararet. Semen Abrahæ apprehendit, id est carnem de Abraham, ut filios ejus salvaret. Ideoque fratribus *per omnia*, præter peccatum, similari debuit, ut similiter esset homo mortalis et passibilis, et habens omnia cætera quæ sunt naturaliter hominis. Per omnia similatus est eis, quia natus, educatus, crevit, passus est et mortuus. Qui, si aliter appareret, quomodo non homines coactos, sed volentes ad salutem reduceret? Non enim haberent quem imitando sequerentur, nisi hominem viderent sibi per omnia similem quem imitari possent. Ob hoc præcipue nobis similari debuit, *ut misericors fieret*, id est ut ille Deus, qui semper misericors exstitit, et affectum pietatis erga creaturam suam habuit, humanum corpus haberet, ut in corde compungeretur nostra miseria et in-

Digitized by Google

firmitate, sicut Evangelium narrat eum frequenter pro nobis gemuisse et flevisse, ut veraciter compatientem nobis et condolentem miseriis nostris. Et, quia posset nobis compati per consortium ejusdem naturæ mortalis, nec tamen a miseriis eripere, subditur : *Et fidelis pontifex ad Deum;* fidelis enim pontifex factus est, ut fideliter nobis exstrueret pontem super fluctus sæculi hujus ad terram viventium (*Marc.* VII, VIII; *Luc.* XIX; *Joan.* XI). Nullum enim fallit, sed omnes per pontem quem ipse fecit, gradientes fideliter ducit ad Deum. Pontem quippe fecit, qui facultatem dedit nobis calcandi et superandi mundanos fluctus, atque transeundi super eos ad patriam vitæ, et perveniendi ad Creatorem nostrum, per hoc quod liberum arbitrium nobis restituit, et auxilium suæ gratiæ nobis concessit, ac se mediatorem dedit, *ut repropitiaret delicta populi*, id est removeret negligentias et culpas, quibus Deum populus derelinquebat. Repropitiare componitur ex re, et prope, et cieo, cies. Et culpæ quibus delinquimus, id est derelinquimus Deum, et elongamur ab eo, quasi propinquant Deo, dum importune increscunt in oculis ejus, et iram ejus irritant. Sed benignus pontifex et mediator noster repropitiat eas, id est retro ciet eas de eo quod fuerant prope, hoc est removet eas a facie Dei, misericorditer interpellans pro nobis, et delens eas, et bene potest delicta nostra repropitiare, quia et a peccato nos potest in tentationibus custodire. Nam *in eo in quo passus est*, id est in inferiori substantia, in humanitate scilicet, de qua minus videretur, potens est nobis in tentationibus subvenire. In eo, id est in homine, in quo passus est a Pilato (*Joan.* XIX; *Matth.* XXVII; *Marc.* XV), qui in divinitate semper mansit impassibilis, *ipse* idem antea tripliciter *et tentatus* a diabolo, *potens est et eis qui tentantur, auxiliari*, id est eis qui post baptismum vel a diabolo vel recursu pravæ consuetudinis tentantur, subvenire potest, ne corruant, ne ad ipsum, unde per gratiam Dei liberati sunt peccato ducente recurrant. Nam idcirco ipse prior tentari dignatus est, ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram vencrat sua morte superare. Notandum quod tentatus in propria significatione de ipso etiam Domino potest dici, quia multum contemnebat eum diabolus, cum impotentem hunc ad panem ex lapide faciendum arbitraretur, et avaritiam ei persuadere conaretur (*Luc.* IV; *Matth.* IV). Hucusque immoratus est Apostolus in hoc quod abundantius oportet nos observare ea quæ a Christo et ejus discipulis audivimus, quam quæ ab angelis, quoniam omnia illi subjecta sunt, sicut auctoritate prophetica probatum est. Nunc autem ingreditur facere comparationem inter Christum et Moysen, ut ostendat quia verba Christi magis quam Moysi sunt observanda, ut sic magis ac magis persuadeat illis ea, quæ Christus prædicavit, esse tenenda omnia; et nihil eum fecisse vel docuisse, quod non fuisset illi injunctum a Patre, et hoc est quod sequitur.

A

B

C

D

CAPUT III.

« Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum sicut Moyses fidelis in omni domo illius (*Num.* XII). Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant : Christus vero tanquam Filius in domo sua. Quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus. »

Dictum est superius quia Christus est pontifex noster ad Deum, et quia pro nobis passus est, et potest etiam secundum quod homo est, auxiliari nobis in tentationibus. *Unde*, id est ex omnibus his præmissis, vel propter omnia hæc supra dicta, o *fratres*, id est ex fide matre geniti, et per eamdem *sancti*, id est a peccatis mundati, ac bonis operibus instituti, et *participes* quoque *cœlestis vocationis*, quia sicut et vos vocati estis ad cœlestia, ut æternam ibi cum Christo possideatis hæreditatem, propter quod et ei multum debetis esse obnoxii et obedientes, qui vos ad cœlestia vocavit per gratiam suam, et animos vestros ad excellentiam novarum ejus promissionum erigere. Vos, inquam, o fratres, filii unius cœlestis Patris et unius Ecclesiæ matris, propter hæc omnia *considerate*, id est oculis cordium attenti conspicite *apostolum*, quem vobis Deus misit, scilicet unigenitum suum. Merito Paulus istis se non scripsit apostolum, quibus nunc Jesum nominat apostolum, quoniam prærogative est eorum apostolus, sicut ait : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV). » Et si carnales observantiæ ad cœlestem habitationem et vocationem sufficere possent, nunquam tantus, tam dignus esset eis missus, Ἀπόστολος enim *missus* interpretatur. Considerate igitur hunc apostolum, diligendo et imitando eum, et faciendo voluntatem ejus; et considerate hunc eumdem *pontificem*, id est intercessorem, et viam nobis sternentem ad terram viventium, quia et pro nobis interpellat, et facultatem nobis parat, ut super fluctus sæculi ac super cuncta labentia transeamus ad cœlestem patriam, pontificem dico *confessionis nostræ*, id est quem omnes Christiani confitemur, et quem *Jesum*, id est Salvatorem agnoscimus. Omnes videlicet confitemur, quia hunc salutis largitorem habemus, et alio non indigemus, quia ipse omnino sufficit ad salutem. *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, id est Patri qui, secundum humanitatem creavit illum, quia quidquid ei Pater injunxit, totum ipse fideliter adimplevit, quia non suam, sed Patris gloriam quæsivit, nec ejus mandata abscondit, neque suam,

Digitized by Google

sed Patris voluntatem facere venit, et ideo, si carnales cæremonias evacuavit, in hoc paternæ voluntati non contradixit, sed potius fideliter obedivit, fidelis est Patri, *sicut fidelis fuerat Moyses in omni domo illius*, id est in omni plebe Judæorum. In domo illius, id est Jesu vel Patris, fuit fidelis Moyses, quia minister erat, non Dominus. Et quæcunque Dominus præcepit ut Moyses puniret, punit; quidquid illi Dominus injunxit, totum ille fecit vel docuit, et ad opera voluntatis Domini peragenda Judæos coegit. Sic et Christus fidelis est Patri, faciens omnes voluntates ejus in omni domo, id est in omni Ecclesia ejus tam Judæorum quam gentium. Et ideo fidelis est in hac domo, non solum idololatriam de gentibus evacuans, sed et carnales de Judæis annihilans. Dixi ut consideretis hunc apostolum, quod facere debetis, quia *iste est præ Moyse*, id est major Moyse, et hoc considerate. Nam, si Moyses vobis sufficere posset ad justitiam et salutem, nunquam iste tantus mitteretur vobis. Nam iste *habitus* est a Patre *dignus amplioris gloriæ* præ Moyse, id est majoris honorificentiæ et coronæ, quam Moyses. Secundum usum Latinæ locutionis dicere debuisset, dignus ampliori gloria; sed secundum Græcos dicit, dignus amplioris gloriæ. Vel amplioris gloriæ habitus et reputatus est iste præ Moyse, quia dignus est per meritum, ut majoris gloriæ habeatur. Non enim per solam gratiam vel naturam hoc habet, sed et per justitiæ meritum. Præ Moyse est in gloria et in merito. Nam iste est Filius, Moyses vero famulus; iste sanctificans, Moyses vero sanctificatus; iste immunis ab omni peccato, usquequaque consummatus in omni bono. Moyses autem non sine peccato, qui semper crescere potuit in aliquo bono, et in tantum judicatus est a Patre dignus habere majorem gloriam et exaltationem post hanc vitam, in quantum habuit in hac vita majorem venerationem apud fideles et sibi subditos, quam Moyses habuerat apud suos. Moyses enim reputatus est Dei famulus, Dei minister bonus, Dei dispensator fidelis, quem subditi venerarentur non sicut Deum, sed sicut magistrum. Christum autem venerantur subditi sicut Deum, Creatorem suum, verum Deum, sufficientem ad gregem suum custodiendum, quod de Moyse non est putandum. Et sic amplioris gloriæ est iste præ Moyse, *quanto ampliorem honorem habet domus*, id est de domo vel in domo, *qui fabricavit illam* quam qui dispensat in ea. Quod de spirituali domo intelligendum, videlicet de plebe Dei, cujus Moyses dispensator agnoscitur, sed Christus fabricator, ipse enim fabricavit, id est in fide fundavit et in bonis operibus ædificavit domum Dei, quæ est Ecclesia, in antiquis et novis sanctis, et ideo longe sublimis honoratur in ea, quam Moyses. Dico quia fabricavit domum Dei. *Nam omnis domus*, id est omnis anima quæ fit templum Dei, *fabricatur ab aliquo* alio, quia per se ipsam non potest construi, nisi ab alio superiore construatur. Nihil enim boni valet habere a se sola.

A Sed *ille qui creavit omnia* virtutum bona in electis, *Deus est*, et hoc agere Christus potentia divinitatis suæ semper consuevit. Non solum enim creavit nos ut essemus, sed etiam ut boni essemus, si jam boni sumus. Quod si necdum boni sumus, rogandus est, ut qui nos fecit homines, faciat nos bonos. Ipse est ergo fabricator hujus sanctæ domus, ac per hoc aliter in ea quam Moyses honorandus. Et uterque quidem, sicut dictum est, fidelis fuit, quia officium injunctum bene implevit; sed tamen inter eos differentia fuit, quia *Moyses quidem fidelis erat sicut famulus*. Christus vero sicut Filius in domo Patris et Dominus. Et hoc est : *Et Moyses quidem fidelis erat*, id est fideliter implens quæcunque sibi divinitus imperabantur. Fidelis erat *in domo* non suam, sed B *ejus*, id est Patris vel Christi; et in *tota* domo illa, id est in universa plebe Judaica, malos arguens atque puniens, bonos autem exhortans et semper ad meliora promovens, non ut Dominus, sed *tanquam famulus*, quia non se dicebat Deum, sed famulantem ei qui se miserat; nec a Deo diligebatur ut Dominus, cujus erat propria domus, Moyses *in* qua fidelis erat, et hoc *in testimonium eorum quæ dicenda erant*, id est ut testaretur et confirmaret ea quæ conveniebant dici carnalibus, qui nondum spiritalia capere poterant, non ut gratiam daret. Dicebat enim fideliter populo quæ Deus præceperat. Quibus dictis dabat testimonium multis rationibus et miraculorum signis et variis assertionibus. Dico quia Moyses erat ut famulus in domo C Domini, *Christus vero* non sicut famulus, sed *tanquam filius* qui jure est hæres, et tanquam dominus *in domo* non aliena, sed *sua*, quia propria erat ejus, sicut et Patris, ac si dicatur : Et si uterque prælatus est domui Dei, et in sua locutione fidelis exstitit, magna tamen differentia est, quia Moyses erat in domo Domini tanquam famulus, Christus vero tanquam Filius in domo Patris, et hæres et Dominus. Et cum tanto sit major Christus, debet omnino recipi. Moyses vero minor, in carnalibus observantiis postponi. Moyses enim sine Christo non proderit. Christus autem solus ad omnia sufficit. Diceret nunc aliquis : Quid ad nos si Moyses vel Christus est in domo? Nescimus enim D quæ sit illa domus, nec per hoc nobis Christus commendatur, quia, etsi homines fuerunt illa domus, illi potius credendi sunt hoc exstitisse, qui fuerunt temporibus Moysi vel Christi, non autem nos qui modo sumus, cui videtur respondere Apostolus, *Quæ domus sumus nos*. Quasi dicat : Ne diffidatis de domo, quia nos sumus domus Dei. Nos fideles et in hoc tempore, sicut antea patres nostri, sumus illa domus, quam Christus sua morte fabricavit. Hac tamen conditione dico nos esse domum divinæ habitationis, *si* retineamus *fiduciam*, id est si spem certissimam quam dedit nobis, non amittamus, sed indubiam fortiter retineamus, hoc est si certissime salutem in Christo speramus sine carnalibus observantiis, tunc sumus domus in qua per fidem habitat.

Digitized by Google

Fiducia namque pro spe hic accipitur. Et quia nemo potest sperare, nisi spes ex bona conscientia surgat, addit *et gloriam spei*, id est si retineamus et bonam conscientiam, quæ est causa spei, et decus et gloria mentis, per quam in spem erigimur, quia sic ut idem Apostolus dicit : « Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I), » et quia nonnulli conscientiam boni operis habent, per quam gloriari in Deo possunt et sperare, sed tamen vacillantem, ponit *firmam*. Et quia firmam per mensem vel annum possent habere, subdit *usque in finem*, id est usque ad obitum, qui « quia perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth* XXIV). » Vel fiduciam *retineamus*, ne subrepente aliqua infidelitate, diffidamus nos per Christum posse salvari, quærentes salutis auxilium in carnalibus observantiis, sed sine his solum Christum ad omnia sufficere indubitanter confidamus. Idcirco enim ostensus est Christus longe nobilior Moyse, ut solum Christum teneamus, in quo habebimus omnia, et gloriam spei, id est gloriosam spem, quia est de jucunditate cœlesti ; firmam, id est perdurantem usque in finem vitæ, quando accipietur quod nunc speratur.

« Quopropter, sicut dicit Spiritus sanctus : Hodie « si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda « vestra (*Psal.* XCIV), sicut in exacerbatione secun- « dum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt « me patres vestri, probaverunt et viderunt opera « mea quadraginta annis. Propter quod infensus « fui generationi huic, et dixi semper hi errant « corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, « quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem « meam. »

Nunc iterum invitat eos terrendo ad fidem, ne propter incredulitatem perdant æternam requiem, sicut patres eorum in deserto; qui, quia increduli fuerunt, terram promissionis suæ significatam amiserunt. Domus Dei sumus, si non per incredulitatem diffidamus, sed certa fide fiduciam teneamus. *Quapropter nolite* per infidelitatem *obdurare corda vestra*, et hoc ita moneo, *sicut dicit Spiritus sanctus*, id est eamdem intentionem ego nunc in vestra correctione habeo, quam habuit Spiritus sanctus, quando dixit istud ore Davidico. Nec solus ego hoc suadeo, sed Spiritus sanctus hoc idem similiter suadet. Et idem bonum ego vobis permitto, si obedieritis; vel malum, si cor obduraveritis, quod Spiritus sanctus promisit, cum ad vos et alios in tempore gratiæ futuros vocem dirigeret, dicens : *Hodie*, *si vocem*, et cætera. Sanctus enim Spiritus prævidens duritiam cordis Judæorum, quia contra vocem Domini Jesu obduraturi erant infideliter cor suum, et ideo auctoritate sua volens eos a duritia cordis revocare, et ad integritatem fidei Christi invitare, scilicet ut nihil salutis putarent esse in carnalibus observantiis post adventum veritatis, dixit : *Hodie*, et cætera. Et per hoc multum revocat Apostolus Judæos hanc prophetiam habentes, quoniam ostendit Spiritum sanctum hoc idem tanto tempore antea prædixisse, quod nunc dicitur eis in tempore gratiæ. *Hodie*, id est hac egregia et nobili die, scilicet in hoc tempore gratiæ notabili et præclaro inter omnes alias ætates, in quo Deus majorem pietatis affectum hominibus exhibuit, quam in aliis temporibus ; *si vocem ejus*, id est novam Christi prædicationem *audieritis*, nullum incredulitatis signum remaneat in vobis. Modo per se loquitur, qui prius per præcones loquebatur; si tunc duri fuistis, vel nunc estote molles. Quod ait, *si vocem ejus audieritis*, non dubitat illos eam audituros, sed per hoc magis attentos facit ad audiendum, quasi incertos reddit et suspensos, ne forte contingat ut non audiant. *Nolite obdurare*, id est contra eum dura facere *corda* quæ sunt *vestra*, id est in vestræ voluntatis arbitrio, *sicut* obduraverunt patres vestri carnales (*Exod.* XVI, XVII, XXXII ; *Num.* II, XXV) *in exacerbatione*, id est in acerrima offensione, qua sibi Deum reddiderunt acerbum, cum non crediderunt quod Deus esset illis traditurus terram repromissionis, sicut pollicitus fuerat, nec cœlestem requiem, quæ per eam significabatur. Nolite, inquam, nunc obdurare corda *secundum diem tentationis in deserto*, id est sequentes et imitantes diem et tempus, in quo patres vestri me tentaverunt, et ex diffidentia panem petierunt, atque cum hæsitatione dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? » (*Psal.* LXXVII) et alia hujusmodi, et hoc fecerunt in deserto, postquam de Ægypto educti fuerant, ubi Deum tentare non debuissent, cujus tot et tanta jam viderant opera, scilicet seipsos in manu valida de Ægypto per mare Rubrum sicco pede eductos, et hostes eorum in mari submersos (*Exod.* XIV), et alia multa magnalia. Quare postmodum non debuissent de protectione gratiæ ipsius propter aliquos hostes diffidere. Cum enim audissent ab exploratoribus (*Num.* XIV), habitatores promissæ terræ fortes ad prælium, obliti sunt virtutis Dei toties probatæ, nec crediderunt illum esse potentem ad terram illam populo suo subjugandam propter quod et indigni fuerunt intrare in illam. Vos autem cavete ne similiter facientes, a vera sanctorum patria excludamini. Nam et vos spiritaliter ab Ægypto educti estis, id est a tenebris ignorantiæ, et ab afflictione vitiorum liberati, submersis in baptismo vestris hostibus diabolo cum omni pompa ejus et exercitu vitiorum ; et ducente Domino, ad hoc promoti estis, ut mundum istum et præsentis sæculi habitationem, desertum, et locum horroris atque peregrinationem et exsilium esse intelligatis. Et ideo non debetis amplius Deum tentare per aliquam diffidentiam, ut putetis vos sine carnalibus observantiis per Christum non posse salvari, quia tunc non intrabitis in electorum patriam, sed certissima fide credentes vos per eum esse salvandos, sola ejus præcepta servare. Quia vero dixit diem tentationis, et a quibus esset illa tentatio facta, non dixit, ideo nunc exponit qui Deum in deserto tentaverunt. Ubi, id est in quo deserto *tentaverunt me patres vestri*. quorum tenta-

Digitized by Google

tionis et exacerbationis filii et imitatores estis, dum in fide dubitatis, et ideo timendum est vobis, ne quos habetis patres in culpa, imitemini in eadem pœna. Jam ergo tales non sint patres vestri, nolite eos imitari. Patres vestri erant, sed, si non imitati fueritis, patres vestri non erunt, *probaverunt me*, id est curiositatis causa exquisierunt an possem facere quæ petebant; *et viderunt opera mea quadraginta annis*, quia tam longo annorum spatio feci coram eis in manu Moysi miracula, et ipsi magis ac magis obduraverunt corda; ad hoc cum illis sui per quadraginta annos, ut ostenderem tale genus hominum quod me semper exacerbaret, usque in finem sæculi fore, quia per illos quadraginta annos totum hujus sæculi tempus significatum est. Ipsi me tentaverunt per infidelitatem suam. *Propter quod* ego *fui infensus*, id est contra iratus *generationi huic* tam perversæ, quæ et genus hujusmodi rebellium hominum in Ecclesia usque ad finem mundi semper futurorum designavit. Et licet me offenderent, tamen ego, *dixi semper* de illis, hi *errant corde*, id est per Moysen et Aaron misericorditer annuntiavi et corrigere studui errorem, quem corde etiam habebant et scienter et voluntarie, dicens: *Illi errant corde*, id est ex propria deliberatione, quia serio peccant; et cum sciant se male agere, non desistunt. Ego quidem paterna benignitate revocabam eos, sed *ipsi non cognoverunt vias meas quibus* incedebam, id est misericordiam, qua eos corrigere studebam; et veritatem, qua eos, si in malo perseverarent, damnare disponebam, quia universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV). Vel non cognoverunt vias meas, id est non intellexerunt præcepta mea, per quæ venitur ad me, quia ego spiritaliter locutus sum, « scimus enim quoniam lex spiritalis est (*Rom.* VII), » ipsi autem carnaliter intellexerunt. Ita non cognoverunt vias meas, *sicut* illis merentibus ego *juravi*, id est immutabiliter confirmavi, et hoc feci *in ira mea*, id est in dispositione ultionis sumendæ, *si introibunt in requiem meam*, id est non introibunt in terram promissionis, in qua eos requiescere facturus eram; nec in regnum cœlorum, quod per hanc significatur, ubi perennis est requies. Duo notat, et quod pœnas eis dedit, et quod requiem negavit. Nam in ira, qua negavit requiem, sumpsit ultionem. Defectus quoque dictionis, vehementiam iræ designat, cum dicitur: *Si introibunt in requiem meam*, quamvis ira Dei non sit ut hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla dispositio justi simpliciter constituti. Vehementer enim minatur, cum quasi præ nimia ira imperfectam relinquit sententiam, dicens: *Si introibunt in requiem meam*. Et cum juramento minatur istud. Multum ergo timenda est hæc comminatio. Nam loqui Deum, magnum est, quanto magis jurare Deum. Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat quod contra voluntatem ejus est. Quanto magis Deum, qui nihil temere jurare potest? Historialiter hoc loco reducit ad memoriam, quod miserunt videre terram; et cum audierunt ibi esse inexpugnabiles viros, obliti virtutis Dei toties probatæ, dixerunt: « Revertamur in Ægyptum (*Num.* XIII, XIV). » Unde juravit Dominus quod non intrarent in terram illam, quæ est requies laborum, et sic omnes in solitudine mortui sunt præter duos; et sicut illi per incredulitatem et diffidentiam terram amiserunt, quæ illis parata erat ut requiescerent in ea, ita vos, si in fide Christi dubitaveritis, vel inobedientes illi fueritis, veram justorum patriam non ingrediemini. Hucusque terrendo locutus est, ne sint increduli Christo, sicut patres illorum Moysi, ne veram perpetuæ beatitudinis quietem amittant, sicut patres illorum requiem sibi promissæ terræ. Hinc blandiendo monere incipit, ne requiem illam amittat, et temporis opportunitatem suadet, ut ad eam festinetur, subjungens:

« Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum « cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, « sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, « donec hodie cognominatur, ut non obduretur « quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim « Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ « ejus usque ad finem firmum retineamus, dum di- « citur: Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite « obdurare corda vestra, quemadmodum in illa « exacerbatione. Quidam enim audientes exacer- « baverunt, sed non universi qui profecti sunt ab « Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est « quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt « quorum cadavera prostrata sunt in deserto? « Quibus autem juravit non introire in requiem « ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus « quia non potuerunt introire propter incredulitatem. »

Leniter incipit admonere, ut libentius admonitionem suscipiant. *Videte*, inquit, *o fratres*, quasi dicat: Mihi debetis acquiescere, qui vos fraterna dilectione admoneo. Videte, id est rationabili consideratione cavete, ne quis vestrum habeat cor incredulum, et excludatur ab æterna requie fidelium. Sed illud, quapropter, quod supradictum est, nonnulli volunt huic monitioni jungere, ita: Domus Dei sumus, si fiduciam et gloriam spei retineamus. » Quapropter videte, fratres, ne diffidatis. Videte *ne forte*, quia in vestro est arbitrio, et ad utrumque se habet *sit in aliquo vestrum*, quia de multis non dubito, qui perfecti sunt, *cor incredulitatis*, ut non credat Christum ad salutem sufficere, quia, *malum*, est tale cor, quoniam sic ruit in multam peccatorum voraginem, et post in mortem. Nam hujusmodi cor est cor, id est voluntas *discedendi*, id est diversis viis cedendi et fugiendi *a Deo vivo*, id est a Christo, qui, sicut legimus, est Deus verus et vita æterna. Qui enim ab eo diversam viam incedit, a vita discedens ad mortem tendit. Quod inter istos nonnulli faciebant, dum in fide Christi dubitantes, eum sine carnalibus observantiis ad justitiam et salutem sufficere posse non crederent; et ita jam

Digitized by Google

pro exiguo fidem ejus ducentes, facile ab ea recedere vellent. Et minus est per aliam culpam a Deo discedere, quam per incredulitatem eum omnino postponere. Qui enim fidem abjicit, omnino a Deo recedit. Qui vero per aliam ab eo culpam discedit, sperat adhuc reverti. Per hoc quod dixit, cor incredulitatis, intelligi poterat cor malum, et cor discedendi a Deo vivo. Sed ideo posuit, quia istæ voces magis valent ad absterrendum eos. Non habeatis cor incredulitatis, *sed* potius *adhortamini*, non diversos, non alterius gentis homines, sed, *vosmetipsos*, adinvicem. Quod enim dixit, vosmetipsos, ostendit hortationem eorum adeo necessariam inter eos esse, ut non oporteat extendi ad alios, adhortamini vos invicem, ut sincere credatis, et pie ac sancte vivatis, et hoc *per singulos dies*, id est quotidie, et non per unum annum vel duos tantum, sed *donec cognominatur Hodie*, id est quandiu insimul dies hodie cognominantur. Nam quod dixit, hodie cognominatur, voluit notare multitudinem dierum esse in tempore gratiæ. Quod tempus est hodie, id est magnum et demonstrabile; et est dies, id est clarum post tenebras erroris et ignorantiæ donec hodie cognominatur, id est quandiu tempus gratiæ durat, adhortamini vosipsos de incremento fidei cæterarumque virtutum, quia non minus modo potestis proficere, quam præsente Christo, vel donec hodie cognominatur, id est quandiu vita præsens unicuique manet, in qua semper dicitur, hodie adhortamini vosipsos semper ad meliora. Si quis enim peccavit, usquequo est hodie, potest reverti. Nemo igitur desperet dum vivit. Sed neque securus incaute fiat, quia nescit quando sibi istud hodie determinetur, ideo vos adhortamini, id est *ut non obduretur quis ex vobis*, id est non fiat durus et incredulus contra monitionem Spiritus sancti, qui cor ejus molle vult facere, ut possit in eo verba sua velut in cera scribere. Non obduretur quis, neque enim de multis metuo. Nam obduratur contra fidem *fallacia peccati*, id est errore peccati se fallente sub virtutis specie, si cum fide Christi legem, quoniam a Deo data est, putaverit saluti necessariam. Sic enim falletur peccato, id est male faciet, dum se putaverit benefacere quia ex observatione legis Deum offendet, cui se per eamdem legis observantiam placere credet. Nam qui legem adhuc observat, Christum venisse negat. Et ideo non debet quisquam nostrum obdurari tali fallacia, ut sub occasione legalis observantiæ discedat a Christo evacuans fidem ejus. Nam *participes Christi sumus effecti*. Non enim potest fieri discessio, ubi primum non fuit conjunctio. Sed nos jam Christo sumus conjuncti, et ideo non discedamus ab illo. Effecti sumus participes Christi in nomine et gratia, quia et Christiani vocamur, et gratiam ejus percipimus; per quem quidquid boni habemus, assecuti sumus, scilicet fidem, peccatorum remissionem, innocentiam et justitiam, etc. Vel participes Christi sumus effecti, id est spe sumus jam participes ejusdem in corruptionis et gloriæ quam Christus habet. Ac si dicatur: Debetis adhortari et non esse duri, quia quod non eramus, facti sumus per gratiam, habentes partem cum Christo in hæreditate. *Tamen*, hac conditione dico, *si retineamus initium substantiæ ejus*, id est fidem quæ est initium verborum, per quam Deus existit in nobis, et per quam deificamur et divinæ substantiæ participamus. Fides enim est substantiæ initium, id est incorporationis ejus, quia fundamentum est origo virtutum, per quas ipse constat in nobis, et nos membra ejus efficimur. Et hoc initium oportet ut retineamus non titubans, sed, *firmum*, et inconcussum; nec per mensem vel annum, sed *usque ad finem*, vitæ præsentis, ut scilicet nunquam deseramus fidem. Et ne dicerent, vobis apostolis tantum et Christi contemporaneis jussum est ut fidem teneant, subjungit, *dum dicitur, hodie*, etc. Ac si dicat: Non tantum his qui Christum audiere loquentem, præceptum est tenere fidem, et non obdurare corda, sed etiam vobis hoc idem est injunctum, et cæteris omnibus dum dicitur, id est quandiu dicitur, *hodie si vocem ejus audieritis*, hoc est per totum tempus gratiæ vel præsentis vitæ. Vel ita: Non solum auditores Christi, fidem debuerunt adhibere dictis ejus, sed et vos, quandiucunque dicitur hodie si vocem ejus audieritis, id est quandiu vocem divinæ prædicationis in hoc sæculo potestis audire,, *nolite* infideliter *obdurare corda vestra*, contra vocem Dominicæ admonitionis, *quemadmodum*, obdurarerunt patres vestri *in illa*, notabili et magna, *exacerbatione*. Nolite pravorum exempla sequi, sed bonorum. Nam, *quidam*, illorum, *audientes*, in deserto vocem Dei, pollicentis quod induceret illos in terram promissionis, in qua et requies æterna figurabatur, dubitaverunt Deum hæc agere posse, et sic hæsitatione sua, *exacerbaverunt* eum, id est acerbum sibi et asperum reddiderunt. Qua sententia demonstratur non satis esse audire de illa requie, quia illi omnes audierunt, sed non omnes pervenerunt. Nam et vos nunc auditis quod Christus vobis credentibus requiem illam promittat. Si dubitaveritis eum sine carnalibus observantiis vos in illam inducere posse, exacerbabitis eum sicut patres vestri, nec intrabitis in illam. Pejus est enim exacerbare quam tentare. Quidam exacerbaverunt, *sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen*; id est per ducatum Moysi. Nam inter eos erant Caleb et Josue, qui non offenderunt, et hos debetis imitari. Nam et vos ducatu veri Moysi, id est Christi, educti estis a tenebris ignorantiæ et erroris. Ideoque non debetis amplius Deum incredulitate et pravis moribus exacerbare, sed fide et bonis operibus ad terram perpetuæ beatitudinis vobis promissam festinare. Per hoc quod dicit quosdam exacerbasse, sed non universos, innuit quod intelligebat inter istos quosdam dubitantes, et quosdam non dubitantes. Dico quod quidam exacerbaverunt, sed non omnes. Sed *quibus horum infensus est quadraginta annis?* id est utrum illis qui exacerbaverunt, an illis qui non exacerba-

Digitized by Google

verunt? *Nonne illis qui peccaverunt?* Utique illis. Quod ex affectu apparuit, quia *prostrata sunt*, id est procul a castris, et ab omni vicino strata sunt, *in deserto*, et præ multitudine jacuerunt insepulta *cadavera* eorum, exposita bestiis et avibus, id est corpora eorum, sicut brutorum animalium cadavera, relicta sunt *in deserto*, nec sepulturæ tradita, et in hoc apparuit ira Dei. Significant autem, ut supradictum est quadraginta anni totam præsentem vitam, vel spatium temporis usque ad finem sæculi. In quo quicunque post baptismum, vel infidelitate vel criminosa conversatione Deum irritant, non sunt digni pervenire ad terram viventium, sed in hujus mundi solitudine laniantur more cadaverum a feris et avibus, id est a malignis spiritibus, et ad æterna supplicia rapiuntur. Hieronymus in libro sexto super Ezechielem : « Pepercit, ait, oculus meus ne interficerem eos atque delerem; nec omnino consumerem (*Ezech.* xx). » In quo quæritur, quomodo eis pepercit, quorum cadavera in solitudine corruerunt, et excepto Jesu Nave et Caleb filio Jephone, terram repromissionis nullus ingressus est? Ex quo intelligimus vivere eos, nec æternis suppliciis reservatos, nec deletos esse de libro vel de terra viventium, nec consumptos ante faciem Domini. Si enim ex eo quod non sunt introducti in terram promissionis periisse credendi sunt, ergo Moyses periit, qui vidit tantum terram promissionis, et non est ingressus in eam. Peccantes quidem prostravit in mortem corporis, sed incredulis negavit requiem animæ post mortem. Et hoc est quod interrogative dicitur ad increpationem istorum, qui adhuc in fide dubitabant. Sed *quibus juravit non introire in requiem ipsius*, æternam, quæ significabatur per terram promissionis, vel in ipsam terram promissionis, *nisi illis qui increduli fuerunt*, ad vocem promissionis ejusdem requiei? Quasi dicat: Non aliis hoc juravit, sed illis. *Et videmus*, aperta ratione, *quia non potuerunt*, introire in illam requiem perpetuam, sicut nec in terram promissionis, *propter incredulitatem* suam. Complevit enim Deus comminationem juramenti sui, qua dixit incredulos in requiem suam non intraturos, et similiter faciet omnibus incredulis.

CAPUT IV.

« Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione « introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex « nobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est, quem- « admodum et illis. Sed non profuit illis sermo « auditus, non admistus fidei ex his quæ audierunt. « Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, « quemadmodum dixit : Sicut juravi in ira mea, si « introibunt in requiem meam (*Psal.* xciv), et qui- « dem operibus ab institutione mundi perfectis. « Dixit enim in quodam loco de die septimo sic : « Et requievit Deus die septimo ab omnibus operi- « bus suis (*Gen.* ii), et in isto rursum : Si introi- « bunt in meam requiem. Quoniam ergo superest « introire quosdam in illam, et hi quibus prioribus « annuntiatum est, non introierunt propter incredu- « litatem, iterum terminat diem quemdam hodie, in « David dicendo post tantum temporis, sicut supra « dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite « obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus requiem « præstitisset, nunquam de alia loqueretur post hac « die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. « Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam « ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis « Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, « ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exem- « plum. »

Et quia propter incredulitatem illi perdiderunt requiem, *ergo timeamus*, id est solliciti simus, ne et nos similiter eam perdamus ob infidelitatem, ut si non amore, saltem timore fugiamus incredulitatem. Timeamus, quia timendum est, *ne forte* (forte dico, quia in arbitrio vestro est, et ad utrumlibet se habet) *relicta pollicitatione*, id est ne contempta et neglecta atque deserta frequenti promissione, quam nobis Deus fecit, vel quam nos in baptismate fecimus Deo, *introeundi* per fidem et operationem *in requiem* quæ est *ejus*, id est potestatis illius, quia potest eam dare cui vult, *existimetur aliquis* nostrum *deesse*. Requiem illam nobis Deus promisit credentibus, non relinquamus promissionem ejus, sed certa fide teneamus eam, credentes quod sine carnalibus observantiis sola Christi promissione percipiemus illam. Timeamus ne quis *ex nobis*, id est ex nostro collegio tam religioso, relinquens istam pollicitationem, et hæsitans in corde suo, atque titubans in fide, det malam de sua salute cæteris opinionem, ut existimetur deesse ab illa requie propter incredulitatem suam, sicut antiqui patres. Nam unusquisque debet studere tam firmus esse in fide et bona operatione, ut cum obierit, non sit dubium ad requiem illam hunc pervenire. Cæterum qui dum quoad viveret, in fide nutavit ei in opere negligens fuit, existimatur post mortem ab illa deesse. Et hoc timendum est, ne cui nostrum contingat. Nam et ad nos pertinet de illa requie sollicitos esse, sicut pertinuit ad patres nostros. *Etenim et nobis* tempore gratiæ *nuntiatum* de illa *est* per filium, *quemadmodum* per figuram terræ promissionis nuntiatum est *et illis* de ea per famulum; et ideo non possumus excusationem de ea prætendere, quasi de ignorantia, quia non solum illis patribus, sed etiam nobis prædicata est illa requies. Nec solum in Evangelio, sed et ante legem, et sub lege docti sumus de illa. Nobis nuntiatum est sicut et illis. *Sed illis non profuit*, prosit vel nobis, non profuit illis *sermo*, id est illa quietis prænuntiatio, quia sermone tantum visa est eis; et ideo non profuit sermo, quia *auditus* tantummodo est, et non completus. Et vere tantum auditus, non factus vel creditus. Nam *non admistus fidei*, ut et sermo et fides simul jungerentur atque miscerentur, fidei dico quæ esset *ex his quæ audierunt* ab exploratoribus suis. Non enim fidem ex verbis eorum sumpserunt, sed magis amiserunt. Vel ex his quæ audierunt ab exploratoribus, factum est ut sermo,

Digitized by Google

quem prius audierant de illa requie, non admisceretur fidei illorum, sed falsus putaretur. Nam cum audirent terram promissionis circumdatam montibus, urbes habere munitissimas et habitatores fortissimos, desperaverunt intrare in requiem illam, quæ et futuram significat requiem; et si præsentis quietis spe perdita, dubitaverunt de illa quæ in hac erat præfigurata. Dixi quia et nobis nuntiatum est de illa requie, quod effectus probat, quoniam ingrediemur in illam. Non enim viam ingrediendi scivissemus, nisi nobis esset nuntiata. Vel ita : Illis qui non crediderunt, non profuit, quia nobis qui credimus, proderit. Nam *ingrediemur in illam requiem nos qui credimus, quemadmodum* ex opposito *dicit* de incredulis, *si introibunt in requiem meam.* Per quod patet, quia qui credunt, intrabunt. Ingrediemur enim credendo, sicut illi perdiderunt non credendo. « Non cognoverunt, inquit, vias meas, » sicut illis merentibus iram meam exhibui. Ita cæci fuerunt ad cognoscendum vias meas, sicut ego firmiter illis minatus sum quod non essent intraturi in requiem meam Palestinæ regionis, vel cœlestis habitationis, et sicut ablata est illis, quia non crediderunt, sic nobis promissa si crediderimus. Quia vero dixerat nuntiatum esse de illa requie, ostendit quando et quomodo sit nuntiatum, scilicet ante legem post perfectionem operum, et sub lege, quando per terram promissionis designabatur, et tempore gratiæ in David. Tres enim requies memorat, unam Sabbati, secundam in Palæstina, tertiam in cœlo. Nuntiatum est de requie, *et quidem* primo factis, deinde verbis. Nam *operibus Dei perfectis*, quæ fecerat per singulos dies *ab institutione mundi*, id est ex quo mundum cœperat instituere, subaudi, nuntiata est illa requies, quando Deus requievisse dicitur. Augustinus in sermone de decem chordis ait : in Spiritu sancto, hoc est in domo Dei requies nobis sempiterna promittitur. Nam quia Spiritus sanctus dicitur, propterea septimum diem sanctificavit Deus, quando fecit omnia opera sua, sicut in Genesi scriptum legimus, non ibi habes sanctificationem nominatam, nisi illo die in quo dicitur : « Requievit Deus ab operibus suis (*Gen.* 1). » Non enim fatigatus erat Deus, ut diceretur, « requievit Deus ab operibus suis, » sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit. Vel quia fecit omnia bona valde, et sicut dicitur, *requievit Deus*, intelligas etiam te post bona opera requieturum, et sine fine requieturum. Nam omnia opera superiora quæ dicta sunt, id est dies superiores, habent vesperam. Septimus iste dies non habet vesperam. Ubi Deus sanctificavit requiem, ibi dicitur, factum est mane, ut inciperet ipse dies. Non dictum est, facta est vespera ut finiretur dies : sed dictum est, factum est mane ut fieret dies sine fine. Sic ergo incipit requies nostra quasi mane, sed non finitur, quia in æternum vivemus. Ad hanc spem quidquid facimus, si facimus, Sabbatum observamus. Nunquam ab opere novo cessavit Deus, donec homo factus est; sed, eo facto, requievit ab omni opere, per quod designavit quia nullam aliam creaturam post hominem facturus erat, cui homo subderetur, et ad cujus servitium homo crearetur. Nam quia ipse requievit, homine facto, intelligimus quod propter hominem fecerat omnia. Ideo promissa est homini requies operibus perfectis ; et quod requies ac beatitudo sit ei promissa, ostendit Scriptura. Nam *in quodam* notabili et egregio *loco dixit* Spiritus sanctus *de die septima*, per quam significata est requies æterna, quia non describitur habuisse vesperam, *sic*, id est talibus verbis, *dixit : Et requievit Deus die septimo.* Cur enim diceret post illam diem, in qua homo creatus est, sequenti die requievit et ab opere cessavit, nisi per hoc vellet innuere, quoniam illum, post cujus creationem requievit, ad requiem et beatitudinem fecit? Per sex dies ab illa creatione non requievit, quoniam nihil perfectum vidit, donec homo dominus et possessor omnium creatus fuit. Sed eo perfecto, perfecta sunt omnia, et tunc tandem cessavit ab omni opere, quia tunc omnia perfecta fuerunt, quoniam hominem propter quem facta erant, habuerunt. Requievit Deus *ab omnibus operibus suis*, id est cessavit a nova operatione, ut nihil amplius faceret, nisi de materia ibi facta, vel ad similitudinem eorum, quæ jam ibi fecerat. Sex diebus operatus est, septima quievit. Sic et sexta ætate homo natus est mundo ad laborem. Sexta die et sexta diei hora passus, septima quievit in sepulcro. Per quod nos docuit post opera nostra, quæ sex ætatibus, id est infantia, pueritia, adolescentia, juventute, senectute et senio fiunt, debere quiescere in septima ætate, quasi septima die. Prima enim ætas, ut dixi, infantia est lactis ubere nutrienda. Secunda, pueritia solido cibo jam apta. Tertia est adolescentia, sufficiens ad generandam sobolem. Quarta, juventus robusta et honoribus apta. Quinta est senectus, quando juventutis ardor refrigeratus et exstinctus est, quoniam fervore carnis mitigato, vita ducitur in tranquillitate. Sexta est decrepita ætas, quando perit homo qui fuerat, quando, viribus amissis, jam positus est in introitu mortis. Post harum finem ætatum sequitur mors. Eodem modo et in spiritali vita sex possunt ætates notari. Infantes enim sunt, qui sensu imbecilles, sola auctoritate se defendunt, qui de sua fide sine aliqua ratione auctoritatibus Patrum humiliter acquiescunt. Pueri sunt quorum sensus jam aliquantulum sunt exercitati, qui non manent contenti sola auctoritate, sed quibusdam rationibus et investigationibus jam promoventur ad rationem fidei. Adolescentes sunt, quorum sensualitas jam subdita est rationi, ut jam sufficiant ad generationem bonorum operum, ut jam laborent et moveantur ad bene operandum. Juventus est, quando non solum generat mens per bonam operationem, sed etiam virtus ejus tantum induruit et roborata est, ut neque morte, nec vita separari valeat a charitate Dei, sed martyrium, si opus fuerit, subire non vereatur. Senectus est, quando mens

Digitized by Google

ita prævalet sensualitati, ut non solum non superetur, sed etiam non impugnetur ab ea, ut caro jam spiritui (prout est in hac vita possibile) consentiat, et eamdem quietem et animæ puritatem concupiscat. Decrepita ætas est illorum, qui jam (prout fas est) contemplatione Domini fruentes, ad instar angelorum vivunt; jam filii hujus mundi non dicendi, jam in cœlestibus conversantes, ut vestigia humanæ conversationis in operibus illorum jam nulla videri possint. Post has sex morum ætates sequitur dies septima, æterna omnibus sic viventibus promissa, in qua dabitur eis vera requies et perennis lætitia, ut non amplius futuri sint in aliquo labore vel miseria. Hæc nobis Deus significavit, quando post operationem sex dierum, septima quiescere voluit. In illo Scripturæ loco demonstratum est homini requiem esse promissam, atque nuntiatum est ibi ante legem de illo : *et rursum* eadem requies sub lege per figuram terræ promissionis *in isto loco* nuntiata est et promissa, dicente Spiritu sancto de incredulis, *Si introibunt in requiem meam*, id est in terram quam Moyses promittebat, quæ significabat veram requiem, quam Spiritus sanctus paraverat, ac per hoc nec in illam veram intrare poterunt. Ubi enim incredulis facta est comminatio quod in eam non introibunt, ibi declaratum est quoniam promissa fuit aliquibus hominibus. Si enim nulli promissa esset, nec aliquem intraturum prædictum fuisset. Et non esset causa comminationis quod non essent intraturi, si nullus esset intraturus. Nec multum eos læderet, si minaretur illud auferre, cujus spem et certitudinem aliquam nequivissent habere. Ecce bis signata et promissa est requies per diem Sabbati, et per terram promissionis. Et quia Spiritus sanctus qui nec falli nec mentiri potest, eam signavit, nuntiavit et promisit, et illam aliquibus præparavit, quia superflue non fecisset eam, *ergo superest*, id est restat post promissionem, *quosdam*, id est egregios et electos *introire in illam* perennem promissionem et veram. Et quoniam superest quosdam introire, *et hi quibus prioribus annuntiatum est* ut intrarent, *non introierunt propter incredulitatem* in veram requiem, quam terra promissionis figurabat, ad quam non pervenerunt, ergo *iterum*, id est sub ejusdem requiei designatione *terminat* et distinguit Spiritus sanctus *diem quemdam*, quo nuntiata impleantur, id est egregium tempus gratiæ in adventu Christi, *dicendo hodie in David*, id est loquens per David, quia non ipse David loquebatur, sed Spiritus sanctus in eo et hoc *post tantum temporis* ab introitu filiorum Israel in terra promissionis. Unde patet non de illa terra tunc eum dixisse, quæ jamdudum habebatur, sed de vera requie, quæ adhuc exspectabatur. Introitus enim terræ promissionis jam tunc non poterat illis auferri. Ex quo autem fuit in deserto facta comminatio, quæ dicit : *Si introibunt in requiem meam*, processit magnum spatium usque ad tempus David. Sed a tempore comminationis hujus usque ad introitum terræ promissionis, modicum tempus fuit. Et per hoc constat esse dictum de promissione veræ requiei, quam post tantum tempus David fecit his, qui futuri erant in Novo Testamento, quia contemporanei sui jam intraverant. Ideo terminat diem quo possimus in veram requiem intrare. Nunquam enim aliqui intrarent, nisi tempus gratiæ distinctum fuisset, in quo regna cœlorum paterent fidelibus. Ideo terminat diem intrationis, quoniam superest aliquos intrare. Et nisi videret intraturos, non terminaret. Qui, licet sub lege vivens, corde tamen positus in tempore gratiæ, dicens hodie, tertio nuntiat requiem illo tempore consummandam, diem terminat, hodie dicendo in David, quod hodie est intelligendum, *sicut supradictum est: Hodie si vocem ejus audieritis*. Diversis enim significationibus posuerat, hodie, quando dixit : « Hodie genui te (*Psal.* II); » et quando rursus ait : « Hodie si vocem ejus audieritis (*Psal.* XCIV). » Et ideo debuit terminare, quam significationem haberet nunc : Hodie, ne aliter intelligeretur. Hodie, id est *in hoc* luminoso tempore gratiæ, de quo Joannes scribit (*I Joan.* II), quoniam tenebræ transierunt, et lumen verum jam lucet, si vocem prædicationis ejus audieritis, quia non omnes audiunt illam qui sunt in tempore gratiæ, sicut nunc quoque multa paganorum, ad quos evangelica prædicatio non pervenit. *Nolite* contra vocem ejus *obdurare corda vestra*, ne tempus gratiæ vobis in vacuum transeat, quia post non erit tempus in quo possitis intrare in requiem. Diceret aliquis : Tu dicis quoniam hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt, et nos videmus quia introierunt, quoniam per Jesum Nave eam consecuti sunt. Cui respondetur : Non introierunt propter incredulitatem suam requiem homini promissam. *Nam si Jesus* filius Nave, id est Josue filius Nun, *præstitisset eis illam requiem* in distributione terræ promissionis, non ultra fieret sermo de alia die, qua pateret in requiem ingressus. Vel ita continuari potest : Superest quosdam intrare sicut David terminat. Nam si Jesus, id est Josue qui duxit in terram promissionis, præstitisset eis requiem, id est omnimodam quietem, ut nulla alia esset speranda ; *nunquam*, id est nullo tempore David vel Spiritus sanctus, *post hac*, id est deinceps *loqueretur de alia die*, id est de alio tempore, in quo requies esset danda. Sed quia post locutus est, patenter ostendit quia alia est requies de qua dixit hodie, quam illa ad quam duxerat Josue. Certum est igitur aliam esse ad quam ducit Christus, quæ per illam sub Josue figurabatur. Itaque relinquitur electis sabbatismus. Quando quidem non fuit illa requies vera, sed aliam post promisit Spiritus sanctus, *itaque relinquitur*, id est futuris servatur a Deo, quia increduli patres nequiverunt ad illum pertingere. Relinquitur, non dico tantum requies, sed (ut magis exprimam) dico *sabbatismus*, id est feriatio et jucunditas Sabbati Sabbatismus quippe vocabatur, apparatus et gaudium atque festivitas

Digitized by Google

Sabbati, et Sabbatum *requies* interpretatur. Sabbatismus ergo non solum veram et omnimodam requiem designat, sed inenarrabile gaudium atque spiritualium divitiarum affluentiam. Qui sabbatismus non paucis reservatur, sed *populo*, id est magnæ multitudini; nec tamen cuilibet populo, sed tantum populo *Dei*. Et ideo si quis vult sabbatizare, sit de populo Dei. Et iste sabbatismus longe diversus erit ab illa requie quam Josue præstitit. Nam *qui ingressus est in requiem Dei*, id est in cœlestis regni tranquillam habitationem, sicut servus ille, cui dictum est: « Intra in gaudium Domini tui (*Matth.* xxv), » veram et perfectam adeptus est requiem, quia *requievit etiam ipse* perpetualiter et perfecte *ab operibus suis*, quibus hic laboravit, *sicut et Deus a suis*, quæ tamen sine labore fecit. Sicut enim Sabbatum in quo Deus requievit, non legitur habuisse vesperam, sic requies justorum non habebit finem. Quia sicut Deus cessavit ab operibus, sic illi cessabunt perpetualiter ab omni opere, liberi penitus ab omni laboris anxietate. At illi quibus Josue terram divisit, parum quieverunt, multosque labores et multas afflictiones pertulerunt. Et quandoquidem tanta est illa requies, atque est nobis promissa, et nunc tempore gratiæ superest quosdam introire; *ergo festinemus ingredi*, nec in his terrenis quæ nos impediunt, immoremur. Festinemus fide et bonis operibus, quod illi non faciunt, qui carnaliter adhuc legem observant, et erga fidem et spiritualem conversationem negligentes existunt. Festinemus, inquam, ingredi *in illam requiem* tantam, tam nobilem et tam gloriosam, atque toties nobis promissam. Ideo quoque festinemus ad illam requiem, ut pœnas evadamus perpetuas. Et hoc est: *Ut ne incidat*, id est ut non intus cadat in corde, ubi gravior casus est, *quis*, id est aliquis in infidelitate notabilis, *in id* in quod ceciderunt patres, et ita in id, ut in *ipsum*, id est non dissimiliter, sed per omnia eodem modo cadat in id, in quod patres ceciderunt, scilicet *exemplum incredulitatis*, id est ne cadat ad exemplum eorum in incredulitatem, et excludatur a divina requie. Illi enim non crediderunt Deum sufficere ad dandam etiam requiem terræ promissionis, et isti similiter Christum ad dandam requiem perpetuam sufficere non credebant, sine carnalibus observantiis. Ideoque sibi quietis aditum eadem ratione obstruebant, qua patres antea fecerant. Vel ne incidat aliquis id ipsum exemplum incredulitatis, id est in hanc eamdem damnationem, quam patres vestri propter suam incredulitatem subierunt, quæ damnatio vel pœna vobis est exemplum, quia si increduli fueritis, similiter vobis continget. Exemplum enim incredulitatis convenienter dicitur vindicta Dei, quæ tanta est illata eis, ut exemplo esse aliis possit, ne increduli esse præsumant. Vel incredulitas patrum, ut præmisimus, est vobis exemplum ne sitis increduli, et ideo pejus quam patres vestri peccabitis, nisi incredulitatem caveatis. Propter hæc omnia ruptis omnibus impedimentis infidelitatis et sæcularium illecebrarum, festinemus quam maxime ad illam requiem, in qua perenniter quiescamus.

« Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque « ad divisionem animæ ac spiritus, compagum « quoque ac medullarum, et discretor cogitationum « et intentionum cordis, et non est alla creatura « invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. Ad quem nobis « sermo. »

Festinemus, ut dixi, ad illam requiem; nam *sermo Dei*, id est Christus verbum Patris, qui nos festinantes adjuvet, et pervenientes coronet, *vivus est*, id est vera vita in semetipso, et sufficiens ad aliorum vivificationem, et ita vivemus in eo. Sermo Dei, qui prædicavit illam requiem, est vivus vita propria, id est vivificans alios. « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso (*Joan.* v). » Vel in assumpta humanitate, in qua mori voluit, jam vivus est, id est vitam æternam consecutus, et sequaces suos vivere similiter faciens, quia immortalis factus est, et vos immortales faciet, *et* est *efficax*, id est omnino faciens quidquid vult, sive salvando credentes, sive damnando incredulos. Vel ita potest continuari: Cavete ne quis vestrum incidat in exemplum incredulitatis patrum, id est in similem pœnam, qualem illi per incredulitatem meruerunt, quia vivus est sermo Dei, id est Filius, qui illos judicavit, et vos judicaturus est; et sicut ille vivit in æternum, sic judicium ejus manet in æternum. Nam et illos quos ipse damnat, cruciabit pœna vivax in æternum, et eos quos ipse salvat, vivere faciet in æternum. Nam ad utrumque est ipse efficax. Nec solum est efficax in utroque, id est potenter faciens quodcunque voluerit, sed *et penetrabilior omni gladio ancipiti*, quia penetrat omnia; nec putetis eum latere cordium occulta, et per hoc minus juste judicare. Nam si non penetraret hominum conscientias, non posset veraciter judicare quis esset fidelis, vel quis infidelis, sive quis bonam vel quis malam haberet conscientiam; et tunc non valeret dignam singulis rependere vicem, quia potentiam ei auferret, quod occulta hominum videre non posset. Sed ut potenter in omnibus sit efficax, omnia visu suo penetrat, et acutior ac perspicacior est omni gladio ancipiti, omni subtilitate sermonis divinæ prædicationis. Iste sermo qui Deus est, quia Deus erat Verbum, est penetrabilior omni gladio ancipiti, quia magis penetrat hominum conscientias, quam ullus sermo prædicationis. Sermo enim doctrinæ est gladius auceps, id est utraque parte acutus, quia dicit de temporalibus, et dicit de æternis. In utroque probat quod dicit acute ac subtiliter, et eum quem ferit, separat a mundo. Quod non faceret nisi mentem ejus penetraret. Sed multo penetrabilior est iste sermo qui Deus est. Et est etiam *pertingens*, id est consideratione perveniens *usque ad divisionem ani-*

Digitized by Google

mæ ac spiritus. Spiritus noster non est universa anima, sed aliquid ejus, id est illud quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus per quod et præponimur pecoribus, quia illa sunt rationis expertia. Non habent enim spiritum, id est intellectum rationis ac sapientiæ sensum, sed animam tantum. Nam et de illis dictum : « Producant aquæ repentia animarum viventium; » et : « Producat terra animam viventem (*Gen.* 1). » Itaque spiritu intelligimus cum angelis, anima vivimus cum bestiis. Sed Dei sermo pertingit, id est perfecte tangit, quia per omnia tangit, nihil intactum sua cognitione relinquens, usque ad divisionem animæ ac spiritus, id est usque ad discretionem sensualitatis et rationalitatis, quia ipse insuperabili cognitione novit quomodo dividatur sensualitas a ratione, et quantum altera differat ab altera. Vel pertingit usque ad divisionem animæ, quia videt quomodo anima, id est sensualitas a seipsa differat, dum plus dedita infimis rebus inferior est; vel ab his revocata dignior. Et pertingit usque ad divisionem spiritus, quia intuetur quomodo rationalitas a seipsa dividatur, dum vel in Deum inhiat, vel inferius cœlestia considerat, sive rursum inferius de mundanis recte agendis pertractat. Anima enim tantum de mundanis, vel de his quæ ad corpus pertinent, cogitat, in quo vix a belluis distat. Quoddam inferius est in ea, ut cogitatus de cibo vel potu et similibus. Quoddam autem quasi superius est in ea, ut cum de honestis, sicut de gloria, celebritate, potentia et hujusmodi cogitat. Et hanc ejus divisionem bene novit sermo Dei, nec eum latet quando ipsa hoc vel illud agit. Spiritus vero rationalis est in suo superiori, cum Creatorem suum cogitat, et ad eum per solam dilectionem pervenire flagrat. In suo autem inferiori versatur, cum relicta sublimi contemplatione, inferiores virtutes quæ ad bonam operationem pertinent, meditatur. Cujus divisionem sermo Dei considerat, providens quid in eo superius sit et quid inferius. Inter se autem dividuntur anima et spiritus, quia, sicut dictum est, anima quidem de mundanis et corporalibus agit, spiritus autem de supernis et spiritualibus. Ideoque quod est inferius in spiritu, superat illud quod est altius in anima. Et hanc divisionem animæ ac spiritus tangit et scrutatur sermo Dei vivus. *Compagum quoque ac medullarum* divisionem novit, id est junctura rum animæ ac spiritus, quia videt quomodo juncturæ animæ, vel quo tempore dividantur, et quando de una junctura in aliam transeat, sic et de spiritu. Juncturæ animæ sunt augmenta quæ recipit secundum unamquamque ætatem. Nam sapientior est in adolescentia, quam fuit infpueritia, et rursum sapientior in juventute, quam in adolescentia, itemque maturior in virili ætate quam in juventute. Similiter spiritus per incrementa proficit. Quæ scilicet incrementa vocamus compages, eo quod unum alii videatur apponi quadam conjectura sine temporis discretione; et harum compagum divisiones, sunt mutationes secundum diversas ætates. Medulla vero quæ interior est, appellatur quidquid interius vel subtilius est in anima vel spiritu. Sicut enim in corporibus medulla est subtilior, et in secretis partibus atque in ipsis intimis recondita, sic quod subtilius est in anima vel spiritu et magis reconditum vocatur nunc medulla. Medullarum quoque talium animi divisionem novit sermo Dei, quia illa quæ sunt in nobis subtilissima, discernit inter se. Unde et subditur, quia est *discretor cogitationum et intentionum cordis.* Discernit enim cogitationes et ab invicem separat, id est bonas a malis, sive in eodem homine sive in diversis. Discernit et intentiones earum, id est quo singulæ tendant. ab bonum, an ad malum. Et quia sunt nonnullæ intentiones coactæ, velut si quis timore compulsus foderet agrum et intenderet perficere, non tamen ex corde, additur cordis, ut per hoc excludantur intentiones coactæ, quæ facile sunt ad cognoscendum. Hoc est, novit discernere quam intentionem quis habeat in cogitatione, quæ est cordis, id est voluntaria et adhuc exterius non ostensa, sed latens intra cordis secreta. Vel in eo quod ait, quia *est pertingens usque ad divisionem compagum quoque ac medullarum*, intelligi potest compages dixisse conjunctiones cogitationum, medullas vero intentiones earum. Per compages quippe ossibus ossa junguntur. Et sæpe dum aliquid recta cogitatione agimus, sed subito in laudis amorem declinamus, atque hoc pro laude facimus, quod prius facere pro veritate cœperamus, quia cogitationes cogitationibus adjunguntur, quasi quædam in spiritu compages fiunt. Sed habent ossa quæ in compagibus juncta sunt, et medullas, id est subtiles intentiones. Quod Apostolus apertius intulit, dicens, *discretor cogitationum et intentionum cordis.* Compages enim nostræ, sunt cogitationes quæ sibi junguntur, quando altera alteram sequitur, medullæ autem intentiones; et sermo Dei discretor est compagum et medullarum, id est cogitationum et intentionum, quia si cogitatio cogitationi jungitur, ipse novit quæ sit secundum Deum, et quæ secundum sæculum, novit quoque quo vergat intentio earum. Sæpe enim aliud cogitamus, atque aliud per cogitationem intendimus. Nam si quis proposito munerum præmio, pupilli vel viduæ causam defendat, et fortasse ecclesiam ingrediens in suis precibus Deo dicat, tu vides quia causam pupilli et viduæ defendo, iste procul dubio quid cogitet scit, sed quo intendat ejus cogitatio, ignorat. Aliud quippe cogitat, et aliud intendit. Non enim defensionem pupilli et viduæ, sed mercedem munerum quærit. Nam tolle temporale præmium, et pupillum et viduam non defendit. Sermo itaque Dei discretor cogitationum et intentionum cordis est, quia non tantum aspicit quid apud temetipsum cogites, sed magis per medullam compagis, id est per intentionem cogitationis, quid apud temetipsum accipere requiras. Et ut plus dicam, breviterque concludam, *non est ulla creatura* terrena vel cœlestis, corporea vel incorporea,

Digitized by Google

invisibilis, id est non habilis ad videndum *in conspectu* tantæ sapientiæ. Nihil est ei invisibile, sed *omnia sunt nuda*, id est discooperta *et aperta*, id est patentia *oculis ejus*, qui et foris et intus omnia videt. Si quis habet librum aliquo velamine tectum, dicitur quidem visibilis, sed nudus. Rursum, si velamen auferretur, nudus posset dici, sed non apertus. Iterum, si aperiretur et omnia ejus interiora demonstrarentur, jam omnino quidquid in eo latuerat videretur. Ita verbo Dei cuncta sunt visibilia et nuda et aperta, quia et foris et intus, ut dictum est, omnia plenarie videt. Per oculos ejus intelligitur potentia videndi. *Ad quem nobis sermo* est habendus in judicio, quia oportet nos illi rationem de actibus nostris reddere. Ad sermonem Dei vivum et efficacem et omnia pervidentem est nobis habendus sermo, quia sermocinaturi sumus ad eum, et rationem reddituri de cunctis quæ gessimus vel cogitavimus. Ideoque semper nobis omni sollicitudine præcavendum est, ne hunc vel dictis vel operibus vel cogitationibus offendamus. Hactenus terrendo locutus est Apostolus, revocans ab infidelitate Judæos exemplo patrum suorum, quibus ob incredulitatem negata est æterna requies; et asserens Filium Dei vivum atque potentem, ut remuneret eos si respuerint; et efficacem ut puniat, si neglexerint. Hinc iterum blandis rationibus vult eos revocare, commendando Christi pontificium, ut eo commendato, sufficere ad salutem ostendat, et carnales observantias comprobet esse superfluas. Sic enim subinfert :

« Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. »

Incipit, ut dictum est, agere de pontifice Christo, quomodo sufficiens, quomodo dignior veteri, quem et immutat et legem quæ sub illo est, per meliorem legem suam, et quomodo necessarius. Quia sermo Dei vivus et efficax est, atque talis qualem descripsimus, ergo teneamus confessionem, ut nec terror, nec cruciatus auferat de ore nostro confessionem fidei ejus quam corde gestamus. Et est justum ut eam teneamus, *habentes pontificem*, id est quia habemus pontificem *magnum*. Nam idem sermo Dei, secundum quod homo est, noster est pontifex, qui sacrificium sui corporis obtulit pro nobis, et non cessat interpellare pro nobis. Unde et pontem accessumque nobis ad patrem facit, ut temporalia (quæ sicut fluvius currunt et labuntur et transeunt) sub nostris pedibus relinquentes festinemus ad terram viventium, habentes pontificem magnum super omnes pontifices, qui non in Sancta sanctorum templi Salomonis intravit, sed *cœlos* ascendendo *penetravit*, ut et nos sequi possimus. Moyses vero tunc terram promissionis non intrare valuit, hic autem cœlos penetravit, id est ingressu suo patefecit. Pontificem habemus, et quem? *Jesum*, id est Salvatorem, qui nos absque carnalibus observantiis salvare potest. Jesum dico *Filium Dei*, non adoptivum, sed consubstantialem; nec minorem, sed æqualem. Alii vero pontifices neque cœlos penetrant, neque salvare possunt, neque filii Dei naturaliter sunt. Unde iste omnibus illis jure præfertur, sicut multis et longis disputationibus probare nunc exorsus est Apostolus. *Teneamus*, inquit, *confessionem*, ut fidem ejus ore proferamus, vel etiam peccata nostra confiteri studeamus, quia non habemus pontificem immisericordem; hoc contra illos dicitur, qui propter lapsum suum desperabant, et iram ejus se posse placare diffidebant, et quasi dicebant quia non valet nobis confessio, quoniam iste pontifex, qui tam altus est, utpote super cœlos exaltatus ac Dei Filius, non recipiet eam, nec condescendet fragilitati nostræ. Quibus velut respondetur : Vobis lapsis non est desperandum, nec confessio dimittenda, quia non habemus pontificem austerum vel dedignantem, sed misericordem; non a nobis remotum, sed naturæ nostræ participem. *Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*, id est condescendere fragilitati nostræ, et misereri humana fragilitate peccantibus, quia, etsi ita altus est, non ideo nos abjecit, sed clementer condescendit imbecillitati nostræ, et condolet etiam illi qui per infirmitatem carnis labitur. Non tamen aliquid jam doloris sentire potest, sed quod ei displicet miseria nostra et lapsus noster, atque præstat auxilium ut surgamus, et interpellat pro nobis, vocatur ergo ejus compassio. Non potest nobis non compati, sed potentiam hujus compassionis habet, quia ipse fragilitatem nostram expertus est, quoniam per omnia sustinuit tentationem sine peccati cognitione. Tentatus enim in nostra carne et expertus est miserias nostras præter peccatum; tentatus est *per omnia* tentationis genera, quia in tribus illis tentationibus, quas a diabolo pertulit, omnia tentamenta continentur. Vel in sola tentatione, qua diabolus ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum (*Matth.* IV; *Luc.* IV), in quibus omnia continentur, de quibus humana corda tentantur, potest dici per omnia genera peccandi tentatus. Vel quia omnes tentationes sustinuit, irrisus, crucifixus, et cætera omnia perpessus. Tentatus est *pro similitudine* quam a nobis traxit, id est secundum illam naturam, qua nobis erat similis, mortalis et passibilis, tamen *absque peccato* fuit, licet similis esset aliis hominibus. Vel tentatus est per omnia sine peccato, quia, licet omnia tentamentorum genera pertulerit, non tamen succubuit, nec delectatus est in aliqua persuasione mali, et ideo bene potest a peccato et tentatione liberare. Nam cum Apostolus eum dicit *tentatum* per omnia, et non superatum, ostendit quoniam in eo ponenda est fiducia subveniendi; et hoc ideo, quia nobis similis factus est. Non est enim remotus a nobis, sed in illa sui natura tenta-

Digitized by Google

tus fuit, in qua nobis est similis. Et ideo credendum est, quia vult et potest subvenire tentationibus nostris. Et quoniam habemus tantum pontificem sic nobis compati volentem, et nostræ imbecillitati subvenire potentem ergo omni spe et fiducia adeamus ad thronum gratiæ ejus, id est voluntate, et orationibus, et correctione vitæ ac bonis operibus accedamus ad eum throno judiciali præsidentem. Throuus enim judiciaria sedes est. Sed thronus Christi est thronus gratiæ his qui, dum in præsenti vita sunt, humiliter resipiscentes veniunt ad eum, ut pœnitentiæ judicium accipiant; cæteris vero post hanc vitam est thronus justitiæ. Licet *ergo* simus peccatores, non tamen desperemus de venia, sed *cum fiducia* impetrandi misericordiam, *adeamus ad thronum gratiæ ejus*, id est judicem non severitatis et districtæ justitiæ, sed pietatis et indulgentiæ, quia non est judex qui pro confessione puniat, sed qui pro humilitate remuneret. Accedamus, inquam, ad eum *ut misericordiam* apud eum *consequamur*, id est remissionem præcedentium peccatorum, et de reliquo *inveniamus* apud eum *gratiam*, id est facultatem ad conversationem innocentiæ et ad promotionem in bono, *in auxilio*, id est ut auxilietur nobis contra tentationum impugnationes, et cooperetur ad completionem bonorum operum. Auxilio dico, *opportuno*, id est congruo et necessario, quia nonnunquam fit auxilium, quod non est opportunum, nec congruum. Sed auxilium Christi nobis est opportunum, id est competens et necessarium, quia sine illo nihil boni possumus facere, et æterna vita non potest haberi sine bona operatione. Nunc enim est tempus auxilii, dum tempus est operandi. Vel thronus ejus sedes est pontificalis, et ideo gratiæ, quia compatitur nobis et interpellat pro nobis. Ac propterea nos peccatores accedamus ad thronum nostri pontificis cum fiducia veniæ, procidamus ad pedes ejus in precibus, ut per eum apud Patrem consequamur misericordiam, id est peccatorum indulgentiam et bonæ conversationis gratiam.

A

B

C

CAPUT V

« Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit his qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron (*II Par.* XXVI). Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad Deum : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II), quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* CIX). »

Probat enim a minori, quod iste noster pontifex possit nobis impetrare misericordiam et gratiam, cum pontifices Veteris Testamenti quodammodo sacrificiis et orationibus impetrarent misericordiam, qui puri homines erant et peccatores. Quasi dicat : Per eum possumus consequi misericordiam, quia hoc fit etiam per omnem alium pontificem. *Nam omnis pontifex*, tam major quam minor in ordine Aaron, *ex hominibus assumptus*, id est ex numero hominum ad aliquid dignius sumptus ut præsit aliis, *constituitur*, id est communi omnium sententia statuitur, *pro hominibus*, id est pro salute hominum, ut per eum impetrent a Deo beneficia. Constituitur *in his quæ sunt ad Deum* pertinentia et subjectos decentia, id est in muneribus et hostiis offerendis ac precibus, quæ ducunt ad Deum *ut offerat*, id est obviam Deo ferat, et quasi contra impetum, indignationi ejus objiciat, ut eam retineat et placet, vel quia Deus pie condescendit dum ei sincero corde offertur aliquid, ferat obviam ejus pietati *dona* ut primitias frugum et hujusmodi, *et sacrificia* de animalibus, ut de bobus et avibus *pro peccatis* hominum delendis. Et si ille qui est ex hominibus tantum, id est in nullo dissimilis ab hominibus, et ita assumptus ex eis, subditos suos donis et sacrificiis purgat et dirigit ad Deum, tunc multo magis *eundum* est nobis ad thronum gratiæ nostri pontificis, qui non ex hominibus tantum, sed Deus et homo est qui peccatum non habet, nec indiget offerre pro se, qui in seipso sufficiens est illud facere, in quo alii deficiuntur humana infirmitate. Ex hominibus assumptus pontifex est talis, qui pius et misericors sit, qui pro consueta bonitate *condolere possit*, id est affectum compassionis habeat erga subditorum infirmitatem. *His qui ignorant*, id est ignoranter peccant, *et* qui *errant*, id est post monstratam veritatis viam errore suo quasi scienter peccant; et debet illis pie compati, *quoniam* non solum illi, sed *et ipse* qui major est fortior esse videtur, *circumdatus est in infirmitate* carnis, per quam et peccare necesse habet. Christus vero jam infirmitate circumdatus non est, et ideo potest juvare magis quam ille. Et quia infirmitate circumseptus est, *propterea debeat*, id est debito jure compellitur *offerre* sacrificium *pro peccatis*, id est pro expiatione peccatorum *quemadmodum et pro populo*, id est cum quanta necessitate et supplicatione offert pro populo, *ita etiam* et non dissimiliter offerat *pro semetipso*, ut condonentur ei peccata propria. Christus vero non pro seipso necesse habet offerre, sed tantum pro suis fidelibus. Omnia vero quæ nunc de pontifice Veteris Testamenti dicuntur, observanda sunt in electione pontificum Ecclesiæ, et in eorum moribus et actionibus, licet alia sint sacrificia quæ offeruntur a nostris. Dixi quia pontifex constituitur pro hominibus, et præfertur cæteris : *nec quisquam*, licet valde nobilis aut sapiens, *sumit sibi honorem*, ut ascribat sibi et se quærat honorari. Non sibi imputat honorem, sed Deo qui vocat; nec se ingerit ad accipiendum honorem, sed divino nutu eligitur. Percutiuntur hac sententia, qui honores ecclesiasticos, ad quos divinitus non vocantur, arripere cupiunt. Qui enim se ingerit et propriam gloriam quærit, non sumit honorem, si

D

Digitized by Google

pontifex aut prælatus in Ecclesia factus fuerit; sed gratiæ Dei rapinam faciens, jus alienum usurpat. Et ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem. Nemo per semetipsum sumit illum honorem, *sed* ille *qui vocatur a Deo*. Qui enim recte et canonice eligitur, a Deo vocatur. Ille sumit honorem apud Deum et homines, qui per Ecclesiæ procuratores et viros fideles a Deo vocatur ad hanc prælationem, ita digne et sincere, *tanquam Aaron*, qui non sibi imputavit, nec aliquo modo ingessit, sed jubente Deo per Moysen electus est. Core autem voluit sibi sumere honorem, et ideo divinam sensit ultionem. Sed Aaron sublimatus est in sacerdotem, quia Deus eum vocavit (*Exod.* VII, 27; *Num.* XVII). *Sic et Christus nos clarificavit* per suas virtutes *semetipsum*, ut sibi sumeret ejus honorem, ita *ut pontifex fieret*. Non se clarificavit, sed Patrem, quia non suam, sed Patris gloriam in omnibus quæsivit. Non semetipsum quasi discretum a cæteris clarificavit, id est clarum fecit sublimando in honorem pontificatus; sed Pater eum clarificavit, ut pontificem constitueret, et totius mundi magistrum ostenderet, quando dixit : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite (*Matth.* XVII). » Quasi diceret : Hactenus audistis legis doctores et alios pontifices, sed amodo ipsum verum pontificem audite. Nam dicens : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui » nobiliter clarificavit. Quem se ideo clarificare ut pontificem constitueret, demonstravit, cum subjecit : « Ipsum audite. » Sed hanc sententiam clarificationis noluit Apostolus contra Judæos proferre, quia vel non habebant Evangelium, vel minoris auctoritatis esse putabant, ideoque de suis libris protulit illis testimonia. Nam hæc clarificatio longe ante per Prophetam prædicta est *Filius meus es tu*. Non clarificavit seipsum, sed potius eum Pater clarificavit, et testimonio propriæ vocis et multis miraculis, qui et in Psalmo *locutus est ad eum* : Tu es filius meus naturalis et coæternus, quia *ego hodie*, id est in luce semper manentis æternitatis meæ, *genui te* ex substantia mea. His verbis clarificavit eum Pater, ut pontificem constitueret, *quemadmodum*, id est sicut *et in alio loco dicit ei : Tu es sacerdos*, id est sacra dans per te et per tuos *in æternum*, id est quandiu durabit hoc sæculum, quia non transibit sacerdotium Christi, ut aliud succedat, sicut transivit Leviticum. Sacerdos es, et hoc *secundum ordinem Melchisedech*, quia sicut ille panem et vinum obtulit Abrahæ revertenti a cæde regum (*Gen.* XIV), sic tu in figura panis et vini dabis corpus et sanguinem tuum victoribus vitiorum. Vel in æternum es sacerdos, quoniam una oblatione consummasti in sempiternum sanctificatos; sive quia sine fine interpellas pro eis eadem hostia quam semel obtulisti, hac auctoritate manifestatur, quod eum Deus Pater sacerdotem et pontificem constituit. Si ergo cæteri pontifices quibus necesse est pro se offerre, possunt aliis subvenire, quoniam a Deo vocantur, tunc iste multo magis potest nobis subvenire, et omnia bona nobis obtinere qui pro se nunquam egut oblatione, qui seipsum non clarificavit, nec ingessit, sed a Patre clarificatus est, et ad pontificatum electus.

« Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sui reverentia, et quidem cum esset Filius Dei didicit ex his quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech. »

Dixit quod non per se, sed per voluntatem Patris factus est pontifex. Nunc autem ingreditur ostendere, quoniam pontificis obsequium exsecutus est, quia totum fecit quod pontificem decet. *Qui in diebus carnis suæ*, etc. Ostenditur etiam adhuc in his verbis quod per eum possumus consequi misericordiam, cum jam sedeat ad dexteram Patris, nec cesset interpellare pro nobis, si ita est exauditus, cum adhuc in terra conversaretur et esset mortalis. *Qui in diebus suæ carnis*, id est mortalitatis et passionis suæ quando natura carnis apparuit, quia famem, sitim, lassitudinem et dolorem sustinuit, sicut verus pontifex obtulit preces. Nam in Evangelio sæpe legitur orasse et maxime apud Lucam (*Luc.* VI, XI, XXII, XXIII), qui sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicationes fuerunt pro hominibus. Tota vita sua Patrem oravit de resurrectione carnis suæ ac de nostra salute, et instante jam passione obtulit supplicationes, id est humillimas et intentissimas orationes, cum summa devotione cordis et affectione quando « factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram (*Luc.* XXII). » Et has preces supplicationesque obtulit, id est obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas *ad eum qui posset illum a morte salvum facere*, id est resuscitare, ad eum quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum, id est immortalem et impassibilem faceret eripiendo a morte, ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in sepulcro. *Et obtulit has* cum clamore valido, id est cum intentione piæ devotionis vehementissima et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum *lacrymis*, quia in illa prolixa oratione credendus est lacrymas effudisse, cum et guttæ sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus corpore, et *exauditus est*, quia quod quæsierat, accepit in resurrectione. Exauditus est, id est extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam post laboris sui militiam a Patre sublimatus est, et hoc *pro sui reverentia*, id est secundum hoc quod ipse, sicut Dei Filius, dignus est reverentia et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, id est propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est et honoravit. Sive pro sua reverentia, id est sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio, potest

Digitized by Google

intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus est pro sola charitate. Et ideo melior fiducia in eo habenda est, quia fecit quod nullus pontifex alius, dum seipsum pro nobis hostiam offerret; *et quidem* tempore minoritatis *cum esset*, id est quamvis esset secundum divinitatem *Filius Dei*, *didicit obedientiam* secundum quod homo est, id est non solum preces et supplicationes obtulit, sed obedire didicit in passione, id est expertus est in seipso laborem obedientiæ. Non enim scire potest afflictorum labores, qui afflictionis experimentum non habuit. Sed Christus secundum quod homo est didicit obedientiam, quia omnes labores obedientiæ sustinuit et sensibiliter pertulit, *ex his quæ passus est*, id est ex acerbitate tormentorum quæ pertulit, *didicit obedientiam*, id est experimento cognovit laborem obedientiæ; *et consummatus*, id est passione finitus, vel consummatus, id est ad summum ductus, quoniam ad dexteram Patris elevatus, *factus est causa salutis æternæ*, id est perennis vitæ *omnibus obtemperantibus sibi*, id est obedientibus suæ voluntati, quia omnibus sufficit ad salutem sine ullis carnalibus observantiis. Per exauditionem ejus designatur resurrectio, per consummationem exaltatio. Vel consummatus est in omni operatione sanctitatis, quando completis omnibus obedientiæ suæ actionibus, dixit: « Consummatum est, et emisit spiritum (*Joan.* XIX). » Sicque factus est causa salutis non cujuslibet, sed æternæ; nec paucis, sed omnibus : hac tamen conditione, ut obtemperent ei. Non enim aliter salutem consequi poterunt, et bene potest ipse causa salutis esse cæteris, quoniam *appellatus est a Deo pontifex*, sicut et ipse suis operibus realiter ostendit se hoc esse. Nam quia pontificis officium implevit, atque Patri fuit in omnibus obediens, et in seipso pervenit ad tantam bonorum omnium consummationem, ut sufficeret etiam ad aliorum salutem, idcirco appellatus a Deo est pontifex, et hoc *juxta ordinem Melchisedech*, scilicet ut omnis ordo divinitatis in eo consideretur, qui considerari potuit in Melchisedech.

« De quo nobis grandis sermo et interpretabilis « ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad « audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse « propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei « et facti estis quibus lacte opus sit, non solido « cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers « est sermonis justitiæ. Parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro « consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. »

De quo, id est de qua re, quomodo scilicet ipse sit pontifex juxta ordinem Melchisedech, *est nobis grandis sermo*, id est restat sermo alius subtilis, et profunda mysteria continens atque prolixus et magnus, *et interpretabilis*, id est multas habens expositiones sacramentorum et allegoriarum *ad dicendum*, id est ad exponendum vobis qui parvæ capacitatis estis, nec aliter intelligeretis nisi interpretaretur. Grandis est, et interpretatione indigens, non quantum ad me, sed quantum ad vos, qui sensu debiles estis, ad intelligendum profunda mysteria, *quoniam facti estis imbecilles*, id est sine spiritali baculo, quo sustentetur interior homo vester, ne nutet aut corruat. *Imbecilles estis ad audiendum*, id est ad intelligendum, quia pondus sententiarum vos facile potest præcipitare, qui robore virilis sensus non fulcimini. Interserit increpationem de infirmitate, ut alta de Christo laborent intelligere. Vere estis imbecilles ad audiendum. Nam *cum deberetis esse magistri* aliorum et sufficere ad instructionem eorum, et hoc *propter tempus*, id est diuturnitatem temporis quod jam transactum est, ex quo fidem recepistis, et vobis priusquam cæteris prædicatum est, *rursum* sicut in primis quando ad fidem venistis, *indigetis ut vos doceamini*, sicut pueri quibus prima elementa litterarum dantur ad intelligendum. Vel propter tempus debuissetis esse cæterorum magistri, quia semper exercitati estis in lege et prophetis de Christo. Sed iterum sicut a principio indigetis ab aliis doceri *quæ sint elementa exordii sermonum Dei*, id est ut vobis ostendantur opera quæ primum discuntur, quando aliquis sermones Dei exorditer. Elementa enim vocantur illæ partes, de quibus sermo Dei prius contexitur, scilicet incarnatio, passio, resurrectio, commune judicium, damnatio malorum, corona justorum, et cætera, quæ primum annuntiantur eis qui convertuntur. Exordium enim sermonum est Symbolum Christianæ fidei, quod isti non solum non intelligebant, sed nec ipsam litteraturam, qua profertur memoriter, sciebant. Exordium sermonum est simplex doctrina. Elementa ejus prima materia fidei, ut nativitas Christi, passio, etc. *Et facti estis* etiam negligentia vestra tales, *quibus* more infantium *sit opus lacte*, id est humili et parva eruditione, et *non solido cibo*, id est perfecta doctrina. Lac quippe est brevis insinuatio fidei et facilis observantia morum. Solidus autem cibus est ratio ipsius fidei et perfecta institutio vitæ. Solidus cibus sapientiæ est : « In principio erat Verbum (*Joan.* I); » lac vero est, Verbum caro factum est. Vere non est vobis opus solido cibo sapientiæ, cum sitis lactentes, nam nulli lactenti est opus. *Omnis enim qui particeps est lactis*, sicut vos estis, id est cujus pars est lac, et qui ita est tener, ut nec etiam totum lac simplicis doctrinæ possit capere, sed partem *expers*, id est sine parte *est sermonis justitiæ*, qui justis et perfectis convenit, id est doctrinæ quæ pertinet ad eos, qui bene provecti sunt in intelligentia magnæ capacitatis et justitia religiosæ conversationis. Expers est, id est sine parte hujus sermonis, quia nec partem ejus capere valet intelligendo vel operando. Ideo lactens non capit sermonem justitiæ, quia *parvulus est* in sensu, sicut et vos in fide pusilli, et ut ille qui ætate parvulus est non discernit cibos atque perit sumendo noxios, sic

Digitized by Google

animo parvulus, id est indoctus non discernit bonum a malo, et peccat faciendo malum. Vos quidem lacte opus habetis, ut dictum est, non solido cibo. Sed *perfectorum* sensu et opere *est solidus cibus*, id est forma fidei et morum instructio. Ideo et vos post lactis potum debetis ad robustam sapientiæ escam proficere, *eorum*, scilicet est iste cibus, *qui habent sensus*, id est intellectus *exercitatos pro consuetudine* legendi et in multis scripturis studendi. Sensus habent exercitatos *ad discretionem boni ac mali*, id est ut discretionem habeant inter bonum et malum, et inter bonum et aliud bonum, et inter malum et aliud malum, aliud majus et aliud minus judicantes.

CAPUT VI.

« Quapropter intermittentes inchoationis Christi « sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum « jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus « mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum, doctri- « næ, impositionis quoque manuum ac resurrectio- « nis mortuorum et judicii æterni. Et hoc facie- « mus, siquidem permiserit Deus. »

Dixi quia perfectorum est solidus cibus. *Quapropter* ad perfectionem feramur, ut solido cibo pascamur, nos dico *intermittentes sermonem inchoationis Christi*, id est de initio fidei. Nam quia exercitatos sensus in lege Domini nos oportet habere, ideo prætermittamus sermonem inchoationis et ad ulteriora promoveamus sensus nostros. Sermo inchoationis Christi, est initium fidei, quo Christus inchoat esse in nobis secundum intelligentiam et operationem. Sicut enim qui adducitur in doctrinam litterarum, elementa primum oportet audire, sic Christianus primum omnium de fide Catholica erudiri debet, quæ est fundamentum nostræ salutis. Sed hujus initii sermonem dimittentes, *feramur ad perfectionem*, nos docendo, vos audiendo. Ita scilicet feramur, *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ*, id est non negligenter et inconsulte, sicut olim, faciamus pœnitentiam, quæ debet esse fundamentum, super quod exstruatur et in altum surgat actio bona et perfectio; ille enim jacit fundamentum pœnitentiæ, id est non firmiter et ordinate ponit, sed quasi rem non bene provisam negligenter ponit, qui ita dolet ac pœnitet, ut adhuc iterum redeat ad hoc quod non bene deflevit commissum. Et nos jam taliter jecimus fundamentum, ideoque, destructum est, id est prior pœnitentia nostra periit et in irritum deducta est, redeuntibus peccatis, de quibus pœnitentiam egeramus. Sed modo sit perfecte nos pœniteat tendentes ad perfectionem, ut non simus iterum jacientes, id est negligenter et incuriose ponentes fundamentum, quod sicut antea dissipetur, sed firmum et stabile maneat, nec ultra sit opus ponere aliud. Fundamentum dico pœnitentiæ *ab operibus mortuis*, id est qua pœniteat nos ex eo quod opera bona, quæ prius vivebant in nobis, mortua sunt admistione peccati. Ejus enim qui in criminale peccatum cadit, bona opera priora mortificantur et pereunt. Unde minatur Dominus : « Etiam si dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur (*Ezech.* XXXIII). » Vel peccata sunt opera mortua, id est nihil vitale habentia, sed justitiæ vita prorsus carentia, et auctores suos occidentia, et de his omnibus agenda est rata pœnitentia, id est et de bonis amissis et de malis commissis; *et* non rursum jacientes fundamentum *fidei* ducentis *ad Deum*, id est non iterum negligenter fidem sitis ponentes in cordibus vestris, sicut antea, firmiter ut amplius non vacillet aut corruat sicut prius, dum eam non putaretis ad justitiam et salutem sufficere sine carnalibus observantiis. Nec rursum jacientes fundamentum *baptismatum* ut quæratis iterum baptismatis unda lavari, quod impossibile est; sed purgationem peccatorum, quam semel in eo percepistis, conservate, non ultra quærentes eam per carnales observantias. Male enim tenet baptisma, qui non credit omnia in eo peccata ablui, nisi superadditis carnalibus observantiis. Baptismatum dixit pluraliter quia est baptisma in aqua, est et in lacrymis pœnitentiæ, et est in sanguine martyrii. Nec rursum jacientes fundamentum *doctrinæ*, quæ in exordio tradita est vobis per Symbolum et Orationem Dominicam, ut hac iterum incipiatis imbui. Nec iterum jacientes fundamentum *impositionis manuum* episcoporum in confirmatione neophytorum, sed firmiter illud retinentes. Qui enim non credit quod per manuum impositionem detur Spiritus sanctus ad remissionem et corroborationem, non est fundatus. Talis est, quicunque putat carnales observantias juvare ad acceptionem Spiritus sancti, qui per manuum impositionem accipitur. Nec fundamentum *resurrectionis mortuorum* iterum jacientes, sed quod semel inde etiam credidimus retinentes, id est per Christi resurrectionem mortuos esse resurrecturos. Qui enim non credit quod resurrectio Christi resurrectionem mortuorum faciat, non habet fundamentum super quod ædificet. Si sciretis in baptismo omnia peccata dimitti, et per manuum impositionem Spiritum sanctum dari, lex vobis superflua videretur; nec præter Christum aliud quæreretis, si sciretis per eum resurrecturos mortuos et judicandos. Nam neque *judicii æterni* fundamentum rursum jacere debemus, sed semel positum in corde nostro firmiter tenere, ut tantum de fide Christi et de virtutibus sine legis cæremoniis judicium exspectemus, quod erit æternum, quia quidquid ibi statuetur, in æternum durabit. Quod judicium qui non credit, absque fundamento est, nec ædificare quidquam potest. Hæc enim omnia nisi in fundamento præcesserint, nemo potest bene operari. Nam quicunque aliquos ad fidem convertit, plus facit pœnitere et in Deum credere, ac baptizari in remissionem peccatorum, et doceri quid credere debeant, atque confirmari per manuum impositionem, et resurrectionem ac diem judicii præstolari, ut super hæc valeant ædificium bonæ conver-

Digitized by Google

sationis construere. Idcirco de his dicitur, jacientes hæc omnia, scilicet sicut lapis in fundamento jacitur, non rursus, id est non ut olim, nec sicut prius cecidere iterum cadant, vel non rursum jacientes, id est ita modo jacientes, ut amplius jacere non sit opus, et hæc omnia superius lactis nomine sunt appellata, quia his potatur fidelium infantia. Sic autem Deus vult eos lacte nutriri, ut non ibi remaneant; sed crescendo per lac ad solidum cibum perveniant. Nam si lacte nutrieris, sic nutrire ut crescas, sic cresce ut panem manduces. Dixi, feramur ad perfectionem et intelligendo scilicet, et in moribus proficiendo; *hoc faciemus, si Deus quidem permiserit*, id est si nutu suæ voluntatis et favore suæ gratiæ concesserit, quia nullus ex libero tantum arbitrio valet ad hanc perfectionem promoveri, nisi auxiliante gratia Dei. Feramur ad perfectionem intelligentiæ et morum, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ, quia impossibile est perfectos, si graviter prolapsi fuerint, renovari ad pœnitentiam. Nemo nunc verbis nostris obviet, sed modicum ut hæc declaremus patienter exspectet. Nam sequitur :

« Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes. Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. »

Feramur, inquit, ad perfectionem, non iterantes fundamentum deinceps pœnitentiæ, quia perfecti post lapsum renovari nequeunt ad pœnitentiam. Nam *qui semel sunt illuminati per fidem*, id est qui in suo interiori acceperunt lumen fidei quod semel datur credentibus, et *gustaverunt etiam donum cœleste*, id est quodam interno gustu præsenserunt lumen fidei quod est donum cœleste, vel per ipsam quasi suavem et sapidum gustum in cordis palato sensere remissionem peccatorum in baptismo cœlitus datam, *et facti sunt participes Spiritus sancti*, id est partem cupientes spiritualis gratiæ per impositionem manuum, sive participes spiritualium charismatum, ut sunt genera linguarum et prophetia, et gustaverunt, id est sapidum in ore cordis præsensere, nihilominus quam nos, vel *nihilominus* quam spiritualem gratiam *bonum Dei verbum* de quo ipse loquitur : « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* XLIV), » non dico secundum quod hoc verbum caro factum est (*Joan.* I), sed secundum quod summum bonum incommutabile est, cujus participatione cætera sunt bona verba, et hoc tale verbum gustavere, id est gustu cordis attigere, ut dulce saperet eis, seu verbum evangelicæ prædicationis saporum et delectabile sensere, *virtutesque sæculi venturi*, resurrectionem et immortalitatem ac impassibilitatem gustu mentis quasi prælibavere, intelligendo illas vires corporis et illam pulchritudinem atque charitatem et levitatem carnis atque virtutes in corpore et anima futuras, et beatam cum angelis vitam æternaliter, qui ad tantam perfectionem pervenere, ac deinde neglectis omnibus his, adamantes iniquitatem *prolapsi sunt*, id est sponte sua devoluti sunt in gravia peccata, et in eis delectabiliter jacent, *impossibile est eos* recuperatis omnibus his, quæ perdidere, bonis, *renovari rursus ad pœnitentiam*, revertentes, id est exuere jam per pœnitentiam vetustatem, quam iterum contraxere, et reinduere novum hominem. Non quia Montani vel Novati hæresim hic approbemus, qui contendunt non posse renovari per pœnitentiam eos, qui crucifixere sibimet filium Dei. Sed ideo impossibile esse dicimus ut tales renoventur, quia nolunt renovari. Nam si vellent, esset utique possibile. Quod ergo renovari nequeunt, non est excusatio infirmitatis eorum, sed culpa voluntatis ipsorum, *qui* malunt veteres perdurare quam renovari. Sic enim tepuit mens eorum erga dilectionem virtutum, et exarsit in amorem vitiorum, ut nulla ratione consentiant peccata relinquere, quibus pertinaciter adhæsere. Propter quod et in pravitatibus suis juste valde judicio relinquuntur ab eo, qui dixit, quia « sine me nihil potestis facere (*Joan.* XV), » nec juvantur ab eo, sed assumuntur a diabolo, ut magis adhuc alligentur et aggraventur ab illo. Sicque fit ut ad pœnitentiam redire non valeant. Non quia mutari homines dum in hoc sæculo sunt, in melius non possint, sed quia dum ex intimo corde vitia diligunt et virtutes negligunt, nec divinitus adjuvantur, sed ab antiquo deceptore premuntur, converti nullo modo possunt. Tales sunt, qui prius ad summa virtutum profecere, et post ad ima vitiorum prolapsi sunt, id est prorsus lapsi, vel procul lapsi, vel longe lapsi a priore statu, ita ut longo tempore jaceant in ipsis vitiis ad quæ lapsi sunt. Non enim prolapsos intelligere nunc debemus religiosos, qui in aliqua gravia subito cecidere, et cito surrexere; sed qui longa deliberatione et longo usu vitiis adhæsere, et a puritate virtutum recessere, quia raro quisquam talium invenitur egisse pœnitentiam, si tamen uspiam invenitur. Non ergo prolapsus intelligitur David in perpetratione adulterii et homicidii, de qua cito pœnitentiam egit (*II Reg.* II); sed Salomon in amore alienigenarum mulierum, per quas et a fide separatus est, nec resipiscere voluit, cum semel et iterum divinitus admoneretur (*III Reg.* II). Sic nec Aaron prolapsus intelligitur, dum metu populi seu volens ei placere, fecit vitulum, qui ad primam Moysi vocem fecit pœnitentiam (*Exod.* XXXII), sed prolapsus est Balaam per avaritiam, qui mercedem iniquitatis amavit, dans consilium quomodo populus Israel Creatorem offenderet, oblitus quæ antea prophetaverat et quæ divinitus audierat (*Num.*

Digitized by Google

xxn, xxm, xxiv). Pro nihilo enim duxit omnia, ut avaritiæ suæ satisfaceret. Petrus quoque non est prolapsus in illa negatione, quia mox flevit amare, sed Judas et ipse per avaritiam in illa proditione, quam diutius excogitavit, et post implevit, nec congruam inde pœnitentiam egit (*Matth.* xxvi, xxvii). Religiosos itaque, qui excogitato diu consilio nequitiis se sponte subjiciunt, et in eis diutius permanent, intelligimus prolapsos. Quales et in monasteriis hodie sunt nonnulli, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, et ideo pœnitentiam agere non possunt, quia de solo exteriori habitu gloriantur, et sanctos se esse putant, quia sanctitatis indumentum portant. Recte itaque de talibus dicitur, quia impossibile est eos renovari ad pœnitentiam, quia vel nunquam, vel raro quisquam eorum renovatur. Et Apostolus ita terribilem protulit sententiam, ut per terrorem excitaret ad studia virtutum duras mentes Hebræorum, qui post illuminationem et Spiritus sancti perceptionem relapsi fuerant ad pristina vitia. Non possunt, inquit, renovari, sed sunt *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui*, id est irrisioni *habentes*, quia Christianitatem in seipsis exstinguunt et irridcnt, in se enim crucifigunt Filium Dei et contumeliæ habent, dum gratiam ejus vilipendentes, in peccato jacent, et tales, sicut exposuimus, nequeunt ad pœnitentiam redire, sed in sua pravitate perdurantes, ad æternam mortem festinant. Nam e contrario bona terra quæ fructum bonum facit, æternam meretur benedictionem, et hoc est, *Terra*, id est mens vel Ecclesia fidelium subjectorum, quæ velut terra excolitur vomere doctrinæ, *bibens imbrem* prædicationis et gratiæ cœlestis, id est quadam aviditate hauriens *venientem* cœlitus *super se* per ora prædicatorum; et hoc *sæpe*, quia si raro veniret, non sufficeret; si semper descenderet, vilesceret. Terra, inquam, quæ sic excipit hunc imbrem *et* generat *herbam*, id est profert bonam operationem, *opportunam*, id est congruam *illis a quibus colitur*, id est prædicatoribus, a quibus aratro doctrinæ scinditur et innovatur, scilicet ut operatio subjectorum congruat verbis magistrorum, hæc terra *accipit a Deo benedictionem*, id est augmentum virtutum in hoc sæculo, et perpetuam remunerationem in futuro, cum audit : « Venite, benedicti, etc. (*Matth.* xxv). » Hæc quidem terra benedicitur, sed illa quæ malas herbas gignit, maledicitur. *Proferens autem* ut videantur *spinas*, id est graviora peccata, *et tribulos*, id est minora vel multipliciora et acutius pungentia, tribus enim acuminibus lædit tribulus, *reproba est* a Deo, cum et ipsa pluviam doctrinæ suscipiat, et pro bonis herbis tribulos et spinas germinet. Reproba est, id est retro habens probitatem, ut ille cui Deus ait : « Projecisti sermones meos retrorsum (*Psal.* xlix), » *et proxima maledicto*, id est æternæ damnationi, ut audiat : « Discedite a me, maledicti, » etc. (*Matth.* xxv.) Nondum est in maledicto, sed proxima est illi, quia adhuc licet reverti; et nisi sibi caveat, prope est ut damnetur. *Cujus consummatio*, id est finis, si in malo perseveraverit, ducet *in combustionem*, ut sine fide comburantur, id est simul urantur corpus et anima. Hactenus terribiliter et aspere locutus est Apostolus, ut duras et torpentes Hebræorum mentes ad pœnitentiam et ad studia virtutum provocaret. Sed ne in desperationem terrendo præcipitaret eos, et sic in malo potius remanere faceret, demulcet eos consequenter blandis sermonibus, et ad bene agendum hortatur, dicens :

« Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora « et viciniora salutl, tametsi ita loquimur. Non enim « injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et « dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, « quia ministrastis sanctis et ministratis. Cupi« mus autem unumquemque vestrum eamdem « ostentare sollicitudinem ad expletionem spei us« que in finem, ut non segnes efficiamini, verum « imitatores eorum, qui fide et patientia hæredita« bunt promissiones. »

Locutus sum, inquit, ut vos a peccatis retraherem, et desperationis (230) metu facerem cautiores. Cæterum confido de vobis meliora. Non hoc dico putando vos esse tales, sed timendo ne sitis tales, terreo verbis ne ipsa re impleatis. Dure locuti sumus, sed *confidimus de vobis o dilectissimi*, quos ex nimia dilectione monemus non ex aliquo prælationis debito, confidimus, inquam, *meliora*, quam ut sitis prolapsi, proferentes spinas et tribulos, *et viciniora salutl*, quam sunt illi qui nequeunt ad pœnitentiam renovari et maledicto sunt proximi. Meliorem de vobis confidentiam habemus, *tametsi ita* dure *loquimur* terrendo et increpando. Deo de vobis confidimus, quia olim multa operati estis, pro quibus, si de malis pœnitentiam egeritis, benefaciet vobis Deus. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Revera enim grandis esset injustitia Dei, si tantum peccata puniret, et bona opera non susciperet. Non obliviscetur operis vestri, ut irremuneratum relinquat, quod vestra bona fecistis communia sanctis, *et dilectionis* vestræ, qua opus illud implestis, quoniam sanctorum charitas incitavit cor vestrum, ut eis ministraretis (*Matth.* vi), *quam* dilectionem non infructuosam intus occultatis, sed per opera bona foris *ostendistis* ad exemplum aliis, nec hæc fecistis propter humanos favores sicut hypocritæ, sed *in nomine ipsius*, id est ad honorem Dei, scilicet et ideo foras in operatione cæteris ostendistis dilectionem quam in corde retinebatis, ut luceret lux vestra coram hominibus, quatenus videntes opera bona, glorificarent non vos, sed Patrem vestrum qui est in cœlis (*Matth.* v). Dilectionem opere demonstrastis, *quia ministrastis*, id est humiliter ut subditi et servi quæ

(230) Forte legendum *damnationis*.

Digitized by Google

necessaria erant de vestris facultatibus impendistis *sanctis* qui sua posuerant ad pedes apostolorum *et* adhuc *ministratis* illis, perseverantes in eodem opere bono. Unde sciatis quia Deus hoc non obliviscetur, sed remunerabit. His verbis patet, quia superior increpatio et præsens consolatio non ad perfectos diriguntur, qui reliquerant omnia et habebant cor unum et animam unam (*Act.* IV), sed ad cæteros, qui sæcularia relinquere noluere, et negligenter ac remisse vixere. Quos Apostolus per pauca bona quæ fecere, allicit et recreat animos eorum atque confortat. Vos quidem ministrastis et ministratis, sed tamen nolumus ut ab hac adhuc ministratione cessetis, quasi jam sufficiat quod hactenus egistis, sed cupimus ut usque in finem in hac actione perseveretis. *Cupimus autem*, id est magno charitatis affectu desideramus *unumquemque vestrum*, ut nec unus desit, sed omnes communiter studeatis *ostentare*, id est frequenter ostendere aliis exemplum, *eamdem sollicitudinem* ministrandi sanctis, id est solertem citationem, ut solerter et cito agatis; et non ad horam, sed *usque in finem* vitæ vestræ, et hoc *ad expletionem spei*, id est ut quod speratis ex toto impleatur in vobis in receptione beatitudinis æternæ, et ita cupimus vos usque in finem perseveranter ministrare sanctis, *ut non segnes*, id est sine igne *efficiamini*, in hac sollicitudine, hoc est non sitis torpentes, et igne sancti fervoris carentes, sed sine igne charitatis non sitis, id est sanctos quibus corporalia beneficia tribuitis, diligere ardenter non omittatis, *verum* sitis *imitatores eorum*, quibus ministratis, cæterorumque sanctorum, *qui hæreditabunt*, id est hæreditario jure possidebunt *promissiones*, id est multiplicia dona sempiternæ beatitudinis sæpe promissa, et has obtinebunt non nobilitate generis, sed *fide et patientia*, quia et fidem ipsis promissionibus adhibuere, et patienter eas exspectantes, multa interim adversa passi sunt.

« Abrahæ namque promittens Deus, quoniam ne-
« minem habuit per quem juraret majorem, juravit
« per semetipsum, dicens : Nisi benedicens benedi-
« cam te, et multiplicans multiplicabo te (*Gen.*
« XXII). Et sic longanimiter ferens, adeptus est re-
« promissionem. Homines enim per majorem sui
« jurant et omnis controversiæ eorum finis ad con-
« firmationem est juramentum. In quo abundantius
« volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus
« immobilitatem consilii sui, interposuit jusjuran-
« dum, ut per duas res immobiles, quibus impos-
« sibile est mentiri Deum, fortissimum solatium
« habeamus, qui confugimus ad tenendam proposi-
« tam spem, quam sicut anchoram habemus animæ
« tutam ac firmam et incedentem usque ad interiora
« velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Je-
« sus, secundum ordinem Melchisedech pontifex
« factus in æternum. »

Exponit promissiones quas hæreditabunt qui fidem et patientiam servant, illas scilicet, quas Deus fecit Abrahæ. In quibus non relinquitur nobis locus dubitationis, quando eas Abrahæ promisit et juravit, et etiam omnibus imitatoribus ejus in fide et patientia. Quasi dicat : Inde potestis videre quoniam qui fidem et patientiam habent promissiones hæreditabunt, quia Abraham qui primus eas audire cœpit, sic adeptus est eas. *Namque Deus promittens Abrahæ*, id est promissionem futuræ gloriæ faciens, *juravit*, id est firmiter et immutabiliter stabilivit, *per semetipsum*, id est per incommutabilitatem suam. Ideo juravit per semetipsum, *quoniam neminem* habuit sese *majorem per quem juraret*, quia si esset aliquid majus, per illud suæ promissionis immobilitatem ostendisset. Juravit, inquam, *dicens* : O Abraham, *nisi benedicens* te assidue in spiritualibus filiis, qui erunt sicut stellæ, *benedicam te* incremento virtutum *et* semper *multiplicans* te in carnalibus, qui erunt sicut arena, *multiplicabo te* in futura beatitudine. Ac si dicat : Nisi hoc fecero, nemo mihi amplius credat. Defectus enim sermonis, vehementiam indicat assertionis. Vel nisi benedicens te, id est ditans virtutibus, benedicam te, id est promovebo ut opereris juxta eas; et *nisi multiplicans*, id est adhuc copiosiore virtutum abundantia te dilatans, multiplicabo te, id est in cœlesti patria te multiplici remuneratione beabo. Deus ita jure-jurando promisit, *et sic*, quia Deus tam firmiter promisit, Abraham certus de promissione non statim eam quæsivit accipere, nec contra Deum murmuravit de dilatione, sed *longanimiter ferens* inter multa adversa, et fideliter exspectans, tandem *adeptus est repromissionem*, id est illud quod sibi promissum fuit. Vel repromissionem, quia in una promissione multa sibi promissa sunt. Similiter ergo qui fidem et patientiam usque in finem custodiunt, hæreditabunt promissiones, ut dictum est. Post hæc causa redditur, quare Deus in promissione juraverit cum dicitur : *Homines enim per majorem sui jurant*. Idcirco enim juravit Deus quia hominibus loquebatur et homines jurant. In Deo enim ita firmum est solum promittere, sicut et jurare. Sed hominum incredulitatem voluit juramento certam reddere. Ob hoc autem per se juravit, cum majorem non haberet, quia homines per majorem sui, id est per majorem se jurant. Juravit enim per illud, quod invenire majus potuit. Homines jurant, *et juramentum est finis omnis controversiæ eorum*, id est altercationis, quando unus affirmat et alter negat, quia in juramento finitur altercatio, et est finis, valens *ad confirmationem* alterius partis, id est ad omnimodam certitudinem faciendam, quia postquam juratum est tunc utrique parti certum et ratum est. Et si homini qui mendax est, creditur per juramentum, quanto magis Deo qui mentiri non potest? *in quo*, id est in cujus rei consideratione, hoc est quia considerabat juramento finiri omnem controversiam et fieri confirmationem, *interposuit*, id est inter se et homines medium, cui crederent, posuit *jusjurandum Deus*, vel inter promissionem et ipsius promissionis adimpletionem posuit juramentum. Ipse dico,

Digitized by Google

volens ex propria bonitate *abundantius ostendere* per juration̄em, quoniam abundanter per promissionem, abundantius vero per juramentum ostendit; volens, inquam, ostendere *immobilitatem sui consilii*, id est suæ secretæ rationabilis dispositionis, quæ paucis est nota, quia vix aliquis novit per fidem Christi salvari homines, et cui vel quibus volens ostendere *hæredibus pollicitationis*, id est illis qui hæreditario jure et firmiter habituri sunt pollicitationem, id est promissionem frequenter factam. Illis volens ostendere firmitudinem sui consilii, adhuc abundantius per juramentum, quam sine juramento ostenderat, interposuit, id est inter promissiones posuit jusjurandum, condescendens consuetudini hominum, ut perfectius et certius crederent illud quod ipse de eis immutabiliter ordinavit. Ideo juravit in promissione, *ut per duas res immobiles*, id est per promissionem et juramentum, quæ mutari non possunt, *quibus* ipse qui Deus est, cogitur ut immobile fiat consilium ejus, quia *impossibile est mentiri Deum*, id est ut ipse in his duabus rebus mentiatur, cum nec in aliqua re mentiri possit, *habeamus* in omni tribulatione *fortissimum solatium* doloris et anxietatis. Vel per duas res immobiles, id est per hoc quod Deus juravit et hoc quod per semetipsum, in quibus duabus ipse non potest mentiri, cum nunquam mentiatur. Habeamus solatium fortissimum, id est quod nos in omni adversitate fortes faciat volentes ad horam pati, ut in æternum regnemus. Cum enim tribulationem patimur, si ad futuram gloriam nobis promissam respicimus, refrigerium mentis et angustiæ mitigationem in camino tribulationis habemus. Nos dico, *qui* dum nos tribulationes insequuntur, et omni genere impugnationem appetunt, confugimus, id est ex toto fugimus, *ad spem* futuræ quietis ac beatitudinis et gloriæ nobis promissæ *tenendum*, id est non pro adversis deserendam, sed totis animi viribus firmiter tenendam. *Spem*, id est omnibus oblatam, vel propositam, id est ab antiquis temporibus in Abraham et cæteris patribus ad exemplum nobis in propatulo positam. Ad quam spem confugit, quisquis spe beatitudinis omnes tribulationes spernit, et utile nobis est ad eam confugere, ipsamque tenere, *quam habemus sicut anchoram*, id est retinaculum et firmamentum *animæ* nostræ ne in mari hujus sæculi frangatur scopulis adversitatum. Sicut enim anchora navem retinet et firmat, ne ventorum rabie et tempestate maris insurgente submergatur, et ludibrium maris et fluctuum fiat, sic spes nostra cœlestibus infixa, irrevocabiliter adhærens gloriæ quam desiderat, animam fidelem tenet, et consolidat contra omnes hujusmodi impugnationes velut contra maris tempestates, et confortat in suo proposito, ne deficiat velut scopulis adversitatum et tribulationum fracta, et retinet ne mergatur consentiendo iniquitati. Spem dico, *tutam*, id est nihil timentem *ac firmam*, id est inconcussam, ne saltem titubet. Spes enim cœlestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum. Quod est dicere: Spes in nobis similitudinem exercet anchoræ, quæ navem, ne ad scopulos frangatur, retinet et tutam facit ut non timeat submergi, atque firmam, ne vel titubare possit. *Et incedentem* dico hanc spem, id est nos sperando introducentem usque ad interiora velaminis, id est usque ad ipsa cœlestia et arcana, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II; *Isai.* LXIV), quæ nobis adhuc in carne viventibus sunt velata, id est ignorantiæ nostræ velo tecta; et tamen nostra spes penetrat usque ad illa. Nautis arenæ quibus anchora figitur et hæret; sunt tectæ, nec videri possunt et tamen nautæ sunt in securitate, licet illa videre non possint, quibus anchoræ brachia firmiter adhæsere. Sic et nos in hujus sæculi fluctibus positi cœlestia non videmus; et tamen illis ita per spem conjuncti sumus, ut nullo timoris incursu moveri possimus. Sed et hoc notandum, quia cum dicit, incedentem *usque ad interiora velaminis*, alludit historiæ, quæ inter duo tabernacula velum fuisse narrat, quod interioris tabernaculi secreta velabat, in quo pontifex semel in anno intrabat, et secretum internæ beatitudinis præfigurabat. *Ubi*, id est in quæ interiora et æternæ patriæ secreta *introivit* secundum humanitatem *Jesus*, id est Salvator noster, qui secundum divinitatem ubique semper est, introivit *pro nobis*, id est pro nostra salute, ut interpellaret pro nobis, sicut pontifex Sancta sanctorum ingrediebatur, ut rogaret pro populo. Et introivit *præcursor* pro nobis, ut et nos post eum illuc curramus. Cursor, quia nulla culpa eum impedivit. Præcursor, et tempore et dignitate. Pro nobis, introducendis. Ipse dico, *factus a Deo pontifex*, id est faciens nobis pontem et accessum ad Patrem per hoc quod interpellat pro nobis, offerens obedientiam suæ passionis, ac repræsentans Patri pro salute humani generis. Et hoc *in æternum*, quia non solum quandiu præsens sæculum manet, aut quandiu vivimus, sed etiam in futuro pontificis agit opus; non tunc pro peccatis nostris offerens quæ nulla erunt, sed ut bonum quod in bonis operatus est, indeficiens et stabile permaneat. Pontifex est, non secundum ordinem Aaron, sed *secundum ordinem Melchisedech*, qui solus rex et sacerdos fuit, et ante circumcisionem functus officio, ut non gentes a Judæis, sed Judæi a gentibus sacerdotium acciperent. Nec unctus oleo ut Moyses instituit, sed oleo exsultationis et puritate fidei. Nec animalia immolavit, sed pane et vino sacerdotium Christi dedicavit. Patet ergo Christianos superiores esse Judæis, sacrificium melius pecudibus habere, scilicet rationabile obsequium quod ducit in cœlum.

CAPUT VII.

« Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei « summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde re- « gum (*Gen.* XIV), et benedixit ei, cui et decimas « omnium divisit Abraham, primum quidem qui « interpretatur *rex justitiæ*, deinde autem et rex

Digitized by Google

« Salem, quod est *rex pacis*, sine patre, sine matre, « sine genealogia, neque initium dierum, neque « finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, « manet sacerdos in perpetuum. »

Postquam illos Apostolus monuit ut ad perfectionem promoverentur, quatenus illius grandis et interpretabilis sermonis capaces effici possent, et ad [hoc] multis verbis eos sollicitavit, iterum redit ad propositum, et ad illum grandem sermonem de pontificio Christi, ut scilicet præferre ipsum possit omnibus pontificibus Veteris Testamenti, et ita paulatim accedat hoc ad ostendendum, quod carnales observationes cessare debeant per translationem sacerdotii. Et prius exponit quos ordo præcesserit in Melchisedech, et quomodo juxta ordinem ejus Christus sit factus pontifex in æternum, ut exposito et commendato ordine Melchisedech, appareat quam dignum sit sacerdotium Christi, quod tam magnum est, ut sacerdotium Melchisedech illud præmonstraverit non sicut æquale, sed sicut umbra, dum enim magna umbra præcessisse ostenditur, patet satis quod magna veritas corporis sequatur. Quasi dicat: Recte pontificium Christi comparo ordini Melchisedech, quia *hic Melchisedech* fuit *rex Salem*. Salem autem non (ut Josephus (231) et plurimi nostrorum arbitrantur) credamus esse Jerusalem, sed oppidum juxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem, et ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veterem ostendens magnificentiam, de quo et posterius in Genesi dicitur : « Venit Jacob in Socoth, et transivit in Salem civitatem regionis Sichem (*Gen.* xxxiii). » Nam et Abrahæ revertenti a cæde hostium, quos persecutus est usque Dan, quæ nunc Paneas appellatur, non Jerusalem sed oppidum metropoleos Sichem in itinere fuit, de quo et in Evangelio legimus : « Erat autem Joannes baptizans in Ennon juxta Salem (*Joan.* i). » Cujus urbis rex fuit Melchisedech, fuit *et sacerdos*, ut regnum et sacerdotium Christi præfiguraret, qui et nos fecit esse genus regale et sacerdotale (*I Petr.* ii). Sacerdos fuit, non idolorum, sed Dei, quia licet esset gentilis, et non de genere Judæorum, tamen erat sacerdos Dei; non Jovis aut Apollinis, sed potius *summi Dei* omnium Creatoris, qui est super omnia; et Christus est sacerdos Dei Patris, qui hostiam sui corporis et sanguinis semel obtulit in cruce (*Joan.* xix), sicut et Melchisedech panem et vinum legitur obtulisse. Ille dico, *qui obviavit*, id est obvius processit *Abrahæ regresso a cæde regum*, quando fuit majoris dignitatis habitus apud homines, id est in ipso triumpho, cum regrederetur non a fuga, sed a cæde, non unius, sed multorum regum. Hinc enim magna dignitas Melchisedech ostenditur quem Abraham, peregrinus in illa terra tantæ dignitatis intellexit, ut dignum judicaret ad illum qui rex et sacerdos erat accedere (232), et de omnibus spoliis decimas illi dare, ac prius ad illum a quo benedictionem accepturus erat, quam ad domum suam declinaret. Cui triumphatori non solum obviavit Melchisedech, sed et benedictionem dedit. *Abraham* vero, accepta benedictione, *divisit* illi *decimas omnium* quæ secum adduxerat a cæde regum. Per Loth, qui amissis bonis in captivitatem ductus est, designatur anima vitiorum pondere per quinque sensus corporis incurvata et domino adversariæ potestatis mancipata. Cujus vincula nititur Abraham solvere, cum ratio captivitatem animæ recognoscens, armat se scuto fidei et galea spei ac gladio verbi Dei; et assumpta virtutum quasi vernaculorum caterva, cuneos vitiorum viriliter aggreditur; et tam diu pugnat, donec superatis hostibus animam liberet. Peremptis regibus, Abraham reducens Loth, gaudens redit ad propria, inveniens Melchisedech in itinere sibi obviantem, et sacros cibos offerentem ac benedicentem, quoniam exstinctis vitiis, rationalis vigor animam liberatam reducere festinat ad paradisi gaudia et ad domum cœlestis patriæ; sed priusquam illuc perveniat verum regem et sacerdotem Christum *reperit* obvium et offerentem sibi cibum et *potum corporis* et sanguinis sui, ac benedictionem cœlestis gratiæ, id est incrementum virtutum tribuentem. Occurrit enim lætus victoribus vitiorum, ut excipiat eos et sacris alimentis reficiat; et benedicit, id est promovet et multiplicat in virtutibus, et augmentat donis spiritualibus. Nec nisi victor quisquam cibos ejus debet accipere, quia nullus ut ad eucharistiam accedat, debet præsumere, nisi prius reges contra quos pugnat, devicerit, id est vitia quæ pugnaverunt in se, Domino adjuvante superaverit, alioquin judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* ii). Abraham autem decimas omnium quæ hostibus abstulerat, dedit sacerdoti Melchisedech. Sic et unusquisque fidelis post victoriam suæ pugnæ gaudens Christo decimas offert, id est omnium bonorum operum suorum perfectionem et virtutum consummationem divinæ gratiæ ascribit. Si quid autem imperfectum et minus idoneum in se viderit, hoc sibi retinet, id est sibi deputat. Denarius enim ultra quem non progreditur numerus, sed replicatur, perfectionem designat, sicut et novem partes quas Abraham sibi retinuit, imperfectionem demonstrant. Quidquid enim primum et optimum est ac perfectum, designatur per denarium, in quo prius consummatur numerus. Et omne quod præcipuum est in nobis atque perfectum, Deo attribuendum est, quidquid vero imperfectum, nobis est ascribendum. *Primum quidem*, etc. Notat Apostolus ipsa verba, ut ostendat omnia ista in Christo esse eo ordine, quo præcessere in Melchisedech. *Qui primum quidem interpretatur rex justitiæ*, sed *deinde* etiam rex Salem, quod est *rex pacis*. Quod Christo bene congruit, qui pacificat quæ in cœlis et quæ in terra sunt (*Colos.* i), qui suos per justitiam regit inter procellas sæculi,

(231) Lib. I *Antiq.* c. 1.

(232) Locus obscurus.

Digitized by Google

ac in eorum justis conversationibus regnat, et post in æterna pace non desistit eos regere et in ipsis regnare. Primum enim Melchisedech nobis est, deinde rex Salem; quia prius regit nos in justitia, post reget in pace. Primo regnum justitiæ nunc in nobis assequitur, et deinde post hanc vitam regnum pacis in nobis æternaliter quietum possidebit. Melchisedech dico, *sine patre, sine matre.* Non quod absque patre et matre fuerit, cum Christus quoque secundum utramque naturam et patrem habuerit et matrem, sed etiam quod subito introducatur in Genesi occurrisse Abrahæ revertenti a cæde hostium (*Gen.* XIV), et nec ante nec postea nomen ejus feratur ascriptum. Unde et *sine genealogia* dicitur esse, cum fortassis uxorem et filios habuerit, et per initium, nec finem habuisse, cum sine dubio et initium per nativitatem habuerit, et per obitum finem. His enim omnibus carere dicitur, quia nihil horum in eo Scriptura loquitur. Vel genealogia est præcedentium Patrum narratio, qua iste caret, quia ex quibus patribus descendat, non invenitur, quoniam Spiritus sanctus altiori consilio voluit hoc de eo reticere, ut figuram Domini per omnia gereret. Christus enim sine patre secundum carnem est, quia sine virili admistione natus est ex virgine; et sine matre est secundum divinitatem, quoniam illa ineffabilis genitura manet in æternitate, et est sine genealogia, id est sine generatione filiorum, quia filios carnis non habuit, sed sine sobole, sine aliqua successione carnali permanet. Sive quia patres aliquos in divinitate non habuit præcedentes, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, sed coæternus Patri existens secundum divinitatem. Hic quoque notandum est, quia dum Melchisedech sine patre et sine matre dicitur esse, sacerdotes Novi Testamenti non pro parentum nobilitate sed pro vitæ suæ merito sunt eligendi; nec attendendum quos parentes habuerint, sed cujus meriti sint. Sed et sine genealogia est Melchisedech, quia Novi Testamenti sacerdotes et ministri altaris uxores habere non possunt. Quas si habere voluerint, profiteantur se esse sacerdotes Judaicæ institutionis, non Christianæ. Nec initium dierum, nec finem vitæ habet Melchisedech, quia sacerdotium ejus, id est sacerdotium Christi et Ecclesiæ, est æternum et in præteritum et in futurum. Sacerdotium autem Aaron, id est populi Judæorum, et principium habuit et finem. Sed sacerdotium Christi principio caret et fine, quia electi sumus in ipso ante mundi constitutionem, et sine fine pro nobis interpellat (*Ephes.* I). Talis et tantus est Melchisedech, sed in omnibus his quæ dicta sunt, *assimulatus est Filio Dei*, quoniam in omnibus gessit umbram veritatis, quæ in Christo lucet, et *manet sacerdos in perpetuum*, non quod adhuc vivens sacerdotio fungatur, sed quoniam Scriptura finem sacerdotii ejus non narrat (*Num.* XX). Nam de aliis sacerdotibus legitur quando mortui sunt, et quod alii loco eorum successere, sicut de Aaron invenitur qualiter obierit, et quis ei pontifex successerit. Sed de Melchisedech non legitur quod aliquando mortuus sit vel sacerdotium perdiderit. Moyses enim sicut mortem ejus tacuit, ita eum aliquando fuisse vel amisisse sacerdotium suum minime retulit. Manet ergo sacerdos in perpetuum quia sacerdotio ejus nullum aliud sacerdotium succedit, ut Levitico; sed ejus institutio quandiu mundus steterit, permanebit. Nam ipse panem et vinum obtulit Deo pro Abraham, et quotidie panem et vinum Deo sacerdotes offerunt pro salute fidelium; atque panis ipse et vinum fiunt corpus et sanguis Christi, ac permanent in æternum, ita ut vitam æternam digne accipientibus conferant. Propter ista recte dicitur Melchisedech manere sacerdos in perpetuum, quia nullus alius ritus instituetur, per quem ejus oblatio mutetur, et quia Christum designat perpetualiter interpellantem pro nobis.

« Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem (*Num.* XVIII), id est a fratribus suis, quanquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham (*Gen.* XIV), et hunc qui habebat repromissiones, benedixit; sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. »

Immoratur Apostolus in commendatione dignitatis Melchisedech, præferens eum Abrahæ, quem Judæi extollunt et de quo gloriantur, quem Christo præponere volunt, dicentes : « Nunquid tu major es patre nostro Abraham ? (*Joan.* VIII.) » Quasi dicat : ex supradictis vidistis qualis fuerit Melchisedech. Sed nunc *intuemini*, id est interius considerate quantus sit hic. Intuemini, id est interiori visu cum magna diligentia, utpote magnum quid inspicite, *quantus*, id est quantæ dignitatis et sanctitatis ac perfectionis *sit hic* intelligendus, *cui* non solum multas alias venerationes, sed *et decimas dedit Abraham* qui est *patriarcha*, id est princeps patrum, cujus sanctitatem patres imitati sunt. Et non de vilioribus, sed *de præcipuis* ac melioribus dedit ei decimas, velut de equis, vestibus, loricis et aliis, quæ præcipua videri poterant inter cætera. Unde maximus apparet et inæstimabilis magnitudinis esse, cui pater aliorum patrum decimas dedit, in quo se longe inferiorem illo esse reputavit, et illum meliorem, cui meliora et præcipua offerebat. Melchisedech, ut dixi, decimas ab Abraham accepit, in quo præfertur Abrahæ, et ita cunctis filiis Levi, id est sacerdotibus veteris legis. Et quidem taliter apparet quantum ipse præemineat cunctis illis sacerdotibus, quia non omnes filii Levi, sed *quidam de filiis* ejus *accipientes sacerdotium* per electionem et consecrationem aliorum, *habent mandatum sumere decimas*; non enim aliter auderent. Mandatum istud habent *secundum legem*, id est secundum legis institutionem, sine cujus auctoritate nunquam præsumerent. Unde

Digitized by Google

secundum legem, id est non aliter quam præcipit lex, scilicet, ut nec plus, nec minus, nec alio modo accipiant, quam in lege decretum est. Accipiant *a populo* Hebræorum, *id est a fratribus suis*, hoc est, ab hominibus ejusdem dignitate superare, nisi quia erant sacerdotes constituti in lege. Tanta est enim excellentia sacerdotii, ut etiam similes genere, multo amplius digniores sint fratribus suis. Decimas, inquam, sumebant a populo, non tamen minori, ut erant proselyti, sed a fratribus suis secundum carnem non inferioribus; *quanquam et ipsi* fratres qui eas dabant, *exierint de lumbis Abrahæ*, id est descenderint de propagine Abrahæ; hoc est, quamvis et sacerdotes et populus ejusdem dignitatis essent in origine generis, tamen præceptione legis et auctoritate populus cogebatur ut eis decimas persolveret, sed Melchisedech a nullo homine accepit officium sacerdotale vel consecrationem, neque præceptum habuit ut decimas sumeret, vel ab aliquibus exigeret, et cum filii Levi non a minoribus, sed a comparibus, utpote a fratribus decimas accipiant, iste ab Abraham accepit, non ut a compari vel fratre, sed ut a minori, quia non fuit ex illa progenie. Non enim Abraham incircumciso alienigenæ decimas dedisset, nisi excellentiorem esse sciret, in quo et Levitici sacerdotes decimas ei persolverunt. Filii Levi sumebant a fratribus, sed ille *cujus generatio*, id est posteritas filiorum, quia nulla est, vel etiam si esset, *non annumeratur in eis*, id est in filiis Levi, nec aliquam consanguinitatem habere cum eis refertur, *decimas sumpsit ab Abraham*. Quem sic per omnia superavit, ut nulla vis esse facta possit intelligi, quando illi Abraham decimas ex omnibus persolvit, sicut populus Judæorum quadam vi et necessitate compellebatur dare suis decimas sacerdotibus. Horum sensus ita breviter panditur: Tali modo patet Melchisedech digniorem et majorem esse filiis Levi, quia ipse ab Abraham majore omnibus illis decimas sumpsit ut a minori, Leviticus autem ordo non a minori se, sed a fratribus accepit. Nam si Levitici sacerdotes etiam paribus genere, id est fratribus suis præstantiores erant sacerdotii consecratione et legis institutione, quoniam decimas ab eis accipiebant, tunc Melchisedech dignius præfertur Abrahæ, a quo decimas accepit quasi sacerdos a laico, et filiis Levi quos in ejus lumbis decimavit. Non tamen Melchisedech et Abraham ejusdem generis esse leguntur, ut vel in genere pares esse possint. Et si Melchisedech qui fuit signum et umbra, præfertur Abrahæ et omnibus Leviticis sacerdotibus, quanto magis Christus qui est veritas et corpus? Dixit quia decimas sumpsit ab Abraham, *et* etiam benedixit eum, per quod magna ejus excellentia declaratur, qui tam magnum patriarcham, *qui habebat*, hoc est qui tam firmiter credebat ac si jam haberet *repromissiones*, id est iteratas ad se divinitus promissiones, *benedixit*, id est sacravit, hoc est, illum benedixit, cujus Deus benedictionem repromiserat. Cujus benedictione Abraham factus A est sacratior, non benedixit eum, sed decimas ei dedit, ut minor majori. Abraham ab eo percepit benedictionem, sed *sine ulla contradictione* verum est, quia illud *quod minus est, benedicitur* a majore vel *a meliore*. Nemo enim contradicere potest huic rationi, sed omnes hoc constare novere, quia omne quod benedicitur, minus est benedicente. Omnis enim qui benedictionem ab aliquo suscipit, in ipsa susceptione probatur esse minor. Sed Abraham, ut sæpe dictum est, benedictionem suscepit a Melchisedech in tempore majoris suæ dignitatis, dum cum triumpho rediret e prælio. Ergo minor esse non potest negari: et si typus Christi, id est Melchisedech major est promissiones habente, quam est ipse Christus!

B « Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur quia vivit, et ut ita « dictum sit, per Abraham et Levi qui decimas ac- « cepit, decimatus est, adhuc enim in lumbis patris « erat, quando obviavit ei Melchisedech. »

Et adhuc alia ratione intuemini dignitatem Melchisedech, quia *hic quidem*, id est in hoc loco Scripturæ, ubi agitur de Leviticis sacerdotibus, *accipiunt decimas homines morientes*, id est ad mortem quotidie per multas miserias vergentes; hoc est, de illis loquitur Scriptura sicut de hominibus, quorum alii moriuntur, et alii succedunt; sed *ibi*, id est ubi sermo est de Melchisedech, *contestatur* Scriptura *quia* ipse *vivit*, dum de vita ejus loquitur, et de morte nihil dicit. Per quod dignior omnibus aliis C sacerdotibus sufficienter ostenditur. Contestatur enim, id est simul tota illa Scriptura quæ de eo est, testatur, quia vivit. Et cum filii Levi sint morientes, et iste vivens, apparet quis sit præferendus. Et alio adhuc modo patet eum esse majorem filiis Levi, quoniam Levi qui decimas *accepit*, ipsi Melchisedech decimas persolvit, et hoc est, quia *et Levi*, id est illa tribus Levitica, unde sacerdotes Deus elegit, et ille quoque electus ordo, *qui decimas* ab omnibus aliis *accepit decimatus est* a Melchisedech, id est decimas ei persolvit, et hoc *per Abraham*, non enim proprie in sua persona Levi decimas dedit circumcisus sacerdos incircumciso. Sed ut ita dictum sit constans, non per se decimatus D est, sed per medium, id est per Abraham patrem suum. *Adhuc enim erat in lumbis patris* ipse Levi, pater sacerdotalis prosapiæ, id est nondum exierat inde secundum genituram, *quando Melchisedech obviavit Abrahæ*. Et ideo totus ordo Leviticus ipsi Melchisedech astrictus est in eodem debito et eadem subjectione, in qua Abraham pater ejus. Adhuc enim unum quid erat Levi cum illo, quoniam post genitus est ab ipso. Et ideo necesse est ut eidem subjiciatur, cui subjectus est pater ejus antequam illum genuisset. Unde patet sacerdotium Judæorum esse subjectum sacerdotio Christianorum. Decimatus est enim Levi per Abraham a Melchisedech, quoniam adhuc in lumbis patris erat decimas dantis. Nam sicut Adam peccante, qui in lum-

Digitized by Google

bis ejus erant, peccavere; sic Abraham decimas dante, qui in lumbis ejus erant, decimati sunt. Sed hoc non sequitur in Christo, quamvis esset in lumbis Adæ et Abrahæ, quia non secundum concupiscentiam carnis inde processit. Non enim et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Et ita Christus non est inferior Melchisedech, quia non est decimatus ab eo, sicut Leviticus ordo, qui ei per Abraham decimas solvit. Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi hominis, simul habebat et vulnus prævaricationis et medicamentum vulneris. Vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis (*Rom.* VII), quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur; medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiæ in sola materia corporali per divinam conceptionis formationisque rationem de virgine sumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, et resurrectionis sine falsitate exemplum.

« Si ergo consummatio per sacerdotium Levitici erat, populus enim sub ipso legem accepit, « quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, « et non secundum ordinem Aaron dici? Translato « enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio « fiat. »

Prætulit hactenus sacerdotium Christi, quod est secundum ordinem Melchisedech, Levitico; et nunc addit quod sacerdotium Christi Leviticum destruat, quo destructo, necesse sit et legem destrui secundum carnales observantias. Ac si dicat : Quoniam superius dictum est : Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et omnes legem habentes novere hoc esse futurum, ergo quid necessitatis exstitit, ut non juxta Aaron, sed juxta Melchisedech surgeret iste novus sacerdos, sub quo perfecta daretur justitia? *Si consummatio*, id est perfectio justitiæ *erat*, id est dabatur vel fiebat, *per sacerdotium Leviticum*, cur alio ordine novus adhuc sacerdos prophetatus est surrecturus? Nam si Leviticum sacerdotium, ut Judæi putabant, consummabat, frustra surgeret alius secundum Melchisedech. Sed surgit alius, et non frustra, cum divino sit prænuntiatus oraculo. Ergo illud non consummabat. Sed cur consummare videretur, interponitur causa : *populus enim sub ipso legem accepit*. Nam quia sub illo sacerdotio data fuit lex, in cujus observantia consummatio putabatur esse, ideo putabatur consummatio per sacerdotium, quoniam lex et data est sub illo, et administrabatur per ipsum, sed non erat per ipsum consummatio. Nam si hoc esset, nunquam alius sacerdos quæreretur, qui alio ordine consummationem daret, et hoc est

A Si consummatio justitiæ sicut Judæi putabant, erat per sacerdotium Leviticum, *ergo* postquam illud vetus daret consummationem, *quid adhuc necessarium fuit*, id est quid causæ, quid utilitatis exstitit dici a Deo per David *surgere alium sacerdotem*, dum caneret : « Tu es sacerdos in æternum *secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX), » *et non* diceret *secundum ordinem Aaron?* Hic est enim verus sacerdos, quia et a peccato liberat, et omnem justitiæ consummationem præstat, quod illi facere nullatenus valebant. Ideo necesse fuit, ut post illos adhuc alius surgeret, et secundum ritum et secundum mores. Populus sub sacerdotio legem accepit et tenuit, et illud vetus novo sacerdotio veniente mutatur. Unde et legem similiter oportet mutari. Nam *translato sa-*
B *cerdotio* in novum sacerdotium, *necesse est ut et legis translatio fiat* in novam observationem. Quia enim simul utraque et ab eodem et sub eadem sponsione data sunt, necesse est, ut quod de uno dicitur, de altero intelligatur. Neque enim lex sine sacerdotibus, qui eam faciant, potest manere, sed destructo sacerdotio, destruitur et lex quæ non nisi sub eo stare valet. Sed destructum sive translatum est sacerdotium.

« In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de « qua nullus altario præsto fuit. Manifestum est « enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in « qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus « est. Et amplius adhuc manifestum est, si secun-
C « dum similitudinem Melchisedech exsurrexit alius « sacerdos, qui non secundum legem mandati car- « nalis factus est, sed secundum virtutem vitæ in- « solubilis. Contestatur enim, quoniam tu es sa- « cerdos in æternum secundum ordinem Melchi- « sedech. »

Ostendit translatum esse sacerdotium, ut sic sequatur et legis translationem esse factam. Vere sacerdotium est translatum, quoniam et in aliam tribum, et in alium ritum. Nam ille *in quo*, id est in cujus consideratione *hæc dicuntur*, scilicet Dominus Jesus propter quem commendandum has disputationes facimus, non ex tribu Levi, sed *de alia tribu est, de qua nullus præsto fuit* unquam *altario*, id est, nec minor, nec major quisquam ex illa
D tribu secundum legem ad altarium accessit, ut ministraret sacerdotali jure. Vere novus iste sacerdos qui æternum habet sacerdotium, de alia tribu est, nam de Juda. Et oportebat ut evacuaturus sacrificia, quæ secundum ordinem Aaron in sacerdotio Levitico fiebant, de alia tribu esset, non de Levitica, ne ad ipsum sacerdotium quod temporaliter umbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam ipse oblatione sui veri sacrificii fecit. De alia tribu est. Nam *manifestum est quod idem Dominus noster ortus sit ex Juda*, id est ex tribu Juda, ut eadem sit sacerdotalis et regalis, ut fuit Melchisedech rex et sacerdos. *In qua tribu Moyses nihil de sacerdotibus est locutus*, id est non dixit ut aliquis de ea sacerdos esset, vel aliquid sacerdotale

Digitized by Google

haberet. Quia ergo Dominus Jesus qui de alia tribu est, sacerdotium accepit, patet quia translatum est sacerdotium, nec in tribu Levi amplius manere potest, et ita carnales observantiæ sub illo datæ, statum ulterius habere nequeunt post hoc. Dedi, inquit, superius rationem satis manifestam, et convenientem, et adhuc præter istam dico aliam, ex qua amplius erit manifestum et evidens omnibus quia translatum est sacerdotium. Manifestum enim est per tribum esse translatum, *et amplius adhuc manifestum est* per ritum, quia hæc est manifestior et firmior probatio, amplius, id est largius et evidentius manifestum est, sacerdotium esse translatum, si alio ritu observatur, videlicet *si secundum similitudinem Melchisedech exsurrexit alius sacerdos*, id est si Dominus Jesus extra omnes alios surrexit, ut oblatione sua mundaret populum suum ab omnibus peccatis, quod nullus alius facere potuit; et quemadmodum Melchisedech Abrahæ panem et vinum sacratum dedit, ita et hic discipulis suis in eisdem speciebus corpus et sanguinem suum dedit. *Qui non est factus* sacerdos *secundum legem mandati carnalis*, id est secundum quod lex carnaliter mandat, quia non est unctus in sacerdotem oleo materiali, nec carnalia pro ejus ordinatione sunt oblata sacrificia, *sed secundum virtutem vitæ insolubilis*, id est æternæ, quæ nec solvi, nec corrumpi vel destrui potest quæ per Spiritum sanctum datur, quo Christus invisibiliter est unctus in sacerdotem. Et vere secundum virtutem vitæ insolubilis est unctus sacerdos, quia in æternum manet. Nam *contestatur*, id est simul propheta vel Deus Pater mecum testatur *quoniam tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

« Reprobatio quidem fit præcedentis mandati « propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil « enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero « melioris spei, per quam proximamus ad Deum et « quantum est, non sine jurejurando. »

Dederat rationes cur sacerdotium sit translatum, et nunc similiter, ut consequens erat, profert causam et rationem translationis legis, dicens: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*, id est priscæ legis *propter infirmitatem*, id est debilitatem et imbecillitatem *ejus*. Ostendendum enim erat, cur vetus mandatum quod carnales cæremonias observari præcepit, reprobaretur, cum Deus illud dedisset, et novum substitueretur. Ideo scilicet fit reprobatio, id est repudiatio præcedentis mandati, quia infirmum erat et invalidum. Nam ut sit locus gratiæ sequenti, reprobatur mandatum præcedens. Quod ideo præcedens dicitur, quia aliud erat secuturum. Vetus enim præcessit novum, sicut umbra corpus. Sed sicut veniente corpore, umbra præterit et in nihilum vertitur, ita vetus mandatum veniente novo. Nam infirmum erat illud mandatum carnalium observantiarum, id est non sufficiens per seipsum justificationem dare; hoc enim quod per se solum justa adimplere non potest, infirmum judicatur. Et talis erat lex, quæ sine auxilio gratiæ neminem justificare potuit. Et erat inutilis, id est veram utilitatem conferre non valens, quia regnum cœlorum suis cultoribus dare non potuit, et nunc est inutilis omnino, id est nihil prorsus utilitatis conferens, imo perniciosa, si post adventum Christi servetur. Vere propter infirmitatem reprobatur, quia *nihil*, id est nullum hominem *adduxit lex ad perfectum*, id est ad perfectionem. Nam, etsi aliqui perfecti sub ea fuere, non tamen ex ea perfectionem habuere, sed ex gratia. Lex enim etsi aliquid fecit, non tamen plene justificavit. Nam neque regnum peccati ex toto potuit evertere, nec perfectam innocentiam aut perfectam justitiam dare, nec vitam æternam acquirere, sed tantum bona temporalia promittere. Nam timorem mortis incussit, non amorem justitiæ dedit, nec in intimo cordis regnavit, licet in operibus foris custodita sit. Et ideo jure reprobata est. Illa quidem reprobata est, sed loco ejus fit *introductio melioris spei*, id est cor nostrum penetrat et in illud introducitur, ut in eo regnet gratia novæ legis, quæ nobis spem vitæ æternæ tribuit, *quam* lex antiqua dare non potuit. Illa enim promittebat temporalia, hæc pollicetur æterna. Et hæc virtutum consummationem largitur, quæ facit hominem sperare non sospitatem, quæ cito transeat; non copiam temporalium divitiarum, non multitudinem filiorum, sed potius vitam æternam, salutem indeficientem, Deum omnia in omnibus existentem *per quam* spem *proximamus ad Deum*, quia dum terrena despicimus, et cœlestia appetimus, mente Deo propinquamus, et ejus imaginem in nobis reformamus, atque illi inhærere cupimus, ut unus cum eo spiritus efficiamur. Introductio fit melioris spei, *et quantum est*, id est quam magnum et quam mirabile est, quod *non sine jurejurando* fit, sed cum jurejurando. Dum enim Deus jurat Christum esse sacerdotem in æternum, qui sine fine pro nobis interpellet, cum jurejurando spem nobis dat meliorem.

« Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti « sunt, hic autem cum jurejurando per eum qui « dixit ad illum : Juravit Dominus et non pœnite- « bit eum, tu es sacerdos in æternum. In tantum « melioris testamenti sponsor factus est Jesus. »

Magnum est quod talem spem nobis Deus in sacerdotio Christi cum juramento dedit. Nam *alii quidem*, id est Levitici sacerdotes longe ab eo discreti, facti sunt sine jurejurando, quasi quandoque mutandi, sed *hic*, id est qui nunquam mutandus erat, factus est *cum jurejurando per eum qui* omnia potest, id est per Deum Patrem, qui jurando *dixit ad illum : Tu es sacerdos in æternum*, hæc est sententia. Sed ut magis ostendat Deum jurasse, interponit ipsa verba prophetæ hoc asserentis : *Juravit Dominus*, id est inconcussa veritate firmavit, *et non pœnitebit eum*, id est hoc sacerdotium nulla ratione mutabit. Neque enim sicut hominem pœnitet Deum. Sed Dei dicitur pœnitentia, quævis ab illo institutæ rei cujusque mutatio, quæ credebatur esse

Digitized by Google

mansura. Proinde cum dicit, *non pœnitebit eum, tu es sacerdos*, etc., satis ostendit eum pœnituisse de institutione prioris sacerdotii, hoc est, mutare voluisse sacerdotium quod constituerat secundum ordinem Aaron. Unde satis apparet quantum iste sacerdos omnibus illis sacerdotibus sit dignior. De isto juravit Dominus quod in æternum maneat, *in tantum factus est* ipse *Jesus sponsor melioris testamenti*, id est promissor melioris hæreditatis quam illi. Illi enim per Vetus Testamentum, spondebant terrenam et temporalem hæreditatem, hic autem per novum spondet cœlestem et æternam. Testamentum quippe vocabatur chirographum hæreditatis, quod ille qui moriebatur, relinquebat ei quem post se constituebat hæredem. Et Jesus Dominus moriens Novum Testamentum nobis reliquit, in quo nos regni cœlestis hæredes fore spopondit, et ipse sacerdos ac mediator ejusdem Testamenti esse voluit. Vetus autem Testamentum sanguine brutorum animalium est dedicatum, et ideo vetustis hominibus terrenam spopondit hæreditatem. Longe itaque melior illis prioribus est sacerdos Jesus, melius testamentum eis, melior promissio.

« Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, id-
« circo quod morte prohiberentur permanere. Hic
« autem eo quod maneat in æternum, sempiternum
« habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum
« potest, accedens per semetipsum ad Deum, sem-
« per vivens ad interpellandum pro nobis. »

In eo quod alii sine juramento, hic autem cum juramento factus est sacerdos, apparet, ut dictum est, ejus excellentia; et in hoc etiam, quod alii sunt plures, quia morientes : hic autem unus, quia semper vivens. Nam *alii quidem*, id est. Levitici longe ab eo dissimiles *facti sunt sacerdotes;* non unus, sed *plures* per multas successiones, dum alii morerentur, et alii succederent *idcirco quod a morte prohiberentur*, id est eo quod mors prohiberet eos in hac vita *permanere.* Idcirco enim plures constituti sunt, alii post alios, quoniam necessitate mortis interveniente, prohibiti sunt in sua dignitate permanere, id est ex toto manere. Mansit quidem ad tempus unusquisque illorum, sed nullus permansit; *hic autem* de quo loquimur, permanet; hic quem magnificare intendimus *habet sempiternum* id est semper æternum *sacerdotium*, id est officium dandi sacra populo, et interpellandi pro eo. Non enim quisquam jam ei succedit in sacerdotio, nec finem habet ejus sacerdotium, *eo quod* ipse *maneat in æternum.* « Nam resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illam ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » *Unde* quia manet, et habet manens sacerdotium *potest et salvare in perpetuum.* Ostendit Apostolus quia sacerdotium ejus destruit vetus sacerdotium et veterem legem, et nunc commendat actum ipsius. Unde, inquit, id est qui sempiternum habet sacerdotium, quod non habet omnis turba sacerdotum, non solum potest pro nobis intercedere, sed etiam salvare, id est salutem illis quorum est pontifex, dare, non ad tempus, sed in perpetuum. Hic evidenter apparet insipientia eorum, qui putabant Christum sine carnalibus observantiis ad salutem non posse sufficere. Potest in æternum salvare, quia et hoc indicat nomen ejus, quod est Jesus, id est salvator. Ipse dico, *accedens ad Deum* non per aliquod medium, non per angelum, non per aliam creaturam se digniorem, sed *per semetipsum* ad secretorum participationem accessit, ut voluntatem Patris cognosceret, et eum peccatoribus placidum ac propitium faceret. Ad similitudinem alicujus sapientis et potentis dictum est, qui ad regem vel aliam magnam personam, non per alium admittitur, sed per semetipsum intrat, et quidquid ipse vult operatur. Merito enim per seipsum accessit, per quem et omnes alii accedunt, sicut ipse loquitur : « Nemo venit ad Patrem nisi per me (*Joan.* XIV). » Vel non per alienas hostias accessit ad Deum nobis placandum, sed per semetipsum, offerens se in ara crucis. Ipse dico, post resurrectionem *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, quia ad hoc ei data est vita perennis, ut semper Deum Patrem interpellet ut bonus mediator pro vita et gloria nostra, licet enim propter gloriam suam vivat et propter obedientiæ suæ remunerationem, tamen ad hoc etiam vivit, ut semper seipsum offerat, id est Patri ostendat ad nostram gloriam et exaltationem. Ex ea enim natura qua pontifex est, id est humana, quam cœlis intulit, interpellat ipse et intercedit pro nobis. Quia ergo per semetipsum accedit ad Deum, et semper vivit ad interpellandum pro nobis, vivumque semper habet sacerdotium, patet quod salvare nos in perpetuum potest. Alii vero sacerdotes nec semper vivunt, nec salvare possunt

« Talis enim decebat ut nobis esset pontifex,
« sanctus, innocens, impollutus, segregatus a pec-
« catoribus et excelsior cœlis factus. »

Dixi quia per semetipsum accedit ad Deum et semper vivit ad interpellandum. Nam hoc *decebat*, id est congruum erat, *ut nobis* filiis *esset talis pontifex.* Servi vero alios habuere. Noster debuit esse *sanctus*, id est omni perfectione virtutum, in seipso consummatus, et *innocens*, quantum ad proximum, nemini unquam faciens quod noceret; et *impollutus*, id est cujus sanctitas et munditia per alicujus peccati consensum et delectationem nunquam esset polluta; et *segregatus a peccatoribus*, id est seorsum factus a grege peccatorum, ut nullo peccati nævo teneretur in grege eorum, utpote sine carnali concupiscentia per Spiritum sanctum conceptus et natus. Vel sanctus interius, innocens manibus, impollutus corpore, segregatus a peccatoribus, id est ab omni peccato immunis, et a grege cæterorum sacerdotum separatus, inter quos nullus sine peccato; *et factus excelsior cœlis*, ut ibi ministret in superno altari. Vel segregatus a peccatoribus ut jam conversatio ejus non sit inter mortales, qui quandiu sunt in hac vita, peccato carere non possunt; et excelsior cœlis factus, id est super omnes cœlestes creaturas elevatus,

Digitized by Google

ita ut ejus magnitudo vel sublimitas magnitudinem primorum sic transcendat angelorum, ut inter ipsum et angelos nulla possit fieri comparatio secundum magnitudinem et excellentiam.

« Qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias « offerre, deinde pro populi : hoc enim fecit semel « seipsum offerendo. Lex enim homines constituit « sacerdotes, infirmitatem habentes; sermo autem « jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æter- « num perfectum. »

Adhuc ostendit eum digniorem Leviticis sacerdotibus et potentem salvare. *Qui* cum talis sit, qualem descripsit, *non habet necessitatem quotidie offerre hostias prius pro suis delictis, quemadmodum sacerdotes* illi habebant, quia quotidie delinquebant, et quotidiana mundatione indigebant. Dicit eum non habere necessitatem offerre quotidie non quod aliquando hunc habere hujusmodi necessitatem velit intelligi, sed ut ab eo removeat, quod illis conveniebat. Non indiget, ut illi per singulos dies offerre prius pro suis delictis, ac *deinde pro* delictis *populi*. Non indiget quotidie offerre, quia hoc semel, non tamen pro suis, sed pro populi delictis *fecit*. Nec fecit hoc, *offerendo taurum* vel hircum, sed *seipsum*, quia non inveniebatur alia hostia, quæ digne posset offerri pro expiatione populi; nec alius sacerdos qui dignus esset illam offerre. Quis enim tam justus et sanctus sacerdos, quam unicus Dei Filius, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec originalia, nec actualia? Et quid tam congruenter pro hominibus offertur quam humana caro? Et quid tam aptum immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundanis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero et ex utero virginali? et quid tam grate offerri ac suscipi posset, quam caro sacrificii nostri corpus effectum sacerdotis nostri? Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, quid offeratur, cui offeratur, a quo offeratur, pro quibus offeratur idem ipse unus verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat et quod offerebat. Semel hoc obtulit, quia non fuit opus repetitione. Suffecit enim omnibus, et ideo non est necesse iterari. Nam adeo magnum est hoc sacrificium, ut quamvis unum sit et semel oblatum, sufficiat ad æternitatem. Dixi quia sacerdotes indigebant quotidie offerre non solum pro populi delictis, sed et pro suis; et hoc ideo fuit, quia *lex homines constituit sacerdotes*, non immortales jam sed adhuc *habentes infirmitatem*, id est fragiles ad peccandum, et ex ipsa corruptione naturæ mortales proclives, utpote homines puros, et conditionem humanæ fragilitatis vitare non valentes. Ideoque, sicut dictum est, necessarium fuit illis ita offerre pro suis delictis, sicut pro populi. Hoc remedio indiguit Phinees (*Num.* xxv), hoc Joiada (*II Par.* xxiv), hoc Zacharias, hoc ipse Aaron, et quicunque alii in alio sacerdotio laudabiliter justeque vixere. Solus noster sacerdos ab hac necessitate liber fuit. Lex quidem constituit tales (*Exod.* xxviii), sed *sermo jurisjurandi qui post legem est* dictus a propheta David, id est promissio Patris facta cum jurejurando, constituit sacerdotem non hominem infirmum et proclivem ad peccandum, sed *Filium* comparem, et in omni sanctitate *perfectum*, ita ut perfectio illa nunquam defectum vel finem habeat, sed *in æternum* maneat. Perfectus quippe erat, quem nec fragilitas peccare faciebat. Et in æternum perfectus manet, quia ejus perfectio nunquam potest minui, vel in æternum sacerdos est constitutus, non ad tempus ut alii sacerdotes. Sermo jurisjurandi est post legem, ne si fuisset in lege, dicerent Judæi illud juramentum esse completum in lege per suum sacerdotium. Post legem ergo est, ut per hoc lex insufficiens esse demonstretur. Si enim sufficiens esset, non post eam aliud per quod impleretur, fuisset pronuntiatum. Per hoc etiam ostenditur, hunc esse sacerdotem alio ritu et sacerdotio, quam secundum legem. Ex quibus omnibus apparet, hunc per se posse ad Deum accedere et perpetualiter salvare, atque carnales observantias legis superfluere.

CAPUT VIII.

« Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem « habemus pontificem, qui consedet in dextera « sedis magnitudinis in cœlis, sanctorum minister « et tabernaculi veri quod fixit Deus, et non homo. »

Ab eo loco quo dixit, unde et salvare in perpetuum potest, ostendit multis rationibus, quod potens sit salvare. Nunc quoque quadam brevi et capitulari ratione vult illud idem comprobare et quoddam certius apponere. Quasi dicat : De eo multa dixi, sed nunc de his facio capitulum, id est quamdam brevem comprehensionem. Capitulum enim brevis multorum complexio est, sic dicta, quia breviter capiat totam summam. Nam per hoc quod diminutivum est capitulum, designatur brevitas; et per hoc quod venit a capite vel a capio, intelligitur quod magnum sensum capiat, et sit breve caput multorum, quæ late disseruntur. Loquor, inquit, multifarie de pontificatu Christi, sed quod nunc appono, est *capitulum super ea quæ dicuntur* hactenus a me de illo, id est hoc breve quod nunc dicturus sum, superat illa multa superius dicta, quia dignius laudem Christi continet quam illa, et firmius ac certius declarat hunc esse potentem salvare in perpetuum. Quia licet superius dictum sit, eum esse factum excelsiorem cœlis, non tamen ex necessitate vocum ita probatus est sublimatus esse super cœlos, ut non possit sublimius exaltari. Quod nunc in capitulo manifeste ponitur, ut intelligi oporteat illum in tantum esse sublimatum, ut non possit ascendere altius, ut major fieri nequeat, ut in sede majestatis cum Patre sedeat, cum dicitur : *Talem habemus*, etc. Hinc enim incipit capitulum. *Talem*, id est tam gloriosum, tam celsum, tam potentem *habemus pontificem*, *qui*

Digitized by Google

consedet, id est cum Patre sedet in regali solio majestatis, hoc est cum Patre regnat et judicat et quiescit; et hoc *in dextera sedis magnitudinis in cœlis*, id est sic sedet cum Patre, ut maneat in æqualitate regni Patris; hoc est, æqualis sit Patri in regno et magnitudinem gloriæ regni possideat, ut Pater in cœlis, id est in cœlesti patria, ut omnes cœlorum virtutes glorificent eum, sicut et Patrem. Hle ergo quem in regno et omnium creaturarum gubernatione constat esse Deo æqualem, bene potest in perpetuum salvare suos, et ad vitam æternam perducere. Vel consedet, id est secundum animam et secundum corpus sedet, hoc est quiescit et permanet, in dextera sedis magnitudinis in cœlis, id est potiori parte quietis Dei, qui est magnitudo in cœlis, id est in sanctis angelis, quia magnos eos facit, manens in eis, et ipse Pater qui est magnitudo cœlorum, non potuit eum magis magnificare, quam ut super omnia eum exaltaret in æterna beatitudine. Quia vero iste pontifex tam dignus et tam potens nostram salutem semper operatur, congrue subditur: *sanctorum minister*. Nam æternam beatitudinem per Sancta sanctorum designatam, et in præsenti incipit nobis ministrare, dans charitatem ac perseverantiam etiam in futuro perfectius ministrabit. « Nam præcinget se et transiens ministrabit illis, quos in regno discumbere fecerit (*Luc.* XII). » Quod cœleste regnum dicitur Sancta sanctorum, id est dignissimum omnium aliorum sanctorum, quia ibi perfecte vivitur in sanctitate, ubi est vita in nobis sine peccati cognitione. Ibi videlicet nihil fit quod Deo displiceat, quod oculos majestatis offendat. Et hæc Sancta sanctorum Christus nobis ministrat, dum religiosam interim præstat vitam, ut dicere possumus: « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III), » et postmodum nos introducit in ipsum æternæ felicitatis secretum dicens: « Intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Vel minister sanctorum et sacerdos a Patre est institutus, ut omne bonum ministret eis, qui jam sunt in Sanctis sanctorum, id est in sanctuario perpetuæ beatitudinis. Vel potius Deo sicut vere summus pontifex pro nobis ministrat in Sanctis sanctorum, dum Patri carnem pro nobis assumptam semper ostendit, et memoriam suæ passionis repræsentat, ut eum erga nos ad pietatem flectat. Sic est minister sanctorum *et tabernaculi*, et non umbratilis, non præfigurantis, sed *veri* id est significati tabernaculi, hoc est æterni sanctuarii, quod significatum est per tabernaculum Moysi. Sed quia et illud prius tabernaculum fuit quodammodo verum, id est de veris pellibus et cortinis instructum, ideo additur: *Quod Deus fixit*, id est firmum et inviolabile posuit atque fundavit, *et non homo*, id est ita fuit, ut ibi non esset admista hominis operatio. Cum enim Moyses, juvante Deo, vetus tabernaculum figeret, ibi figebat Deus cum homine. Sed hoc verum tabernaculum, id est hanc beatam et serenam æterni sanctuarii mansionem et gloriam Deus solus fixit, Deus ab initio paravit electis suis. Et ibi jam pontifex est, qui sine intermissione pro eis interpellat, sicut olim in Sancta sanctorum veteris tabernaculi semel in anno solus pontifex intrabat, ut oraret pro populo. Et ille pontifex erat minister sanctorum, præfigurans hunc Redemptorem nostrum æternæ beatitudinis ministrum, in quam ipse cum carne quam pro nobis fecit sacrificium ingressus est, ut ibi pro salute populi roget. Hoc de capitulo diximus. Post cujus finem subditur:

« Omnis enim pontifex ad offerenda munera et « hostias constituitur. Unde necesse est et hunc « habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super « terram, nec esset sacerdos, cum essent qui « offerrent secundum legem munera, qui exemplari « et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum « est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide, « inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi « ostensum est in monte (*Exod.* XXV). »

Dixi quia Christus est minister, Nam omnis pontifex constituitur ad ministrandum: *Omnis pontifex*, tam major quam minor, *constituitur* secundum legem *ad offerenda munera*, ut primitias frugum, panes propositionum *et hostias*, ut immolationes taurorum et hircorum, hoc est omnis pontifex ad hoc constituebatur, ut offerret, et per oblationem pro populo quod poscebat, impetraret. *Unde*, quia omnis ad offerendum constitui solet, *necesse est et hunc* nostrum pontificem *habere aliquid* secum in cœlis, *quod offerat* assidue pro nobis. Hoc est dicere: Quia omnis pontifex est minister, igitur necesse est (nisi falsa fuerit universalis affirmatio) quod et hic sit minister; dum enim dicimus quod omnis offert, intelligimus quod omnis ministrat, hoc est enim ejus officium, ut offerat et ministret Domino. Et quia necesse est et hunc habere aliquid quod pro salute mundi offerat, *ergo* si illud aliquid *esset super terram*, id est si in hoc mundo potuisset inveniri, quod digne pro totius mundi peccato quivisset offerri, etiam sacerdos aliquis non esset dignus illud sacrificium offerre, quamvis essent qui juxta ritum legis offerrent, et ideo Christus sacerdos mundus, seipsum obtulit mundum sacrificium. Vel ita melius: Quoniam ipse considet in dextera sedis in cœlo, et est ibi minister ac more pontificis offert, ergo si esset adhuc super terram, id est si nondum introisset in Sancta sanctorum, hoc est in interiora cœli, non dicam quod esset pontifex, sed *nec etiam sacerdos*, ut ex necessitate comprobetur, quia si pontifex qui in perpetuum salvare potest, in cœlo pro nobis offert et intercedit, tunc sacrificium Judæorum non ultra est nobis necessarium. Quoniam sacrificium in ara crucis semel oblatum, sufficit ad ablutionem peccatorum omnium, ideoque tam superfluæ sunt umbræ carnales, cum pro nobis veritas agat in veritate. Quando quidem ipse est pontifex et minister in vero tabernaculo, et per suum sanguinem introivit in vera Sancta sanctorum; ergo si post resurrectionem suam remansisset in terra, et sacerdo-

Digitized by Google

tium peragere vellet in umbra, non esset dicendus sacerdos, qui superflue fungeretur sacerdotali officio, nec etiam posset esse ut ille de alia tribu fieret sacerdos in lege. Non esset, inquam, sacerdos, cum adhuc essent multi alii sacerdotes de tribu Levi, sacerdotium suum juxta legis mandatum exsequentes. Tandiu enim debuit umbra manere, et sacerdotium legis existere, quousque verus sacerdos, verum sacrificium offerret in significato tabernaculo et veritate. Qui verum sacerdotium super terram exsequi non posset, neque sacerdotium legis adipisci, cum essent multi alii qui hostias et *munera secundum legem offerrent*. Nam ex alia tribu natus non admitteretur secundum legem ad sacerdotium, et superflue carnalia offerret, cum essent ex tribu Levi qui sufficerent offerre talia. Nec super terram, id est in carnalibus ulla ratione poterat sacerdos existere, ne forte videretur eadem dignius offerre. Propter quod et de illis sacerdotibus additur, *qui deserviunt exemplari et umbræ cœlestium*, id est valde et studiose serviunt, ac plene omnia implent, et ita frustra hoc sacerdotium assumeret ipse. Qui adhuc hodie deserviunt exemplari et umbræ, non quod maneat exemplar et umbra in veritate, sed quantum ad repræsentationem Scripturæ, quæ sic agit adhuc de ordine sacerdotum, ac si repræsentetur sub oculis nostris officium illorum. Qui deserviunt et subditi sunt legi, sacrificantes et carnales observantias secundum quod lex præcipiebat, consummantes, quæ fuere exemplar, et quædam figura cœlestium. Et quia est aliquod exemplar, ubi major est veritas quam in illa re, cujus est exemplar, sicut Christus est exemplar omnium fidelium, et etiam cœlestium, terrenorum Deo supponit umbram, ut ostendat minus esse dignum exemplar. Vetus enim tabernaculum dicitur exemplar cœlestium, id est ecclesiæ, cujus pars est in cœlis, et pars secutura peregrinatur in terris, quia ad similitudinem illius facta est spiritualis ecclesia. Et sicut umbra deterior est corpore, sic illud tabernaculum umbra erat et inane ad comparationem ecclesiæ. *Deserviunt*, inquit, *exemplari*, id est figuris, et quia exemplar aliquando est veritas non figura, sicut liber ad cujus similitudinem fit alius liber, addit et *umbræ*. Quia omnia quæ in illo tabernaculo facta sunt, non erant nisi umbra veritatis leviter abitura veniente Christo. Exemplari deserviunt, id est tabernaculo veteri, quod est exemplar cœlestium, *sicut responsum est Moysi*, non cum inciperet, quia jam multa figuris expresserat, sed *cum consummaret tabernaculum*, quia cum per se non posset illud consummare, consuluit Dominum, qui et de figuris eum, sicut et de veritate, docuit. *Vide, inquit* Dominus, id est diligenter considera, et *omnia* tabernaculi necessaria *facito* ita, ut sequaris in omnibus *exemplar* cœlestium, *quod tibi ostensum est in monte* Sina (*Exod.* xxv; *Act.* vii). Exemplar est, ad cujus similitudinem aliquid fit. Exemplum, similitudo quæ inde trahitur. Et Dominus in monte Moysi veritatem ostendit, sed cum carnalis populus capere non posset, præcipit ut eam figuris imaginaretur, in quibus puerilis ille populus enutritus, quandoque veniret ad veritatem. Sicque res prius ostensa, dicitur exemplar figurarum juxta se factarum. Item figuræ dicuntur exemplar veritatis, quæ post impleta est in Ecclesia, sicut illæ præsignavere, quia quidquid ibi fuit, vel cœlestem vel præsentem Ecclesiam, vel sanctorum virtutes quæ modo sunt, significavit, et huic exemplari cœlestium, id est figuris verorum, deserviere umbratici sacerdotes Judæorum. Quia vero illa fuere exemplar cœlestium atque spiritualium, quæ nunc in Ecclesia per Christum facta sunt, et fiunt, ideo non jam exemplar et umbra sunt necessaria. Sed non negligenter prætereundum, quod Moysi dicitur ostensum esse in monte exemplar cœlestium. Nam quadraginta diebus in monte Sina perseverans cum Domino, vidit sublimem angelicæ puritatis et immortalitatis vitam, ad cujus instar humanam in terra conversationem inquantum mortalibus imitari possibile fuit instituere jubebatur, ut cum exemplo eorum mutuæ dilectioni in Deum, divinæ laudationi, unanimi paci, sinceræ castitati, cæterisque hujusmodi virtutibus in terra vacaremus, mereremur et in cœlis esse consortes eorum. Exemplar ergo nobis Moyses angelicæ conversationis, quam in monte contemplationis vidit, præceptis legalibus ostendit, per quorum observantiam et ipsi de terra editi, ad consortium angelorum in cœlis pervenire possimus. Exemplar idem nobis vitæ perfectioris et beatæ retributionis in figura tabernaculi et ministerii sacerdotalis et Levitici præbuit. Unde, sicut dictum est, angelica puritas ostensa Moysi, fuit exemplar figurarum, quas ipse in tabernaculi constructione formavit, et rursum illæ figuræ fuerunt exemplar ecclesiasticæ religionis ac salvationis. Et ideo Christus qui veritas est, in figuris et umbra sacerdotium habere non potuit.

« Nunc autem melius sortitus est ministerium, « quanto et melioris testamenti mediator est, quod « in melioribus repromissionibus sancitum est. »

Superius dixit, quia Jesus in terra, id est in terrenis ac legalibus victimis sacerdos esse non poterat. Et ita hoc esse res ipsa declarat, quia Dominus Jesus nunquam sub lege sacerdotium habuit. Sed *nunc*, id est tempore gratiæ, in hac novissima ætate, *sortitus est*, id est non usurpatione præsumpsit, sed electione divinæ gratiæ accepit gratis a Deo Patre *melius ministerium* sacerdotii, quanto et lex ejus est melior veteri lege. Jam a sacerdotio et sacrificio transit Apostolus ad differentiam Testamentorum, ut ostendat quantum Veteri præcellat Novum. Ministerium quod nunc in fine legis sortitus Jesus est, tanto est melius et utilius ministerio veterum sacerdotum, *quanto ipse est mediator melioris testamenti*, id est novæ legis, hoc est sicut vides testamentum, in quo ipse est mediator, ad vitam æternam efficacius esse quam Vetus, ita videre potes ministerium ejus melius quam veterum sacerdotum, qui parum subdi-

Digitized by Google

tis suis proficiebant. Moyses fuit mediator Veteris Testamenti quod a Deo accipiens, hominibus tradidit, sicut ipse dixit : « Ego sequester et medius interfui (*Deut.* v). » Sed Dominus Jesus Novi Testamenti mediator est, quia dedit illud medius inter Deum et homines, reconciliando nos Patri. Quod Testamentum melius Veteri est, quoniam meliora præcepta dat, et auxilium gratiæ qua compleantur, ministrat. Nam in Veteri concessum fuit propter Judæorum imbecillitatem ut vir uxorem suam dimitteret, si displiceret illi, et inimicum suum odio haberet (*Deut.* xxiv); in Novo autem nulla causa nisi propter fornicationem permittitur uxor dimitti, et inimicos nostros præcipimur diligere, et his qui nos oderunt, benefacere (*Matth.* xix). Unde patet, quia Christus dedit Testamentum melius ac perfectius, et ad æternam beatitudinem efficacius. *Quod* testamentum est sanctum, id est sancitum et confirmatum ut duret, et in quo *est sancitum? in melioribus repromissionibus.* Ideo enim ratum et firmum est magis quam vetus, quia meliora repromittit complentibus se. Nam in illo terrena promittuntur, in isto cœlestia. Præcepta quidem utriusque Testamenti omnia fere eadem inveniuntur. Nam « non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem et matrem (*Exod.* xx; *Matth.* xix; *Marc.* x), » et cætera hujusmodi, et nobis præceptum est. Sacramenta vero non sunt eadem, nec promissa eadem. Præcepta idcirco sunt eadem, quia secundum hæc Deo servire debemus. Sacramenta ideo non eadem, quia alia sacramenta dant salutem, alia salutem promittunt Sacramenta Novi Testamenti dant salutem. Sacramenta Veteris promiserunt Salvatorem. Promissa quoque non sunt eadem quia ibi terrena promittuntur, hic cœlestia. Denique omnia quæ Judæis promissa sunt, ablata fuerunt. Ubi est enim regnum eorum? ubi templum? ubi unctio? ubi sacerdos? ubi jam apud illos propheta, ex quo venit qui per prophetas prædicabatur? In illa gente jam nihil horum est. Unde patet quia Vetus Testamentum secundum carnales observantias et terrenas promissiones jam nihil est.

Nam si illud prius a culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos, dicit : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Judæ, testamentum novum (*Jer.* xxxi), non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti (*Exod.* xiii, xiv), quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus, quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas. Et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum, quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor. »

Probat quod Testamentum Christi melius est Veteri. *Nam illud prius* non vacat a culpa, hoc vacat. Si enim *vacasset a culpa*, non daretur secundum. Sed datur. Et ita apparet illud fuisse imperfectum, hoc perfectum. Illud non vacavit a culpa, id est non fuit vacuum a peccato, quia non perfecte mundavit observatores suos. Nam quasi ipsam culpam habuit, dum præciperet sine gratia, et prævaricatores faceret. Et dum timore pœnæ, non amore justitiæ custodiretur, mentes eorum non justificavit. Sed et in opere quædam criminalia concessit illis propter infirmitatem ipsorum venialia, velut uxorem dimittere cum displiceret, et si quis servum suum vel ancillam suam usque ad mortem verberaret, sic tamen, ut duobus aut tribus diebus superviveret innocens judicabitur (*Deut.* xxiv; *Exod.* xxi). Non ergo vacavit a culpa, id est non reddidit inculpabiles observatores suos, nedum plene justificaret eos. Nam si omnino vacasset a culpa, ut nulla suis cultoribus culpa inesset, sed pleni justificati essent, *non inquireretur locus*, id est opportunitas *secundi* Testamenti. Et hoc dico, *utique* id est in rei veritate. Judæis grave erat, ut ad destructionem Veteris inquireretur Novum, ideo pos[illegible] Apostolus hanc affirmationem ad comprimendam eorum incredulitatem. Inquisivit autem Deus locum et tempus opportunum quo deberet dare secundum (233), quia sapienter omnia disponens antea paulatim per prius instruxit et educavit atque promovit, ut postea perfectum daret testamentum ; *secundi locus non inquireretur*, id est non in omnibus quæ præcesserunt quæreretur, quando posset competenter dari, nisi esset melius. Sed inquiritur. Nam Deus per Jeremiam *vituperans eos* qui legi deserviebant, id est vitium improperans eis, *dicit : Ecce*, id est in manifesto est, *dies* veniunt, id est paulatim propinquat tempus gratiæ, in quo fideles illustrabuntur multiplici claritate. Et hoc, inquit propheta, non dico ex mea auctoritate, sed hoc *dicit Dominus*, cui non audetis contradicere. Ideo præmisit auctoritatem Domini, quia dicturus est de mutatione Veteris Testamenti, quod audire nolebant Judæi. Dominus dicit, quia dies veniunt, id est luminosum tempus gratiæ, et in diebus illis ego *consummabo*, id est consummans ac perfectum faciens, dabo *Testamentum Novum*. Ita enim consummatum et perfectum erit in omnibus præceptis et institutionibus suis, ut nihil reprehensionis habeat et omnem justitiæ perfectionem contineat. Unde et summum erit, id est super omnes alias Scripturas, quia suos observatores ad culmen summæ perfectionis provehet, et hoc appellatur Novum, aliud autem Vetus. Nam propter veteris hominis noxam,

(233) Locus obscurus.

Digitized by Google

quæ per litteram jubentem et minantem minime sanabatur, dicitur illud Testamentum Vetus; hoc autem Novum, propter novitatem spiritus quæ hominem novum sanat a vitio vetustatis. Et hoc testamentum consummabo *super domum Israel et super domum Juda*, id est super Judæos, qui post Salomonem divisi sunt in duo regna (*III Reg.* XII). Nam decem tribus quæ habitaverunt in Samaria, dicebantur domus Israel, tribus autem Juda et Benjamin, domus Juda. Et super istos consummabo Testamentum Novum, ut dominetur eis et subditos habeat. Vel domus Israel et Juda, filii Abrahæ sunt, de quibus ei dictum est, « quia in Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XII). » Non enim qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen (*Rom.* IX). Hæc est domus Israel et domus Juda, propter Christum qui venit ex tribu Juda, domus filiorum promissionis, id est non operum propriorum, sed beneficii Dei. Sed et nominum interpretatio congruit, quia Israel dicitur *rectissimus Dei*, vel *vir videns Deum*, Juda vero *confessio*, et domus Israel est familia perfectorum, qui sunt d mus et habitaculum Dei, quia summam rectitudinem in operatione tenent, et Deum aliquatenus in contemplatione vident. Domus autem Juda, eorum est, qui confitendo peccata sua domum sui pectoris emundant, ut Dei fiat habitaculum. Et super omnes istos consummatum est Novum Testamentum, ut eos omnino subjectos haberet, et sensum ac perfectionem eorum transcenderet. Nullus enim tam perfectus est, qui in hoc Testamento non inveniat unde semper proficere possit quandiu vivit. Novum, inquit, testamentum illis dabo, et hoc faciam *non secundum illud Testamentum quod feci cum patribus eorum*, quia non sequar in eo ritum Veteris, ut carnalia præcipiam et terrena promittam. Ecce, quia prophetizatum est non perseveraturum illud Testamentum, sed futurum aliud Novum. Non tamen secundum spiritualem sensum, sed secundum carnalem prædicitur destruendum. Quia vero Deus spirituale testamentum fecerat Abrahæ et Isaac et Jacob, ideo determinat: Quod feci, inquit, *in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti*, id est in tempore quo eis lucem meæ cognitionis ostendens, apprehendi manum eorum de luto, per se surgere non valentium, sicut nutrix apprehendit manum parvuli, vel qui de fovea per manum attrahit aliquem sive secum ducit. Ideo sic apprehendi, ut educerem eos de terra Ægypti, id est de loco servitutis et afflictionis, unde per se exire nequibant. Totum illud tempus vocat unum diem, ex quo cœpit illis in Ægypto per Moysen providere et saluti eorum consulere, quousque in terram promissionis eos introduxit. Jure enim totum illud temporis spatium nomine unius diei significat, quia semper illis apparuit, semper cum illis misericorditer egit. Et in parte illius diei legem illis inter cætera beneficia contulit, postquam de manu Pharaonis potenter eos liberaverat. Ideo, inquit, Novum Testamentum dabo, non juxta illud quod tunc dedi patribus eorum, *quoniam ipsi non permanserunt*, id est non per omnia manserunt *in Testamento meo* Veteri, quia, etsi carnaliter illud observaverunt timore pœnæ, non tamen spiritualiter intellexerunt, nec ex amore justitiæ compleverunt. Vel non permanserunt, id est non perseveraverunt, quia fecerunt vitulum in Oreb (*Exod.* XXXII), et post adoraverunt Beelphegor, ac deinde multis idolis servierunt (*Num.* XXV). Et quia studiose legem meam non servaverunt, ego quoque vicem eis reddens, *neglexi eos*, id est protectionem et salutem eorum non curavi, sed pro nihilo vel minimo duxi. Nec indigemini, inquit, si dico neglectos, quia *Dominus dicit*. Dum dicit, quia non permanserunt in Testamento, etc., vituperat eos, sicut Apostolus præmiserat et ostendit quoniam prius testamentum non vacuit a culpa. Vitio enim eorum deputat, quod non permanserunt, ne lex culpanda videatur. Vere nunc dabo testamentum non juxta illud quod dedi patribus eorum, *quia hoc est testamentum quod disponam*, id est diversis gradibus ordinabo, ut *alii in* eo relinquant omnia et sequantur me, alii licite mundanis rebus utantur, alii continentes sint, alii conjugati, et unusquisque sui ordinis formam teneat, hoc disponam *domui Israel*, id est semini Abrahæ, scilicet filiis promissionis, *post dies illos*, id est non nunc in tempore perfectionis horum hominum, sed post expletionem dierum illorum, qui apud me præscripti et præordinati sunt. Et hoc *dicit Dominus*, id est ille qui omnipotens est, cujus voluntati nihil est impossibile, et cui omnia serviunt. Ita disponam hoc testamentum, scilicet *dando leges meas*, vel dabo leges meas, non in tabulis lapideis sicut prius, sed *in mente eorum*, ut ibi scribantur non atramento, sed Spiritu sancto, quatenus intelligentia et in bona voluntate animi depingantur. Quoniam illi ex amore justitiæ et ex virtutum delectatione Testamentum meum complebunt, et voluntatem meam in omnibus intelligent, nec velamen habebunt super faciem cordis. Judæi vero ignoraverunt quæ sibi injuncta fuerant, atque timore pœnæ et inviti semper legem servaverunt, *et superscribam eas* (scilicet leges) *in corde eorum*, id est ita ponam, ut quasi scriptæ maneant ibi, nec possint inde auferri, sed in intelligentia et voluntate eorum perdurent, et quasi supersint et dominentur eis. Sed quæ sunt istæ leges ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est « digitus Dei (*Exod.* VIII), » quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* V), quæ plenitudo legis est et finis præcepti. » Nam quia Veteris Testamenti promissa terrena sunt et exteriora, nunc ipsius cordis bonum promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, id est intelligibile bonum, cum dicitur, *dabo leges meas in mente*, etc. Unde significavit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habentes, ipsam legis justitiam dilecturos. Deinde addidit et mercedem. *Et ero eis in Deum et*

Digitized by Google

ipsi erunt mihi in populum : hoc est, quod alius propheta dicit : « Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII). » Quid hoc bono melius, quid hac felicitate felicius, vivere Deo, vivere de Deo « apud quem est fons vitæ, et in cujus lumine videbimus lumen (*Psal.* XXXV), » ut in eo sit merces, in eo finis, in eo perfectio felicitatis? Unde continuo subjecit : *Et non docebit unusquisque proximum*, etc. Ibi enim non erit necesse ut alter doceat alterum, quia nullus ibi erit ignorans, sed omnes ipsum fontem scientiæ Deum videbunt. Tunc enim non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem videbunt eum (*I Cor.* XIII), sicuti est in ipsa pulchra specie substantiæ suæ (*I Joan.* III), et in ipso omne bonum omnemque jucunditatem possidebunt. Ita ergo perfecte sapientes erunt tunc omnes, quod jam non docebit unusquisque proximum suum quem amat, *et unusquisque fratrem suum*, quem plus diligit, *dicens ei. Cognosce Dominum.* Quare non dicet alter alteri ut cognoscat Dominum? Quia nullus ignorabit eum, nec opus erit doctore, *quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum*, id est nec major nec minor eorum ignorabit me. Minores et majores dicit, quia ibi unusquisque sanctorum juxta mensuram meriti sui major aut minor æstimabitur, « stella enim a stella differt in claritate (*I Cor.* XV). » Sive minores, tempore posteriores ; majores autem, tempore priores intelligi voluit. Simul enim promissam Dei contemplationem accepturi sunt omnes, et ideo velut priores reperiuntur minores, quia minus dilati sunt, sicut in evangelico denario per similitudinem declaratur, quem prius acceperunt, qui posterius venerunt ad vineam (*Matth.* XX). Unde nunc nequaquam dicitur a majore usque ad minorem ; sed a minore usque ad majorem omnes scient me. Hæc itaque differentia est Veteris ac Novi Testamenti, quod illud in lapide, hoc in corde scribitur; ibi merces terra est, hic visio Dei. Inter quem et homines nulla nisi peccata separant, quæ non nisi per eamdem gratiam dimittuntur. Unde cum dixisset, *quia omnes scient me a minore usque ad majorem eorum*, mox addidit, *quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum jam non memorabor.* Quasi diceret : Vere cognoscent me manifesta visione, quia removebo parietem qui inter me et ipsos erat, et eos a facie mea separabat. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, id est per donum gratiæ meæ misericorditer dimittam eis omnia, quæ inique, id est non æque egerunt contra proximos, et peccatorum quæ in seipsis sine proximorum offensione commiserunt, jam amplius memor non ero, quia nec improperabo hæc illis, nec propter hæc puniam illos, nec viliores habebo. Potest et in hac vita intelligi propitiatio ista, velut si dicat: Ideo ad tantam gloriam in futuro sæculo pervenient, et regna cœlorum intrantes ad conspectum meæ majestatis elevabuntur, quia dum hic adhuc vixerint, propitius ero iniquitatibus eorum, per Novi Testamenti gratiam delens illas ; et peccatorum eorum, jam tunc post expiationes non memorabor.

« Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod « autem antiquatur et senescit, prope interitum « est. » (*Hebr.* VIII, 13.)

Deus dixit quia consummabo super domum Israel Testamentum Novum. Sed *dicendo Novum*, id est in eo quod dixit novum, *veteravit prius*, id est Vetus esse docuit sic finiendum. Non enim dixit Novum, nisi respectu Veteris. Vel veteravit prius, id est Vetus factum est, et quadam senectute debilitatum, et hoc a tempore Jeremiæ, quo Spiritus sanctus dixit Novum se daturum, prius veteravit. Sed *quod antiquatur*, id est quidquid antiquum jam incipit fieri in rebus inanimatis, *et senescit*, id est senectutem habere incipit in rebus animatis, *prope interitum*, id est modicum jam distat a morte. Antiquitas enim et senectus prænuntiant mortem. Quod videri potest in omnibus animatis et inanimatis. Nam cum, antiquantur et senescunt, vicina sunt morti. Sed prius Testamentum jam antiquabatur, dum Jeremias in promissione gratiæ nominaret aliud Novum, sicque jam prope interitum erat. Cum ergo Christus longo post tempore veniret, necesse fuit ut illud juxta carnales observantias interiret, quod tanto ante morti propinquabat.

CAPUT IX.

« Habuit quidem et prius justificationes culturæ, « et Sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum « est primum, in quo erant candelabra et mensa et « propositio panum, quæ dicitur Sancta (*Exod.* « XXV, XXXVII). Post velamentum autem secundum « tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, « aureum habens thuribulum et arcam testamenti, « circumtectam ex omni parte auro, in qua urna « aurea habens manna, et virga Aaron quæ fron- « duerat, et tabulæ testamenti, superque eam erant « cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium (*Num.* « XVII), de quibus non est modo dicendum « per singula. His vero ita compositis in priori « quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes « sacrificiorum officia consummantes. In secundo « autem semel in anno solus pontifex non sine san- « guine, quem offerret pro sua et populi ignoran- « tia; hoc significante Spiritu sancto, nondum pro- « palatam esse sanctorum viam, adhuc priore ta- « bernaculo habente statum. Quæ parabola est tem- « poris instantis, juxta quam munera et hostiæ of- « feruntur, quæ non possunt juxta conscientiam « perfectum facere servientem solummodo in cibis, « et in potibus, et in variis baptismatibus et ju- « stitiis carnis, usque ad tempus correctionis im- « positis. »

Diximus quia prius testamentum veteravit et vetustate defecit, ut novum surgeret, in quo daretur perfecta justitia, quod et res ipsa indicat, nec potest negari. Nam *et* illud *prius habuit quidem* olim *justificationes culturæ*, sed modo non habet; habuit et Sanctum sæculare, id est tabernaculum vel tem-

Digitized by Google

plum quo nunc caret. Unde manifestum est ipsum testamentum senio defecisse. Vel ita potest continuari. Novum Testamentum quod in corde scribitur, perfecte justificat. Sed et prius testamentum aliquam dedit justitiam, quia quondam habuit quidem et ipsum justificationes culturæ, id est justificavit in aliquibus cultores suos, dum manus eorum a perpetratione peccati retraheret, et aliqua bona operari faceret, sed conscientiam intrinsecus nunquam justificare potuit. Et habuit sanctum, id est sanctuarium. Quod ideo sanctum dicebatur, quia ad honorem Dei consecratum erat. Sed fuit seculare, id est de rebus secularibus et transitoriis. Aurum enim et argentum, lapides pretiosi et ligna et cætera, de quibus factum est illud sanctuarium res sunt ad sæculum pertinentes, et cum sæculo transeuntes nullamque stabilitatem in se continentes, et hæc omnia Vetus Testamentum habuit; sed nunc, sicut diximus, nihil horum habet. Nam dum dicitur : Habuit quidem, subintelligitur, sed nunc non habet, hoc enim innuit illud quidem. Nam et tabernaculo et templo caret, et justificare jam suos cultores non valet, sed magis a justitia repellere et peccatores facere. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra et mensa, et propositio panum quæ dicitur Sancta* Nunc exponit illud sanctum sæculare. Vere prius testamentum habuit sanctum sæculare. Nam tabernaculum factum est primum, etc. Primum tabernaculum dicitur respectu secundi. Nam primum et secundum fecit Moyses, jubente et describente Domino, sed tamen utrumque fuit unum tabernaculum sed dividebatur velo quodam medio; habebat enim hoc tabernaculum triginta cubitos longitudinis, decem latitudinis, et decem altitudinis tectum habens æquale per totum, sicut in Ægypto et Palestina mos est ædificare domos. Sed in medio dependebat velum, quod sanctuarium et sanctuarii sanctuaria dividebantur, ita positum, ut viginti quidem cubiti longitudinis ad priorem domum, decem vero pertinerent ad secundam. Et ita quod nunc dicit Apostolus primum tabernaculum habebat viginti cubitos longitudinis et decem latitudinis, secundum vero decem cubitos longitudinis et decem latitudinis. In primo tabernaculo erat in parte australi candelabrum habens septem ramos, qui nunc ab Apostolo candelabra vocantur, et in parte septentrionali stabat mensa, super quam erant duodecim panes propositionis, et ante fores ipsius tabernaculi positum erat foris altare holocausti. Quod tabernaculum cum his quæ in ipso erant, dicitur, sancta, id est tabernaculum illud et quæ in eo erant, dicebantur Sancta, quia ad orationem et ad cultum Dei et laudem consecrata erant. Sed post velamentum, id est post velum quod in medio pendebat, erat *secundum tabernaculum*, quod dicitur Sancta sanctorum, id est ipsum tabernaculum cum his quæ in illo erant, vocabatur Sancta sanctorum, id est a Deo sancta, ut quæ in primo tabernaculo erant, respectu eorum non viderentur sancta. Et illud secundum tabernaculum habebat *aureum thuribulum*, in quo summus pontifex adolebat incensum pro salute populi, habebat *et arcam testamenti*, id est quæ continebat testamentum, id est decem præcepta legis, *circumtectam auro*, et ita quod *ex omni parte*, id est ab exteriori et interiori parte, quia non solum exterius sed et interius deaurata erat per omnia. *In qua* scilicet arca erat *urna aurea habens manna*, quoniam Aaron in tabernaculo posuisse legitur vas plenum manna, ut qui nasciturі erant, possent nosse cibum, quo patres eorum quadraginta annis in deserto pasti fuerant; et in eadem arca erat *virga Aaron quæ fronduerat* (*Num.* VII). Cum enim Aaron minus æstimaretur dignus sacerdotio, et nonnulli de aliis tribubus viderentur digniores, suscepit Moyses jubente Deo duodecim virgas a singulis tribubus, et posuit in tabernaculo. Et altero die regressus, invenit virgam Aaron in tribu Levi floruisse et fructum fecisse. Quo miraculo probatus est Aaron dignus sacerdotio, et reservata est diligenter illa virga in tabernaculo. Sed *et duæ tabulæ Testamenti*, in quibus decem præcepta legis digito Dei scripta erant, continebantur in illa arca, quoniam ipse Moyses eas ibi posuerat. Et *super eam* erant duo *cherubim gloriæ*, id est gloriose decorata, *obumbrantia*, suis alis expansis *propitiatorium* quod erat super eamdem arcam, id est quamdam auream tabulam tantæ longitudinis ac latitudinis, quantæ erat et arca. Super quam tabulam quæ propitiatorium vocabatur, hinc et inde stabant illa duo cherubin ad ipsum propitiatorium inclinata, et sese invicem aspicientia. Quæ tabula ideo propitiatorium dicebatur, quia de super eam Deus loquebatur Moysi vel pontifici propitius, et annuntians bonitatem suæ voluntatis. *De quibus* omnibus non est modo in hac epistola *dicendum per singula*, quia prolixum esset disserere de singulis; et hæc quæ diximus, intentioni nostræ sufficiunt, quoniam per ista patebit quod et alia sint ad allegoriam accipienda nec in hoc tempore tenenda. Nonnullis autem visum est pro magnitudine sacramentorum, quod omne tempus vitæ præsentis ad hæc explananda idoneum neget Apostolus. Quod si verum est, quomodo nos tantilli hæc exponere valebimus? Aliqua tamen de his breviter dicere tentemus. Primum tabernaculum atque secundum, Ecclesiam præsentem atque futuram signavit. Ipsa enim Ecclesia partim adhuc peregrinatur in terris, partim jam regnat in cœlis. Pars ejus quæ peregrinatur, figurata est, ut diximus, per primum tabernaculum; pars autem quæ regnat, per secundum. Velum quod interpositum dividebat primum tabernaculum a secundo, cœlum designavit, quod nos in terris laborantes adhuc sua interpositione separat a regno quiescentium sanctorum. Primum tabernaculum habebat, ut diximus, viginti cubitos longitudinis et decem latitudinis, rursumque decem altitudinis. Decem cubiti latitudinis, significant dilatationem operationis fidelium in præceptis Dei, quæ per Decalogum legis designari solent. Viginti cubiti longitudinis, perseverantiam ejusdem

Digitized by Google

bonæ operationis per auxilium geminæ dilectionis; nam propter ipsam vivam dilectionem, quæ sola bene operari facit, dupliciter denarius numerus, ut ad vicesimum perveniat, quia nemo sine charitate valet in observantia mandatorum Dei perseverare. Decem vero cubiti altitudinis, signaverunt exspectationem supernæ beatitudinis, id est denarii quem accepisse leguntur, qui in vinea laboraverunt (*Matth.* xx). In hoc tabernaculo erant candelabra aurea. Candelabra pluraliter ponit, quia, licet unum esset, habebat tamen brachia septem. Erat enim in medio ejus hastile, a quo procedebant brachia, tria a dextera parte, et tria a sinistra. Primum tabernaculum, ut diximus, præsens est Ecclesia, in qua militatur Deo, et sacrificium bonæ actionis offertur, antequam veniatur ad cœlum. In qua est candelabrum, id est Christus, fulgens lumine divinitatis in medio fidelium, qui et ipsi candelabra aurea sunt, quia sapientia lucent, quæ per aurum designatur, et claritate bonorum operum. Ipse Christus est medius stipes, qui portat tria brachia a dextris et tria a sinistris, quia « ipse est vera vitis, ex qua procedunt fructuosi palmites (*Joan.* xv). » Ipse est origo et concordia et caput omnium justorum, qui sibi sanctos Veteris ac Novi Testamenti hinc et inde facit adhærere. Omnes enim ab hoc fundamento consurgunt, et a tanto principe ac medio bono et communi omnium lumine gubernantur. Nam tria brachia de sinistra parte tres viri sunt Noe, Daniel et Job, id est tres ordines fidelium in Veteri Testamento, scilicet rectorum : continentium et conjugatorum. Nam per Noe qui rexit in undis arcam (*Gen.* vii, viii) figurati sunt rectores, per Danielem, cujus mira legitur abstinentia (*Dan.* i), abstinentes et continentes ; per Job, qui uxorem et filios habuit (*Job* i, xlii), conjugati. Similiter et alia tria de parte dextera, sunt tres electi discipuli Petrus et Joannes et Jacobus, qui viderunt gloriam transfigurati in monte (*Matth.* xvii), id est tres ordines sanctorum, qui gloriam ejus in cœlesti regno visuri sunt, hoc est rectorum, continentium et conjugatorum. Qui dextri, id est digniores sunt tempore gratiæ quam illi qui ante gratiam fuerunt, et ideo sinistri, id est minus digni sunt. Petrus enim rectores Ecclesiæ signavit, Joannes autem cælibes, et Jacobus reliquos, id est conjugiis utentes. Et hi omnes vel doctrina vel exemplis bonorum operum lucent, et cæteris lumen suum spargunt. Ima pars brachiorum de hastili procedentium, erat quasi calami aurei, post scyphi, inde sphærulæ, tandem in summitate quasi lilia (*Exod.* xxv). Calami sunt sancti, qui in humido fontis sapientiæ divinæ nutriti sunt, et concavi ad emittendum dulcem sonum in aures plurimorum, et resonantes laudem Dei, et dicentes : « Immisit in nos meum canticum novum, carmen Deo nostro (*Psal.* xxxvi). » Ipsi sunt scyphi, dum aliis vinum scientiæ quo pleni sunt propinant ut eos spiritaliter inebrient, et desiderio supernæ beatitudinis calefaciant ; inde sphærulæ, id est rotundi et perfecti ac volubiles. Sphæra enim ex omni parte volvitur, quia mentes electorum nec ullis adversitatibus sæculi retineri, nec prosperitatibus possunt corrumpi, qui omnibus quæ occurrunt, ad Deum per sancta desideria proficiscantur. Sicque tandem perveniunt ad lilia, id est ad supernam patriam, quæ floribus vernat æternis, hoc est animabus sanctis et omni amœnitate. Hæc et hujusmodi sunt candelabra, quæ nunc Apostolus in nostro tabernaculo designat esse. Erat et mensa de lignis Sethim facta, et auro purissimo inaurata, et super eam duodecim panes Deo propositi, qui erant de simila ; et habebant super se thus lucidissimum, ac per singula Sabbata mutabantur, et erant Aaron et filiorum ejus ut comederent eos in loco sancto. Mensa de lignis Sethim facta Scriptura est divina, de fortibus sanctorum Patrum verbis actibusque compacta. Quæ dum nobis quæ sint æternæ beatitudinis gaudia, et quomodo ad hæc perveniatur ostendit, cibum profecto nobis salutis ac vitæ suggerit. Quæ et inaurata est auro purissimo, quia sapientiæ cœlestis sensu clara refulget. Duodecim panes in ea, sunt duodecim apostoli et eorum vicarii. Qui recte vocantur panes propositionis, quia ut mentes fidelium alimonia verbi cœlestis reficiant, in propatulo semper sunt parati. Et bene iidem panes non de qualibet farina, sed de simila fiebant, quia quicunque aliis verbum vitæ ministrant, primo ipsos necesse est virtutum frugibus operam dare, quatenus ea quæ prædicando admonent, etiam faciendo commendant. Quod autem super eos thus lucidissimum ponebatur virtutem puræ orationis designat, qua idem doctores ministerium suæ prædicationis, simul et devotionum operis Domino commendant. Qui bene per singula Sabbata mutabantur. Panes enim qui per sex dies operandi in mensa Dei manserant, Sabbato nobis mutantur, cum doctores quique sanctæ Ecclesiæ completo tempore sui sancti laboris, æterna in cœlis quiete remunerantur, et alios post se in idem opus laborandi in verbo, sub ejusdem spe retributionis relinquunt. Sicque fit ut mensa Dei, nunquam panis inops remaneat, sed veteribus sublatis, mox novi panes substituantur. Comedebat autem Aaron cum filiis suis panes qui de illa mensa fuerant sublati, quia summus pontifex noster Christus raptos de hac vita, suos electos in augmentum corporis sui, quod est in cœlis, id est summæ illius electorum multitudinis introducit (*Coloss.* ii). Mensa stabat in parte aquilonis, candelabrum autem in parte australi. Et per aquilonem frigus infidelitatis vel malitiæ potest intelligi, per austrum vero fervor charitatis et sanctæ devotionis. Congruum ergo fuit ut a parte aquilonis mensa staret, quia ne malitia tentationum a sinistra parte veniens nos imbecilles inveniat ac superet, necesse est ut pane cœlestis doctrinæ pascamur et confortemur. Si autem charitatis studio ferventes ad dexteram partem, id est ad virtutum exercitia transierimus, tunc candelabri luminibus illustrabimur, id est lucidissimis sanctorum exemplis et dictis illuminabimur, ut omnia, quæ recte agenda

Digitized by Google

sunt, videamus. Hæc de primo tabernaculo breviter attigimus. Secundum vero tabernaculum supernam Jerusalem designans, habebat decem cubitos longitudinis, et decem latitudinis, et similiter decem altitudinis. Unde et Joannes in Apocalypsi de eadem cœlesti Jerusalem dicit : « Civitas in quadro posita est. Longitudo ejus tanta est, quanta est latitudo (*Apoc.* XXI); » habet enim tam in longum quam in latum, vel etiam in altum decem cubitos, id est evangelicum denarium perfectæ beatitudinis, quia et in latitudine fraternæ charitatis, et in longitudine vitæ pereunis, et in altitudine divinæ contemplationis beatitudinem possidet. Et illa cœlestis inhabitatio recte dicitur Sancta sanctorum, quia nihil ibi fit aut cogitatur, unde Deus offendatur, sed sola ibi quæ Deo placent, aguntur. Tanta est enim illa beatitudo, ut nec possit nec velit ibi quisquam peccare. Inter duo tabernacula positum erat velum, quo sanctuarium et sanctuarii sanctuaria dividebantur, quoniam sancta Ecclesia quæ ex angelis et hominibus constans partim adhuc peregrinatur in infimis, partim jam in æterna patria regnat in supernis, adhuc cives suos, dirimente velo cœli, habet ab invicem segregatos. In his Sanctis sanctorum est aureum thuribulum, id est pretiosa humanitas Christi immunis ab omni peccato, et perfectissimam sanctitatem habens, quæ igne passionis impleta, suavissimum de se pro nobis emisit odorem Deo, et nunc ejusdem passionis assidua rememoratione semper interpellat pro nobis, et tale incensum offerre non cesset, quasi dicens : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* XIV). » Idem mediator Dei et hominum, qui solus paternorum est conscius arcanorum, per arcam testamenti designatur. Nam et Novum Testamentum ipse per seipsum dedit, et Vetus quandiu voluit, clausum tenuit; et quando sibi placuit, intelligentiam ejus de arcano secretorum suorum edidit. Et hæc arca est in Sanctis sanctorum, quia ipse Salvator « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II), » post resurrectionem suam ascendit super omnes cœlos, et sedet ad dexteram Patris. De constructione hujus arcæ dictum est Moysi : « Arcam de lignis Sethim compingito, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos, latitudo cubitum et dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem, et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris (*Exod.* XXV). » Ligna Sethim dicuntur esse levis et imputribilis naturæ, non multum a qualitate albæ spinæ distantia. Arca ergo de lignis Sethim facta est, quia corpus Dominicum ex membris constabat omni vitiorum labe carentibus. Et hæc ligna sunt spinis simillima, quia etsi non in carne peccati, tamen in similitudine carnis peccati venit. Longitudo arcæ, longanimis patientia ejusdem Redemptoris est, qua inter homines conversatus est. Quæ duorum cubitorum fuit, propter doctrinam et operationem quibus ipse refulgebat. Semis, id est dimidius cubitus, qui superadditur, tarditatem humanæ fragilitatis discipulorum insinuat, quæ sublimia ejus dicta vel opera necdum (prout dignum erat) capere valebat, quam et ipse longanimiter ferebat. Latitudo arcæ, amplitudo charitatis est, qua nos Christus dilexit. Quæ in ipso capite nostro cubitum integrum habuit, quia perfecta fuit, et electos suos vivificare studuit, dicens : « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XV). » Dimidius vero cubitus imperfectionem nostram designat, qui necdum in hac vita positi perfecte diligere Deum sufficimus, vel dilectionem quam erga nos habet comprehendere. Altitudo spei erat futuræ sublimitatis, qua ipse vel seipsum post passionem glorificandum vel suos se glorificaturum esse prævidit. Habebat arca plenum cubitum in altitudine, quia Dominus etiam corruptibili adhuc conversans in carne, plenissime noverat quanta vel sibimetipsi, vel membris suis (quæ nos sumus) esset gloria conservata in futuro. Habebat et dimidium cubitum altitudinis, quia nostræ quoque parvitatis devotionem libenter in suo corpore suscipit, qui pia quidem intentione futuram vitam *diligimus*, sed necdum perfecte quæ sit ejus felicitas, capere valemus. Arca intus et foris auro mundissimo deaurata est, quia assumpta a Filio humana natura et intus virtute Spiritus sancti plena erat, et foris hominibus aperte Spiritus sancti opera præmonstrabat. Hoc est quod Apostolus eam asserit circumtectam ex omni parte auro, quia in cogitatione et sermone et opere ejusdem Redemptoris nostri, non nisi pura veritas et sapientia apparuit. Urna vero aurea in arca habens manna, anima est sancta in Christo, habens in se omnem plenitudinem divinitatis, qua pascuntur angeli, qua et patres vixerunt in deserto, sicut scriptum est : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » *Virga Aaron quæ* excisa *fronduerat*, potestas est invicta sacerdotii illius, de qua dicit Propheta : « Virga æquitatis, virga regni tui (*Psal.* XLIV). » Quæ postquam ad tempus per mortem visa est, esse succisa, illucescente mane resurrectionis, vivacius refloruisse inventa est, ac perpetuo inviolabilis atque immarcescibilis permansura esse innotuit. Nam, sicut supra diximus, cum nec Aaron sacerdotium qui de tribu Levi fuerat despiceretur, nec digna tribus quæ offerret holocausta, crederetur, duodecim virgæ juxta duodecim tribus in tabernaculo poni præcepta sunt. Et ecce virga Levi viruit (*Num.* XVII), et quid virtutis munere Aaron haberet, ostendit. Quo videlicet signo quid innuitur, nisi quod omnes qui usque ad finem mundi jacemus in morte, quasi virgæ reliquæ in ariditate remaneamus? Sed cunctis virgis in ariditate remanentibus, virga Levi ad florem rediit, quia corpus Domini, veri scilicet sacerdotis nostri, in mortis ariditate positum, in florem resurrectionis erupit. Quo flore Aaron recte sacerdos esse cognoscitur, quia hac resurrectionis gloria Redemptor noster, qui de tribu Levi ac Juda ortus est, intercessor pro nobis esse monstratur. Itaque virga Aa-

Digitized by Google

ron, ut præmisimus, sacerdotalis potestas Christi est. Tabulæ vero testamenti in arca omnem in Christo et sciéntiam paternorum secretorum et potentiam judiciorum designant. In tabulis namque testamenti et fides erat scripta æternæ divinitatis, quæ mundum creasset ac regeret, et mandata quibus Deo servire oporteret, et discretio judicii qua ipse odientes se jure condemnaret, et diligentes se misericordia digna remuneraret. Sed, cum alia Scripturæ divinæ sententia nobis ad mentem reducitur, ex his Apostoli verbis quæstio valde gravis oritur. In tertio namque Regum volumine (*cap.* VIII), dum Salomon templum dedicaret, refertur quod in arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat *in ea* Moyses. Quomodo ergo verum est, esse vel *fuisse* in ea non solum tabulas, sed et urnam cum manna et virgam Aaron? Cum ego de re quosdam interrogassem qui videbantur periti, responderunt mihi post illa dedicationis tempora, virgam et urnam in arca fuisse positas, sed tamen nec Scripturarum sanctarum auctoritate, nec ullius historiæ narratione valuerunt hoc astruere. Videtur tamen huic intellectui non inconvenienter opitulari, quod rex Josias in Paralipomenum reperitur dixisse Levitis : « Ponite arcam in sanctuario templi quod ædificavit Salomon filius David, rex Israel (*II Par.* XXXV); » nequaquam enim eam ultra portabitis. Manifeste enim in his verbis significat, post templi dedicationem educta sit arca de sanctuario, et a Levitis et a sacerdotibus portata. Et tunc fortassis in eam sunt missæ virga et urna. Nam in libris Moysi legimus eas in tabernaculo fuisse positas, non tamen in arca sicut tabulas. Ait enim Moyses in Deuteronomio : « Posui tabulas in quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut præcepit mihi Dominus (*Deut.* X). » Et in Exodo ad Aaron : « Sume vas unum, et mitte tibi manna quantum potest capere gomor, et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras (*Exod.* XXVI). » Et Dominus ad Moysen in libro Numerorum : « Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi (*Num.* XVII). » Et fortasse quia juxta arcam in sanctuario positæ erant virga et urna, idcirco dicit eas Apostolus in arca fuisse, locum pro loco ponens, sicut evangelista cum dicit : « Ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis (*Joan.* X). » Quod enim dixerat in templo, exposuit addendo, in porticu Salomonis, ostendens se porticum illam vocasse templum, quoniam adhærebat templo. Sic et Apostolus locum, qui erat arcæ contiguus, habens urnam et virgam, potuit eodem modo locutionis arcam nominare. Rursus, ordo beatorum spirituum, in quo Deus specialiter sedet, thronus appellatur, et tamen Psalmista precatur : « Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse (*Psal.* LXXIX). » Dum enim in agminum distinctionibus ordo sanctorum cherubim jungitur thronis, sedere etiam super cherubim Deus ex vicini aguinis æqualitate perhibetur. Sic et in arca potest dici fuisse propter loci vicinitatem, quod erat juxta arcam. Nam et nos frequenter hujusmodi locutionibus utimur, ut rem pro alia re vicina, vel locum pro loco nominemus. Ita Apostolus locum arcæ proximum, pro arca nunc posuisse non inconvenienter accipitur, quia et ad spiritalem sensum magis aspiciebat, intelligens per arcam Christum, in quo spiritaliter sunt, ut dictum est, tabulæ Testamenti et virga Aaron et una cum manna. Hanc quæstionem qui melius poterit, solvat; qui vero melius eam solvere nequiverit, solutionem quæ ex nostris duabus præmissis probabilior fuerit tenere non dedignetur. Super arcam autem erat propitiatorium, quod et oraculum vocatur. Quod videlicet propitiatorium non aliud quam eumdem Salvatorem, sed specialius in eo viscera pietatis designat, de quo dicit Apostolus : « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius (*Rom.* III). » Nam et ideo superponitur, quia superexaltat misericordia judicium (*Jacob.* II). » Unde et Psalmista : « Suavis, inquit, Dominus universis et miserationes ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV). » De cherubim vero, propitiatorium obumbrantibus, dictum est Moysi : « Duos quoque cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit latere uno et alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quod dabo tibi. Inde præcipiam et loquar ad te, supra propitiatorium scilicet, ac de medio duorum cherubim qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel (*Exod.* XXV). » Cherubim specialis ordo est angelicarum virtutum, sed tamen generaliter omnes sancti angeli nonnunquam, sicut et nunc designantur hoc nomine. Et quidem numero singulari cherub, plurali autem cherubim dicitur, et est nomen generis masculini. Sed græca consuetudo neutri generis cherubim facit, *m* litiera in *n* mutata. Unde nunc Apostolus dicit juxta Græcos, cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, non obumbrantes, cum apud Moysen legamus (*ibid.*), duos cherubim aureos, non duo cherubim aurea. Interpretatur autem cherubim vel cherub *scientiæ multitudo*, quia spiritus angelici tanto multipliciore scientia replentur, quanto purioribus radiis divinarum illustrationum assidue illuminantur. Qui sunt duo, ut consortium angelicæ charitatis significent, quia charitas maxime inter duos habetur; aurei, quia virtutes angelorum summæ claritatis gratia fulgent; productiles, quia beatitudo eorum in æternum producitur, id est prolongatur, juxta quem productionis sensum et de regno Christi dicitur : « Illic producam cornu David (*Psal.* CXXXI). » Qui stant in utroque, quia per illorum ministeria prophetæ præscierunt quæ pastores postea per eosdem angelos facta cognoverunt (*Luc.* II); et ut utrumque latus propitiatorii tegunt, quia in utroque Testamento multa secretorum cœlestium mortalibus occultantur, quæ illi intelligunt. Quos cum aliis figuravit Moyses, ut

Digitized by Google

in alto sedem habere angeli et quasi levi volatu ubique discurrere posse signentur, neque ullam habere tarditatem, quin confestim ubicunque voluerint adsint. Expandunt ergo alas et propitiatorium tegunt, quoniam angeli omnem suæ naturæ potentiam, quia in altis habitare, et cuncta supernæ illius patriæ loca levi ac læto itinere penetrare meruerunt, in obsequium sui Conditoris afferunt. Ac velut propitiatorium contuentes obumbrant, id est honorant velando, quia totum quem habent statum perpetuæ felicitatis, ejus gratiæ deputant, a quo, ut nihil mali velle possent, acceperunt. Respiciuntque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quia in glorificatione divinæ visionis sibimet alterutrum consonant. Sic autem sunt cherubim supra propitiatorium positi, quomodo civitas Christi, id est sancta Ecclesia super montem, id est super Jesum Christum esse constituta dicitur : non quod altior illo esse possit civitas sua (*Matth.* v; *Apoc.* xxi), sed quod ejus subsidio sustentata proficiat. Supra propitiatorium ac de medio duorum cherubim Deus loqui consuevit, quia per Christum, « qui est propitiatio pro peccatis nostris (*I Joan.* II) , » et cui ante adventum et post adventum suum quasi hinc et inde semper assistunt angeli ad obsequium parati, Deus Pater humano generi voluntatem suam clementer manifestare dignatus est. Nam secundum humanitatem Christi Deus Pater super eum est, non secundum divinitatem ejus, in qua ipse est æqualis Patri. Ob hoc autem propitiatorium illud vocabatur oraculum, quia Deus ibi loquebatur. Hæc erant intra Sancta sanctorum post illa quæ in priori sanctuario erant, de quibus, inquit, non est modo dicendum ita prolixe, ut per singula quæque noster sermo transeat disserendo. Vel in præsenti vita non est dicendum, id est non potest profunditas istorum mysteriorum aperiri per singula. De singulis quæ ibi erant vel fiebant, non est nunc dicendum. *His vero* duobus tabernaculis *ita* (ut breviter indicavimus) *compositis*, id est copulatis, dicendum est quod *in priori quidem tabernaculo semper*, id est quotidie vel assidue *introibant sacerdotes, consummantes*, id est complentes *officia sacrificiorum*. Istæ erant justificationes culturæ, quas supra dixi habuisse Vetus Testamentum. In priori quidem omnes sacerdotes intrabant, quotiescunque volebant. *In secundo autem solus pontifex* intrabat, et hoc *semel in anno*, et *non* intrabat *sine sanguine*, sed secum portabat sanguinem, *quæ offerret pro sua et populi ignorantia*, id est pro peccatis quæ ignoranter egerunt tam ipse, quam populus. Quod autem in priore tabernaculo quotidie per annum introibant cum sacrificiis sacerdotes, significat quia in præsenti Ecclesia sancti Domino sine intermissione famulantes, quotidianos suæ fragilitatis erratus, sine quibus esse in hac vita nullatenus possunt, quotidianis bonorum operum victimis, quotidianis lacrymarum suarum libaminibus, quasi veri sacerdotes expiant. Summus vero pontifex, qui semel in anno Sancta sanctorum cum sanguine victimarum ingrediebatur, Christum designavit, qui semel in plenitudine temporis oblatus pro peccatis nostris, ipse sacerdos et hostia per proprium sanguinem in ipsum cœlum intravit, id est in vera Sancta sanctorum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et pro sua, id est pro suorum prælatorum et universi populi sui ignorantia, offert intus sanguinem, qui foris effusus est, id est repræsentat in cœlo Patri memoriam passionis, quam in hoc sæculo pertulit. Annus vero singulariter indicare potest omne tempus ab incarnatione ejusdem Salvatoris usque ad finem sæculi. De quo anno ipse per Isaiam dixit : « Ut prædicarem annum placabilem Domino (*Isa.* LXI). » Ignorantia autem quodlibet peccatum vocari potest, quia excæcat cor et errare facit hominem, dum peccati delectationem placere suadet. Quod vero singulis annis iterabatur ingressus pontificis in Sancta, significabat non venisse adhuc perfectionem. Solus intrabat pontifex, *Spiritu sancto* qui ita fieri instituit *hoc significante, nondum esse tunc propalatam* et apertam *viam sanctorum*, id est nondum esse patefactum hominibus iter, quo possent pervenire usque ad Sancta sanctorum, id est intrare secreta cœlorum, quia nondum venerat Christus, qui viam istam credentibus propalaret, *adhuc priore*, (id est umbratilis) *tabernaculo habente statum* in carnalibus observantiis, id est ideo nondum erat patens hominibus ingressus æternæ beatitudinis, quoniam adhuc umbra veteris tabernaculi non cedebat, sed stabat et perdurabat, nec poterat veritas palam cunctis effulgere, nisi umbra removeretur. Christus enim prior ascendens aperuit nobis ingressum cœli, ut animæ corporibus exutæ possint illuc intrare. Prius tabernaculum non dicitur hoc loco respectu secundi, sicut supra, sed utrumque dicitur prius respectu Ecclesiæ novæ et Jerusalem supercœlestis, vel sicut pontifice Sancta sanctorum introeunte, populus simul ingredi non poterat, ita nos in cœlum mortales Christum sequi non possumus, Spiritu sancto significante in hoc solius pontificis veteris ingressu nondum esse nostro tempore propalatam, id est in propatulo carne vestitis factam viam sanctorum, id est aditum regni cœlestis, adhuc priore tabernaculo, id est præsenti, Ecclesia habente statum. Prius enim tabernaculum destruetur, et secundum permanebit, quia præsens Ecclesia secundum eam quam nunc habet conversationem, dissipabitur, sed superna Jerusalem in illa conversatione, quam in angelis habet, sine fine permanebit. Quandiu enim præsens Ecclesia, quæ prius tabernaculum est, statum habet, cœlum est inaccessibile corporibus nostris, sicut ante Salvatoris ascensionem fuit inaccessibile justorum animabus. Sed patienter exspectanda est nobis generalis resurrectio, qua cum corpore et anima licebit nobis intrare regni cœlestis habitationem post præsentis Ecclesiæ dissipationem, sicut animabus perfectorum licet post Redemptoris ascensionem. *Quæ parabola*, id est

Digitized by Google

quæ mystica similitudo de duobus tabernaculis, et de his quæ continebantur vel fiebant in illis, *est temporis instantis*, id est præsentis temporis; hoc est, omnia illa quæ ibi facta sunt præsignaverunt ista quæ in hoc tempore gratiæ palam geruntur. Parabola enim dicitur repræsentatio rei gestæ ad aliud significandum. Sicut omnia illa quæ tunc fiebant repræsentantur nobis per Scripturam ad significationem eorum quæ nostro tempore fiunt. Ex quibus patet, quia quod tunc pontificem in Sancta sanctorum populus sequi non poterat, signum fuit quod nos adhuc corporaliter in cœlum sequi Christum non possimus. *Juxta quam* parabolam *offeruntur*, id est offerri jussa sunt *munera*, ut de frugibus; *et hostiæ*, ut de animalibus, *quæ non possunt servientem facere perfectum juxta conscientiam;* quia, etsi quis omnia exterius quæ jussa fuerant, adimplesset, interius tamen perfecte legem adimplere non poterat. Quamvis enim lex diceret: « Non concupisces (*Exod.* xx; *Rom.* vii), » concupiscentiam tamen non abstulit, sed potius ipsa prohibitione homines ad concupiscentiam animavit. Et licet quis secundum carnem per illas hostias a peccato mundari videretur, in conscientia tamen per eas plene mundari non poterat. Multi tamen spiritales viri fuerunt etiam tunc, qui ex fide justificati, et auxilium gratiæ habentes, spiritalis legis adimpletione Deo placuerunt. « Scimus enim quoniam lex spiritalis est (*ibid.*). » Sed, quia carnaliter custodiebatur, non potuit perfectum in conscientia facere servientem *solummodo in cibis et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis*, id est eum qui nihil spiritaliter ibi faciebat, sed solummodo secundum litteræ superficiem in hoc serviebat legi, ut quosdam cibos vel potus velut immundos respueret, quosdam autem velut mundos eligeret, et varia baptismata, id est ablutiones diversas observaret, et justitias varias non spiritus, sed carnis, quia non animam, sed carnem justificabant, dum manus a perverso opere, linguam a blasphemia timore pœnæ comprimerent, non cor a mala voluntate mundarent. Et hæc omnia, id est observatio differentiæ ciborum et potuum, et frequentes corporum seu vestium ablutiones, et umbratiles carnis justificationes, et cætera hujusmodi fuerunt eis velut onus imposita, ad refrenandum transgressores, non ut semper existerent, sed usque ad tempus correctionis durarent, id est usque ad tempus gratiæ, qua in melius corrigerentur et cessarent. Quoniam quod lex illa minus fecit, et in omnibus observantibus illam adimplere non potuit, gratia nova subintrans correxit, et omnem ejus impossibilitatem ad perfectionem adduxit, dum carnales ritus auferens, in spiritales observantias mutavit.

« Christus autem, assistens pontifex futurorum « bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum, « non manufactum, id est non hujus creationis, « neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, « sed per proprium sanguinem introivit semel in « sancta, æterna redemptione inventa. »

Solus pontifex in anno semel intrabat in secundum tabernaculum, quod Moyses exstruxerat; sed *Christus* in tabernaculum nobilius et æternum intravit, ubi pontificis agit officium, *assistens* Deo ad interpellandum pro nobis, sicut Stephanus vidit eum pro se stantem ad dexteram Patris (*Act.* vii). Tunc enim interpellabat pro Stephano, et ita quodammodo pro singulis electorum astat Deo, dum pro ipsis intercedit. Nam et sedere et stare legitur, ut modo ejus potentia, modo misericordia describatur. Nam utique pro potestate regis vel judicis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ipse dico, *pontifex* non carnalium et temporalium *bonorum*, sed spiritualium et æternorum, id est *futurorum*, quia intercessione sua et oblatione sui ipsius, non temporalia, sed æterna bona nobis impetrat, quæ sic erunt præsentia, ut semper sint futura, id est nunquam deficientia. Vel futurorum bonorum est pontifex, id est præsentis justitiæ et æternæ beatitudinis, quæ tempore suo erant futura. Ipse ingressus est verum *tabernaculum*, id est cœlum *per amplius*, id est perfecte et prorsus amplius, quia plures capit quam terrenum illud; *et perfectius*, quia ibi est perfecta justitia et beatitudo. Tabernaculum dico, *non manu factum* sicut illud quod fecit Moyses, id est *non hujus creationis*, cujus in eremo fuit illud quod fixit homo. Non est factum manu hominis, sed dextera Dei, nec de materia corruptibili compositum, ut illud quod de cortinis et pellibus et auro et argento Moyses fecit, sed mira soliditate et pulchritudine consummatum. Non intravit in tabernaculum illud angustum et imperfectum et manu hominis constructum, sed per amplius, id est per omnia majoris amplitudinis, et perfectius, id est majoris perfectionis et opifice summo fabricatum, *neque per sanguinem hircorum aut vitulorum introivit* in Sancta sanctorum, ut olim sub lege pontifex consueverat, *sed per proprium sanguinem*. Nihil enim mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus; et idcirco seipsum obtulit mundam victimam ipse sacerdos. Suum pium sanguinem pro nobis effusum intulit *in Sancta* sanctorum, id est in cœlum; et hoc *semel*, id est non per singulos annos, ut Leviticus pontifex, sed tantum una vice. Quoniam oblatio sanguinis ejus adeo placuit Deo, ut non ultra sit opus repetitione, quia per humilitatem illius sacrificii deletum est quidquid primus homo commisit; et omnes pro quorum salute sanguinem suum fudit, ad omnem consummationem adduxit. Ideo non opus est iterari, quia perfectum est. Per sanguinem semel introivit in Sancta sanctorum, *æterna redemptione inventa;* et hoc ideo, quia per illam oblationem semel factam inventa est omnium redemptio, quæ non inveniri poterat in universo genere humano. Nam, cum omnes homines captivi tenerentur a diabolo, quid apud eos inveniri poterat, quod pro tot captivorum re-

Digitized by Google

demptione daretur? Sed Christus in sanguine suo redemptionem omnium invenit, non temporalem, sed æternam, quia tantum fuit pretium quod dedit, ut æternam redemptis libertatem redderet. Delevit enim tam originalia quam actualia peccata, et omnem justificationem exhibuit, ac regnum cœlorum aperuit.

« Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis « vitulæ aspersus (*Levit.* XVI), inquinatos sanctificat « ad emundationem carnis, quanto magis sanguis « Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum « obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam « nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo « viventi? (*I Petr.* I; *I Joan.* I; *Apoc.* I.) »

Vere sanguine suo semel oblato invenit redemptionem nostram, nec fuit opus repetitione talis oblationis. Nam sanguis ejus emundavit conscientiam nostram, ut nullius mali consensus jam conscii simus, quod est vere liberos esse. Quasi quis dicat: Per sanguinem Christi potest esse redemptio et liberatio spiritualis et æterna. Nam, si sanguis umbratilium in lege sacrificiorum, sanctificabat eos in carne, id est purificabat carnem eorum et mundam reddebat, multo potentius sanguis Christi purgat et sanctificat animas nostras, ut perpetualiter mundæ et liberæ maneant. Et hoc est: *Si enim sanguis hircorum*, etc. Si enim umbra carnem purificat, quanto magis veritas animam sanctificat? Illæ enim purgationes umbræ fuerunt purgationum, quæ sub gratia fiunt; et animalia quorum sanguine fiebant emundationes, figuram Christi gesserunt. Sanguis hircorum et taurorum qui immolabantur, nonnunquam aspergebatur super eos qui mundandi erant, vel pro ipsis contra velum septies, ut sanctificari possent; et Christus, qui nos aspersione sui sanguinis mundavit, per hircos designabatur propter similitudinem carnis peccati, et quia pro peccato mundi oblatus est. Hircus enim pro peccato semper immolabatur, atque per tauros propter fortitudinem, quia cornibus virtutis ventilat inimicos. Sed multo evidentius præfigurabat eum vitula, quæ comburebatur, ut cineres ejus aqua misti purgatio fierent hominum immundorum, de qua longum nimis est omnia dicere, sed aliqua breviter dicamus: « Præcipe, inquit, filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum, tradesque eam Eleazaro sacerdoti. Qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium, et intingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine et fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat (*Num.* XIX). » Vacca dicta est caro Christi sexu femineo, propter infirmitatem carnalem; rufa, id est sanguine passionis cruentata. Ætatis integræ, quia triginta annorum vel paulo amplius erat quando crucifixa est. In qua nulla erat macula iniquitatis, neque enim jugum portaverat peccati. Quod autem non Aaron pontifici, sed filio ejus Eleazaro tradi jussa est, significat non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii passionem Domini perventuram, quorum nunc Eleazarus typum gerit. Qui eductum extra castra, id est extra civitatem immolaverunt, crucifigentes eum in conspectu omnium. Dehinc Eleazar significationem mutat, et veros Novi Testamenti sacerdotes, id est apostolos designat, dum intingens digitum sanguine vitulæ, aspergit septies contra fores tabernaculi. Apostoli enim digito sanguinem septies contra ostium asperserunt, quia passionem Christi operibus commendantes, introitum fidei per septiformem gratiam Spiritus sancti populis prædicaverunt; et comburet, inquit, eam cunctis videntibus. Combustio, signum est resurrectionis. Natura quippe ignis est, ut in superna moveatur, et in eum convertitur quod comburitur. Combusta est ergo vacca cunctis videntibus, quia Christus resurrexit, et ejus resurrectionis gloriam cuncti per orbem fideles aspiciunt. Jam quod sequitur, tam pelle et carnibus ejus, quam sanguine et fimo flammæ traditis, significat quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis et sanguinis et carnium intimata est, sed etiam contumelia et abjectio plebis, quæ nomine fimi designatur convertentur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Lignum vero cedrinum quod in altum extollitur, spes est quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus, quia radicibus hæret in petra, fides est in Christo fundata. Coccus bis tinctus, ignea charitas est quæ tingitur amore Dei et proximi, hæc tria sacerdos, id est quilibet Christianus mittere debetur in resurrectionem Christi, tanquam in medium combustionis illius, ut cum Christo sit vita ejus abscondita in Deo (*Coloss.* III). Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam et in aquam aspersionis, quia pro peccato vacca combusta est. Quid putamus esse cineres vaccæ, nisi famam quæ secuta est passionem resurrectionemque Christi? Nam et cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur; et tamen mundabat, quia et resurrexisse a fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maxime claruit, qui in cæteris gentibus erant, et non erant de consortio Judæorum, ideo dictum est, quia colliget vir mundus cineres vaccæ, mundus utique ab interfectione Christi, quæ Judæos maculaverat, et effundet in loco purissimo, id est in corde credentium mundissimo extra castra, id est extra celebrationem Judaicæ consuetudinis, et ideo sic tractabuntur isti cineres, ut sint multitudini filiorum Israel, id est Christianorum, in custodiam mandatorum cœlestium, et in aquam aspersionis, id est in lavacrum baptismatis. Nam aqua aspersionis, purificatio est. Ex his omnibus fiebat aqua aspersionis, unde mundabantur a contactu mortuorum,

Digitized by Google

quod utique significat ab iniquitate hujus moribundæ vel morticinæ vitæ (236). « Qui tetigerit, inquit, cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari (*Num.* XIX). » Qui tetigerit cadaver hominis, id est qui malis operibus communicaverit, et propter hoc septem diebus, id est in anima et corpore fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua. Septem videlicet dierum immunditia propter animam et corpus dicitur, quia homo in anima et corpore septenarium suscipit, dum illa tribus motibus, istud quatuor elementis consistit. Unde et per Amos dictum : « Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum (*Amos* I). » Aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur, id est aqua baptismatis in fide Trinitatis et Spiritus sancti confirmatione. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari, id est si baptismo quod in fide Trinitatis fit, ablutus non fuerit, septiformem gratiam accipere non poterit. Describuntur et aliæ multæ species immunditiæ, quæ omnes aspersione hujus aquæ illustrari jubentur. Sed ad epistolam revertamur, quia jam manifestum est quomodo vitula hæc Christum præsignaverit. Nam sanguis bircorum *et taurorum et cinis* hujus *vitulæ aspersus* sanctificabat, id est mundabat *inquinatos* aliqua immunditiarum, quas lex describit. Sanctificabat eos non ad emundationem animæ, sed *ad emundationem carnis*, ut caro jam emundata judicaretur, et in consortium aliorum, qui sic emundatus erat, reciperetur. Et si hoc sanguis vel cinis animalium in carne poterat, *quanto magis sanguis Christi* potest in anima nostra munditiam et sanctificationem operari? Unde et in lege de eo sub figura carnalium victimarum dictum est : « Anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super altare meum expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit (*Levit.* XXVII). » Itaque sanguis Christi, secundum quod lex prophetaverat et decreverat, *emundavit conscientiam nostram*, id est ex toto mundavit animam nostram, ut jam non esset sibi conscia alicujus peccati vel consensus illiciti. Emundavit eam ab operibus mortuis, id est a reatu peccatorum quæ feceramus, quibus ipsa fuerat inquinata. Opera enim peccati sunt mortua, id est vita justitiæ prorsus carentia. Quæ qui tangit, inquinatur; sicut ille qui tangebat mortuum, inquinabatur; nec intrat in cœlum, sicut nec ille in templum. A talibus mortuis emundavit cor nostrum Christus, ut nec consensus inquinamentum remaneret in nobis, et emundavit nos *ad serviendum*, id est ut serviremus *Deo viventi*, cui servire non potest, qui mortuis operibus, id est peccatis servit. « Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII), » et « Nemo potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, *Luc.* VI). »

Sed Christus duo fecit, et a peccatis nos mundavit, et restituta libertate arbitrii, servire fecit Deo, qui vere vivit, et vitam veram sibi servientibus tribuit. Nec mirum si sanguis Christi tanta operatur, *qui* non brutorum animalium victimas, sed *semetipsum obtulit Deo* pro nobis *immaculatum*, quia nec originalis nec actualis maculæ quidquam habuit, et hoc factum est, *per Spiritum sanctum*, qui carnem ejus sine seminè creavit in utero virginis, et immunem a peccato semper eum servavit. Vel per Spiritum sanctum obtulit se, quia Spiritus sanctus hoc illi suasit.

« Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte « intercedente, in redemptionem earum prævaricatio- « num, quæ erant sub priore testamento repromissio- « nem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. »

Dico quia obtulit se Deo pro nobis, *et ideo est* ipse *Mediator Novi Testamenti*, id est medius inter Deum et homines in datione novæ legis, melius quam Moyses fuerat in datione Veteris. Discordia videlicet facta fuerat inter nos et Deum, et idcirco regni ejus hæredes fieri non poteramus, quia nec quomodo ad pacem ejus reverti nos oporteret, noveramus. Propter quod iste nobis mediator per Dei misericordiam datus est, qui nos Deo reconciliaret, et ejus voluntatem nobis interpretaretur, ut sciremus quid ipse nos operari vellet; et amici effecti, hæreditatem regni ejus per Novum Testamentum assequeremur, sicut Judæi per Vetus Testamentum adepti sunt hæreditatem terræ Chanaan. Et hoc est, ipse mediator Novi Testamenti, *ut qui vocati sunt*, id est ab æterno divinitus electi, de quibus alibi dicitur : « Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt (*Apoc.* XIX), » *accipiant* per illud Testamentum *repromissionem æternæ hæreditatis*, id est in hæreditatem consequantur æternam beatitudinem, quæ multoties illis est in Scripturis promissa; et hoc fiat *morte* ejus *intercedente* inter testamentum et hæreditatem. Ideo videlicet dedit illis Testamentum Novum, ut cum mors sua intercederet, acciperent hæreditatem qui Novum Testamentum habebant, sicut in omnibus testamentis est consuetum. Quicunque enim paterfamilias hæredi suo testamentum faciat, nihil prodest illi cui factum est, nisi prius moriatur qui fecit. Testamentum vocamus hic, scriptum quod alicui fit de obtinenda post mortem alicujus hæreditate. Et fit aliquando simpliciter, aliquando cum conditione, ut si quis dicat : Hoc fac, et habebis post me hæreditatem meam; quod si non feceris, non habebis eam. Scriptumque de hac conventione illi relinquat, sicut et Christus de hæreditate perennis vitæ nobis testamentum conditione fecit, dicens : « Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum (*Joan.* VIII). » Ac deinde mortem suam interposuit, ut nos per observantiam sermonis ejus ad hæreditatem vitæ æternæ perveniremus. Morte, inquit, intercedente *in redemptionem earum prævaricationum, quæ*

(236) Locus obscurus.

Digitized by Google

erant sub priore testamento, id est ad hoc mors ejus interveniret, ut suos redimeret ab illis prævaricationibus, quas operabantur dum adhuc essent sub veteri lege, quæ deprimebat eos in servitute timoris, non relaxabat in libertate charitatis; et ideo non sanctificabat eos, sed magis prævaricatores faciebat. Sub testamento enim ideo dicit, quia quasi onus quoddam grave erat eis lex. De peccatis gentilium, quæ similiter sanguine Christi deleta sunt tacet, qui Hebræis loquitur, quia se per legem putabant justificatos; et ostendit eos nunquam sub lege sine prævaricationibus vixisse; ideoque necesse fuit ut et ipsi morte Christi redimerentur a reatu prævaricationum suarum, quatenus digni possent fieri æterna hæreditate.

« Ubi enim testamentum, mors necesse est interB « cedat testatoris. Testamentum enim in mortuis « confirmatum est. Alioqui nondum valet, dum vivit « qui testatus est. Unde nec primum quidem sine « sanguine dedicatum est. »

Dixi quia est mediator Novi Testamenti, ut morte ejus intercedente, perveniremus ad possessionem hæreditatis, quæ in Testamento scripta est; et necesse fuit ut mors ejus intercederet, si ad hæreditatem perventuri eramus. Nam ita fit in omnibus testamentis. Ubicunque *enim* fit *testamentum*, *necesse est* ut *mors testatoris intercedat*, id est ut prius moriatur ille qui testamentum fecit, quam ille qui in testamento designatus est hæres habere possit hæreditatem. Nunquam enim aliter potest illam C consequi. Et quia in omni testamento id necesse est, ideo testator noster qui nobis testamentum fecerat, in quo vitæ æternæ hæredes fore nos instituerat, interposuit mortem suam, ut sine obstaculo perveniremus ad hæreditatem possidendam, neque aliter pertingere possemus ad illam. Et vere in omni testamento necesse est mortem testatoris intercedere. Nam *testamentum* omne *est confirmatum*, ut possit esse ratum, *in mortuis*, id est in morte testatoris. Secundum leges sæculi loquitur Apostolus, in quibus est decretum, ut vivente testatore non sit ratum, sed ab ejus morte firmitudinem accipiat, ut ulterius non mutetur. *Alioqui*, id est nisi mors testatoris intervenerit, *nondum valet*, id est nondum firmum est ipsum testamentum, *dum*, id est quandiu *vivit qui testatus est*, dum enim vivit potest illud (si voluerit) mutare, ut eum quem scripserat hæredem, auferat et alium subscribat. Sed in morte ejus ita confirmatur, ut amplius mutari nequeat, sed hæredes qui descripti sunt hæreditatem accipiant. Sic et testamentum Christi in morte ejus est confirmatum, ut quos ipse in eo præsignavit hæredes, absque immutatione accipiant hæreditatem. Non enim alii, sed illi soli, « quorum nomina sunt in libro vitæ (*Philipp.* IV), » consequentur illam hæreditatem. Dixi quia omne testamentum morte confirmatur, *unde* id est quia mors omne testamentum confirmat, *nec primum quidem* testamentum *est dedicatum sine sanguine*, sed in ejus dedicatione, A id est quando a filiis Israel in auctoritatem est receptum, immolata sunt animalia, quorum sanguine est confirmatum, ad significationem Novi Testamenti, quod Christi sanguine dedicatum est, et hoc est: *Nec primum quidem*, subaudi, sicut nec secundum, *est dedicatum absque sanguine*. Debuit enim morte confirmari, ut esset ratum et auctorabile.

« Lecto enim omni mandato legis a Moyse uni« verso populo, accipiens sanguinem vitulorum et « hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, « ipsum quoque librum et omnem populum asper« sit, dicens: Hic sanguis testamenti quod mandavit « vit ad vos Deus (*Exod.* XXIV). Etiam tabernacu« lum et omnia vasa ministerii sanguine similiter « aspersit, et omnia pene in sanguine secundum « legem mundantur, et sine sanguinis effusione non « fit remissio. »

Vere et primum testamentum est sanguine dedicatum. Nam *lecto a Moyse omni mandato legis*, ut nihil esset in lege quod careret auctoritate, sed omnia ejus mandata dedicarentur, et authentica fierent in sanguine *universo populo*, qui et totus sanguine mundatus est, postquam Moyses in auribus plebis omnia legis mandata perlegit, *accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo*, scilicet miscens sanguinem et aquam, et faciens de lana et hyssopo aspersorium, non solum cætera, sed *ipsum quoque librum* legis *et omnem populum* illo sanguine *aspersit*, et ut illi cum majori devotione susciperent, dixit: *Hic sanguis est testamenti*, quod per me *Deus mandavit ad vos*. Quasi non frustra vos aspergo, quia hic sanguis quo vos purifico, est confirmator testamenti quod mandavit mihi Deus ad vos deferre. Nec solummodo librum et populum, sed *etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii*, id est quæ ad ministrandum in eo facta fuerant, *similiter* ut populum *aspersit sanguine*. Omnia enim illa vasa Moyses sanguine mundavit, et idonea ad ministrandum Deo per aspersionem sanguinis effecit, sicut et populum et reliqua sanguine mundaverat. *Et* inde sumpto postmodum exemplo et auctoritate illius, *omnia pene mundantur* per sacerdotes *in sanguine secundum legem*, id est secundum quod lex præcipit et Moyses instituit, *et sine* D *sanguinis effusione non fit remissio*, quia sine sacrificio nullum in lege peccatum remittitur. Non tamen dicit Apostolus, quod sanguine brutorum animalium remitterentur hominibus peccata; sed significat quia nec illis qui sub lege erant, remissa sunt nisi sanguine Christi. Quod autem Moyses prius legem docuit, ac deinde librum et populum sanguine aspersit, præsignavit quia Christus primo prædicaturus erat, ac deinde prædicationem suam plebumque credentium sanguine suo erat aspersurus. Liber enim Novi Testamenti aspersus est sanguine Christi, cujus passionem evidentius et frequentius memorat, et cujus morte confirmatus est, ut in auctoritate habeatur, et quæ in eo scripta sunt, sine immutatione compleantur, ut quia pro nobis Christus

Digitized by Google

mortuus est, præcepta ejus diligamus, qui ad gratiam, qua hæc complere possumus, nobis per mortem impetravit. Quod universus populus est aspersus, declaravit, quia omnes qui de populo Dei sunt, redemptionem et sanctificationem habent in sanguine Christi, quem sanguis hircorum et vitulorum præsignavit. Christus videlicet per figuram vitulus est, propter virtutem crucis, cujus cornibus impios ventilavit (*Psal.* XLIII). Vitulus tamen, non bos, quia nil vetustatis habuit, sed novitatem gratiæ nobis attulit. Ipse quoque dictus est hircus propter similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum (*Rom.* VIII), ibique sanguis vitulorum et hircorum, sanguinem Christi, sicut diximus, præfiguravit. Aqua mista est sanguine, quia ex latere Christi non solum sanguis, sed et aqua exivit (*Joan.* XIX), unde et mos est, aquam in sancto calice misceri vino, quod in missa consecrandum est. Quod et ad baptismi sacramentum referri potest, quia baptismus noster, qui per Rubrum mare præfiguratus est, ruber sanguine Christi. Ideo Moyses sanguinem et aquam miscuit. Qui et lana coccinea sanguinem illum et aquam aspersit, quia Christus mirabili charitate sanguinem et aquam, quibus nos sanctificaret, de latere suo produxit. Color enim coccineus, ruborem ardentissimæ charitatis qua Christus nos dilexit, insinuat. Lana quoque calida est, et vestis, qua frigus repellatur, potest ex ea fieri. Unde et nos charitatem Christi quasi lanam calidam debemus assumere, et indumentum justitiæ nobis ex ea facere, quo circumdemur et adornemur in omnibus dictis et operibus nostris, et a frigore totius malitiæ defendamur. Hyssopus autem herba humilis et expellens tumorem pulmonis, humilitatem Christi designat, qua misericorditer « humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II). » Hac enim aspersit super nos pium sanguinem suum. Quam et nos imitari pro modulo nostro debemus, ne in vacuum recepisse hujus gratiam aspersionis inveniamur. Quid enim prodest nobis sanguis ejus nisi tumorem superbiæ prorsus a nobis expellamus? Librum *et populum* Moyses *aspersit, dicens : Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus* (*Exod.* XIV). Sic et Christus novam legem et universum mundum sanguine suo mox aspersurus, dixit in cœna discipulis suis : « Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII). » Ecce quam concorditer utrumque sibi testamentum consonat. Ecce quam proprie prædicit, Moyses verba quibus Salvator utitur in cœna. Etiam tabernaculum, id est Ecclesiam fidelium, de quibus dixit Deus, « quoniam inhabitabo in illis et inambulabo (*Levit.* XXVI), » *et omnia vasa ministerii*, id est omnes sanctos qui altari deserviunt, ut diacones, presbyteri, episcopi, et qui sacratos cibos sanctæ prædicationis ministrant in Ecclesia *sanguine similiter aspersit.* quia et omnem simul Ecclesiam, et omnes sanctiores sicut et *populares*, Christus suo sanguine mundavit et consecravit. *Et secundum legem pene omnia mundantur sanguine*, ut appareant omnia sanguine Christi debere mundari. Pene omnia dixit, quia quædam vasa lavabantur aqua tantum, ut mundarentur ; et homines a quibusdam contagiis, ut a contactu mortuorum, purificabantur aqua aspersionis, nec indigebant sanguine ad sui emundationem (*Levit.* XIII, XV). Sed in Evangelio nihil prorsus mundatur sine sanguine Christi. Et hoc quoque servatur in lege, quod *sine sanguinis effusione* in aliquo sacrificio facta, *non sit* ulla peccati *remissio*, per quod ostenditur, quia nisi passione Christi nullum omnino potest remitti peccatum.

« Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium « his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus ho- « stiis quam istis. »

Quandoquidem Moyses ita fecit, et lex ita præcepit, *ergo necesse est exemplaria quidem cœlestium*, id est tabernaculum et vasa ejus, etc., quæ fuere figuræ cœlestium, id est præsignavere Ecclesiam quæ dicere potest : « Nostra conversatio in cœlis est (*Philip.* III), » *mundari his* supradictis, id est sanguine vitulorum et hircorum, et aqua cum lana et hyssopo. Exemplaria quidem cœlestium talibus sacrificiis debuere mundari, sed *ipsa cœlestia*, id est homines ad cœlum jam pertinentes, quos umbræ veteres figuravere, necesse est mundari *melioribus hostiis quam istis*, id est quam sanguine vitulorum et cæteris. Neque enim justum fuit, ut rationalibus hominibus brutorum animalium victimæ cæderentur. Cum ergo bruta animalia pro rationali animali, id est pro homine dignæ victimæ non fuerint, requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur, et deleret culpam protoparentis. Sed quid, quod homo sine peccato inveniri non poterat? Et oblata pro nobis hostia quando nos a peccato mundare potuisset, si ipsa peccati contagio non careret? Inquinata quippe, inquinatos non mundaret. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus, ut vero a peccatis mundaret hominem, homo, et sine peccato. Sed quis esset homo sine peccato, si ex peccati commistione descenderet? proinde venit propter nos in uterum virginis Filius Dei. Ibi, pro nobis factus homo sine peccato, fecit pro nobis sacrificium corpus suum, exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ et humanitate mori, et justitia mundare potuisset. Hoc est, inquam, quod nunc cœlestia, id est homines, cœlestium virtutum futuri consortes, dicuntur melioribus hostiis debuisse mundari, id est humanitate Christi, quæ plurium hostiarum nomine designatur in hoc loco, quia per omnes supradictas est figurata, et plura fecit quam omnes illæ.

« Non enim in manufacta sancta Jesus introivit « exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut « appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut « sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex

Digitized by Google

« intrat in Sancta per singulos annos in sanguine « alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati « ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per « hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem « judicium, sic et Christus semel oblatus est ad « multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem (*Rom.* « v; *Petr.* III). »

Utrumque probat, et quod cœlestia per hostias sint mundata, et quod per meliores hostias, quæ sunt una hostia, id est Christus. Quasi dicat : Verus Christus mundavit cœlestia, id est homines suo sanguine mundans, fecit cœlestes cœlestium participes. Nam ipse *Jesus*, id est salvator noster, qui est vera hostia, omnibus hostiis præcedentibus significata, *non introivit in sancta* quæ *manu* hominum essent *facta*, quoniam illa fuerunt *exemplaria verorum* sanctorum, qui sunt in cœlo, *sed in ipsum cœlum*, quod significabatur per secundum tabernaculum. Manufacta sancta erant exemplaria, id est figuræ et umbræ verorum sanctorum, quæ sunt in cœlo, et idcirco verus sacerdos, Jesus non in umbratilia, sed in vera intrare debuit. Intrasset quidem in manufacta sancta, si ea vellet mundare, id est si ea vellet ita sanctificare, ut in ea intrantes reciperent ab eis mundationem a peccatis. Sed non intrando in ea, designat quia jam nullus ibi munditiam animæ consequi poterit. Ideo contempsit ea, et non sanctificavit quia sunt, ut dictum est, exemplaria et similitudines verorum non ipsa sunt vera. Sed intravit in cœlum, cœlum dico ipsum, id est per illa significatum. Sed cur Jesus, id est qui salutem nobis in omnibus factis suis quærebat, cœlum intraret, nisi illo ascensu omnes ad hoc vellet mundari, ut fierent cœlestes, quatenus in eis quasi in cœlestibus habitaret, qui ad hæc ascendit, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, id est interpellet solus pro salute omnium nostrum, sicut olim pontifex in Sanctis sanctorum solus orabat pro omnibus. Nunc facit hoc, dum non videmus eum. Vel nunc, id est in plenitudine temporis gratiæ post consummationem operum quæ gessit conversans inter homines, apparet vultui, id est præsentiæ et benevolentiæ Dei Patris, intercedens apud eum pro nobis, ostendendo cicatrices vulnerum quæ pro nostra redemptione pertulit; et quantum pro nostra salute laboraverit, perpetualiter repræsentando. Mira enim et ineffabili nobis ordine eum, qui nihil unquam potest oblivisci, qui semper misereri paratus est, absque intermissione dominus Jesus admonet, quam congrue hominibus misereri debeat, quorum particeps vere et doloris, ac passionis idem ipse Dei Filius effectus sit, et pro quibus ipse confligens, mortis imperium moriendo prostravit. Sic enim sæpe intercedit pro nobis. *Neque* ita hoc facit, *ut sæpe offerat semetipsum* in ara crucis, et sæpe patiatur, quia sufficienter omnibus semel oblatus est, nec opus est repetitione. Unde patet quia A diguior et efficacior sit ejus hostia omnibus aliis, quia illæ sæpe intraverunt sine consummatione, hæc semel oblata, ad patriam reducit. Non ad hoc intravit in cœlum, ut seipsum sæpe offerat effusione proprii sanguinis, *quemadmodum* illa necessitate qua legalis *pontifex intrat in Sancta* sanctorum, *per singulos annos*, id agendo, quia consummationem et perfectionem operari non valet; et hoc facit non in proprio, sed *alieno sanguine*, et hic per singulos annos, Christus autem non sæpe, sed semel; hic in alieno sanguine, Christus in proprio : hic protinus egreditur de sanctis, Christus perpetualiter in Sanctis sanctorum assistit vultui Dei semper interpellans pro nobis. Non ergo ita intravit sicut ille pontifex, ut post exiret et postea reverteretur, hostiam B suæ passionis offerens, ut ille sanguinem brutorum animalium : sed semel sanguinem proprium obtulit, et cœlum penetravit. *Alioquin*, id est si aliter faceret, si sæpe se offerret, tunc oporteret *eum frequenter pati* incipiendo *ab origine mundi*, ut per singulas generationes pateretur, redimendo suos in unaquaque generatione. Nam, si sæpe seipsum in ara crucis offerret, ideo faceret quoniam ad redemptionem omnium minime sufficiens esset. Et cum illos, quos in carne viventes invenit, redemisset, rursus oporteret eum mori ad redemptionem aliorum, qui post nascerentur : sicque per singulas generationes esset necesse fieri. Et quoniam Abel et Noe et Abraham et Job et David, cæterique justi et ad vitam prædestinati, eodem modo fuerunt redimendi, quo et illi, C quos in carne apparens justificavit, et eadem necessitas et causa præcessit in illis, quæ secuta est in istis; ideo, cum redimere omnes voluisset, et non nisi suos contemporaneos redimere passet, a primo justo, id est a temporale Abel incœpisse pati debuisset, quod esset magnum inconveniens. Ergo non sæpe, sed potius semel in ara crucis oblatus est. Quod nunc constat, quia per prædictum inconveniens est ostensum. Vel ita : Non frequenter passus est ab origine mundi, sed nunc semel in consummatione sæculorum. Si semel oblatus non sufficeret omnium in se credentium peccata exhaurire, oporteret eum pati sæpius ab origine mundi. Quod ne fieret, *semel* passus est *in consummatione sæculorum*, id est in ultima ætate mundi, in qua sunt omnia consummata et adimpleta, quæ in sæculis transactis imperfecta fuere, et ideo non opus fuit ut inciperet pati ab origine mundi. Nam, si toties pateretur, esset miserabilior omnibus hominibus. Non cœpit ab initio pati, sed *nunc in consummatione sæculorum apparuit* in Sanctis sanctorum vultui Patris, *semel* ingressus illuc *per hostiam suam* una vice mactatam *ad destitutionem peccati*, id est ad hoc, ut deorsum statueret peccatum, ne jam super nos, sed subter nos esset, id est ne jam dominaretur nobis, sed nos conculcaremus illud. Quod nulla alia hostia facere potuit. Et quia ejus hostia semel oblata, regnum peccati subvertit, nec jam per consensum vel operationem prævalet super nos peccatum, non necesse

Digitized by Google

fuit ut iterum offerretur. Dixi quia semel apparuit Deo per hostiam suam, ingrediens Sancta sanctorum. Et ob hoc passus est semel, quoniam hanc potestatem in omnes possidet natura, ut semel moriantur. *Et quemadmodum*, id est qua necessitate et naturali conditione *statutum est* omnibus *hominibus semel mori*, id est ut semel moriantur, sed *post hoc*, id est post mortem restat eis *judicium*, in quo secundum hoc quod egere, recipiant, id est non iterum restat ut surgant, et iterum moriantur, sed tantum ut veniant ad judicium, recepturi præmia, vel tormenta, *sic*, id est eadem necessitate et immutabili jure naturæ *et Christus*, utpote verus homo, *semel* et non amplius in ara crucis *oblatus est*, et post faciet judicium : hoc est, sicut hominibus post mortem nihil restat ex necessitate nisi ut judicentur, ita Christo post mortem nil restat, nisi ut judicet. Nam, si post resurrectionem suam iterum mori posset, non haberet in se naturam cæterorum hominum. Et ita nihil nobis prodesset, cum verus homo non esset. Sed, ut verus homo probaretur, sicut semel ex matre virgine natus est, ita semel in cruce moriens oblatus est Patri sacrificium, *ad exhaurienda*, id est prorsus auferenda, et annullanda *peccata*, non dico omnium, quia non omnes credunt : sed *multorum*, id est eorum qui ad vitam prædestinati sunt, quod aliæ non sufficiebant hostiæ, quia, etsi aliquo modo minuebant ea, non tamen exhauriebant; hoc est, semel venit, et eo adventu omnia peccata suorum exhausit, secundo autem adventu *apparebit* non ut iterum patiatur, sed ut judicet. Apparebit enim *sine peccato*, id est sine hostia, pro peccato, quia tunc non offert hostiam pro peccatis, sed damnabit perseverantes in peccatis. Consuetudo enim legis est, ut sacrificium quod, pro peccatis offertur, appelletur peccatum. Et secundum illam consuetudinem peccatum appellat Apostolus, quia loquitur Hebræis, quibus hujusmodi nomina per notitiam legis fuerant usitata. Quasi dicat : Estote timidi, quia jam amplius non immolabitur pro vobis. Tunc enim non erit hostia, sed justitia in remunerando vel damnando, apparebit *expectantibus se*, id est illis qui propter conscientiam boni sui meriti cum quadam securitate exspectabunt adventum ejus, vel qui modo longanimiter exspectant eum perseverantes usque in finem cum patientia in bonis operibus, et intuitum cordis ad ejus adventum erigentes. Apparebit eis *in salutem*, quia visio ejus salus eorum erit perpetua, ut jam nec corporis nec animæ quidquam mali sentiant, sed in ejus aspectu sine fine gaudeant.

CAPUT X.

« Umbram enim habens lex futurorum bonorum, « non ipsam imaginem rerum, per singulos annos « eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, « nunquam potest accedentes perfectos facere. Alioqui cessassent offerri, eo *quod* nullam haberent « ultra conscientiam peccati *cultores* semel mundati. Sed in ipsis *commemoratio* peccatorum fit « per singulos annos. Impossibile est enim sanguine « taurorum et hircorum auferri peccata. »

Probavit sufficienter quod Christus non nisi semel mori debuit, et nunc reddit causam, cur semel eum mori necesse fuit. Lex enim non poterat perfectionem facere, et ideo hunc oportuit mori, qui faceret perfectionem. Vel ita continuandum est : Probavit Christum fuisse meliorem hostiam, ostendendo ea quæ in ipso erant, prioribus hostiis digniora. Hoc idem nunc iterum facit per aliam partem, hostias legis improbando, et non sufficientes fuisse demonstrando. Quia sicut per dignitates ipsius ostenditur melior hostia, sic quoque econtrario melior apparet, hostiarum legalium imbecillitate monstrata. Probavit enim quod Christus peccata suorum exhausit, et de operatione et etiam de consensu mentis eorum, quod hostiæ legis facere nequivere, ut Judæi vellent. Vere Christus exhausit peccata, et fecit perfectos, quia lex neutrum facere potuit. Nunquam, id est nullo tempore, nec tempore Moysi, nec tempore aliorum potest facere perfectos accedentes in Sancta sanctorum pontifices. Sed quæritur quare non potest? Quia est habens et continens *umbram futurorum*, id est habens et præcipiens ea quæ sunt umbra futurorum bonorum. Nam quæcunque lex præcipiebat, ut tabernaculi vasa et hostiæ et cætera hujusmodi, non erant veritas, sed umbra verorum, et per hoc impotens ad perficiendum aliquem potest judicari. Vel umbram habet lex futurorum bonorum, id est quamdam extraneam similitudinem eorum quæ futura erant, hoc est ita dubie et extranee futura bona ostendit, sicut aliqua umbra, et repræsentat oculis nostris illud corpus cujus est umbra. Et quia lex posset habere ex parte umbram futurorum bonorum, ex parte ipsam veram imaginem, addit : Ita dico, habens umbram futurorum bonorum, ut in nulla sui parte habeat *ipsam* veram *imaginem rerum*. Verius enim et expressius repræsentat aliqua imago rem aliquam quam umbra. Per imaginem enim et qualitates et quantitates illius cujus est imago aliquo modo cognoscimus, sed per umbram nil certum, nil determinatum habemus. Si Moyses aut Melchisedech pro populo Dei fuisset oblatus, forsitan imago Christi videretur, sed hircus et vitulus, et cætera quæ significabant Christum, non imago, sed umbra erant. Ipsa, inquam, lex *nunquam potest perfectos facere*, id est perfectione virtutum beatos et consummatos pontifices, per singulos annos ad Sancta sanctorum *accedentes* cum hostiis, non potest illos facere perfectos *eisdem ipsis hostiis*, *quas* semper *offerunt*, umbræ sunt enim, prænuntiantes gratiam qua justificamur, et in eis homines non justificantur. Non possunt in eis vel in ipsis pontifices perfici in justitia, id est non possunt in eis justificari vere, licet semper offerant eas revertente anno. Et quia possent auferre *per singulos annos* in spatio viginti annorum, sic tamen ut postea dimitterent, addit *indesinenter*, id est perseveranter. Quasi dicat : Licet pon-

Digitized by Google

tilices in Sancta sanctorum per singulos annos offerrent indesinenter, tamen lex non potuit illos facere perfectos; et quia lex per omnes hostias suas cum sint umbræ, nullum duxit ad perfectionem, ideo tale quid offerri debuit, quo perfectio justitiæ daretur humano generi. Non potest eos lex talibus hostiis facere perfectos, ut eorum conscientia libera fiat ab omni consensus pollutione. *Alioqui*, id est si aliter fecisset, si illos efficere perfectos posset, jam *cessassent offerri* illæ hostiæ, id est non esset aliqua necessitas, nec etiam causa, quare ulterius deberent offerri, et sic cessassent, *eo quod cultores*, id est sacrificatores *semel mundati*, id est una oblatione earum ab omni peccato purgati, *nullam haberent ultra conscientiam peccati*, id est non essentiam sibi conscii de aliquo peccato, sed tam in corde, quam in operibus mundi perseverarent; et ideo jam hostia non indigerent, quoniam perfecti essent, quod lex facere non potuit. Una autem hostia Christi perfectos facit. Cujus corpus semel oblatum, omnes suos perfecte emundavit et emundat, quoniam usque in finem sæculi hostia illa sufficiens erit omnibus ad emundationem. Et si millies peccant, non indigent alia, quia hæc sufficit ad omnia, et omnem conscientiam a peccato lavat. Ipsa enim et prius per baptismum purificat eos, etsi deinceps peccaverint, per pœnitentiam rursus emundat, et in consummationem virtutum reformat, et si nos quotidie offerimus, recordatio mortis ejus est; et una hæc hostia est, non multæ, quia semel tantum oblata est. Nec a multis hominibus multi Christi offeruntur, sed unus ubique et semper plenus, ubique unum corpus. Semel oblatus non consumitur. Quod nos agimus, recordatio sacrificii est; nec causa infirmitatis suæ repetitur, quia perficit hominem, sed nostræ qui quotidie peccamus. Dictum est superius, quod legales hostiæ cessassent offerri, si perfectionem purgationis agere possent, quia superflue offerrentur, cum jam cultores per eas emundati, scirent se non habere peccati sordem aliquam. *Sed* videmus quia non purgant eos. Nam *in ipsis* hostiis *per singulos annos* oblatis *fit commemoratio peccatorum*. Commemoratio, non absolutio; infirmitatis accusatio, non virtutis ostensio. Dum enim commemorantur et confitentur peccata sua, et offerunt pro eis illas hostias, constat eos habere peccata. Nec mirum : nam *impossibile est sanguine taurorum et hircorum*, aliarumve pecudum *auferri peccata :* etsi per illas hostias auferatur operatio, culpa tamen interior et consensus remanet. Nam solius Christi sanguine delentur peccata etiamsi illis qui sub lege quondam remissionem per illa sacrificia videbantur accipere.

« Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et « oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, « holocaustomata et pro peccato non tibi placue- « runt. Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scri- « ptum est de me, ut facerem voluntatem tuam « Deus (*Psal.* XXXIX). Superius dicens quia hostias « et oblationes et holocaustomata et pro peccato « noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum le- « gem offeruntur, tunc dixi, ecce venio, ut faciam « Deus voluntatem tuam : aufert primum, ut se- « quens statuat. In qua voluntate sanctificati sa- « mus per oblationem corporis Jesu Christi se- « mel. »

Quoniam hostia corporis Christi sufficit ad multorum exhaurienda peccata, lex autem non ipsos pontifices potuit facere perfectos, ideo ad confirmationem hujus veritatis loquitur ista Dei Filius *ingrediens mundum*, id est assumens carnem, hoc est respectu illius temporis, quo erat mundum ingressurus assumendo carnem, dicit per prophetam, dum consideraret infirmitatem legis, et necessitatem oblationis corporis sui : O Pater, *noluisti hostiam de* pecoribus factam *et oblationem* quæ sanguinis effusione fiebat. Non enim revera talibus hostiis delectatus est Deus, sed præcepit, eas ad significandam veram hostiam Christi, et ut per eas Judaicum populum retineret a sacrificiis idolorum. Nec unquam odoribus illis delectatus est, nisi in fide et devotione offerentium. Et præcipue ab adventu Domini nobis illa sacrificia, quoniam omnia illa erant quasi verba promittentis et verba promissiva, cum venerit quod promittunt, jam evacuanda. Tandiu quisque promissor erit, donec det, cum dederit, mutat verba. Non dicit, adhuc dabo, quod se daturum dicebat, sed dicit, dedi. Sacrificia ergo illa tanquam verba promissiva, ablata sunt, quia exhibita est veritas promissa, id est sacrificium Christi quod per ea promittebantur, et hæc fuit causa quare Deus illa primo jussit, et post noluit. Hostiam, inquit, et oblationem noluisti. Quid ergo? jam nos hoc tempore dimissi sumus sine hostia et oblatione? Absit. *Corpus autem aptasti mihi*. Ideo illa noluisti, quia hoc mihi aptasti. Perfectio promissi, abstulit verba promittentis. Illa jam in tempore gratiæ noluisti, sed corpus aptasti mihi, id est aptum et idoneum corpus, quia sine peccato et passibile et mortale mihi dedisti, quod valeat offerri in redemptionem omnium; *holocaustomata* etiam, id est illa sacrificia, quæ omnibus aliis digniora videbantur, quia tota in altari incendebantur; *non placuerunt tibi* oblata *pro* aliquo *peccato*, quia propter hæc non relaxasti peccatum. Et *tunc*, id est quando video omnia tibi displicere, et corpus aptum immolationi mihi datum, dixi : *Ecce*, id est sine retardatione *venio*, id est ad me offerendum spontaneus accedo, quia hanc solam hostiam tibi placituram considero. Nam *in capite libri* Psalmorum *scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus*, ubi dictum est : « Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, » etc. (*Psal.* I.) Et oportebat impleri prophetiam hanc in me. Sunt etiam qui universas Scripturas canonicas unum librum vocent, eo quod valde mirabili et divina unitate concordent. In cujus libri capite scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, quoniam in primis partibus libri Geneseos, qui principium Scripturarum est, legitur prophetarum, quia reli-

Digitized by Google

quet homo patrem suum, id est Dei Filius hominem induens, veniet a sede paterna, et relinquet matrem suam (*Gen.* II), id est synagogam, et adhærebit uxori suæ, id est Ecclesiæ. Vel caput libri est prædicatio divinitatis, qua nihil altius in Scripturis invenitur. Et in capite libri scriptum est de me, quoniam Scripturæ sanctæ demonstrant me esse Deum super omnia, cum dicunt : « Verbo Domini cœli firmati sunt » (*Psal.* XXXII), « et Deus erat Verbum (*Joan.* I), » et cætera hujusmodi, *et ego, qui tantus in eminentissimo capite*, id est in altissimo prædicatione divinitatis libri Scripturarum invenior, induens misericorditer formam servi, volui o Deus, ut facerem vel ut faciam voluntatem tuam, factus obediens usque ad mortem (*Philip.* II).» Quia voluntatem meam quam juxta naturam humanitatis habebam, divinæ voluntati tuæ prorsus concordem feci, ut sicut immolatione mei corporis humanum genus redimi volebas, ita et ego vellem, et in omnibus voluntatem tuam adimplere optarem. Hæc verba Christus in psalmo locutus est, et nunc aperit nobis Apostolus, quid ipse de his sentiat. Quia scilicet non solum notat veteres hostias hæc auctoritas nullum perfecisse, et solam Christi hostiam de omnibus credentibus hæc sufficienter egisse vel agere, sed etiam oblationem Veteris Testamenti et substitutionem Novi demonstrat, si diligenter notentur hæc verba. Nam ipse Christus dicens superius, *illa noluisti*, et subjungens, *Tunc dixi* : *Ecce venio, aufert primum* sacrificium et cum eo Vetus Testamentum, et statuit novum sacrificium, ut stabile permaneat, et cum eo Novum Testamentum. Et hoc est : *Superius dicens* ipse Filius, *quia hostias et oblationes et holocaustomata* etiam *pro peccato noluisti*, ostendit carnalia sacrificia esse reprobata, et cum eis carnales omnes observantias. Illas hostias noluisti, et ne viderentur displicere, qui non secundum legis institutionem offerebantur, subditur : *Nec placita sunt tibi* ea *quæ secundum legem offeruntur. Et tunc* cum illa omnia tibi displicerent, et aliud velles sacrificium, *dixi* : *Ecce venio* immolari, *ut faciam et compleam voluntatem tuam, o Deus*, quem ego juxta humanitatem meam adoro et colo, hæc dicens Dominus, *aufert primum* sacrificium, *ut sequens statuat.* Dicendo enim hostias et oblationes noluisti, aufert primum, id est ostendit ablationem primi ; et subdendo : *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*, statuit sequens, id est ostendit novum, stabile, et firmum fore. Primum et sequens, vel sacrificium, ut diximus, vel testamentum intelligitur. Nam utrumque videmus impletum. Quia et vetus sacrificium a populo Dei prorsus est ablatum, et sequens Dominici corporis sacrificium est substitutum. Similiter primum testamentum juxta carnales observantias ablatum est, et successit Evangelium. *Dixi, Ecce venio ut faciam voluntatem tuam*, id est ut immoler sicut vis, et novam legem statuam. *In qua voluntate*, id est in qua sui immolatione secundum Patris voluntatem facta, nos fideles *sumus sanctificati*, id est non solum a peccatis mundati, sed in virtutibus consummati ; et hoc *per oblationem corporis Jesu Christi* in cruce facta, nobis vel amplius, sed *semel* ; et ideo sequens est statutum, quia per illud sanctificati sumus. Primum vero dejectum est vel ablatum, quia neminem duxit ad perfectionem.

« Et omnis quidem sacerdos præsto est, quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, « quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus (*Psal.* CIX ; *I Cor.* XV).»

Quæstio : Diceret aliquis : Sanguis hircorum et taurorum semel in anno per pontificem oblatus, nullum duxit ad perfectionem, sed illa sacrificia quæ quotidie fiebant, sacerdotes perfectos jure fecere, quoniam assidue sacrificabant, et gratiam Dei semper implorabant. Ad hoc quasi respondet, ostendens quoniam sicut pontifices per hostias suas non sanctificati sunt, ita nec sacerdotes, licet offerrent assidue sanctificati aliqua legali observatione. Quasi dicat : Omnis pontifex per singulos annos offert, et non pervenit ad aliquam consummationem ; et eodem modo omnis sacerdos semper offert, et tamen per ea nunquam consummaretur. *Et omnis quidem sacerdos præsto est*, id est juxta paratus ut impleat officium suum, quotidie ministrans altari, *et sæpe offerens easdem hostias*, quas jam obtulerat, id est similes prioribus, ut qui heri taurum obtulerat, hodie taurum, et cras taurum offerat, quæ hostiæ licet eædem crebro repetitæ, licet sacerdote qui præsto est, semper et sedulius in officio sint oblatæ, quantumcunque offerantur, *nunquam*, id est nullo tempore *possunt auferre peccata*. Sacerdos quidem multas offert hostias, semperque tali officio deditus est, et tamen casso labore consumitur. Sed *hic* noster verus sacerdos, de quo loquimur, et cujus esse sufficientem hostiam ostendere intendimus, ipse non sæpe, non multas hostias, sed *unam* quæ sola sufficiebat *offerens hostiam pro peccatis* omnium credentium delendis, post expletam suæ passionis obedientiam *sedet*, id est quiescit et regnat et judicat *in dextera Dei*, id est in potiori dignitate Patris, *in sempiternum* ibi permansurus, quoniam iterum laborare et iterum offerre non eget, nec opus est ut aliquid pro sua vel suorum imperfectione patiatur. Tantæ enim perfectionis et efficaciæ fuit ejus hostia, ut non sit opus eam rursus offerri pro peccatis aliquorum. Et licet nos eam quotidie offeramus, non tamen passionis dolorem ultra sentit Christus, sed memoria passionis ejus a nobis fit. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad ejus depositionem sub venia viveremus. Propterea nobis per mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati, carnis similitudine mundaremur, id est sacrificio corporis ejus, quod in missarum celebratione offertur. Unde, quia licet ipse amplius non patiatur,

Digitized by Google

tamen eamdem hostiam per suos sacerdotes adhuc offerre non destitit, apte nunc dicitur, quia unam pro peccatis hostiam offerens, sedet in dextera Dei. Offerens namque præsentis temporis est, quia sicut diximus, ipse per suos sacerdotes eam adhuc offert, quia per semetipsum semel obtulit. Nam de passione ejus dictum est, quia semel oblata est ejus hostia, cum adhuc in ministeriis offeratur. Sacerdos legalis ministrat, hic autem sedet quia ministrare famulorum est, sedere vero dominorum. Et sedet ad dexteram Dei, ut appareat quia bene potest suos consummare, quia sic meruit exaltari; *de cætero*, id est de eo quod restat, hoc est glorificatione corporum, quoniam remissis peccatis hoc solum restat. Vel potius de cætero quod restat, id est de gloria bonorum et pœna malorum *exspectans donec ponantur inimici ejus*, id est usque ad illud tempus, quo illi qui adhuc ei inimicantur et contradicunt, ponantur *scabellum pedum ejus*, id est omnino ei subjicientur, alii interim per fidem, alii in futuro per damnationem. Causa est, quare jam glorificatus nondum suos glorificet, vel in passione judicatus nondum inimicos judicet, quoniam adhuc nonnulli ex inimicis fient amici, et optimum sibi locum sub pedibus ejus acquirent. Nam necesse est ut habeat ibi quisque locum aut gratiæ aut pœnæ; et ideo differtur judicium, ut quærat unusquisque quem ibi locum habeat.

« Una enim oblatione consummavit in sempiter-
« num sanctificatos. Contestatur autem nos et Spi-
« ritus sanctus. Postquam enim dixit: Hoc autem
« testamentum quod testabor ad illos post dies
« illos, dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus
« eorum, et in mentibus eorum superscribam eas,
« et peccatorum et iniquitatum eorum jam non re-
« cordabor amplius (*Jer.* XXXI; *supra* VIII). Ubi au-
« tem horum remissio, jam non est oblatio pro
« peccato. »

Dixi quia unam pro peccatis obtulit hostiam. Et quare unam, et non multas? Quia illa suffecit ad omnia. Nam *una oblatione*, id est sui sanguinis effusione, *consummavit sanctificatos*, id est per baptismum a peccatis emundans sanctificavit, et sanctificatos consummavit, id est ad summam perfectionem virtutum provexit, in quantum potest homo in hac vita consummationem justitiæ consequi; et consummavit illos *in sempiternum*, quia sine fine possidebunt illam justitiæ consummationem in regno perpetuæ beatitudinis, nec immutabitur unquam illorum perfectio. Nec solus ego hoc dico, sed *et Spiritus sanctus* per Jeremiam (*cap.* XXXI) *contestatur nos*, id est simul testatur illud idem quod nos testamur de sanctificatione et consummatione. Vere contestatur. *Postquam enim* hoc *dixit: Hoc autem testamentum*, etc., ibi contestatus est istud, quod asserimus. Postquam hoc dixit, contestatus est istud id est ex eo quod hoc dixit, consequens est eum contestari, quod nos de sanctificatione et consummatione fidelium Testamenti Novi testamur. Nam quia illa consummatio non per Vetus, sed per Novum Testamentum sit, idcirco ipse Spiritus mentionem ejusdem Novi Testamenti facit, cum illam consummationem promittit, dicens: *Hoc autem testamentum*, etc. Quasi dicat: Non Vetus Testamentum docebo, non carnales observantias prædicabo, sed hoc est testamentum spirituale, *quod testabor* et affirmabo loquens et accedens *ad illos;* et hoc faciam *post dies illos*, qui sunt apud me præfiniti, *dicit Dominus* per Jeremiam, non ipse Jeremias. Et non ita testabor illis hoc Novum Testamentum, sicut Vetus testatus sum, in lapideis tabulis scribendo duris patribus eorum; sed potius alio et utiliori modo, scilicet *dando leges meas in cordibus eorum*, id est manifestando internis sensibus eorum voluntates meas per Spiritum sanctum, qui sapientiam et charitatem illis infundet, ut intelligant eas, et delectabiliter adimpleant: *et eas* leges quas dabo, *superscribam in mentibus eorum*, quia tantæ dignitatis erunt nova præcepta, ut arbitrium mentis eorum superetur, nec sufficiat ex seipso quisquam ea complere, sed auxilio gratiæ juvetur et corroboretur infirmitas ejus, *ut* ea compleat. Hoc loco designatum est, quia in virtutibus eos consummaturus erat in sempiternum; et de sanctificatione, quam latius erat, subjungitur, quia *peccatorum* quæ, quantum ad se, fecere; et *iniquitatum eorum*, quantum ad proximum, *jam* a tempore baptismatis *non recordabor amplius*, quia nec in hoc sæculo pro his injungam illis aliquam pœnitentiam, nec in futuro ullam pro eis irrogabo pœnam. Ita promisit Spiritus sanctus per novam gratiam peccata remitti. Sed *ubi horum* est *remissio*, *jam non est* facienda legis *oblatio pro peccato*, sed cessare debet apud Christianos, quibus peccata sunt in baptismo remissa. Sed, etsi post baptismum peccaverit, remittitur per pœnitentiam, nec indigent oblatione legali. Vel in futuro sæculo remissis omnibus omnino peccatis, jam non offertur oblatio Christi pro aliquo peccato eorum, quia nullum erit.

« Habentes itaque fratres fiduciam in introitu
« sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit
« nobis viam novam et viventem per velamen, id
« est carnem suam, et sacerdotem magnum super
« domum Dei, accedamus cum vero corde in pleni-
« tudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et
« abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ
« confessionem indeclinabilem. Fidelis enim est qui
« repromisit, et consideremus invicem in provoca-
« tionem charitatis et bonorum operum, non dese-
« rentes collectionem nostram, sicut consuetudinis
« est quibusdam, sed consolantes et tanto magis,
« quanto videritis appropinquantem diem. »

Multis modis commendato Christi pontificio, et Judæorum destructo, et ostenso quod Christus fuit melior hostia, et ad remissionem peccatorum sufficiens, et quod lex cum hostiis suis ad hoc erat impotens, finit hoc loco de his disputationem et mo-

Digitized by Google

nere incipit, ut sola Christi fides cum observantia bonorum operum teneatur ; et ex omnibus quæ supra dixit, ex quo de Christi sacerdotio disputare cœpit, infert nunc. Quasi dicat : Quandoquidem Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, et suo sanguine cœlum aperuit, et una nos oblatione sanctificavit atque consummavit, et cætera superius tractata, *itaque*, o *fratres*, accedamus ad eum fide et bonis operibus, a quo per infidelitatem et pravam operationem longe eramus, nos dico, *habentes fiduciam*, id est spem certissimam, qua non est desperandum, si oberravimus, sed confidenter possumus accedere ; habentes fiduciam *in introitu sanctorum*, id est introeundi in Sancta sanctorum, hoc est in cœlum, quo intelligimus præcessisse Pontificem nostrum. Fiduciam habemus quod intrabimus in illa Sancta sanctorum, et hoc non in legalibus sacrificiis, sed *in sanguine Christi*, quem ipse ideo effudit, ut eodem redempti illuc accedamus, et in illa sancta ingrediamur, *quam viam*, id est quem introitum modo factum viam tritam in patriam, ipse initiavit nobis, id est ipse primus omnium fidelium intravit, ipse primus per eam ambulavit, et fidelibus suis potestatem ambulandi per eam post se tribuit. Viam dico, *novam*, id est per quam nullus ante eum ambulavit, *et viventem*, id est durabilem et manentem atque nos sanctificatos exspectantem, quia postea fidelibus semper est aperta. Vel viventem, quia omnes qui intrant vivere facit. Viventem, quia nullus per eam ingreditur, nisi quem vita ducit, *per velamen*, id est per significatum illius velaminis quod duo tabernacula dividebat, id est per carnem suam, patefacta est nobis via in Sancta sanctorum, id est in supernam Jerusalem. Unde etiam eo in cruce moriente, « scissum est velum templi (*Matth.* XXVII), » significans morte ejus apertam esse nobis viam in Sancta sanctorum. Per velamen id est per carnem Christi qua velabatur divinitas, via illa manet pervia, quia sumunt fideles ut viaticum carnem Christi, et de hac vita recedentes, ingrediuntur januam cœli, et per velamen, id est per carnem suam initiavit nobis ipse viam illam, quia carne velatus transiit primus per eam. Per carnem initiavit eam, quia nisi carnem assumpsisset, non eam nobis initiasset. Per carnem enim, non per divinitatem potest de loco ad locum ire ; et ideo per carnem, qua se velaverat, initiavit nobis iter in cœlum, sicut ei Psalmista canit : « Qui ponis nubem ascensum tuum (*Psal.* CIII). » Nubem quippe posuit ascensum suum, quia carne ascendit, non divinitate. Nam, quod nunc Apostolus velamen, hoc Psalmista nubem appellat. Vel secundum quod nonnullis visum est caro Christi quam ex altari sumimus, idcirco velamen appellatur, quoniam sensibus nostris in sacramento velatur. Nam sensus nostri aliud renuntiant, et aliud fides. Visus enim persuadet nobis esse solummodo panem secundum panis speciem, fides autem insinuat esse carnem vivam et vivificatricem ; gustus, panem in sapore, auditus etiam illud idem in fractione, fides vero integrum agnum a fidelibus sumi sine aliqua ipsius læsione. Non enim sumimus carnem exanimem, sed consecratione et operatione divina viventem. Christum scilicet et Agnum pro nobis oblatum in sacramento accipimus, non ut ipse quidquam contumeliæ vel læsionis in sacramento patiatur, sed illud quod pro nostra vita sustinuit, nostræ memoriæ repræsentatur. Per hoc itaque velamen Dominicæ carnis initiata est nobis vita nova, quia per sacramentum corporis et sanguinis Christi, cœpit in Novo Testamento patere fidelibus ingressus regni cœlorum, qui sub veteri lege nulli patebat ; *et* habentes, inquit, *sacerdotem magnum* Christum pro nobis Patrem orantem. Ipse enim per hostiam suam in Sancta sanctorum introivit, ubi semper vivit et offert et interpellat pro nobis. Sacerdotem dico, *super domum Dei*, id est super Ecclesiam constitutum, ut eam regat, et contra omnes impugnationes defendat. Hoc totum tale est ac si dicatur : Fiduciam habemus introeundi ad Sancta sanctorum, ad visionem supernæ pacis, tum quia per sanguinem Christi genus humanum exuit servitutem, tum quia ipse primus intravit, tum quia fideles suos corroborat et nutrit esca suæ carnis, et potu sui sanguinis, tum quia pro nobis intercedit, tum quia Ecclesiam gubernat et protegit. Nos, inquit, habentes fiduciam per hæc omnia quæ dicta sunt, *accedamus* ad eum, id est passibus affectionis et grossibus religiosæ operationis efficiamur ei magis ac magis propinqui ad introitum sanctorum. Accedamus, non cum ficto, sed *cum vero corde*, ut non simulatorio, sed puro et vero corde tendamus ad eum sicut scriptum est : « Et in simplicitate cordis quærite illum (*Sap.* I), » et hoc faciamus *in plenitudine fidei*, id est ut fides nostra de illo sit plenaria, nec aliquid minus quam oportet habeat, ne adhuc infideliter æstimemus eum sine carnalibus observantiis ad salutem minus posse sufficere. Nos dico, aspersi et purificati corda nostra ab omni mala conscientia, et abluti corpus aqua munda, id est baptismo, quo mundantur omnes peccatorum sordes. Hoc est, accedamus ad eum vero corde in plenitudine fidei, nos qui sumus *aspersi corda*, id est qui habemus corda rore Spiritus sancti aspersa in baptismo, et per hoc emundata *a conscientia mala*, id est ab omni reatu conscientiæ, *et abluti corpus*, id est qui habemus ablutum et purgatum a peccato corpus aqua munda *baptismi*. Omnia enim peccata delentur in baptismo, tam interiora quam exteriora. Quia ergo per baptismum facti sumus a peccato liberi, et restaurata est nobis libertas arbitrii, et gratia Dei data, et nullam habemus excusationem, accedamus, ut dictum est, ad eum qui tot beneficia nobis largitus est, et vere corde diligamus eum, atque fidem integram illi servemus, et fide plena eum credamus, et quod corde credimus ore confiteamur, scilicet *teneamus spei nostræ confessionem*, id est nihil sit tam grave

Digitized by Google

vel asperum, quod ab ore nostro auferat confessionem quæ est causa spei quæ facit nos cœlestem beatitudinem sperare, id est quæ confessio procedit ex spe. Nisi enim quis bona futura speraret, non illud confiteretur, pro quo præsentia bona amitteret. Hanc confessionem quæ facit nos æterna bona sperare, teneamus *indeclinabilem*, id est ita firmiter eam teneamus, ut non deorsum inclinetur ad cupiditatem vel timorem terrenorum, sed semper tendat sursum ad appetitum cœlestium. Et debemus constanter hanc spei confessionem tenere, quia *fidelis est* Dominus in suis promissionibus, et mentiri non potest, *qui repromisit*, id est qui multoties per Scripturas nobis promisit æterna bona, quæ speramus. Hæc quantum ad Deum, monuit eos Apostolus. Deinde exhortatur eos ut satagant de utilitate proximorum, et admonet eos ad charitatem et bonam operationem. Quæ exhortatio ad eos maxime videtur pertinere, vel eos notare, qui existimantes se melioris vitæ, consortium aliorum deserebant. Quasi dicat : Fidem et confessionem teneamus quantum ad nos vel ad Deum; *et consideremus invicem*, id est diligenter et attente inspiciamus alter alterum, non ut invideat et insidietur, sed *in provocationem charitatis et bonorum operum*, id est, ut majorem dilectionis fervorem habeat, et ad omnem bonam operationem provocetur. Scilicet perfecti considerent imperfectos, exhortando illos ad Dei et proximi dilectionem, et ad fructum dilectionis, id est ad opera bona. Imperfecti vero considerent perfectos, sumendo ex eis exemplum utilitatis quod imitentur. Et sic provocantur se vicissim in charitatem et bona opera. Vel per omnia consideremus quid fratribus sit utile, invicem hoc agentes, ut quemadmodum nos de salute aliorum satagimus, ita et illi vicario modo de salute nostra sint solliciti, ut nullus habeatur segnis et infructuosus inter nos. Quia, dum dicitur, consideremus invicem, convenit singulis illa exhortatio. Hæc, inquit, faciamus, *non deserentes collectionem nostram*, id est illos qui collecti sunt ad fidem nobiscum, *sicut est consuetudinis quibusdam* vestrum, qui charitatem non habentes, et quasi de singularitate meritorum gloriantes, segregant se a cæteris. Tangit et culpat scindentes unitatem charitatis, quasi inter alios non possent habitare causa sanctitatis suæ, qui potius suo exemplo debuerunt consolari alios. Laborantem quippe consolari, est pariter in labore persistere, quia sublevatio laboris, est visio collaborantis; sicut cum in itinere comes jungitur, via quidem non attrahitur, sed tamen de societate comitis labor itineris levigatur. *Et tanto magis*, inquit, *quanto videritis appropinquantem diem*. Ac si dicat : Eo labor crescat, quo jam præmia laboris appropinquant. Vel si tribulatio et persecutio infidelium ingruerit fratribus, non deseratis collectionem vestram, id est illos qui vobis per sacramenta fidei sunt associati in eodem corpore Ecclesiæ, sed potius consolamini eos in adversis dulcedine vestræ exhortationis. Dico ne deseratis in tribulatione pauperes Christi, sicut quidam, qui videntes imminere sanctis angustias, subtrahunt illis adminiculi sustentationem. Non subtrahatis vos a sociis in certamine martyrii, denegando eis solatium vestræ exhortationis, *sed consolantes* sitis eos in ipsis passionibus; et tanto magis id facite, quanto magis videritis asperiores pœnas imminere, per quas finis eorum appropinquat, in quo de tenebris hujus sæculi ad diem perpetuæ claritatis transibunt, ne quis unquam desit illi tam felici diei propter subtractionem vestræ exhortationis. Vel etiam in pace vos qui sanctiores videmini, ne deseratis causa vestræ religiositatis collectionem fratrum, quia minus religiosi videntur, sed vestra cohabitatione et collocutione consolationem illis exhibete, ne de sua salute desperent propter irreligiositatem suam, si viderint se desertos a vobis sanctoribus. Consolamini eos promittendo veniam, et in spem erigendo, et ad bene agendum movendo. Et hoc facite magis ac magis quotidie, sicut videritis appropinquare diem mortis. Quasi dicat : Non differatis, quia mors uniuscujusque prope est, et quotidie vicinior efficitur, tanto intentius hoc agite, quanto videritis illum diem singularem et timendum appropinquare

« Voluntarie enim peccantibus nobis post accep-
« tam notitiam veritatis (*supra* 6), jam non re-
« linquitur hostia pro peccatis, terribilis autem
« quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio,
« quæ consumptura est adversarios. »

Vere non debetis peccare negligendo collectionem fratrum, et deserendo, quia *nobis* Christianis *voluntarie peccantibus*, id est sponte Deum offendentibus, et non ex ignorantia vel infirmitate, sed ex deliberatione delinquentibus, *post acceptam notitiam veritatis*, id est postquam interius illuminati sumus, et quid eligendum, quidve respuendum sit, absque dubio cognovimus, *jam* post hæc non *relinquitur hostia pro peccatis*, sicut in veteri lege mandatum erat sæpius hostias offerri pro peccatis. Non enim Christus iterum immolandus est pro peccatis, quod semel factum est et secundo non est opus, sed magis oportet nos in fide et bonis operibus manere. Non excludo pœnitentiam, sed secundum baptismum. Non dico, non est ultra pœnitentia vel remissio, sed hostia, id est crux secunda, quia una suffecit, nec amplius hanc exspectemus, sed pœniteamus, quia rebaptizari in morte Christi non possumus. Qui enim iterat baptismum, iterat rursus mortem Christi, ut ex ea iterata fiat iterata remissio. Sed hoc impossibile est. Non talis hostia nobis relinquitur, si post baptismum nos inquinaverimus. Vel voluntarie peccantibus, id est in voluntate peccandi manentibus, nobis non relinquitur hostia pro peccatis, id est nullum commodum potest conferre sacrifi-

Digitized by Google

cium Dominici corporis. Nam pro peccatis pœnitentium offertur Deo quotidie sacrificium et oblatio, non pro peccatis illorum, qui ipsa peccata relinquere nolunt. Si peccare nobis ita perseveranter et continue placuerit, non relinquitur nobis hostia pro peccatis, sed potius relinquitur *quædam* nobis notabilis *exspectatio judicii* quæ est *terribilis*, id est ad terrendum habilis, quia multum nos terrere potest. Et hæc pœna interius est, quia *et* foris sæviet *ignis* perpetuus. Nam etiam timor judicii resurgentibus malis est pœna, inenarrabilis et gravior quam gehenna. Et dicente judice : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv), » statim assumet eos ignis *æmulatio*, id est vehemens infestatio, quia zelo quodam nimis accenso semper eos puniet, et quasi invidebit eis, quia semper ad hoc exardebit, ut eos incessanter exurat, *quæ* nimirum fervens æmulatio *consumptura est*, id est perpetualiter devoratura *adversarios* Christi, ut semper in tormentis deficiant, et nunquam ad finem deficiendo perveniant qui nunc aut per infidelitatem, aut per malam operationem adversantur Christo.

« Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla « miseratione duobus vel tribus testibus moritur « (*Deut.* xvii ; *Matth.* xviii ; *II Cor.* xiii). Quanto « magis putatis deteriora mereri supplicia, qui « Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testa« menti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, « et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus « enim qui dixit : Mihi vindictam, et ego retri« buam (*Deut.* xxxii ; *Rom.* xii). Et iterum : Quia « judicabit Dominus populum suum (*Psal.* cxxxiv). « Horrendum est incidere in manus Dei viven« tis. »

Vere nobis, voluntarie et libenter peccantibus postquam veritatis notitia sumus illuminati, non relinquitur spes futuræ salvationis, dum in peccato jacere volumus, sed potius pœna perpetuæ damnationis. Quod patet a minori, quia *quis faciens irritam legem Moysi*, id est aliquis prævaricans aliquod præceptum veteris legis, *moritur* ea morte quam lex decrevit, vel lapidatur, vel incenditur, vel alio genere mortis exstinguitur, *sine ulla miseratione*, id est sine aliqua pœnarum imminutione. Ipse dico, convictus *duobus vel tribus testibus*, qui testantur quod legem in aliquo sit transgressus, et ille quidem sic interficiebatur propter illius legis transgressionem, in qua non recipiebant observatores divinam gratiam. Ergo *quanto magis* putare debetis *deteriora* et acerbiora *mereri supplicia* eum, contra quem in judicio perhibebunt testimonium angeli sancti et propria conscientia, quod Filium Dei conculcaverit. In lege enim duo vel tres adhibentur testes, sed ibi testis erit multitudo angelorum atque sanctorum, et ipse peccator contra se. Et tunc excipient eum supplicia, id est pœnæ sub se eum plicantes et incurvantes et opprimentes. Supplicia dico deteriora, quia magis deterrent eum et comminuent quam legis cruciamenta. Tam diram ultionem sentiet et in perpetuum, *qui* nunc *Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit*, id est ita vilipenderit, ut eum non sufficere credat ad salutem, si bruta animalia secundum legem mactata putet adhuc saluti necessaria. Conculcat enim Filium Dei, qui fidem et constitutionem vivendi, quam ipse dedit hominibus, non credit ad æternam vitam sufficere, sed in carnalibus observantiis confidit, plusquam in præceptis ejus novis. Conculcat Christum, qui post acceptionem Christianitatis libere peccat absque timore et pœnitentia, et qui eo indigne participat. Sanguinem quoque Novi Testamenti, id est sanguinem Christi, confirmationem Evangelii, et sponsorem novæ hæreditatis, pollutum ducit, qui eum minime credit genus humanum a peccatis emundantem, sed potius omnes in Christum credentes polluentem. Quoniam necessario si non mundavit, tunc contaminavit ; et peccatores constituit, quia carnales observantias et justificationes legis cessare fecit. Omne enim quod pollut, in se prius pollutum fuit ; et sanguis iste pollutus in se esset, et nos pollueret, si inde nos retraheret, ubi remissio peccatorum esset, id est si a carnalibus observantiis nos separaret, cum per eas remissio peccatorum fieri posset. Ut autem ostendat acrius esse puniendum illum, qui tam male sentit de hoc sanguine, addit : *in quo sanctificatus est*, id est in quo remissionem peccatorum accepit, et ita contra eum gravius peccat et ingratus existit. Ac per hoc magis punietur, quia a quo mundationem habuit, immundum esse credit. Sed et ille sanguinem hunc pollutum ducit, qui ab eo mundatus, ad vomitum redit et pœnitere negligit (*II Petr.* ii), *et spiritui gratiæ*, id est Spiritui sancto gratias dato vel gratiam danti, *contumeliam facit*, qui remissionem quam ipse spiritus operatur, ascribit carnalibus observantiis, vel qui eum male vivendo a se abjicit. Et quisquis hæc facit, jure sine misericordia morietur, quod in minori per vindictam legis est probatum, ubi prævaricator sine miseratione punitur. Nam, si transgressor legis digna morte perimitur pro uno mandato semel prævaricato, quanto acrius punietur, qui supradictis tribus modis Deum offendit, conculcando Filium ejus, et pollutum ducendo sanguinem ipsius atque contumeliam inferendo Spiritui sancto? Vere talis quisque punietur. *Scimus enim qui dixit*, id est scimus quam verax et quam potens est ille qui dixit : *Mihi vindictam, et ego retribuam.* Quasi diceret : Homines in præsenti sumunt vindictam de suis hostibus, et ego quoque reddam mihi vindictam in futuro, id est vindicabo me de meis adversariis, qui nunc me conculcant et contumeliis provocant, licet sub Christiana professione degant. Ubi nos in Ezechiele legimus : « Appropinquavere visitationes urbis (*Ezech.* ix), » Septuaginta transtulere : *Mihi vindictam, et ego retribuam*, dicit Dominus. *Et iterum* ad idem probandum, quod qui

Digitized by Google

Filium Dei conculcaverit punietur, dicit Moyses (*Deut.* xxxii) vel Psalmista, quia *judicabit Dominus populum suum* (*Psal.* cxxxiv), id est peccata populi sui non relinquet impunita, sed unumquemque etiam fidelium judicabit secundum vias ejus. Ideo non sibi de impunitate, si peccaverit, blandiatur, quia jam est de populo Christianorum, sed sciat quia criminosi non possidebunt regnum Dei. Nam qui nunc in Ecclesia male vivendo Filium Dei conculcant, eliminandi sunt ab ea. « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx). » Dominus judicabit populum suum, et quos in eo damnabiles inveniet, damnabit atrociter. Nam *horrendum est*, id est horrore nimio timendum et præcavendum, *incidere in manus Dei viventis*, id est qui semper vivens est, et pœnas semper viventes infert eis quos damnat. Incidit in manus Dei, qui non sibi providet, sed subito deprehenditur, scilicet ventura damna minime prospiciens sine delictorum pœnitentia et virtutum decore venit ad examen æterni judicis, sensurus casum damnationis. Manus pro potentia ponuntur, quia, sicut aliquis a manibus inimici in quas forte incidit, arctatur ne unquam illæsus effugiat, sic quisque damnandus cogitur potenti judicio Dei, ut quas meruit pœnas, sentiat. Qui scilicet Deus, si aliquando moreretur, posset cessare pœna, quam ipse decrevit. Sed, quia semper vivit et omnipotens est, semper manet, quidquid in ejus judicio decretum est.

« Rememoramini autem pristinos dies, in quibus « illuminati magnum certamen sustinuistis passio- « num. Et in altero quidem opprobriis et tribula- « tionibus spectaculum facti, in altero autem socii « taliter conversantium effecti. Nam et vinctis com- « passi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum « gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere me- « liorem et manentem substantiam. Nolite itaque « amittere confidentiam vestram, quæ magnam « habet remunerationem. Patientia enim vobis ne- « cessaria est, ut voluntatem Dei facientes, repor- « tetis repromissionem. »

Aspere terruerat eos, compescendo a peccatis communicatione æterni supplicii; nunc vero territos refovet, laudans eos de præteritis, et hortatur, ut in bonis quæ cœperant, perseverent. Turpe enim et dignum reprehensione, si hi, qui dum adhuc rudes in fide essent, religiose vixere, modo nequiter agendo Deum offendant; et qui in exordio quando ad fidem venere, magnanimiter varias persecutiones toleraverunt, postea pusillanimes effecti, deficiant in tribulationibus. *Rememoramini autem pristinos dies*, etc. Ostendit diu esse ex quo ad fidem venerant, et per hoc magis debuissent in religione profecisse, et ad sustinendam persecutionem exercitati esse. Quasi dicat: Non deseratis collectionem nostram in tribulatione, neque male vivendo Filium Dei ulterius conculcetis, sed recordamini constantiæ vestræ et perfectionis, quam in pristinis diebus habuistis, et hoc est: Rememoramini, id est redu- A cite ad memoriam pristinos dies, id est recogitate quales in illis diebus fueritis, ne nunc deteriores sitis, cum ex temporis prolixitate multo meliores esse debeatis. Recogitate dies, *in quibus* hucusque *illuminati, sustinuistis magnum certamen passionum*, id est non defecistis sustinendo, sed magnanimiter certastis, fidem corde et ore tenendo, quam vobis extorquere persecutores contendebant. Plus enim notat dicendo, sustinuistis magnum certamen passionum, quam si simpliciter dixisset, sustinuistis magnas passiones. Nam quod posuit ibi certamen, ostendit eos non defecisse, sed constanter certasse. Quod non notaretur, si certamen non esset appositum. Vel ideo dixit certamen passionum, quia ipsæ passiones certabant contra eos, ut patientiam et B fidem eis extorquerent, sed non potuerunt. Et ideo qui sic fortiter stetere in principio suæ conversionis, non debent nunc metu persecutionis deserere collectionem fratrum, qui eorum solatio indigent. Sive ideo posuit certamen passionum, quia aliud est passio quæ infertur, aliud difficultas passionis quæ contra rationem pugnat et, ut fidem perficiam, exhortatur. Duobus itaque modis eos laudat, tum quia passiones et verbera exterius sustinuerunt, tum quia invictissime contra ipsas passiones interius certaverunt, quasi dicens: Duo in uno fecistis, quia unum patiebamini exterius, alius interius. *Et in altero quidem*, id est in hoc quod exterius patiebamini *facti estis spectaculum*, id est admiratio C quædam universo populo, *in opprobriis* quæ contra vos proferebant, quia omnes irridebant vos, et amentes atque insensatos dicebant. Et grave quidem est opprobrium, sed gravius est, cum spectaculum hominibus fit, non secreto exprobratur. Spectaculum fuistis in opprobriis, quoniam spectante universo populo, irrogabantur vobis multa convitia et ignominiosa verba, *et* in *tribulationibus*, quia publice flagellabamini, et diversas pœnas sustinebatis. In hoc maximam eorum constantiam ostendit, quando quamvis spectaculum essent, non tamen deficiebant a fide. Non enim modicum opprobrium est, fieri spectaculum, et ab hominibus insultationes perpeti, et quasi non sufficeret spectaculum, addebantur opprobria verborum, et opprobriis tribulationes verborum. Hæc quidem sustinuistis in altero, id est in altera parte certaminis, quæ, sicut dictum est, foris vigebat; *in altero autem*, quod interius erat, id est in altera parte certaminis, quæ in corde gerebatur, certastis sic quod *effecti* estis per compassionem *socii taliter conversantium*. Ideo dicit in altero et in altero, ut ostendat has duas partes certaminis tantum esse, et per hoc ea omne genus certaminis sustinuisse. Compatiendo et necessaria ministrando effecti estis socii taliter conversantium, id est assidue patientium, scilicet apostolorum et similium, qui totam vitam suam ducebant patiendo adversa pro Christo, quorum exemplo perseverare et vos debetis in observatione patientiæ. Vere socii eorum facti estis. Nam ut nu-

Digitized by Google

etis compassi estis, quia si pro Christi nomine patiebantur, vos inde sic dolebatis, ac si cum eis vincti essetis, et dolorem cordis operibus declarabatis, ministrando illis sustentationem de bonis vestris, quia non poterant sibi necessaria quærere, utpote vinculis et carceribus detenti. Illis compassi estis ministrando, *et* ob hoc *suscepistis rapinam bonorum vestrorum*. Nam idcirco vobis ab infidelibus propria bona sunt ablata, quia inde ministrabatis sanctis. Et hanc bonorum direptionem suscepistis non cum mœrore, sed cum gaudio et alacritate cordis, et hoc est quod dicit, quia et vinctis compassi estis; et bonorum vestrorum *cum gaudio* rapinam suscepistis, id est et de tribulationibus sanctorum doluistis, velut si eas in corpore vestro pateremini, et de damno rerum vestrarum propter sustentationem eorum vobis illato gavisi estis. Suscepistis læti quasi donum Dei amissionem facultatum vestrarum, cognoscentes, id est quia cognoscebatis *vos* idcirco *habere substantiam* longe *meliorem* ista *et manentem*, id est non transitoriam, sed æternam, hoc est spe certissima confidebatis vos æterna bona lucrari amissione temporalium, et æternam requiem labore transitorio, atque thesaurum cœlestem damno terreno; et quia spem certam, id est confidentiam supernæ retributionis habuistis, *Itaque, nolite amittere confidentiam vestram*, id est nolite deficere. Illatio est ex eo quod dixit eos tanta pertulisse, et vitam æternam inde exspectasse, id est manentem substantiam. Quasi dicat: Quoniam in principio fidei tot adversa passi estis, et inde confidenter sperabatis æternam mercedem, itaque nolite amittere confidentiam vestram, id est firmam spem vestram deficiendo a patientia fidei, quia per patientiæ amissionem amittetis et æternæ vitæ spem. Et ne amissio spei parva jactura videretur, addit: *Quæ magnam habet remunerationem*. Itaque pro certo sperat illam remunerationem ineffabilem, quam oculus non vidit, nec auris audivit (*I Cor.* II; *Isa.* LXIV), ac si jam teneat eam. Vel in prædestinatione divina habet illam. Vere per impatientiam non debetis amittere confidentiam perpetuæ retributionis. Nam *patientia est vobis necessaria*, id est necesse est ut nunc patienter adversa toleretis pro Deo, si cum eo postmodum regnare vultis, quia si compatimur, et conregnabimus (*II Tim.* II). Ideo est necessaria, ut vos per eam *facientes voluntatem Dei*, id est sustinentes æquanimiter omnes injurias vobis illatas, quia hoc placet Deo vel facientes voluntatem Dei, id est mandata ejus servantes, et quidquid adversitatis propter hæc acciderit, libenter perferentes, *reportetis repromissionem*, id est, sicut nunc pro Deo portaveritis pondus adversitatis, ita postmodum reportetis pondus beatæ remunerationis, quam sæpe Deus cœlestis promisit. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hoc ergo pondus gloriæ quam Deus repromisit, studete per præsentem patientiam tunc reportare.

« Adhuc enim modicum et quantulum, et qui « venturus est, veniet, et non tardabit. Justus au- « tem meus ex fide vivit (*Habac.* II). Quod si sub- « traxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem « non sumus subtractionis filii in perditionem, sed « fidei in acquisitionem animæ. »

Tenenda est, ut dixi, patientia, nam nec longa est, nec vehemens, sed modica et quantula, ne vobis longum et durum videatur eam servare. Nam prope est finis uniuscujusque, et mox requiescetis a labore, et percipietis gloriam Christo judice. Nam juxta prophetiam Habacuc, *adhuc modicum restat*, id est parvo tempore adhuc servanda est patientia; *et quantulum*, id est non vehemens vel magnum aliquid patiendum est, sed exiguæ quantitatis erit, quidquid in hoc sæculo perferendum fuerit. Hujus enim temporis patientia momentanea, et nullius vehementiæ est deputanda, si respicitur quod est in æternitate et summa gloria donandum. Adhuc, inquit, restat modicum et quantulum, et post *veniet judex, qui sine dubio venturus est* quandoque, *et non tardabit* venire, sed cito veniet, ut reddat vobis prædictam repromissionem, si modo, patientiam servantes, feceritis ejus voluntatem. Nulla mora erit in reddenda mercede, sed cito veniet remunerator, interim *autem vivit* in anima *ex fide justus meus*, quia fides est nunc vita cordis, donec ille veniat, qui vitam æternam dabit et animæ et corporis; et per fidem, non per opera legis justificatur, quisquis meus justus est. Qui enim per opera legis justificatur, non meus, sed suus justus est, quia non a me, sed a se justificatur; et non in me, sed in se gloriatur. At qui per fidem justificatur, justus meus est, quia dono gratiæ meæ justificatur; et non sibi quod justus est tribuit, sed gratiæ meæ deputat. Et vivit interim ex fide, donec veniente Christo introducatur ad visionem meam, et æternaliter vivat ex specie. Vel ex fide quam nunc habet, vivit postmodum, quia, quod nunc credit, tunc accipit. Ex fide vivit. *Quod*, id est sed, *si subtraxerit* a fide se, ut vel metu persecutionis deserat fidem, vel in operibus legis justitiam quærens, incipiat corde a fide recedere, *non placebit animæ*, id est voluntati *meæ;* ac per hoc non poterit vivere, sed potius damnationem merebitur, quia me offendet subtrahendo se a fide et gratia. Hæc per prophetam locutus est Dominus. Qui sese subtrahit, displicet Deo. *Nos autem non sumus*, tales, non sumus apostatæ, ut subtrahamus nos a fide. Quasi dicat: non debemus apostatare, ut subtrahamus nos, sed in melius proficere. In numero eorum se ponit Apostolus, ut magis suadeat; et non dicit esse tales, quales non vult eos esse, ut blanda monitione retineat eos, ne subtrahant se, quia nondum prorsus apostataverant, sed partim adhuc in fide manebant, id est partem fidei retinebant. Non sumus, inquit, *subtractionis filii*, id est apostasiæ ducentis nos *in perditionem, sed* sumus

Digitized by Google

filii Dei ducentis *in acquisitionem animæ*, hoc est, non sumus geniti ab apostasia trahente filios suos in perditionem, sed fides genuit nos, ducens in acquisitionem animæ, ut per fidem acquirat unusquisque nostrum animam suam, non per subtractionem perdat. Nam sicut fide acquiritur anima, sic subtractione perditur. Acquiritur, ut libera possideatur : nobis in æterna beatitudine, ne per subtractionem transeat a nostra potestate, et fiat in tormentis possessio dæmonum.

CAPUT XI.

« Est autem fides sperandarum substantia rerum, « argumentum non apparentium. In hac enim testi- « monium consecuti sunt senes. »

Quia isti multum duri erant ad fidem, ideo prolixum de fide tractatum facit Apostolus, ut eorum duritiam prorsus ad fidem inclinet, ostendens omnes sanctos, patres eorum, per fidem placuisse Deo. Dixi vos esse filios fidei. Quæ fides non est earum rerum quæ videntur, sed earum quæ non videntur, et quæ sperantur. Sed *fides est substantia sperandarum rerum*, id est fides est causa, quare res sperandæ quandoque subsistent in nobis, hoc est causa nobis est consecutionis æternarum rerum, quæ modo sunt sperandæ et desiderandæ, et proprie dicitur fides esse substantia sperandarum rerum, quoniam eis substat. Nam, sicut substantia substat formæ eam esse faciendo, sic fides sperandis rebus eas in nobis ponendo. Res sperandæ sunt, gloria, beatitudo, requies, æternitas, et hujusmodi; et istarum substantia dicitur esse fides, quia jam facit eas substare in corde nostro per certitudinem credulitatis. Facit eas substare, id est esse vel quasi sub aspectu nostro stare, et immobiles utpote æternas, permanere, et est eadem fides *argumentum rerum non apparentium*, id est certitudo rerum quæ non apparent, et (si quis de eis dubitet) probatio, sicut adhuc futura probatur resurrectio, quoniam ita credidere prophetæ et apostoli, et cæteri sancti. Nam ea quando non apparent, vel præterita sunt, sicut de creatione mundi; vel præsentia, sicut de Domino Jesu sedente ad dexteram Patris : vel futura, sicut de die judicii. Et horum omnium est argumentum, id est certitudo et probatio fides. Eorum ergo fides est argumentum, quæ apparere non possunt. Quæ enim sunt apparentia, fidem non habent, sed agnitionem. Nam, etsi dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est fides, quæ in nobis ædificatur. Sed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis ut ea credantur, quæ non videntur, sicut Thomas hominem vidit, et Deum credidit (*Joan.* xx). Est itaque fides substantia, id est fundamentum et firmitas et essentia sperandorum bonorum, et *est argumentum non apparentium*, id est certa et rationabilis probatio invisibilium, ac præmonstratio futurorum. Argumentum enim dicitur esse ratio dubiæ rei faciens fidem. Vere fides est substantia sperandarum rerum, id est substare faciens eas in corde fidelium, ac per hoc justificans cor eorum, quia in *hac fide consecuti sunt* a Domino *senes testimonium* justitiæ, quia Deus ipse testis fuit puræ conscientiæ ipsorum, et testatus est eos esse justos, sicut et ad Noe dixit : « Te vidi justum coram me in generatione hac (*Gen.* VII), » et si per fidem consecuti sunt testimonium justitiæ, justitia vero causa et meritum est futurorum bonorum, tunc fides est substantia sperandarum rerum. Senes autem dixit antiquos patres, quia morum et fidei maturitatem habuere, et priscis temporibus fuerunt. Unde constat fidem non esse rem novam, nec descrendam, sed tenendam, quam tenuere antecessores, et per quam justificati sunt, et bonitatis suæ testimonium, quod quærebant, a Deo per eam consecuti sunt.

« Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, « ut ex invisibilibus visibilia fierent (*Gen.* I). »

Probat quod fides est argumentum rerum non apparentium. Nam, fide intelligimus aptata esse tempora, etc. Vel quasi illi dicerent, quomodo rebus futuris possumus fidem adhibere, cum nullus eas videat, ostendit a simili, quia de futuris bene potest fides haberi, quoniam habetur de præteritis, quæ cum fierent, nemo vidit, et tamen creduntur esse facta. Non enim vidimus quod Deus mundum fecerit, et tamen credimus quia fecerit. Nam, cum non vidissemus eum hæc operantem, fide tamen *intelligimus sæcula*, id est omnia quæ sunt transitoria, *esse aptata*, id est apte qualitatibus et formis assumptis composita *verbo*, et sapientia *Dei*, quæ Christus est, quoniam omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I). Et sic aptata, *ut ex invisibilibus fierent visibilia*, id est ex informibus elementis formata. Nam, antequam formæ darentur rebus, tenebræ erant et invisibilia elementa, sed in eorum separatione nata est lux. Informis enim materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primo cœlum et terra. Et dictum est « in principio fecit Deus cœlum et terram (*Gen.* I), » non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Omnia enim elementa confuse tenebantur in illa informi materia, quæ chaos ab antiquis dicta est, et de qua formata sunt universa. Tunc que cedentibus tenebris, per exortum novæ lucis sunt facta visibilia, quæ prius videri non poterant. Vel *ex invisibilibus facta sunt visibilia*, id est ex intellectuali mundo visibilia. Invisibilis enim mundus in sapientia Dei erat, et ad cujus similitudinem factus est iste visibilis, et hæc omnia fide intelligimus ita esse facta.

« Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtu- « lit Deo (*Gen.* IV), per quam testimonium consecu- « tus est esse justus, testimonium perhibente mu- « neribus ejus Deo (*Matth.* XXIII), et per illam de- « functus adhuc loquitur. »

Modo per partes ostendit, quomodo senes fide consecuti sunt testimonium suæ probitatis, et incipit a primo justo, qui propter fidem suam justus est inventus, et exemplum justitiæ ac fidei nobis est factus. Vere senes in fide testimonium sunt adepti. Nam *Abel* primus consecutus est, qui *fide*, id est

Digitized by Google

per fidem *obtulit Deo plurimam*, id est pluris pretii, vel magis acceptabilem *hostiam quam frater ejus Cain*, per fidem consecutus est testimonium esse justus, id est quod esset justus, *Deo perhibente testimonium muneribus ejus*, dum ea se recipere demonstraret, mittens ignem de cœlo, qui ipsa consumeret. Nam, dum munera Cain non inflammavit, et munera Abel cœlitus igne misso combussit, præclare testimonium dedit eisdem muneribus, quod ea suscepisset, et quod oblator eorum justus esset, ac fideliter obtulisset. Tale testimonium adeptus est per fidem dum viveret. *Et defunctus loquitur adhuc per illam*, id est monet omnes posteros exemplo suæ fidei, ut fidem cum bonis operibus habeant. Vel quia adhuc recitatur Scriptura, in qua Deus ad Cain dicit : « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Gen.* IV), » Ille enim clamor sanguinis, est locutio defuncti. Vel defunctus loquitur, id est facit, nos loqui de se defuncto, qui est nobis materia loquendi, ut de ejus magna fide cæteris demus exemplum. Non enim mors exstinxit famam fidei, sed potius ubique divulgavit.

« Fide Henoch translatus est, ne videret mortem, « et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus « (*Gen.* V; *Eccli.* XI). Ante translationem enim testi- « monium habuit placuisse Deo. Sine fide autem « impossibile est placere Deo. Credere enim oportet « accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus « se remunerator sit. »

Alterius senis exemplo habenda est fides. Nam *Henoch fide translatus est*, id est quia fidem habuit, et justitiam tenuit, translatus est in paradisum, unde Adam ejectus fuerat. Translatus est ideo, *ne videret mortem*, id est ut non solum non sentiret in seipso mortem, sed etiam in alio non videret eam, utpote remotus procul a terra morientium, et habitans in regione viventium. Nam non est ita translatus, ut in aliam terræ partem hominibus inhabitabilem poneretur; sed ita potius, ut ab omni societate mortalium separaretur. *Non enim inveniebatur*, cum a suis per multa loca diligenter quæreretur. Ideo scilicet non poterat inveniri, *quia transtulit illum Deus*, qui ipsum occultare potuit, ne a quoquam inveniretur. Posuit namque illum in alia secreta regione, ubi in magna carnis ac spiritus quiete viveret, donec circa finem sæculi cum Elia veniat reliquias Israel ad fidem convertere. Vere propter fidei meritum translatus est. Nam *ante translationem habuit testimonium placuisse Deo*, quia sicut Scriptura refert : Ambulavit Henoch cum Deo, et vixit Henoch postquam genuit Mathusalem, trecentis annis (*Gen.* V). Valde enim placuit Deo, qui tam sancte vixit, ut per viam justitiæ trecentis annis ambularet cum Deo. Et quia Deus tantum fecit eum ambulare secum in via rectitudinis, evidens illi testimonium perhibuit, quia sibi placeret. Ipse habuit testimonium, quia placeret Deo. Sed *sine fide impossibile est placere Deo*, id est nullus ad hoc unquam promoveri potest, ut Deo placeat, nisi meritum fidei præcedat. Patet ergo quia et Henoch per fidem placuit, atque per fidem transferri meruit. Fides enim ista quæ sic laudatur ab Apostolo, ea debet intelligi, quæ per charitatem operatur (*Galat.* V). Et vere nullus Deo placebit, nisi meritum fidei præmiserit, quia *accedentem ad Deum oportet credere*, id est quisquis Deo vult propinquare, ut ei proximus fiat, et ei placeat, necesse est ut primo fidem habeat, quoniam fides est primus gradus in quo mentem quis constituit, qui ad Deum accedere intendit. Credere eum oportet *quia Deus est*, id est quia ipse solus proprie habet esse, sicut Moysi loquitur : « Ego sum qui sum (*Exod.* VIII). » Cætera enim verum esse non habent, quia sunt mutabilia. Sed ipse solus est, qui nunquam mutatur, sed semper est quod est; et quisquis varietatem suæ mutabilitatis superare cupit, ad Deum accedat, et credat quia ipse est incommutabilis, et sibi adhærentes liberat a mutabilitate. Hoc oportet eum credere, et etiam qui sit *remunerator inquirentibus se*, id est illos in futuro muneribus donat, qui nunc per ea quæ faciunt, Deum solum inquirunt, id est in cordis intentione quærunt, hoc est nihil aliud quærit intentio cordis ipsorum nisi Deum ex operibus quæ foris ostendunt, et quod tales ab eo remunerentur, debet credere quisquis ad eum vult accedere.

« Fide Noe, accepto responso, de his, quæ adhuc « non videbantur, metuens, aptavit arcam in salu- « tem domus suæ (*Gen.* VI), per quam damnavit « mundum, et justitiæ quæ per fidem est, hæres est « institutus. »

Refert Josephus Adam prædixisse exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram vero aquarum multitudine fore venturam et inde forsitan Noe Deum consuluit, et responsum accepit quia diluvium venturum tunc esset, atque jussum est ei ut arcam construeret. Qui fideliter Deo credidit, et sibi imperata perfecit. Itaque *Noe, accepto* divinitus *responso fide*, id est per fidem *metuens de his quæ adhuc non videbantur*, id est de inundatione diluvii, quæ nondum perpendebatur, quia et aer adhuc serenus erat, nec aliquod hujus rei signum apparebat, *aptavit*, id est aptam composuit *arcam in salutem domus suæ*, id est ut per eam salvaret a diluvio suam uxorem et filios cum uxoribus eorum. In eo quod ponit, metuens de his quæ non videbantur, commendat fidem ejus, qui jam metuebat quæ nondum videbat, credens ea quæ Deus sibi prædixerat. Sic et nos omnia quæ Deus fore promittit aut minatur, indubitanter fore complenda credere debemus, et ejus mandatis in præsenti deservire, si exemplo sancti Noe volumus ad salutem pertingere. Cum enim nullum signum futuri interius videret, sola Dei voce audita credidit futuram mundi submersionem. Nos vero multa signa finis sæculi et futuri judicii videmus, et tamen raro invenitur qui de illo judicio nunc sic metuat, ut sanctus Noe de diluvio formi-

Digitized by Google

dabat. Aptavit arcam, *per quam damnavit mundum*, quia tanto majus peccatum habuerunt homines, quanto majorem ejus in fabricanda arca instantiam videbant, et non credebant. Cum enim viderent eum per centum annos in constructione arcæ laborare, deberent futuros casus animadvertere, et ad pœnitentiam confugere. Quod, quia non fecere, graviorem sibi damnationem acquisiere, et hæc est prima laus fidei ejus, quia mundum incredulum damnavit : *et institutus est a Deo hæres justitiæ, quæ est per fidem*, et post diluvium hæreditario jure obtinuit religiosos mores, quos fides generat : et quos antecessores ejus qui justi fuerant, habuerant. Idcirco enim factum erat diluvium, ut finis imponeretur vitiis, et justitia quam Abel et Henoch et cæteri sancti tenuerant, permaneret, et hujus hæres factus est beatus Noe. Et ita consecutus est in fide testimonium, quia justitiam fidei hæreditavit.

« Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum « exire, quem accepturus erat hæreditatem, et exiit, « nesciens quo iret (*Gen.* XII, XIII). Fide demoratus « est in terra repromissionis tanquam in aliena, « in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat enim « fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et « conditor Deus. »

Adhuc per exemplum ostendit quod fides sit habenda, et quod in ea senes testimonium sint adepti, quoniam, ille qui prius vocabatur Abram, et post a Deo vocatus est Abraham (*Gen.* XVII, 5), dat nobis exemplum fidei. Nam fides causa fuit augmentationis vocabuli ejus, ut qui prius dicebatur Abram, id est pater excelsus, post, accipiens promissionem quod omnes gentes fidem ejus essent secuturæ, et patrem eum habituræ, vocaretur Abraham (*Gen.* XVII), id est pater videns multitudinem, quia factus in fide pater credentium, vidit multitudinem omnium gentium venturam ad suam fidem. Et ille, qui hujusmodi causa *vocatur Abraham, fide obedivit* Deo, non enim obediret, nisi crederet. Obedivit dicenti : « Exi de te terra tua et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi (*Gen.* XII). » Sic *obedivit exire*, id est obediens exivit a terra patrum suorum, et venit *in locum* illum, *quem accepturus erat*, id est in terram Chanaan, quam erat habiturus *in hæreditatem* in filiis suis, non in seipso. *Et*, audito Dei præcepto, *exiit* mox de terra sua, *nesciens quo iret*, sed tantum obedire cupiens, et credens quod esset a Deo consecuturus longe meliora, quam relinquebat in patria. Si enim certum locum sciret ad quem tendere posset, qui certum patriæ locum deserebat, non tam admirandæ fidei esset. Et si saltem post inveniret vacuum locum, ad quem docebatur, ut possidere terram illam posset, non ita commendaretur fides ejus. Sed invenit locum Chananæis plenum, et inter eos ut advena mansit. Et hoc est quod sequitur : *Fide demoratus est in terra repromissionis*, id est quæ sibi non semel, sed multoties promissa est, non ut possessor, sed ut advena, *tanquam in aliena* terra, non tanquam in propria. Fide melioris terræ moratus est ut peregrinus in ea, nec rediit ad paternum solum, sed obedire volens, mansit ubi jussum ei fuerat, non in domibus pomposis et magnis, sed *in casulis* et tuguriis *habitando*. Non enim magna domorum ædificia construebat, sed parva illi sufficiebant tuguria, quoniam mens ejus alio tendebat, et ipse semper exsulem se credebat, in quocunque loco præsentis mundi positus esset. Sic habitavit *cum Isaac et Jacob*, quia, sicut ex Genesi colligitur, Jacob quindecim annorum erat quando mortuus est Abraham (*Gen.* XXV). Et hi duo, scilicet Isaac et Jacob, cohæredes erant *ejusdem repromissionis*, quia ad ipsos fecit Deus eamdem repromissionem terræ Chanaan, in qua cœlestis hæreditas figurabatur. Et quare velut pauper et advena morabatur in casulis Abraham cum filio et nepote, nec magnas domos ædificabat? Quia *exspectabat civitatem*, id est cœlestem patriam Jerusalem supernam, *habentem fundamenta*, id est stabilitatem diversorum præmiorum, quæ nunquam deficient vel diruentur, *cujus civitatis artifex et conditor Deus est*, quia ipse arte suæ sapientiæ illam dictavit, et post per rei evidentiam condidit. Hoc est, Abraham ita vilis et advena in casulis habitare sustinuit, quia non illam terram optavit, sed æternam civitatem, quam ipse Deus et non homo fecit ac condidit, dari sibi a Deo exspectavit.

« Fide et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, « quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat (*Gen.* XVII, XVIII, XXI). Propter quod et ab « uno orti sunt, et hoc emortuo, tanquam sidera « cœli in multitudinem, et sicut arena quæ est ad « oram maris, innumerabilis. Juxta fidem defuncti « sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, « sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram (*Psal.* XXXVIII). Qui enim hæc dicunt, « significant se patriam inquirere. Etsi quidem illius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem « appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur « Deus, vocari Deus eorum. Paravit enim illis civitatem. »

Non solum Abraham fide probatus est, sed et *Sara*, quia *et ipsa*, id est in propria persona, non in vicaria, *accepit fide virtutem in conceptionem seminis*, id est facta est virtuosa ut conciperet, *etiam præter tempus ætatis*, id est quæ virtutem concipiendi in frigido sanguine jam diu perdiderat; et hoc decrepita meruit, cum a juventute semper fuisset *sterilis*. Et licet ista duo impossibilia viderentur, id est sterilitas et longæva senectus, tamen et ipsa Sara quæ hæc habebat accepit virtutem in conceptionem seminis id est ut posset cum semine suo capere viribus caloris semen viri : quod fides,

Digitized by Google

non natura operata est, *quoniam fidelem credidit eum esse qui* promiserat et *repromiserat*, id est Deum in promissionibus suis veracem credidit, et omnia illi possibilia esse non dubitavit. Prius enim risit, etsi ex gaudio, non tamen plena fide, sed post verbum Domini solidata est in fide (*Gen.* XVIII). *Propter quod*, id est ideo quia Abraham credidit, et Sara Deum fidelem non dubitavit, *et orti sunt multi ab uno* patre; quod mirum fuit, quia si tot filii a pluribus patribus orti fuissent, non esset tam mirum. Sed quia tot ab uno orti sunt, valde mirandum est; *et* (quodest mirabilius!) *hoc emortuo*, id est ex toto secundum naturam senectutis mortuo, quoniam viscera illius frigida et mortua erant, nec semen emittere poterant. Emortuum namque non ad omnia sed ad aliquid; hoc est ad generandum intelligere debemus eum fuisse. Si enim ad omnia mortuus esset, non jam senex, sed defunctus esset. Et de tali orta est innumera multitudo. Vel ab uno utero Saræ orti sunt. Orti sunt ab uno et hoc emortuo. Emortuo, quantum ad seniorem maritum. Si enim femina ita sit provectioris ætatis, ut ei solita mulierum adhuc fluant, de juvene parere potest, de seniore non potest : quamvis adhuc possit ille senior, sed de adolescentula gignere sicut Abraham post mortem Saræ de Cethura potuit, quia vividam ejus invenit ætatem. Sed Sara sterilis erat, et cruore menstruojam destituta, propter quod jam parere non posset, etiam si sterilis non fuisset. Verum contra hæc omnia operata est fides, ut sterilis et emortuus uterus Saræ conciperet ex seniore emortuo. Et sic non a pluribus, sed ab uno : et hoc non juvene, sed emortuo senectute, ut magis esset miraculum, orti sunt filii, procedentes *in multitudinem tanquam siderc cœli*, id est qui luce sanctitatis et sui multitudine comparantur sideribus, quia et clari sunt et innumeri; *et sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis*, id est qui gravedine et infructuositate atque instabilitate et multitudine comparantur arenæ. Quid vere per mare, nisi gentilitas designatur? Et quid per oram maris, nisi vicinus ritus gentilitatis? Quidam vero Judæorum instabiles erant ad oram maris, et non in ipso mari, dum adhærerent ritui gentilium, perverse vivendo et idola colendo, nec tamen gentiles essent, quia circumcisi erant. Isti non ex fide Abrahæ vel Saræ tales erant, sed ex proprio vitio. Non enim fides meruit tales filios habere, sed ibi postquam fuerant ab eo geniti, degenerabant ab ejus fide et probitate per nequitiam suam. Nihil ergo mali promeruit unquam fides. Quod autem subditur, *juxta fidem defuncti sunt omnes isti*, de illis solummodo qui stellis comparantur, intelligendum est, nec solum de filiis, sed de ipsis patriarchis. Nam omnes isti non ad horam habuere fidem, sed semper eam usque in fidem tenuerunt et semper juxta eam vixerunt, ac juxta eam defuncti sunt : quia, et dum viverent, semper suos mores ut fides exigit, in religione duxerunt : et dum morerentur, promissiones divinas exspectaverunt, sicut Jacob moriens dicebat : « Salutare tuum exspectabo, Domine (*Gen.* XLIX). » Isti omnes non elongati a fide per dubitationem vel per malam operationem, sed, juxta eam persistentes, defuncti sunt, *non acceptis in terra repromissionibus* : et ideo exspectabant eas in cœlo, quia Deum qui promiserat, sciebant esse fidelem. Credebant enim ipsas promissiones non esse factas de terrestribus, sed promissa sperabant de cœlestibus. Et in hac fide moriebantur. Per hæc omnia monet Apostolus Hebræos, ut inconcussam fidem exemplo patrum teneant, si se filios eorum recognoscunt. Nondum acceptis repromissionibus moriebantur *sed aspicientes a longe eas et salutantes*, id est oculis fidei considerantes, quia post mortem eas erant adepturi, non tamen protinus, sed post longa tempora in adventu Christi, qui regna cœlorum paraturus erat. Descendebant tunc enim omnes justi in infernum, ibique quiescentes, exspectabant Redemptoris adventum. Ex hoc est quod in obitu suo aspiciebant non de prope, sed de longe supernas promissiones, quia desiderium suæ considerationis in longum ad eas percipiendas extendebant, et salutabant eas, id est multum optabant in quibus salutem consequi credebant. Vel salutabant eas, id est applaudebant eis hilares, et est dictum ad similitudinem navigantium, qui longe visis civitatibus ad quas tendunt, salutant præ gaudio; et quia promissiones cœlestis patriæ post mortem exspectabant, ideo erant *confitentes quia peregrini sunt super terram*, id est non in propria terra degentes. Et quia possent esse peregrini, sed tamen diu permanentes, ut excludatur diuturna mansio, subditur, *et hospites*. Hospes enim dicitur ille, qui statim recedit, nec diu manere quærit; peregrinus vero, qui in propria terra non moratur, etsi diu in aliena maneat. Et ita per hoc quod se dicebant peregrinos, ostenditur quia æstimabant se in alieno degere : per hoc quod se fatebantur hospites, apparet quia credebant se cito recessuros, et horam mortis quotidie suspectam habebant. Nam quod se peregrinos et hospites faterentur, non solum ex Apostoli sententia, sed et ex verbis eorum patet. Dixit enim Jacob Pharaoni : « Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, pravi et mali, et non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt (*Gen.* XVII). » Sed ne quis patriarchas ideo peregrinantes fuisse dictos æstimet, quia in terra promissionis velut in aliena morati sunt, quoniam nec ipsi nec filii eorum adhuc illam in hæreditatem perceperant, attendat quid David qui regnum in ea tenebat ait Domino : « Quoniam advena ego sum apud te, et peregrinus sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII). » Hæc itaque sanctorum patrum peregrinatio illa erat, de qua dicit Apostolus : « Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor.* V). » Hac ratione se dicebant peregrinos et hospites, quandiu super terram erant, id est donec corpora eorum sub terra sepelirentur, et animæ ad extra migrarent. Vel super

Digitized by Google

terram existentes, quia terrena conculcabant. Unde constat quod exsules se credebant et patriam inquirebant, ex qua cives jam erant. *Qui enim hæc dicunt*, scilicet qui se fatentur peregrinos et hospites, hæc dicendo, *significant se inquirere patriam*. Ad hoc confitebantur se esse peregrinos, ut significarent se in omnibus quæ agebant, veram patriam quærere, et ad eam pio gemitu suspirare. Et ne quis putaret quod illam de qua exierant, quærerent, subditur : Et siquidem illius et cætera. Quasi dicatur : Ipsi quærebant patriam. *Et si illius quidem* patriæ *meminissent*, *de qua exierunt*, id est si recogitarent terram suæ nativitatis et illam desiderarent, ac se peregrinos respectu illius dicerent, *habebant utique tempus* et spatium *revertendi* ad eam, et nullus eis obsistebat in redeundo. Sed, quia illuc non redierunt, patet quod aliam patriam quæsierunt. Ad illam redissent, si illam quærerent. *Nunc autem* cum constet quod illam non quæsierunt, apparet quia *appetunt*, id est appetierunt *meliorem* patriam, id est cœlestem. Ideo scilicet quia non in terra cor posuerant, sed ad supernam patriam totis desideriis anhelabant, *non confunditur Deus*, id est non erubescit *vocari Deus eorum*, dum dicit : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, hoc mihi nomen est in æternum (*Exod.* III). » Erubescere enim potest aliquis dominus cum dicitur inutilem servum habere. Sed, si bonum servum habuerit, per illum honoratur. Si Deus vocaretur Deus Cain, sicut vocatur Deus Abraham, non honor, sed dedecus esset ei ex tali servo. Sed, quia tres isti patriarchæ optimi servi fuerunt, idcirco Deus ex quadam familiaritate et privilegio voluit Deus eorum vocari, tanquam istorum solorum esset Deus, qui Deus est universæ creaturæ : non frustra utique tantum eis tribuens honorem, sed quia noverat in eis sinceram præcipuamque charitatem, et quia in ipsis tribus consummavit mirabile sacramentum futuri populi. Per liberas enim genuerunt et in libertatem, ut per Saram Isaac; et in servitutem ut per Rebeccam Esau, cui dictum est : « Eris servus fratris tui (*Gen.* XXVII); » et per ancillas non solum in servitutem, sicut Ismaelem per Agar, sed etiam in libertatem, sicut Dan ac Nepthalim per Balam, et Gad, ac Aser per Zelpham (*Gen.* XXX). Ita et in populo Dei per spirituales viros nascuntur ad fidem non solum in libertatem laudabilem, qui eos imitantur, quibus dicitur : « Imitatores mei estote sicut et ego Christi (*I Cor.* IV, et XI), » sed etiam in damnabilem servitutem, sicut per Philippum Simon Magus (*Act.* VIII); et per carnales nascuntur non solum in damnabilem servitutem qui eos imitantur, sed in laudabilem libertatem, quibus dicitur : « Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite (*Matth.* XXIII). » Hoc sacramentum quisquis in populo Dei prudenter agnoverit, unitatem spiritus in vinculo pacis usque in finem, quibusdam cohærendo, quosdam tolerando, custodit. Propter hujusmodi causas voluit Deus vocari Deus istorum patriarcharum, in quorum posteritate præmonstrata est omnis propagatio bonorum et malorum qui sunt in Ecclesia. Nec mirum si *Deus eorum vocari* dignatur, qui Deus est angelorum, quia *paravit illis civitatem*, id est cœlestem Jerusalem, in qua illos exciperet, et non erubescit de illis quia concives angelorum sunt. In illis enim honoratur, sicut e contrario de malis blasphematur (*Isai.* LII; *Jer.* XXXVI).

« Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et « unigenitum offerebat (*Gen.* XXII), in quo susceperat repromissiones, ad quem dictum est : Quia in « Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI), arbitrans « quia et a mortuis suscitare potens est Deus. Unde « eum et in parabolam accepit. »

Rursus exemplo Abrahæ est habenda fides, quia ipse tantam fidem habuit, ut et filium offerre paratus esset, et tamen promissionem de semine in eo sibi divinitus factam non dubitaret esse veram Non enim hæsitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus. Tentabat eum Deus, id est ipse, qui eum noverat, ostendebat quis esset ad exemplum aliorum. Qui *fide* accensus, *obtulit* super altare *Isaac* quem plus diligebat; non Ismaelem, qui ex ancilla natus erat. Et quem ex libera conjuge unigenitum habebat, hunc offerebat, *in quo etiam promissiones* posteritatis *susceperat*, cum ei dicerctur, *quia in Isaac vocabitur tibi semen* (*ibid.*). Licet enim Isaac esset vel unigenitus, nec alium haberet, per quem adimplerentur promissiones seminis, in neutro tamen dubitans, filium obtulit, nec de promissionibus dubitavit; *ad quem dictum est* a Domino, non ad alium ut diceret ei, id est non per alium mandavit, sed per seipsum Dominus dixit ei, *quia in Isaac vocabitur tibi semen*, id est in posteritate Isaac erit vocabulum seminis tui, quia vocabuntur filii tui, qui ex Isaac descendent. Ismael namque et Esau et filii Cethuræ cum ex Abrahæ stirpe sint, non tamen in filios reputantur. Ipse Deus in solo Isaac, promisit Abrahæ posteritatem. Esset enim minus authentica promissio, si alii Deus hanc loqueretur, et ille post nuntiaret Abrahæ. Qui tamen jussus offerre Isaac, non sibi fecit quæstionem quasi de contrariis et sibi adversantibus verbis Dei, ut diceret : Promiseras mihi in Isaac semen, et nunc Isaac jubes occidi ? Sed erat in corde ejus semper fides inconcussa et nullo modo deficiens. Cogitavit enim quia qui dederat ut ille, cum non esset, nasceretur de senibus, poterat etiam de morte reparare. Et hoc est quod Apostolus subdit : *Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus*, id est non solum ab immolatione potest illum eruere ne occidatur, sed et post occisionem vitæ restituere. Credebat enim quod vel Deus illum ab immolatione eriperet, vel immolatum protinus suscitaret, sicque promissionem de futuro semine sibi in eo compleret. Quod in verbo ejus patenter ostenditur, cum dicit pueris : « Exspectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adorave-

Digitized by Google

rimus, revertemur ad vos (*Gen.* XXII). » Non enim dixit : Revertar ego ad vos ; sed, Revertemur ego et puer. *Unde*, id est quia tam firmiter in omnibus crédidit, *accepit eum* ab altari illæsum, quia immolatus non est. Accepit eum *et in parabolam*, id est in similitudinem Christi, cujus divinitas impassibilis mansit, licet humanitas passionem sustinuerit. Abraham enim filium unicum ducens ad immolandum, significavit Deum patrem, qui « proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII). » Isaac sibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus ipse, portavit, sic et Christus crucem suam. Isaac ligatus est et altari superpositus, quia Christus quoque ligatus est in passione et cruci impositus. Isaac de altari abscessit illæsus, sed aries pro eo est immolatus, quia, sicut diximus, divinitas Christi mansit impassibilis, quæ per Isaac designata est, sed humanitas ejus, quam figuravit aries, morti subjacuit. Qui scilicet aries, inter vepres hærebat cornibus, quia Christus inter iniquos et peccatores, qui per vepres signati sunt, ita crucifixus est, ut manus ejus transfixæ clavis adhærerent cornibus crucis, sicut scriptum est: « Cornua in manibus ejus (*Abac.* III). » Similiter et cætera de immolatione Isaac ad Christi passionem mystice sunt referenda.

« Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob et Esau. « Fide Jacob moriens, singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. Fide « Joseph moriens, de profectione filiorum Israel « memoratus est, et de ossibus suis mandavit « (*Gen.* XXVII, XLVIII, XLIX). »

Abraham sic probatus est in fide. *Isaac* etiam *fide benedixit de futuris* filios suos *Jacob et Esau*, id est benedictione imprecatus est illis bona, in futurum credens quod ita illis ventura forent. Nam Jacob benedicendo dixit : « Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini (*Gen.* XXVII), etc. » Et rursum Esau promisit: « In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua (*ibid.*), etc. » Nisi ergo sic crederet hæc illis ventura, nequaquam solemni benedictione promitteret ea. Jacob quoque moriens cum alia omnia oblivioni traderet, *fide benedixit duos filios Joseph*, Ephraim et Manassen, dans cuique propriam benedictionem quia credidit eis profuturum, *et adoravit fastigium virgæ ejus*. Hoc in veteri translatione ibi reperitur, ubi nos in nova legimus, quia adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput. Sanctus enim et Deo deditus vir, oppressus senectute, ita positum habebat lectulum, ut ipse jacentis habitus absque difficultate ad orationem esset. Sed secundum aliam translationem adoravit super caput virgæ ejus, id est filii sui, vel super cacumen virgæ ejus. Et intelligitur quia tulerat a Joseph virgam ejus, et super caput ejusdem virgæ quam tenebat, inclinavit se ad Deum adorandum. Sed Apostolus sensum nostrum ad intelligentiam mysticam trahens, *non dicit quod* ille adoraverit super cacumen, sed potius ipsum cacumen et fastigium virgæ ejus. Virga enim Joseph quam ipse velut sceptrum gerebat ad designationem potestatis suæ, qua dominabatur in tota Ægypto, virgam potentiæ Christi præfigurabat, qua ipse regnaturus erat in toto mundo. Et per Joseph Christus præsignabatur, per fastigium autem virgæ ejus, celsitudo regalis potentiæ Christi, de qua dictum est : « Virga directionis virga regni tui (*Psal.* XLIV). » Recta itaque fide adoravit fastigium virgæ filii sui, significans quia se tota devotione substernebat sublimi imperio Christi, quem ex sua carne nasciturum prævidebat. Nam si in Joseph Christum non intellexisset, non esset dicenda fides, si fastigium virgæ illius adorasset. Sed et ipse *Joseph moriens, fide memoratus est de profectione filiorum Israel*, dicens : « Post mortem meam visitabit vos Deus, et ascendere faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob (*Gen.* L). » Hoc a patre suo audierat, et nunc moriens fide memorabat. Nisi enim ita futurum crederet, non memoraret. *Et de ossibus suis mandavit*, dicens : « Asportate vobiscum ossa mea de loco isto (*ibid.*). » Et hoc quoque fide mandavit, quoniam credebat Christum in terra promissionis nasciturum, et post passionem resurrecturum, et cum eo resuscitari cujus inter cæteros sanctos, qui in ejus passione resuscitandi erant.

« Fide Moyses natus occultatus est mensibus « tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edi« ctum (*Exod.* II). »

Adhuc exemplo senum habenda est fides, quoniam *Moyses natus occultatus est fide* parentum *tribus mensibus*, quia videbant elegantem parvulum. Credebant enim Deum facturum aliquid magni per eum, cum esset adeo elegantis formæ. Quoniam ab ortu fuit illi infusa magna gratia venustatis, non natura, sed dono Dei. *Et ideo non timuerunt edictum regis* (*ibid.*), qui jusserat omnes masculos infantes Hebræorum mox ut nati essent interfici, sed fide confisi in Deo servaverunt puerum.

« Fide Moyses grandis factus, negavit se esse fi« lium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum « populo Dei, quam temporalis peccati habere ju« cunditatem, majores divitias æstimans thesauro « Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat « enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, « non veritus animositatem regis. Invisibilem enim « tanquam videns sustinuit. Fide celebravit pascha « et sanguinis effusionem (*Exod.* XII), ne qui vasta« bat primitiva, tangeret eos. Fide transierunt « mare Rubrum tanquam per aridam terram, quod « experti Ægyptii, devorati sunt (*Exod.* XIV). »

Adhuc exempla fidei prælucent in Moyse, qui, cum esset puer, adoptatus est in filium a filia Pharaonis, quæ juxta Josephum vocabatur Thermut, nec habebat legitimam prolem. Et ideo volebat ut Moyses post patrem suum, succederet in regnum. Moyses vero cum excrevisset, *fide* succensus, et re-

Digitized by Google

gnum Ægypti despiciens, *negavit*, juxta Apostolum *se esse filium filiæ Pharaonis*, et rejecit regiam dignitatem, *magis*, id est potius *eligens affligi* et injuriis subjici *cum populo Dei*, qui serviebat in luto et latere, *quam habere jucunditatem temporalis* ac transitorii *peccati*, hoc est fide suadente maluit et super omnia elegit affligi propter Deum ad horam, quam jucunditatem eorum, in quibus erat peccatum et quæ cito transeunt, vivere. Peccatum enim putavit, se lætari in aula, dum fratres sui affligerentur. Non tamen in libris Moysi refertur, quod negaverit se filium filiæ Pharaonis, sed eo tempore id fecisse non dubitatur, quo fecit et quod ibi legimus, et postquam creverat, egressus est ad fratres suos filios Israel, et vidit afflictionem eorum; ipse dico, *æstimans improperium Christi esse divitias majores thesauro Ægyptiorum*. Improperium Christi, id est quod pateretur pro Christo, vel quod significaret improperium inferendum Christo post longa sæcula, vel quod sustinuit a suis, sicut et Christus post a suis. Hoc improperium magis elegit ipse, et minus credidit operibus Ægyptiorum, quia per id æternis divitiis se locupletari credebat, si pro Christo contumelias et opprobria sustineret. Nam *aspiciebat* plena fide *in remunerationem* æternam, quam Christus pro se patientibus erat daturus : hoc est idcirco elegit esse pauper et despicabilis temporaliter apud homines, quia sursum cor habebat, et de æternis honoribus cogitabat, quos se per paupertatem et patientiam adepturum sperabat. Et etiam *fide reliquit Ægyptum*, educens inde filios Israel, quia credebat quod bene evaderent, *non veritus animositatem regis*, qui contra eum indignationem magnam conceperat, sed de auxilio Dei confidens, subtraxit a jugo illius populum Israel. Et vere fide non veritus est regem. Nam *sustinuit*, id est non corde fractus, sed ut vere fortis sustinuit, id est sursum in suæ mentis constantia tenuit *invisibilem*, id est Deum quem non videbat, *tanquam videns*, id est ac si eum præsentem ibi cerneret. Miles enim accuratius pugnare solet præsente rege quam absente. Sed Moyses pro Deo, quem non videbat, ita pugnavit, et ita eum *sustinuit*, id est auxilium ejus exspectavit, ac si corporeis oculis eum coram se videret præsentem et adjuvantem. Unde et ei nil ore prolati dictum est a Domino : « Quid clamas ad me? (*Exod.* XIV.) » Clamabat enim corde, qui tacebat ore, quia piis desideriis ipse auxilium majestatis implorabat et exspectabat. Et antequam reliquisset Ægyptum, *celebravit pascha*, et hoc fecit *fide*, id est celebrem et festum duxit transitum, vel potius noctem egit pro pascha, id est pro transitu de Ægypto, quia non dubitavit quin revera transituri essent. Et ideo fide lætificatus, antequam exirent, pro transitu suo celebre festum egit. Celebravit enim pascha, id est celebrem et communem fecit agni comestionem, quæ vocabatur Pascha, id est transitus, quia fuit causa transitus eorum de servitute in libertatem, *et sanguinis effusionem* fide celebravit, ne angelus *qui vastabat primitiva*, id est qui interficiebat primogenita Ægyptiorum, *tangeret eos*, quia pro certo credebat, quod angelus percussor non ingrederetur domos illas, quæ haberent in superliminari et in utroque poste sanguinem agni. *Fide* etiam omnes filii Israel *transierunt mare Rubrum* ita illæsi, *tanquam* si irent *per aridam* et siccam *terram*, quia crediderunt Deum ita eos posse educere per mare, sicut per siccum. *Quod* scilicet transire mare *experti* et volentes facere Ægyptii, qui nec partem fidei habebant, *devorati sunt* ab aquis, id est omnino absorpti. Vel experti utrum fide, an casu fieret ille transitus, devorati sunt gurgitibus. Si enim casu transirent Israelitæ, similem transitum haberent Ægyptii. Sed quia talem viam illis fides paraverat, idcirco infideles in ea perierunt.

« Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum « septem (*Josue* II, VI). Fide Rahab meretrix non « periit cum incredulis, excipiens exploratores cum « pace. »

Non solum mare divisit fides, sed et muros Jericho præcipitavit. Nam Dominus jusserat : Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, et præcedent arcam fœderis, septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. Et filii Israel huic divinæ jussioni ac promissionibus fidem adhibentes, fecerunt ut sibi fuerat imperatum, et tali ordine ceperunt civitatem. Sed in eadem urbe erat Rahab, quæ fide meruit non perire cum incredulis civibus. Omnes enim gladio perierunt, *præter* eos qui erant in domo ejus. Exceperat enim duos exploratores cum pace, quos Josue miserat, et absconderat eos, ne rex Jericho inveniret et occideret illos, quoniam visis illis credidit quod filii Israel per Dei potentiam essent habituri terram, sic enim ait : « Novi quod tradiderit vobis Dominus terram (*Josue* II). » Etenim irruit in nos terror vester, et elanguerunt omnes habitatores terræ. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum et in terra deorsum. Et hac fide servavit exploratores, et per fenestram suæ domus latenter emisit, ideoque pereuntibus postmodum cæteris, ipsa cum omni cognatione sua vixit in populo Israel. Et antea quidem fuerat meretrix, sed populo Dei sociata, legitime vixit, ita ut et in genealogia Salvatoris poneretur (*Matth.* I). Et quia etiam meretrix fide justificari et salvari meruit, erubescat omnis vir esse infidelis, ne per infidelitatem omnibus peccatis oneretur et pereat.

« Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus « enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, « David, Samuel, et prophetis qui per fidem vice-

Digitized by Google

« runt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt re- « promissiones. »

Multa, inquit, exempla veterum de habenda fide vobis attuli, et adhuc plura vobis afferre possem. Sed *quid adhuc dicam*, id est quod factum cujus personæ amplius in exemplum fidei proferam ? Tot enim exempla protuli, ut omnibus sufficere debeant ad fidem. Et si proferrem alia omnia quæ possent proferri, fastidium magis quam utilitatem fortasse generarent. Nec in his amplius immorari debeo, quia, cum determinassem tempus, in quo mihi vobis scribere liceat, si illud consumpsero, exempla fidei veterum proferendo, infra præscriptum tempus alia quæ vobis scribere debeo, perficere non potero. Et hoc est quod subditur : *Deficiet enim me tempus.* Quasi dicat : Non est utile ut omnia quæ possem, exempla supponam, quia me enarrantem, id est evidenter et singula narrantem deficiet, id est deseret tempus, quod vobis ad scribendum determinavi, nec poterunt in eo explicari omnia quæ vobis scribere statui, hoc est temporis brevitas qua sum impeditus circa alia, non sinit ut plenariam istorum enarrationem faciam. Vel tempus vitæ meæ deficiet, id est deseret me, si voluero omnia persequi. Et ideo supersedendum est, quia *deficiet tempus me enarrantem*, id est ex toto narrantem, vel extra et aperte narrantem *de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et prophetis.* Hoc est si omnia fortia facta eorum et aliorum quæ ipsi per fidem operati sunt, voluero in tam brevi tempore hujus epistolæ vel vitæ meæ explicare, hoc non potero. Grandia sunt enim quæ fecerunt isti. Qui devicerunt, id est deorsum ponentes et sibi subjicientes *vicerunt regna*, id est reges cum omnibus sibi subditis. Et hoc non per suas vires, sed *per fidem* qua Deo credebant, et in Deo confidebant. Ac per eamdem fidem, qua credebant bonorum operum remuneratorem, *operati sunt justitiam*, id est opera justitiæ fecerunt. Et per ipsam fidem in qua perseveraverunt, *adepti sunt repromissiones*, id est remunerationes supernæ beatitudinis, quas Deus in Scripturis promisit ac repromisit operariis justitiæ, non quod statim quando moriebantur, acciperent illas, quia nondum Christus eis viam fecerat, et erant in tenebris causa originalis peccati, sed quia cum Apostolus hæc scriberet, Christo passo, jam habebant repromissiones secundum animam. Ipse namque eos ab inferis abstraxerat et singulis stolis induerat (*Apoc.* VI). Vel adepti sunt promissiones temporalium bonorum, quas lex observatoribus suis fecerat; quia non solum vitam æternam, sed et temporales divitias, et inimicorum subjectiones propter observantiam legis adepti esse dicuntur, Gedeon, Barac et cæteri (*Judic.* VI). Gedeon namque per fidem devicit regna, quia jubente ac permittente Deo in trecentis viris, quos non ferro, sed lagenis et lampadibus armaverat, superavit Madianitas et Amalecitas et alios orientales populos, quorum multitudo centum triginta quinque millia virorum bellatorum habebat, et reges eorum cepit et interfecit. Et ipse operatus est justitiam, quia destruxit aram Baal, et ædificavit altare Domino, atque liberavit populum Israel. Et adeptus est repromissiones vitæ, quoniam mortuus est in senectute bona. Barac quoque per fidem devicit regna, cui Deus per Deboram prophetissam dixit : « Vade et duc exercitum in montem Tabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthalim et de filiis Zabulon. Ego adducam ad te in loco torrentis Cison Sisaram principem exercitus Jabin, et currus ejus atque omnem multitudinem, et tradam eos in manu tua (*Judic.* IV, V). » Fecitque Barac ut Dominus jusserat, et ascendit in montem. Quod cum audisset Sisara, congregavit nongentos falcatos currus, omnemque exercitum de Aroseth gentium ad torrentem Cison. Descendit atque Barac de monte Thabor, et decem millia pugnatorum cum eo. Perterruitque dominus Sisaram et omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac, in tantum ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret, et Barac persequeretur fugientes currus et exercitum usque ad Aroseth gentium, et omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. Humiliavitque Deus in die illo Jabin regem Chanaan, donec delerent eum. Sic Barac per fidem devicit regna. Qui et justitiam operatus est in hoc ipso, quod liberavit filios Israel ab ipso rege, qui per viginti annos vehementer oppresserat eos : nec sibi victoriam arrogavit, sed Deo per illa canticum cecinit. Unde et supernas repromissiones adipisci dignus fuit. Sed et Samson per fidem devicit regna (*Judic*, XIII, XVI), quia cum esset unus vir, sed haberet in se Spiritum Domini, qui confortabat eum, ingentes strages Philistæorum multoties dedit, nullusque eorum fortitudinem habere poterat ut illi resisteret. Justitiam quoque operatus est, quia judicavit Israel viginti annis, et Philistæos oppressores eorum afflixit, et Nazaræus, id est consecratus fuit ex utero matris suæ, vinum et siceram non bibens, et nihil immundum comedens (*Luc.* II). In fine tamen quo se cum hostibus oppressit, non aliter excusatur, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat, sicut et antea illi inspiraverat ut uxorem de filiabus Philistæorum acciperet, cum lex hoc prohiberet. Nam, sicut in acceptione uxoris alienigenæ fecit per voluntatem Dei, quod lex interdixerat, et non peccavit, ita credi potest quod Spiritus sanctus illi jusserit extinguere secum ingentem illam hostium multitudinem, quæ de ejus humiliatione laudabat idolum suum, et ad majus improperium faciebat eum ebrium ludere, præsertim cum jam ille spiritus cœpisset ei pristinas vires reddere, ad designationem recuperationis prioris gratiæ. Unde et nunc Apostolus ponit eum inter eos, qui adepti sunt repromissiones. Jephte quoque per fidem devicit regna, quia est factus super eum Spiritus Domini, et circuiens Galaad et inde trans-

Digitized by Google

iens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens : « Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Transivitque, Jephte ad filios Ammon ut pugnaret contra eos. Quos Dominus tradidit in manus ejus. Percussitque viginti civitates plaga magna nimis. Et humiliati sunt filii Ammon a filiis Israel. Revertente autem Jephte domum suam, occurrit ei unigenita filia cum tympanis et choris. Qua visa, scidit vestimenta sua et ait : « Heu! filia mi, decepisti me, et ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero, et fecit ei sicut voverat (*Judic.* xi). » Et merito quæritur utrum pro jussu Dei sit habendum quod eam immolavit. Abraham enim non solum non est culpatus crudelitatis crimine, sed etiam laudatus nomine pietatis, quod filium voluit nequaquam scelerate, sed obedienter occidere. Jephte vero non ita legitur accepisse præceptum ut filiam occideret; sed tamen in eo quod Scriptura refert quia factus est super eum Spiritus Domini, et tunc tale votum pro victoria fecit, atque victoriam adeptus est, non videtur temerarie vovisse, cui Spiritus sanctus præsidebat : nec injustum votum vovisse, qui victoriam pro qua votum faciebat, consecutus est. Consecutio « nim victoriæ testatur Deo votum non displicuisse. Novit enim Dominus secretas causas, propter quas tale sacrificium ei placere potuit. Et ipse Jephte semetipsum potius in hoc spiritaliter mactavit, quia cum non haberet filium aut filiam præter istam, omnem affectum ejus rigore voti superavit, et dolorem compassionis ardore fidei devicit. Qui et justitiam operatus est, quia satis rationabiliter et juste principatum suscepit, et causas suas contra regem filiorum Ammon per legatos juste disserult, et juste bellum iniit atque populum Israel sex annis secundum legem Domini judicavit. Unde et repromissiones supernarum retributionum adeptus esse creditur. De David vero superfluum esse puto, demonstrare quomodo per fidem regna devicerit (235), cum constet eum tot reges impios juvante Domino peremisse. Justitiam autem sic operatus est, ut de illo diceret Deus : « Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. » Sed et repromissiones adeptus est non solum de æterna vita, sed etiam de adventu Christi : quia et ipse beatitudinem æternam possidet, et æternus rex Christus de semine ejus suscitatus est. Samuel quoque (236) per fidem vicit regna Philistæorum, quia, cum satrapæ gentis illius cum exercitibus suis adversus Israel convenissent, obtulit Samuel holocaustum et clamavit ad Deum pro Israel, et exaudivit eum Dominus. Nam in ipsa hora sacrificii contigit Philistæos inire prælium contra Israel. Et intonuit Dominus fragore magno super eos atque exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel ; factaque est manus Domini super eos cunctis diebus Samuel, et redditæ sunt urbes quas tulerant ab Israel. Liberatusque est Israel de manu eorum. Sed et justitiam ita operatus est Samuel, ut nec in modico reprehensibilis unquam inveniatur. Ideoque repromissiones beatitudinis æternæ absque ulla dubitatione adeptus est. Nonnulli quoque sequentium prophetarum, vel orationibus vel meritis suis devicerunt reges, sicut orante Isaia cum rege Ezechia, percussit angelus in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, et recessit turpiter a Judæa Sennacherib rex (*Isai.* xxxvii; *IV Reg.* xix). Elisæus quoque meritis suis obtinuit, ut Benadab rex Syriæ (*IV Reg.* vii), qui diu Samariam obsederat, cum omni exercitu suo territus fugeret. Dominus autem audiri fecit in castris Syriæ sonitum curruum et equorum et exercitus plurimi, fugeruntque Syri, et dereliquerunt tentoria sua et equos et asinos cum auro et opibus magnis; et hæc omnia diripuerunt filii Israel, ita ut fieret modius similæ statere uno, et duo modii hordei statere uno in porta Samariæ. Multaque hujusmodi contra reges impios sancti prophetæ per fidem egerunt, et justitiam in omni conversatione sua tenuerunt ac repromissiones divinas in regno cœlorum adepti sunt.

« Obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impe-
« tum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt
« de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra
« verterunt exterorum, acceperunt mulieres de re-
« surrectione mortuos suos. »

Non solum super homines habuerunt antiqui sancti per fidem victoriam, sed etiam super bestias adeo feroces, ut sunt leones, et super insensibilia elementa, ut est ignis, hoc est : *Obturaverunt*, id est obturata et clausa fecerunt *ora leonum*, ut etiam jejuni leones fide servante non tangerent eos, sicut Daniel (*Daniel.* vi, xiv), quem illæsum in lacum leonum per noctis unius spatium fides servavit, aliaque vice sex diebus cum septem jejunis leonibus in lacu clausus sine læsione perduravit. Pluralis enim numerus pro singulari positus esse nunc intelligitur, in hoc quod dictum est, *obturaverunt ora leonum*, nisi et Davidicum factum in hac sententia memoratum accipiamus, qui, dum pasceret gregem, venit leo et ursus, tuleruntque arietem, et ipse persecutus est et percussit eos, eruitque pecus de ore eorum, istis consurgentibus in eum, apprehendit ipse mentum eorum et suffocavit et interfecit eos (*I Reg.* xvii). Alii per rorem fidei, *exstinxerunt impetum ignis*, id est vehementissimum ignem qui cum impetu virtutis irruebat, sicut Moyses : nam murmurantibus Hebræis (*Num.* xi), accensus est in eos ignis Domini, et devoravit extremam partem castrorum, cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis. Similiter et Aaron alia vice exstinxit impetum ignis

(235) I Reg. xvi passim.

(236) I Reg. iii, iv, v, vi, vii, passim.

Digitized by Google

(*Num.* xvi), quando tollens thuribulum cucurrit ad mediam multitudinem, quam vastabat incendium et obtulit thymiama, ac stans inter mortuos et viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. Sed et tres pueri in Babylone per fidem exstinxerunt impetum ignis, cum quibus in fornacem descendit angelus Domini, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis (*Dan.* iii). Alii *effugerunt aciem gladii*, sicut Isaac quoque cum pater arrepto gladio vellet immolare, prohibuit angelus eum percuti (*Gen.* xxii); et sicut David, qui dum manu sua psalleret coram Saul, tenebat Saul lanceam et misit eam, putans quod configere posset eum cum pariete. David autem declinavit a facie ejus (*I Reg.* xix). Hoc et alia vice similiter factum est de evasione ictus lanceæ (*I Reg.* xx). Vel effugerunt aciem gladii, id est exercitum accinctum gladio per fidem in fugam verterunt, sicut Gedeon in armis armatos Madianitas (*Judic.* vii), et Judas Machabæus sæpe cum paucis fere innumeras hostium multitudines (*I Mach.* iii). Alii per fidem *convaluerunt de infirmitate*, id est sanati a corporeo languore, sicut Job et Ezechias (*Job* xlii). Alii per fidem *fortes* et insuperabiles *facti sunt in bello*, sicut Josue et David et Judas Machabæus (*IV Reg.* xx). Nonnulli *verterunt* in fugam *castra exterorum*, id est alienigenarum, qui super se veniebant, sicut Judith (*Judith* xiii) et sæpe dictus Gedeon (*Judic.* vii). Notandum vero, quod aliud est castra vertere, quoniam hoc etiam sine pugna, aliud fugare aciem gladii, quod fit pugna. Talia per fidem antiqui patres consequebantur et temporalem felicitatem adipiscebantur, sed in Novo Testamento non est tempus talium. Ante dedit talia Dominus, nunc dat meliora. Ac si diceret : Discite homines per gratiam Novi Testamenti vitam concupiscere sempiternam. Quid pro magno ita vos vultis a Domino de morte liberari, sicut liberati sunt patres vestri, quando commendabat Dominus etiam terrenæ felicitatis præter se non esse alium largitorem? Illa felicitas ad veterem hominem pertinet, quæ veritas ab Adam cœpit. Ego autem sum Christus, non Adam. A veteri veteres fuistis, a Novo Novi estote usque ad mortem. Unde ipse hoc voluit in conspectu inimicorum pati, quo eum tanquam derelictum putarent, ut commendaretur gratia Novi Testamenti, qua disceremus aliam quærere felicitatem, quæ nunc est in fide, postea vero erit in specie. Sed sub Veteri Testamento necesse fuit et temporalia bona sanctis præberi divinitus. Ideo a variis periculis liberati sunt, quando clauserunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate. Fortitudinem quoque et victorias adepti sunt divinitus, quoniam fortes facti sunt in bello, et castra verterunt exterorum. Magna etiam impetraverunt orando, quoniam *acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*. Sareptana quippe mulier, orante Elia, filium suum accepit de resurrectione venientem (*III Reg.* xvii), et per Eliseum Sunamitis accepit natum suum de resurrectione sibi redditum (*IV Reg.* iv).

« Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. »

Ostendit quanta per fidem sancti fecerunt, nunc autem ostendit quanta pro fide pertulerunt, ut quod suaserat fide multorum exemplis pluribus persuadeat multarum passionum imitationibus. Quidam patrum in vita sua per fidem a variis adversitatibus erepti sunt. Sed *alii* eorum etiam pro fide *distenti sunt*, id est in suppliciis singula membra tensi, *non suscipientes redemptionem*, id est ereptionem de pœnis quæ inferebantur illis, *ut invenirent* in sæculo alio meliorem redemptionem præsenti quæ respuebatur. Hoc fecerunt septem egregii fratres cum matre, quos rex Antiochus flagris et taureis crucians, compellebat contra legem carnes porcinas edere (*II Mach.* vii). Qui cum dicerent, Parati sumus mori magis quam patrias Dei leges prævaricari, iratus rex jussit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam, et cute capitis abstracta, summas quoque manus ei et pedes præcidi; et cum jam per omnia mutilus factus esset, jussit ignem admoveri, et adhuc spirantem torreri in sartagine. Sic fecit de secundo atque omnes septem et octavam matrem talibus tormentis consumpsit. Ita distenti sunt in variis pœnis, atque manus et pedes ad percipiendum pœnas extenderunt et linguas protulerunt. Ac redimi a pœnis noluerunt, quia, cum suaderetur illis ut illicitas carnes ederent et pœnas evaderent, non consenserunt. Optabant enim *meliorem resurrectionem*, sicut et tyranno dicebant : Tu quidem, sceleratissime, in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Et hoc quidem isti tali fide pertulerunt. Sed *alii experti* sunt sustinendo *ludibria et verbera* quia et derisi sunt et verberati, sicut Jeremias qui ait : « Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me (*Jer.* xx), » et de quo scriptum est, quia percussit Phassur Jeremiam prophetam, et misit eum in nervum (*ibid.*). Et quasi parum esset pertulisse ludibria et verbera, pertulerunt *insuper et vincula et carceres*. Per hoc enim quod dicit *insuper*, notat hæc quatuor eisdem personis illata fuisse. Et Jeremias vincula pertulit et carceres, quia, sicut dictum est Phassur in nervum misit, quem Sedechias rex in atrio carceris clausit, et iterum cum vellet ire in terram Benjamin (*Jer.* xxxii), et pervenisset ad portam Jerusalem, apprehendit eum custos portæ, dicens : « Ad Chaldæos profugis! et duxit eum ad principes. Quamobrem irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem, ingressusque est in domum Jaci et in ergastulo, et sedit ibi diebus multis (*Jer.* xxxvii). » Sic legitur Je-

Digitized by Google

remias expertus esse ludibria et verbera insuper et vincula et carceres. Michæas quoque verbera pertulisse legitur et carcerem atque ludibria. Nam, cum rex Achab vellet ire contra Syros ad prælium in Ramoth Galaad, et prophetas suos consuluisset, quos circiter quadringentos congregaverat, omnesque regi respondissent ut iret, quia prospere sibi eventurum foret, tandem Michæas adductus et interrogatus respondit : « Dominus dedit spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt. Accessit autem Sedecias filius Chanaan, et percussit Michæam in maxillam, et dixit : Mene ergo dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi? (*III Reg.* XXII.)» Ecce ludibria et verbera, cum ante regem deriderétur, et percutitur sine judicio. « Et ait rex : Tollite Michæam et mittite eum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis et aqua angustiæ, donec revertar in pace (*ibid.*). » Ecce carcer, ubi et vincula forsitan fuerunt. Alii *lapidati sunt*, ut ille, de quo scriptum est, quia Spiritus Domini induit Zachariam filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis : « Hæc dicit Dominus : Cur transgredimini præceptum Domini quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut dereliinqueret vos? Qui congregati adversus eum miserunt lapides juxta regis Joas imperium in atriis domus Domini, et interfecerunt eum (*II Par.* XXIV). » Sed et Naboth Jezraelites injuste lapidatus est (*III Reg.* XXI). In eo quod subditur, *secti sunt*, pluralis numerus pro singulari positus esse creditur, quoniam de solius Isaiæ passione dictum intelligitur, quia Hebræi certissime tradunt serra lignea a Manasse rege serratum esse. Alii *tentati sunt* voluptatum suasionibus aut sæcularium bonorum promissionibus, an divelli possent a fidei justificationibus, et sicut sanctus Joseph, cui impudica domina dicebat : « Dormi mecum (*Gen.* XXXIX); » et sicut Judith, cui dixit Holofernes : « Tu eris magna in domo Nabuchodonosor, et nomen tuum nominabitur in universa terra (*Judith.* XI) : » et sicut ultimus septem fratrum, de quibus supra diximus, quem rex Antiochus non solum verbis hortabatur, sed etiam juramento affirmabat, divitem se et beatum facturum, et translatum a patriis legibus amicum habiturum (*II Mach.* VII). Alii vero *mortui sunt in occisione gladii*, sicut octoginta quinque sacerdotes Domini, quos Saul propter David injuste trucidavit (*I Reg.* XXII), et sicut prophetæ Domini, quos regina Jezabel interfecit (*III Reg.* XVIII).

« Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, « egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non « erat mundus. In solitudinibus errantes, et in mon- « tibus, et in speluncis, et in cavernis terræ. »

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, etc. Melota est, ut aiunt, vestimentum ex pilis camelorum factum vel ex caprinis pellibus; et quis in veteri Judæorum populo usus sit hoc indumento, difficile in scriptis aperte reperitur, sed Joannes Baptista qui in hoc loco intelligi potest, legitur hoc usus fuisse (*Matth.* III· *Marc.* I). Judith tamen cilicium habebat super lumbos suos (*Judith.* IX); et Isaiæ dictum est : « Solve saccum de lumbis tuis (*Isa.* XX); » id est cilicium. Hoc indumento credimus et Eliam usum fuisse (*IV Reg.* I), nonnullosque prophetarum. Fertur etiam melota vocari pellis animalis, quod dicitur taxus sive taxo et religiosi viri domantes carnem suam, non molles et pretiosas vestes habebant, sed ciliciis utebantur et asperis animalium pellibus, ut taxonum et caprarum. Vel circuierunt sic induti loca multa, sicut Elias, qui jubente Domino, per varia loca ambulasse refertur (*III Reg.* XIX); et sicut Joannes Baptista, qui venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ (*Luc.* III). Ipsi dico, *egentes* necessariis corporis, quia nihil habebant, *angustiati* cura animi, quoniam peccata populi plangebant : *afflicti* laboribus, quia persecutionem pro justitia sustinebant. Qui ne propter penurias et afflictiones viderentur contemptibiles, subditur : *Quibus dignus non erat mundus*, id est tantæ dignitatis erant, quod mundus non erat dignus conversatione illorum. Unde et Elias in cœlum vivus est translatus (*IV Reg.* II), atque Joannes *citius* martyrio consummatus (*Matth.* XIV; *Marc.* VI). Illi quoque erant egentes et angustiati atque afflicti, de quibus refertur, quia Judas Machabæus cum Jerusalem ab Antiochenis occupata esset, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat; et feni cibo vescentes, demorabantur ne participes essent coinquinationis (*II Mach.* V). Hi se a malitia mundi separaverant, et ideo dignus eis non erat mundus, de quibus intelligitur hoc quod Apostolus subjungit : *in solitudinibus errantes et in montibus.* Alii vero ad proximas coeuntes speluncas, et latenter Sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo præposito regis, flammis succensi sunt, eo quod verebantur propter religionem et observantiam manu sibimet auxilium ferre, et hos nunc dicit Apostolus *in speluncis et in cavernis terræ* mansisse. Speluncæ quidem naturales, cavernæ autem quæ manu vel aliquo casu factæ sunt. Elias in solitudinibus antea fuerat in montibus et speluncis; qui fugiens Jezabel, venit in Bersabee Juda. Et perrexit in desertum via unius diei, et inde ambulavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb. Cumque pervenisset illuc, mansit in spelunca, et auditis ibi sermonibus Domini, reversus est idem per desertum (*III Reg.* XIX). Sed et illi manserunt in speluncis vel cavernis, de quibus Scriptum est, quia cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit Abdias centum prophetas et abscondit eos quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua (*III Reg.* XVIII). Hucusque Apostolus exemplis eorum usus est, qui in fide testimonium consecuti sunt. Superius vero priusquam de fide tractatum inciperet, fere per totam epistolam argumentis utebatur (*Rom.* I). Egregius enim magister, sapientibus et insipientibus debitor, cum in Hebræis quosdam sapientes, quosdam vero tardiores cerneret, prudentiam sapientium

Digitized by Google

argumentis superavit; tarditatem vero simplicium solis exemplis attraxit, quatenus et illos victrix ratio frangeret, et istos ad majora conscendere imitatio blanda suaderet.

« Et hi omnes testimonio fidei probati, non « acceperunt repromissionem, Deo pro nobis me- « lius aliquid providente, ut non sine nobis consum- « marentur. »

Multos hactenus memoravi, *et hi omnes* quos nominatim vel tacitis nominibus in exemplum adduxi *probati sunt testimonio fidei*, id est sic probati sunt in fide constantes, ut bonum inde testimonium habeant. Ad hoc revertitur in conclusione quod in exordio præmiserat, quia in fide testimonium consecuti sunt senes. Et quamvis in fide fuissent probati, *non tamen acceperunt repromissionem*. Quid est hoc? Nonne paulo superius dictum quosdam eorum per fidem devicisse regna, operatos esse justitiam, et adeptos esse repromissiones? Sed illi sancti et repromissiones adepti sunt, et promissiones exspectant, quia beatitudinem animarum habent sed resurrectionem corporum præstolantur. Unde bene superius dictum est, quia adepti sunt repromissiones quasi plures et varias; nunc autem dicitur, quia non acceperunt repromissionem, quasi unam singularem, quoniam variæ sunt dignitates, quas animæ juxta meritorum suorum distinctiones acceperunt, sed una est corporum incorruptio, quam generaliter exspectant. Non igitur acceperunt repromissionem, quoniam resurrectio corporum, quam Deus sanctis suis repromisit, adhuc differtur, ut simul omnes resurgamus, quatenus in communi gaudio omnium, majus fiat singulare. Ita exspectant adhuc, donec et nos accurramus, *Deo providente* et sapienter ordinante *pro nobis aliquid melius, ut non consummarentur*, id est ut non perciperent consummatam beatitudinem animæ et corporis *sine nobis*, quam ut ante nos consummarentur. Cum enim adhuc nos exspectant ad suam consummationem, ardentius nostram exoptant liberationem, et propter se, et propter nos atque pro nobis interpellant, ut citius a præsentis sæculi miseria liberemur. Nos quoque, etsi propter nos ipsos desides, saltem ne diutius eos exspectare faciamus, festinare debemus, ob hoc etiam alacrius currere, quia non tandiu exspectabimus, quandiu exspectaverunt illi. Propter hujusmodi causas Deus pro nobis melius ordinavit, ut nos exspectarent ad consummationem. Patriarchæ igitur et prophetæ omnesque prophetarum spiritus, qui ad beatam vitam transierunt, nos ardenter gavisuros secum exspectant, nec est illis ex toto perfecta lætitia donec quodammodo pro nostris erroribus dolent. Neque enim discedentes hinc sancti, continuo integra meritorum suorum præmia consequuntur, sed exspectant etiam nos licet morantes, licet desides, ut nobiscum perfectam beatitudinem consequantur. Propter hoc etiam mysterium *illud in ultimum* diem dilati judicii, *custoditur, quia unum corpus* est, quod justificari exspectatur, unum corpus est, quod resurgere in judicium dicitur.

CAPUT XII.

« Ideoque et nos tantam habentes impositam « nubem testium, deponentes omne pondus et cir- « cumstans nos peccatum, per patientiam curramus « ad propositum nobis certamen, aspicientes in au- « ctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui pro- « posito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione « contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. » (*Ephes.* IV; *Colos.* III; *I Petr.* II.)

Præmissis exemplis fidei et patientiæ sanctorum, in quibus fides solidata est in cordibus auditorum, subjungit illud quod fidei sociandum est, id est hortari incipit ad tolerantiam adversitatum, ut sicut patres omnia per fidem adversa patiendo vicerunt, ita et nos faciamus. Quasi dicat : Antecessores nostri tanta per fidem operati sunt et pertulerunt. *Ideoque et* nos similiter pro fide sustineamus ad imitationem ipsorum. Nos dico, *habentes impositam* nobis ad protectionem et umbraculum *tantam nubem testium*, id est tantam multitudinem sanctorum, qui de terris instar nubium consurgentes, ad sublimia cœlestis conversationis volaverunt ab omni sarcina terrenæ cupiditatis, et ut nubes exemplo sui in æstu tribulationum dant nobis refrigerium consolationis, atque compluunt nos inundantia doctrinæ suæ. Qui testes dicuntur, quia fidem testati sunt ore et passione. Testes enim Latine, μάρτυρες græce dicuntur. Sed et bonorum operum testes fuerunt, quia in suis actibus testati sunt esse facienda hujusmodi opera. Quorum nubes, id est densa multitudo est nobis imposita, ut nos protegat et exemplis suis confoveat. Et nos hanc nubem levem super nos habentes, deponamus, id est deorsum ponamus *omne pondus*, id est omnem gravedinem mundanæ cupiditatis, et quidquid mentem nostram in infimis deprimit, ut leves effecti, ad nubem quæ super nos est, evolemus et ei consociemur. Deponamus etiam *peccatum circumstans nos*, id est ad alta elevemur, et in imo relinquamus peccatum, quod inique nos impetit et circumvallat, dum in infimis cor habemus, sicut Zachæus, qui præ turba Jesum videre non poterat, ascendit in arborem ut videret eum (*Luc* XIX). Turba enim altior pusillum Zachæum non sinit videre Jesum, quando inolita consuetudo vitiorum quæ nos superavit et super nos excrevit, atque tumultus perversarum cogitationum, qui sibi cor nostrum subdidit, non nos sinit lumen divinitatis intueri. Sed Zachæus ascendit in arborem, relicta inferius turba, quia nos in arborem crucis debemus ascendere, crucifigentes carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis (*Galat.* V), atque cor ad alta sustollere, si Jesum absque turbæ nocentis obstaculo cupimus aspicere. Sic itaque deponamus omne pondus, et circumstans nos peccatum. Potest etiam pondus intelligi sarcina peccatorum quæ fecimus, quæ sicut onus grave gravata est super nos. Peccatum vero quod circumstat, tentatio pec-

Digitized by Google

cati, quæ undique imminet, et ab omni parte nos obsidet (*Psal.* XXXVII). Sed nos per confessionem deponamus omne pondus peccatorum quo gravamur, et per sublimem conversationem deorsum relinquamus omne peccatum, quod nos in infimis circumstat et impugnat. Et sic abjecto pondere et superatis obstaculis, leves atque sublimes effecti, *curramus*, id est sine mora hæsitationis cito transeamus *per patientiam ad certamen* martyrii, quod *propositum* est *nobis* ab infidelibus, qui proposuerunt aut nos a fide separare, aut variis tormentis cruciare. Vel a Deo propositum est nobis, qui per immensa gratiæ suæ beneficia proposuit, non solum ut in eum crederemus, sed etiam ut pro illo pateremur (*Philip.* I). Et ita sine murmuratione vel hæsitatione curramus per patientiam ad agonem martyrii *aspicientes in auctorem fidei*, id est attendentes quanta pro nobis pertulit, qui fidem nobis et dedit et auxit, pro qua nobis suadet martyrium. Ac si dicatur : Curramus ad propositum certamen, tum propter exempla multa præcedentium patrum, tum propter amorem fidei *et consummatorem* Jesum, qui tam magnus est, et ab eodem fidem accepimus pro qua patimur, atque ab ipso consummandam plena beatitudine speramus. Ipse enim est et auctor et consummator fidei, quia et eo auctore fidem habemus, et eo consummatore ad videndum quod nunc fides credit perveniemus. In hunc aspiciamus, ne adversis deficiamus, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem*, id est qui proposuit sibi in corde gaudium æternum, ad quod per passionem erat transiturus, et sic libentissime pertulit supplicia crucis, *contempta confusione*, id est neglecta omni verecundia, dum irrideretur pendens in ligno. Vel proposito sibi a turbis gaudio, dum vellent eum facere regem, noluit ille gaudium hujusmodi suscipere (*Joan.* VI), sed postmodum sustinuit crucem et illusiones et opprobria, contemnens omnem humanam verecundiam. Omnia enim terrena bona contempsit, ut in illis non quæreretur felicitas. Crucem sustinuit, *atque* ideo *sedet in dextera sedis Dei*, « humiliavit enim semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), » propter quod et Deus exaltavit illum. Non ergo frustra sibi gaudium resurrectionis et ascensionis proposuerat, dum pateretur et irrideretur, sed assecutus est illud gaudium. Itaque sicut ille proposito sibi gaudio sustinuit crucem, contemnens verecundiam, et adeptus est fidei confessionem, sic et nos proposito nobis æterno gaudio debemus pro fide ejus omnia sustinere, et omnem opprobriorum verecundiam contemnere, ut ad sedis ejus participationem mereamur pertingere. Dicit enim : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus (*Apoc.* III). »

« Recogitate enim eum qui talem sustinuit a « peccatoribus adversus semetipsum contradictio« nem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. « Nundum enim usque ad sanguinem restitistis ad« versus peccatum repugnantes, et obliti estis con« solationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, « dicens : Fili mi, noli negligere disciplinam Do« mini, neque fatigeris dum ab eo argueris « (*Prov.* III). Quem enim diligit Dominus, castigat; « flagellat autem omnem filium quem recipit « (*Apoc.* III). »

Dixi quia debemus aspicere in auctorem fidei pro nobis crucifixum. Et justum est sic fieri. Nam *recogitate*, id est assidue cogitate *eum* qualis et quantus sit, *qui sustinuit contradictionem talem*, id est tam turpem et tam vehementem, dum ei contradiceretur, et diceretur, blasphemavit (*Matth.* XXVI ; *Joan.* XIX), et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit, et non a quibuscunque sed *a peccatoribus* hanc sustinuit, quod est indignius nec saltem adversus membra sua, sed *adversus semetipsum*. Hunc assidue recogitate ad imitandum, qui cum sit tam sanctus et tam immunis a peccato et tam magnus, patienter toleravit peccatores, qui ei contradicebant et illudebant, et post crucifigebant eum, hunc inquam recogitate *ut* perpendentes qualia et quanta ipse pertulit, *non fatigemini* in aliquibus adversis, *deficientes animis vestris*, id est licet corpore deficiatis, mente tamen validi et insuperabiles perduretis. Nec debetis deficere, quia parva sunt quæ adhuc pertulistis. Cur enim reatum defectionis subiretis, qui non gravem passionis vehementiam sustinetis? Cur corrumperemini fidei defectione, qui adhuc caretis sanguinis effusione? Nam, etsi vestra jam amisistis, *nondum* tamen *usque ad sanguinem*, id est usque ad sanguinis effusionem *restitistis repugnantes*, id est iterum iterumque pugnantes, non dico adversus peccatores, id est adversus homines, sed *adversus peccatum*, quod illi vobis suadent, dum vos a fide revocare conantur, vel aliquid illicitum facere vos hortantur. Nondum pervenistis ad effusionem sanguinis. *Et* jam tædio segues effecti, *obliti estis consolationis*, quam Dei sapientia vobis per Salomonem exhibet in adversis. Quasi dicat : Culpandi estis, quod illam consolationem jugiter in memoria non tenetis. Vel per interrogationem potest legi : Nondum restitistis usque ad sanguinem et jam estis obliti consolationis? Non debuissetis illius esse obliti. *Quæ* consolatio legitur vobis, id est quæ verba consolatoria diriguntur ad vos per Dei sapientiam, quæ Christus est, a quo fit consolatio, *loquitur vobis*, non tanquam servis neque saltem tanquam amicis, sed potius *tanquam filiis* quod est dulcius. Christus enim pater est credentium, sicut ipse demonstrat, cum dicit : « Non possunt filii Sponsi jejunare, quandiu cum illis est Sponsus (*Marc.* II). » Et ideo unicuique fidelium adversa patienti loquitur in proverbiis, *dicens : Fili mi, noli negligere*. Mi, adverbium blandientis. Noli negligere, id est non sit tibi voluntas negligendi, hoc est vilipendendi *disciplinam*, id est tribulationes per quas potes discere, quod ideo vult Deus te tribulari, ut possis velut aurum igne tribulationis probari. Vel hoc

Digitized by Google

potes ibi discere, quia si nunc tibi qui filius es non parcit, quanto magis in judicio non parcet adversariis? Ex hoc etiam quod disciplina est, non debes negligere tribulationem quam pateris, et ex eo quod Dei est. Disciplinam quippe Dei negligere, est tribulationem recusare velut inutilem, cum necessitas patiendi eam ingruit; *neque fatigeris*, id est neque lassescendo deficias, *dum argueris*, id est reprehenderis *ab eo* qui Dominus est et tuus et omnium. Licet enim sis adoptatus in filium, tamen debes cognoscere Dominum. Et patienter debes adversitatem sustinere, quoniam ipsa adversitate argueris et increparis a Domino de malis, quæ fecisti, ut recogites ea et corrigas. Ideoque peccatis tuis humiliter imputa quidquid adversi pertuleris. Nec debes fatigari dum sic argueris, quoniam *Dominus castigat*, id est castum agit, hoc est per tribulationes facit a vitiis castum cum, *quem diligit*. Nec solummodo castigat et emendat verberibus eum fidelem quem diligit, sed etiam *omnem filium flagellat, quem recipit*, id est quem post culpam primi parentis ad se revocat. Omnem et majorem et minorem flagellat, quem recipit. Et tu forte dicis, Exceptus ero. Si exceptus eris a passione flagellorum, exceptus eris a numero filiorum. Ne te sine flagello futurum speres, nisi forte cogitas exhæredari. Aliter enim nullus recipitur in hæreditate æterna. Omnem flagellat quem recipit. Nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Ita omnem flagellat, ut etiam unicum suum. Unicus ille licet sine peccato, non tamen sine flagello. Patet ergo quod, qui sine peccato flagellat unicum, non immunem a flagello relinquit cum peccato adoptatum. Omnem flagellat quolibet modo, vel per malos homines, vel per malos angelos, vel per damna rerum, vel per infirmitatem corporis, seu per aliud quid adversitatis.

« In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis « offert se Deus. Quis enim filius, quem non corri- « pit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus « participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non « filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ « eruditores habuimus, et reverebamur eos. Non « multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et « vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum « dierum secundum voluntatem suam erudiebant « nos, hic autem ad id quod utile est, in recipiendo « sanctificationem ejus. »

Quia omnis filius flagellatur, ut in hæreditate quam per Adam perdiderat, recipiatur, ideo *perseverate in disciplina* quam inchoastis, id est in adversitatum tolerantia. Non enim potest erudiri quisquam sine labore, quia virtus in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII). Et vos ad magnam rem his disciplinæ flagellis erudimini, quia *tanquam filiis offert se Deus vobis*, ut cum bene flagellis ejus eruditi fueritis, possideatis eum perenniter ut Patrem, et ipse vos ut filios. In aliis codicibus non est se, sed *tanquam filiis vobis offert Deus*. Quod idem A significat. Quia tanquam filiis offert vobis, ut perseveretis in disciplina et perveniatis ad hæreditatem, atque in hoc quod disciplinam dat, patrem se ostendit : « Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum, misericordiam autem meam non auferam ab eis (*Psal.* LXXXVIII). » Non ergo tantum misericordia vocantis est, sed et verberantis atque flagellantis. Sit itaque manus paterna super vos, etsi boni filii estis. Nolite repellere disciplinam ejus. Det disciplinam dum non auferat misericordiam. Cædat contumaces, dum tamen reddat hæreditatem. Si promissa Patris agnovistis, non timeatis flagellari, sed exhæredari. Non tam amarum vobis esse debet quod flagellat, quam dulce quod recipit. Quomodo enim non flagellat B custodiens parvulos Dominus, quos grandes quærit hæredes? Nec mirum si ipse flagellat eos, quia hoc facit omnis pater de filio quem diligit et sapientem vult esse. Nam quis est *Filius quem non corripit pater* ejus, dum errare in aliquo viderit? Videmus enim homines in filiis suis hoc facere. Aliquando jam desperatos filios suos dimittunt vivere quomodo volunt. At qui spem habent, flagellant illos. Quos omnino viderint sine spe et indomitos esse, dimittunt ut faciant quod volunt. Jam qui dimittunt facere quod volunt, nolunt permittere ad hæreditatem suam. Quem autem flagellant filium, huic ipsam hæreditatem servant. Cum ergo flagellat Deus filium, curat ille sub manu patris flagellantis, quia dum flaC gellat, ad hæreditatem erudit. Non sit tam vano et puerili sensu, ut dicat : Plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult. Ego si me movero contra jussionem patris mei, flagella invenio. Tu gaude sub flagellis, quia tibi servatur hæreditas. Ad tempus emendat ne in æternum damnet. Alius autem ad tempus parcit, sed in æternum illos damnabit. Omnem filium pater suus flagellat, et verberibus disciplinæ castigat. *Quod si* vos *estis extra disciplinam* paternorum verberum, *cujus* disciplinæ *participes facti sunt omnes* filii, *ergo adulteri* estis, *et non filii estis*, id est, cum nullus filiorum absque disciplina patris sit, si vos in disciplina Dei, qua vos paterna bonitate castigat, non manetis, tunc non filii Dei estis, sed potius ex D adulterino corruptore, qui diabolus est nec jure pater vocatur, geniti. Non enim jure pater appellari potest, qui ex adulterio genuerit. Deus namque legitimus pater est fidelium, diabolus autem non pater, sed corruptor est, ideoque non filios, sed adulteros gignit. Tales sunt qui in præsenti vita flagellum Dei non sustinent, quamvis nomen Christianitatis habeant. Propter has causas debetis in disciplina manere. *Deinde* propter ista, quia *patres quidem*, sed *carnis nostræ habuimus eruditores et reverebamur eos*, id est reverentiam exhibebamus in subjectione et obedientia, ergo *non*, id est nonne *multo magis obtemperabimus Patri spirituum?* id est obediemus Deo, qui spiritalis pater noster est. Nam obedientia sola virtus est, quæ hominem Deo con-

Digitized by Google

ciliat, sicut e contra tumor, id est, inobedientia, longe a Deo separat. Quid enim aliud est, inobedientia, quam nolle subdi Deo, id est suæ velle esse potestatis? Nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, id est Deo, qui formavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ? (*Gen.* II.) Non enim de materia fecit spiritum hominis sicut corpus, sed de nihilo per insufflationem suam creavit, et ita se patrem spiritus esse quodammodo monstravit. Ideo etiam pater spirituum dicitur, quia nos in baptismo secundum spiritum generavit. *Et* huic magis quam carnalibus parentibus obtemperare debemus, quia hoc facientes in æternum *vivemus*. Carnales autem patres parum utilitatis conferre possunt. Quid enim tibi potuit præstare pater tuus, quia corripuit, quia verberavit te? Nunquid præstare potuit ut viveres in æternum? Quod non potuit præstare sibi, quando præstaret tibi? Propter pecuniam suam quantulamcunque, quam de labore collegit, erudiebat te flagellis, ne tibi dimissam male vivendo disperderes. Quoniam reliquit tibi, quod nec tenere hic poterat, nec auferre. Non enim aliquid tibi dimisit quod ipsius esse posset. Cessit, ut succederes. Deus autem tuus, redemptor tuus, castigator tuus, pater tuus, erudit te ut accipias hæreditatem, ut non efferas patrem, sed hæreditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem erudiris, et murmuras. « Erit enim tunc Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV). » Nec erit ulla infelicitas quæ nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat. Ipse autem pastor noster, Dominus noster, ipse portus noster, divitiæ nostræ. Quicunque hic nobis varia quærimus, ipse nobis unus omnia erit. Ad hanc spem domamur, et domitor intolerabilis habetur. Nam carnales patres antea nos domuerunt *et illi quidem* verberibus *erudiebant nos secundum voluntatem suam*, id est in his quæ volebant, videlicet in vanis et caducis *in tempore paucorum dierum*, dum essemus pueri; *hic autem* scilicet pater spirituum, erudit nos *ad id quod est utile* id est ad fidem et bonam conversationem *in recipiendo sanctificationem ejus*, id est cum recipimus disciplinam ejus, quæ nos non solum a peccatis mundat, sed et sanctificat.

« Omnis autem disciplina in præsenti quidem vi-
« detur non esse gaudii, sed mœroris. Postea au-
« tem fructum pacatissimum exercitatis per eam
« reddet justitiæ. Propter quod remissas manus, et
« soluta genua erigite, et gressus rectos facite pe-
« dibus vestris, ut non claudicans quis erret, ma-
« gis autem sanetur. »

Monuit eos in disciplina perseverare. Sed quia illi poterant objicere gravem et asperam esse disciplinam, respondet id ipse prior, et occurrit cogitationibus eorum, atque solvit objectionem. Quasi dicat : Hortor vos stare in disciplina, sed fateor verum esse quod sit aspera. Nam *omnis disciplina*, id est afflictio, quam quisque pro peccatis suis patitur ut corrigatur, *in præsenti quidem*, id est inter ipsos dolores molestiæ *videtur* sufferenti *esse non gaudii, sed mœroris* quia corpoream feriendo perturbat lætitiam. Disciplinam namque, quam Græci appellant παιδείαν, ibi Scripturæ nostræ ponere consueverunt, ubi intelligenda est per molestias eruditio, sicut in hoc loco. *Pædia* quippe in Græco habet iste locus epistolæ. Disciplina vero, quæ a discendo vocatur, per quam res quæque discitur, ut sciatur ἐπιστήμη dicitur. Disciplina, quæ flagellando corrigit, videtur esse mœroris, sed non ita videbitur, si quis futura cogitaverit. Nam cogitantibus sola præsentia, videtur intolerabilis, sed cogitantibus æterna fit exoptabilis. Nunc quidem mœroris esse videtur, sed *postea*, id est in alia vita *reddet fructum*, id est fructuosam remunerationem, fructum dico *justitiæ*, id est quem justitia meretur. Et ille fructus erit pacatissimus, quoniam sine ulla vel corporali, vel spiritali adversitate possidebitur in omni pace. Et quibus reddetur? *exercitatis per eam*, id est per disciplinam, hoc est, ideo tunc alta pace fruentur absque molestia, qui nunc paterna exercitantur disciplina. *Propter quod*, id est, qui tanta requies in futuro sæculo per exercitationem præsentis disciplinæ acquiritur, vos, qui mœrore affecti propter flagella disciplinæ torpueratis a bonis operibus, *erigite* jam alacriter ad bene agendum pro superna mercede *manus remissas*, id est pigras in eleemosynis. Vel manus remissas, id est desideria repentina sursum erigite ad Deum, *et genua soluta*, id est consuetudinem fluxam erigite ad statum rectitudinis, *et gressus rectos facite pedibus*, id est actionibus *vestris*. Ad virtutis enim statum, dum non erigitur fluxa consuetudo, quo desiderium intuetur, illuc gressus operibus efficaciter non sequitur [*al.* sequuntur]. Pedibus, id est affectionibus cogitationum vestrarum facite rectos gressus operum bonorum, ut quo vocat intentio, sequatur, operatio *ut non erret quis* a recta via fidei *claudicans*, id est incessu cogitationum vel actionum suarum titubans, ut ille qui carnales legis observantias simul et Evangelium tenere volebat, vel sicut qui nunc in futuro sæculo volebat esse sine flagello. Non ita claudicet quis, quia tunc erraret a via rectitudinis exorbitans, sed *magis*, id est potius *sanetur* ab omni languore pedum cordis, ut fortis et rectus incedat per viam justitiæ.

« Pacem sequimini cum omnibus et sanctimo-
« niam (*Rom.* XII), sine qua nemo videbit Deum,
« contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua
« radix amaritudinis sursum germinans impediat,
« et per illam inquinentur multi : ne quis fornica-
« tor aut profanus ut Esau, qui propter unam escam
« vendidit primitiva sua (*Gen.* XXV). Scitote enim
« quoniam et postea, cupiens hæreditare benedi-
« ctionem, reprobatus (*Gen.* XXVII). Non enim in-
« venit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis
« inquisisset eam. »

Monet qualiter cum hominibus sit conversandum. *Pacem*, inquit, *sequimini* non cum quibusdam, sed *cum omnibus*, id est jura pacis erga omnes ho-

Digitized by Google

mines ita sectamini, ut etiam cum illis qui vos persequuntur, pacem teneatis. Nam sunt nonnulli, qui dum plus sapere quam necesse est student, a proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes, stultosque contemnunt. Quod vero de duabus his virtutibus diximus, hoc et de aliis omnibus sentiendum est. Contra quod discordiæ malum, recte nunc Apostolus monet. Pacem sequimini cum omnibus, id est a pace concordiæ nunquam recedatis, ut cum aliquo homine discordiam habere incipiatis; *et sanctimoniam* sequimini, id est castitatem mentis et corporis, vel sanctimoniam, id est perfectionem in bonis operibus, *sine qua* pace vel sanctimonia, *nemo videbit Deum*. Valde terruit Apostolus, sed non nisi amatores. Non enim dixit pacem sectamini cum omnibus et sanctificationem, quam qui non habuerit, æterno igne cruciabitur, sed dixit, sine qua nemo videbit Deum. Amatorem te voluit esse boni, non formidatorem mali, et ex eo ipso quod desiderabas, inde terruit. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illius amore suspiras, ecce probat te Deus tuus. Quasi dicat tibi : Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam; quidquid libuerit, licitum puta. Non te hinc punio, non te in gehennam mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti. Si ad hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, si in non videndo Deum magnam pœnam putasti, gratis amasti. Ergo pacem sequamur, sine qua nemo videbit Deum. Nam unde videamus, Deum non habebimus, si contendendo in nobis ipsum oculum exstinxerimus. Quam stulti essent duo volentes videre solem oriturum, si contenderent inter se qua parte oriturus esset, et quomodo videri posset, et nata inter se controversia litigarent, litigando se cæderent, cædendo oculos suos exstinguerent, ut illum ortum videre non possent? Igitur ut Deum videre possimus, fide corda mundemus, charitate sanemus, pace firmemus, quia hoc ipsum unde invicem diligimus, jam ex illo est, quem videre desideramus. Sed et sine sanctimonia nemo videbit Deum. Unde Joannes cum dixisset : « Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III), » continuo subjecit : « Et omnis qui habet spem hanc in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est (*ibid.*). » Studendum itaque est paci et sanctitati, ut idonei simus eum videre. Has, inquit, duas virtutes sectamini, ut et sancti sitis, et propter sanctitatem vestram a pace perfectorum non recedatis, sed curam de illis habeatis, *contemplantes ne quis* ex illis vel ex vobis *desit gratiæ Dei*, quæ vobis adest, ut per eam et pacem et sanctimoniam, et cætera bona sectari possitis. Pravum est enim valde, si quis vestrum gratiæ Dei se subtrahat, cum ipsa se gratia vobis omnibus ingerat. Cui se per peccatum subtrahit, et illam a se rejicit, qui magis delectationi suæ, quam cœlesti gratiæ consentit. Unde subjungitur : Contemplantes

A *ne qua radix amaritudinis*, id est ne qua inchoatio delectationis peccati impediat illam gratiam. Quæ peccati delectatio verius dicitur amaritudo, et ideo est vitanda. Ne qua radix amaritudinis, id est ne qua delectationis inchoatio, et ne qua cogitatio malitiæ *sursum germinans*, id est in actionem erumpens, *impediat* iter vestrum ad cœlum. Radix enim in malis cogitationibus accipitur, germen autem in malis operibus atque sermonibus, quia quod latet in radice, monstratur in germine. Et intelligitur ista radix vel infidelitatis, vel peccati delectatio, nascens in corde, vel alia quælibet nequitiæ affectio. Et contemplandum est diligenter, ne sursum in actionem, vel in sermonem germinans ut lolium, *impediat* triticum virtutum ejus in quo sic germinaverit *et* deinceps *per illam inquinentur multi*, accipientes ab eo exemplum nequitiæ vel infidelitatis. Ideo enim cavendum est, ne talis radix germinet, quia quod in uno germinaverit, in alios diffunditur. Deinde per partes ostendit Apostolus hæc amaritudinis germina, et aliquos Judæorum notat. Contemplantes, inquit, *ne quis* sit *fornicator aut profanus*, id est a conventu fidelium alienus, *sicut Esau* (*Gen.* XXV), *qui* pro amore gentilium mulierum sequestravit se a semine Abrahæ, et offendit patrem suum et matrem, atque *propter unam escam*, id est propter lentem, quam frater ejus coxerat, *vendidit* ei *primitiva*, id est primogenita *sua*, scilicet dignitatem quæ illi debebatur ex eo quod prior natus erat, propter quæ et a patre benedictionem accipere debebat. Sed ita fuit profanus, id est procul a religione, ut propter ventris ingluviem venderet benedictionem. Quamvis enim ex sanctis parentibus esset natus, tamen male vivendo degeneravit, et a semine Abrahæ, sicut dictum est, se separavit, nec promissiones Abrahæ factas hæreditavit. Ita et nunc inter Hebræos intelligitur Apostolus in spiritu vidisse aliquos sectatores Esau, in fornicatione et neglectu religionis et ingluvie ventris. Nam quos lex terrendo compescebat a nequitia fornicationis, nunc sub gratia quasi libere fornicabantur, quia non statim puniebantur, sed ad pœnitentiam exspectabantur. Vel fornicator erat, quisquis inter eos carnalem legis observantiam velut concubinam cum fide tenebat; profanus vero, quisquis fidem prorsus negligebat, sicque primitiva sua, id est primatum, quem apud Deum habere posset, vendebat minori fratri, id est permittebat gentili populo ad fidem venienti, accipiens lentis escam rufam, id est delectationem peccati, quod per sanguinem designari solet. Et ita more Esau degenerans a fide et religione spiritualium patrum, a quibus per Evangelium in Christo genitus fuerat, promissiones supernæ hæreditatis consequi dignus non erat. Hæc itaque timens Apostolus, monet eos blande, ne sit inter eos quis fornicator vel profanus, sicut Esau, qui propter unius vilis escæ cupiditatem dedit primatus sui dignitatem. Nec debetis, inquit, esse sicut ille, qui reprobatus est. Nam *scitote quoniam et postea*, id est postquam primogenita

Digitized by Google

sua vendiderat, *cupiens hæreditare benedictionem* quæ primogenito debebatur, *reprobatus est* a Deo, licet enim pater eum benedicere vellet, divina tamen dispensatione factum est, ut fratrem ejus pro illo benediceret. Sicque divinitus reprobatus est ab acceptione benedictionis, quamvis pater eum ad benedicendum elegisset. *Non enim invenit* tunc *locum pœnitentiæ*, quanquam inquisisset eam cum lacrymis. Nam cum de venatu redisset, et agnovisset quod Jacob benedictionem, quam ipse exspectabat, accepisset, vehementer doluit et flevit, quod et antea primogenita, et nunc benedictionem perdidisset. Sed licet ubertim fleret, tamen pœnitentiæ locum non invenit, per quam primogenita quæ dudum vendiderat, recuperaret, vel benedictionem quam frater ejus acceperat, ipse sumeret, quia sero flevit, et sero pœnitentiam quæsivit. Impossibile enim jam erat mutari, quod factum fuerat. Sic et vos præcavete, ne cum post mortem debetis recipere benedictionem, reprobemini, et locum pœnitentiæ tunc non inveniatis, si modo primatum vestræ dignitatis propter brevem aliquam delectationem perdideritis. Tarde enim in illo sæculo quæritur pœnitentia, cum jam fratres nostros benedictionem quam sperabamus, accepisse cognovimus, et nos sine benedictione relictos esse. Nunc enim tempus est pœnitentiæ, non tunc.

« Non enim accessistis ad tractabilem et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonitum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum (*Exod.* XIX, XX). Non enim portabant quod dicebatur; et si bestia tetigerit montem, lapidabitur (*ibid.*). Et ita terribile erat, quod videbatur : Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus. »

Dixit ne quis vestrum desit gratiæ Dei, parata est enim vobis. *Non enim accessistis* ad asperitatem legis quæ nunc describitur, ut e contra intelligatur suavitas gratiæ. Non accessistis *ad ignem*, qui in vertice Sinai ardebat, *tractabilem*, id est palpabilem, *et accessibilem*, id est ad quem motu corporis accederetur, sed ad Spiritum sanctum, qui ignis est consumens peccata, et accendens in mente charitatem; qui non palpatur corporaliter, quia spiritus est, nec ad eum motu corporis, sed affectu cordis acceditur, quia nusquam localiter est. Non accessistis ad ignem, *et turbinem*, *et caliginem*, etc. Hæc in datione legis facta sunt, ut corda Judæorum concuterentur, ne auderent legem transgredi. Sed non ita in novæ legis acceptione factum est. Omnia enim suaviter et dulciter indicantur nobis, ut non ex timore, sed ex amore serviamus. Et non accessistis, inquit, ad turbinem : Turbo est vis ventorum cum grandine et pluvia, et significabat impetum vitiorum, quæ magis per legem damnata sunt. Sed modo venitur ad serenitatem virtutum per gratiam sancti Spiritus. Et non accessistis ad caliginem, id est ad obscuritatem legis, sed ad claram intelligentiam. *Et ad procellam*, quæ tunc facta est, non accessistis, sed ad tranquillitatem. Procella enim, id est tempestas, quæ est major quam turbo, et quæque [*al.* quocunque] propellit, ipsa est servitus peccati secundum operationem, quæ per legem trahebat homines. Modo autem perfecti requiescunt a vitiis; et *tubæ ad sonitum* non accessistis. Tubæ enim sonus, qui est signum motionis ad bellum, motus delectationis est, qui non per legem, sed per gratiam sopitur et exstinguitur; *et* non accessistis ad vocem *verborum*, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis *a Domino fieret verbum*, quando pertenuit ac pavore concussi steterunt procul, dicentes Moysi : « Loquere tu nobis, et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur (Exod. xx). » Hujusmodi vox, est legis præceptio et comminatio, quam populus gravem putavit et intolerabilem, quia sola præceptio erat sine gratia adjuvante. *Non enim portabant quod dicebatur*, quia sine gratia insufficientes erant ad observanda præcepta. Potest ignis, ira legis intelligi. « Lex enim iram operatur (*Rom.* IV). » Turbo, comminatio quæ dicitur, si quis hoc vel hoc fecit, morte moriatur. Caligo, obscuritas ignorantiæ quæ in lege erat. Procella, vindicta culpæ quam lex faciebat. Sonus tubæ, adventus judicis, qui in tuba descendet de cœlo (*1 Thes.* IV). Vox verborum, aspera locutio judicis, qua peccatores arguet. Et ideo vox ista merito visa est intolerabilis, quia nemo potest sustinere pondus illud judicii, si districte judicatus fuerit. Non enim portabant quod dicebatur, quia verbum illius judicis importabile est his, qui sine misericordia judicantur. Sed quid dicebatur quod importabile videbatur? hoc scilicet : *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Sic enim præceperat Dominus quasi dicens : Longe state, quia etiam si bestia montem attigerit, lapidibus opprimetur. Ideo præ timore non poterant ferre vocem Domini terribiliter loquentis, quia protinus mori formidabant. Spiritualiter vero, mons est divinitus contemplationis celsitudo. Bestia, defectus rationis. Quod est, quando verbum blasphemiæ profertur in Deum, vel irrationabiliter ad ejus contemplationem tenditur. Tangit ergo montem ut bestia, qui offendit in divinitatem per suam irrationabilitatem, dum imprudenter [*al.* impudenter] cogitat vel loquitur de Deo id quod non oportet. Bestia montem tangit, cum mens irrationabilibus desideriis subdita ad contemplationis alta se erigit. Sed lapidibus percutitur, quia suprema non sustinens, ipsis superni ponderis ictibus necatur. Unde cum lex accipiter, populus a monte prohibetur, ut videlicet qui adhuc mentibus terrena desiderant, considerent sublimia non præsumant. Prius enim mens ab appetitu gloriæ temporalis atque ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergenda est, et tunc ad aciem contemplationis erigenda. Deus in igne loquens, minabatur bestiam quoque lapidandam esse si tangeret montem. *Et ita terribile erat* quod vi-

Digitized by Google

batur, quia mons ardere videbatur, et dixerunt ad Moysen filii Israel : « Vocem Dei audivimus de medio ignis, et probavimus hodie quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Cur ergo morimur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur (*Deut.* v). » Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus et possit vivere? Ita terribile erat quod videbatur. Et vere terribile. Nam *Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus.* Valde enim fuit terribile, quod Moysen potuit exterrere. Et si ille sic timuit, quid putandum est de cæteris? Moyses exterritus est, quoniam tanta erat asperitas, ut etiam perfecti terrerentur, quia non erat adjutrix gratia. Modo autem nec imperfectis gravis est præceptio, quia est jugum Christi suave, et onus ejus leve (*Matth.* IX). Sequitur :

« Sed accessistis ad Sion montem, et ad civitatem « Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum « millium angelorum frequentiam, et ecclesiam « primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et ju« dicem omnium Deum, et spiritus justorum per« fectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum, « et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam « Abel. »

Non accessistis, inquit, ad tractabilem ignem, et ad cætera quæ descripsit hactenus. Non ad illa aspera accessistis, sed potius ad montem Sion. Non supponit contraria quæ ex opposito intelliguntur, sed præmium quod ex eis sequitur, ut per hoc magis suadeat tenendam esse gratiam. *Accessistis ad montem Sion*, id est ad celsitudinem supernæ beatitudinis, in qua Deus videtur. Mons namque sublimitatem, Sion vero quæ dicitur *speculatio*, contemplationem designat. Ad quam per fidem, et per virtutum merita accessistis, id est propinqui jam facti estis, ut post modum ad ipsam perveniatis, juxta illud : « Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII.) » Sic accessistis proficiendo, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus (*Rom.* XIII). Ascensiones ergo in cordibus vestris disponendo, propinquastis quidem, licet nondum perveneritis ad montem Sion, id est ad illius ineffabilis beatitudinis altitudinem, in qua sancti Deum speculantur, *et ad civitatem Dei viventis*, quæ ex ejus visione percipit, ut et ipsa sine fine vivat sicut ille. Ad civitatem Dei, scilicet ad *Jerusalem cœlestem*, quæ dicitur *visio pacis*, quia nihil inquietudinis inter se vident in illo cœlorum regno, sed quietem et pacem æternam ; et accessistis ad *frequentiam multorum millium angelorum*, qui civitatem illam feliciter inhabitant. Et horum omnium futuri estis socii, quoniam cum pluribus major erit beatitudo, ubi unusquisque de alio gaudebit, sicut de seipso, vere diligens proximum suum sicut seipsum et accessistis ad *ecclesiam primitivorum*, id est apostolorum et cæterorum illius temporis sanctorum, qui jam ad superna migraverunt, et *conscripti sunt in cœlis*, id est scripti sunt cum eis, qui sunt in cœlis, hoc est in eorum ordine sunt, videlicet in angelorum sorte deputati. Et ideo ne dubitetis ad angelorum frequentiam vos esse perventuros, ad quam antecessores vestri jam pervenerunt; *et* accessistis etiam ad *Deum judicem omnium*, ut et vos cum eo judices efficiamini, atque persecutoribus vestris justam pœnarum vicem tunc reddatis, *et* accessistis ad *spiritus*, id est ad animas *justorum perfectorum*, qui jam de hoc sæculo transierunt, quoniam et ipsi post apostolos ad regnum cœleste pervenerunt. Omnes enim justi quicunque in factis et dictis et cogitationibus perfecti sunt, mox ut animos de corporibus emittunt, cœlestibus habitaculis inferuntur. Ad horum spiritus accessistis, quoniam beatitudini eorum propinquastis, cum jam in fide et opere socii eorum sitis. Ad hæc omnia accedere magnum est jam præmium, quoniam ad hæc non pedum incessu, sed virtutum profectu acceditur ad Christum, qui via nobis ad hæc factus est. Unde subjungitur, *et Testamenti Novi mediatorem Jesum.* Sed accessistis ad Jesum, per quem ad omnia prædicta potuistis accedere, quoniam ipse est mediator Testamenti Novi, id est per seipsum dator Evangelii quod a patre acceperat, ut per illud perveniamus ad æternam hæreditatem. Moyses enim, sicut longe supra diximus, Veteris Testamenti, in quo temporalis hæreditas promittebatur, fuit mediator, qui ait : « Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus (*Deut.* v). » Sed Dominus Jesus in tempore gratiæ fuit medius inter Patrem et nos, annuntians nobis verba ejus, et nos ei reconcilians, ac per se mediatorem dans nobis accessum ad eum, et ad omnia nunc superius denotata, et accessistis ad sanguinis ejus, inquit, aspersionem, per quam a peccatis vestris emundati estis atque sanctificati, sicut nonnulla, quæ in lege erant mundanda atque sanctificanda, aspergebantur sanguine hostiarum, ut mundari possent atque sanctificari. Sic igitur et nos omnes sanguine hujus veri sacrificii sumus aspersi, per quem non solum a peccatis emundati sumus, sed et sanctificationem atque justificationem accepimus. Aspersionem dico, *loquentem melius quam Abel.* Loquitur enim aspersio sanguinis Christi, quia Patrem interpellat pro nobis. Et ideo loquitur melius quam sanguis Abel, de quo dictum fuerat, « quia vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra (*Gen.* IV), » quia sanguis Abel mortem parricidæ fratris petiit, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit. Sanguis Abel expetit vindictam, sanguis Christi misericordiam. Ille uni nocuit, iste multis profuit. Et idcirco melius loquitur. Vel melius loquitur, id est loquentes facit, quod Jesus est Filius Dei, a quo redempti sumus.

« Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non « effugerunt, recusantes eum qui super terram lo« quebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquen« tem nobis avertimus. Cujus vox movit terram « tunc, nunc autem repromittit, dicens : Adhuc se-

Digitized by Google

« mel, et ego movebo non solum terram, sed et « cœlum (*Agg.* II). Quod autem adhuc semel dicit, « declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque « regnum immobile suscipientes, habemus gratiam « per quam serviamus, placentes Deo cum metu et « reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens « est (*Deut.* IV). »

Dominus Jesus ad quem accessistis, loquitur, ut dictum est, sanguine suo, quia et apud patrem pro nobis intervenit, et nos ad imitationem suæ passionis incitat. *Videte* ergo *ne recusetis loquentem*, dum vos hortatur ut sequamini vestigia ejus. Recusabitis etiam eum loquentem, si cum ipse pro vobis interpellet, quæsieritis per carnales observantias placere Deo. Nam et hoc loquitur sanguine suo, quod omnia legis sacrificia jam cessare debent, et solum ejus sacrificium manere loquitur, dum carnalia prohibet et spiritualia præcipit. Diligenter itaque attendite, ne recusetis eum loquentem, sed tanto mentis desiderio in omnibus quæ loquitur, amplectimini eum. Nam *si illi*, id est veteres Judæi, *non effugerunt*, dignam ultionem, *recusantes eum qui super terram loquebatur*, id est Moysen, qui licet Christo plenus, tamen homo tantum, non autem et Deus erat, et inter homines conversabatur, quibus præcepta Dei tradebat, *multo magis nos*, non effugiemus, *qui avertimus*, ab aure cordis nostri Christum, *loquentem nobis de cœlis*. Nam in cœlo jam sedet, qui de conversione nos admonet; et si illi dignas pertulere pœnas, qui Moysen licet mortalem et in terra positum, contempsere, quid nos passuri sumus, si Christum immortalem et in cœlo sedentem contempserimus? Vel super terram loquebatur Moyses, quia terrenis hominibus carnalia præcepta dabat, et terrena bona promittebat. Super terram loquebatur, quia non super justum ponebat legem suam, sed super quemlibet peccatorem, cui dictum est : « Terra es, et in terram ibis (*Gen.* III.) » Christus autem loquitur de cœlis, id est de cœlestibus et spiritualibus, quia et spiritualia, id est æterna bona promittit. Sed si illi non evasere, qui Moysen carnalia jubentem contempserunt, quomodo nos evademus, si Christum spiritualia jubentem audire neglexerimus? *Cujus*, Christi, *vox movit terram tunc*, cum Moyses super terram loqueretur, quia ipse Moysi legem dedit in monte Sina, et ejusdem legis decalogum, audiente universo populo, magna voce locutus est de vertice montis; et ut majorem illis terrorem incuteret, terram concussit. Tunc quidem ut comminaretur, ne recusarent ejus dicta, commovit sola voce terram; *nunc autem* non modo non minatur, sed blanditur et repromittit; ideo multo minus eum recusare debemus. Modo repromittit, id est iterum atque iterum velut in præmio promittit de novissimo die, in quo omnia elementa commovebuntur, vel iterum post illam terræ motionem, quæ in datione legis facta est, quando et cœlum intelligitur fuisse motum, promittit, *dicens*, per Aggeum prophetam (*cap.* II) : *Adhuc semel*, et non amplius futurum est, scilicet in die judicii, *et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum*. Cœlum autem non æthereum, sed aereum, non superius, sed inferius : non firmamentum, sed ventis et nubibus pervium. Cujus sententiæ sensum exponit Apostolus subdens : *Quod autem adhuc semel dicit*, etc. Ipse dicit adhuc semel movebo, quasi dicens : Jam fuere mota, sed adhuc semel ea movebo. Sed quod dicit, adhuc semel, *declarat translationem mobilium*. Nam per semel notat, quod ulterius non sint movenda, sed post futura sint immobilia. Per hoc quod dicit, movebo, declaratur cœli et terræ translatio, id est in alium statum transmutatio, ut fiat cœlum novum et terra nova, ex isto veteri cœlo et veteri terra (*supra* I). Unde dictum est, « quia sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur (*Psal.* CI). » Non ergo alia fient, sed hæc ipsa quæ ab initio facta sunt, renovabuntur igne judicii, et post sine fine manebunt. Declarat itaque translationem mobilium, id est transmutationem faciei terræ atque cœlorum, id est aeris hujus ventosi, non *superiorum* cœlorum, ubi sol et luna et cætera sidera *sunt* constituta. Quod autem in Psalmo dicitur : « Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt (*Psal.* CI); » nullum cœlorum videtur relinquere, quod periturum esse non dixerit, quia sicut nullum eorum ab opere Dei, ita nullum eorum a perditione fecit immune. Cui simile est : et quod hic dicitur, declarat translationem mobilium *tanquam factorum*. Nam non solum non immobilia sunt, sed etiam mobilia, quæ sunt in creaturis facta a Deo. Ne ergo totus mundus periturus esse credatur, a toto, sicut diximus, pars accipiatur, in eo quod dictum est, ipsi peribunt, cum soli cœli infimi perituri sint, salvis illis superioribus, et in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sidera sunt constituta. Similiter et hic per factorum, intelligitur, in his quæ sunt mobilia et transferenda. Sed idcirco dicuntur a Deo facta quæ sunt transferenda, ut ostendatur quia bene poterunt in alium statum transferri, quæ potuerunt ex nihilo fieri. Declarat ergo translationem mobilium tanquam a se factorum, id est inferiorum cœlorum, qui quondam in diluvio periere, et eorum elementorum quæ in hac una parte mundi subsistunt procellosa et turbulenta, *ut maneant* in perpetuum; *ea quæ sunt immobilia*, id est superiores cœli cum habitatoribus suis, et terra postquam per ignem fuerit immutata. Vel declarat translationem mobilium, ut ea quæ nunc sunt et variantur, postquam translata fuerint, maneant æternaliter immobilia. Nam post illam translationem cœlum et terra erunt immobilia, sicut apparet in eo, quod semel movenda dicuntur. Et quandoquidem pereuntibus mobilibus ac temporalibus, ea quæ sunt immobilia manebunt, *itaque regnum Dei* quod est *immobile*, manebit in æternum, et nos illud spe jam *suscipientes, habemus gratiam* Dei, sine qua non possemus ad illud pervenire; et ideo nullus desit gratiæ Dei, quæ se nobis ingessit.

Digitized by Google

Habemus gratiam, in qua percipimus fidem, spem, charitatem bona operatione, per quam serviamus Deo placentes ei. Serviamus, inquit, et hoc *cum metu*, quia Deus est, *et reverentia*, id est tremore horroris, quia Pater est, vere per gratiam quam accepimus, servire debemus cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est, cui servire volumus, sicut et Moyses antea dixit (*Deut.* IV). Deus quippe ignis consumens dicitur, quia per hunc peccatorum rubigo consumitur. Rubigo namque vitii non potest consumi nisi igne tormenti. Ignis quatuor sunt officia, id est quoniam purgat et urit et illuminat et calefacit. Sicque Spiritus sanctus purgat sordes vitiorum; et urit renes et cor ab humore libidinum, illuminat mentem notitia veritatis, et calefacit incendio charitatis. Et per hæc omnia facit placere Deo. Et idcirco per acceptam gratiam serviamus ei placentes. Vel cum metu et reverentia serviamus, quia Deus noster est ignis consumens, qui illos in judicio consumet, qui nunc eum nec metuunt, nec reverentur. Non quod Deus sit ignis, sed quod sustinentibus pœnas ignis esse videatur. Nam sicut illuminabit justos, sic exuret impios.

CAPUT XIII.

« Charitas fraternitatis maneat in vobis et ho-
« spitalitatem nolite oblivisci (*Petr.* IV; *Rom.* XII).
« Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospi-
« tio receptis. Mementote vinctorum tanquam simul
« vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore
« morantes. Honorabile connubium in omnibus,
« et torus immaculatus. Fornicatores autem et
« adulteros judicabit Deus. »

Nunc moraliter instruit. Quoniam Deus est ignis accendens in corde charitatem, per quam non solum Deus, sed et proximus diligitur : ergo videte, ne charitas fratrum, quam ignis ille accendit in cordibus vestris exstinguatur, aut recedat a vobis, sed jugiter *maneat in vobis charitas fraternitatis*, id est semper diligatis fraternitatem, hoc est fratres qui sunt aqua et spiritu renati (*Joan.* III); sicut et vos : nec sit unquam aliquid, quod eorum amorem auferre possit de cordibus vestris; *et hospitalitatem* quam olim habuistis, priusquam rebus vestris spoliaremini, *nolite oblivisci* propter indigentiam vestram, sed estote frequenter memores ejus in opere, ut vel hospitium præbeatis cum charitate, etsi copiam alimentorum non sufficiatis exhibere. Nec debetis per inconsuetudinem oblivisci hospitalitatem, quia *per hanc placuerunt* Deo *quidam nominatissimi patres*, id est Abraham et Lot (*Gen.* XVIII, XIX), *receptis angelis hospitio*. Nam quia pio studio consueverant hospites suscipere, meruere et angelis hospitium exhibere. Quos quidem homines esse putabant, dum eis cibos offerrent, sed post intellexerunt esse angelos, vel cum eis videntibus in cœlum irent, vel per alia aliqua indicia, quæ in ipsis viderunt. Præter hospites autem *mementote vinctorum*, id est memores estote eorum, qui pro nomine Domini tenentur in carceribus aut vinculis, nec possunt sibi subsidia quærere : et ideo pie de illis cogitate, ut eis necessaria ministretis. Non sint vobis oblivioni, quamvis teneantur in abditis reclusi; sed mementote eorum *tanquam simul vincti*, id est ita jugiter de eis cogitate, et eis compatimini et subvenite, ac si essetis vincti cum eis : et sicut vobis vinctis velletis subveniri, ita illis subvenire studete, *et* mementote *laborantium*, id est eorum, qui vel infirmitate corporis, vel aliqua necessitate laborant. Mementote frequenter eorum, benefaciendo illis *tanquam et ipsi* passibiles, et ad sentiendum afflictionis laborem habiles, hoc est quod dicitur, tanquam et ipsi *in corpore morantes*. Per hoc enim quod in corpore moramini, experti estis per vos ipsos, quid necesse sit laborantibus, et potest fieri ut et vos duriorem adhuc laborem quam isti sustineatis, et desideretis vobis ab aliis subveniri : et ideo nunc vos priores subvenite, ut et vobis (si necesse fuerit) subveniatur. Aliud quoque vobis notifico, scilicet quia *connubium* est *honorabile*, id est legales nuptiæ sunt honorabiles *in omnibus*, nihil est in eis quod honore careat, *et torus* talium conjugum est *immaculatus*, id est sine macula criminis. *Fornicatores autem* qui publicis mulieribus commiscentur, *et adulteros* qui alienas uxores violant, *judicabit Deus*, id est in novissimo judicio perpetualiter condemnabit. Adulterium enim in aliena conjuge perpetratur. Fornicatio autem in hoc loco non solum cum cæteris mulieribus intelligitur, sed etiam illa quæ Gomorrhæorum more agitur, vel quocunque modo castitas sponte violetur. Et hos omnes qui se quacunque luxuria polluunt, judicabit Deus. Longe quidem est dies judicii, sed uniuscujusque hominis dies ultimus longe esse non potest; et quia brevis est vita, ipsaque brevitas semper incerta, ita ut nemo nostrum sciat quando sit ultimus dies ejus, ideo quicunque est aliqua libidinis immunditia contaminatus, studeat cito mundari per pœnitentiam, dum adhuc potest, ne incipiat velle cum jam non poterit, et incidat in judicium æterni Dei.

« Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.
« Ipse enim dixit : Non te deseram neque derelin-
« quam (*Josue* I), ita ut confidenter dicamus : Do-
« minus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi
« homo (*Psal.* CXVII). Mementote præpositorum ve-
« strorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quo-
« rum intuentes exitum conversationis imitamini
« fidem. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæ-
« cula. »

Postquam isti sua perdiderant, volebant iterum congregare. Quod nunc prohibet Apostolus. *Sint*, inquit, vobis *mores sine avaritia*, id est moribus vestris non se intermisceat avaritia. Sed sine pecuniarum immoderato amore sacri mores vestri ducantur, *contenti præsentibus*, ut non de futuris lucris tractent, nec ad futura tempora opes sibi coacervent. Sed ne dicerent, quid si necessaria defuerint, subdit consolationem. Non debetis avide congregare, quasi timentes ne Deus necessaria vobis sinat abesse,

Digitized by Google

quia ipse qui mentiri non potest, dixit omni speranti in se : *Non te deseram neque derelinquam.* Ad majorem fiduciam nobis faciendam ingeminavit promissionem non relictionis, dicens : *Non te deseram neque derelinquam.* Hoc dixit Josue (*cap.* 1) tenenti formam Domini Jesu Christi, et in Christo cuilibet membro Christi. Ita promisit se non derelicturum nos, et ita est nobiscum, *ut confidenter* dicat unusquisque nostrum : *Dominus mihi adjutor* est in cunctis laboribus et tribulationibus meis, et ideo *non timebo quid faciat mihi homo*, etiam si res meas auferat, etiam si corpus meum pœnis afficiat. Diabolus proprie est noster adversarius, sed per hominem sæpius mala nobis infert. Et idcirco per Dei adjutorium non timemus hominem pravum, per quem diabolus operatur. Ut autem vincatis avaritiam, neque timeatis ullum malum hominem *mementote præpositorum vestrorum* defunctorum, *qui vobis locuti sunt verbum Dei*, id est recogitate quam perfecte ipsi reliquerunt omnia propter Evangelium et quam constanter omnes adversitates per patientiam intrepidi calcaverunt. Horum mementote, ut eos imitemini, et tunc nec paupertatem, nec persecutionem timebitis, *quorum conversationis exitum intuentes*, id est interioribus oculis inspicientes quomodo exierint de præsenti conversatione, et quo fine temporalem vitam terminaverint, transeuntes ad æterna gaudia, *imitamini fidem* eorum, quam usque in mortem tenuerunt, ut et vos similiter in fide moriamini, et ad fidei præmia perveniatis. Ne autem dubitetis divinum vobis adjutorium adesse, quod illis adfuit, scitote quia *Jesus Christus heri fuit et hodie est, ipse et in sæcula* erit. Ac si dicatur : Idem Christus qui cum illis fuit, vobiscum est : et erit cum eis qui futuri sunt, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). Heri fuit cum patribus, hodie est vobiscum, ipse erit et cum posteris vestris usque in sæcula. Heri enim præteriti temporis est, hodie præsentis. Quod autem in sæcula manet, non videtur habere finem. Heri ergo, omne præteritum tempus et omne spatium æternitatis, quod ante mundi originem fuit, significat : hodie autem, omne præsens tempus ; perduratio in sæcula, omne spatium temporis et infinitatis quod futurum est. Itaque Jesus Christus fuit heri, quia « in principio erat Verbum (*Joan.* 1), » et ab æterno usque ad nostra tempora, ipse est, hodie quoque, id est nostro tempore est. Erit et in sæcula, quia æternaliter manebit. Unde et per Joannem de eo dicitur : « Qui erat, et qui est, et qui venturus est (*Apoc.* 1). » Nam qui venturus est potest intelligi, qui futurus est per omnia sæcula, et hæc quidem secundum imbecillitatem humanæ intelligentiæ dicuntur. Cæterum divinitas ejus interminabilis plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet cui neque futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit, quoniam esse ejus totum est, et semper est nesciteque mutabilitatem, quod neque cœpit unquam, nec aliquando cessabit, insuperabile quoddam ac sine fine essentiæ pelagus, nullis terminis limitibusque circumdatum, omnem supergredieus sensum, omne tempus atque omnem naturam. Sequitur :

« Doctrinis variis et peregrenis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabiliri cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. »

Quia Jesus Christus semper fuit et est et erit, *nolite* ab ejus fide *abduci doctrinis* pseudoprædicatorum *variis*, id est diversis, et a se invicem multiplicitor differentibus ac discordantibus, dum alius alium errorem docet, et alius alium, sibique vicissim contraria prædicant ; *et peregrinis*, id est a catholica veritate alienis. Talibus ergo doctrinis nolite abduci, id est ab integritate fidei et puritate religionis Christianæ separari. Nec debetis seductoriis falsiloquorum verbis abduci, quia *optimum est stabiliri cor* in *gratia* fidei et sanctitatis, ut stabiliter persistat in ea, nec in ullum inducatur errorem, sed in gratia Dei quam accepit, maneat. Gratia debet cor stabiliri juxta Evangelium, *non escis* juxta doctrinam pseudoprædicatorum. Datur enim intelligi, quosdam inter eos fuisse, qui dogmatizarent non esse peccatum escis vacare. Nam quia per gratiam licitum est omnibus cibis uti, prædicabant non esse culpam cibis affluere, sed bonum esse. Contra quos Apostolus : « Nolite, inquit, abduci doctrinis stultorum, quæ sunt variæ, » id est a nostris diversæ et peregrinæ, id est extraneæ. Debetis enim confirmare cor gratia, quæ solvendo a lege libertatem tribuit, et non studere escis, quia *non profuerunt* ad salutem, non dico se sustentantibus ex eis, sed *ambulantibus in eis*, id est qui vitam suam ducunt in conviviis et epulationibus. Vel gratia evangelica stabilite cor vestrum, ut in ea mens vestra maneat et studeat, non escis quas lex solas edendas docet prohibitis cæteris velut immundis, cum sint creaturæ Dei, qui fecit omnia bona valde (*Gen.* 1). Quæ legales escæ post adventum Domini non profuere, sed potius nocuere ambulantibus in eis, id est illis, qui vitam suam in observantia discretionis earum duxerunt.

« Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra (*Num.* IX). Propter quod et Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Mich.* II). »

Tangit consuetudinem legis, et ad spiritalem intelligentiam revocat, legis enim præceptum fuit ut decima die mensis septimi, in festo scilicet propitiationis, acciperent vitulum et hircum, et immolarent intra castra, quorum sanguinem ferret solus pontifex in Sancta sanctorum, oraturus pro universo populo ; carnes vero extra castra cremarentur, nec esset licitum alicui tabernaculo deservienti ex illis comedere. Christus est ille vitulus propter novellam fortitudinem, quam ostendit in

Digitized by Google

resurrectione, et ille hircus propter similitudinem carnis peccati, et iste vitulus vel hircus pro peccato universæ plebis est immolatus. Quem præcepto legis acceperunt sacerdotes ad immolandum, quia secundum legem sibi visi sunt occidere Christum, quoniam solvebat secundum ipsos Sabbatum. Qui immolavere eum in castris, id est occiderunt vocibus suis in domo Caiphæ, dicentes : « Reus est mortis (*Matth.* XXVI) ; » vel in domo Pilati, clamantes : « Crucifige eum (*Joan.* XIX), » sed post extra castra sunt carnes ejus crematæ, id est extra Jerusalem igne passionis consumptæ. Vel concrematio ad signum pertinet resurrectionis, quia natura ignis est ut in superna moveatur, et in id convertitur, quod crematur. Nam et ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est a suspensione (237). Sanguis autem ejus illatus est et in Sancta sanctorum per pontificem, id est per ipsum Christum cœlo illatum, qui illuc intravit, ut interpellaret pro nobis. Altare vero ubi extra castra crematus est, altare est ecclesiæ, ubi consecratur corpus ejus, de quo non habent potestatem edere qui deserviunt tabernaculo, id est umbræ veritatis. Vel per tabernaculum intelligitur corpus, et qui deserviunt tabernaculo, id est corporis voluptatibus, sicut gulosi et ebriosi et fornicatores et his similes, non habent potestatem, id est licentiam edere de nostro altari, id est accipere corpus Domini. Dixerat enim, quia escis non est studendum, et statim apte subdidit, quia *habemus altare, de quo non habent potestatem edere* illi, *qui tabernaculo deserviunt*, id est qui voluptuose vivunt et carnalibus desideriis satisfaciunt. Nam sicut ille vitulus et hircus extra castra comburebatur, nec ab aliquo eorum qui tabernaculo serviebant, edebatur, sic memoria passionis Christi apud eos celebratur, atque corpus sumitur, qui extra voluptates corporis exierunt, nec potest ab illis accipi qui in carnis voluptatibus morantur, et tabernaculo corporis serviunt. Possunt et electi per hircum et vitulum intelligi. Per hircum, quoniam peccata carnis student in seipsis mactare; per vitulum, quia sacrificium justitiæ Deo student offerre. Qui extra castra cremantur, quia Spiritu sancto accensi, extra conversationem sæcularium consumunt quidquid in eis est carnale, dum seipsos jejuniis et aliis laboribus pie affligunt. *Quorum enim animalium sanguis*, id est vita laudabilis, *infertur in sancta per pontificem*, id est præsentatur Deo per Christum, et hoc *pro peccato* eorum, quia non solum ut Deo placeant, sed etiam ut priora peccata redimant, laudabiliter vivunt. Vel sanguis, id est animæ eorum inferuntur in sancta, id est in cœlum per pontificem Christum, in altari cordis cremantur. Ad quod non possunt propter suam irreligiositatem accedere, qui tabernaculo deserviunt, id est carnales sæculum amantes, et voluptatibus corporis servientes; *horum* animalium quorum sanguis in Sancta per pontificem infertur, *corpora extra castra cremantur, propter quod* mysterium implendum, *et Jesus extra portam Jerusalem passus est, ut sanctificaret* in veritate *per suum sanguinem populum*, sicut sanguis illorum animalium in umbra sanctificabat. Vel per duplicem allegoriam, unam Veteris, et alteram Novi Testamenti, probavit corpus Christi non esse edendum ab his, qui tabernaculo deserviunt. Ad hoc enim corpora animalium extra castra cremabantur, etiam propterea Christus extra portam passus est, ut nos qui corpore et sanguine ejus a peccatis mundari volumus, improperia et angustias passuri, et delicias tabernaculi deseramus. Unde mox subditur : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Qui enim vult corpus et sanguinem ejus accipere, debet ad locum passionis ejus accedere, ut honores et opes tabernaculi relinquens, improperia et paupertatem pro nomine ejus ferre non respuat, et de castris, et de urbe exiens, ad crucem veniat, id est perversos mores multitudinis eorum, qui latam viam sæculi tenent, deserens, angustam viam quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII), arripiat. Christus enim extra portam passus, innuit se in passionis redemptionem colligere eos, qui de carnis desideriis propter ejus passionis imitationem exierint. Exeamus igitur ad eum extra castra, id est communem sæcularium hominum carnis voluptatibus servientium nequitiam relinquentes, ne jam cum illis amplius in illicitis voluptatibus immoretur, sed relicto pravitatis eorum consortio, ad Christi crucem properemus, portantes improperium ejus, ut et nos cum eo derideamur ab impiis et sæculi delictoribus. Exeamus ad eum, id est pia sollicitudine et operatione tendamus ad exitum vitæ præsentis, quo transeamus ad eum. Semper enim cordis oculos ad exitum ponere debemus, et sine cessatione meditari, quando a præsenti vita exeamus, ut ad Christum perveniamus ; et debemus ad eum piis desideriis sic exire quotidie, mente meditando exitum nostrum, quia *non habemus hic manentem civitatem*, id est in hoc statu corpus manens, *sed futuram* civitatem *inquirimus*, id est corpus incorruptibile et impassibile, quod post resurrectionem erit, habere cupimus. Vel exeamus corde et opere de castris, id est de medio multitudinis amatorum sæculi, ut cum Christo simus inopes et despecti, cujus regnum non est de hoc mundo (*Joan.* XVIII), quia non habemus hic manentem civitatem, id est non sumus cives Babylonis, quæ in amore præsentis sæculi radicem cordis plantavit, sed peregrini et hospites sumus in hoc sæculo (*Galat.* IV), et futuram civitatem, id est supernam Jerusalem, quæ mater nostra est, inquirimus, id est intus quærimus, ut interiorem ejus beatitudinem inveniamus. « Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. »

« Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis sem-

(237) κρίμαζω enim vel *κρεμάω* seu *κρίκαμον appendere* significat. Hinc auctor *cremo* deductum suspicatur.

Digitized by Google

« per Deo, id est fructum labiorum confitentium « nomini ejus. Beneficentiæ autem et communica- « tionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis pro- « meretur Deus. »

Christus se obtulit sacrificium pro nobis, et nos *ergo per ipsum offeramus semper Deo Patri hostiam laudis*, quia ipse summus sacerdos omnes nos, si membra ejus sumus, fecit sacerdotes. Offeramus hostiam non pecoris, sed laudis, ut jam non carnes brutorum animalium offeramus et immolemus, sed quod scriptum est faciamus : « Immola Deo sacrificium laudis (*Psal.* XLIX), » id est laudemus eum amando, ut non serviliter, sed libenter colamus eum. Timentes enim Deum homines Veteri Testamenti propter litteram terrentem et occidentem, nondum habentem Spiritum vivificantem, currebant cum sacrificiis ad templum ; et quamvis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes quid per eas præfiguraretur, cruentas victimas immolabant. Nunc per gratiam Novi Testamenti ablato legis terrore et dato Spiritu sancto, reprobata sunt carnalia illa sacrificia, et pro illis instituta sunt spiritalia, ut jam non extra se quærat homo quod offerat Deo, sed piam illi suæ mentis devotionem et dilectionem offerat sacrificium laudis. *Offeramus*, inquit, *Deo semper hostiam laudis*, hoc est incessanter eum laudemus corde et ore, sicut ille qui ait : « Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* XXXIII). *Offeramus hostiam laudis, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus*, fructum quem labia nostra proferent, quando confitebimur nomini ejus, hoc est quando videlicet ejus pia devotione laudantes, confessionem laudationis et gratiarum ei reddemus. Hanc ergo laudis hostiam, id est hunc fructum labiorum, scilicet affectum dilectionis internæ prolatum labiis Deum laudantibus, semper offeramus, ut quod semper mens diligit, os fructuosa laudatione loquatur, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). Tales estote erga nominis Domini confessionem et laudationem, sed erga sanctos *nolite oblivisci beneficentiæ et communicationis*, id est quamvis dudum bonis vestris ideo spoliati sitis, quia sanctis inde ministrabatis, tamen nolite oblivisci solitæ beneficentiæ et communicationis, sed ex eo quod post acquisistis, benefacite sanctis indigentibus et communicate illis quod habetis, ut antea faciebatis. Et debetis in eleemosynam sanctis vestra bona communicare, quia *talibus hostiis*, id est eleemosynis quæ dantur sanctis, *promeretur Deus*, id est ipse Deus est merces quam talibus sacrificiis acquiritis; et ideo non jam sacrificia legis, sed sacrificia eleemosynarum offerte Deo, dicenti : « Quia misericordiam volui, et non sacrificium (*Ose.* VI). » Quod enim ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Misericordia autem verum est sacrificium. Quæcunque igitur in mysterio tabernaculi sive templi multis modis de sacrificiis leguntur divinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei et proximi significandam referuntur. In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). Non vult itaque Deus trucidatorum pecorum; sed vult sacrificium eleemosynarum, sicut præmisimus eum dicere, quia misericordiam volui, et non sacrificium.

« Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. « Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro anima- « bus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, « et non gementes : hoc enim non expedit vobis. »

Monuerat eos ne obliviscerentur beneficentiæ et communicationis, sed semper meminissent benefacere sanctis, et res suas communicare illis. Quod ad subjectos specialiter dictum est, qui hæc facere debent maxime prælatis suis. Unde et adhuc eisdem subjectis evidentius modo dicit : *Obedite præpositis vestris*, id est obtemperate jussis eorum in omnibus, nisi forte malum aliquod jusserint, quoniam malum per obedientiam non est faciendum, sed cætera omnia, etiam si non videntur esse bona, et non vos comparate vel superponite illis superbiendo, sed humiliter *subjacete eis*, et debitam reverentiam exhibete. Quod utique debetis facere, quia Deo judici rationem reddituri sunt pro animabus vestris, et *ipsi pervigilant*, id est per omnia vigilant, semper vigilant, hoc est solliciti sunt, pro vobis, *quasi rationem reddituri, pro animabus vestris*, quas in custodiam susceperunt. Et quia student recte vos ducere per viam justitiæ, ut cum vos perduxerint ante tribunal Christi, non accusentur non recte vos duxisse, idcirco nunc obedite illis, ne et vos tunc accusemini declinasse de via, quam præceperunt vobis. Ideo illis obedite et subjacete, *ut faciant hoc*, id est vigilent pro vobis *cum gaudio* de profectu vestro, *et non gementes* de detrimento vestro, quia *hoc non expedit vobis* ut contristentur de vobis. Tunc vigilant præpositi cum gaudio, quando vident subjectos suos, proficere in Dei verbo, quia et agricola tunc cum gaudio laborat, quando attendit arborem et fructum videt, quando attendit segetem, et fructificare prospicit ubertatem. Videt enim quia non sine causa laboravit, non sine causa dorsum curvavit, non sine causa manus attrivit, non sine causa frigus et æstum toleravit. Sic est et de spiritalibus agricolis, id est de prælatis Ecclesiæ, quia tunc in labore suo gaudent, cum eos quorum mores excolunt, proficere vident : hoc est enim quod ait, ut cum gaudio faciant, et non gementes. *Hoc enim non expedit vobis*. Non dixit : Hoc non expedit illis; sed dixit : Hoc non expedit vobis. Nam quando illi præpositi contristantur de malis vestris, expedit illis ipsa tristitia, et prodest illis, sed non expedit vobis. Simul ergo prælati et subditi in Dominico agro bonum operemur, ut simul de mercede gaudeamus.

« Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam « conscientiam habemus in omnibus bene volentes

Digitized by Google

« conversari. Amplius autem deprecor vos hoc fa-
« cere, quo celerius restituar vobis. »

Auxilium orationis eorum expetit Apostolus, quo vel liberaretur a carcere, et ad prædicationem redeat, vel martyrio consummatus ad Christum transeat. *Orate*, inquit, *pro nobis*, pluralem numerum pro singulari ponens, vel pro se, vel pro his qui secum tenebantur, orari petens. Et debetis orare pro nobis, quia *confidimus* nos bonam conscientiam habere. Conscientia enim nos non accusat. Ne ergo sinistre quid arbitremini de nobis. Accusabatur Apostolus quod suam gentem negligeret, sed ostendit se affectum habere ad omnes Judæos et gentiles. Dicebatur etiam a nonnullis aliter docere quam cæteri apostoli, et inimicus legis esse ac templi Judæorum, quia circumcisionem et carnales observantias fortius respuebat quam cæteri. Sed ostendit se bonam habere conscientiam, et studio placendi Deo facere quidquid facit, nec peccasse in his quæ docuit. *Confidimus*, inquit, *quia bonam conscientiam habemus*, id est pro certo scimus, nos non reprehendi a conscientia nostra ex his quæ fecimus vel docuimus, postquam ad fidem venimus. Et quare? Quia sumus *in omnibus bene volentes conversari*, id est non sumus duplices sed simplices. Non sumus volentes in quibusdam bene conversari, et in quibusdam non bene, sed in omnibus bene : hoc est, non ex parte, sed ex toto studemus bene vivere, ideoque non remordemur a conscientia. Dixi ut oretis pro nobis. Sed *amplius deprecor vos hoc facere*, id est vestris orationibus impetrare, *quo celerius restituar vobis*, hoc est, amplius, pro vestra, quam pro mea salute deprecor vos ut oretis pro me, quia hoc rogo vestris precibus fieri, ut celerius a carcere dimissus, restituar non mihi, sed vobis, id est reddar pristino officio prædicationis, ut in diversas partes libere pergens et vos et alios diligentius instruam.

« Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pasto-
« rem magnum ovium in sanguine testamenti æter-
« ni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos
« in omni bono opere, ut faciatis ejus voluntatem,
« faciens in vobis quod placeat coram se, per Je-
« sum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum.
« Amen. »

Ego quidem hactenus monui vos, et patientiam atque bona opera suasi vobis, sed Deus qui potens est, ipse faciat vos agere quod monui. *Deus pacis* qui pacem et quietem dat suis, quando scit oportere, sedans omnes persecutiones et vitiorum impugnationes, atque post hanc vitam dat eis pacem æternæ tranquillitatis, qui pro ejus nomine patienter adversa pertulerunt, Deus dico, *qui eduxit de mortuis*, id est resuscitavit separans a consortio mortuorum, *magnum pastorem ovium*, id est eum qui oves suas, omnes scilicet electas animas, pascit et conservat. Episcopi enim et cæteri custodes Dominici gregis sunt minores pastores, quia unusquisque eorum partem sibi commissam ejusdem gregis fidelium pascit. Hic autem maximus pastor est, quia totum gregem conservat et pascit. Pascit autem non solum verbo doctrinæ, sed corpore ac sanguine suo. Unde nunc dicitur esse pastor *in sanguine testamenti æterni*, quia oves quas redemit, carnis et sanguinis sui sacramento pascit. Qui sanguis est confirmator non transeuntis, sed æterni testamenti, id est non veteris legis quæ præteriit, sed novæ quæ manet. Novum enim Testamentum dicitur æternum quia aliud ei non succedet, sicut eidem Novum successit Veteri. Vel in sanguine testamenti æterni eduxit Deus Christum a mortuis, quia sicut eidem Christo per Zachariam dicitur : « Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua (*Zach.* IX), » id est de inferno, sic et ipse Christus in sanguine eodem est eductus de mortuis, quia tanta fuit potentia sanguinis ejus, ut non solum justos, qui in inferno vincti tenebantur eriperet, sed etiam ipsum *Dominum nostrum Jesum Christum* a mortuis suscitaret. Deus qui hæc facit, *aptet vos*, id est aptos et voluntarios vos faciat *in omni* opere *bono*, ut in omnibus bene agentes, *faciatis* atque compleatis opere *voluntatem ejus*. Ipse dico, *faciens in vobis quod placeat coram se*, quia nisi ipso in vobis operante nihil potestis agere, quod oculis ejus placeat. Hæc est gratia quæ mentem prævenit et adjuvat, ut homo suæ voluntatis et operationis obsequium subjungat; et dictum est hoc, ne de liberi arbitrii sui viribus præsumerent, et quasi ex seipsis hæc posse bene agere putarent. Sic faciat in vobis quod sibi placeat, et hoc non per carnalem legis observantiam, sed *per Jesum Christum*, per quem mediatorem omnia bona nobis a Patre dantur, cui Christo *est gloria*, non in brevi tempore, sed *in sæcula sæculorum*, id est in æterna sæcula temporalium sæculorum subsecutiva. Illi quem deriserunt in passione Judæi, est gloria non paucis diebus permanens, sed in æterna sæcula. *Amen*, id est *vere*.

« Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum
« solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. »

Hanc vobis epistolam misi, sed ne fastidiosa sit vobis, o fratres, id est quibus fraterna charitate consulo, *rogo vos ut sufferatis verbum solatii* quod in ea vobis locutus sum, quoniam sermo ejusdem epistolæ consolatorius est, præbens vobis in tribulatione solatium, ne deficiatis; et debetis sine tædio sufferre, quidquid in hac epistola loquor, quia perpaucis, id est per omnia paucis dictis *scripsi vobis*. Per omnia enim quæ in ea disserui, pauca sunt quæ dixi, quoniam multa de singulis possent dici. Hic exemplo suo docet nos magister egregius, ut ea quæ sentimus, et valde humiliter et sine fastidiosa prolixitate dicamus. Multa enim humiliter hactenus Hebræis est locutus, sed exhortatione humili placare eos adhuc humilius satagit, dicens : *Rogo autem vos*, etc. Hinc ergo colligat si quando aliquid recte sentit, quanta humilitate debet magistro loqui discipulus, si ipse magister gentium in his quæ cum au-

Digitized by Google

ctoritate prædicat, submisse discipulos rogat, tum unusquisque colligat ex his, ut illis a quibus exempla bene vivendi percipit, hoc quod bene aut melius quam illi intelligit, humiliter dicat, si Paulus illis humili se voce subdidit, quos ad vitam ipse suscitavit. Curandum quoque est quantum loquamur, ut si cum qui multa ferre non valet, longius loquendo traxerimus ad fastidium perducamus. Hoc tamen infirmis præcipue congruit, ut pauca quidem et quæ capere prævalent, audiant, sed quæ eorum mentem impœnitentiæ, dolore compungant.

« Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimis-
« sum cum quo, si celerius venerit, videbo vos. Sa-
« lutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos.
« Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus
« vobis. Amen. »

Cognoscite fratrem nostrum Timotheum, cognoscite quantæ sanctitatis ipse sit, et quanta ei reverentia debeatur, Timotheum dico, dimissum, id est euntem iter quod volebat, vel ad prædicandum (ut cupiebat) A dimissum, aut fortassis a carcere relaxatum. *Cum quo, si celerius venerit, videbo vos*, quia si velocius venire festinaverit, habebo facultatem eundi cum eo ad vos. In hac promissione reddit eos attentos et magis obedientes, ne si venerit, inveniat eos inobedientes admonitioni hujus epistolæ, praveque agentes. Ac deinde : *Salutate*, inquit, *omnes præpositos vestros*, id est sacerdotes et cæteros qui præsunt vobis in Domino, *et omnes sanctos*, id est omnes subjectos, qui baptismi sanctificationem perceperunt. Cum autem subjungit : *Salutant vos de Italia fratres*, ostendit se ab Italia scripsisse. Ideo autem quod supradixit, deprecor vos facere ut celerius restituar vobis, declaravit se vinculis tentum esse, dum scriberet, atque colligitur epistolam misisse a Roma, B ubi vinctus tenebatur. *Gratia*, inquit, *cum omnibus vobis sit*, ut per auxilium gratiæ possitis bene vivere, qui per legem non potuistis Deo placere. Cujus et nos participes efficiamur, ut per eam justificemur, et ad æternam vitam pervenire mereamur. *Amen*.

ANNO DOMINI MCL

HILDEBRANDUS JUNIOR

NOTITIA

(Fabric., *Biblioth. med. et inf. Lat.* t. III, p. 259)

Hildebrandus junior, scriptor commentariorum in Matthæum. Ejusdem, ut videtur, magistri Hildebrandi est *Libellus de contemplatione*, quem ex ms. codice Hiemeradensis monasterii, annorum fere 500, vulgavit E. Martene, t. IX, Ampl. Collect., p. 1237.

MAGISTRI HILDEBRANDI

LIBELLUS

DE CONTEMPLATIONE.

(Martene *Ampliss. Collect.*, tom. IX, p. 1237, ex codice ms. Himeradensi annorum circiter 500.)

Ex lectione evangelica Matthæi, quæ incipit, *Cum* C *natus esset Jesus*, etc., ubi beatorum trium regum commendatur Domini Jesu fidelis et devota visitatio, subtiliter duce gratia, investiganti tria occurrunt, in quibus recte et ordinate distinctis, et singulis per tria membra divisis, quæ collecta in novem crescunt, inveniri poterit, sed nonnisi ab eo qui vere dilecti Jesu languet amore, status et modus veræ contemplationis. Primum est trium regum fidelis et devota pueri Jesu inquisitio, neque enim inquiri poterat, nisi a fidelibus et devotis. Unde habes : *Magi venerunt ab Oriente Jerosolymam dicentes : Ubi est qui*

Digitized by Google

natus est rex Judæorum? Secundum est ejusdem Domini Jesu læta et grata inventio, quia revera plenum prorsus omni gaudio invenire et videre hominem hominis Conditorem, de quo habetur: *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt puerum.* Tertium etiam ipsius humilis et discreta adoratio: non enim Deo acceptæ sunt vota, nisi humilium et discretarum animarum. Unde sequitur: *Et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis*, etc.

2. Notandum igitur quia inquisitio habet desiderium, inventio gaudium, adoratio cum oblatione ministerium. Ex desiderio inquisitionis causatur gaudium inventionis, et gaudium inventionis consequitur ministerium adorationis. Et quod desiderium est motus quidam animæ rationalis, quem habet in virtute concupiscibili: qui motus causatur a desiderato, sicut dicit philosophus, quod desideratum movet desiderium, et nostri desiderii objectum non esse debeat nisi ille qui totus est desiderabilis, quod etiam in ipsum desiderant angeli prospicere, et de quo propheta: *Ecce veniet desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II, 8); et Psalmista: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI, 2). Si bene et recte ex desiderato, scilicet Deo, nostræ mentis causatum et motum fuerit desiderium, tota in se videbitur continere.

3. Primum est spei fervida et devota præsumptio. Nihil enim inquiritur cum desiderio, nisi vere speratum, et quidquid speratur, desideratur et inquiritur, et spes in ipsum suspensa, quia non est præsentium, sed futurorum, certam sui habere debeat, si vera est, exspectationem, cum fiducia adipiscendi ipsum: aliter enim vera non esset. Habeat etiam ipsa de adipiscendo spei præsumptio extensionem in interius: quæ extensio spei in speratum, quia differtur, affligit animam, et ipsam donec desideratum inveniat, reddit circa inquisitionis negotium inquietam, sicut dicit Augustinus: Domine, fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

4. Recte sequitur secundum, quod est sollicita et inquieta in inquirendo mentis exercitatio. Quo enim amplius a desiderato vel sperato movetur desiderium, eo amplius exercitatur spiritus circa inquisitionis negotium. Unde Psalmista: *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI, 3), quia videlicet præsentem quem inquiro et desidero, non habeo: *Memor fui Dei et delectatus sum* (*ibid.*), in spe scilicet inventionis, sicut dicit beatus Bernardus: « Interim dum differtur præsentia, suavis est memoria. » *Et exercitatus sum* officio inquisitionis, *et defecit* nimirum *spiritus meus*, sustinere non valens moram tam diuturnæ exspectationis. Revera namque animo desideranti nihil satis festinatur, nunquam nimis festine desideratum præsentatur. Quæ studiosa spiritus Deum inquirentis exercitatio commendatur in Canticis, ubi dicitur: *Surgam et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 2). Videns enim sponsa in lectulo corporis et negligentiæ sponsum nullatenus inveniri posse, se ferventer in exercitium expandebat studiosæ et operosæ inquisitionis. Cæterum quia ista animæ inquietudo non circa plurima, sed circa unum, quod solum necessarium est, sollicita, et dedignatur exterioribus et transitoriis occupari, quæ plerumque impedire solent et retrahere animum ad æterna et permanentia bona suspirantis, congrue ponitur tertium, quod est mundi et omnium mundanorum contemptus et oblivio.

5. Non enim simul possunt transitoria et æterna diligi. Cum ergo sit Deus bonum tam æternum quam summum, tam incomprehensibile quam incommutabile, quomodo se ad diligendum aliquid commutabile inclinat, qui ipsum comprehendere festinat? Unus enim ipse, non uni, sed omnibus sufficit. Satis unus ipse tibi sit, sine quo omnia nihil sunt. Sine ipso nihil tibi non solum satis, sed nec aliquid fit. Quis mihi det omnibus quæ ab ipso sunt privari, et ipso solo æternaliter donari? Non est, Domine Jesu, quod habere velim vel debeam, si te non habeam, nihil mihi sine te jucundum, nihil abundum. Magis mihi bonum non esse, quam sine te esse. Velim quid velis, nolim quod nolis. Vis me te solum velle, nihil unquam amplius possim velle. Velle meum ad te liberum sit, nulli a te extraneo obnoxium. Si tamen te veraciter et efficaciter voluero, nihil extra te velle potero. Dulcissime Jesu, dulcescat mihi dulcedo tua suavis et vera. Influat animæ meæ Deitatis tuæ sapor mellifluus, extricet a præcordiis meis omne quod temporaliter sapit. Præ dulcedine tuæ desiderantissimæ visionis, vilescat mihi omnis affectus transitoriæ delectationis. Concupivit anima desiderare te, si satis non fuerit secundum te, concupiscat amplius sicut libuerit de te. Suspendium a temporalium ambitu vel amore, o dilecte Jesu, elegit anima mea, et mortem ossa mea. Trahe me post te, non me relinquas circa me. Si me derelinquis, delinquam; et certe scio, si deliquero relinquis. Noli ergo derelinquere me, ne delinquam; sed meum est si deliquero, non tuum. Sin autem, tuum est, non meum. Age, benigne Jesu, totum me in sinum tuæ misericordiæ depono. A te bono, si dederis, bonus esse potero. Bonum depositum custodi. Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens es depositum meum servare in illum diem. Inquirenti igitur Dominum necessarius est hujus mundi, et omnium quæ in ipso et ad ipsum sunt, contemptus, sicut dicit Joannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in ipso sunt* (*I Joan.* II, 15). Et Paulus: *Posteriora oblitus, ad anteriora me extendo* (*Philip.* III, 13). Quisquis ergo es, qui Deum spe fervida et sollicita exercitatione inquiris, si te terrenis actibus et terrenorum affectibus minus implicaveris, sicut nec usquequaque verum in inquirendo desiderium habere convinceris, ita nec de inveniendo plenum consequi poteris.

Digitized by Google

6. Convertamus igitur mentis oculos ad tria posita, quæ ex motu veri desiderii procedunt, et facile patebit, quia quodlibet eorum recte alterum consequar. Spes enim amore sperati se extendit ferventer ad inquirendum; sollicita mentis exercitatio perseverantiam præstat in inquirendo; discreta temporalium oblivio impedimentum tollit in inquirendo. Primum, scilicet spes, excludit diffidentiam; secundum, id est studiosa exercitatio propellit negligentiam; tertium, videlicet mundi contemptus omnem exterminat resistentiam. Eia, benedicte Jesu, spes mea, exspectatio mea, amor meus, verbum mihi ad te, verbum de te, verbum plenum doloris et miseriæ. Tu qui Verbum es, unigenitum Patris ingeniti, propter me factum caro, Verbum de corde Patris eructatum, Verbum quod semel locutus est Deus, Verbum quo mihi his novissimis diebus locutus est Pater tuus cœlestis, dignanter audi mei cordis verbum ad te Dei Verbum plenis desideriis eructatum. Audi et vide quia tristis est anima mea et conturbat me, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? Non est quod respondeam, absentem te esse timeo, præsentem non sentio. Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum. Ubi enim est præstolatio mea et patientia? Tu es, Domine Deus meus, et quid faciam? Quæro, et non invenio; concupisco, et non video; sequor, et non apprehendo. Quæ est fortitudo mea ut sustineam, aut quis finis meus ut patienter agam? Quid animæ meæ tristius? quid miserius? quid molestius? Putas, dilecte, tristitia mea vertetur in tuæ visionis gaudium? Miseria in tuæ cohabitationis contubernium? Molestia in tuæ comprehensionis colludium? Loquere ad cor animæ meæ. Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Audiam quid loquaris in me, Domine Deus meus. Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. Dic amplius, Domine, et sic dic ut audiam : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt* (*Luc.* xv, 31). Eia Verbum Dei Patris, hoc est quod audire volui. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. Sonet hæc vox tua in auribus meis. Vere enim ista vox dulcis, imo dulcior omni voce citharœdorum citharizantium in citharis suis. Convalescat hæc beata vox in intimis animæ meæ, nec foris erit quod audire libeat. Sufficiet enim mihi, si te de me dicturum scivero beatis illis ministris et internuntiis gaudii mei : Ite et adducite ad me. Optabo tamen et sperabo illud tuum verbum omni desiderio plenum circa me implendum, quod dixisti sanctis apostolis tuis : Veniam et accipiam vos ad me ipsum. Ego ipse qui loquebar : Ecce adsum; ego veniam, ego accipiam, ut ubi ego sum et vos sitis. Hæ jucundæ promissiones et consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Interim, dum moram feceris, exspectabo te, licet, si, ut sentio, loquar, vere incolatus meus nimis sit prolongatus, nimirum habitantis cum habitantibus Cedar, sciens et frequentissime recolens, quia sicut lætantium habitatio est in te, ita vallis me premit lacrymarum, locus me cruciat afflictionis, umbra me occupat mortis. Multæ mihi causæ doloris et tristitiæ, sola vero causa consolationis et lætitiæ, si suaviter et dulciter verbum illud, verbum bonum et suave crebrius animæ meæ repetieris : *Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.* Interim quia scire non possum, nec forte debeo, quando veniam et apparebo ante faciem tuam, quod utique accelerari opto, licet tu mihi, Christe, vivere sis, et mori lucrum, consolabor in his tuis promissionibus, quæ omne desiderium superant, et te lætus inquiram, lætior inveniam, lætissimus apprehendam. Est enim in hac vita quædam apprehensio tui plena gratiæ, quam nimirum sequitur illa quæ erit plena gloriæ. Quia igitur ego non arbitror me adhuc comprehendisse, sequar si quomodo comprehendam. Totam ergo spem meam, Domine Deus meus, in te reposui, inquietæ mentis meæ desiderium in te suspendi, regnum mundi et omnem ornatum sæculi propter amorem tuum contempsi. Non igitur me confundas ab exspectatione mea, sed da quod peto accipere, quod quæro invenire, et tandem pulsanti Deitatis tuæ desiderantissima penetralia aperiri. Denique super tribus quæ de desiderio inquisitionis commemoravi, licet posuisse multas auctoritates et exempla potuissem; tamen quia intentionis meæ non fuit multa dicere, hæc pauca sufficiant. Sequitur ergo videre de secundo membro divisionis, quod est de gaudio inventionis.

7. Sed quoniam gaudium proprie loquendo una est quatuor affectionum animæ, quæ secundum Augustinum, Bernardum et Boetium, semina sunt vitiorum et virtutum; et secundum nomen suum nomen prædicabile sit communiter de statu vel differentia triplicis gaudii, ejus videlicet quod est hujus mundi et hominis tantum exterioris, et ejus quod est spiritus in Domino gaudentis et hominis tantum interioris; ejus etiam quod est gloriæ et patriæ superioris. De primo habes in Evangelio Joannis ex verbis Domini : *Mundus quidem gaudebit* (*Joan.* xvi, 20), etc.; de tertio etiam ibidem : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum* (*ibid.*, 22). De secundo autem in Proverbiis sic : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus* (*Prov.* xiv, 10). Et in Ecclesiastico : *Non est oblectatio super cordis gaudium* (*Eccli.* xxx, 16), nec præsentis materiæ vel propositi mei est prosequi de primo, quia hoc quantum ad præsens superfluum, nec de tertio, quia nimis arduum; tamen circa secundum negotiari intendo, quia hoc quantum ad contemplationem æstimativam necessarium.

8. Æstimativam contemplationem voco cum B. Bernardo, eam quæ media est inter dispensativam et speculativam. Dispensativa est qua dispensat quis diligens Deum sensus exteriores circa contemplationis negotium, et bene utitur eis ad promerendum Deum. Æstimativa est, qua potentiæ animæ absolutæ a corpore, et affixæ organis corporalibus, nec obnubilatæ phantasiis, prorsus se elevant in Dei agnitionem et dilectionem. De qua nobis ad præsens sermo. Speculativa est qua quis Deum in se et per speciem

Digitized by Google

speculari, quantum datur, et totus ipsi conjungi, quantum possibile est, anhelat, quæ rarissime et nonnisi perfectis simul datur, potius est patriæ quam viæ, nec unquam esse poterit, nisi in excessu vero.

9. Prima est motiva, secunda cognitiva, tertia affectiva. Prima secundum beatum Bernardum laborat, secunda adorat, tertia gustat. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia quasi jam pervenientium et omnino placentium. Prima Deum invenit, secunda cognoscit, tertia apprehendit. Verumtamen nec sine prima secunda, nec sine prima et secunda tertia. Nam prima mentem ad dilectum erigit, secunda ad ipsum dirigitur, tertia ad ipsum intromittit. Sed licet mediam, scilicet æstimativam, secundum quod de ea prosequi propono, diffinivérim, posset tamen propter simpliciores commodius et simplicius dici secundum vim ipsius nominis, eam esse quæ habetur in exercitio virium apprehensivarum et motivarum animæ rationalis, scilicet rationis et voluntatis et liberii arbitrii et aliarum, secundum quod sunt proportionatæ et affixæ organis corporalibus. Speculativam vero esse eam, quæ est potentiarum animæ, quæ nullam habent obligationem ad corpus, quæ sunt intellectus impermistus phantasiis et synderesis. Nam istam quandoque possunt habere viatores; aliam vero raro, sed tantum comprehensores. Signa autem et proprietates istarum contemplationum, forsitan si Deus annuerit, inferius et lucidius exponemus.

10. Revertamur igitur ad propositum. Et certe quia tres sunt motivæ vires animæ, scilicet rationalis, concupiscibilis, et irascibilis, secundum quas nimirum dotabitur anima et præmiabitur, et secunda et tertia a philosophis attribuentur animæ sensibili; Joannes vero Damascenus et alii plerique animæ rationali loco concupiscibilis ponant voluntatem et loco irascibilis animum, ratio etiam sæpe supponat pro intellectu, et utique gaudium interioris hominis sit affectio quædam jucunda, causata ab iis tribus potentiis; recte dicere possumus ad istud tale gaudium tria exigi, videlicet intellectus deiformem illuminationem, voluntatis boniformem devotionem, animi luciformem et jucundam exhilarationem. In intellectu deiformitas, in voluntate boniformitas, in animo quieta et tranquilla luciformitas. Quomodo enim gaudere poteris de dilecto Jesu invento, vel signa inventionis ejus habere, nisi ipso, prout desuper tibi datum fuerit, deiformiter intellecto, et boniformiter volito, et luciformiter gustato. Si enim ipsum perspicaciter intellexeris et cognoveris, nihil aliud quam ipsum velle poteris; et si ipsum boniformiter volueris, nihil aliud quam ipsum gustare luciformiter libebit. Intellectum deiformem voco, qui nullo obscuratur rerum sensatarum nubilo; boniformem voluntatem, quæ nullo delectatur commutabili bono; luciformem animum, qui nullo inquietatur vel disturbatur accidentali malo. Talis est Dei et ipso fruentium intellectus et voluntas et animus. Hæc tria invenies commendari per diversa loca, si bene intellexeris, in Hierarchia Dionysii, et in libro De divinis nominibus. Si igitur gaudere cum ipso et de ipso volueris, ad solum ipsum te vacare, solum ipsum videre, solum ipsum gustare et sapere debebit : vacare ad cognoscendum, videre ad volendum, gustare ad placendum. Unde Psalmista : *Vacate et videte* (*Psal.* XLV, 11), etc. Et iterum : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Quando igitur vera est contemplatio in Deum suspensa, solum ipsum cognoscis et intelligis, vis et concupiscis, gustas et sapis. Nihil intueris transitorium, nihil amplecteris perfunctorium, nihil vereris contrarium. Omnem fugis mundi fictam gloriam, omnem spernis fallacis boni memoriam, omnem oblivisceris factam injuriam. Quippe hæc sunt signa et multa alia veræ inventionis Domini Jesu, et jucundæ de ipso invento exsultationis. Adhuc tamen plura ponam circa istam materiam.

11. Quoniam igitur, sicut ex parte supra probatum est, contemplatio est mentis perspicacia in sapientiæ spectaculo cum admiratione suspensa, recte primum membrum istius divisionis ponitur intelligentia illuminata, et cum ex tali intelligentia merito sequatur bonæ voluntatis devotio, quæ est suavis affectus in Deum porrectus; secundum erit non incongrue voluntatis boniformitas, exigunt enim nimirum hæc duo tranquillam erga omne quod Deus est et placidam affectionem : ordinate ponitur tertium, quod est animi serena et luciformis exhilaratio. Intellectus deiformiter illuminatus, quia est inspectionis veri boni in se, te rapit et trahit in Deum, et ipsum facit cognoscere. Voluntas boniformiter affecta te facit ipsum diligere : nam dilectio actus voluntatis est; animi pacata exhilaratio, omne quod cognitioni et dilectioni Dei contrariatur, facit abnuere. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Et statim sequitur : *Beati pacifici* (*ibid.*, 9). Neque enim Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere cognosci poterit et amari.

12. Revertamur itaque ad primam partem istius dilectionis, et in ea contemplari studeamus Deum, secundum quod ipse donaverit. *Quis mihi det*, dulcis Jesu, *te fratrem meum et sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer, et jam nemo me despiciat?* (*Cant.* VIII, 1.) Te foris inveniam per veram cognitionem, te deosculer per plenam dilectionem, nemo me despiciat propter communicativam cum omnibus piam affectionem. Foris sum, Domine, foris te, prout dare dignaberis, inveniam. Ecce sto ad ostium et pulso. Domine, Domine, aperi mihi, gloriosa mihi dicta sunt de te. Sicut audivi, cupio videre. Intus apud te est, quod foris postulo. Nondum intravi, heu! heu! in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Conabor interim, te propitio, prout fas et possibile mihi fuerit in excubiis extrinsecis manens, intelligere et cognoscere te. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudi-

Digitized by Google

nis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam te, et quid acceptum sit coram te. Scio namque, quia te comprehendere ad plenum nullus valet intellectus. Te certe quis sis in natura, qualis in gratia, quantus in gloria. Natura incomprehensibilis, gratia inæstimabilis, gloria incogitabilis. Natura speciosus, gratia copiosus, gloria pretiosus. Natura albus et rubicundus, gratia amabilis et jucundus, gloria supereffluens et abundus. Natura albus candore divinitatis, rubicundus rubore assumptæ et passæ humanitatis, gratia amabilis et jucundus. Diffusa est enim gratia in labiis tuis, imo effusa de labiis tuis, et oleum scilicet gratiæ et lætitiæ effusum nomen tuum : ideo adolescentulæ dilexerunt te. Gloria pretiosus, quia si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro acquisitione gloriæ tuæ, quasi nihil despiciet eam. Dixerim te recte incomprehensibiliter speciosum, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur. Pulchra scilicet opera tua, sed non ut tu. Miratur autem et tota illa supercœlestis et felix familia tua, tuæ illi indicibili pulchritudini cum desiderio, oculis insatiabilibus intenta, clamans cum admiratione : Vere enim, Domine mi, admirabilis es, et facies tua plena gratiarum. Nimirum autem et illa nimis beata genitrix tua voce gratulabunda : Ecce, inquit, tu pulcher es, dilecte mi fili, et decorus; imo etiam conversa ad consortes suæ gloriæ, talis ac tanti filii matrem fore se reverenter gloriatur, inquiens : *Ego mater pulchræ dilectionis*, etc. (*Eccli.* XXIV, 24). Non solum autem, sed et Pater tuus cœlestis in te quasi in imagine suæ divinissimæ gloriæ jucundissime delectatus, suavissime intonat : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* (*Matth.* XVII, v). O pulchritudo supereminens, in qua resultat nimirum splendor paternæ gloriæ quæ est candor lucis æternæ, et speculum sine macula majestatis divinæ; in cujus contuitu delectantur Pater et mater, quorum medius resides, nec utrique dissides Deus et homo, Deus ex Deo Patre, homo ex homine matre : idem cum Deo et ex Deo Patre Filius Deus, Verbum Patris Deus, ars Patris Deus, sapientia Patris Deus, imago Patris Deus, virtus Patris Deus. Talis ac tantus, tam pulcher et tam decorus, angelos et cives curiæ cœlestis tuæ pascis et reficis delectabiliter pulchritudinis gloria; terrigenas et filios hominum, reos et miseros, tuæ pietatis gratia et misericordia. Quis te, o pulcherrime filiorum, tam delectabilem, tam desiderabilem intueri non delectetur? Quomodo non gaudebo cum te talem, sed et nescio dicere qualem videbo? Quis det desideratum illum diem venire, ut videre contingat? Quis mihi det, ut ego moriar pro te quovis mortis genere, ut te aliquo modo tam dilectum et tam electum lucrifaciam? Omnis mihi dolor, omnis miseria, omnis tristitia, pro te solo promerendo lætitia. Interim, o pie Jesu, mei cordis intima tuæ claritatis splendor illuminet, omnis infidelitatis et impietatis tenebras effuget. Nihil te me irradiante in me sordidum, nihil obscurum remaneat. Perspicaciter te speculari et contemplari, quantum mortali possibile est, mihi licest et libeat; quia non est lumen aliud nisi tu, quo illuminari valeam ut videam te, et te viso gaudeam. Optimum enim videndi genus erit, ut te viso, nullas egueriem ad omne quod libuerit te contentus. In te quidquid est a te, videre dabitur per te. Claritas refulgens in te, resplendebit mihi totum quod es, et omne quod est ex te. Non, inquam, sicut me satiare non possum de me; sic illuminare me non possum de me; quia in lumine tuo videbimus lumen, in tuo lumine, Fili Dei, videbimus lumen Patris Dei; videbimus et lumen Spiritus sancti Dei. Non autem tria videbimus lumina Dei, sed tuum Patrem lumen Deum, te Patris Filium lumen Deum, et Spiritum sanctum ex eodem Patre Deo et te naturaliter æqualiterque procedentem lumen Deum, videbimus in tribus discretis personis unum indiscretum lumen Deum. Non solum quippe in tuo lumine deiformiter illuminati, videbimus te divinum increatum lumen; sed etiam videbimus et nunc et tunc, quantum illuminatio vultus tui super nos, et pro quanto nos fecerit creata lumina lucentia, ante Dominum.

Quia igitur spero, ut pace tua dixerim, quod signatum sit lumen vultus tui super nos, dedisti lætitiam in corde meo; hæc tam de divinæ, quam humanæ naturæ tuæ pulchritudine, Jesu Christe, decor et pulchritudo animæ meæ, licet non ex condigno et debito et pro desiderio meo dixerim : dicam autem, te propitio, coram throno gloriæ tuæ, contemplator et comprehensor tuæ divinitatis paulo tanto plenius et jucundius, quanto nunc viderim perspicacius et felicius. Intuebor etiam te Dei Verbum plenum gratia et veritate, de cujus nimirum plenitudine nos omnes accepimus, et delectabor in recordatione innumerabilium gratiarum et beneficiorum tuorum, ingratus tibi existere nec volens nec debens, sciens beneficium indignum accipienti, quod ipsum gratum non reddiderit largienti. O, o, o quam inæstimabilis gratiæ illud, Jesu misericordissime, quod tu cum Patre et Spiritu sancto unus existens, vivus et verus Deus, me, cum nihil essem, ad imaginem unius et summæ divinitatis tuæ excellentissime condidisti, concivem angelorum, incolam colorum, municipem ineffabilium tuorum gaudiorum decrevisti. Proh dolor! factus a te, et ad te, et secundum te, non manebam apud te; sed recessi abs te, dimittens et amittens te, et justitiam tuam injuste deserentem me, eadem justitia judicante projectum de te, nonnisi culpa et pœna manebat me. Et non immerito, utpote primorum illorum parentum interdicto et vere maledicto edulio natura deformatum, gratia vacuatum, gloria spoliatum; et non solum tanta felicitate infeliciter privatum, verum etiam miserabiliter exsiliatum, et perpetuis supplicii deputatum. Heu me miserum! non erat qui redimeret, non erat qui cognosceret, non erat qui requireret animam meam. Tu autem demum, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, non

Digitized by Google

valens in ira tua continere misericordias tuas, quia revera dives et copiosus in misericordia, non es passus me tantis passionibus æternaliter subjacere; sed Creatorem te cognoscens, et Redemptorem non abnuens, manens quod eras Deus Dei Filius, factus es quod non eras, homo hominis filius, ut me filium perditorum hominum meritis primorum prævaricatorum hominum, socium effectum dæmoniorum, servum vitiorum, æternorum materia incendiorum, tuæ crucis et mortis improperio, paternæ gloriæ restituens imperio. O dignam, mi Jesu, mea morte mortem, qua ne tibi morerer, mori voluisti! Moriturus omnino fueram, nisi mihi morereris. Culpa meæ mortis tibi causam intulit mortis, quomodo tu mihi non eris causa amoris, qui tibi tam amari occasio fui doloris? Amor meus tibi irrogavit causas doloris, quomodo dolor tuus mihi non ministrabit causas amoris? Si me amando mihi non doluisses, pro te dolendo amare te non potuissem, nec tuus dolor sine amore, nec meus amor sine dolore. Quanto tuus dolor in cruce pro me morientis erat vehementior, tanto nimirum meus amor tuum dolorem recolentis erit ardentior. Aqua de latere dilecti mei me in cruce fortissimis et vehementissimis amplexibus constringentis fluens, sanguis de corde exiliens, spiritus de corpore exiens, facta sunt mihi ut sciam quia non est dolor et amor sicut dolor et amor tuus. Hæreant semper, amantissime Jesu, illi tuæ sanctissimæ passionis dolores, illi tuorum venerandissimorum vulnerum rosei livores affectibus meis. Repræsententur sensibus meis, sint mihi materia continui doloris et amoris, provocent ad diligendum te, excitent ad laudandum te, adjuvent ad promerendum te. O mira, inquam, circa me tuæ pietatis dignatio! nihil eram, et me fecisti, et non solum aliquod, sed tuam imaginem; malus eram, et me refecisti, et non solum ad bonum aliquid, sed ad contemplandam cum sanctis angelis tuæ divinitatis summæ jucundam speciem. Nec his contentus, ut totum te refunderes in me, et nihil tibi retineres de te, factus propter me, dedisti mihi te in exsilio peregrinationis meæ amicissimum socium, in cruce redemptionis efficacissimum pretium, in altari spiritualis refectionis dulcissimum edulium, futurus etiam nimirum mihi in exitu desideratissimum viaticum, in conductu tutissimum præsidium, in cœlo felicissimum præmium. Summa illa et divina potestas, qua in cœlis præsides et imperas angelis, tu mihi condescendens, te intendis in fratrem et socium, appendis in pretium, impendis in poculum. Et ut de abundantissimæ bonitatis tuæ dispensatione adhuc, prout mihi sentire et intelligere tua gratia datur, aliquid plenius loquar, tanta me dignaris miseratione, ut mirabiliter et ineffabiliter in ipsa immolationis tuæ suavissimæ hora, ad vocem tui sacerdotis pro me flag et mihi sacerdos et sacrificium, conviva et convivium, cibus et cibans, munus et munerans. O Redemptionis meæ vere venerandum sacrificium, Dei Unigenitus animæ meæ mira unione copulatur, Pater conciliatur, Spiritus sanctus propitiatur, cœli reserantur, angeli mihi sociantur, sanctorum vota et merita communicantur, crimina relaxantur, hostes salutis meæ exterminantur, virtutes donantur, dona cumulantur, præmia multiplicantur, et omnium denique bonorum copiæ plenissime ministrantur! O panis vive de cœlo descendens, utique manu sancti Spiritus in utero gloriosæ Virginis formatus, in ara crucis igne passionis decoctus, quem in mensa sancti altaris tui paras in dulcedine tua pauper; Deus in delicatissimum convivium, habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis, quem cum amaverit anima mea, non esse poterit nisi gratiosa; cum tetigerit, speciosa; cum gustaverit, deliciosa; cum acceperit gloriosa! O vere felicem talis convivii dignum degustatorem, id cujus beata administratione et perceptione tota Trinitas gloriatur, felix illa supercœlestis familia cum admiratione et reverentia famulatur, triumphantium in cœlo animæ honorantur, militantium adhuc in terris adjuvantur, patientium in tormentis purgatoriis liberantur! Hoc pascha meum, bone Jesu, quod desiderio desideravi manducare tecum donec moriar, et jam conviva mensæ cœlestis effectus, manducem illud novum in regno Patris tui, videlicet non jam in velamine sacramenti, sed sine omnis pallio velamenti. Et, o sanguis pretiosissime de lilioso corpore dilecti mei in cruce pro me morientis, roseo colore largissime fluens, qui ne nulla mihi esset utilitas illius effusionis tuæ, si descenderem in corruptionem, nec in perfectione simul accepta beneficio redemptionis stare valeam, quia quotidie pecco, quotidie ministerio sacerdotum in remissionem peccatorum meorum effunderis, sed et cum te sumere mihi dederis, cum tanta plenitudine divinorum charismatum animæ meæ illaberis, ut jam scire non possim, quid desit mihi ad id quod satis est; quia nimirum de torrente voluptatis divinæ potatum ita multiplicasti divitiis, deliciis et gaudiis cœlestibus locupletare me, ut jam evectus super me, videar mihi quandoque intromitti in quemdam inusitatum affectum, conversus nescio ad quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit, in cujus dulcedinis interim suspensus desiderio, totus pene deficio dilationis fastidio! O mira suavitas calicis pretiosi! o sancta fecunditas poculi deliciosi! o superexcellens dulcedo sanguinis generosi! Vere sitivit in te anima mea, quem quanto biberit decentius et reverentius, tanto sitiet ardentius. Cum enim influis ipsi, mundas eam ut te deceat, ornas ut placeat, munis ne pereat, inebrias ne deficiat, sustentas ut proficiat, oblectas ut tibi hæreat, donec introducta in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, dilectum facie ad faciem videat, et ipso suavitate plena et mirifica perfruatur. Gratias tibi, dilecte Jesu, qui te dignatus Creatorem et Redemptorem, non abnuis talis convivii largitorem. Felix certe convivium, in quo te totum et nihil aliud nisi te mihi das; et in

Digitized by Google

me intrans transfers et mutas, et tam mira et dulci unione me tibi connectis et copulas, ut unum tecum spiritum efficias. Quid igitur? *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* (*Psal.* XLI, 12.) Quid causaris sponsi tui absentiam? Quid si tibimet præsens fueris, ipso præsentius? Tecum certe est, intra te est, infra te est, circa te est, supra te est. Inanis non venit, plenus quippe est gratia et veritate. Gratiam affert, quæ tuam culpam evacuet; veritatem, qua ignorantiam illuminet. Quid igitur ultra tibi debuit facere et non fecit? Jam non est dicere: *Ut quid Domine, recessisti longe, quare faciem tuam avertisti?* (*Psal.* X, 1.) Ecce tecum est, non recedit a te, nisi tu forte recesseris; non se avertit, si te non averteris. Dic, dic, anima mea; gratulare et dic: Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi. Amplexare dulcissimis et fortissimis affectibus, et tene quem habes, utere eo, ut libet; conare, festina; ascende, intra in amatum, et ostendet tibi naturæ suæ inæstimabilem pulchritudinem, gratiæ dulcedinem, gloriæ plenitudinem, et videbis et affluues, et miraberis et dilataberis. Videbis nempe ipsum deiformiter illuminata, affluues ipso dulciter affectata; miraberis te ex ipso sublimiter exaltata, dilataberis in ipso multipliciter locupletata. eatBam itaque, o anima mea, te dixeris, si dilectissimo sponso tuo pro his omnibus grata exstiteris, et ab acceptis gratiis non excideris, nec accipiendis indignam te reddideris. Exsulta interim et lætare in sponso quem habes in terris in sacramento, habitura et visura ipsum in cœlis sine velamento. Age nunc, piissime Jesu, quid tuis his beneficiis dignum rependam? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Scio certe quod sicut nihil sum sine te, sic nec te mereri possum sine te. Debitum non est, sed gratuitum quodcunque mihi impenderis beneficium. Indignum dignari non est justitiæ, sed gratiæ. Potenti tibi cedit ad gloriam, injustum punire nolle cum potuerjs. Pium te magis ostendis impio parcendo, quam plectendo. Dederas te beneficium munerando immeritum, misericordius mecum egeris, quando debitum a me servitium exegeris. Si salvare me decreveris, judicio mecum non contendis: nam si in judicium sederis, et locum misericordiæ non dederis, miserias in perpetuum clamabo; sin autem, misericordias tuas in æternum cantabo. Ecce nunc animam meam tibi colligo vinculo tui sacramenti, securum me æstimans, si me muniveris novi et æterni sanguine testamenti. Amplectere tibi fidei fœdere copulatum, tuere sacratissimo corpore tuo cibatum, confortatum et sanctificatum. Intuere prædulcissimo sanguine tuo potatum, ornatum et signatum. Non sit quod propellat te sequentem, non sit quod avellat tibi hærentem, et nomini gloriæ tuæ plenissime confidentem, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

13. Cæterum ad commendationem gratiæ Dei tantisper dixerim, ut habeas, diligens lector, verba monentia te et promoventia ad gaudium interioris hominis. Hæc enim quæ posui attente prolata, et intente meditata, et alia his similia, quæ studium et usus invenient, et unctio suggeret, esse tibi debent in exercitio contemplationis æstimativæ. Quod enim perfectioribus facit interior imaginatio, hoc in minus perfectis facere solet exterior pronuntiatio; quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni.

ANNO DOMINI MCL

AIMO ABBAS S. PETRI DIVENSIS

ET

PETRUS MONACHUS

NOTITIA

(*Histoire littéraire de la France*, t. XII, p. 357)

I.

Aimon, religieux de Saint-Pierre-sur-Dive, au diocèse de Seez, remplaça Richard, abbé du même monastère (1). L'année de son élection est incertaine, mais elle doit se rencontrer entre 1140, temps auquel Richard entreprit la reconstruction de son église, et 1143, où nous voyons, pour la première fois, Aimon exercer les fonctions abbatiales. Deux ans après cette dernière époque, celui-ci mit la dernière main à

(1) Mab., *Annal.* l. LXXVIII, n. 67: Neustria pia, p. 503.

Digitized by Google

l'édifice entamé par son devancier. On ignore les autres particularités de sa vie, dont le terme est pareillement resté dans l'oubli. La Chronique de Robert du Mont nous apprend seulement qu'en 1150 Warin lui avait succédé (2).

On a de lui une longue lettre à ses confrères de Teuksburi (3), aujourd'hui dans le comté de Glocester en Angleterre. Elle a pour objet de les exciter à rendre grâces à Dieu d'un nouveau genre de dévotion qui s'était emparé du peuple de Normandie, genre si extraordinaire, dit-on, qu'on en chercherait en vain des exemples dans les siècles passés. Cette dévotion, qui avait pris naissance à Chartres, consistait à se dévouer, hommes, femmes, nobles et roturiers, sans distinction de sexe ni d'état, à la construction des églises. Dans chaque diocèse de Normandie, il y avait une confrérie de ces dévots, dont la patronne était la sainte Vierge, et à laquelle présidait une personne de piété : pour y entrer, il fallait s'être confessé, avoir reçu la pénitence, et s'être réconcilié avec ses ennemis. Cette dernière condition était bien importante dans un temps où les nobles avaient presque toujours les armes à la main pour s'entre-détruire. Dès que les confrères apprenaient qu'il y avait quelque part une église à bâtir, ils s'y rendaient en troupe, et là ils faisaient les fonctions, non-seulement de manœuvres, mais même de bêtes de traits. « Quel prodige inouï, dit notre auteur, de voir des tyrans, des hommes puissants dans le siècle, enflés de leur naissance et de leurs richesses, des femmes accoutumées à une vie molle et voluptueuse, s'attacher à un char avec des traits, et voiturer eux-mêmes, à la place des animaux, le vin, le blé, la chaux, le bois, les pierres, le sable, et généralement toutes les provisions de bouche et tous les matériaux nécessaires pour la construction de l'édifice sacré. Mais ce qui est encore plus surprenant, c'est qu'au milieu de ces travaux, où quelquefois mille personnes, hommes et femmes, tirent ensemble le même char (tant la charge qu'on y met est pesante), il règne un si profond silence, qu'on n'y entend pas la moindre parole ni le moindre murmure ; en sorte que, sans le témoignage des yeux, on croirait qu'il n'y a pas une âme dans toute cette multitude. Quand on s'arrête dans les chemins, c'est alors que l'on parle; mais de quoi? de ses péchés, dont on fait une confession publique, avec des larmes et des prières pour en obtenir le pardon. Alors les prêtres font un discours à ces pénitents pour les exhorter à étouffer les haines, à bannir les dissensions, à remettre les dettes, et à resserrer entre eux les liens de l'union et de la paix. Se trouve-t-il quelqu'un assez endurci pour ne pas vouloir pardonner à ses ennemis, ou refuser de se soumettre aux avis que les prêtres lui donnent? aussitôt il est détaché du char, son offrande en est retirée comme impure, et lui-même chassé avec ignominie de la sainte société. » L'auteur décrit ensuite divers miracles par lesquels Dieu fit connaître qu'il approuvait cette dévotion ; après quoi il rapporte en quel ordre les confrères s'acheminaient pour ces travaux. « Lorsque le peuple fidèle, dit-il, s'est mis en marche au son des trompettes et précédé des bannières, il continue sa route avec la plus étonnante facilité, sans que ni la hauteur des montagnes escarpées, ni la profondeur des eaux qu'il rencontre devant soi lui cause le moindre retardement. Vous croiriez voir les Hébreux qui passent le Jourdain sous la conduite de Josué, lorsque nos pèlerins traversent quelque rivière qui se présente sur leur passage, tant ils y entrent avec confiance et parviennent aisément à l'autre bord ; jusque-là que plusieurs d'entre eux assurent qu'étant au port Sainte-Marie, les flots de la mer qui venaient à eux s'arrêtèrent tout à coup pour leur laisser la liberté de passer... Arrivés à l'endroit où l'église doit être bâtie, ils forment une enceinte alentour avec les chars pour y établir une manière de camp spirituel, où, pendant toute la nuit suivante, l'armée est en faction, chantant des hymnes et des cantiques spirituels. Sur chacun des chars, on allume des cierges et des lampes, après y avoir placé les infirmes et les malades, auprès desquels on apporte les reliques des saints à l'effet de leur procurer du soulagement. On prie pour eux, on fait des processions, le clergé à la tête et le peuple à la suite, pour demander à Dieu et à sa bienheureuse Mère la guérison de leurs maux. » Aimon termine sa relation en disant que cet établissement avait passé de l'église de Chartres dans le territoire de Saint-Pierre-sur-Dive, où il avait été confirmé par un grand nombre de prodiges, et de là s'était répandu dans presque toute la Normandie; mais qu'il avait principalement occupé les lieux dédiés à la *Mère de miséricorde*. C'est par de tels secours que fut élevée l'église de Saint-Pierre-sur-Dive. Si des faits aussi incroyables n'étaient attestés que par le seul Aimon, la critique aurait peine à se rendre. Mais le métropolitain de Normandie, Hugues d'Amiens, leur rend le même témoignage (4) dans une lettre que nous ferons connaître à son article. Raoul *de Diceto* atteste la même chose sur l'an 1144.

Suger, qui fit bâtir dans le même temps l'église de Saint-Denis, rapporte quelque chose de semblable en parlant de la manière dont on tira des carrières de Pontoise les colonnes qui devaient entrer dans cet édifice. Nous avons une traduction de cette lettre d'Aimon, publiée à Caen dans un volume in-12, l'an 1671, par D. Jean-Bernard Planchette (et non Blanchet, comme l'écrit le P. le Long [5]) ; mais le texte original d'Aimon n'a pas encore vu le jour. Dom Mabillon, qui en a donné les extraits que nous venons de rapporter, avait promis de l'insérer dans l'appendice du sixième volume de ses Annales. Cet engagement n'a point été rempli par dom Martène, éditeur de ce volume.

On fait encore honneur à notre auteur du Martyrologe de Saint-Pierre-sur-Dive, qui est demeuré manuscrit.

II.

Sous le gouvernement d'Aimon vivait un religieux, nommé Pierre, qui se mêlait de versification. Par le conseil de Milon Crispin, moine du Bec, dont il a été parlé ci-devant, il fit en vers héroïques l'éloge historique des sept premiers abbés de ce monastère. C'est la seule production de sa plume qui soit parvenue jusqu'à nous. Elle a été publiée par dom Martène, dans le VI[e] volume de sa grande Collection (p. 95). Le septième abbé que notre auteur célèbre est Roger de Bailleul, dont le gouvernement commença l'an 1149. Il parle de lui comme vivant encore ; et, sans entrer dans aucun détail de ses actions, il se contente de louer ses bonnes qualités. Dom Ruinart estimait la versification de Pierre, qui, dans quelques manuscrits, est appelé *Petrus Augiensis*, par la raison que l'abbaye de Saint-Pierre-sur-Dive est dans le pays d'Auge, en Normandie.

(2) Mab., *ibid.* l. LXXX, n. 46.
(3) Mab., *ibid.* l. LXXVIII, n. 67.
(4) Mab., *ibid.*, n. 66.
(5) Bibl. Fr., p. 253.

Digitized by Google

AIMONIS EPISTOLA

AD FRATRES TOTESBERIÆ IN ANGLIA DEGENTES.

(MABILL. *Annal. Bened.*, lib. LXXVIII, n. 67.)

Ab anno Christi 1040 quo Beatæ Mariæ monasterium in oppido S. Petri super Divam inchoatum fuerat, basilica necdum absoluta erat ad hoc usque tempus quo Aimo abbas, Richardi de Aquila successor, supremam ei manum imposuit. Ejus intellecto consilio, Divenses oppidani et circumpositi populi, Carnutensium pietate animati (1), non modo plebeii, sed etiam nobiles, omnis sexus et ætatis, congestam in carris lapidum, lignorum et arenæ materiam, nulla equorum boumve ope ipsi e longinquo summo cum silentio convehebant. Audiendus hac de re Aimo abbas, qui operi præsidebat, in libello hujusce argumenti, quem ad fratres suos, Totesberiæ (*Tuttebery*) in Anglia degentes, scripsit, ut eos ad gratias Deo agendas excitaret, qui in tanta sæculi corruptela *novum quoddam* pietatis *genus, quo quæreretur, instituit; novum, inquam, et sæculis omnibus inauditum. Quis enim vidit unquam, quis audivit in omnibus generationibus retroactis, ut tyranni, principes potentes in sæculo, honoribus et divitiis inflati, nobiles natu viri et mulieres superba et tumida colla loris nexa plaustris submitterent, et onusta vino, tritico, oleo, calce, lapidibus, lignis, cæterisque vel vitæ usui, vel structuræ ecclesiæ necessariis, ad Christi asylum animalium more brutorum pertraherent?* Verum id mirabilius videtur quod subdit idem auctor: *In trahendo autem*, inquit, *illud mirabile videre est, ut cum mille interdum, vel eo amplius viri, vel feminæ plaustro innexi sint (tanta quippe moles est, tanta machina, tantum et onus impositum), tanto tamen silentio incedatur, ut nullius vox, nullius certe mussitatio audiatur; ac, nisi oculis videas, adesse nemo in tanta multitudine æstimetur. Ubi autem in via subsistitur, nihil aliud resonat, nisi confessio criminum, et supplex ad Deum puraque oratio pro impetranda venia delictorum. Ibi prædicantibus pacem sacerdotibus, sopiuntur odia, discordiæ propulsantur, relaxantur debita, et animorum unitas reparatur. Si quis autem in tantum malum progressus fuerit, ut nolit peccanti in se dimittere, aut unde pie admonetur, sacerdotibus obedire, statim ejus oblatio, tanquam immunda, de plaustro abjicitur, et ipse cum pudore multo et ignominia a sacri populi consortio separatur.* Hæc porro fidelium devotio in tantum Deo grata et accepta visa est, ut ad eorum preces et beatæ Mariæ invocationem infinita miracula facta sint, et peccatores ad pœnitentiam conversi. *Ibi*, inquit Aimo, *ad orationes fidelium videas infirmos quosque a languoribus variis debiles in plaustris, quibus impositi fuerant, sanos exsurgere, mutos ad laudes Dei ora aperire, et vexatos a dæmonibus saniorem mentem recipere. Videas sacerdotes Christi, plaustris singulis præsidentes, ad pœnitentiam, ad confessionem, ad lamenta, ad melioris vitæ propositum universos hortari, ipsos humi prostratos, ac toto corpore incumbentes, terram diutius osculari; senes cum junioribus et pueris tantillæ ætatis Matrem Domini conclamare, atque ad ipsam præcipue singultus, suspiriaque ab intimis præcordiis cum voce confessionis ac laudis dirigere.* Jam vero quo ordine ad laborem omnes progrederentur, idem auctor sic explicat: *Ubi autem fidelis populus, ut ad cœpta redeam, ad clangorem tubarum, ad erectionem vexillorum præeuntium sese viæ reddidit (quod dictu mirabile est), tanta facilitate res agitur, ut eos ab itinere nil retardet; non ardua montium, non profunditas interjecta aquarum: sed, sicut de antiquo illo Hebræorum populo legitur, quod Jordanem ingressi sint per turmas suas; ita singuli, cum ad flumen transmeandum venerint, e regione subito, ducente eos Domino, incunctanter ingrediuntur: adeo ut etiam fluctus maris in loco, qui dicitur Sanctæ Mariæ portus, dum transirent, ad eos venientes stetisse, ab ipsis transeuntibus fideliter asseratur..... Ubi vero ad ecclesiam perventum fuerit, in circuitu ejus plaustra, velut castra spiritualia disponuntur, ac tota nocte sequenti ab omni exercitu excubiæ in hymnis et canticis celebrantur. Tum cerei et luminaria per plaustra singula accenduntur; tum infirmi ac debiles per singula collocantur; tum sanctorum pignora ad eorum subsidia deferuntur; tum a sacerdotibus et clericis processionum ministeria peraguntur, populo pariter devotissime subsequente, et Domini simul et beatæ Matris ejus clementiam pro restitutione debilium attentius implorante.* Hæc omnia tam nova et singularia videntur, ut ea paulo fusius referenda esse censuerim. *Hujus sacræ institutionis ritus*, ait idem auctor, *apud Carnotensem ecclesiam est inchoatus, ac deinde in nostra virtutibus innumeris confirmatus; postremo per totam fere Normanniam longe lateque convaluit, ac loca per singula Matri misericordiæ dicata præcipue occupavit.* Nonnihil simile in extrahendis e Pontisarensi lapicidina ingentis molis columnis, ad construendam S. Dionysii novam basilicam, testante Sugerio,

(1) Vide epistolam Hugonis Rothomagensis episcopi ad Theodericum Ambianensem, infra, in Hugone. EDIT.

Digitized by Google

factum est. Sic perfecta et ad coronidem usque perducta est Divensis Beatæ Mariæ basilica, quæ A hodie quoque superest, inter patriæ sacras ædes vix ulli inferior.

GESTA SEPTEM ABBATUM BECCENSIUM

AUCTORE PETRO DIVENSI.

(MARTÈNE *Ampliss. Collect.*, tom. VI, col. 93, ex duobus mss. uno Beccensi, altero reginæ Sueciæ.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Gesta septem primorum abbatum Beccensium a Petro Divensi metrice conscripta supppeditaverunt nobis antiqui codices duo, alter Beccensis quem nobis perofficiose exscripsit sodalis noster domnus Richardus Houssaye, *alter reginæ Sueciæ, Romæ a Mabillonio repertus, cujus apographum cum Beccensi codice contulimus.*

Eorum auctor Petrus Divensis, hoc est monasterii S. Petri supra Divam in diœcesi Sagiensi monachus, qui et Petrus Augensis, dictus a pago Augensi, ubi situm est illud monasterium, cum aliquando hospes apud Beccenses nostros divertisset, excitatus a nobilissimo viro Milone Crispini monacho et cantore Beccensi, opus illud suscepit. Porro in codice reginæ Sueciæ una cum prædictis gestis continetur et Chronicon Beccense, alias ab Acherio ad calcem operum Lanfranci editum.

Petrus Divensis conscribit versibus istis
Structores primos Becci summosque magistros.

1. Ex quo principium Beccus jam sumpsit et esse,
A quo vel per quem primo processit ad esse,
Seu quibus ipse viris fundatus magnificetur,
Queis vel personis ditatus clarificetur,
Quot præcesserunt abbates, quive fuerunt,
Tempore vel quanto Beccum rexere fovendo,
Carmine decrevi perstringere metrificali,
Ut sermone brevi signentur et ordine tali.
Non quia præsumptor operis dijudicer hujus,
Sæpe magis numero fuerim compulsus ad istud
Domni Milonis Crispini voce monentis,
Omnibus et votis nihilominus id satagentis.
Iliis ita libatis in principioque locatis
Hoc opus aggrediar, licet huic sum viribus impar :
Infantum linguas sed qui facit esse disertas,
Spiritus ipse mihi nunc adsit ad hoc properanti.

S. *Herluinus primus abbas Becci.*

2. Anno milleno ter deno necne quaterno
Quo Deus ipse Patris Verbum de viscere matris
Nostrum produxit corpus mundoque reluxit,
Cum Normannorum turgentia colla domaret
Guillelmus senior, quos et super imperitaret
Nobilis et prudens vir quidam, corde sed ingens,
Ut patet in Becci structura cœnobiali,
Qui fuit Herluinus sacro de fonte vocatus,
Inspirante Deo, mortisque timore citatus,
Cum foret in mullis præsertim strenuus armis
Inter et ipse suos bimis esset honorificatus,
Nunc et apud primos patriæ satis appretiatus;
Jam sibi plandentem, jam pronum, jamque faventem
B Mundum despexit, seseque subinde retraxit,
Et monachus factus sancto jam flamine tactus
Præsule tunc urbis Herberto Lexoviensis
Attondente comam, simul et tribuente cucullam,
Protinus ecclesiæ se contulit et sua quæque,
Quam prius in fundo construxerat ipse paterno,
Haud procul a fluvio qui Beccus dicitur, a quo
Sumpsit et ipse locus nomen sub tempore Beccus.
Fratribus et secum quampluribus associatis,
Arctius instabant aptari posse beatis
Dulcibus hymnis, laudibus amplis invigilando,
Vestibus hirtis, sumptibus arctis membra domando.
Herbis vescentes crudis, laticemque bibentes,
Pane sed adjecto quandoque siligine facto,
Crebro legentes, sero loquentes ordine certo,
C Prava caventes, justa sequentes tramite recto,
Insuper et Pauli doctoris jussa probantes,
Instanter manibus quæcunque suis operantes.
Talis tantillus, humilis satis atque pusillus
Exstitit exorsus Becci, primus quoque motus :
Non ibi murmur erat, non fraus, nec bilis amara :
Multa sed intus erat pax et concordia mira.

Lanfrancus Beccum appulit ex Italia.

3. His igitur vitam ducentibus intro sopitam,
Cœpit diffundi paulatim rumor eorum.
Vallis et ex imo jam conscendebat in altum,
Unde perafflati quamplures atque citati,
Partibus e notis venientes, necne remotis,
Beccum quærebant, illuc et conveniebant,
Se patris Herluini subdentes relligioni

Digitized by Google

Quos inter magnus vir quidem mitis ut agnus,
Editus Italia, quæ dicitur urbe Papia,
Stemmate non humilis, natalibus ac generosis,
Magnificus rethor, notissimus undique doctor,
Cui Lanfrancus erat nomen satis amplificatum,
Gallis, Italicis, Græcis quoque clarificatum,
Cum disceptando studiis et mira docendo
Urbes lustrasset, regiones et peragrasset,
Et foret hic clarus apud omnes, par quia rarus.
Nam fore præclara fert Tullius omnia rara.
Omnia conspiciens hæc vana superflua necne,
Et quia mundus abit, sed in hoc quod cernitur omne
Flamma succensus divi Lanfrancus amoris;
Culmine calcato terreni prorsus honoris,
Pauperiem Christi decernens ipse subire,
Cœli divitias quo felix possit adire,
Applicuit Becco tandem, sed præduce Christo,
Hunc qui præscierat præ tempore, necne pararat
Ecclesiæ purum vas, quam dignumque futurum.

Monachi schema induit.

4. Conspectaque loci jam paupertate cupita,
Simplicitate Patris, mira fratrum quoque vita,
Vestibus explosis queis tectus erat pretiosis,
Induitur vili gaudens tunica monachali,
Fratribus appositus, desiderioque potitus,
Omnibus elegit abjectior ipse videri,
Quam peccatorum domibus sublimis haberi,
Illud habens oculis præfixum et cordis in arcto :
Quanto major eris, tanto dejectior esto.
Qua rogo lætitia pater Herluinus agebat,
Cum, prout optavit, jam susceptisse sciebat,
Cujus doctrina Beccus foret erudiendus,
Qui rudis intus adhuc fuerat, sed et instituendus,
Cui deferre volens persæpe, decebat ut illi,
Ipse refutabat, persolvens hoc magis illi,
Ille verebatur subjici vatem sibi tantum,
Hic venerabatur nimis abbatem sibi gratum.
Gaudebatque satis vir tantæ nobilitatis,
Qui foret ignotus, qui cognitione remotus.
Intus et arcebat se strictius atque premebat,
Ne sibi dilectam cito perderet ipse quietem.

Lanfrancus fit prior.

5. Explicitis vero tribus annis in monachatu
Sub patris Herluini quo venerat ipse ducatu,
Ne jam sub modio posset latuisse lucerna,
Hactenus in medio fuerat quæ vallis operta,
Est prior effectus, fratrum sed ab agmine lectus,
Ut splendore sui sensus pariterque sophiæ,
Lumine sublimis perlustrarentur usiæ,
Et domus hæc nota, sed et ipsa Neustria tota,
Quam licet abnuerit, susceptа deniqne cura,
Omnibus intendit prodesse sub hac positura,
Fratribus assignans essent quæ rite sequenda,
Non minus insinuans illis quæ jure cavenda.
Pæ manibus semper doctrinam promptus habebat,
Qua præcellenti sociorum corda rigabat.
Gratus erat cunctis, nam cuncta scienter agebat,
Hosque cibo forti, nunc illos lacte cibabat,
Distribuens cunctis, ut cuique decere putabat.

A *Fama ejus percrebrescente, magnus fit ad eum nobilium et scholarium concursus.*

6. Fama sed ut crevit volitans, terramque replevit,
De novitate loci, simul et de relligione,
Deque viri tanti Lanfranci cognitione,
Nobilium multi, dites, comitum quoque nati,
Hinc alii plures : inflati nempe scholares,
Concurrunt Becco, Lanfrancum nosse volentes,
Institui tanto doctore magis cupientes.
Cujus perspicua fundati philosophia,
Horum nonnulli cordis ad intima puncti,
Pneumatis atque sacri subito fervore peruncti,
Jam mundi fastu dejecto carnis et astu,
Colla jugo Christi festinant subdere miti,
Ejus amore quidem remanentes prorsus ibidem.
B Ast alii plures sub eodem philosophantes,
Artibus imbuti præclaris et bene docti,
Ibant a studio Beccensi mira loquendo,
Facti prænones ipsarum per regiones,
Ac sic quæ penitus constabant annihilatæ
Artes, Rollonis ex tempore partibus istis,
Lanfranci studio noscuntur item reparatæ,
Ipsius ascribi quod conderet utique laudi.

Beecus floret et omnibus abundat.

7. Tunc Beccus primo qui pauper adhuc et in imo,
Cœpit ditari, sucerescere, fructificari,
Auro, divitiis, personis religiosis,
Vitibus et terris, ornamentis pretiosis.
Felix ecclesia, Christoque placens et amica,
C Ex istis unum quæ novit habere patronum !

Lanfrancus fit abbas S. Stephani Cadomensis.

8. Tempore prolapso, cum jam floreret ab alto
Beccus, et in totum fere dilucesceret orbem,
Intus Lanfranco doctrinam distribuendo,
A foris Herluino curam majoris agendo :
Dux Normannorum Guillelmus laude suorum
Sumpsit Lanfrancum merito cunctis veneramdum,
Non sine singultu multo grandi quoque luctu
Fratrum, necne patris Herluini jam senioris.
Ecclesiæque suæ Cadomi tunc ædificatæ
Contulit abbatem solerter ad utilitatem
Cœnobiique rudis nihilominus et regionis.
Hunc etenim sensu quo mirus erat, sed et actu
Imbuit, ornavit, præstruxit, clarificavit
D Ordine, doctrina, concentu, philosophia :
Qui licet haud multis inibi vigilaverit annis,
Cum fuerit raptus de cura cœnobiali,
Postmodum sedi provectus pontificali :
Ejus signa tamen doctrinæ non pereuntis
Sunt, et adhuc intus satis apparentia cunctis.

Deinde fit episcopus Cantuariæ.

9. At dux præfatus regnandi jure citatus
Postquam devictis in bello cominus Anglis,
Terram possedit rex, et regnando resedit,
Ecclesias regni cupiens renovare subacti,
Quæ nimis incultæ fuerant, vitiis et adultæ
Consilio procerum functus satrapumque suorum,
Sustulit abbatem de cœnobio Cadomensi
Domnum Lanfrancum, dictante sed Omnipotenti,

Digitized by Google

Atque reluctantem nimis, idque diu renitentem,
Tandem multorum precibus stringentibus ipsum,
Præsertimque patris Herluini fœdere victum,
Cujus ut auctori Christo parebat et ori,
Intulit eximiæ quæ Cantia dicitur urbi,
Atque sacerdotem summum præfecit eidem,
Clero sed populo cum laudibus amplificatis
Excipientibus hunc, et mentibus exhilaratis.

10. Culmen ubi talis fuit hic indeptus honoris,
Non castellorum structuræ materiali,
Non canibus, non hic avibus luxu laicali
Exstitit intentus, quia prorsus ab his alienus,
Ut mos pontificum dignoscitur Angligenarum :
Sed pius ut pastor structuræ spirituali
Sedulus instabat censura pontificali.
Mentes barbaricas doctrinis ædificando,
Usibus atque malis ad conspicuos revocando.
Non opus est crebris jam declamare loquelis
Anglorum genti quantum profecerit omni,
Namque status regni testatur et ecclesiarum,
Ipsius ingenti cura studioque frequenti,
Quod tunc justitiæ sub norma sit reparatus.
O tunc felicem populum nimis, atque virentem,
Cum rex insignis pacem sibi conciliabat,
Tantus et antistes doctrinam suppeditabat!
Ille refrænabat stricto pugione rebelles.
Non etenim poterat sibi quis restare satelles.
Iste beatorum sedes passim renovabat,
Per patriam lectis rectoribus atque sacrabat.
Legibus ille novis reparabat templa vetusta.
Tunc efflorebat Britannia, tunc revirebat,
Tunc erat insignis, ducibus quia prædita dignis.
Tunc opulenta bonis, quia pax optata coronis,
Quorum sudore nimio grandique labore
Mundi pollentes hujus tum quique potentes
Materiam sumunt turgendi desipientes.
Sed quia deflexi paulisper ab ordine cœpto,
Est illuc iterum redeundum calle resumpto.

Herluinus annis fatiscens Anselmum sibi successorem eligit.

11. At Pater Herluinus mens veri conscia cujus,
Ut se conspexit Lanfranco jam viduatum,
Quem successorem gaudebat habere paratum,
Quoque suæ curam domus ipse refuderat omnem,
Eligit Anselmum vita studiisque probatum
Lanfrancique loco deliberat ire locatum.

Anselmi origo et prima studia. Lanfrancum adit. Fit monachus Becci. Prior instituitur post Lanfrancum.

12. Hic fuit Anselmus Augusta natus ab urbe
Stirpe satis clara nihilominus auctus in orbe;
Qui post decursis ævi puerilibus annis,
Applicitus studiis, imbutus et artibus ipsis.
Primitus at trivio, seu postulat ordo scholaris,
Postea quadrivio quo quisque stupet popularis,
Summos ipse brevi doctores æquiparavit.
Hic cum floreret studiis in partibus illis,
Fama percelebri mira de laude magistri
Lanfranci motus, qui tunc prior oppido notus,
A Exstiterat Becci pastoris tempore primi,
Æde patris spreta, notis patriaque rejecta,
Pluribus emensis regionibus Italicensis,
Lætius optatum subiit tandem sibi portum,
Inventoque viro, vita verbis quoque miro,
Ejus et experta cum religione sophia,
Tanto constat eum complexum cordis amore,
Ejus ut ulterius discedere nollet ab ore.
Sumpto tunc igitur sibi religionis amictu,
In modico fertur tantum virtutis adeptus,
Qui nulli penitus fratrum foret ipse secundus.
Cui, post Lanfranci digressum commemorandi,
Qui fuit ecclesiæ translatus ab hac Cadomensi
Abbas, ob vitam, qua præpollebat, honestam,
Imperat officium de more prioris agendum.
B Quo non elatus fuit aut levitate notatus,
Sæpe quia mores mutant, ut fertur, honores.
Imo studebat eis queis præerat ultimus esse,
Lege ministrandi fuerat quod cuique necesse.

Herluinus migrat e vita.

13. Abbas Herluinus senio jam debilitatus
Postquam lustra novem minus anno continuasset,
Quo fugiens mundo se Christo consociasset,
Omnibus expletis quæ mens optaverat ejus,
Rebus in humanis et functis visibus ejus,
Tum quia basilica præstanter et ipsa peracta,
Hinc a Lanfranco tunc archipræsule summo
Multiplici pompa miroque decore sacrata,
Cum desideriis ejus jam nil superesset,
Ni quod dissolvi Christumque videre cupisset,
C Miles ut emeritus, et ab omni labe politus,
Corpore munitus, Christique cruore potitus,
Cœlo dans animam, virtutibus undique fultam,
Reddit humo corpus quo primus noscitur ortus.
Quantus ibi fletus, dolor omnis quippe replevit!
Quantus erat gemitus, quia pastor tantus obivit!
Concurrunt plures cum divitibus populares:
Hi dominum flentes, alii patrem repetentes.
Tantus erat clamor lugentum tantus et angor,
Quod vix audiri psallentes, vix et adiri
Possent præ turba, foribus vi namque refusa.

Succedit ei S. Anselmus. Ejus virtutes.

14. At cum exsequiis singultibus haud sine crebris,
Utque viro decuit tanto de more peractis,
D Conveniunt fratres jam patre suo viduati,
Atque pari voto non schismate dissociati,
Abbatem statuunt Anselmum dignaque solvunt.
Quæ jam nimirum successio continuata,
Absque Dei nutu non creditur insinuata.
Tantus enim fuit hic ætate quidem juvenili,
Dignius ut tanto tunc præferretur ovili.
Dulcis in affatu, sed dulcior in famulatu
Exstiterat cunctis in cœnobio sibi junctis.
Sanis namque pater fuit, infirmis quoque mater
Et simul utrisque pater, et mater fuit ipse.
Neumate contactus erat omnibus omnia factus,
Ut sibi captaret quos Christo lucrificaret.
Fratribus hic igitur de quorum sobrietate
Jam bene fretus erat, vita simul et probitate,

Digitized by Google

Exterius causis solertius insinuatis,
Interius curis attentius ipse vacabat,
Erudiensque suos doctrinis invigilabat,
Contemplativos fructus carpens aliquando,
Nunc in consiliis dandis erat ipse morando.
Quis ita discretus fuit et multis manifestus?
Quod quasi divinum responsum consuluisset,
Ipsius alloquio quicunque frui potuisset;
Gratia tanta quidem labiis insederat ejus,
Quod gens cuncta fere verbis alluderet ejus.
Regibus et primis patriæ, mediocribus, imis
Haud fuit exosus, sed amabilis et pretiosus.

15. Floruit hoc Beccus sub tempore, crevit et hujus
Oppido sub cura, nec enim Normannia sola,
Verum longinquæ regiones atque propinquæ
Ejus odore bono fragrabant numine prono.
E quibus exciti præsignes atque periti
Conveniunt Becco, se dantes et sua Christo,
Terras cum villis et prædia multa sub illis;
Aurum cum gemmis pretiosis atque lapillis,
Argentumque satis cum vestibus appretiatis,
Illi subdentes solemniter attribuentes.

Anselmus Angliæ regem adit, pro Ecclesiæ suæ negotiis.

16. Jam tunc pollebat Beccus, se sic et habebat
In melius semper succrescens proficiendo
Ordine, divitiis, conventu religioso,
Insuper et numero, meritis, et multiplicando.
At cum bissenis superadjectis tribus annis
Anselmus Beccum bene jam rexisset adultum,
Fratrum constrictus prece, jussu denique victus,
Ecclesiæ causis quampluribus hinc et obortis,
Sic mare transivit, regem super his et abivit
Compellaturus, quædam super et moniturus.
A quo susceptus digne satis et veneratus,
Obtinet ad libitum quod constat abiisse petitum.

Rapitur ad sedem Cantuariensem.

17. Tunc erat insignis urbs Anglica Canturiensis
Proh dolor! egregio meritis orbata patrono
Ferme decursis in gyro quatuor annis,
Ex quo Lanfrancus mundo decessit amandus.
Cum super id vero monitus rex crebro fuisset,
Quatenus ecclesiæ lugenti consuluisset,
(1) Rufus et ille diu protendens dissimulasset,
Tunc emollitus, tandem furore sopitus.
Regni personis diversæ relligionis,
Principibus necnon super id pulsantibus ipsum,
Annuit ut fieret electio pontificalis,
Et procul abstaret contentio causidicalis.
Omnibus ergo simul cum rege volentibus unum,
Vocibus et crebris id subclamantibus ipsum,
Abbas Beccensis, qui tanto dignus honore
Esset, et insignis, sapiens grandique lepore,
Quæritur Anselmus, capitur, trahitur violenter,
Cum tentasset et his obsistere quam vehementer.
Summus et antistes stabilitur Canturiensi
Ecclesiæ dignus successor et Italicensi.

(1) Guillelmus II, rex Angliæ, dictus Rufus.

A 18. Archiepiscopii qui sublimatus honore,
Non sua sed Christi quærebat in ejus amore,
Ecclesiis regni totius et invigilator
Sedulus assistens, ipsarum sed relevator,
Æquus judicio majoribus atque pusillis,
Promptus in auxilio viduis pariterque pupillis,
Dapsilis indigenis, non parcus et hic alienis,
Totus et assidue fuerat perfusus egenis,
Compatiens mœstis, non parcens ipse superbis.
In commune tamen fuit omnibus ipse juvamen,
Insuper et verbi divini semina fundens,
Non erat in terris Domini commissa recondens:
Imo, quod audierat per tecta docens resonabat,
Pastor ut insignis, dispensatorque fidelis
Talibus ornatus virtutibus iste beatus,
B Jure subit curam tam digni pontificatus
Hinc et amabatur a clero sufficienter,
Atque colebatur a plebe satis reverenter,
Tum quia defensor cleri fuit imperiosus:
Tum quia provisor populi fuerit studiosus

Guillelmus tertius abbas Becci. Ejus patria, mores, litteræ. Robertus Mellenti ejus consanguineus.

19. Ut consecratus fuit hic et sede locatus,
Istud et insonuit, jam quippe latere nequivit,
Conventus fratrum Becci deductus in unum,
Et super ablatum pastorem concionantes,
Deque novo rursum reparando quæstionantes,
Ipsius Anselmi consulto præsulis almi,
Comminus eligitur quidam Guillelmus ab ipsis,
Ex *Monfort* natus, sic et præponitur ipsis,
C Moribus ornatus, sed relligione probatus,
Mitis, munificus, patiens et pacis amicus.
Hic erat edoctus divina lege potenter,
Nunc nova nunc vetera proferre sciens reverenter.
Qui decus et speculum tum norma patens monachorum,
Claruit ut lilium micat inter germina florum.
Nec modo contiguis confratribus et sibi natis,
Imo procul positis, sublimibus, haud quoque notis
Carus et acceptus fuit, hoc virtutis adeptus,
Tempore sub cujus quammulti multa dedere
Becco, divitiis ditantes, excoluere.
Robertusque comes de *Mellent* vir memorandus,
Ipsius abbatis consanguinitate propinquus,
Auxit præcipue non parvis ejus amore
D Beccum redditibus, Matrisque Dei sub honore,
Ordo sed interior sub eodem debilitatus
Haud fuit; in modico quin firmior, at moderatus;
Cultus et interior non laxabatur in udo:
Imo subaccrescens, flexusque gravedine nulla.
Non etenim Beccus tunc temporis intus egebat,
Jam sed abundabat, jam de foris ipse cluebat.

Guillelmus rexit annis XXX. *De Bosone Becci IV abbate.*

20. At qui transactis ter denis circiter annis
Ecclesiæ Becci, quibus abbas præfuit ipsi,
Cum pastorali cura prius invigilasset,

Digitized by Google

Oraculumque suum, quod pulchre concelebrasset,
Tandem Guillelmus carnis valetudine tactus,
Posthabitis rerum curis plenusque dierum
Sic obdormivit, sed et in Domino requievit,
Appositusque suis hinc patribus et tumulatus.
Cui prior ecclesiæ successit Boso vocatus,
Pro libitu fratrum pastoris sede locatus.
Hic fuit astutus, sapiens, subtilis, acutus
Consilio, cura, scripturis, philosophia.
Quisnam, quæso, virum tristis properavit ad ipsum,
Et non continuo gaudens discessit ab ipso.
Summi nempe viri, distantes atque remoti
Quo satis edocti sermonibus exhilarati,
Consilii causa venientes hunc repetebant,
Hunc admirantes verbi virtute stupebant.
At super illius quid dicam relligione,
Quidve super mentis quid proloquar integritate,
Quis fuit Anselmo connexus ita reverendo,
Quod vix aut sero disjungi posset ab ipso!
Hic sibi subjectos in tanta pace tenebat,
Insuper et tantæ dulcedinis arte regebat,
Ut fieret notum, manifestius atque pateret
Spiritus ille sacer, qui in ejus corde maneret.
Claruit hic multis diversis partibus orbis,
Sensu magnifico, verborum pondere miro;
Notus et indiciis fit summæ relligionis
Regibus, et primis cujusque procul regionis,
Qui sibi commissum servare gregem satagendo,
Nunc potabat eos exemplis instituendo,
Nunc pascebat eos doctrina spirituali,
Non tamen exceptans hos pastu materiali:
Imo subimplebat laute quod cuique decebat,
Affectu miro Christi nectens sibi tyro.
Taliter egregius Boso pastorque peritus,
Invigilans castris Domini ter quatuor annis,
Justitiæ tectus lorica vir bene doctus,
Neumatis at gladio sancti præcinctus acuto,
Tum clypeo fidei tutus galeaque salutis,
Fortis ut athleta non segniter intus agebat,
Hostis ab incursu servando suos satagebat.
Hic consummato vitæ præsentis agone,
Transiit ad Christum mortis sed conditione;
Et bene defertur super æthera spiritus ejus,
Namque mori lucrum fuit ipsi vivere Christus.

Theobaldus V abbas Becci.

21. Cujus in officio quidam surrexit herilis
Exque priore loci curam sortitur ovilis.
Hic Thebaldus erat dictus, satis atque patebat
Moribus insignis, natalibus et bene dignis,
Artibus egregiis imbutus, et altius ipsis.
Qui post annorum jam decursum geminorum
Desuper aptatis sex mensibus enumeratis,
Cum regeret Beccum satis accuratius ipsum,
A foris acceptans quæ congrua noverat ædi,
Intus et assignans divinæ consona legi,
Esset et hic gratus cunctis et amore ligatus,
Illis subtrahitur, Christo sed compositore,
Anglis atque datur, miro translatus honore,
A Summus et ecclesiæ fit præsul Cantuariensis,
Insula præsignis cui subditur Albionensis.

Theobaldus creatur archiep. Cantuariæ; varios in Anglia motus compescit. Becci possessiones in Anglia in primis tuetur.

22. Tempore sub cujus, species ut denotat ejus,
Anglia, quæ dudum fuerat ditissima rerum,
Hinc opibus variis, hinc gentibus imperiosis,
Proh dolor! orbatur, alienis et spoliatur
Obruta languescit, fere jam subversa patescit,
Invidia procerum regni patriæque potentum,
Ensibus et flammis cum proditione furentum.
Hujus ob arcendam cladis rabiemque premendam,
Quæ penes ecclesias etiam tunc depopulando,
Sævius exarsit, vix ullam prætereundo,
B Tanta superborum tulit impedimenta virorum,
Sæpe quod et capitis incurrerit ipse periclum.
Christus at illæsum conservans altius ipsum,
Omnibus eripuit ex his, pacique reduxit.
Nam velut ipse Joseph auctore Deo perhibetur
Missus in Ægyptum, Scripturis idque docetur,
Fratribus atque patri, cunctæque suæ quoque genti
Quo compensaret, pro tempore convenienti.
Sic fuit iste Dei nutu provectus honori
Regni totius Anglorum, sed potiori,
Quo jam liberius, et matri compatiendo,
Fratribus atque suis præstaret subveniendo;
Insuper et rerum fieret protector earum,
Quæ fuerant pronæ Becco procul in regione.
C Quæ bene compensans, et secum mente retractans,
Muneribus dignis matrem venerando frequenter
Extulit, adjuvit submissus ei reverenter.
Quidquid erat Becci conservans inviolatum,
Hostis et e manibus defensans intemeratum,
Tempore quo cuncti noscuntur ad omnia moti.

Letardus VI abbas Becci.

23. Cui post successit vir summæ relligionis,
Infestus vitiis, virtutibus ac studiosus
Nomine Letardus, redolens velut Indica nardus.
Porro sed ætatis provectæ, nam gravitatis
Exstiterat multæ, mentisque procul bene cultæ.
Prudens, maturus, patiens et corpore purus.
Discipulis pandens exemplo sufficienti,
Quod mandabat eis servandum voce patenti.
D Hic consummatis bis quinque beatius annis,
Ex quo cœnobium sumpsit Beccense regendum,
Vitam finivit præsentem sic et obivit,
Transiit, et virgo prodivit matris ut alvo,
Cum sexagenum quintum superegerat annum.

Rogerius de Bailleul VII abbas.

24. Cui subit extemplo conventus e grege simplo,
Quidam Rogerius de Bailleul qui fuit ortus,
Indolis egregiæ, scrutator et ipse sophiæ.
Ingenio promptus, sed et eloquio bene comptus.
Qui non humanis, quo quisque tumescit inanis,
Tantum, sed divis imbutus erat documentis.
Quorum notitia pastorum qui viduatur
Est asino similis, sed lauro qui decoratur.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCL

GUIDO CARILOCI ABBAS

NOTITIA

(Oudin *Script. eccles.*, II, 1417)

Guido Cariloci abbas, ordinis Cisterciensis in Burgundia Sequana, ad quem duas epistolas sanctus Bernardus Clarævallis abbas conscripsit, circa hoc idem tempus, id est annum 1150, composuit *Tractatum de correctione cantus ordinis Cisterciensis*, quem sub sancti Bernardi nomine, ob Joannis Bona S. R. E. cardinalis et eruditissimi hominis auctoritatem, edidit Joannes Mabillon in editione sua Operum divi Bernardi. Fefellit Joannem Bonam codex manuscriptus quo utebatur, quem opinatus est esse *Tractatum divi Bernardi*, quia præmissam dicto tractatui divi Bernardi epistolam vidit. At ms. codex, quem hic Bucifaci habeo, varios tractatus ad musicam et cantum ecclesiasticum pertinentes continens, habet in fronte Operis nomen *Guidonis Cariloci abbatis*, et extranea ista divi Bernardi epistola caret, quæ cardinali persuaserat hunc Tractatum Bernardo attribuendum, qui Guidonis abbatis certo est. Vult tamen Joannes Mabillon, suam etiam opem huic cantus reformationi a divo Bernardo certis argumentis esse præstitam. Nullus quem noverim, hujus scriptoris unquam meminit.

TRACTATUS DE CORRECTIONE CANTUS

ORDINIS CISTERCIENSIS.

(Vid. Patrologiæ tom. CLXXXV, col. 1121, Opp. S. Bernardi tom. I.)

CIRCA ANNUM MCL

HERIBERTUS MONACHUS

NOTITIA

(*Histoire littéraire de la France*, tom. XII, pag. 446)

Tandis que l'hérétique Henri, ce restaurateur du manichéisme en France, infectait de ses erreurs le Languedoc et la Provence, un de ses disciples nommé Ponce, ou Ponne, le secondait dans le Périgord, et y faisait un grand nombre de prosélytes. La doctrine et les mœurs de ceux-ci se trouvent détaillées dans une lettre du moine Héribert, adressée à tous les fidèles en forme de dénonciation. Cet écrivain, sur la personne duquel on n'a aucune lumière, était vraisemblablement Périgourdin, car il parle en témoin oculaire de ce qu'il raconte. Il paraît que ce bon moine était un peu crédule, et se laissait aisément surprendre aux apparences trompeuses des fausses merveilles. Quoi qu'il en soit, la candeur qui règne dans son écrit dépose en faveur de sa sincérité. C'est un auteur qui rapporte ingénument ce que ses sens lui avaient appris sans aucune défiance sur la fidélité de leur témoignage. Sa lettre a dû précéder l'an 1147, époque de la mission de S. Bernard en Périgord. Après avoir été publiée pour la première fois par dom Mabillon dans le troisième volume de ses *Analectes* (p. 467), elle a été reproduite dans le premier tome des *Anecdotes*, de dom Martène (p. 453) avec quelques corrections. Mais l'une et l'autre édition s'accordent à dire que les hérétiques dont il s'agit fléchissaient cent fois les genoux par jour, et non pas seulement sept fois, comme le dit le P. Pagi (*ad an.* 1163).

Digitized by Google

HERIBERTI MONACHI

EPISTOLA DE HÆRETICIS PETRAGORICIS.

(Martène *Anecdot.* I, 453, ex ms. Elnon.)

Omnibus Christianis notum esse cupio ego Heribertus monachus, ut se caute agant a pseudoprophetis, qui Christianitatem pervertere nituntur. Surrexerunt enim in Petragoriensi regione quamplures hæretici, qui se dicunt apostolicam vitam ducere: carnes non comedunt, vinum non bibunt, nisi permodicum tertia die; centies in die flectunt genua, pecuniam non recipiunt. Illorum autem secta valde perversa est; *Gloria Patri* non dicunt, sed pro *Gloria Patri, Quoniam regnum tuum*, et *Tu dominaris universæ creaturæ in sæcula sæculorum. Amen.* Eleemosynam nihil esse, quia unde fieri possit, nihil debere possideri. Missam pro nihilo ducunt, neque communionem percipi debere dicunt, sed fragmen panis. Missam si quis cantaverit, seductionis causa, nec canonem dicit, nec communionem percipit, sed hostiam juxta aut retro altare, aut in missalem projicit. Crucem, seu vultum Domini non adorant, sed adorantes prohibent; ita ut ante vultum Domini dicant: *O quam miseri sunt, qui te adorant!* psalmo dicente: *Simulacra gentium*, etc. In hac seductione quamplures jam non solum nobiles, propria relinquentes, sed et clerici, presbyteri, monachi et monachæ pervenerunt. Nullus enim tam rusticus est, si se eis conjunxerit, quin infra octo dies tam sapiens sit litteris, ut nec verbis, nec exemplis amplius superari possit. Nullo modo detineri possunt, quia si capiuntur, nulla vinctione possunt servari, diabolo eos liberante, et ita universi, ut sperent et velint invenire eos qui se crucient et morti tradant. Faciunt quoque multa signa; nam sicubi ferreis catenis vel compedibus vincti missi fuerint in tonnam vinariam, ita ut fundus sursum vertatur, et custodes fortissimi adhibeantur, in crastino non inveniunt, quoadusque se voluntarie repræsentaverint, vas vini vacuum ex suo vino parumper immisso in crastino plenum invertitur. Alia quoque permulta et mira faciunt. Princeps eorum Ponnus vocatur

ANNO DOMINI MCLI

BARTHOLOMÆUS

CATALAUNENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(*Gall. Christ.* nov., tom. IX, col. 881)

Bartholomæus, ex decano Ecclesiæ Parisiensis factus est anno 1147 episcopus Catalaunensis, quo quidem anno VII Kal. Novembris adfuit dedicationi ecclesiæ suæ ab Eugenio III papa, ut fertur, celebratæ, eamdemque cum episcopis Parisiensi, Antissiodorensi ac Nivernensi, intus et foris aspersione aquæ benedictæ lustravit. Eodem anno diploma regium obtinuit de hæreditate episcoporum Catalaunensium intestato morientium, quod habes in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tom. I, pag. 595, et apud Marten. Collect. Ampliss. tom. I, pag. 803. Anno sequenti adfuit concilio Remensi adversus Gilbertum Porretanum. Exstat apud Quercetanum Hist. Franc. tom. IV Bartholomæi epist. ad Sugerium abbatem. Obiit Bartholomæus anno 1151 in peregrinatione Jerosolymitana, ex Alberici et sancti Petri Catalaunensis chronicis, vel VIII vel VII Kalendas Januarii, ex necrologiis.

BARTHOLOMÆI EPISTOLA

AD SUGERIUM ABBATEM.

(Vide Patrologiæ tom. CLXXXVI, in Sugerio abbate S. Dionysii.)

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLI

BERNARDI

CARTHUSIÆ PORTARUM PRIORIS PRIMI

EPISTOLÆ TRES

(Vide Patrologiæ tom. CLIII, col. 885)

ANNO DOMINI MCLI

S. RAINARDUS

ABBAS CISTERCIENSIS V

NOTITIA IN RAINARDUM

(*Gall. Christ.* t. IV, c. 985)

Rainardus, filius Milonis comitis Barri super Sequanam, ex monacho Clarævallensi assumptus in abbatem Cistercii 1133 perficitur a Waltero Cabilonensi pontifice; quo anno memoratur in charta ejusdem Walterii pro monasterio S. Petri (1). Statuta saluberrima condidit anno seq. seu potius statuta capitulorum generalium collegit. Anno 1128 S. Petro Stamedii primo abbati in Sabaudia præcepit ut oblatum Tarentasiensem archiepiscopatum acciperet. Petrum Abælardum cum S. Bernardo Clarævallensi abbate sub finem mensis Septembris anni 1140 reconciliavit. Eodem circiter anno scripsit ad Innocentium II papam pro Humberto Æduensi episcopo contra monachos Vezeliacenses; cumque hoc ipso anno agerentur comitia generalia Cistercii, pactum fecit cum Hugone et monachis Præmonstratensis ordinis, quo neutri monachos alterius ordinis in suum recipere liceret, neque abbatias ædificare, nisi eo intervallo, quo inter se distant Præmonstratense et Suessionense S. Medardi monasteria, ac insuper cavetur ne mutuæ querelæ aliis quam monachis utriusque ordinis finiendæ committantur, ex tabul. Bolbonæ. Scribit ad eum Petrus Venerabilis, lib. v, epist. 25, de quo etiam Exordium Cisterciense, lib. I, cap. 28, et Vincentius in Speculo hist. lib. XXVII, cap. 27. Idem ann. 1148 visitatur ab Eugenio III summo pontifice in capitulo generali, et hic cœmeterium abbatiæ consecravit. Adfuit autem Rainardus consecrationi ecclesiæ S. Lazari Æduensis, factæ an. 1146 ab Humberto episcopo diœcesano; tandemque plurimis cœnobiis maxime religionis bono conditis, obdormivit in Christo 1151, ut est in Supplemento Sigeberti, XVII Kal. Januarii, et martyrologio Cisterciensi; cujus in morte doluit S. Bernardus: *Dominus*, inquit, epist. 270, *Cisterciensi deseruit nos, magna plaga in ordine, mihi vero duplex incumbit mœroris ratio, qui in uno homine et patrem amisi et filium. Et nunc habemus pro eo domnum Gozuinum Bonæ-Wallis abbatem.* De Rainardo etiam ita loquitur scriptor æqualis vitæ B. Stephani Obazinæ abbatis, lib. II, cap. 11. *Eo tempore Cisterciensibus præerat abbas nomine Rainardus, vir... nullis facile comparandus: siquidem elegantia personæ, generis nobilitate, humilitatis decore, religionis fervore, cunctis quibus præerat abbatibus præeminebat, et sanctæ religionis vigore flagrabat, ut ignis superaret ardorem, et exterius tanta dulcedine præeminebat, ut mellis superaret suavitatem.* Vide tom. II. Miscellan. Baluzii, pag. 117 et seq. ac Menologium Cisterciense ad diem 16 Maii.

(1) Prob. Hist. Cabilon. pag. 50.

Digitized by Google

SANCTI RAINARDI

CISTERCIENSIS ABBATIS V

INSTITUTA CAPITULI GENERALIS

ORDINIS CISTERCIENSIS.

(*Nomasticon Cisterciense, seu antiquiores ordinis Cisterciensis consuetudines.* Paris. 1664 fol.)

—

ADMONITIO.

Hæc prima est Definitionum capituli generalis ordinis Cisterciensis Collectio, a tempore *Chartæ Charitatis;* cujus auctor creditur sanctus Raynardus, filius Milonis comitis Barri super Sequanam (2), primum quidem monachus Claræ-vallis ac subinde quartus abbas Cistercii, quem inter angelorum choros S. Christianus vidit (3), cujus mortem S. Bernardus veluti *magnam*, ut ipse ait, *ordinis plagam* lacrymis prosecutus est (4). Hæc autem Collectio octoginta et septem distincta capitibus, complectitur varias definitiones ab initio ordinis in capitulis generalibus editas, usque ad annum 1134, quo ipsa prodiit in lucem.

—

S. RAINARDI PROLOGUS.

In Charta Charitatis inter cætera continetur, quod singulis annis conveniant omnes abbates cœnobiorum, quæ Dei gratia in diversis sunt ordinata provinciis, ad Cisterciensem ecclesiam, et quod ibi de observatione sanctæ Regulæ et ordine totius vitæ suæ ac indissolubili inter se pace custodienda, diligentissime tractent: ut tenor vivendi sæpius replicatus ac divinarum Scripturarum auctoritate corroboratus, non facile tepere, sed per diuturna plurimorum annorum spatia possit vigere. Hac ergo ratione in loco prædicto congregati, hæc capitula instituerunt, et per universam congregationum nostrarum fraternitatem tenenda decreverunt :

—

INSTITUTA

Capituli generalis ordinis Cisterciensis (5).

CAP. I. *Quo in loco sint construenda cœnobia.*

In civitatibus, in castellis, aut villis nulla nostra construenda sunt cœnobia; sed in locis a conversatione hominum semotis.

CAP. II. *De unitate conversationis in divinis et humanis.*

Ut autem inter abbatias unitas indissolubilis perpetuo perseveret, stabilitum est primo quidem ut ab omnibus Regula beati Benedicti uno modo intelligatur, uno modo teneatur; dehinc ut iidem libri quantum duntaxat ad divinum officium pertinet; idem victus, idem vestitus, iidem denique per omnia mores inveniantur.

CAP. III. *Quos libros non licet habere diversos.*

Missale, Epistolare, Textus, Collectaneum, Graduale, Antiphonarium, Regula, Hymnarium, Psalterium, Lectionarium, Kalendarium, ubique uniformiter habeantur.

CAP. IV. *De vestitu*

Vestitus simplex et vilis absque pelliciis, camisiis, staminiis, qualem denique Regula describit.

CAP. V. *Unde monachis debeat provenire victus.*

Monachis nostri ordinis debet provenire victus de labore manuum, de cultu terrarum, de nutrimento pecorum : unde et licet nobis possidere ad proprios usus aquas, silvas, vineas, prata, terras a sæcularium hominum habitatione semotas, et animalia, præter illa quæ magis solent provocare curiositatem et ostentare in se vanitatem, quam aliquam afferre utilitatem, sicut sunt cervi, grues et cætera hujusmodi. Ad hæc exercenda, nutrienda, conservanda, seu prope seu longe non tamen ultra

(2) Ordericus Vitalis, lib. VIII Hist. Anglorum.
(3) Exord. mag. Cisterc., lib. I, cap. 28.
(4) S. Bernardi epist. 270.
(5) Anno Dom. 1134, Cistercii 36

Digitized by Google

diutam grangias possumus habere per conversos custodiendas.

CAP. VI. *Quod non debeat monachus extra claustrum habitare.*

(5*) Monacho cui ex Regula claustrum propria debet esse habitatio, licet quidem ad grangias quoties mittitur ire; sed nequaquam diutius habitare.

CAP. VII. *Quod in ordine nostro feminarum cohabitatio interdicta sit et ingressus portæ monasterii sit eis negatus.*

Remota omni occasione sive nutrimentorum augendorum vel conservandorum, sive rerum monasterii quarumlibet, ut quandoque necesse est, lavandarum, sive denique cujuscunque alterius necessitatis, feminarum cohabitatio nobis et conversis nostris omnino interdicta est. Ideo nec intus curtos grangiarum hospitari, nec monasterii portam ingredi permittantur.

CAP. VIII. *De conversis.*

Per conversos agenda sunt exercitia apud grangias et per mercenarios, quos utique conversos episcoporum licentia tanquam necessarios et coadjutores nostros, sub cura nostra sicut et monachos suscipimus; fratresque et participes nostrorum tam spiritualium quam temporalium bonorum æque ut monachos habemus.

CAP. IX. *Quod redditus non habeamus de alienis.*

Ecclesias, altaria, sepulturas, decimas alieni laboris vel nutrimenti; villas, villanos, terrarum census, furnorum, molendinorum redditus, et cætera his similia monasticæ puritati adversantia, nostri et nominis et ordinis excludit institutio.

CAP. X. *Quid liceat vel non liceat habere de auro, argento, gemmis et serico.*

Altarium linteamina, ministrorum indumenta, sine serico sint, præter stolam et manipulum. Casula vero nonnisi unicolor habeatur. Omnia monasterii ornamenta, vasa utensilia, sine auro et argento, præter calicem et fistulam: quæ quidem duo sola argentea et deaurata, sed aurea nequaquam habere permittimus.

CAP. XI. *Ut nullus recipiat aliquem ad aliam ecclesiam ire volentem.*

Si quis monachus, clericus, aut laicus ad aliquam ecclesiarum nostrarum causa remanendi venire voluerit, non si dissuadeat alia ecclesia, nec eum retineat, etiamsi remanere voluerit, quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Qui postquam ad illum locum in quo conversari disponit, venerit, ibique voluntate mutata remanere noluerit, liber discedat. Si in cella novitiorum conversatus fuerit, et proprio vitio vel expulsus, vel per se exierit, ab aliqua nostra fraternitatis ecclesia, sine commendatitiis literis non recipiatur, quia discordiæ inter ecclesias fomes de tali causa oriri potest. Quod idem de monacho peregrino in aliquo loco nostro suscepto et quoquo modo egresso, decernimus.

CAP. XII. *Quomodo novella ecclesia abbate et monachis et cæteris necessariis ordinetur.*

Duodecim monachi cum abbate tertio decimo ad cœnobia nova transmittantur, nec tamen ibi destinentur, donec locus, libris, domibus et aliis necessariis aptetur, libris duntaxat, Missali, Epistolari, Textu, Regula, libro Usuum (6), Psalterio, Hymnario, Collectaneo, Antiphonario, Lectionario, Graduali; domibusque, oratorio, refectorio, cella hospitum et portarii, necessariis etiam temporalibus, ut et vivere, et Regulam ibidem statim valeant observare.

CAP. XIII. *De firmaculis librorum.*

Interdicimus ne in ecclesiarum libris aurea, vel argentea sive deargentata, vel deaurata habeantur retinacula, quæ usu firmacula vocantur, et ne aliquis codex pallio tegatur.

CAP. XIV. *De pane quotidiano.*

Sicut in ecclesiasticis aliisque observationibus cavemus ne inveniamur discordes, sic etiam in victu quotidiano diversitas est cavenda, ne fratres caruis vel spiritus fragilitate victi grossiorem panem abhorrere et lautiorem incipiant desiderare. Ideo stabilimus ne in cœnobiis nostris fiat panis candidus, nequidem in præcipuis festivitatibus, sed grossus, id est cum cribro factus. Ubi autem frumentum defuerit, cum scatio liceat fieri, quæ lex infirmis non tenebitur, sed et hospitibus quibus visum fuerit album panem apponimus, et minutis in minutione sua, sicut in sententia eorum descriptum est (7). Cujus panis, albi videlicet qui minutis apponitur, sicut et quotidiani pasta in statera posita, nequaquam plus ponderare debet, sed æqua lance appendi.

CAP. XV. *De cucullis et subtalaribus*

In ecclesiis nostris non sint cucullæ deforis *floccatæ* (8): et subtalares diurni non sint caprini vel corduani, sed vaccini.

CAP. XVI. *De monachis vel conversis fugitivis.*

Si quis monachus vel conversus vitio suo de ecclesia aliqua exierit, et ad alienam venerit, suadeatur ei ut revertatur. Quod si abbas vel prior illius

(5*) Reg. S. Ben. c. 4, cap. 66 et cap. 67.

(6) Nota hic mentionem fieri libri Usuum, ut jam conscripti et ubique ab omnibus habendi et observandi.

(7) Vide lib. Usuum cap. 70, de minutione.

(8) Per cucullas *floccatas* eas prohibet quas et S. Bernardus in Cluniacensibus reprehendit in Apologia sua et in epistola ad Robertum, nempe cucullas amplas et superfluitate panni redundantes, non autem eas in quibus essent flocci seu particulæ laneæ eminentiores, ut vult Angel. Manriq. in suis Annal. ad an. 1134, c. 6. Hoc enim sensu contrarii essent SS. Patres nostri S. Benedicto qui in sua Regula cucullas villosas suis monachis in hieme concessit. Non admittebant igitur nostri cucullas aut floccos nisi simplices et angustiores, ut fatetur Petrus Venerabilis in epistola 28, et in epist. 17 lib. IV.

Digitized by Google

loci intellexerit eum ad locum suum nolle redire, non eum sinat amplius una nocte illic manere, habitumque ei religionis jubeat auferri, nisi priusquam ad nostrum ordinem venerit monachum fuisse constiterit. Converso vero de rebus monasterii nihil dimittatur præter indumentum simplex et vile.

CAP. XVII. *Quod monachus peregrinus infra breve tempus recipiatur aut recedat.*

Monachus peregrinus si ad aliquod cœnobium ad habitandum venerit, nec ibi propter vicinitatem aut notitiam ecclesiæ suæ recipi potuerit, non diutius teneatur in domo hospitum; ob hoc ne inter hanc moram, aut aliquo ingenio, aut aliquarum ecclesiasticarum seu sæcularium personarum petitione, quæ sine dubio violenta constat esse, ab abbate suo extorqueatur.

CAP. XVIII. *Quod omnia monasteria in honorem beatæ Mariæ dedicentur.*

Quia antecessores nostri et Patres de ecclesia Molismensi, quæ in honorem B. Mariæ constructa est, ad Cisterciensem locum, unde et nos exorti sumus, primitus venerunt : idcirco decernimus ut omnes ecclesiæ nostræ ac successorum nostrorum, in memoriam ejusdem cœli et terræ reginæ sanctæ Mariæ fundentur ac dedicentur.

CAP. XIX. *Ut pitantiæ (9) non administrentur in refectorio apud Cistercium tempore generalis capituli.*

Nos abbates illo tempore decem sicuti solemus Cistercium post annum venientes, rogabamus dominum abbatem Stephanum et fratres, ne nobis in refectorio solitæ pitantiæ, post duo pulmentaria regularia præsentarentur; quia et in refectorio in distributione harum rerum videbatur esse quædam inquietudo fratrum, et in mora illa diminutio dormitionis eorum; tuncque abbate illo et fratribus consentientibus, stabilivimus ne ista illo tempore amplius fierent.

CAP. XX. *De sculpturis et picturis, et cruce lignea.*

Sculpturæ vel picturæ in ecclesiis nostris seu in officinis aliquibus monasterii, ne fiant interdicimus : quia dum talibus intenditur, utilitas bonæ meditationis vel disciplina religiosæ gravitatis sæpe negligitur; cruces tamen pictas, quæ sint ligneæ, habemus.

CAP. XXI. *Quod extra portam domus non habeatur.*

Non est congruum ut extra portam monasterii domus aliqua ad habitandum construatur, nisi animalium; quia periculum animarum inde potest nasci.

CAP. XXII. *Quod animalia vitium levitatis habentia non nutriantur.*

Certum est nos, qui monachalem militiam arripuimus, debere in cœnobiis nostris honestæ gravitati ac regularibus disciplinis, non levitatibus aut jocis vacare, et ob hoc fomenta vitiorum a sanctis locis elongari oportet, scilicet cervos, et ursos ac grues, cæteraque talia levitatis irritamenta.

CAP. XXIII. *De clericis et laicis cœnobia construentibus, et quod nullus sine probatione monachus efficiatur.*

Si clerici vel laici locum aliquem ad honorem Dei construxerint, illumque locum alicui cœnobiorum nostrorum quatenus ad abbatiam proficiat concedere voluerint, abbasque illius loci a quo consilium flagitant, locum habilem perspexerit, suscipiat illum si voluerit. Ipsi vero clerici vel laici si sanctæ Regulæ jugo se subdere voluerint, aut in loco illo abbatiam faciendam præstolentur, aut cellam novitiorum intrent in cœnobio prænotati abbatis ut regulariter probentur. Quod si ad aliquam aliam Ecclesiarum nostrarum secedere elegerint, vel aliud quid pro arbitrio facere, licenter agant; illud tamen magnopere nobis est cavendum ne isti aut alii aliqui sine regulari probatione aliquo modo nostro collegio socientur, exceptis monachis quos B. suscipit Benedictus.

CAP. XXIV. *Quod intra monasterium nullus carne vescatur aut sagimine.*

Intra monasterium nullus carne vescatur aut sagimine, nisi omnino infirmi et artifices conducti. Similiter nec intra curtes grangiarum, nisi propter easdem causas et etiam propter mercenarios.

CAP. XXV. *Quibus diebus vescimur tantum quadragesimali cibo.*

In toto Adventu, excepta prima Dominica, in secunda et tertia feria ante caput jejunii, in vigilia Pentecostes, et in jejunio Quatuor Temporum in Septembri, in vigiliis sanctorum Joannis Baptistæ, Petri et Pauli, Laurentii, Assumptionis beatæ Mariæ, Matthæi apostoli, Simonis et Judæ, Omnium Sanctorum, Andreæ apostoli, quadragesimali tantum vescimur cibo.

CAP. XXVI. *Ne monachi dent vel accipiant medietatem vel cressementum.*

Nullam cum sæcularibus societatem in pecoribus nutriendis, seu terris excolendis habere permittimur, videlicet dando vel accipiendo medietariam vel cressementum.

CAP. XXVII. *Quos suscipiamus ad confessionem, ad communionem et sepulturam*

Ad confessionem, ad sacram communionem, ad sepulturam neminem extraneum, præter hospites et mercenarios nostros, in monasterio videlicet morientes recipimus; sed nec ad oblationem in conventu ad missam, nisi in Purificatione sanctæ Mariæ, ad sepulturam autem duos tantummodo

(9) Pitantiarum *mentionem* quædam fereulæ *jam in superiori* cohum de Vitis, *pulmentis* hoc et *diximus* nostrorum

nomine, quarum hic et alibi sæpe fieri invenies, intelligenda sunt regularibus lautiora, ut pulmentis diximus. Itaque secundum Japhanum a Sancta Genomonachorum erant ex oleribus et leguminibus confecta. Pitantiæ, ex ovis et piscibus. Vide quæ de his diximus in lib. de prima vivendi ratione Cisterciensium, ut supra in cap. 17 lib. Usuum. (*Patrolog.* t. CLXVI, in S. Stephano).

Digitized by Google

quos voluerimus de amicis vel familiaribus nostris cum uxoribus suis.

CAP. XXVIII. *Quid fiat de his qui se reddunt alicui ecclesiæ nostræ ad monachatum, et antequam in capitulum venerint, morte præventi fuerint.*

Si quis mundum respuens monachatum desideraverit, et veniens ad aliquem de abbatibus nostris desiderium suum ei intimaverit, ac se etiam ei vel alicui illius Ecclesiæ monacho reddiderit, hic talis si ante petitionem suam in capitulo regulariter factam obierit, non pro novitio habeatur, sed pro familiari.

CAP. XXIX. *Quod nullus nostri ordinis abbas monacham benedicat* (10).

Prohibitum est ne quis abbatum nostrorum monacham benedicere, infantulum baptizare, vel etiam in baptismo tenere præsumat, nisi forte in articulo mortis, vel si presbyter defuerit.

CAP. XXX. *Quomodo causæ in capitulo generali exortæ definiantur.*

Si quælibet causa sponte confessa vel clamore exorta in generali capitulo Cistercii nascatur, communi assensu omnium abbatum, si possit concorditer fieri, definiatur; si autem pro capacitate sensus uniuscujusque, quod sæpe accidit, inter se dissenserint, Pater Cisterciensis monasterii quatuor abbatibus ad hoc idoneis hanc definire præcipiat, et quod illi utilius judicaverint, omnis sanctæ multitudinis conventus sine retractatione teneat.

CAP. XXXI. *De privilegiis.*

Constituimus ne quis contra instituta ordinis nostri privilegium facere præsumat; sed quod disposuerunt antecessores nostri sancti viri et adhuc disponunt sano consilio moderni ratum et stabile permaneat: quod si quis contra statuta capituli accipere aliquid vel emere vel ædificare præsumpserit, remota omni dispensatione ædificia cadant, expensæ et opera pereant.

CAP. XXXII. *Quod filia per annum semel visitet matrem ecclesiam.*

Statuit causa humilitatis Cisterciensis conventus solerti providentia, quatenus saltem semel in anno matrem ecclesiam per abbatem suum, si sanus fuerit, visitet filia.

CAP. XXXIII. *Quæ pœna injungatur negligentibus instituta.*

Si quis abbatum capituli nostri generalis neglexerit instituta, publice clametur, et ad emendationem admoneatur. Quod si ipso anno non correxerit, et in sequenti capitulo notum fuerit, leviori culpæ subjaceat, ubi et quandiu decreverit Cisterciense capitulum.

CAP. XXXIV. *De archiepiscopo vel episcopo.*

Nullus propter jussionem archiepiscopi vel episcopi generale capitulum dimittere præsumat: sed si sanus est, cæteris occasionibus postpositis, venire contendat. Non quod debitam obedientiam prælatis nostris denegemus, sed quod in ordine nostro tenere statuimus, observare debemus. Et ideo sicut alias scripsimus cum quis abbatum abbatiam construere voluerit, primo hoc capitulum et cætera archiepiscopo vel episcopo sunt ostendenda diligenter.

CAP. XXXV. *De pulvinaribus.*

Pulvinaria ex nulla parte excedant pedem et dimidium.

CAP. XXXVI. *De electione abbatis aut monachi in episcopum.*

Abbas vel monachus nostri ordinis, si in episcopum eligatur, nunquam consentiat sine assensu abbatis sui et Cisterciensis capituli, nisi forte a domino papa cogatur.

CAP. XXXVII. *Quod monachi vel conversi in alia abbatia nihil quærant.*

Monachi et conversi nostri ordinis a propriis abbatibus ad aliquod negotium directi in alia nostri ordinis abbatia, sine mandato abbatis sui nihil quærant præter victum et calceamentorum reparationem et equorum ferrationem, nisi eis aliquod infortunium in via contigerit.

CAP. XXXVIII. *Quo ordine benedicatur monachus peregrinus.*

Monachus peregrinus in aliquo ordinis nostri monasterio receptus, eo ordine in quo novitius benedicatur, si prius benedictus non fuerit.

CAP. XXXIX. *Cui liceat ferre punctam culcitram* (11).

Nullus ferat secum in via punctam culcitram ad jacendum, nisi is cui in capitulo concessum fuerit.

CAP. XL. *Quot sociis abbas veniens ad capitulum contentus esse debeat.*

Abbas veniens ad capitulum generale intra abbatiam monachum non adducat, nec plusquam duos equos, sed contentus sit uno converso vel uno serviente.

CAP. XLI. *Ubi monachi vel conversi minui debeant.*

Monachus vel conversus non debet minui nisi ad abbatias nostri ordinis, neque ad grangias nisi gravis necessitas incubuerit.

CAP. XLII. *De communicaturis.*

Illis diebus quibus monachi communicaturi sunt, possunt ad privatas missas ministri communicare. Licet etiam abbati monachos, novitios et conversos prout expedire judicaverit, dividere per altaria ad communicandum.

CAP. XLIII. *Quod nullus abbas in generali capitulo loquatur nisi stando.*

Nulli abbatum, præter Cisterciensem, liceat clamare, vel in audientia omnium loqui nisi stando;

(10) In cap. gen. an. 1241 determinatum est hanc monialium benedictionem non de illa quam in sua professione recipiunt, sed de illa quæ consecratio est, et ad episcopos pertinet, intelligendam esse.

(11) Et hic errat prædictus Ang. Manriq. dum per punctam culcitram intelligit pulvinum equestri sellæ impositum. Hic enim, ut patet ex textu capitis, per *culcitram* intelligi debet stragulum tomento et floccis fultum quod dormituris substernatur.

Digitized by Google

aliis omnibus sedendo auscultantibus. Si quis autem aliorum vel contradicere, vel aliud dicere voluerit, illo sedente surgat.

CAP. XLIV. *Quod nullus præsumat terram alterius vel usuaria in ea quærere.*

Si quis abbatum terram habuerit vel usuaria vel inde aliquam conventionem habuerit, nullus abbatum quærat eam, vel in ea usuaria sine assensu illius abbatis.

CAP. XLV. *Quomodo satisfaciat abbas si ad gloriam primi psalmi non occurrerit.*

Abbas si ad gloriam primi psalmi non occurrerit, satisfaciat ad gradum ut monachus, excepto quod sine licentia alicujus post satisfactionem recedat ad sedem suam, nisi alius abbas in choro fuerit.

CAP. XLVI. *Quando exire debent a generali capitulo monachi Cistercienses* (12).

In prima die capituli post absolutionem defunctorum dicatur *adjutorium nostrum* et exeant omnes monachi, præter priores qui in loco abbatum adfuerint : idem fiat aliis diebus post expositionem Regulæ.

CAP. XLVII. *De psalmis et orationibus extraordinariis.*

Prohibitum est ne in conventu psalmi vel aliæ quælibet orationes pro quavis necessitate dicantur, nisi forte pro missa de conventu, alia missa pro imminenti angustia, vel ad missam de conventu collecta.

CAP. XLVIII. *De misto adolescentiorum.*

Adolescentiores fratres quibus diebus jejuniorum mistum sumere conceditur, semper ante Tertiam illud sumant.

CAP. XLIX. *De nundinis.*

Periculosum quidem est minusque honestum religiosis frequentare nundinas nominatas; sed quia paupertas nostra hoc exigit, ut de rebus nostris vendamus vel necessaria emamus, quibus talis incumbit necessitas, poterunt ire ad mercatum vel nundinas, non tamen ultra tres dietas, vel ad plus ultra quatuor; nec plus de monachis vel conversis, quam duo de una abbatia, nec mare Anglicum transeundum censemus propter nundinas. Si qui tamen vicini maris portui fuerint, pro necessariis domus suæ emendis vel commutandis transire poterunt; non tamen ad nundinas, neque a portu applicuerint, plusquam duas dietas. Quicunque ergo monachus vel conversus ordinis nostri ad nundinas nominatus venerit, quandiu in nundinis fuerit, de nulla domo religiosa victum sibi vel equis suis accipiat, sed de suo magis vivat; et ea mensura qua decet virum ordinis sui : non enim pro se pisces (13) emere debet, aut delicias quærere, sed nec vinum bibere nisi bene aquatum, et duobus pulmentis sit contentus. Ad opus sæcularium nec emant nec vendant aliquid.

CAP. L. *De tabernis.*

Neque per monachum, neque per conversum, neque per aliquem hominum liceat nobis vinum nostrum vendere ad tabernam, sive, ut vulgo dicitur, ad brocam, sive, ut lingua Teutonica, ad tapam in nostris sive in domibus alienis, nec alicubi omnino.

CAP. LI. *De abbatibus dum capitulum generale tenetur foris sedentibus.*

Quicunque abbas fuerit foris dum generale tenetur capitulum, ea die a vino abstineat.

CAP. LII. *De mensura avenæ.*

Monachis seu aliquibus aliis nostri ordinis ad abbatias nostras sive ad earum loca venientibus, ad opus equorum ipsorum mensura avenæ in Cisterciensi capitulo constituta, sufficiat.

CAP. LIII. *De hospitibus ad generale capitulum venientibus.*

Eo die quo abbates Cistercium ad annuum conveniunt capitulum reliquisque diebus quibus ibidem morantur, certum sit statutum esse in generali eorumdem abbatum Capitulo, nullum supervenientem debere suscipi hospitem. Quod si etiam talis aliquis supervenerit cui id omnimo negari non possit, equos vel equum ejus nullomodo recipiendum : id enim solerter cavendum judicavere, ne forte rei pro qua de tam longinquis conveniunt provinciis, scilicet ut suo intendant ordini, ullum incurrant impedimentum, quod per hujusmodi susceptiones posse fieri arbitrabantur.

CAP. LIV. *De mensura pulmentorum*

Eadem mensura sicut panis et vini sit per omnes abbatias, qua æqualiter pulmenta (14) dividantur tam in abbatiis quam in grangiis.

CAP. LV. *Cui liceat ferre calicem et cætera ad missam cantandam necessaria.*

Abbates nostri ordinis quolibet ierint, calicem et cætera ad missam cantandam necessaria non ferant, nisi ii quibus in annuo abbatum capitulo concessum fuerit.

CAP. LVI. *Si liceat alicui novos libros dictare*

Nulli quoque liceat abbati, nec monacho nec novitio libros facere, nisi forte cuiquam in generali capitulo id concessum fuerit.

CAP. LVII. *De armentis sive pecudibus.*

Nullus abbas ordinis nostri sive armenta sive pecudes sinat ad pascua longius evagari per diem quin in nocte revertantur infra proprios fines et proprias terras; hac tamen lege non tenebuntur qui in Alpibus vel juxta Alpes habitant, in gregibus dunta-

(12) Et hoc cap. perspicuum est, omnes abbates interfuisse tunc temporis definitionibus edendis aliisque causis in capitulo generali ventilandis : etsi nunc juxta præsentem usum, aut abusum potius, soli definitores intersint; quasi vero abbates nunc deterioris essent conditionis quam tunc priores qui vices eorum agerent.

(13) Nota hic pisces non censeri inter pulmenta nostris monachis concessa.

(14) Pulmenta erant fercula regularia seu a regula permissa et præscripta, quæ, teste Stephano, Tornacensi *ager ex leguminibus vel ex oleribus hortus* nostris olim monachis subministrabat. *Epist ad Hug. Pontigniacensem.*

Digitized by Google

tat ovium. Propter porcos autem liceat habere longe ab abbatia, sive a grangia duabus leucis sive etiam tribus, si ita necesse fuerit : et circa domum illam, quantum opus fuerit, longe evagentur, ita tamen ut nocte revertantur. Custodibus autem ovium vel pecorum victus quotidianus aliunde non proveniat, nisi de sua propria abbatia vel grangia illa. Sed si qui etiam in aliis partibus pro penuria et ariditate locorum hanc forte legem tenere non potuerint, ea ipsi non tenebuntur, sed poterit in eis capitulum dispensare ut vivere possint, si tamen hoc testimonio vicinorum abbatum ostendere poterunt.

CAP. LVIII. *De placitis.*

Non debent abbates vel monachi vel conversi nostri ordinis interesse placitis nisi suis aut aliorum de ordine nostro. Quod si aliis de causis quemquam eorum adesse contigerit, non sit tamen ibi judex vel prolocutor, nec ad consilium partium nec ad judicium eat.

CAP. LIX. *De episcopis ordinis nostri.*

Episcopi de ordine nostro assumpti consuetudinem nostram tenebunt in qualitate ciborum, in forma indumentorum, in observatione jejuniorum, in officio horarum regularium : excepto quod mantellum de vili panno et pelle ovina, et pileum similem aut simplicem habere poterunt, qui voluerint : cum quibus tamen rebus claustra minime intrabunt, nec conventibus nostris intererunt, propter dissimilitudinem (15). Solatia poterunt unicuique dari de domibus nostris usque ad duos monachos et tres conversos, si tot necessarii fuerint, ita tamen ut hemini illorum sæcularia negotia vel curæ imponantur. Propter episcopos ordinis nostri, si in infirmitorio jacent, poterunt infirmarii sui, si opus fuerit, remanere ab horis canonicis; similiter et socii eorum qui assidui sunt cum eis Cæterorum autem nullus pro quolibet episcopo aliquam horam canonicam dimittat, et nullus monachorum ejus comedat cum eo; sed in refectorio, nisi infirmus fuerit.

CAP. LX. *De pitantiis*

Abbas qui in infirmitorio fuerit, in conventum pitantiam non mittat, præter abbatem loci; nullusque abbatum qui in refectorio comederint faciat pitantiam, nisi ille qui sedet ad nolam, nisi forte juxta se sedenti.

CAP. LXI. *Quibus speciebus non utimur.*

In conventu generaliter nec pipere, nec cimino, nec hujusmodi speciebus utimur, sed communibus herbis quales terra nostra producit.

CAP. LXII. *De gravibus culpis.*

Notum est in Cisterciensi capitulo annuali ab archiepiscopis ordinis nostri, tam fures quam conspiratores, quam etiam incendiarios excommunicatos specialiter fuisse. Quicunque ergo fratrum nostrorum in ejusmodi deprehensi fuerint, graviori culpæ subdantur. Quod si qui talium exierint pro eo vel projecti fuerint; nullatenus nisi sub eadem sententia recipiantur. Ipsa etiam in quemque secundum modum culpæ extendatur vel aggravetur. Hoc etiam attendendum est, ut et hora prandii sit tardior, et mensura cibi minor quam illius qui in leviori culpa ponitur. Verumtamen abbas attendat et corporum valetudinem et culparum modos, et cum susceptus fuerit in capitulo, non eadem die ponatur in ordine suo. Vasa quibus utitur, aut frangantur aut pauperibus erogentur. Ad fores oratorii prostratus jaceat non habens caputium in capite; quoties autem missa vel officium defunctorum sine intervallo sequitur horam canonicam, non prosternatur, donec conventus exeat de ecclesia, non tamen omnes coguntur propter eum exire : qui vero exeunt, per ante eum exeant. Et item cum in capitulum receptus fuerit, dum completur opus Dei prosternat se in terram.

CAP. LXIII. *De levioribus culpis.*

Fratres, qui in leviori culpa sunt, extra refectorium comedant in loco quo abbati visum fuerit. Qui post refectionem servitorum, neque ad biberes eant cum aliis, neque illi qui pro versu tertio perdito in pœnitentia sunt, sed post alios eant in refectorium.

CAP. LXIV. *In quo ordine fugitivus recipi debeat.*

Fugitivus si infra undecim dies redierit, restitui potest in ordine quem prius habuerat; si vero ultra undecim dies redierit, recipi quidem potest, ita tamen quod in eo gradu in quo ultimus recipitur, semper permanebit.

CAP. LXV. *De vocatione abbatum ad electionem novi abbatis*

Defuncto abbate Pater abbas vocetur, et si qui sunt abbates quos domus illa genuerit. Viciniores quoque ad diem quem ipse Pater abbas præscripserit pariter convocentur, et ad arbitrium Patris abbatis præsentes abbates domus illius et monachi simul abbatem eligant. In domo Cisterciensi, qui mater est omnium nostrum, præsentes abbates qui de Cistercio exierunt et monachi Cistercienses simul eligant.

CAP. LXVI. *De cura Grangiarum.*

Prohibemus ne quis abbas grangias suas vel aliquam earum alicui monacho committat, nisi cellerario qui secundum Regulæ auctoritatem, ad voluntatem abbatis curam gerat de omnibus, et ei prout necesse fuerit, solatia administrentur, a quibus in his quæ agenda fuerint, adjuvetur.

CAP. LXVII. *Quid abbas Cisterciensis in generali capitulo inquirere debeat.*

Si aliqua abbatia in anno a patre suo abbate domus unde exivit non fuerit visitata vel per se vel per alium, in communi capitulo Cisterciensi abbas ejus hoc notificet interrogante id communiter eo qui præsidet in capitulo. Quæratur etiam si quis deest abbatum, et auditis excusationibus eorum qui forte pro infirmitate venire non potuerunt de cætero ne-

(15) Nota primam simplicitatem, modestiam et sanctitatem ordinis, etiam in episcopis suis.

Digitized by Google

mo celaverit, si quem eorum qui eo anno venire debuerant abesse cognoverit, nec sine gravi animadversione id prætereatur.

CAP. LXVIII. *Qualiter terminari debeant controversiæ inter abbates exortæ.*

Si forte aliqua controversia inter aliquos abbates ordinis nostri orta fuerit, convocent vicinos abbates ordinis nostri et eorum consilio pacem ineant; si vero nec sic sedari potuerint, reservetur causa eorum ad annuum capitulum Cistercii, et ibi ad arbitrium et ad nutum Cistercii capituli terminetur, neque modo ad aliam audientiam appellare liceat.

CAP. LXIX. *De domibus quæ in villis sunt.*

In domibus quæ in villis sunt aut castellis aut civitatibus non habitent monachi vel conversi.

CAP. LXX. *De monachis vel conversis ad proprias grangias venientibus.*

Monachi vel conversi cum ad proprias grangias venerint, sicut fratres grangiarum ita vescantur; nec loquantur cum fratribus, nisi cum magistro et hospitali.

CAP. LXXI. *De falsis vocibus.*

Viros decet virili voce cantare, et non more femineo tinnulis, vel, ut vulgo dicitur, falsis vocibus histrionicam imitari lasciviam : et ideo constituimus mediocritatem servari in cantu, ut et gravitatem redoleat et devotio conservetur.

CAP. LXXII. *Si liceat alicui Romam ire.*

Nemo ordinis nostri Romam eat, nisi cum episcopo sui ordinis.

CAP. LXXIII. *De abbatibus qui abbatias suas relinquunt.*

Abbates qui abbatias suas relinquunt, in ordinem conversionis suæ redeant (16).

CAP. LXXIV. *Quod monachi vel conversi ad generale capitulum venientes verberentur.*

Ab hora nona diei præcedentis Exaltationem sanctæ crucis usque ad horam nonam diei quo abbates a generali capitulo discedunt, quicunque hospes monachus vel conversus inventus fuerit in monasterio vel in grangiis Cisterciensibus, ducatur in generale capitulum, et ibi coram omnibus abbatibus verberetur. Excusationem vero aliquam eis prætendere qui verberantur, nec abbas Cisterciensis potest.

CAP. LXXV. *Quod infirmarius potest loqui cum solatio suo.*

Qui magister erit de infirmitorio loqui poterit cum solatio suo, si tamen ita viderit abbas oportere : et hoc ipsum loco et modo quo ipse providerit. Conversum etiam pro solatio infirmarii liceat haberi *in infirmitorio.*

CAP. LXXVI. *De pueris litteras discentibus.*

Nullus puerorum doceatur litteras intra monasterii, nisi sit monachus vel ro- *vel in locis* *monasterii*, *ceptus in pro-* *bationis discere* *(16) In st.* *censum est*

Et notandum quia nullum nisi *capitulis* generalibus constitutus *abbatibus ut* post alios abba-

post quintum decimum ætatis suæ annum in probatione ponere licet.

CAP. LXXVII. *De pœna abbatis contemnentis Patrem abbatem.*

Abbas filius qui abbatem suum eum corripientem de ordine suo contempserit, clamatus in Cisterciensi capitulo levi culpæ subjaceat, aut in propria abbatia, aut in loco in quo abbas Cisterciensis constituerit.

CAP. LXXVIII. *Quando vel quibus major cellerarius computare debet.*

Major cellerarius, semel in mense, vel sæpius si abbas voluerit, de omnibus quæ accipit, abbati vel quibus jusserit computet. Alii autem sive grangiarii, sive qui aliquibus præsunt operariis, in præsentia cellerarii, vel quibus cum eo abbas jusserit, similiter faciant. Substantiam autem monasterii in nummis vel in alia pecunia, is cui jusserit abbas custodiat; ipse vero abbas aliquos de suis monachis pecuniæ conscios secum habeat.

CAP. LXXIX. *De pœna loquentium ad mensam.*

Omni tempore secundum Regulæ præceptum debet monachus studere silentio, sed maxime nocturnis horis et ad mensam. Eapropter ordinamus no monachus sive conversus ad mensam loquatur, nisi forte in via constitutus si non habuerit qui signa sua intelligat, singula verba dicendo, ut aquam, panem et vinum, et cætera comestioni tantum necessaria breviter et silenter requirat. Qui vero aliter fecerit, in ipsa refectione a vino abstineat : quod si vinum non habuerit, uno pulmento, si duo habuerit, careat.

CAP. LXXX. *Cum quot monachis liceat abbati hospiti simul loqui.*

Constituimus ut nullus abbas ad aliam domum veniens, monachum de labore sine licentia retineat, nec cum pluribus quam cum duobus simul loquatur, præter abbates visitatores, quos ei in auditorio vel in locum proximum auditorio monachorum evocare liceat. Cæterum per curiam vel infirmitorium aut extra terminos sine abbatis licentia vel prioris, si abbas defuerit, monachum ducere, exceptis, ut diximus, visitatoribus, nulli liceat. Dum autem abbas cum duobus loquitur, si tertius supervenerit, stando breviter, si necesse sit, loqui poterit; sed consedere etiam rogatus non præsumat.

CAP. LXXXI. *De litteris et vitreis.*

Litteræ unius coloris fiant et non depictæ. Vitreæ albæ fiant, sine crucibus et picturis.

CAP. LXXXII. *De lampade ecclesiæ.*

Lampadem tam die quam nocte ardentem in oratorio, qui voluerit et potest, habeat.

CAP. LXXXIII. *De generibus vestimentorum.*

Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt : monasterium ista non decent. Ponamus delicatas vestes, et nullus deinceps Isembruno, Saia, Vates locum obtineant. *Novellarum Def.* dist. 8, c. 2.

sequentibus *hujusmodi* *ratio-* CLXXXI.

Digitized by Google

lembruno vel ejusmodi aut etiam subtilioribus pannis utatur, neque novis, neque veteribus.

CAP. LXXXIV. *Pro quibus liceat nobis scribere D. papæ.*

Nullus scribat domino papæ nisi pro propriis causis et coabbatum suorum, et episcoporum, archiepiscoporum, regum et principum suorum.

CAP. LXXXV. *De wandagiis* (17).

Directi in viam si voluerint wandengias ad devi-

(17) *Vandengiæ* seu *Vendagiæ* sunt perones seu indumenti genus tibias et pedes operiens.

A tandum lutum, sive ad expellendum frigus habere licet eis.

CAP. LXXXVI. *Quod monachus prostratus non oret.*

Non est nostræ consuetudinis monachum vel conversum prostratum toto corpore jacere in oratorio, sed super genua et stando.

CAP. LXXXVII. *De scriptoriis* (18).

In omnibus scriptoriis ubicunque ex consuetudine monachi scribunt, silentium teneatur sicut in claustro.

(18) *Scriptoria* erant cellæ in quibus monachi libris describendis vacabant.

S. RAINARDI EPISTOLA

AD INNOCENTIUM II.

(Vide Patrologiæ tom. CLXXIX, col. 671, inter epistolas Innocentii II.)

ANNO DOMINI MLI

HUGO MATISCONENSIS

PONTINIACENSIS ABBAS PRIMUS, POSTMODUM EPISCOPUS ANTISSIODORENSIS

NOTITIA

Histoire littéraire de la France, tom. XII, pag. 408)

(1) Hugues, de la maison des comtes de Mâcon, lia, dès sa première jeunesse, une étroite amitié avec saint Bernard, dont il était cousin et à peu près son égal pour l'âge. Bernard, en quittant le monde, ne crut pas devoir laisser ce cher parent au milieu des écueils que la crainte du naufrage lui faisait éviter. Il le pressa de le suivre à Cîteaux. Hugues résista quelque temps; mais enfin il se laissa vaincre, et fut un des trente compagnons que Bernard emmena dans cette sainte retraite. Les progrès rapides qu'il y fit dans la vertu, déterminèrent l'abbé saint Etienne à le mettre à la tête de la colonie qu'il envoya l'an 1114 pour fonder l'abbaye de Pontigni au diocèse d'Auxerre. Cette maison devint elle-même sous son gouvernement la mère de plusieurs autres. On dit que Hugues fut le premier qui, dans la profession d'obéissance que les abbés cisterciens faisaient à l'évêque diocésain, ajouta ces mots : *Salvo ordine nostro* (2), addition dont l'Ordre se trouva bien dans la suite.

S'étant rendu l'an 1127 au chapitre général de Cîteaux, il y vit arriver Etienne de Senlis, évêque de Paris, que les vexations du roi Louis le Gros avaient obligé d'abandonner son Eglise. Touchée de la situation du prélat, et attendrie par ses prières, l'assemblée députa au monarque les abbés de Clairvaux et de Pontigni pour l'engager à faire cesser cette espèce de persécution. Hugues assista l'année suivante au Concile de Troye, où il donna des preuves de sa capacité. Thibaut le Grand, comte de Champagne, instruit de son mérite par les évêques d'Auxerre et de Troyes, le choisit l'an 1155 avec André de Beaumont moine de Clairvaux, pour établir des chanoines réguliers dans l'église de Saint-Loup de Troyes,

(1) Manr., *Ann. Cist.* ad an. 1112, c. 2. n. 2. Le Nain, *Hist. de Cîteaux*, t. I, p. 155.

(2) Voici la formule du serment d'obéissance que les abbés de l'Ordre de Cîteaux faisaient à leur évêque : *Ego N. abbas Cisterciensis ordinis subjectionem et obedientiam a sanctis Patribus institutam secundum regulam S. Benedicti, tibi, Domine Episcope, tuisque successoribus canonice instituendis, et sanctæ Sedi Apostolicæ, salvo ordine meo, perpetuo me habiturum promitto.* (SIRMOND., not. in ep. 7. lib. II Epist. Gauffr. Vindoc.).

Digitized by Google

desservie auparavant par des clercs séculiers. Les deux commissaires, après s'être acquittés de cette fonction, donnèrent aux nouveaux chanoines des statuts particuliers qui furent confirmés par le pape Innocent II.

La sage conduite de Hugues faisait prendre de jour en jour de nouveaux accroissements à l'abbaye de Pontigni, lorsque la Providence l'en retira pour le placer sur le siége épiscopal d'Auxerre (3), vacant par la mort de Hugues de Montaigu décédé l'an 1136. Il fut ordonné la même année par Geoffroi évêque de Chartres et Légat du Pape dans l'abbaye de Ferrière au diocèse de Sens (4). La pièce funèbre qu'on rapportera ci-après, énonce en précis les vertus qui caractérisèrent son épiscopat.

Il introduisit l'an 1141 les Prémontrés à Auxerre, et les dota de ses propres fonds. Appelé au grand concile de Reims, tenu l'an 1148 (5), il y fit preuve de son savoir théologique en combattant les erreurs de Gilbert de la Porrée. Hugues (6) fut un des trois commissaires que les prélats français de cette assemblée chargèrent de rédiger leur profession de foi contraire à ces nouveautés pour la présenter au Pape et au sacré Collége.

Ce respectable Prélat mourut le 10 octobre de l'an 1151. Son corps, inhumé dans l'église de Pontigni près le grand autel, fut trouvé l'an 1560 aussi entier que le jour qu'il avait été mis en terre. Les Calvinistes sur cet indice le prenant pour celui de saint Edme, portèrent leur aveugle fureur jusqu'à le brûler et le réduire en cendres. Simon Chevredor, Chanoine régulier de Saint-Victor, son contemporain, décora son tombeau de l'Epitaphe suivante :

Antissiodori Præsul prælatus in urbe,
Mente polum scandens, membra reliquit humi.
Sexu, stirpe, bono præstans, illustris, honestus,
Hugo fuit largus nomine, voce, manu.
Et locuples et inops, pauper sibi, dives egenis,
Et nullis impar, et sibi nullus erat.
Hunc a justitiæ norma revocare nequibant
Obsequium, terror, gratia, dona, preces;
Sola triumphabat virtus pietatis in illo,
Cum post justitiam debuit esse pius.
Istius Ecclesiæ primus Pater amplificavit
Laudem, facta, locum, laude, vigore, bonis.
Bis quinos Octobre dies claudente, dierum
Finem clausit, habens nunc sine fine diem.

Malgré cet éloge, nous ne dissimulerons pas que le testament de Hugues fait une tache à sa mémoire. Ce Prélat, au lieu de léguer aux pauvres et aux Eglises tout ce qu'il possédait, ne leur en laissa qu'une légère portion, donnant tout le reste à un de ses neveux, jeune homme laïque, qui n'avait rien de recommandable que l'honneur de lui appartenir (7). Le bruit courait qu'il lui avait donné jusqu'à sept Eglises dont il avait fait l'acquisition, avec leurs dîmes et des prés dans la forêt même de l'Evêque, sans compter son or et ses chevaux dont ce jeune homme se servit pour aller faire confirmer ce testament à Rome. Saint Bernard en étant informé se hâta de prévenir le Pape Eugène par une Lettre, où il le priait de casser cet acte qu'il traitait de frauduleux, comme ayant été surpris au Prélat par son diacre Etienne dans un de ces moments de faiblesse qui étaient fréquents chez lui dans les derniers temps de sa vie. Il soupçonnait même ce diacre de l'avoir fait dresser à l'insu de Hugues; ce qui est d'autant plus vraisemblable, dit-il, que l'année dernière étant tombé dangereusement malade, on lui fit faire la donation d'une Eglise en faveur de ce même neveu : donation dont il déclara dans sa convalescence n'avoir aucun souvenir.

Quoique M. Le Beuf, dans ses *Mémoires pour l'histoire d'Auxerre*, n'ait pas jugé à propos de mettre notre Prélat au rang des auteurs, il a laissé néanmoins des productions de sa plume qui semblent mériter ce titre. Dom Charles de Visch, dans sa *Bibliothèque de Cîteaux*, nomme un traité de sa façon intitulé : *De conservandis Ecclesiæ privilegiis*. Cet ouvrage n'a point encore vu le jour, et nous ignorons en quel dépôt il existe. Le même bibliographe incline avec assez de vraisemblance à lui attribuer le *petit Exorde de Cîteaux*. On a de plus deux lettres de lui à Suger : l'une, pour l'engager à établir une trêve entre Hugues *de Marinis* et Hugues de Borne qui se faisaient la guerre à outrance; l'autre, pour lui recommander la veuve et les enfants du médecin Robert que Suger avait honoré de son estime et de sa protection, lorsqu'il vivait. Nous pourrions encore ajouter la lettre écrite en son nom et au nom de saint Bernard au Pape Honorius II, pour lui faire des plaintes de la précipitation avec laquelle il avait levé l'interdit jeté par Etienne de Senlis évêque de Paris sur les terres du roi Louis le Gros. Il est auteur des Statuts de l'Abbaye de Saint-Loup de Troyes, et il a eu part aux Constitutions des Religieuses d'Hières. Enfin Dom Martène a publié dans le premier tome de ses *Anecdotes* (p. 402) une charte de lui, touchant les biens qui avaient été possédés par Hugues du Til.

Nous nous garderons bien toutefois de mettre sur le compte de notre Prélat le poëme d'un Hugues de Mâcon, intitulé *De mirabilibus gestis Militum*. L'auteur de cet ouvrage n'avait de commun avec celui qui nous occupe, que la conformité de noms; et il est certain, comme on le fera voir en son lieu, qu'il ne florissait que vers la fin du quinzième siècle

(3) Mab., *Ann.* l. LXXVI, n. 95.
(4) Le Nain, *ibid.*, p. 85.
(5) *Ann. Cist.*, t. I, p. 411, n. 6.
(6) Villefore, *Vie de S. Bern.* l. VI, c. 5; Le Nain, *ibid.*, n. 18; Mart., *anecd.* t. IV, p. 141.
(7) Bern., ep. 276.

HUGONIS EPISTOLÆ DUÆ

AD SUGERIUM.

(Vide Patrologiæ tom. CLXXXVI, in Sugerio.)

Digitized by Google

HUGONIS
EPISCOPI ANTISSIODORENSIS
CHARTA
DE BONIS QUÆ POSSIDEBAT HUGO DE TILIO.
(Anno 1147.)

(MARTÈNE, *Thesaur. Anecdot.*, t. I, col. 402.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Hugo Antissiodorensis episcopus, præsentibus et futuris notum fieri volo, quod Hugo de Tilio, dum ea qua mortuus est, decumberet infirmitate, coram nobis aliisque religiosis sæcularibus personis protestatus est, quod Guillelmus avus Guillelmi comitis Nivernensis, qui ad Deo serviendum Carthusiam se transtulit, potestatem Giriaci et castrum Luperciacum, cum his quæ pertinebant ad illud, præter Bolum, plures annos dum viveret possedit, moriensque ea prædicta nepoti suo Guillelmo in pace dimisit. Qui ipsa quoque in eadem pace possedit, donec præscripto Hugoni de Tilio illa in hæreditate concessit, tam pro recompensatione amoris et servitii sui, quam etiam pro terra de Forgiis et pecunia propter hoc data. Et ipse A eadem nœc usque ad illam diem qua hæc protestatus est, in pace possederat. Protestatus est etiam se multa alia ab Hugone Sajet, laudante uxore sua Amelina, et liberis eorumdem, acquisivisse, et post acquisitionem, usque ad diem ipsam, quiete possedisse. Hæc omnia suprascripta, præter Bolum, protestatus est, se taliter adquisisse, quod uxori suæ Saræ quæ præsens erat, et liberis quos ex ea genuerat, hæreditario jure possidenda juste dimittere poterat, et dimittebat. Huic rei interfuerunt mecum Pontius abbas Vizeliaci, Petrus Boni-radii abbas, Stephanus Regniaci abbas, Gaufredus abbas de Rupibus, Itherius de Totiaco, Nargodus, et Seguinus de Crux, Gauterius de Montescot, Ernaudus Totiaci, Hugo de Prii, Rainaldus, Morellus, et quamplures alii.

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

VEN. HERVEUS BURGIDOLENSIS MONACHUS.
Notitia. 9
Notitia altera. 14
COMMENTARIORUM IN ISAIAM LIBRI OCTO.
Liber I. 18
Liber II. 111
Liber III. 171
Liber IV. 231
Liber V. 301
Liber VI. 381
Liber VII. 455
Liber VIII. 525
COMMENTARIA IN EPISTOLAS DIVI PAULI.
Præfatio. 591
Expositio in epistolam ad Romanos. 595
Expositio in epistolam I ad Corinthios. 813
Expositio in epistolam II ad Corinthios. 1001
Expositio in epistolam ad Galatas. 1129
Expositio in epistolam ad Ephesios. 1201
Expositio in epistolam ad Philippenses. 1279
Expositio in epistolam ad Colossenses. 1313
Expositio in epistolam I ad Thessalonicenses. 1353
Expositio in epistolam II ad Thessalonicenses. 1385
Expositio in epistolam I ad Timotheum. 1403
Expositio in epistolam II ad Timotheum. 1450
Expositio in epistolam ad Titum. 1447
Expositio in epistolam ad Philemonem. 1501
Expositio in epistolam ad Hebræos. 1515
HILDEBRANDUS JUNIOR.
Notitia. 1691
LIBELLUS DE CONTEMPLATIONE. 1691
AIMO ABBAS S. PETRI DIVENSIS ET PETRUS MONACHUS.
Notitia. 1705
AIMONIS EPISTOLA AD FRATRES TOTESBERIÆ IN ANGLIA. 1707
PETRI DIVENSIS GESTA ABBATUM BECCENSIUM. 1710
GUIDO CARILOCI ABBAS.
Notitia. 1719
TRACTATUS DE CORRECTIONE CANTUS ORDINIS CISTERC. 1719
HERIBERTUS MONACHUS.
Notitia. 1719
EPISTOLA DE HÆRETICIS PETRAGORICIS. 1721
BARTHOLOMÆUS CATALAUNENSIS EPISCOPUS.
Notitia. 1721
EPISTOLA AD SUGERIUM ABBATEM. 1721
BERNARDUS CARTHUSIÆ PORTARUM PRIOR I.
BERNARDI EPISTOLÆ TRES. 1725
S. RAINARDUS ABBAS CISTERCIENSIS V.
Notitia. 1725
INSTITUTA CAPITULI GENERALIS ORDINIS CISTERCIENSIS. 1725
EPISTOLA AD INNOCENTIUM II. 1739
HUGO MATISCONENSIS PONTINIAC. ABBAS, POST EPISC. ANTISSIOD.
Notitia. 1739
EPISTOLÆ DUÆ AD SUGERIUM. 1742
CHARTA DE BONIS HUGONIS DE TILIO. 1745

FINIS TOMI CENTESIMI OCTOGESIMI PRIMI.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google